Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/petavii0006ajbt

PETAVII

OPUS DE THEOLOGICIS DOGMATIBUS

TOMUS SEXTUS

Cet ouvrage, par les corrections et les additions considérables qui y ont été opérées, est devenu la propriété des Editeurs, qui se réservent tous leurs droits. Toute contrefaçon ou imitation, quelle que soit la forme sous laquelle elle se présente, sera poursuivie rigoureusement, conformément aux lois.

Hoc in opere tam multa sunt aut correcta aut addita, ut id suum Editores reddiderint et, quidquid suorum jurium sit, sibi vindicent. Itaque, si quis idem aut furto ediderit aut quoquo modo erit imitatus, in crimine erit et de injuria postulabitur.

DIONYSII

PETAVII

OPUS DE THEOLOGICIS DOGMATIBUS

A. J.-B. THOMAS

Vicario Generali, in Seminario Virdunensi Theologiæ Professore

recognitum et adnotatum

TOMUS SEXTUS

DE INCARNATIONE VERBI, LIB. IV-XI.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ALMA COLLEGE
208.8
LIBRARY
P441
Alma, California

BARRI-DUCIS, L. GUERIN & SOCII, EDITORES

M DCCC LXIX

39175

PETAVII THEOLOGICA DOGMATA.

DE INCARNATIONE VERBI.

LIBER QUARTUS.

IN QUO DE GENERALIBUS NATURARUM IN CHRISTO DUARUM AFFECTIONIBUS AGITUR, QUÆ EX UNITIONE CONSEQUUNTUR.

CAPUT PRIMUM.

1. Proponitur libri hujus argumentum. Θεολογία, et οἰκονομία. Duplex naturarum in Christo consideratio. — 2. Propria vocabula τῆς οἰκονομίας apud Patres : ἄτρεπτον, ἀδιαίρετον, ἀσύγχυτον. — 3. Summa Christi unitas ex Vincentio Lirinensi, — 4. et ex Rustico diacono illustrata. — 5. Substantivam esse hanc unitatem. — 6. Ideo non assumpsisse hominem Dei Filium, sed hominem esse factum, antiqui dixerunt.

I. Quæ ad ἕνωσιν, id est *unitionem*, qui est ambarum naturarum nexus, attinent, superiore libro complexi sumus : nunc quæ naturis ipsis unitione illa copulatis conveniunt explicare aggredimur, idque dupliciter instituimus facere. Nam et ea consideranda sunt, quæ in naturas simul duas cadunt ; et ea, quæ privatim unicuique competunt. De priore, hoc in libro agetur : posterioris, in sequentem rejicienda tractatio est. Sed illa pars prima rursus bifariam tribuitur. Quippe alia sunt, quæ in naturis contemplamur, qua in unum coalescunt : alia, quatenus in ipsa copulatione differentiam conservant. De quibus, paulo, altius repetito sermone, sic ordiemur dicere.

Omnis, quæ de Deo suscipitur disputatio, ad duo capita revocatur : quorum alterum θεολογία, alterum οἰκονομία nominatur. Θεολογίας vocabulum ea proprie significat, quæ referuntur ad divinitatem ipsam, divinasque personas : ut est natura Dei, et proprietates, tam absolutæ, quam relativæ. Οἰκονομία vero, illa complectitur, quæ spectant ad statum, operationemque Dei ad nostram sese conditionem applicantis, quam et ἔνσαρκον οἰκονομίαν Græci ; Latini, *Incarnationem,* et vitam in carne, Christi redemptoris appellant. Hoc amborum discrimen exposui initio Prolegomenon tomi primi, qui est de Deo.

Jam ut *Theologiam*, hoc est ipsius Dei contemplationem, partitur Dionysius[1] in eam, quam vocat ἡνωμένην, id est *unitam*, et διακεκριμένην, hoc est *distinctam* ; quarum prior in natura Dei, et iis, quæ naturam sequuntur, personis tribus communia, versatur : posterior ea comprehendit, quæ sunt personarum

[1] Cap. 2. de Div. nom.

propria, adeoque distincta, ut alibi declaratum est[1] : sic in altera specie, quæ οἰκονομία dicitur, duæ sunt itidem partes : sive naturarum, ex quibus illa constat, duplex est consideratio. Quippe vel spectantur ut sunt unitæ in eadem hypostasi Christi : vel ut naturales in ea conjunctione retinent proprietates, et differentias.

II. Utrumque Græci certi nominibus exprimunt, cum de unitione illa loquuntur. Uniri enim naturas dicunt ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως et ἀδιαιρέτως : e quibus priora duo ad διακεκριμένην οἰκονομίαν attinent ; tertium , ad ἡνωμένην. Etenim ἀτρέπτως ideo fieri dicitur, quia neutra mutatur in alteram : ἀσυγχύτως vero, quia non inter se mistæ, ac confusæ, quæ propria sunt amittunt : in quo naturarum integra differentia servatur. Porro τὸ ἀδιαίρετον indicat, easdem naturas non esse divisas a se invicem, ac separatas : sed in unius compositionem consociatas, et conjunctas. Quamobrem crebro, uti dixi, vocibus illis Patres uti videas tum universe congregatos in Synodis ; tum separatim singulos.

Sic Chalcedonense concilium in fidei definitione , eumdem Christum unigenitum Dei filium , ex duabus naturis constare dicit, (1) *citra confusionem*, *mutationem*, *divisionem*, *ac separationem.* Sic Lateranensis synodus Martino primo Pontifice Romæ habita in fidei formula, et in anathematismis, *naturas duas unitas* ait , *inconfuse*, *et indivise.* Ita sexta Synodus œcumenica, quæ in fidei itidem typo Chalcedonensem formulam descripsit, et easdem voces alibi quoque comprobavit. Sic Proclus in epistola ad Armenos[2] duo illa nomina , τὸ ἄτρεπτον, et τὸ ἀδιαίρετον, totam illius vim mysterii comprehendere dicit : atque hoc unitatem significare personæ : illud differentiam confusionis expertem. Sophronius item in epistola synodica, quæ in acta Synodi sextæ relata est[3], ἄτρεπτον καὶ ἀμέριστον ἕνωσιν celebrat. Cyrillus, (2) *indivulsam,* et *immutabilem.* Maximus quoque martyr identidem ea inculcat nomina ; ut in epistola ad Pyrrhum presbyterum nondum edita : cujus verba alibi reddemus, cum de *operatione* agendum erit. Nec minus sæpe Joannes Damascenus : ut in tertio libro, capite secundo, (3) *sine confusione, ac mutatione, et divisione* unitum ait Verbum cum animata carne. Et Petrus Damiani : « Idem itaque Deus, *inquit*, et homo in una subsistentia, vel persona : sed gemina utriusque servata proprietas substantiæ, permanente natura : ut utramque videlicet neque dividat, neque unitio facta confundat. » Sic alii complures, quos longum, et inutile sit referre. De naturarum quantumvis arcte copulatarum differentia, post : de earumdem individuo nexu modo disserendum.

III. Tanta est igitur disparium, et longe diversarum in Christo substantiarum, ac tam stupenda conjunctio ; ut unus ex illa proprie ac per se, non pro naturarum numero multiplex existat, persona duntaxat, et hypostasi. Quam catholicæ fidei sinceritatem non minus eleganter, quam enucleate Vincentius Lirinensis explicavit : « In Deo una substantia, *inquit*, sed tres personæ ; in Christo duæ substantiæ, sed una persona. In Trinitate alius atque alius, non aliud, atque aliud : in Salvatore aliud, non alius, atque alius. Quomodo in Trinitate alius, atque alius, non aliud, atque aliud ? Quia scilicet alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti : sed tamen Patris, et Filii, et Spiritus sancti non alia, et alia, sed una, eademque natura. Quomodo in Salvatore aliud, atque aliud, non alius, atque alius ? Quia videlicet altera substantia divinitatis, altera humanitatis : sed tamen deitas et humanitas non alter, et alter, sed unus, idemque Christus unus, idemque Filius Dei, et unius ejusdemque Christi, et Filii Dei una eademque persona. Sicut in homine aliud caro, et aliud anima : sed unus idemque homo, anima et caro. In Petro et Paulo aliud anima, aliud caro ; nec tamen duo, Petri caro et anima ; aut alter Paulus anima, et alter caro ; sed unus idemque Petrus, unus idemque Paulus, ex duplici, diversaque subsistens animi corporisque natura. Ita igitur in uno eodemque Christo duæ substantiæ sunt, sed una divina, altera humana, etc. » Tum interjectis quibusdam : « Est ergo in Christo Verbum, anima, caro ; sed hoc totum unus est Christus, unus Filius Dei, et unus Salvator, ac Redemptor noster. Unus autem, non corruptibili nescio qua divinitatis et humanitatis confusione, sed in-

(1) Chalc. conc. act. 5. pag. 340. Ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως. Verba ipsa retuli lib. 2. cap. 2. § 6.

(2) Cyr. lib. 1. con. Nest. pag. 15. Συμβῆναι δέ φαμεν καθ' ἕνωσιν ἀδιάσπαστον, καὶ ἀναλλοιώτως ἔχουσαν τῇ ἰδίᾳ σαρκὶ τὸν ἐκ Θεοῦ Λόγον.

(3) Damas. lib. 3. cap. 2. Ἑνωθεὶς καθ' ὑπόστασιν ἀσυγχύτως, καὶ ἀναλλοιώτως, καὶ ἀδιαιρέτως.

[1] Tom. 1. lib. 1. c. 15. § 5. — [2] Procl. ep. 2. p. 613.

[3] Sophr. Act. 11. Synod. sex. p. 167. et 168.

regra, et singulari quadam unitate personæ. Neque enim illa conjunctio alterum in alterum convertit, atque mutavit, (qui est error proprius Arianorum,) sed ita in unum potius utrumque compegit, ut manente semper in Christo singularitate unius ejusdemque personæ, in æternum quoque permaneat proprietas utriusque naturæ. »

IV. Est apud Rusticum diaconum in disputatione contra Acephalos [1], unitionis illius eximia commendatio, cum enodatione satis perplexi ac difficilis argumenti, quod ab Acephalo proponitur. Cum enim objecisset iste, « Majorem unitionem Dei ad humanitatem factam esse, quam fit carnis ad animam, in homine quocumque communi : Si igitur ex minore unitione una natura fit, multo amplius ex majore : Una vero hominis est natura : Multo amplius igitur divinitatis et humanitatis una natura est. » Huic respondens Rusticus hoc imprimis asserit, « Quia et major unitio est in Domino Christo, et quæ multo majus effecit, et unam tamen naturam minime fecit. Tanto unitio enim deitatis et humanitatis, quæ in Domino Christo facta est, et ipse effectus unitionis illam, quæ fit in homine, superexcellit; quanto longius a se distantia univit. Multum namque, et quantum dici non potest, superat, ut deitatis et humanitatis vel solum una possit esse persona, quam ut ex anima et carne non solum una persona sit, sed et fiat una quoque natura. Deus enim infinite, et quantum dici non potest, superat creaturam, etc. Si igitur Dei quidem virtus infinita est, nostræ autem substantiæ finita : magna illa, et supereffulgens unitio est, quæ valuit inter illa tantum discrepantia unam personam facere. Sicut enim superexcellit virtus ejus, qui montem suspendit ad cœlum, et illi conjungit, si possit, vel contingat id fieri, ultra illius, qui glebam monti conjungit : sic unitio, quæ in Christo est facta, eam, quæ per singula in communibus hominibus fit. » Hæc de unitionis, quæ in Christo est, excellentia Rusticus. Quod autem non fit una natura, id purgat sic : « Quia non necesse est a majore unitione majus aliquid effici : alioquin quanto amplius aliqua uniuntur, tanto potentiore vi uniuntur. Sed ea quæ confunduntur, ultra ea quæ minime confunduntur, amplius uniuntur, ut humentia. Rursus anima quia minime confunditur corpori, non tamen major est eorum, quæ confunduntur, unitio unitione rationalium animarum ad propria corpora. Hanc enim solus facit Deus; illæ vero subjacent etiam nobis. » Sed de Acephalorum argumento isto, et qua ratione dissolvendum sit, suo loco viderimus. Illud in præsens satis est nobis, ex illis Rustici verbis, comprobatam habere unitionis illius exquisitam, et antecellentem ceteris rationem.

V. Atque hæc ipsa vis et dignitas nexus ac fœderis istius, quod tanto intervallo distractas, disparesque naturas inter se devinxit, ex iis, quæ superiore in libro dicta sunt, intelligi potest; præsertim capite quarto, ubi unitionem hanc *naturalem*, et *substantivam* dici a Patribus, haberique docuimus; tanquam intime naturas jungentem, ac mutuo sibi applicantem duas : ita ut unum per sese, proprieque constituant, Deum simul et hominem, quorum ille unus cum isto, et cum illo iste fit. Non enim σχέσει sola, et habitudine; vel efficientiæ, aut dignitatis communicatione; vel externa quapiam accommodatione inter se cohærent : sed perfecta, et οὐσιώδει, ut Græci dicunt, unitate nectuntur.

Nemesius Christianus philosophus, scriptorque politus, sub finem capitis tertii, Eunomianos refert (quod genus in Arianorum secta perditissimum fuit) existimasse, « (1) Divinum Verbum cum corpore non substantia copulatum fuisse, sed secundum utriusque facultates. Non enim substantias ipsas unitas, vel inter se temperatas esse : sed facultates corporis divinis facultatibus esse commistas. » Quo vocabulo *facultatum* sensus intelligebant.

Verum Nemesius hunc illorum castigat errorem, et « (2) substantiarum unitionem sine ulla confusione factam » asserit. Hinc Dionysius sæpe verbum οὐσιωθῆναι ad illud explicandum mysterium adhibet. Ut in secundo capite libri de Divinis nominibus, dum ita scribit : « (3) Secundum nos ex nobis ex toto vere sub-

(1) Nem. cap. 3. tom. 12. bib. PP. pag. 738. Λέγεται δὲ παρά τισι, καὶ μάλιστα παρὰ τοῖς Εὐνομιανοῖς, ἡνῶσθαι τὸν Θεὸν Λόγον τῷ σώματι οὐ κατ' οὐσίαν, ἀλλὰ κατὰ τὰς ἑκατέρου δυνάμεις· οὐ γὰρ εἶναι τὰς οὐσίας τὰς ἑνωθείσας, ἢ κραθείσας, ἀλλὰ τὰς δυνάμεις τοῦ σώματος ταῖς δυνάμεσι ταῖς θείαις συγκεκρᾶσθαι.

(2) Ibid. Βέλτιον οὖν, ὡς προείρηται, κατὰ τὴν οἰκίαν φύσιν τῶν ἀσωμάτων ἀσύγχυτον τὴν ἕνωσιν γίνεσθαι τῶν οὐσιῶν.

(3) Dion. cap. 2. de Div. nom. pag. 266. Τὸ καθ' ἡμᾶς ἐξ ἡμῶν ὁλικῶς, καὶ ἀληθῶς οὐσιωθῆναι τὸν ὑπερούσιον Λόγον.

[1] Tom. 4. Bibl. PP. col. 853. C.

stantiatum esse supersubstantivum Verbum.» Et postea, «(1) viriliter (hoc est ita ut vir fieret) ipsum esse substantiatum » ait. Item, «(2) Usque ad naturam, pro sua in homines benignitate, devenit; et revera substantiatus est, ac vir supremus Deus est factus.» Quod vocabulum οὐσιωθῆναι, Nestorianam frangit hæresim; ut Maximus interpres adnotat.

VI. Cyrillus in epistola ad Valerianum, pro suo more, congruentibus hunc locum sententiis illustrat. Inter quas memorabilis est ista: «(3) Verbum non homini conjunctum esse, sed ipsum, hominem dici esse factum, apprehenso semine Abrahami, ut Scriptura loquitur [1]. » Itaque negat esse dicendum, «(4) Deum et hominem in unum convenientes, unum effecisse Christum. Quippe Verbum, cum sit Deus, itidem ut nos, participavit sanguinem et carnem, ut Deus homo factus intelligatur, qui et carnem nostram suscepit, et eam fecit sibi propriam. » Et paulo post, «(5) Unigenitum Dei Verbum non, assumpto homine, prodiisse hominem, dicit: sed factum esse hominem. » In Chalcedonensi concilio, actione prima, cum relegerentur acta synodi Constantinopolitanæ sub Flaviano, in quibus erat, (6) *Dei Filium assumpsisse perfectum hominem*; intercessit Eustathius Berythi episcopus, et, « (7) Hominem non assumpsit, *ait*, sed homo factus est: carnem autem assumpsit. » Maxentius quoque in lib. 1. Dialogorum [2]: « Ego, *inquit*, a Deo susceptum hominem nullatenus dicere audeo. Sed Deum sine diminutione divinitatis suæ factum hominem fateor: ne si susceptum a Deo hominem dixero, duas videar in Filio Dei prædicare personas. » Nam Nestoriani, « quum a Deo Verbo susceptam audirent naturam humanam, personam ab eo, hoc est hominem, susceptam, non eumdem factum hominem credebant.» ut idem mox refert. Sed jam alibi [3] de usu vocum istarum satis multa diximus, et ostendimus, verbum *assumendi* tam *pie* usurpari posse, quam *impie*, ut scribit Agobardus [4]: qui et Cyrilli locum citat, asseverantis, « Non hominem assumptum a Deo Verbo, et copulatum ei secundum habitum extrinsecus, sed potius hominem factum esse. » Quod perspicuum est ad excludendam Nestorii hæresim ab illo esse dictum.

CAPUT SECUNDUM.

De Joannis illa sententia, *Verbum caro factum est.* — 2. Hæretici hac abusi: Catholici vero certa ratione sunt usi, ex Cyrilli regula, — 3. contra Nestorium et Eutychem, et Apollinarem. — 4. De voce *factum est*: quæ nullam mutationem significat. — 5. Huic suffragatur quod idem evangelista subjicit, *Et habitavit in nobis.* — 6. Nec non quod assumpsisse dicitur naturam hominis. — 7. Quæ ex illa sententia commoda colligantur: quorum primum est, quod inde docemur, Filium Domini veram assumpsisse carnem, vereque ex matre genitum. — 8. Unde propria illius interpretatio traditur. Cur carnis solius meminit. — 9. Colligitur secundo, carnem fuisse propriam Verbi. Tertio unam esse personam in utraque natura subsistentem. Quarto non ante carnem extitisse, quam cum Verbo jungeretur.

I. Tota vis, ut ex dictis superiori capite constat, mysterii illius, de quo hic disputamus, ac quidquid naturarum in Christo duarum conjunctio admirandum ac singulare continet,

(1) Ibid. pag. 270. Καὶ τὸ μὲν ἀνδρικῶς αὐτὸν οὐσιωθῆναι μυστικῶς παρειλήφαμεν.

(2) Ibid. pag. 172. Ἐπειδὴ καὶ ἕως φύσεως ὑπὸ φιλανθρωπίας ἐλήλυθε, καὶ ἀληθῶς οὐσιώδη, καὶ ἀνὴρ ὁ ὑπέρθεος ἐχρημάτισεν.

(3) Cyr. epist. ad Valer. tom. 5. par. 2. p. 160. B. Ὅτι οὐκ ἀνθρώπῳ συνήφθη μᾶλλον ὁ Θεὸς Λόγος, ἀλλ' αὐτὸς ἄνθρωπος γενέσθαι λέγεται, σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαβόμενος, κατὰ τὰς γραφάς.

(4) Ibid. D. Οὐ γὰρ, καθά φασι, Θεὸς καὶ ἄνθρωπος συνελθόντες ἀπετέλεσαν ἕνα Χριστόν· ἀλλ' ὡς ἔφην ἤδη, Θεὸς ὢν ὁ Λόγος παραπλησίως ἡμῖν μετέσχεν αἵματος, καὶ σαρκός· ἵνα Θεὸς ἐνανθρωπήσας νοῆται, καὶ τὴν ἡμετέραν σάρκα λαβὼν, καὶ ἰδίαν αὐτὴν ποιησάμενος.

(5) Ibid. pag. 161. Ὁ τοίνυν μονογενὴς τοῦ Θεοῦ Λόγος, οὐκ ἄνθρωπον προσλαβὼν, προῆλθεν ἄνθρωπος· ἀλλὰ γέγονεν ἄνθρωπος.

(6) Chalc. conc. act. 1. pag. 102. Ὁ Υἱὸς τοῦ Πατρὸς ἄνθρωπον τέλειον ἀνέλαβεν.

(7) Ibid. Ἄνθρωπον οὐκ ἀνέλαβεν, ἀλλ' ἄνθρωπος ἐγένετο· σάρκα δὲ ἀνέλαβε.

[1] Heb. 2.— [2] Tom. 4. Bib. col. 470.— [3] Lib. 2. c. 1. § 6. et 7.

[4] Lib. con. Fel. Tom. 9. Bib. col. 1178.

in quo libri totius antecedentis, et hujus adeo, situm est argumentum, brevi hac Joannis evangelistæ sententia comprehenditur : *Et Verbum caro factum est.* Testatur hoc inter alios Gregorius Nyssenus in quarto libro contra Eunomium : qui « (1) omnes *ait* Christianæ fidei præcones, hoc uno mysterii illius admirabilitatem exprimere, quod [1] *Deus in carne manifestatus est*, quod *Verbum caro factum est*, ac cetera ejusdemmodi, per quæ illius copiosum miraculum ostenditur, qui ex iis, quæ aliena sunt a natura sua, excellentem vim suam, ac potentiam demonstravit. »

Quamobrem de illius evangelici sensu, et interpretatione dicti, accuratius hic agendum videtur, et quæ in eo contracta, compressaque est opulentia Christiani dogmatis, ea diducenda et explicanda est oratione nostra : ne fons ipse Theologicorum de incarnatione Verbi dogmatum, ac disputationum, prætermissus, aut indiligenter habitus videatur, dum in istis elucubrandis tantum verborum operæque consumitur. Quanquam universa mysterii illius tractatio ad Joannis sententiam istam proprie pertinet : nec de divini incarnatione Verbi littera hucusque a nobis ulla facta est, aut vero facienda deinceps erit; quæ non declarandæ, collatandæ, illustrandæque illi serviat. Verum placet nihilominus, et æquum videtur, proprium illius expositioni caput seponere : neque nos absurda, et stolida movet hæreticorum istorum præscriptio, qui effatum illud evangelicum, *Verbum caro factum est*, simpliciter audiendum asserebant, neque quem vocabula ista sensum habeant magnopere laborandum. Quod de industria jactasse constat hostes illos catholicæ fidei : ut occupatos et hebetatos opinione stupida piorum animos ab erroris inquisitione sui, et agnitione facilius averterent. Sic auctor opusculorum, quæ inter Athanasii rejicula leguntur, eruditus ille quidem, ac politus; sed ab Athanasio diversus : qui vafrum illud fraudis hæreticæ commentum exquisitis rationibus elidit : ac demum generalem interpretandæ Scripturæ, sed illi potissimum accommodatam sententiæ formulam proponit, « (2) Ita minime, *inquit*, oportet denudata sensibus suis arripere verba : sed hoc accurate considerare, quid utile sit nobis, quam vim habeat veritas, quid legi consentaneum sit, quid naturæ congruat; quid fidei sinceritas, quid firmitas spei, quid pura, minimeque fucata charitas, quid nulla injuria violata gloria requirat; quid invidiam omnem superet; quid sit denique gratia non indignum. »

II. Idem porro antea præcipuam hæreticorum, quos Eutychianos, ac Monophysitas oportet esse, machinam ad labefactandam catholicam doctrinam, ex illis comparari verbis Joannis affirmat; quæ idcirco ab eorum falsa interpretatione vindicare studet iisdem argumentis, quibus Cyrillus, aliique simili in re plurimum utuntur. Quorum omnium testificatione patet, unius in Christo naturæ defensores loci illius auctoritate niti cumprimis solitos, ut mutationis aliquid in Verbi divinitate probarent esse factum : ac vel in carnem transiisse dicerent; vel certe contagione quadam carnis infectam, quæ sunt ejus propria recepisse, patiendi, ac moriendi conditionem.

Catholici vero ex adverso reclamantes, tum impia, et absurda verborum notione damnanda, tum germana eorum declaranda sententia, nefarios illorum conatus represserunt. Imprimis verbo γενέσθαι, quod *factum esse* latine sonat, nullam subesse mutationis necessario suspicionem constanter asseverant, Scriptura teste : quæ utraque significatione verbum istud usurpat; ut, cum de creatis et mutabilibus rebus loquitur, vicissitudinem aliquam accidisse demonstret : cum autem de Deo sermo est; quem eodem semper esse statu, ac ne levissima quidem perstringi mutationis aura, tot locis indicat; aliter eamdem vocem intelligi velit. Ita Cyrillus Alexandrinus in dialogo *de uno Christo*. Cujus est gravis hæc, et adversus impias hujusmodi hæreticorum ineptias memoranda sententia. « (3) Quum de

(1) GREG. NYSS. pag. 153. tom. 2. Διὸ καὶ πάντες οἱ τὸν Λόγον κηρύσσοντες ἐν τούτῳ τὸ θαῦμα τοῦ μυστηρίου καταμηνύουσιν, ὅτι Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί· ὅτι ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, etc. Καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα βοῶσιν οἱ κήρυκες, δι' ὧν πλεονάζεται τὸ θαῦμα τοῦ διὰ τῶν ἔξω τῆς φύσεως τὸ περιὸν τῆς δυνάμεως ἑαυτοῦ φανερώσαντος.

(2) ATH. tom. 2. pag. 259. E. Οὕτως οὐ δεῖ γυμνὰ νοημάτων ἁρπάζειν τὰ ῥήματα· σκοπεῖν δὲ ἐπιμελῶς τὸ πρέπον Θεῷ, τὸ συμφέρον ἡμῖν, τὸ δυνατὸν τῆς ἀληθείας, τὸ σύμφωνον τῷ νόμῳ, τὸ κατάλληλον τῇ φύσει, τὸ γνήσιον τῆς πίστεως, τὸ βέβαιον τῆς ἐλπίδος, τὸ ἀνόθευτον τῆς ἀγάπης, τὸ ἀνύβριστον τῆς δόξης, τὸ κρεῖττον τοῦ φθόνου, τὸ τῆς χάριτος ἄξιον.

(3) CYR. tom. 5. par. 1. pag. 718. Οὐκοῦν παρενηνεγμένης εἰς μέσον τῆς Θεοῦ μνήμης, εἰ ὑπὸ τοῦ λέγοιτο τὸ, ἐγένετο, πῶς οὐκ ἀμαθὲς, καὶ ἀνόσιον κομιδῆ, τροπὴν οἴεσθαι σημαίνειν αὐτὸ, καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον καθ' ἕτερόν τινα τρόπον πειρᾶσθαι νοεῖν, καὶ περιτρέπειν ἐμφρόνως εἰς τὸ ὅτι μάλιστα πρέπον τε, καὶ ἐοικὸς τῷ ἀτρέπτῳ Θεῷ;

[1] 1. Tim. 3.

Deo mentio fit, *inquit*, si ab aliquo verbum *factus est* dicatur, nonne imperitum, ac valde impium est, putare mutationem aliquam illa voce significari potius, quam alia quapiam interpretari ratione; ut ad eum prudenter sensum redigatur, qui quam maxime sit immutabili Dei naturæ congruens et consentaneus? »

III. Quæ Cyrilli regula, ex re ipsa, de qua sermo fit, verborum intelligentiam metientis, ut aliter de Creatore, quam de creatura sint accipienda, latissime porrigitur; et ad hoc maxime, de quo agimus, mysterium Incarnationis opportuna est. Hinc enim Cyrillus idem Nestorii licentiam frenat [1] : qui ex eo quod asserit catholica fides, Deum ex Virgine factum hominem, aut genitum, concludebat extantiam ex illa primitus accepisse, ac divinitatis indidem initium habuisse. Cujus rei suspicionem excludi ait ex aliis Scripturæ, proximeque positis sententiis : ut cum Joannes *Verbum esse Deum*, et *in principio fuisse*, et *omnia per ipsum esse facta* scribit. Similiter Eutychianam perfidiam frangit eadem illa præscriptio. « Nam in carnem converti inconvertibilis Deus omnino non potest, ait Maxentius [2], sed manens Deus in propria divinitate perfectus, carni et animæ rationali se uniens, cœpit esse homo, quod antea non erat, et hac ratione secundum carnem dicitur habere initium is, qui est a Patre sine ullo initio. »

Jam illud ex primo libro perspectum est, Apollinarem Eutychianæ prælusisse hæresi, et adversus utrumque eadem fere argumenta valere. Igitur contra Apollinaris sacrilegam insaniam disputans Athanasius, et quo ille fretus acrius in causa ferebatur, Joannis illum locum expendens, admonet, verbum γενέσθαι sæpe in Scriptura ibi positum esse, ubi nemo mutationem unius in alterum cogitare audeat. Athanasii verba, quibus istud explicat, ex epistola ad Epictetum, describit Theodoretus in Dialogo primo [3], in iisque tale ex Apostolo commemoratur exemplum, ubi Christum [4] *factum esse pro nobis* ait *maledictum*. Quis adeo vecors sit, ut Christum in κατάραν, id est *imprecationem*, *execrationemve* dicat esse conversum? Igitur maledictum factus ideo dicitur, quia maledictum pro nobis recepit; ut eodem modo caro factum Verbum putetur, quia carnem suscepit.

Gregorius Nazianzenus [5] contra eamdem pugnans hæresim, idem affert exemplum : tum huic simile ex secunda ad Corinthios [6], ubi *Christus pro nobis peccatum factus* dicitur, quod in se quodammodo recepit : sicut et [7] *iniquitates nostras portavit*, et [8] *peccata nostra pertulit*. Et Ambrosius [9], tum *peccati*, tum *maledicti* ex Scriptura similitudinem ponit : et, « Desinant, *inquit*, dicere naturam Verbi in corporis naturam esse mutatam, ne pari interpretatione videatur natura Verbi in contagium mutata peccati. » Ita etiam Chrysostomus ad illa Joannis verba [10] : et qui Athanasius inscribitur opusculorum auctor [11], paulo ante citatus : et auctor homiliæ de Signaculis librorum, tomo quinto operum Chrysostomi [12]. Tum Athanasius ipse in epistola ad Epictetum [13].

IV. Quamobrem vocabulum ἐγένετο nullam in immutabili Deo mutationis affert suspicionem : et *ad obstruenda hæreticorum ora pertinet*, ut adnotat Chrysostomus. « (1) Cum enim non desint, qui Incarnationis mysterium nihil habere dicant, præter apparentem speciem, et simulationem, ac fictionem, jam tum illorum blasphemiam evertens, verbum *factum est* posuit : non ut substantiæ mutationem, sed ut veræ carnis assumptionem ostenderet. »

Proinde vox ἐγένετο, (2) *summam et arctissimam unitionem* proprie significat, ait Athanasio tributum opusculum; et Cyrillus in epistola ad monachos. Quod ad Pauli Samosateni, et Nestorii damnandam perfidiam potissimum spectat. « Non enim sic Deus Verbum, carnem accepit, ut caro non fieret, cum Evangelista dicat, Verbum caro factum est. Neque naturam carnis ita Deus summus, atque universus assumpsit, ut tanquam in uno de patriarchis,

(1) Chrys. hom. 11. in Joan. pag. 598. Τίνος οὖν ἕνεκεν τῷ, ἐγένετο, κέχρηται ῥήματι; τὰ τῶν αἱρετικῶν ἐμφράττων στόματα. Ἐπειδὴ γὰρ εἰσιν οἱ λέγοντες, ὅτι φαντασία τις ἦν καὶ ὑπόκρισις, καὶ ὑπόνοια τὰ τῆς οἰκονομίας ἅπαντα, ἄνωθεν αὐτῶν προαναιρῶν τὴν βλασφημίαν, τὸ, ἐγένετο, τέθεικεν, οὐ μεταβολὴν οὐσίας, ἄπαγε, ἀλλὰ σαρκὸς ἀληθινῆς ἀνάληψιν παραστῆσαι βουλόμενος.

(2) Tom. 2. Ath. pag. 250. Ἀλλ' ἵνα τὴν ἄκραν ἕνωσιν οὕτω κατανοήσωμεν. Cyr. in Ephes. syn. pag. 10.

[1] Ibid. p. 717. et 1. contra Nest. p. 29. et ep. ad Valer. Tom. 5. Par. 2. p. 159. — [2] Max. tom. 4. Bib. 465. — [3] Pag. 30. — [4] Gal. 3. — [5] Ep. 1. ad Cled. p. 744. — [6] 2. Cor. 5. 21. — [7] Isa. 53. 11.

[8] 1. Pet. 2. 24. — [9] Lib. de Incarn. c. 6. col. 294. — [10] Hom. 11. in Joan. p. 598. — [11] Tom. 2. Athan. p. 250. — [12] Tom. 5. Chrys. Hom. 106. pag. 697. — [13] Athan. tom. 1. pag. 458.

aut prophetis, in illo quidem homine Deus esset, sed idem Deus homo non esset. Absit ut hoc Christiana conscientia teneat ; aut se quisquam fidelium profanari tanta impietate permittat. Cum enim Verbum caro factum est, sic divinitas humanitatem sibi mirabiliter unire dignata est, ut, utriusque naturæ veritate servata, in uno eodemque Deo atque homine Christo, pro vita mundi, divina fieret illa ejus humanitas ; » ait Fulgentius libro de Incarnatione, capite sexto.

V. Ac ne quem fortasse verba illa Joannis in errorem inducerent, neve mistionis, confusionisque falsa quædam species imperitis obreperet, satis cavisse Spiritus sancti providentiam, in dictandis sacris eloquiis, veteres animadvertunt, adspersis identidem aliis vocibus, quæ sensum hujusmodi castigarent : ut ex omnium temperatione vera, et accurata fidei ratio constaret.

Sic in eodem loco, ubi *Verbum caro factum* dicitur, statim subjicit Evangelista, *Et habitavit in nobis* : « Hoc est, ut ait Ambrosius [1], illud Verbum, quod carnem suscepit, hoc habitavit in nobis, hoc est in carne habitavit humana : et ideo Emmanuel dictus est, hoc est nobiscum Deus. » Chrysostomus quoque, « (1) Ut intelligas, *inquit*, ob id unum scriptum esse *factum est*, ne apparentem speciem suspiceris ; audi ut in sequentibus orationem suam repurgat, ac pravam illam suspicionem evertit. Quid enim subjicit ? *Et habitavit in nobis :* tanquam sic te alloqueretur : Vide ne quid absurdi suspiceris ex illa voce, *factum est*. Non enim mutationem illam immutabilis illius naturæ significavi : sed habitationem, et commorationem. Porro id quod habitat, non idem est cum eo quod habitatur, sed diversum. Nam alterum habitat in altero : alioqui non esset habitatio. Nihil enim in seipso habitat. Ceterum alterum dixi substantia. Quippe unitione, et copulatione unum est Deus Verbum et caro : ita ut non confusio, vel extinctio ulla substantiarum acciderit : sed inexplicabilis quædam, et omnem dicendi facultatem superans unitio. » Qui locus a Chalcedonensibus Patribus citatus est [2].

Sic igitur naturarum differentiam præclare *habitandi* vox exprimit : sicut personarum in divinitate discrimen unius in altera mansio, vel extantia significat, cum ita legimus [3] : *Ego in Patre, et Pater in me est ;* et [4], *Pater in me manens ipse facit opera.* Sed utrobique pro rei subjectæ conditione moderanda dictorum intelligentia est. Hic enim personarum tantummodo differentia ; illic naturarum accipi debet.

Cyrillus quoque ad illa Joannis verba, causam eamdem commemorat, cur de habitatione illico meminerit : nempe ut ne quis stolide sibi persuaderet, Verbum excidisse naturæ suæ statu, et in carnem esse mutatum. Quod omnino fieri nequit. Ita etiam opusculi auctor, cui Athanasii nomen inscribitur [5].

VI. Non minus ad coercendam hæreticæ calumniæ licentiam spectat alter ille modus loquendi, quo Deus assumpsisse naturam hominis dicitur. Hæc enim, perinde ut *habitandi* vox, diversa esse demonstrat, et a se distincta, quod assumit, et quod assumitur. Itaque mutuam sibi opem ambo ista vocabula præbent, ad evellendam falsam ex Christianorum mentibus illius mysterii notionem, veramque constituendam fidem, ac professionem.

Luculenter id a Proclo est expositum in epistola ad Armenos, ubi ita scribit, « (2) Duas istas locutiones, Verbum caro factum est, et, Formam servi accepit, si pie intelligantur, sa-

(1) CHRYS. hom. 11. in Joan. pag. 598. Ὅτι γὰρ διὰ τοῦτο μόνον εἴρηται τὸ, ἐγένετο, ἵνα μὴ φαντασίαν ὑπολάβῃς, ἄκουσον διὰ τῶν ἑξῆς πῶς ἐκκαθαίρει τὸν Λόγον, καὶ τὴν ὑπόνοιαν ἀνατρέπει τὴν πονηράν. Τί γὰρ ἐπάγει ; καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, μονονουχὶ λέγων, μηδὲν ἄτοπον ὑποπτεύσῃς ἀπὸ τοῦ ἐγένετο· οὐ γὰρ τροπὴν εἶπον τῆς ἀτρέπτου φύσεως ἐκείνης, ἀλλὰ σκήνωσιν, καὶ κατοίκησιν. Τὸ δὲ σκηνοῦν οὐ ταὐτὸν ἄν εἴη τῇ σκηνῇ, ἀλλ' ἕτερον. Ἕτερον γὰρ ἐν ἑτέρῳ σκηνοῖ. Ἐπεὶ οὐδ' ἂν εἴη σκήνωσις. Οὐδὲν γὰρ ἐν ἑαυτῷ κατοικεῖ. Ἕτερον δὲ εἶπον κατὰ τὴν οὐσίαν. Τῇ γὰρ ἑνώσει, καὶ τῇ συναφείᾳ ἕν ἐστιν ὁ Θεὸς Λόγος, καὶ ἡ σὰρξ, οὐ συγχύσεως γενομένης, οὐδὲ ἀφανισμοῦ τῶν οὐσιῶν, ἀλλ' ἑνώσεως ἀῤῥήτου τινὸς, καὶ ἀφράστου.

(2) PROCL. ep. 2. pag. 613. Φαμὲν οὖν ἑκατέραις κεχρημένοι ταῖς γραφικαῖς φωναῖς, ὅτι καὶ ἐγένετο σὰρξ, καὶ ἔλαβε τὴν τοῦ δούλου μορφὴν. Καὶ ἑκάτερα εὐσεβῶς νοούμενα σωτερίας ἡμῖν τυγχάνει σπέρματα. Διὰ μὲν γὰρ τοῦ, ἐγένετο, τὸ ἀδιαίρετον τῆς ἄκρας ἑνώσεως ὁ Εὐαγγελιστὴς ὑπαινίττεται, etc. Τὸ δὲ ἔλαβε βοᾷ τὸ ἄτρεπτον τῆς φύσεως. Ἐπειδὴ γὰρ πᾶν τὸ γινόμενον ἢ ἐξ οὐκ ὄντος γίνεται, ὡς ὁ οὐρανὸς μὴ πρότερον ὢν, ἢ ἐκ τοῦ ὑπάρχοντος ἀλλοιοῦται, ὡς τὸ Νειλῷον ῥεῖθρον ἐξ ὕδατος εἰς αἷμα μετεβλήθη· ἑκάτερα δὲ ἐπὶ τῆς θείας φύσεως ἀνάρμοστα· οὔτε γὰρ ἐξ οὐκ ὄντων παρήχθη ὁ ἀεὶ ἄναρχος, οὔτε ἐξ ὄντων ἐτράπη ὁ ἀναλλοίωτος Λόγος· διὰ τοῦτο δι' ἑκάτερον καὶ τὸ ἄτρεπτον τῆς θεότητος, καὶ τὸ ἀδιαίρετον τοῦ μυστηρίου ἡ θεία ὑπεμφαίνουσα γραφὴ, τὸ ἐγένετο εἶπε, καὶ τὸ ἔλαβεν ἐκήρυξεν· ἵνα διὰ μὲν τοῦ προτέρου, τὸ ἑνικὸν τοῦ προσώπου παραστήσῃ· διὰ δὲ τοῦ ἑτέρου, τὸ ἀναλλοίωτον τῆς φύσεως ἐκβοήσῃ.

[1] Amb. de Inc. c. 6. — [2] Chalc. Syn. Par. 3. pag. 471. — [3] Joan. 10. 11. — [4] Joan. 14. 10. — [5] Tom. 2. Athan. pag. 249.

lutis esse nobis semina. Nam cum dicimus, factum est, individua summæ vis unitionis ab Evangelista significatur : vox autem assumendi, naturæ immutabilitatem prædicat. Cum enim omne quod fit, vel ex non existente fiat, ut cœlum, quod antea non erat ; vel ex jam existente mutetur, ut Nilus fluvius ex aqua in sanguinem demutatus est : porro neutrum divinæ naturæ congruat, (siquidem neque ex non extantibus productus ille est, qui semper initio caruit : neque ex eo quod extabat conversum est immutabile Verbum ;) propterea genere locutionis utroque tum immutabilem divinitatis conditionem, tum individuam mysterii proprietatem, divina Scriptura significans, his vocabulis est usa, factum est, et, accepit : ut priore, personæ unitatem ostenderet ; posteriore vero, naturæ immutabilitatem prædicaret. »

Debent igitur ambo ista vocabula conjunctim usurpari, non separata nimium adhiberi, ne in alterutram præcipitii partem labamur imprudentia : et vel confusione naturarum, vel personarum divisione peccemus, hoc est συναιρέσει, vel διαιρέσει : quæ duo non minus hic vitanda, quam in Trinitatis mysterio cavenda esse, mutata tamen ratione, docuit Gregorius Nazianzenus [1]. Sed de usu vocum istarum ac similium, et earum temperatione, diximus in primo capite libri secundi.

VII. Nunc quæ vis sit locutionis illius, *Verbum caro factum est*, et quas opportunitates afferat ad mysterii istius intelligentiam, paucis explicandum est, ex antiquorum sententiis. Hinc enim illius natura, et propria ratio, ab omni pravitate purgata hæreticæ cavillationis, liquidaque constabit.

Quatuor hic ex innumeris illius dicti commoda percensebimus. Primum est, ac præcipuum, quod humanæ in Christo naturæ veram, ac solidam extantiam commendat ; docetque non illam specie tenus et apparentem duntaxat, sed reipsa cohærentem, ac ceterorum similem, de matre esse vera generatione susceptam. Hujusmodi enim vocabulo ἐγένετο potestas est subjecta, cum carnis nomine conjuncto. Animadvertit hoc Gelasius papa [2] ; qui « maluisse *ait* spiritum Dei dicere, Verbum carnem factum, cum in carnem Verbum non fuerit omnino conversum ; dummodo principalis unitionis naturaliter in eodem divinitatis, humanitatisque significaret pressius veritatem : cum scilicet appareret, ipsum Verbum in utero matris virginis operans, ex eadem susceptæ sibimet tuendæ substantiæ fœcunditatis illius excitasse conceptum. » Idipsum et superioribus verbis indicari, quibus ex Virgine nasciturus dicitur Filius Dei, idem Gelasius scribit. « Ex te nascetur, *ait*, ut proprietatem de matre sumendam nostræ conditionis exprimeret. »

Sic antiquissimi theologi verba illa Joannis acceperunt. Ignatius in epistola ad Trallianos : « (1) Vere, *inquit*, genitus est ex Deo, et ex Virgine : non tamen eodem modo. Nec enim idem sunt Deus et homo. Vere corpus assumpsit. Quippe Verbum caro factum est. » Et paucis interjectis : « (2) Vere, *inquit*, Maria corpus genuit, quod in se Deum inhabitantem habuit : et vere genitus est Deus Verbum e Virgine. »

Irenæus item libro tertio, capite undecimo, egregie omnes illas hæreses, quæ Filium Dei veram et solidam carnem suscepisse, ac revera factum esse hominem negabant, ex illa Joannis sententia refellit. « Secundum autem illos, *inquit*, neque Verbum caro factum est, neque Christus, neque qui ex omnibus factus est salvator. » Tum paulo post : « Secundum autem nullam sententiam hæreticorum, Verbum Dei caro factum est. Si enim quis regulas ipsorum omnium perscrutetur, inveniet quoniam sine carne, et impassibilis ab omnibus illis inducitur Dei Verbum. » Athanasius præterea epistola ad Epictetum [3] pluribus ostendit non θέσει, sed φύσει Verbum carnem, sive hominem fuisse, hoc est non imagine sola, et fictione, sed natura. Tertullianus in libro de carne Christi [4], iisdem ex Evangelii verbis contra Ebionitas probat Verbum de carne matris Virginis, veram suscepisse carnem, et « ex carne hominis, hominem in carne generatum ; sicut et Deus est, ex Deo natus. » Vide eumdem in libro contra Praxeam [5].

Novatianus libro de Trinitate [6], similiter argumentatur. « Quis igitur dubitet, cum in extrema parte dicitur, Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, Christum, cujus est

(1) IGNAT. ad Trall. Ὃς ἀληθῶς ἐγεννήθη καὶ ἐκ Θεοῦ, καὶ ἐκ παρθένου, ἀλλ᾽ οὐχ ὡσαύτως. Οὐδὲ γὰρ ταὐτὸν, Θεὸς καὶ ἄνθρωπος. Ἀληθῶς ἀνέλαβε σῶμα. Ὁ Λόγος γὰρ σὰρξ ἐγένετο.

(2) Ibid. Ἀληθῶς τοίνυν ἐγέννησε Μαρία σῶμα Θεὸν ἔνοικον ἔχον, καὶ ἀληθῶς ἐγεννήθη ὁ Θεὸς Λόγος ἐκ τῆς παρθένου.

[1] Orat. 14. pag. 221. B. et Orat. 20. p. 338. A. et Orat. 21. p. 380. D. — [2] Tom. 4. Bib. PP. col. 417.

[3] Ath. ad Ep. p. 454. B. et 457. D. — [4] Cap. 18. — [5] Cap. 27. — [6] Cap. 13.

nativitas, et quia caro factus est, esse hominem, et quia est Verbum Dei, Deum incunctanter edicere esse : præsertim cum animadvertat scripturam evangelicam, utramque istam substantiam in unam nativitatis Christi fœderasse concordiam ? » Et capite 16. *carnem fieri Verbum*, sic exponit, « ut sit adsumere hunc hominem, qui est post omnem creaturam : et sic cum illo, et in illo habitare in nobis ; ut neque homo Christo subtrahatur, neque divinitas negetur. »

VIII. Itaque « nihil aliud illis in verbis debet intelligi (ait Beda [1] et ex eo Albinus Flaccus [2]) quam si diceretur, et Deus homo factus est. Ut sicut quisque nostrum unus homo ex carne constat et anima : ita unus ab Incarnationis tempore Christus ex divinitate, carne, et anima constet. Deus ab æterno in æternum existens verus, ut erat, hominem ex tempore assumens in unitatem suæ personæ verum, quem non habuerat. » Et Augustinus in epistola 120. capite 4. « Nihil aliud dictum esse, Verbum caro factum est, *ait*, quam si diceretur, Filius Dei filius hominis factus est. »

Perspicuum est vero carnis nomine totum intelligi hominem. Nam et alias « solet Scriptura modo animæ, modo carnis vocabulo totum designare hominem, » ut iidem illi adnotant, ac passim alii, ut Gregorii ambo [3], Nazianzenus, et Nyssenus, et Cyrillus [4]. Qui [5] et aliam causam affert, ob quam sola ibi *caro* commemoratur : nimirum quod Deus olim in Adamum sententiam ferens, eam pœnam inflixerat, quæ ad carnem solam pertinere videbatur. « (1) Nam ad solam pertinent carnem illa verba [6], *Terra es, et in terram reverteris.* Quare oportuit, id quod maxime in nobis calamitatem senserat, celerius ad salutem perduci, et cum vita, quæ naturæ consentanea est, ad incorruptum statum revocari. Oportuit id quod passum fuerat, mali sui exitum habere. »

Gregorius Nazianzenus in epistola priore ad Cledonium, hanc etiam rationem reddit, « (2) Quod non alio modo poterat Dei erga nos charitas significari, quam ut carnis fieret mentio : quandoquidem propter nos ad id usque quod deterius est, descendit. » Atque ita Theophylactus. Augustinus item in epistola illa proxime ante laudata, « More, *inquit*, suo Scriptura, ut Christi humilitatem magis ostenderet, ne carnis nomen quasi indignum aliquid refugisse videretur, carnem pro homine posuit. » Vide eumdem libro 83 Quæstionum qu. 80.

Cui non absimile est, quod Bernardus ait, Christum majorem quodammodo carni honorem habere, quam animæ ; cum ad illam excitandam, ac beandam, non ut prius, quando recuperandæ istius causa descendit, humilis, et mortalis, sed majestate ac gloria coruscans adveniet. « Humilis enim prius venit animas salvare ; sublimis autem veniet cadaver istud resuscitare, et configurare corpori claritatis suæ : ut infirmiori huic vasculo abundantiorem impendere videatur honorem. Tunc enim videbitur [7] *cum potestate magna et majestate*, qui prius in infirmitate carnis latuerat. »

At Proclus in epistola ad Armenos, carnis idcirco meminisse Joannem putat, ut filium Dei sic humanam naturam assumpsisse doceret, ut ab ipso formandi hominis initio auspicari voluerit. Nam cum homo in matris utero gignitur, non statim perfectus, absolutusque est ; sed informis primum est caro, deinde paulatim elaboratur. « (3) Ita Deus Verbum ad principium et radicem humanæ generationis recurrens primum caro factum est : non in carnem conversum : Absit. Manet enim divinitas mutatione omni superior. » Cui concinit Epiphanius, « (4) Cum enim ita loquitur, *ait*, Verbum caro factum est, non sic accipi debet, tanquam Verbum in carne conversum fuerit, et ipsum caro fuerit : vel in carnem mutata sit divinitas. Verum cum divinitate propriam sibi humanitatem Deus Verbum assumpsit. »

(1) CYR. in Joan. pag. 95. Ἐπεὶ καὶ πρὸς μόνην εἴρητο τὴν σάρκα. Γῆ εἶ, καὶ εἰς γῆν ἀπελεύσῃ. Ἔδει τοίνυν τὸ μάλιστα κινδυνεῦσαν ἐν ἡμῖν γοργότερον ἀνασώζεσθαι, καὶ συμπλοκῇ πάλιν τῇ πρὸς ζωὴν τὴν κατὰ φύσιν ἀνακαλεῖσθαι πρὸς ἀφθαρσίαν· ἔδει τὸ πεπονθὸς, λύσιν εὑρέσθαι τοῦ κακοῦ.

(2) NAZIANZ. pag. 743. et seq. Καὶ ἅμα οὐκ ἄλλως οἷόν τε ἦν τὴν τοῦ Θεοῦ δηλωθῆναι περὶ ἡμᾶς ἀγάπην, ἢ ἐκ τοῦ μνημονευθῆναι τὴν σάρκα, ὅτι δι' ἡμᾶς κατέβη καὶ μέχρι τοῦ χείρονος. Vide Theodoretum in Demonstrationibus, quæ sunt in calce dialogi tertii, tomo 4. pag. 178.

(3) PROCL. ep. 2. pag. 613. Οὕτως ὁ Θεὸς Λόγος ἐπ' αὐτὴν τὴν ἀρχὴν, καὶ ῥίζαν τῆς ἀνθρωπείας γενέσεως ἀναδραμὼν, πρῶτον γέγονε σὰρξ, οὐ τραπεὶς εἰς σάρκα· μὴ γένοιτο· μένει γὰρ ἡ θεότης ἀλλοιώσεως ἀνωτέρα.

(4) EPIPH. hær. 77. § 29. Κἄν τε γὰρ εἴπῃ, ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, οὐχ ὅτι ἐτράπη ὁ Λόγος εἰς σάρκα, καὶ γέγονεν ὁ Λόγος σὰρξ, ἢ ἡ θεότης μετεβλήθη εἰς σάρκα. Ἀλλὰ σὺν τῇ θεότητι ἔλαβε τὴν ἰδίαν αὐτοῦ ἐνανθρώπησιν ἐλθὼν ὁ Θεὸς Λόγος.

[1] In Joan. — [2] Lib. 1. in Joan. — [3] Naz. ep. 1. ad Cled. pag. 743. Nyssen. l. 1. contra Eun. p. 56. — [4] In Schol. c. 25. — [5] Lib. 1. in Joan. p. 94. et seq. — [6] Gen. 3. — [7] Luc. 21. 27.

Ex iis apparet otiosam, et nugacem esse Eustathii Berytensis animadversionem, cujus supra meminimus [1] : qui carnem assumptam a Verbo non hominem dici volebat : hominem vero Verbum esse factum. Quippe carnem ibi constat pro toto homine, non pro parte duntaxat ejus accipi. Refellitur et Theodorus Mopsuestenus [2], qui *factum esse* sic interpretari ausus est, tanquam speciem solam, et τὸ δοκεῖν significaret : de quo postea.

IX. Secundum iisdem illis verbis Joannis expressum est, carnem fuisse *propriam* divini Verbi, non externum et alienum ab eo quippiam. Nam si *Verbum factum est caro*, consequens est, ad ipsum, tanquam peculiarem, et οὐσιωδῶς conjunctam, pertinere carnem. Non dixit, Verbum assumpsisse carnem : quod si scriberet, utcumque suspicari posset aliquis, carnem ab illo, velut quemdam amictum, circumpositam fuisse. At non ita locutus est : sed carnem ipsummet esse factum asserit. Agemus de hoc genere loquendi, quo *propria Verbi caro* nuncupatur, in sequente libro pluribus.

Tertio ex illis verbis efficitur id, quod superiore libro demonstravimus : et unum et eumdem esse, qui Deus pariter sit et homo : sive Verbum et carnem, hoc est humanam naturam, in unam personam convenisse, unumque Dei filium. Hoc ipsum, ut et secundum consectarium, præclare Maxentius ex Athanasio probat, in Professione fidei [3] : nempe, « Non in duas personas partiendum, aut dividendum, sed unum eumdemque Filium unigenitum Deum Verbum, Dominum Jesum, etc. Has igitur duas naturas Dei Verbi Domini nostri Jesu Christi, hoc est divinitatis, et humanitatis, naturaliter, sive substantialiter, secundum traditionem sanctorum Patrum, credimus, et confitemur unitas : eo quod natura inviolabilis Dei Verbi naturæ est unita passibili, beatissimo simul atque doctissimo Athanasio dicente : Verbum caro, non caro Verbum factum est. Verbum autem caro factum dicitur, quia Verbi facta est caro, et non alicujus hominis : hoc est, Deus homo factus est, et dicitur caro. » Et Fulgentius libro de Incarnatione, capite decimo : « Verbum, *inquit*, dignatum est caro fieri, ut caro posset Verbi, hoc est Dei, nomine nuncupari. » Et alibi [4] : « Verbum utique caro factum est, in eo, quod est una in Christo Dei hominisque persona. » Incertus item scriptor sub Eusebii Emisseni nomine, « Factum est utique Verbum caro, non quod Verbum mutaretur in carnem : sed quia carnem suscipiendo, ex divinitate, et humanitate una persona facta est. » Commode quoque Petrus Abaelardus [5] : « Cum dicitur Deus fieri caro, vel Deus homo esse, sic accipiendum est, *inquit*, ut divina substantia humanæ sociari in personam unam intelligatur, non illa effici, cui sociatur ; sicut nec anima hominis caro fit, cui unitur, nec in ejus naturam convertitur. » Denique Joannes Damascenus recte ad hanc ipsam sententiam, « (1) Incarnari, *inquit*, est uniri carni : Verbum autem carnem fieri, idem est, atque ipsam Verbi hypostasim, sine ulla mutatione factam esse carnis hypostasim. »

Quartum postremumque πόρισμα ex illa Joannis sententia ab Epiphanio colligitur in Hæresi 77. ubi ita locutum esse Joannem observat, « (2) ne qui fortasse crederent, quod primus extiterit homo, et venit Christus in hominem, ob idque divinum Evangelium primo loco posuisse Verbum ; deinde professum esse carnem ; quoniam Verbum caro factum est. Non enim dixit, Caro Verbum facta est, ut ostenderet, primum Verbum e cœlo venisse, et in seipsum carnem subsistentem formasse ex utero sanctæ Virginis, atque omnem in sese perfecte naturam hominis expressisse. » Præclara hæc animadversio Epiphanii, quæ Nestorii elidit hæresim ; ut ne caro, id est humana natura, prius extitisse, ac subsistens fuisse putetur, quam assumpta sit a Verbo : ex quo, naturali, et ὑποστατικῇ abjudicata unitione, σχετικὴ personarum inter se mutuo consequatur : quam Cyrillus tam enixe oppugnandam sibi sumpsit.

(1) DAMASC. lib. 3. cap. 11. pag. 207. Τὸ σεσαρκῶσθαι μὲν, ἡνῶσθαί ἐστι σαρκὶ, τὸ δὲ σάρκα γενέσθαι τὸν Λόγον αὐτὴν τὴν τοῦ Λόγου ὑπόστασιν· ἀτρέπτως γενέσθαι τῆς σαρκὸς ὑπόστασιν.

(2) EPIPH. hær. 77. § 29. pag. 1023. D. Τὸ δὲ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, ἵνα μή τινες νομίσωσιν, ὅτι πρῶτος ἄνθρωπος ἦν, καὶ ἦλθε Χριστὸς εἰς ἄνθρωπον, διὰ τοῦτο Λόγον πρῶτον ἔταξε τὸ θεῖον Εὐαγγέλιον, εἶτα τὴν σάρκα ὡμολόγησεν, ὅτι ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο. Οὐ γὰρ εἶπεν, ἡ σὰρξ Λόγος ἐγένετο. Ἵνα δείξῃ πρῶτον Λόγον ἀπ' οὐρανῶν ἐλθόντα, εἰς ἑαυτὸν δὲ ὑποστήσαντα τὴν σάρκα ἀπο τῆς μήτρας τῆς ἁγίας παρθένου, καὶ πᾶσαν τὴν ἐνανθρώπησιν τελείως εἰς ἑαυτὸν ἀναπλασάμενον.

[1] Cap. 1. § 6. — [2] Vide Leont. tom. 4. Bib. col. 1016. — [3] Tom. 4. col. 435.

[4] Lib. 1. ad Tras. c. 18. — [5] Lib. 3. Introd. p. 1128

CAPUT TERTIUM.

De differentia, et distinctione naturarum in Christo. — 1. Quæ quæstio acerrime jactata fuit, tam hæreticis, quam Catholicis occasionem illi præbentibus. — 2. Severi, ac Timothei de illa discrepans sententia. — 3. Cyrillus, aliique Catholici ansam illis dederunt. — 4. Aliud est differentia, aliud divisio, prior inest in naturis duabus Christi, non posterior. — 5. Quod ex veteribus approbatur; — 6. etiam latinis. — 7. Theodoreti et Cyrilli super ea re conflictus. — 8. Cyrilli mens de hac controversia. — 9. Quo sensu divisio naturarum ab illo damnata; et *τὸ ἀδιαίρετον* constitutum. — 10. Eulogii de eo notata sententia. — 12. Divisio absolute negata in Incarnationis mysterio, ut et in Trinitate. — 13. Naturas duas sola ratione, et cogitatione discretas antiqui Patres putaverunt.

I. Non magis ad eam, quam græci theologi nominant, διακεκριμένην, quam ad ἡνωμένην οἰκονομίαν, quæstio ista pertinet. Utrique enim illustrando, explicandoque proderit scire, an naturarum discrimen post unitionem, et qua ratione perseveret. Quæ etsi prima specie facilis, neque novæ disputationis egens controversia videatur, post illa, quæ superiore in libro de naturarum earumdem conjunctione accurate diximus; tamen ex iis, quæ subinde hoc in capite depromenda sunt, eruditus, et antiquioris amans Theologiæ lector intelliget, non de nihilo hic a nobis fuisse commotam. Incredibile est enim, quantam in contentionem deducta illa sit, apud Græcos præsertim; quorum extant hodie complures istius argumenti libri, subtiliter operoseque conscripti. Neque vero soli in hanc altercationem contulerunt aliquid hæretici, quibus studium hoc fuit, captionibus morosis et acutis simplicitati Christianæ religionis illudere: sed etiam catholici quidam Patres, certis loquendi generibus vel suscipiendæ vel fovendæ illi occasionem dederunt.

Ut ab hæreticis ordiar, prima illa fuit, nec valde acuta deliratio Eutychis, ante conjunctionem, naturas extitisse duas: post illam vero, nonnisi unam, de quo scripsi in libro primo, capite 14. Ac sola hæc Eutychis hæresis momentum attulit ad illam quæstionem, et disputationem. Nam Nestorii simplex erat ratio, ac minus ideo negotii Catholicis faciebat, quod palam naturas ambas non essentia tantum, sed etiam hypostasi discerneret; quod propter apertam impietatem, primo statim auditu detestari solebant Catholici. Cum Eutychianis potissimum certatum est: quoniam Cyrilli, et aliorum Patrum sententiis inniti videbantur ad tuendam perfidiam. De quibus mox. Interim animadvertenda est ipsorum inter se hæreticorum conflictio.

II. Qui post Eutychem, nefandæ sectæ patrocinium susceperunt, ut erant magistro suo doctiores, et callidiores; ita majore artificio, ac subtilitate commune dogma tutati sunt. Hos inter Severus excelluit; nec non Timotheus, aliique, quorum causas exposuimus in primo libro [1]. De duobus illis disserit Eulogius Alexandrinus patriarcha, fidei catholicæ propugnator acer, et eruditus: ex quo nonnulla hic delibabimus, quæ ad nostrum negotium spectant; et a Photio decerpta sunt in codice 230. Ibi ex Eutychianis ait, « (1) alios existimare naturarum differentias salvas esse post unitionem; ut Severum: alios negare omnino servari; ut Timotheum. » Sed neque Severus in illa sibi opinione constitit. « (2) Qui cum naturarum differentias retineri dixisset, res ipsas, in quibus differentia consideratur, servari neutiquam putabat. Quanquam non idem ubique sentit. Est enim in fide mutabilis, et multiformis. Quippe in nonnullis suis commentariis, res ipsas esse salvas fatetur. » Idem porro μίαν οὐσίαν, id est *unam substantiam*, sive *essentiam* « (3) constituebat in Christo, ut eorum, quæ convenerunt, differentiam tolleret. » Quo posito, naturam unicam eidem imputabat. Adeo inconstans erat impurus iste nebulo. Pergit Eulogius, et quosdam illius sectæ refert naturam, et hy-

(1) Phot. pag. 463. Τοὺς μὲν γὰρ παράγει λέγοντας σώζεσθαι τὰς διαφορὰς μετὰ τὴν ἕνωσιν, ὥσπερ καὶ Σευῆρον· τοὺς δὲ σώζεσθαι μηδαμῶς, ὥσπερ καὶ Τιμοθεον.

(2) Ibid. Ἀλλὰ καὶ Σευῆρος πάλιν σώζεσθαι λέγων τὰς διαφορὰς, τὰ πράγματα, οἷς ἡ διαφορὰ ἐπιθεωρεῖται, οὐ συνομολογεῖ σώζεσθαι. Καὶ οὐ πανταχοῦ δογματίζει τοῦτο· παλίντροπος γάρ ἐστι τὴν πίστιν, καὶ πολύμορφος. Καὶ γὰρ ἔν τισιν αὐτοῦ λόγοις καὶ αὐτὰ διομολογεῖ τὰ πράγματα σώζεσθαι.

(3) Ibid. pag. 464. Μίαν οὐσίαν, φησὶν, εἰπεῖν τὸν Χριστὸν ἐβουλόμεθα, ἵνα τῶν συνελθόντων τὴν διαφορὰν (μὴ) ἀνέλωμεν: ubi expungenda negatio.

[1] Cap. 16. et seq.

postasim, et οὐσίαν pro eodem accepisse : ex quo tres in Deo οὐσίας, et substantias commentati sunt. Hujusmodi fuere Tritheitæ, quorum Severus auctor fuisse proditur, ac post eum Joannes Philoponus ; ut ex Nicephoro alias ostendimus [1]. Demum exposito eorumdem dissidio, quod ad personales proprietates attinet, de naturarum in Christo differentia ista pertexit : « (1) Quibusdam, *ait*, in animum venit imaginari, post unitionem non servari differentiam : alii servari differentiam fassi sunt. Atque hi rursus bifariam secti sunt. Nam aliqui differentiam salvam esse profitentes, ea, quorum est differentia, servari negant. Quidam ex consequentiæ necessitate concedere ista coacti, sæpenumero (quæ alia deliratio est et amentia) duas ipsas asseverare nullo modo sustinent. » De naturis sub numerum comprehendendis agemus paulo post.

III. Venio ad Catholicos, quos præter mentem dedisse occasionem hæreticis illis ostendimus. Imprimis vero Cyrillus Alexandrinus quibusdam sententiis eorum insaniæ suffragatus videtur : dum adversus Nestorium naturas duas nimium distrahentem totus incumbens, in contrarium rapitur, et easdem sic aptas invicem, et connexas esse defendit, uti pene duas esse neget, postquam semel in unum coaluerunt. Huic enim pertinet celebre illius effatum [2] ; « Ex duabus naturis concursionem esse factam in unitatem : post unitionem vero, naturas easdem a se mutuo non dividi ; sed unam esse naturam incarnatam. » De quo Cyrilli dicto postea disputabimus. Idem præterea διπλοῦν, hoc est *duplicem* appellari Christum minime patitur : sed reclamat sæpius, ut in libro secundo contra Nestorium. « (2) Non est, *inquit*, duplex, sed unus, et solus Dominus, ac filius. » Et paulo post vetat « (3) in propriam diversitatem distinguere Deum et hominem. » Et in commentario ad Joannem : « (4) Non est, *inquit*, duplex unus et solus Christus, tametsi ex duabus intelligatur, ac differentibus rebus, in unitatem individuam contractus. » Item, « (5) Quatenus est Verbum Deus, alterum intelligi ait præter carnem : et quatenus caro est, alterum quiddam intelligi præter Verbum : quatenus vero factum est homo ex Deo Patre Verbum, cessare jam omnino id quod alter, et alter dicebatur, propter inexplicabilem unitionem et conjunctionem. »

Rursus idem Cyrillus [3], post unitionem dividi naturas prohibet : ac [4] sola θεωρίᾳ discernit, id est *consideratione*, vel *ratione*, sive νῷ, hoc est *mente, et cogitatione* : tanquam reipsa non discrepent. Ad hæc Vigilius libro secundo contra Eutychen, refert multos orthodoxorum, recte alioqui de naturarum discrimine sentientes, « duas noluisse dicere naturas, ne secundum Nestorium duas putarentur fateri personas. » Auctor etiam Expositionis fidei κατὰ μέρος, quæ Gregorio Neocæsariensi solet tribui, *duas in Christo naturas* usurpari vetat : quem Eulogius citat apud Photium [5] : ut et Athanasium idem asseverantem in libro de Incarnatione. Quibus adscribi potest Dionysius Alexandrinus in epistola synodica adversus Paulum Samosatenum : ubi Christum « (6) in carnem et Verbum partiri » non sinit.

IV. Ad hanc disceptandam controversiam, et ad omnem offensionem hæreticorumque calumniam propulsandam, quæ ex illis, et similibus locis conflata fuerat, primum ista generalis debet esse præscriptio, ex antiquorum theologorum sensu, ac voce confecta : Aliud esse διαφορὰν, aliud διαίρεσιν, hoc est *differentiam* a *divisione* distare : In duabus Christi naturis, priorem inesse ; non vero posteriorem. Ita Catholici complures nominatim tradiderunt ; omniumque maxime Cyrillus, a quo plus exortum negotii in hac causa

(1) Ibid. Τοῖς μὲν γὰρ μετὰ τὴν ἕνωσιν μὴ φυλάττεσθαι τὴν διαφορὰν ἐπῆλθε φαντάζεσθαι. Τοῖς δὲ σώζεσθαι τὴν διαφορὰν ἡ ὁμολογία γέγονε. Διχῆ δὲ καὶ οὗτοι διετμήθησαν. Οἱ μὲν γὰρ τὴν διαφορὰν ὁμολογοῦντες σώζεσθαι, τὰ ὧν ἡ διαφορὰ, σώζειν οὐ βούλονται. Οἱ δὲ κἀκεῖνα ὑπὸ τῆς ἀναγκαζούσης ἀκολουθίας συγχωροῦντες, πολλάκις (ἄλλος λῆρος οὗτος, καὶ ἄλλη παράνοια) δύο ταύτας λέγειν οὐ μενοῦν οὐδ' ὅλως ἀνέχονται.

(2) CYR. 2. cont. Nest. tom. 6. pag. 45. Οὐ γάρ τοι διπλοῦς ἐστιν, ἀλλ' εἷς τε, καὶ μόνος Κύριος, καὶ Υἱός.

(3) Ibid. pag. 46. Καὶ εἰς ἰδικὴν ἑτερότητα διϊστὰς ἄνθρωπον καὶ Θεόν.

(4) Id. in Excer. lib. 7. et 8. in Joan. pag. 667. Οὐ γάρ ἐστι διπλοῦς ὁ εἷς, καὶ μόνος ἐστὶ Χριστὸς, κἂν ἐκ δύο νοῆται, καὶ διαφόρων πραγμάτων εἰς ἑνότητα τὴν ἀμέριστον συνενηνεγμένος.

(5) Id. lib. 6. in Joan. pag. 631. E. Ἧ μὲν γάρ ἐστι Θεὸς Λόγος, ἕτερος νοεῖται παρὰ τὴν σάρκα· ᾗ δὲ σάρξ ἐστιν, ἕτερόν τι νοεῖται παρὰ τὸν Λόγον. Ἧ δὲ γέγονεν ἄνθρωπος ὁ ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγος, ἀργήσει παντελῶς τὸ ἕτερος καὶ ἕτερος διὰ τὴν ἄῤῥητον ἕνωσίν τε, καὶ σύνοδον.

(6) DION. Alex. tom. 11. bib. pag. 276. Οὐ μεριζόμενος εἰς σάρκα, καὶ Λόγον.

[1] Lib. 1. c. 17. § 4. — [2] Cyr. ep. 1. ad Succ. tom. 5. par. 2. p. 137. — [3] Lib. 2. cont. Nest. tom. 6. p. 50. B. et ad Anath. 3. cont. Orient. p. 166. E.

[4] Ut in epist. ad Eulog. tom. 5. par. 2. p. 133. et in 2. ad Succ. p. 142. et 147. et ad Valer. p. 160. E. — [5] Phot. cod. 230. pag. 445.

videbatur. Hic in secundo libro contra Nestorium liquido rem exponit sic : cum duplicem negasset esse Christum, nihilominus « (1) Humanitatis, ac deitatis, maximam esse differentiam, sive distantiam *ait*, nam diversa videntur esse, quod ad essentiæ rationem spectat, nec ullo modo inter se similia; quæ illis vocabulis significantur. Verum prolato nobis in medium Christi mysterio, unitionis ratio ita differentiam non ignorat, ut divisionem tamen excludat. »

Et in defensione anathematismi tertii contra Orientales, sive Andream ; qui confutationem illius Orientalium nomine scripserat, « (2) Citra reprehensionem omnem profiteri *ait* oportere, diversam esse secundum propriam naturam carnem a Verbo, quod ex Patre natum est; ac perinde diversum esse Verbum, secundum naturæ propriæ rationem. Verum hæc nosse, non est naturas post unitionem dividere. »

Tum in commonitorio ad Eulogium, præclare rem omnem, deque proposita hac quæstione mentem suam aperit : dum et naturas duas differentes agnoscit, et eas dividi, ac separari vetat. « (3) Ubi, *inquit*, unitio nominatur, non unius rei concursio significatur, sed vel duarum, vel plurium, et a se invicem natura differentium. Quamobrem si unitionem dicimus, confitemur hanc ipsam carnis intelligente anima præditæ, ac Verbi unitionem esse. Nec aliter hoc accipiunt, qui naturas duas profitentur. Verum postquam unitionem confessus fueris, non amplius dirimuntur a se mutuo quæ unita sunt. » Vide et epistolam ejusdem Cyrilli ad Acacium [1].

V. Post Cyrillum libet alios commemorare, qui itidem ut ille, naturarum discrimen sic admiserunt, ut divisioni vehementer intercederent. Ex his illustris est locus ex anonymo patre productus ab Euthymio in Panoplia; nam accurate totum negotium explicat. «(4) Post unitionem, *ait*, duarum in Christo naturarum, divisionem dicere non oportet, sed differentiam. Etenim differentia est ratio, secundum quam a se mutuo res subjectæ differunt. Divisio vero est quædam sectio a se invicem penitus illas separans. »

Ita Synodus quinta, canone 7. τὴν διαφορὰν asciscens, διαίρεσιν repudiavit. In actis Synodi sextæ, actione 11, Sophronii Hierosolymitani patriarchæ synodica legitur ad Sergium Constantinopolitanum; in qua Cyrilli locum illum citat paulo ante laudatum a nobis ex secundo contra Nestorium, ubi unitionis rationem, quæ est secundum hypostasim, ita differentiam agnoscere dicit, ut divisionem funditus excludat. Ac subinde Christum eumdem, Deum et hominem, *biformem* et *duplicem* appellat, cujus verba jam alibi descripsi [2]. Sic in Synodo septima [3], separabiles intelligentia duntaxat esse naturas, ratione differentiæ, non divisionis, dictum est approbante concilio.

Maximus vero martyr frequentissime illam eamdem usurpat distinctionem τῆς διαφορᾶς et διαιρέσεως, atque hanc nullo modo in Christo admittendam putat : sed illam duntaxat. Sic in Opusculo quodam (5) *de differentia, et qua ratione duæ naturæ in Christo pie profitendæ sint post unitionem*, quid utraque illa vocabula significent, plenius exponit. « (6) Non idem est, *ait*, differentia, et divisio. Differentia enim est ratio, qua a se mutuo subjecta differunt, et quæ cujusmodi ea sint significat : velut carnem esse natura, et substantia id quod est : et rursus Deum Verbum natura et substantia esse

(1) Cyr. 2. cont. Nest. tom. 6. pag. 45. Ἀνθρωπότητος μὲν γὰρ, καὶ θεότητος δοίην γὰρ αὐτὸς ἐγὼ πλείστην εἶναι τὴν διαφορὰν, ἤτοι διάστασιν. Ἕτερα γὰρ κατά γε τὸν τοῦ πῶς εἶναι Λόγον, καὶ οὐδὲν ἀλλήλοις ἐοικότα φαίνεται τὰ ὠνομασμένα. Παρενηνεγμένου γε μὴν εἰς μέσον ἡμῖν μυστηρίου τοῦ κατὰ Χριστὸν, ὁ τῆς ἑνώσεως Λόγος οὐκ ἀγνοεῖ μὲν τὴν διαφορὰν, ἐξίστησι δὲ τὴν διαίρεσιν.

(2) Cyrill. tom. 6. p. 466. D. Ἀμοιρήσειε δ' ἂν καὶ μώμου παντὸς τὸ εἰδέναι τυχὸν, ὡς ἑτέρα μὲν ἔστι κατὰ φύσιν ἰδίαν ἡ σὰρξ παρά γε τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς φύντα Λόγον, ἕτερος δὲ αὖ, κατά γε τὸν τῆς ἰδίας φύσεως Λόγον ὁ μονογενής. Ἀλλ' οὐ τὸ εἰδέναι ταῦτα μερίζειν ἐστὶ τὰς φύσεις μετὰ τὴν ἕνωσιν.

(3) Cyrill. ad Eulog. tom. 5. par. 2. pag. 133. Ὅπου γὰρ ἕνωσις ὀνομάζεται, οὐχ ἑνὸς πράγματος σημαίνεται σύνοδος, ἀλλ' ἢ δύο, ἢ πλειόνων, καὶ διαφόρων ἀλλήλοις κατὰ τὴν φύσιν. Εἰ τοίνυν λέγομεν ἕνωσιν, ὁμολογοῦμεν, ὅτι σαρκὸς ἐψυχωμένης νοερῶς, καὶ Λόγου, καὶ οἱ δύο λέγοντες φύσεις οὕτω νοοῦσι. Πλὴν τῆς ἑνώσεως ὁμολογουμένης, οὐκέτι διΐστανται ἀλλήλων τὰ ἑνωθέντα.

(4) Euthym. Pan. par. 2. tit. 15. pag. 625. Lat. edit. Μετὰ τὴν ἕνωσιν τῶν ἐν Χριστῷ δύο φύσεων, οὐ χρὴ διαίρεσιν λέγειν, ἀλλὰ διαφοράν· διαφορὰ μὲν γάρ ἐστι Λόγος, καθ' ὃν ἀλλήλων διαφέρει τὰ ὑποκείμενα. Διαίρεσις δὲ τομὴ δι' ὅλου ἀπ' ἀλλήλων ταῦτα χωρίζουσα.

(5) Maxim. in opusc. Περὶ διαφορᾶς, καὶ πῶς εὐσεβῶς δεῖ δύο φύσεις ὁμολογεῖν ἐπὶ Χριστῷ μετὰ τὴν ἕνωσιν.

(6) Id. Οὐ γὰρ ταὐτό ἐστι διαφορὰ καὶ διαίρεσις. Διαφορὰ μὲν γάρ ἐστι Λόγος, καθ' ὃν ἀλλήλων διαφέρει τὰ ὑποκείμενα, καὶ τοῦ πῶς εἶναι δηλωτικός. Τουτέστι τὸ εἶναι τὴν σάρκα τῇ φύσει, καὶ τῇ οὐσίᾳ ὅπερ ἐστί· καὶ τὸ εἶναι πάλιν τὸν Θεὸν Λόγον τῇ φύσει, καὶ τῇ οὐσίᾳ ὅπερ ἐστὶ. Διαίρεσις δέ ἐστι τομὴ διαμπὰξ, καὶ δι' ὅλου τὰ ὑποκείμενα τέμνουσα, καὶ ἰδίᾳ, καὶ ἀνὰ μέρος καθ' ἑαυτὰ ὑφεστῶτα, καὶ ἀλλήλων κεχωρισμένα τεθεῖσα.

[1] Cyr. ad Acac. tom. 5. Par. 2. p. 116. C.

[2] Lib. 3. c. 12. § 8. — [3] Act. 6. p. 748.

id quod est. At divisio est sectio, penitus, et per totum subjecta dirimens, ac privatim, et seorsim illa per se subsistentia, et a se mutuo separata constituens. » Quæ Maximi verba contraxit, opinor, Euthymius in loco illo, quem proxime ante retulimus. At digna prorsus erant, quæ hic integra describerentur. Nam explanationem continent quæstionis hujus, quam ex Cyrillo postea reddemus.

In eodem tractatu Maximus, (1) ex eo, quod rationes convenientium in unum naturarum salvas manere Patres docent, differentiam ab illis constitui asserit, etiam post unitionem : dum autem in unam personam, et hypostasim copulari easdem dicunt, indivisas eas profiteri.

VI. Sic Latini *divisionem* damnantes naturarum, discerni eas tamen, ac differre sentiunt. Alcimus Avitus in epistola secunda [1], « Refrenandam a prærupto ancipiti lævam fugiens, *inquit,* dexteram non præsumens, ac perinde latus utrumque formidans, sub temperamenti medio via tutior, in qua duplicem substantiam Redemptoris discerni dicimus posse, non dividi. » Rusticus item diaconus in disputatione contra Acephalos, post longiorem orationem, qua naturarum differentiam in unitione manere probat ex Cyrilli testimonio, ita concludit [2] : « Igitur nec differentiam peremit unitio, nec unitionem differentia dissipat. » Sic Gelasius papa in libro de duabus naturis in Christo[3], Nestorianos ait « dividere naturas in Christo. » Quod miratus marginalis auctor scholii, nescio an Margarinus Bignius, errore librarii factum putat, ut pro *personis, naturarum* vox irreperet : tanquam nullum piaculum sit *naturas dividere ;* nec eo nomine reprehensus sit Nestorius : sed quod personas divideret. In quo fugit eum ratio. Quippe naturarum ut *differentiam* agnovere Catholici, sic *divisionem* respuerunt, ut ex superioribus constat. Ac nominatim Leo papa tantus, ac tam vigilans Eutychianæ oppugnator hæresis, *divisionem* procul arcet ab hoc mysterio non personarum solum, sed etiam naturarum, hoc est *humanitatis* et *divinitatis.* « Nolite, *inquit* [4], quidquam horum adscribere falsitati tanquam in Christo aut sola sit humanitas, aut sola divinitas : sed utrumque fideliter credite, utrumque humiliter adorate ; ut in unitate Verbi et carnis non sit ulla divisio. » Et in sermone 15. de passione Domini, quod in epistola 83. capite sexto repetit : « Quamvis ergo, *inquit*, ab illo initio, quo in utero Virginis Verbum caro factum est, nihil unquam inter divinam humanamque substantiam divisionis extiterit, et per omnia incrementa corporea unius personæ fuerint totius temporis actiones ; ea ipsa tamen quæ inseparabiliter facta sunt, nulla permixtione confundimus. »

Albinus Flaccus libro 4. contra Felicem Urgelitanum, qui nomine Paulini Aquileiensis inscribitur, asserit, « Nec disjunctionem, aut divisionem aliquam inter Christum fieri et Deum posse, quia totus in Christo Deus, et totus in Deo Christus. Nulla hic recipi separatio potest, nulla discissio, una tantum est simplex, una tantum sana confessio, adorare, amare, colere Christum Deum. »

Fulbertus quoque Carnotensis epistola prima [5], « Christum, *inquit*, in duabus substantiis consistentem, unum eumdemque Deum verum, eumdemque hominem verum esse fateatur necesse est, quisquis religionis Christianæ non vult inaniter, imo damnabiliter portare vocabulum : ita ut, utriusque naturæ veritate servata, verum Christum in virtutibus et passionibus nec confundat fides vera, nec dividat; quia personalis unitas in eo divisionem non recipit, et utriusque naturæ veritas inconfusa persistit. »

VII. Theodoretus in confutatione anathematismi tertii Cyrilli, acriter illud redarguit, quod hic in eodem anathematismo damnaret eos, qui in Christo hypostases diviserint post unitionem. Ubi *hypostases* pro *naturis* uterque accipit. Instat ergo Theodoretus, et cum ab Cyrillo ἕνωσις φυσικὴ, id est *naturalis unitio* constituatur, inde concludit, necessario sequi διαίρεσιν, id est *divisionem.* Etenim, « (2) Divisione sublata, intelligi non potest unitio, *inquit* ,

(1) Ibid. Πῶς οὐ χρεων πάλιν κατὰ τοὺς πατέρας, διὰ μὲν τοῦ εἰδέναι σωζομένους τοὺς λόγους, τὴν διαφορὰν λέγων καὶ μετὰ τὴν ἕνωσιν σώζεσθαι ἐν ἰδιότητι τῇ κατὰ φύσιν τῶν συνελθόντων ἑκάτερον· διὰ δὲ τοῦ ὁμολογεῖν ὡς πρὸς ἓν ἄμφω συντελοῦσι πρόσωπον τοῦ Υἱοῦ, καὶ μίαν ὑπόστασιν, ἀκριβῶς γινώσκειν, ὡς ἀδιαίρετα ταῦτα πεφύκασιν ;

(2) THEORORET. in confut. anath. 3. tom. 6. Cyr. pag. 210. Διαιρέσεως γὰρ οὐκ οὔσης, οὐκ ἄν ποτε ἕνωσις νοηθείη. Ὁ τοίνυν τὴν ἕνωσιν λαμβάνων, προσλαμβάνει τὴν διαίρεσιν. Πῶς τοίνυν φησὶ μὴ δεῖν τὰς ὑποστάσεις διαιρεῖν, εἴτουν φύσεις, καὶ ταῦτα εἰδὼς, ὡς τελεία μὲν ἡ τοῦ Θεοῦ Λόγου ὑπόστασις πρὸ τῶν αἰώνων ὑπῆρχε, τελεία δὲ ὑπ' ἐκείνης ἐλήφθη ἡ τοῦ δούλου μορφὴ ; Διὸ καὶ ὑποστάσεις εἶπεν ἀλλ' οὐχ ὑπόστασιν. Εἰ τοίνυν ἑκατέρα φύσις τὸ τέλειον ἔχει, εἰς ταὐτὸν δὲ

[1] Pag. 9. — [2] Rust. tom. 4. Bib. 830. — [3] Tom. eod. 415. init.

[4] Leo Ser. 8. de Quadr. cap. 2. — [5] Tom. 3. Bib. 435.

quare quisquis unitionem sumit, etiam divisionem assumit. Quonam igitur modo negat hypostases, id est naturas, dividi oportere : præsertim cum sciat, tam Dei Verbi perfectam hypostasim ante secula extitisse, quam perfectam ab illa servi formam assumptam fuisse ? Propterea et hypostases dixit (Cyrillus) non hypostasim. Quamobrem si utraque natura perfecta est, ac si in unum ambæ convenerunt, quatenus divina forma servilem formam assumpsit : unam quidem esse personam, et unum filium, ac Christum profiteri, religiosum est : duas vero unitas hypostases, sive naturas dicere, non est absurdum ; sed ex causa ipsa consequens. » Ac subinde hominis exemplo utitur, in quo naturas ambas dividimus, et alteram mortalem vocamus, nempe corpus ; alteram immortalem , quæ est anima. Multo ergo magis tum assumentis Dei, tum assumpti hominis proprietates consentaneum est agnoscere : quemadmodum Apostolus [1] hominem dividit in interiorem, et exteriorem, quorum hic corrumpitur, ille renovatur. Hæc Theodoretus. Cui Cyrillus respondens fatetur (1) naturas ipsas a se mutuo esse diversas : sed ubi semel unitæ sunt, non oportere dissecari, nec in duos dividi filios unum Christum et filium, ac Dominum.

VIII. Hinc igitur Cyrilli quæ mens fuerit apparet, cum naturas post unitionem dividi tantopere vetuit. Non enim misceri ac confundi proprietates illarum putavit ; ut nonnisi una quæpiam esset in Christo vel composita natura. Sed huic solum consulere voluit, ne separatæ, et a se mutuo distractæ naturæ ita consistere viderentur, ut sola σχέσει, et *affectione*, vel *habitudine*, non substantivo aliquo, et unum per se faciente nexu, ac vinculo secum invicem hærerent : quæ fuit Nestorii impia et sacrilega hæresis, contra quam loquendi cautiones illas comparavit Cyrillus. Itaque non raro illis in locis, in quibus διαίρεσιν damnat, sic eam interpretatur, ut ἰδίᾳ, καὶ ἀναμέρος, hoc est *seorsim*, ac *separatim poni constituique* naturas neget : ex quo duæ personæ et hypostases necessario consequantur. Vide quæ pro anathematismo suo tertio contra Theodoretum, et pro quarto adversus Orientales idem disputat Cyrillus [2]. Ubi summa et arctissima copulatione posita, qualis in Christo statuitur, nullam sectionis irrepere posse cogitationem asserit, « (2) neque dividi, ac separari Christum in hominem privatim ac seorsim, et in Deum Verbum privatim ac seorsim. » Tum in libro de uno Christo, « (3) Non esse dividendum, *ait*, ita ut peculiaris, ac privata diversitas constituatur, quæ efficiat, ut a se mutuo divulsæ, ac sejunctæ subsistant naturæ : quin potius conferendas in unitionem indissolubilem. » Et in libro secundo contra Nestorium [3] late sententiam suam, eique contrariam Nestorii perfidiam declarat, qui ubique dividit, et separatim naturas constituit, perfunctoria conjunctione illas inter se connectens, ita ut non unus ex iis efficiatur proprie Christus. Sic ad anathematismum octavum contra Orientales de unica disputans adoratione, accurate idipsum explicat. Et in epistola secunda ad Successum [4]. Ad hæc in libro nono de Adoratione, « (4) Christum *ait* non dividi in Deum separatim, et in hominem separatim , post inexplicabilem unitionem, sive cum carne conventionem : verum unum eumdemque esse Deum et hominem. Nam nullo modo eum dividi. » Ita Justinianus imperator in confessione fidei adversus tria Capitula [5].

IX. Nihil ergo διαίρεσις illa, tanta contentione abjudicata ab hoc Incarnationis mysterio, apud Cyrillum aliud significat, quam quod Maximus supra laudatus a nobis [6] exposuit, ut sit τομή,

συνῆλθον ἀμφότεραι, τῆς τοῦ Θεοῦ μορφῆς δηλονότι λαβούσης τὴν τοῦ δούλου μορφὴν, ἓν μὲν πρόσωπον, καὶ ἕνα Υἱὸν, καὶ Χριστὸν ὁμολογεῖν, εὐσεβές· δύο δὲ τὰς ἑνωθείσας ὑποστάσεις, εἴτουν φύσεις λέγειν, οὐκ ἄτοπον, ἀλλὰ κατ' ἀκόλουθον.

(1) Cyrill. ibid. cont. Theodoret. pag. 214. Ὅτι ἕτερος μὲν κατὰ τὴν σάρκα κατὰ φύσιν ἐστὶν ὁ ἐκ Θεοῦ Λόγος, ἑτέρα δὲ αὖ κατ' ἰδίαν φύσιν παρ' αὐτὸν ἡ σάρξ. Ἑνωθέντα δὲ ἅπαξ, διατέμνειν οὐκ ἀσφαλὲς, οὔτε μὴν εἰς δύο καταμερίζειν υἱοὺς τὸν ἕνα Χριστὸν καὶ Υἱὸν, καὶ Κύριον ἐφίησί τισιν ὁ τῆς ὀρθότητος λόγος.

(2) Cyrill. cont. orient. ad anath. 4. pag. 170. Οὐκοῦν τῆς εἰς ἄκρον ἑνώσεως σωζομένης, ποία παρείσδυσις, ἤγουν φαντασία τομῆς παρεισκρίνοιτο ἂν ἔτι, καὶ ὁ μερίζειν ἀποτολμῶν πῶς οὐκ ἔξω φέρεται τῆς εὐθείας ὁδοῦ, etc. οἱ μὲν οὖν διϊστάντες, καὶ διορίζοντες εἰς ἄνθρωπον ἰδικῶς τε, καὶ ἀνὰ μέρος, καὶ εἰς Θεὸν Λόγον ἰδικῶς τε καὶ ἀνὰ μέρος, οὐ μερίζουσι τὸν ἕνα Χριστόν, etc.

(3) Id. in lib. Ὅτι εἷς ὁ Χριστὸς, tom. 5. par. 1. pag. 735. Οὐ διαιρετέον, ὡς ἔφην, εἰς ἰδικὴν ἑτερότητα, τὴν κατά γε τὸ ἀπ' ἀλλήλων εἶναι, καὶ ἀνὰ μέρος, συγκομιστέον δὲ μᾶλλον εἰς ἕνωσιν ἀδιάτμητον.

(4) Id. de Ador. tom. 1. pag. 290. Οὐ διαιρούμενος εἰς Θεὸν ἰδίᾳ, καὶ εἰς ἄνθρωπον ἰδικῶς μετὰ τὴν ἄῤῥητον ἕνωσιν, ἤτοι τὴν πρὸς σάρκα σύνοδον· ἀλλ' εἷς ὑπάρχων Θεὸς καὶ ἄνθρωπος ὁ αὐτός. Μεμέρισται γὰρ οὐδαμῶς.

[1] 2. Cor. 4. 16. — [2] Cyr. p. 212. — [3] Tom. 6. p. 30. et 31. — [4] Cyr. in 2. ad Succ. tom. 5. par. 2. p. 147. et 148.

[5] In 5. Syn. tom. 4. Conc. p. 345. — [6] § 6.

vel διατομὴ, id est *sectio,* vel μερισμὸς, id est *partitio*, quam etiam Dionysius Alexandrinus improbabat [1], nolens bipartito Christum dividi, in Verbum, et carnem. Quod et διακόπτειν vocat Cyrillus in libro nono in Joannem [2]. Hinc etiam Cyrillus διπλοῦν, id est *duplicem* Christum appellari noluit, quod esset ἀδιαίρετος, hoc est *individuus*. « (1) Quomodo (inquit, Nestorium arguens) unum, et indivisum, duplicem esse dicis ? » Quod et alibi notavimus [3]. Igitur Cyrillus τὸ ἀδιαίρετον simpliciter in Christo posuit post unitionem, vel ἐνανθρώπησιν, hoc est *Incarnationem,* ut in quarto commentariorum in Joannem loquitur [4] : et διαίρεσιν absolute repudiavit, nullo addito alio, quia divisionem omnem veræ ac proprie dictæ unitioni contrariam esse judicavit, ut quæ naturas duas separatas, et hypostasi propria subsistentes necessario constitueret.

X. Nec assentior Eulogio Alexandrino [5], qui τὸ ἀδιαίρετον, vel τὰς φύσεις ἀδιαιρέτους, simpliciter, et non addito καθ' ὑπόστασιν, usurpari oportere negat ex mente Cyrilli : nimirum ut intelligamus tum unitionem naturarum secundum hypostasim fieri, non, ut impius Nestorius arbitrabatur, κατὰ σχέσιν ; tum easdem naturas esse ἀδιαιρέτους, id est *indivisas*, itidem καθ' ὑπόστασιν ; ac Cyrillum testem hujus rei laudat in epistola ad Successum, ubi asserit, « (2) Duas naturas affirmantem indivisas esse post unitionem, nisi simul exprimat unitionem, quæ est secundum hypostasim, repugnare iis, qui naturam unam Verbi incarnatam profitentur. Non enim sufficit dimidiata, et mutila ista locutio, ad hoc, ut conveniat, et consentiat cum iis, qui unam naturam Verbi incarnatam tuentur. Quod si quis naturas dicens indivisas, adjungat unitionem, quæ fit secundum hypostasim, recte pieque loquetur, et consentientem sibi Cyrillum inveniet. »

Verum cum τὴν διαίρεσιν sæpenumero Cyrillus ab Incarnatione rejiciat, et τὸ ἀδιαίρετον adstruat ; solet, ut jam diximus, utrumque absolute, et sine additamento illo ponere : quamvis tacite subaudiendum sit. Nam revera secundum hypostasim ut unitæ, sic indivisæ sunt naturæ. In epistola porro ad Successum, quod ab Cyrillo dici asserit Eulogius, non satis esse τὸ ἀδιαίρετον, nisi καθ' ὑπόστασιν addatur, nihil ejusmodi reperio. Sunt autem epistolæ duæ : quarum secundam intellexit Eulogius, cujus ex fine quædam citavit : nec ea tamen necessitatem additamenti illius probant. Ibi enim [6] ab Nestorii fautoribus quædam contra se objecta diluens, inter alia verba illorum ista proponit, quibus naturas duas in Christo manere demonstrabant ex eo, quod humana natura passus sit : unde ita concludebant, « Quomodo naturas duas subsistere non concedemus indivise post unitionem? » His occurrens Cyrillus (3) ait eos contra id, quod dictum erat, unam esse Filii naturam incarnatam, pugnantes, ubique naturas duas subsistentes asseverare. Tum quod adversarii isti vocabulo ἀδιαιρέτως usi fuerant, « (4) hoc apud Catholicos quidem recti dogmatis habere significationem : at istos aliter intelligere, » nempe ad Nestorii mentem referre, ut secundum honoris æqualitatem, et voluntatum concordiam, atque auctoritatem, indivisus sit a Dei Verbo assumptus homo.

Quibus ex Cyrilli verbis hoc unum colligitur, Nestorianos τὸ ἀδιαίρετον male interpretatos esse, ita ut cum revera Christos duos separatos, ac per se subsistentes agnoscerent, subdole tamen indivisas esse naturas solo affectu voluntatis, vel externo quopiam modo, non substantive, proprie, ac vere significarent. Ceterum neminem cogit Cyrillus ad τοῦ ἀδιαιρέτου professionem, τὸ καθ' ὑπόστασις annectere, uti reddidit Eulogius.

XI. Quod quidem ex eo confirmatur, quod ipsemet in eadem epistola, cum plus semel διαιρέσεως illius meminerit, nusquam adjungit id, sine quo mutilam esse professionem affirmat Eulogius, τὸ καθ' ὑπόστασις. Memorabilis est inter alia ejus epistolæ locus, in quo postquam naturas proprietatibus distinxit suis, et aliud esse Deum Verbum docuit, quod carnem suscepit, et servilem induit formam ; aliud

(1) CYR. 2. contra Nest. tom. 6. pag. 45. Εἶτα πῶς τὸν ἕνα, καὶ ἀδιαίρετον διπλοῦν εἶναι φῄς ; et in epist. ad Nest. pag. 73. tom. 5. par. 2.

(2) EULOG. apud. Phot. 453. Σοφῶς οὖν καὶ ὁμοίως διαπραττόμενος ὁ ἱερὸς Κύριλλος καὶ ἐν τῇ πρὸς Σούκενσον ἐπιστολῇ τὸ δύο φύσεις λέγειν ἀδιαιρέτους μετὰ τὴν ἕνωσιν, μὴ συνεπιφέροντα τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν μάχεσθαι τοῖς μίαν φύσιν τοῦ Λόγου σεσαρκωμένην δογματίζουσί φησίν. Οὐ γὰρ αὐτάρκης οὕτως ἡμίτομος. Ἡ φωνὴ ἡ ῥηθεῖσα συνελθεῖν, καὶ ὁμοφρονῆσαι τοῖς μίαν τοῦ Λόγου φύσιν σεσαρκωμένην δογματίζουσιν. Εἰ δὲ δύο τις φύσεις εἰπὼν ἀδιαιρέτους, συμπαραλάβοι καὶ τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν, ὀρθῶς τε, καὶ εὐσεβῶς ἐρεῖ, καὶ Κύριλλον εὑρήσει ὁμόψηφον.

(3) CYRILL. pag. 145. Πῶς οὐ τὰς δύο φύσεις ὑφεστάναι δώσομεν μετὰ τὴν ἕνωσιν ἀδιαιρέτως ;

(4) CYRILL. ibid. Τὸ δὲ, ἀδιαιρέτως προστεθὲν παρ' αὐτοῖς δοκεῖ μέν πως παρ' ἡμῖν ὀρθῆς εἶναι δόξης σημαντικόν. Αὐτοὶ δὲ οὐχ οὕτω νοοῦσι.

[1] Sup. § 3. — [2] Pag. 747. E. — [3] Lib. 3. c. 12. § 9. — [4] Cyr. 4. in Jo. p. 361. — [5] Apud Pho. cod. 230. p. 452. et seq. — [6] Cyr. 2. ad Succ. tom. 5. p. 2. pag. 145.

ipsam carnem ; atque ita colligit : « (1) Hac sola ratione intelligi posse naturarum, sive hypostaseon differentiam ; quippe cum idem naturali qualitate non sint divinitas, et humanitas. » Mox ista subjicit : « Cum igitur Incarnationis modus diligenter inquiritur, duo inter se mutuo unitione conjuncta, inexplicabili quadam ratione, ac citra confusionem, humana mens omnino videt; eadem porro semel unita nullo modo disjungit : sed unum ex ambobus Deum, et Filium, et Christum esse credit, et firmissime confitetur. » Hic tantum abest ab eo Cyrillus, quod in epistola illa contineri scribit Eulogius, ut cum disjungi, ac dividi naturas vetat, modum adjungat quo dirimendas negat, nempe *secundum hypostasim;* ut vel *hypostasi* differre dicat. Et quamvis *hypostasim* ibi pro *natura* sumat, tamen ad id, quod Eulogius putavit, refellendum pertinet. Non enim indivisas esse naturas, secundum hypostasim illo in loco dicit, ubi hypostasi utcumque differre asserit. Itaque unita illa duo dividenda non esse absolute ait : et Nestorio illas dividenti (quod etiam simpliciter sine mentione ulla hypostaseon usurpat) opponit eam, quam probat, Orientalium confessionem : qui « (2) naturarum differentiam sola et simplici intelligentia, rationeque admittentes, easdem unitas non dirimunt, neque naturalem divisionem introducunt. » Atque si vera esset Eulogii ratio, laudaret illos potius, quod τὴν καθ' ὑπόστασιν διαίρεσιν damnarent, non autem quod φυσικὴν διαίρεσιν. Sed nimirum vox διαιρέσεως absolute sumpta Cyrillo displicuit ; eamque passim cum rejicit, simpliciter ponit[1], ut et Athanasius libro de Incarnatione (3).

Est tamen ubi τὸ ἀδιαίρετον usurpans Cyrillus addit, « (4) non dividi in personas duas, » ut in quarto commentariorum in Joannem. Sic et Justinianus in professione fidei contra tria Capitula, « (5) divisionem, vel sectionem non inferri *ait*, in unam Christi hypostasim, sed naturarum differentiam significari. » De hac voce ἀδιαίρετος vide Maximum apud Euthymium in Panoplia[2].

XII. Quocirca διαίρεσις naturarum ita καθόλου, et absolute negata videtur a Patribus in incarnati Verbi mysterio, quemadmodum in Trinitate eadem rejecta διαιρέσεως, sine expressa naturæ mentione. Ut cum Gregorius Nazianzenus (6) τὴν συναίρεσιν, id est *contractionem*, perinde ab illa removet, ac διαίρεσιν. Etenim quamvis personæ in Trinitate reipsa differant, nec una sit alia ; non tamen divisæ sunt, hoc est separatæ a se mutuo ac divulsæ : sed in se invicem existunt κατὰ περιχώρησιν. De qua legenda sunt prorsus, quæ in quarto de Trinitate, capite 16. disputavimus. Est enim perinde naturarum in Christo περιχώρησις, ut in Trinitate personarum ; et utrobique cavenda διαίρεσις, non minus quam σύγχυσις : quoniam ut hic personas alioqui differentes a se invicem dissociari vetat arctissimus ejusdem naturæ nexus, qui illas continet, obstatque ne separatæ dilabantur, ac diffluant ; sed ut in se mutuo potius existant, ac conjungantur efficit : sic in Incarnatione naturas a se distantes, et alioqui in diversum abituras colligat, dividique prohibet unius, ac singularis hypostaticæ proprietatis communio. Quo fit ut non solum secundum hypostasim non dividantur, sed neque qua naturæ sunt, licet hac ratione differre dicantur. Unde φυσικὴν διαίρεσιν universe Cyrillus respuit, ut paulo ante demonstravimus. Nam et hominis anima (cujusmodi exemplo sæpe Cyrillus utitur) quandiu cum corpore copulatur, non est ab eo divisa, et separata, etiam qua anima est ; sed solum ab illo differens. Dividi enim ab alio, est seorsim, et extra illud subsistere : quod non habet anima quandiu homo consistit. Quod multo magis in Christo valet, in quo humanitas nullum

(1) Cyr. ibid. pag. 147. Καὶ κατ' αὐτὸ δὴ τοῦτο καὶ μόνον νοηθείη ἂν ἡ τῶν φύσεων διαφορά. Οὐ γάρ που ταὐτὸν ἐν ποιότητι φυσικῇ θεότης, καὶ ἀνθρωπότης. Mox. Ὅταν τοίνυν ὁ τῆς σαρκώσεως πολυπραγμονῆται τρόπος, δύο τὰ ἀλλήλοις ἀποῤῥήτως τε, καὶ ἀσυγχύτως συνενηγμένα καθ' ἕνωσιν ὁρᾷ δὴ πάντως ὁ ἀνθρώπινος νοῦς, ἑνωθέντα γε μὴν διΐστησιν οὐδαμῶς, ἀλλ' ἕνα τὸν ἐξ ἀμφοῖν καὶ Θεὸν, καὶ Υἱὸν, καὶ Χριστὸν, καὶ Κύριον εἶναί τε, καὶ πιστεύει, καὶ ἀραρότως εἰσδέχεται.

(2) Cyr. ibid. Τὰ μὲν ἐξ ὧν νοεῖται Χριστὸς, ὡς ἐν ψιλαῖς, καὶ μόναις ἐννοίαις δεχόμενον φύσεων μὲν εἰρήκασι διαφορὰν, etc. μερίζουσι δὲ κατ' οὐδένα τρόπον τὰ ἡνωμένα, οὔτε μὴν φυσικὴν παραδέχονται τὴν διαίρεσιν.

(3) Athan. pag. 486. Διὸ ἡμεῖς ὁμολογοῦντες Θεὸν, καὶ ἄνθρωπον τὸν Χριστὸν, οὐ διαιρέσεως ἕνεκεν ταῦτα λέγομεν, μὴ γένοιτο.

(4) Cyr. 4. in Joan. pag. 393. Ἀδιαίρετος τοιγαροῦν μετὰ τὴν ἕνωσιν, καὶ οὐκ εἰς δύο πρόσωπα κατασχίζεται.

(5) Justin. in 5. Syn. pag. 345. Διαίρεσιν μέν τινα ἀνὰ μέρος, ἢ τομὴν οὐκ ἐπιφέρομεν τῇ μιᾷ αὐτοῦ ὑποστάσει. Τὴν δὲ διαφορὰν τῶν φύσεων, ἐξ ὧν καὶ συνετέθη, σημαίνομεν, etc.

(6) Nazianz. orat. 29. pag. 489. Καὶ τὴν φαύλην συναίρεσιν παραιτούμενοι, καὶ τὴν ἀτοπωτέραν διαίρεσιν.

[1] Ut in 1. ad Succ. p. 137. in ep. ad Acac. p. 116. et ad Eulog. p. 133. et lib. 2. contra Nest. p. 50.

[2] Euth. 2. p. 2. tit. 15. pag. 599.

obtinet subsistendi, ne imperfectum quidem, modum.

XIII. Nonnunquam tamen διαιρέσεως vocabulum de iis rebus usurpatur a Patribus, in quibus nulla est disjunctio, ac separatio, sed sola differentia, ut in Trinitate. Sic enim Gregorius Nazianzenus de ea loquens Oratione 13. « (1) Unum, *ait*, existentia divisim et conjunctim divisa. Item in Oratione 39. « (2) Dividitur, *inquit*, indivise, ut sic loquar, et divisim conjungitur. Unum est enim in tribus divinitas, et tria sunt unum, ea scilicet, in quibus est divinitas, vel, ut accuratius loquar, quæ est ipsa divinitas. » Quæ verba Justinianus imperator in confessione fidei adversus tria Capitula posuit, asserens « (3) admirabilem in Trinitate esse divisionem, et unitionem : » necnon Sophronius [1], et Joannes Damascenus [2], quos sequenti capite referam, et Tarasius (4) in epistola ad tres patriarchas, quæ in septima Synodo recitata est, actione tertia.

Bernardus quoque dividendi verbum cum numero conjunctum esse demonstrat in quinto libro de Consideratione, capite octavo : « Numera ergo, *inquit*, aut sine substantia personas, quæ ipsæ sunt, aut sine personis proprietates, quæ ipsæ sunt. Aut si dividere quis conetur, vel personas a substantia, vel proprietates a personis, nescio quomodo Trinitatis se profiteri cultorem possit, qui in tantam rerum numerositatem excesserit. »

Quin etiam Gregorius Nazianzenus [3] τὸ μεμερισμένον de iisdem personis non dubitavit dicere, quod est *partitum*, et plusculum ab unitate recedere videtur, quam διαίρεσις. Sic enim scribit, ἀμέριστον ἐν μεμερισμένοις esse divinitatem, hoc est *minime partitam in partitis*, nempe *personis*. Verum adjuncta vox ἀμέριστος invidiam omnem alterius sustulit. Sicut in διαιρέσει, vocabulum ἀδιαιρέτως, offensioni medetur illius. Vide caput nostrum 13. libri quarti de Trinitate, in quo de hoc argumento quædam exposuimus.

Nec omittendum est quod apud Theodorum Rhætuensem in libro de Incarnatione legitur ; in mysterio Incarnationis usurpari ἕνωσιν cum διαιρέσει, id est *unitionem cum divisione*, ut ex æquo Manichæorum, et Paulianistarum, sive Samosatenorum vitetur error. « (5) Quippe non separatim unum amborum catholica fides statuit, vel divisionem sine unitione, vel unitionem sine divisione, sed utrumque simul, et secum mutuo. Nam et unite dividit, unam asserens hypostasim, et naturas duas : et divisim unit, duas naturas dicens, et unam hypostasim. » Hic διαίρεσιν pro differentia sine dubio sumpsit.

XIV. Ut autem intelligas, quanta, quamque arcta sit naturarum illa copulatio, et quantopere divisionem omnem ab hoc mysterio segregandam, vitandamque Cyrillus, aliique Patres censuerint, operæ pretium est loquendi quamdam rationem tritam apud illos, et usitatam animadvertere. Naturas itaque duas in Christo divisas, ac discretas esse sola mentis consideratione, ac cogitatione, solent illi dicere, hoc est, ut loquuntur, τῇ ἐπινοίᾳ, vel θεωρίᾳ.

Insignis hac de re locus est in epistola secunda ad Successum : in quo hæreticos redarguens, qui naturas duas subsistentes ingerebant, ait « (6) illos ignorare, quæcumque non sola consideratione dividi amant, ea prorsus in diversitatem, qua seorsim omnino, et privatim constituuntur, a se mutuo discedere. » Proinde divinitas, et humanitas Christi, ne separatim subsistant, sola contemplatione animi, non reipsa dirimuntur. Declarat hoc exemplo animæ rationalis, et corporis. « (7) Etenim duas in homine naturas intelli-

(1) NAZ. orat. 13. pag. 210. A. Ἓν ὄντα διῃρημένως, καὶ διαιρούμενα συνημμένως.

(2) NAZ. orat. 39. pag. 630. Διαιρεῖται γὰρ ἀδιαιρετῶς, ἵν' οὕτως εἴπω, καὶ συνάπτεται διῃρημένως· ἓν γὰρ ἐν τρισὶν ἡ θεότης, καὶ τὰ τρία ἕν, τὰ ἐν οἷς ἡ θεότης, ἢ τόγε ἀκριβέστερον εἰπεῖν, ἃ ἡ θεότης.

(3) JUSTINIAN. in 5. Syn. p. 344. Μονάδα γὰρ ἐν Τριάδι, καὶ Τριάδα ἐν μονάδι προσκυνοῦμεν, παράδοξον ἔχουσαν τὴν διαίρεσιν, καὶ τὴν ἕνωσιν.

(4) TARAS. art. 3. Synodi 7. pag. 591. Μίαν θεότητα, καὶ κυριότητα, μίαν βασιλείαν, καὶ δύναμιν, καὶ ἐξουσίαν ἐν τρισὶν ὑποστάσεσιν, ἀδιαιρέτως διαιρουμένην, καὶ ἡνωμένην διαιρετῶς.

(5) THEOD. Rhæt. tom. 11. bib. pag. 325. D. Ὅτι μη ἀνα μερος εν των οποτερων ποιει, ἢ την διαίρεσιν χωρὶς τῆς ἑνώσεως, ἢ τὴν ἕνωσιν χωρὶς τῆς διαιρέσεως· ἀλλ' ἅμα, καὶ μετ' ἀλλήλων. Ἡνωμένως γὰρ διαιρεῖ, μίαν μὲν ὑπόστασιν λέγων, φύσεις δὲ δύο· καὶ διακεκριμένως συνάπτει, δύο μὲν φύσεις λέγων, ὑπόστασιν δὲ μίαν.

(6) CYR. ad Succ. pag. 145. Ἀλλ' ἠγνόησαν ὅτι ὅσα μὴ κατὰ μόνην τὴν θεωρίαν διαιρεῖσθαι φιλεῖ, ταῦτα πάντως καὶ εἰς ἑτερότητα τὴν ἀνὰ μέρος ὁλοτρόπως, καὶ ἰδικῶς ἀποφοιτήσειν ἂν ἀλλήλων.

(7) Ibid. Δύο μὲν γὰρ ἐπ' αὐτοῦ νοοῦμεν τὰς φύσεις· μίαν μὲν τῆς ψυχῆς, ἑτέραν δὲ, τοῦ σώματος· ἀλλ' ἐν ψιλαῖς διελόντες ἐννοίαις, καὶ ὡς ἐν ἰσχναῖς θεωρίαις, ἤτοι νοῦ φαντασίαις, τὴν διαφορὰν δεξάμενοι, οὐκ ἀνὰ μέρος τίθεμεν τὰς φύσεις· οὔτε μὴν διαμπὰξ διὰ τῆς τομῆς ἐφίεμεν τὴν δύναμιν αὐταῖς, ἀλλ' ἑνὸς εἶναι νοοῦμεν. Ὥστε τὰς δύο μηκέτι μὲν εἶναι δύο, δι' ἀμφοῖν δὲ τὸ ἓν ἀποτελεῖσθαι ζῶον.

[1] Sophron. in Act. 11. sex. Syn. p. 163.

[2] Damas. lib. 4. c. 9. — [3] Naz. Orat. 37. p. 601.

gimus; unam quidem animæ, alteram vero corporis; sed cum solis cogitationibus diviserimus, et subtilibus contemplationibus, sive mentis imaginationibus, differentiam illarum conceperimus, neque seorsim naturas ipsas ponimus, neque sectione ulla vim in eas quamdam trajicimus, sed esse unius proprias intelligimus : adeo ut duæ illæ non amplius sint duæ, sed ex duabus unum efficiatur animal. »

XV. Observabis hoc in loco Cyrillum solo eo distinctionis genere, quod *rationis* in scholis dicitur, tam naturas duas in Christo, quam in homine corpus animamque separare : quia etsi reipsa differant, non tamen separatæ, seorsimque positæ cohærent; sed secum invicem conjunctæ unum aliquid efficiunt, imo unum sunt *compositum*, vel *suppositum*. Cum autem distinctio illa, quæ sola ratione constat, nihil in re ipsa ponat, nec mutationem ullam afferat, (« (1) Consideratio enim, ut ait Theodorus Abucara, non prohibet extantiam, ») sed idem, ut erat, subjectum, eodemque modo se habens nihilominus maneat : eo fit, ut cum humanam et divinam in Christo naturam, vel in homine corpus animamque, ratione ac cogitatione dividendo secernimus, hoc est alteram ab altera disjunctam intelligentiæ nostræ subjicimus, nulla propterea divisio redundet in res ipsas, et composita; verum sola θεωρίᾳ et consideratione separentur. Hinc Cyrillus adversarios suos in illa ad Successum epistola reprehendit, quod naturas duas ὑφεστώσας, id est *subsistentes* constituant, ut supra memini [1]. Itaque « (2) contentiose *ait* illos ubique niti, ut duas subsistentes naturas adstruant. » Ὑφεστώσας dixit naturas, hoc est reipsa, et non fictione sola, vel cogitatione cohærentes : quæ est τοῦ ὑφεστάναι, et τῆς ὑποστάσεως notio, ut alibi dixi. Ejusmodi autem, hoc est duo reipsa sunt, quæ revera a se invicem disjuncta consistunt : non ut ea, quæ sola dirimit, separatque mentis fictio, vel cogitatio. Hoc Cyrillus voluit, cum ex nostra contemplatione, et imaginatione, quæ conjuncta distrahit, et in unum redacta dissociat, nullam in res ipsas immitti trajicique vim ait, ac sectionem, quæ illas vere divisas efficiat.

XVI. Sic in epistola ad Valerianum Cyrillus idem « (3) mente considerationeque discrimen animæ, atque corporis in homine constare » dicit ; « cum ipsa conjunctio, et concursio, quæ indivisa est, unum animal efficiat hominem. » Differentiam ecce animæ corporisque sola cogitatione definit, quod mirum videatur. Sed sic quomodo diximus, accipiendum est, ut licet insit in rebus ipsis differentia, non tamen ea quæ differunt, revera dividantur, sed unum sint: quemadmodum declarat in epistola ad Acacium [2], ubi Orientales ab illata ipsis calumnia purgat; et in confutatione Theodoreti ad anathematismum tertium [3].

Hunc imitata Synodus quinta canone septimo, naturas duas ita dici, ac numerari permittit, ut sola consideratione differentia illarum intelligatur, cujus verba sequenti capite reddemus, cum de numero agemus naturarum.

Agatho quoque Romanus pontifex in epistola ad Constantinopolitanos imperatores, quæ est in actis Synodi sextæ : « (4) Sola, *inquit*, intelligentia quæ sunt unita secernentes ». Maxentius item in libello contra Acephalos [4], « Duas, *inquit*, nobiscum in Christo profiteantur esse naturas, qui eas non rebus ipsis dividimus, sed cogitatione tantum discernimus, et probamus. » Et in dialogo secundo, « Non ideo rebus easdem naturas, *inquit*, dividimus, quas sola tantum cognitione discernimus. »

Sed ante hos omnes modum illum distinctionis, qui est κατ' ἐπίνοιαν, affirmarunt Basilius, in quarto contra Eunomium [5], et Gregorius Nazianzenus : quorum prior ab Euthymio citatur in Panopliæ parte prima, titulo undecimo. « (5) In his autem omnibus, *inquit*, non duos dicimus, Deum seorsim, et hominem seorsim. Nam unus erat. Sed cogitatione sola uniuscujusque naturam intelligentes; non enim Petrus duos intellexit, cum diceret [6] : *Christo igitur passo pro nobis carne.* » Gregorius vero in septima citatus Synodo [7],

(1) Theodor. Abuc. op. 28. pag. 422. tom. 11. bib. Καὶ γὰρ ἡ θεωρία οὐκ ἔστι κωλυτικὴ τῆς ὑπάρξεως.

(2) Cyr. ep. 2. ad Succ. pag. 145. Φιλονεικοῦσι πανταχοῦ δύο φύσεις ὑφεστώσας ἀποφαίνειν.

(3) Cyr. pag. 160. E. Καὶ νῷ μὲν καὶ θεωρίᾳ τὸ διάφορον τῶν ὠνομασμένων οὐκ ἀσυμφανές. Ἡ δέ γε σύνοδος, ἤτοι συνδρομὴ τὸ ἀδιάτμητον ἔχουσα ἓν ἀποτελεῖ ζῶον τὸν ἄνθρωπον.

(4) In 6. Syn. pag. 35. Μόνῃ νοήσει τὰ ἡνωμένα διακρίνοντες.

(5) Basil. citat. ab Euth. pag. 323. lat. Ἐν πᾶσι δὲ τούτοις οὐ δύο λέγομεν, Θεὸν ἰδίᾳ, καὶ ἄνθρωπον ἰδίᾳ. Εἷς γὰρ ἦν, ἀλλὰ κατ' ἐπίνοιαν τὴν ἑκάστου φύσιν λογιζόμενοι. Οὐδὲ γὰρ ὁ Πέτρος δύο ἐνόησεν, εἰπών· Χριστοῦ οὖν παθόντος ὑπὲρ ἡμῶν σαρκί.

[1] § 10. — [2] Ib. p. 116. E. — [3] Cyr. to. 6. p. 213. E. — [4] Tom. 4. Bib. 461.

[5] Basil. 4. cont. Eun. p. 105. D. — [6] 1. Pet. 4. — [7] Act. 6. pag. 748.

et ab Eulogio apud Photium, in Oratione 36[1]. « (1) Quando, *inquit*, naturæ consideratione dirimuntur, una etiam dividuntur nomina. Apostolum audi[2] : *Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ*. Vides quemadmodum Christi quidem Deus, gloriæ autem pater dicatur. Quamvis enim ambo sint unum, non tamen natura, sed copulatione. »

De distinctione κατ' ἐπίνοιαν, qua naturas in Christo veteres secernunt, vide omnino caput nostrum decimum libri primi de Deo, ubi fuse istud explanavimus. Hanc expressit Tullius in Tusculana quarta, « Hæc quæ dico, *inquit*, cogitatione quidem inter se differunt, re vero copulata sunt. »

CAPUT QUARTUM.

De numero naturarum ; an de iis usurpari possit. — 2. Negarunt Eutychiani : ac quidam etiam Catholici. — 4. Saltem exprimendum voce negarunt, sed animo retinendum. — 5. Quibus occasionem dederunt Patrum quorumdam sententiæ. — 7. Verum numerari debere naturas ostenditur. — 8. Futilis opinio quorumdam, non naturas ipsas, sed earum qualitates sub numerum cadere. — 9. Numerari posse naturas easdem ex Trinitatis analogia demonstratur ; — 10. et quidem sine periculo divisionis. — 15. Dissolvuntur ea, quæ initio capitis contra numeri usum proposita fuerant.

I. Potest hæc otiosa, peneque ridenda prima specie videri quæstio, utrum numerabiles sint in Christo naturæ duæ. Sed ea tam accurate, tantaque contentione, præsertim a græcis est disputata Patribus, ut eam præterire merito religioni duxerim. Nam hæretici Monophysitæ, ut mos est talium damnatos ecclesiastico judicio semel errores suos occultis instaurare ac fovere artibus, si hoc palam aperteque non licet, illam sibi latebram unius affirmandæ naturæ quæsierunt, ut propter individuam earum copulationem, arctissimumque nexum, numero subjiciendas, et quasi partiendas easdem non esse dicerent. Atque huic opinioni nonnulli etiam assensi sunt Catholici ; quidam vero, ut in superiore, dictis, ac sententiis suis ansam illi præbuerunt. Quæ res non indigna visa est, quam huic capiti mandaremus. Ac præ omnibus quidem diligens in ea tractanda, disceptandaque controversia fuit Maximus martyr, subtilis et multum adversus Monotheletas, eorumque parentes Monophysitas exercitatus theologus. Cujus de hoc argumento tractatus aliquot legimus : e quibus nonnulla decerpsit Euthymius in Panoplia sua, titulo 15. partis secundæ, sed integra opuscula nobiscum communicavit R. P. Jacobus Sirmondus. Quo uno saltem nomine gratior erudito lectori debet opera nostra videri, si quæ nondum hucusque græce legere potuit, eorum paratam hic, et explicatam copiam habeat.

II. Ut ab eorum sententiis incipiam, qui Eutychianam impietatem aperte sunt professi, consequens errori fuit illorum, ut cum duas inesse Christo naturas negarent, numerum ab ipsis funditus abjudicarent. Est enim binarius utique numerus ; nec absque numero duæ possunt in Christo naturæ constitui. Itaque Macarius Antiochenus Monotheletarum hæresis propugnator strenuus in sexta Synodo, cum unam Christi ἐνέργειαν profiteretur, « (2) Ego, *inquit*, numerum non admitto : sed Deivirilem ejus operationem. » Sed non mirum est, sic eos aperte præ se tulisse, qui aliter consentanei sibi esse non poterant. Illorum oppido singularis stupor fuit, qui cum differre naturas alioqui non dubitarent, et vel bona fide catholici essent, vel tales videri haberique cuperent, numerari tamen naturas in Christo prohibue-

(1) NAZ. orat. 36. pag. 582. Ἡνίκα φύσεις διΐστανται ταῖς ἐπινοίαις, συνδιαιρεῖται καὶ τὰ ὀνόματα. Παύλου λέγοντος ἄκουσον· ἵνα ὁ Θεὸς τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ Πατὴρ τῆς δόξης· Χριστοῦ μὲν Θεὸς, τῆς δὲ δόξης Πατήρ. Εἰ γὰρ καὶ τὸ συναμφότερον ἕν, ἀλλ' οὐ τῇ φύσει, τῇ δὲ συνόδῳ.

(2) Act. 2. Syn. 6. pag. 24. Ἐγὼ ἀριθμὸν οὐ λέγω, ἀλλὰ θεανδρικὴν αὐτοῦ τὴν ἐνέργειαν.

[1] Cod. 230. p. 466.

[2] Eph. 1. 17

runt. Contra quos potius, quam priores manifeste hæreticos disputare Maximum in opusculis arbitror : quemadmodum et Ephræmius Antiochenus, Vigilius, aliique quorum subinde mentionem faciam, perspicue adversus hujusmodi parum prudentes, solideque catholicos invecti sunt : quorum et nos hoc loco potissimum rationes examinabimus.

Numerum igitur ab duabus Christi naturis ablegandum idcirco Catholici isti judicarunt, quod, « (1) Numerus omnis, ait Maximus, aut dividendi vim habeat, aut divisibilis sit, aut divisionem introducat. » Quod illi veriti, « naturas duas post unitionem salvas esse profiteri nolebant, ne quid sectionis, vel partitionis in Incarnationis mysterium irreperet. »

Quippe numerus omnis unitatibus constat, quæ a se mutuo diversæ, ac divisæ videntur. At divisio, uti capite superiori demonstratum est, segreganda est ab hoc mysterio. Ex quo illi numerandas non esse naturas censuerunt, cum alioqui differentes eas esse faterentur. Maxentius in libello contra Acephalos : « Sed duas, inquiunt, ideo non debere dici in Christo post adunationem fatentur esse naturas, quia duo numerus non potest esse indivisus, cum secundum veritatem omnis numerus divisioni subjaceat. »

III. Hanc Catholicorum inter se velut civilem dissensionem accurate describit Vigilius in calce libri secundi contra Eutychen : « Hæc multi orthodoxorum, *inquit*, minus attendentes, aut attendere nolentes, vel discernere non valentes, in duas sese partes non diversitate sententiæ, sed vocis professione diviserunt, ut id, quod eodem modo pronuntiare formidant, inutili profecto, atque superfluo timore : utjure illud propheticum eis possit aptari [1], *Illic trepidaverunt ubi non erat timor*. Nam plerique orthodoxorum, sensum utrarumque naturarum cum catholice exponant, catholice retineant, ide otamen duas nolunt dicere naturas, ne secundum Nestorium duas putentur fateri personas, a confessione utriusque naturæ, non corde, sed voce tantummodo recedentes. Quodam enim circuitu expositionis utuntur, ut duas se credere ostendant ; sed duas nudo sermone non pronuntiant. Nam cum credant, atque fateantur, non hominem, sed Verbum descendisse de cœlo, eumdemque sic in Virginis utero incarnatum, id est sic carnem assumpsisse, ut non mutaretur in carnem ; sic Verbum hominem factum, ut Deus verus maneret ; sic nostram assumpsisse naturam, ut non mutaret, nec abjiceret et suam ; sic Deum hominem, et hominem Deum factum, ut non fuerit tamen utrumque consumptum, quis non videat, hoc sensu duas aperte adstrui, atque demonstrari naturas ? Quod ergo vera fidei expositione colligitur, atque animi sententia retinetur, cur superfluo timore vocis professione tacetur ? » Ac subinde : « Qui enim nolunt duas ore fateri naturas, quas fidei expressione defendunt, Eutychianistæ reputantur, cum non sint. Item qui duas unius Christi naturas publice profitentur, Nestoriani putantur esse, cum non sint : et videas nos luctuosis quibusdam, et omni lamentatione dignis insultationibus hæreticorum nomine se invicem accusare. Tu, inquit, Eutychianus es; et tu Nestorianus es, etc. »

IV. Ephræmius Antiochenus apud Photium [2], nonnullos alioquin orthodoxos refert eodem modo putasse, numerum naturarum voce neutiquam exprimendum, sed in animo retinendum ; eo quod Cyrillus in epistola secunda ad Successum dixerit, (2) *nos duas in Christo naturas intelligere ;* non autem *dicere*.

Eulogius Alexandrinus apud eumdem Photium de Eutychianis agens, quosdam ex iis narrat, etsi naturas duas consequentiæ necessitate cogantur agnoscere, non eas tamen voce ipsa profiteri velle : quod jam supra memoravi [3]. « (3) Quippe vox *duarum*, inquiebant, separatim, ac per se privatim ea quæ inter se differunt constituit. » Non aliter Severus, columen Eutychianæ sectæ, apud eumdem Photium ex Ephræmio, dicebat, « (4) Animo quidem ac cogitatione capere oportere speciei, ac naturæ diversitatem eorum, quæ in unitatem inexplicabilem coierunt ; sed nequaquam pronuntiari voce debere. » Verum perditos, et

(1) Maxim. Εἰ δέ τινες τοῦ ἀληθοῦς τὸ δόξαν προτιμῶντές φασι τὸν ἀριθμὸν διαιρετικὸν εἶναι, ἢ διαιρετὸν, ἢ διαιρέσεως εἰσαγωγικὸν, καὶ διὰ τοῦτο τὸν οὐκ ὄντα φοβούμενοι φόβον δύο φύσεις ἐπὶ Κυρίου τὰς συμπλακείσας σώζεσθαι λέγειν παραιτοῦνται μετὰ τὴν ἕνωσιν, etc.

(2) Cyr. 2. ad Suc. Δύο μὲν γὰρ καὶ ἐπ' αὐτοῦ νοοῦμεν τὰς φύσεις.

(3) Eulog. apud Phot. cod. 230. pag. 464. Ἡ γὰρ, δύο, φωνὴ, φασὶν, ἀνὰ μέρος, καὶ καθ' ἑαυτὰ τὰ διαφέροντα τίθησι.

(4) Ephræm. apud Phot. cod. 229. pag. 420. Ὅτι τῶν ἀπὸ Σευήρου ληρούντων, ὡς ἐννοεῖν μὲν χρὴ τὸ ἑτεροειδὲς, καὶ ἑτεροφυὲς τῶν εἰς ἑτερότητα ἄφραστον συνεληλυθότων· μὴ χρῆναι δὲ λέγειν ταῦτα.

[1] Psal. 13. 10. — [2] Cod. 229. p. 410.

[3] Cap. 3. § 2.

amentes istos adeo insanisse, pro cetera horum importunitate, nihil mirum est. Illud Catholicorum quorumdam singulare, commentum, ac peræque ridiculum est, quod refert Gelasius papa in libro de Duabus naturis : « [1] Contra Eutychianos, qui unam prædicant in nostro redemptore naturam, duas a nobis merito proferendas : contra autem Nestorianos, qui dividunt naturas in eodem Domini sacramento, unam nostra confessione promendam. »

V. Huic qualicumque tandem opinioni, quæ, salva naturarum differentia, numerari tamen eas prohibet, nec binarium exprimi patitur, auctoritatem sumpserunt illius patroni quorumdam ex Patrum sententiis, maxime vero Cyrilli. Hic enim in epistola secunda ad Successum, naturarum in Christo duarum conjunctionem explicans, similitudine illius, quæ in compositione hominis ex corpore, animaque cernitur, ait, « (1) duo hic non amplius esse duo, sed unum ex iis animal effici : » cujus verba superiori capite reddidimus. Quòd si duæ naturæ non sunt, sequitur includi eas in numerum minime oportere.

Idem porro Cyrillus in commonitorio ad Eulogium [2], scribit se in invidiam vocatum esse apud quosdam Catholicarum partium, quod assensus esset expositioni fidei ab Orientalibus editæ; in qua naturas duas confitebantur. Id enim Nestorio favere, neque hunc aliter sentire. Quorum calumniis occurrens Cyrillus, rem ita componit, ut duas quidem in Christi compositionem naturas conferamus ; ceterum postquam eas copulavimus, unam constituamus tantummodo naturam incarnatam : quod jam superius attigimus. Vacat ergo naturarum numerus, qui in unitate retineri non potest.

Proclus item in epistola ad Armenos, cum dixisset, in illis Joannis verbis, *Et Verbum caro factum est*, vocabulum *factum est* « individuam vim unitionis summæ significare ; » sic illud deinceps explicat : « (2) Ut enim unitas in duas unitates secari non potest, (nam quæ in hæc dividitur, unitas non est, sed binarius,) sic quod unum est summa unitate, in duo dividi nequit. » Ex quibus sequi videtur, unitione naturarum duarum sublatum esse binarii numerum, et in exquisitam monadem esse conversum.

VI. Eodem pertinet, quod in expositione fidei, quæ κατὰ μέρος dicitur, falso Gregorio thaumaturgo tributæ, scriptum est, [3] « Non duæ personæ, neque duæ naturæ ; » tanquam numeri pœniteat. Sic apud Euthymium in excerpto de Incarnatione ex antiquis Patribus, a quodam ita scriptum perhibetur : « (3) Quemadmodum unum ex eorum genere est, quæ multipliciter dicuntur. Siquidem et numero unum dicitur, ut, exempli causa, Petrus ; et unum specie, ut homo ; et genere, ut animal. Ita etiam duo. Nam dicimus numero duo, ut sunt Petrus et Paulus ; et duo specie, ut homo et equus ; et genere, ut substantia et color. Cum igitur duo in Christo dicimus, non eum asserimus esse numero duo ; sed unum quidem numero, propter unitatem hypostasis, duo vero specie, hoc est natura. » Atqui Christus natura duplex est, habetque naturas numero duas. Quid igitur prohibet illum eatenus duo dici numero, si naturas intelligamus ? An non favere hæc Euthymii sententia videtur illorum opinioni, qui, ut superius ostendimus, naturarum differentiam agnoscentes, iis tamen numerandis abstinendum putabant ? Nam et duo specie, hoc est natura, esse fatebantur : et numerari naturas vetantes, duo negabant esse numero.

VII. Verum nihil certius, ac manifestius est, quam naturas, ex quibus constat Christus, ut sunt revera, sic recte, et catholice numerari duas ; neque sani, aut solidi quidquam subesse sophisticis illis calumniis, quas de numero commenti sunt tam hæretici Monophysitæ, quam qui horum inepte fautores extitere, Catholici. Quod paucis ita demonstrant, qui adversus utrosque de hoc argumento disputant, veteres theologi. Etenim, quod salva Christianæ fidei integritate nemo inficiari possit, sic ambas inter se connexas, et colligatas constat esse

(1) Cyr. ep. 2. ad Suc. pag. 145. Ὥστε τὰ δύο, μηκέτι μὲν εἶναι δύο, δι' ἀμφοῖν δὲ ἀποτελεῖσθαι ἓν ζῶον.

(2) Procl. ep. 2. pag. 613. Ὥσπερ γὰρ ἡ μονὰς οὐκ ἂν τμηθείη εἰς μονάδας δύο· ἡ γὰρ εἰς ταῦτα διαιρουμένη οὐκ ἂν εἴη μονὰς, ἀλλα δυάς· οὕτω τὸ ἓν κατὰ τὴν ἄκραν ἕνωσιν, οὐκ ἂν διαιρεθείη εἰς δύο.

(3) Euth. Pan. tit. 7. pag. 144. lat. Ὥσπερ τὸ ἓν τῶν πολλαχῶς λεγομένων ἐστι. Λέγεται γαρ ἓν τῷ ἀριθμῷ, ὡς ὁ Πέτρος τυχὸν, καὶ ἓν τῷ εἴδει, ὡς ὁ ἄνθρωπος. Καὶ ἓν τῷ γένει, ὡς τὸ ζῶον. Οὕτω καὶ τὰ δύο. Λέγεται γὰρ δύο τῷ ἀριθμῷ, ὡς Πέτρος, καὶ Παῦλος. Καὶ δύο τῷ εἴδει, ὡς ἄνθρωπος καὶ ἵππος. Καὶ δύο τῷ γένει, ὡς οὐσία, καὶ χρῶμα. Ὅταν οὖν λέγωμεν τὰ δύο ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ, οὐ δύο τῷ ἀριθμῷ τοῦτον λέγομεν, ἀλλ' ἕνα μὲν τῷ ἀριθμῷ, διὰ τὴν μονάδα τῆς ὑποστάσεως, δύο δὲ τῷ εἴδει, τουτέστι τῇ φύσει.

[1] Initio lib. to. 4. Bib. 415.

[2] To. 5. Par. 2. p. 132. — [3] Pag. 22.

naturas, ut earum differentia maneat : quod proxime antecedenti præsertim capite docuimus. At ubicumque differentia est, ibidem et esse oportet ea quæ differunt, et numero aliquo contineri, ac vel duo esse, vel tria, vel quatuor. « (1) Omnis numerus, ait Sophronius Hierosolymitanus patriarcha, differentiam habet adjunctam, et omnis differentia, ac distinctio numerum inducit sibi annexum, et insitum. » Maximus item martyr in opusculo jam antea laudato, « (2) Quemadmodum, *ait*, differentia omnis quantum aliquod significat, quod numerum recipit, et quodammodo se habentem rationem introducit. Quod enim quantitatis est expers, omnino differentia caret, cum substantia, et qualitate sit simplex : ita numerus omnis, cum differentium quantitatem, secundum existendi quodammodo, vel quodammodo subsistendi rationem indicet; eorum, quæ subjecta sunt, differentiam, non habitudinem inducit. » Pergit deinde Maximus : « (3) Igitur, *inquit*, si et unitio stat semper, et quæ unita sunt, inconfusa perpetuo manent, et unitorum salva semper est differentia, cujus gratia numerus assumitur, ut docent Patres; nonne id necesse est, si quidem semper est unitio, et unita, unitorumque differentia stant, manent, et integra servantur, etiam naturas duas pie usurpari posse, ad eorum, quæ in unum copulata sunt, exprimendam differentiam? » Quæ Maximi verba ab Euthymio in Panopliam [1] translata sunt : ut et sequentia, in quibus stolidos illos differentiam naturarum profitentes, sed numerum respuentes, et duas dicere cunctantes vehementius castigat.

VIII. Quippe illos ait, si naturarum discrimen bona fide constituerent; ac non voce tenus, nec ulla re subjecta inanem illam, minimeque consistentem differentiam adstruerent, velut per jocum ac ludibrium; audacter pronuntiare debere, quænam et quot ea sint, quibus differentiam illam accommodari putant. « (4) Nam si post unitionem, *ait*, ea, ex quibus unitio fit, manere credunt, duo prorsus manentia confiteri deberent. Tot enim sunt, quæ in individuam unitionem convenerunt, quæque nullam omnino conversionem, aut confusionem, aut diminutionem, aut contractionem, aut mutuam in sese transmutationem admiserunt. Nunc autem aliter sentientes, naturas post unitionem negare salvas esse convincuntur argumentis certissimis, etsi id minime velint. »

Quin eorumdem futilem opinionem subjicit, differentiam illam non rerum esse, id est naturarum unitione junctarum, sed qualitatum : tanquam sine subjectis substantiis qualitates manere queant. Atqui neque qualitates absque substantiis; neque differentiæ extra quantitatem possunt consistere. « (5) Nam differentia omnis, cum aliorum ab aliis dissimilitudinem ac diversitatem secundum existendi quodammodo rationem significet, eorum, quæ differunt, quantitatem secum naturaliter inducit, sive substantiarum, sive qualitatum, sive proprietatum. »

Mihi vero, qui hoc postremum opinati sunt, naturarum inter se confusionem induxisse videntur, qualis in corporibus mistis cernitur, in quibus elementa non substantia, sed qualitate manent : ut quidem communior habet sententia. Sed hæc ipsa nescio majori impietate, an stultitia ad hoc assumptæ carnis mysterium transferatur : a nobis quidem superiore in libro explosa est, ac damnata.

(1) Sophr. in epist. synod. ad Serg. in act. 11. Syn. 6. pag. 162. Πᾶς γὰρ ἀριθμὸς τὴν διαφορὰν κέκτηται σύνοικον· καὶ πᾶσα διαφορὰ, καὶ διάκρισις τὸν ἀριθμὸν συνεπάγεται σύμφυτον.

(2) Maxim. Ὥσπερ γὰρ πᾶσα διαφορὰ ποσοῦ τινος ἀριθμὸν ἐπιδεχομένου ἐστὶ δηλωτικὴ, τὸ τοῦ πῶς εἶναι λόγον εἰσάγουσα. Τὸ γὰρ ἄποσον καὶ ἀδιάφορον πάντως, ὡς ἁπλοῦν τῇ οὐσίᾳ, καὶ τῇ ποιότητι· οὕτω καὶ πᾶς ἀριθμὸς ποσοῦ τινῶν διαφερόντων κατὰ τὸν τοῦ πῶς εἶναι, ἢ τοῦ πῶς ὑφεστάναι λόγον ὑπάρχων δηλωτικὸς, τῆς διαφορᾶς τῶν ὑποκειμένων, καὶ οὐ τῆς σχέσεως ἐστὶν εἰσαγωγικός.

(3) Ibid. Εἰ τοίνυν ἀεὶ μὲν ἡ ἕνωσις ἕστηκεν, ἀεὶ δὲ, καὶ τὰ ἑνωθέντα μένει ἀσύγχυτα, ἀεὶ δὲ καὶ τῶν ἑνωθέντων σώζεται διαφορὰ, δι᾽ ἣν ὁ ἀριθμὸς παρελήφθη, κατὰ τοὺς πατέρας, πῶς οὐκ ἀνάγκη, εἴπερ ἄρα ἀεὶ ἡ ἕνωσις, καὶ τὰ ἑνωθέντα, καὶ ἡ τούτων διαφορὰ ἕστηκεν, καὶ μένει καὶ σώζεται, καὶ δύο φύσεις εὐσεβῶς λέγειν ἐπὶ δηλώσει τῆς τῶν συνελθόντων διαφορᾶς;

(4) Max. ibid. apud Euth. pag. 600. Εἰ γὰρ σώζεσθαι μετὰ τὴν ἕνωσιν τὰ ἐξ ὧν ἡ ἕνωσις πιστεύουσι, δύο πάντως τὰ σωζόμενα ὁμολογήσαιεν ἄν. Τοσαῦτα γὰρ συνελθόντα πρὸς ἕνωσιν τὴν ἀδιάσπαστον, τὴν οἱανοῦν τροπὴν, ἢ σύγχυσιν, ἢ συναίρεσιν, ἢ μεταβολὴν τὴν εἰς ἀλλήλα ἐκ τῆς ἑνώσεως οὐ δεξάμενα. Νυνὶ δὲ τοῦτο μὴ δοξάζοντες, ὡς ἠρνημένοι τὰς φύσεις μετὰ τὴν ἕνωσιν σώζεσθαι, ὑπευθύνους ἑαυτοὺς ἐλέγχοις πεποίηνται, κἂν μὴ βούλωνται.

(5) Maxim. ibid. Καὶ πᾶσα διαφορὰ τῆς ἄλλων πρὸς ἄλλα κατὰ τὸν τοῦ πῶς εἶναι λόγον ἀνομοιότητος, καὶ ἑτερότητος οὖσα δηλωτικὴ, τὸ ποσὸν τῶν διαφερόντων πραγμάτων συνεισάγειν ἑαυτῇ πέφυκεν, εἴτε οὐσιῶν, εἴτε ποιοτήτων, εἴτε ἰδιοτήτων.

[1] Euth. Par. 2. Tit. 15. p. 597. et seq.

IX. Nihil itaque prohibet, naturas in Christo numerari duas: « (1) Ut quod recte intelligentia concipitur, recte etiam dicatur. Quod enim perperam intelligitur, id non juste dicitur, » ait Ephræmius, illos arguens, qui cogitatione sola differentiam capi, voce autem non exprimi jubebant.

Atque hoc ex sacrosanctæ Trinitatis mysterio, quam sit consentaneum cognoscitur. Nam et similis de illa quondam orta controversia est ; cum quidem nonnulli numerum excludendum censerent, vel ab ipsis personis. De qua quæstione disserit Basilius in oratione contra Sabellianos, ac numerari personas asserit, ut nos fusius explicavimus in quarto de Trinitate[1]. Quibus nunc Sophronii insignem adjungemus locum, quod is similitudine quadam lucem ei, in qua modo versatur, afferre disputationi poterit. Ergo illud in sanctæ Trinitatis mysterio *singulare ac stupendum esse* Sophronius observat, « (2) ut res eadem et numerabilis sit, et numerum effugiat. Etenim numerabilis est tribus suis hypostasibus : numerum autem effugit, singularitate deitatis. Quippe singularitas ipsius substantiæ, ac naturæ, nullo modo numerari patitur, ne differentiam deitatis inducat, etc. Verum hypostasibus, et proprietatibus intelligentia præditis, ac perfectis, per seque subsistentibus numerantur, quæ numero sunt divisibiles, non divinitate. Siquidem sanctissima Trinitas indivise dividitur, et rursus divise copulatur. »

Quocirca ut in Trinitate numerus locum habet, si personæ spectentur, quoniam penes eas differentia est ; in essentiam vero nullus convenit, quia nulla ibi differentia cernitur : sic in incarnatione Christi Domini, naturis ipsis jure numerus propter earum differentiam attribuitur : idem a persona, quæ est unica, removetur.

X. Nam quod de divisione supra capite antecedente, ex Cyrilli mente dictum est, ne naturis quidem quamlibet differentibus, eam competere, quatenus dividi idem est ac separatim, et extra se mutuo res aliquas cohærere, ac consistere : id ipsum in Trinitatis personis usurpare licet, quæ, quamvis reipsa differant, non sunt tamen divisæ, nec separatæ ; sed in se invicem existunt, et individuo, arctissimoque nexu, ac vinculo communis essentiæ copulantur. Quæ res inanem, et ineptam illorum fuisse rationem admonet, quos supra numerum rejecisse diximus ab naturis in Christo sociatis, ob idipsum, ne eædem divisæ a se mutuo ac separatæ esse viderentur. Quos quidem Trinitatis illa, quam attigi, similitudo refellit : ex qua verissimum hoc esse constat, quod in Verbi incarnatione Maximus, aliique Patres asserunt contra Eutychianorum tergiversationem istam. Negant enim numerum necessario, atque ex sese conjunctam habere sectionem, ac separationem rerum earum, ad quas adhærescit.

Eximius est ad hanc sententiam Gregorii Nazianzeni locus, quem Maximus laudat in opusculo quodam, quod in schedis Patris Sirmondi sic inscribitur : (3) *Ejusdem Maximi ad Joannem cubicularium de rectis Ecclesiæ dogmatibus, et contra Severum.* Hujus porro varia sunt capita ; quorum quintum titulum hunc habet : (4) *Numerum neque dividere, neque dividi, neque divisionem omnino in ea, de quibus dicitur, invehere.* Ibi primum Gregorii, uti dixi, Nazianzeni sententiam, velut fundamenti loco statuit, ex Oratione 36. « (5) An ignoras, *inquit*, numerum quantitatis rerum subjectarum significandæ vim habere, non autem rerum ipsarum naturæ ? » Hactenus apud Maximum ; reliqua Gregorii de Trinitate verba, propter analogiam, quam ad Incarnationem habent, adjungenda sunt.

(1) EPHRÆM. apud Phot. cod. 229. pag. 410. Καί τοιγε τίς οὐκ οἶδεν ὡς τὸ καλῶς νοούμενον καὶ καλῶς λέγεται ; Τὸ δὲ κακῶς νοούμενον οὐδὲ λέγεσθαι δίκαιον ;

(2) SOPHRON. in act. 11. Syn. 6. pag. 163. Ὃ γὰρ καὶ παράδοξον, καὶ πάσης γέμον ὄντως ἐκπλήξεως· τὸ γὰρ αὐτὸ καὶ ἀριθμητόν ἐστι, καὶ διαφεύγει τὴν ἐξαρίθμησιν. Ἀριθμητὸν μὲν ταῖς ἑαυτοῦ τρισσαῖς ὑποστάσεσι, διαφεῦγον δὲ τῷ ἑνικῷ τῆς θεότητος τὴν ἀρίθμησιν. Τὸ γὰρ ἑνικὸν αὐτοῦ τῆς οὐσίας καὶ φύσεως ἀριθμεῖσθαι παντελῶς οὐκ ἀνέχεται, ἵνα μὴ καὶ διαφορὰν εἰσοίσῃ θεότητος, etc. ἀλλ' ὑποστάσεσι, καὶ ἰδιότησι νοεραῖς καὶ τελείαις καθ' ἑαυτὰς ὑφεστώσαις ἀριθμῷ διαιρεταῖς, καὶ οὐ διαιρεταῖς τῇ θεότητι. Διαιρεῖται γὰρ ἀδιαιρέτως ἡ παναγία Τριάς, καὶ διαιρουμένη πάλιν συνάπτεται.

(3) MAXIM. Τοῦ αὐτοῦ, πρὸς Ἰωάννην Κουβικολάριον, περὶ τῶν ὀρθῶν τῆς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ δογμάτων, καὶ κατὰ Σεβήρου.

(4) Id. Ὅτι ἀριθμὸς οὔτε διαιρεῖ, οὔτε διαιρεῖται, οὔτε διαίρεσιν εἰσάγει κατὰ τὸν ἴδιον λόγον τὸ σύνολον, οἷς ἐπιλέγεται.

(5) NAZIANZ. orat. 36. pag. 602. Ἢ ἀγνοεῖς, ὅτι πᾶς ἀριθμὸς τῆς ποσότητος τῶν πραγμάτων τῶν ὑποκειμένων ἐστὶ δηλωτικὸς, οὐ τῆς φύσεως τῶν πραγμάτων ; Ἐγὼ δὲ οὕτως ἀρχαίως ἔχω, μᾶλλον δὲ ἀμαθῶς, ὥστε τρία μὲν ὀνομάζω τὰ τοσαῦτα τῷ ἀριθμῷ, κἂν διέστηκε τὴν φύσιν· ἓν δὲ, καὶ ἓν, καὶ ἓν ἄλλως τὰς τοσαύτας μονάδας, κἂν τῇ οὐσίᾳ συνάπτωνται, οὐ πρὸς τὰ πράγματα μᾶλλον ἀφορῶν, ἢ τὸ ποσὸν τῶν πραγμάτων καθ' ὃ ἡ ἀρίθμησις.

[1] Cap. 13. § 13. et seq.

« Ego vero, *inquit*, adeo sum simplex, vel potius imperitus, ut tria quidem nominem, quæ numero totidem sunt, etsi natura differant : unum autem, et unum, et unum, totidem unitates, tametsi conjungantur essentia ; non magis vicelicet res ipsas intuens, quam rerum quantitatem, secundum quam enumeratio fit. » Vides ut in Trinitate sacrosancta numerum adhibet Gregorius ad personas duntaxat, licet natura sint unum : perinde ac de iis dicitur, quæ natura discrepant ; ut appareat, nihil in res ipsas redundare ex accommodatione numeri.

Nam cum decem homines exempli gratia numero, non ex eo ipso, quod numero differunt, consequens est illos hypostasi distare, atque a se mutuo esse divulsos, ac separatos, nec ullam hujusmodi distinctionem per sese, proprieque numerus exprimit : sed quantitatem duntaxat illorum, quam *discretam* vocant. Ita cum lapidem quempiam duplici, vel triplici colore affectum esse dicimus, totidemque colores enumeramus, non propterea lapidem istum in duos vel tres secamus lapides ; neque colores ipsos a se invicem separamus. Hæc Maximus.

XI. Quæ accuratius exponens Justinianus imperator, ita de numero disputat : « (1) Hunc, *ait*, quando de diversis personis, aut hypostasibus dicitur, rerum ipsarum ejusmodi habere divisionem, quæ seorsim res constituit, ut in duobus, vel pluribus hominibus usuvenit. Cum autem in res unitas cadit, tunc sola ratione, et consideratione, non tamen ipsarum rerum divisionem habet : quemadmodum in una hypostasi hominis accidit, quæ ex anima, et corpore coalescit. Duæ quippe naturæ ibi considerantur, altera animæ, corporis altera : neque tamen propterea in duos homines dividitur, sed unum scimus esse hominem, et unam ipsius hypostasim. » Plura de hac eadem re, deque numeri proprietate ibidem Justinianus disserit.

Maxentii in libello contra Acephalos [1] non absimilis est ratio : cujus hic verba describam. « Sed duas, inquiunt, ideo non debere dici in Christo post adunationem fatemur esse naturas, quia duo numerus esse non potest indivisus, cum secundum veritatem omnis numerus divisioni subjaceat. Hæc et hujusmodi solet eorum impudentissima (contra) catholicam veritatem argumentari veritas. Et primum quidem non per seipsum, sed in rerum naturis omnem subsistere numerum, evidentissima ratione docemur. Deinde, si nullatenus ea, quæ secundum aliquid discernuntur, et numerantur, possunt in unitate subsistere, quæro, et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, qui non reipsa, sed cognitione tantum ab invicem discernuntur, quomodo non in divisione, sed in naturæ unitate subsistant. Quod si hi tres unum sunt, et personarum suarum proprietates integras, et perfectas inconfuse custodiunt, nec in divisione, sed in unitate subsistunt ; restat, ut jam non omnia, quæ secundum cognitionem numerantes discernimus, etiam rebus ipsis nefarie dividamus, etc. » Ac subinde, « Cedant, *inquit*, veritati, et duas nobiscum in Christo profiteantur esse naturas, qui eas non rebus ipsis dividimus, sed cogitatione tantum discernimus, et probamus. » Nimirum ita numerantur tam personæ divinæ, quam naturæ Christi duæ, ut non reipsa discernantur, id est dividantur, ac segregentur, separatæque consistant. Vide eumdem in Dialogo secundo [2].

XII. Idipsum et Rusticus diaconus in disputatione contra eosdem Acephalos demonstrat ex eo, quod perfecta quælibet substantia suam habet unitatem. Etenim quidquid est, eo ipso quod est, habet ut sit unum. Ergo ubi differentes sunt substantiæ, unitates quoque differunt ; adeoque multæ sunt, et numerum efficiunt. « Da tu, inquit ille [3], consequentia perfectæ deitati, humanitatique perfectæ. Da quod est proprium consubstantiali Deo Patri, sapientiæ, et consubstantiali nobis carni animatæ anima rationali. Redde suis rebus proprium numerum. Non auferas quantitatem, si substantiam (substantiarum) perfectionem confiteri non simulas. Ubi enim perfectio secundum substantiam, illic et substantiarum quantitas : ubi unitio inconfusa, illic et numerus unitorum. Omnis vero substantia simul

(1) Just. in conf. fid. in append. 5. Syn. p. 350. Ἴστωσαν τοίνυν ὅτι ὁ ἀριθμὸς ὅταν μὲν ἐπὶ διαφόρων προσώπων, ἢ ὑποστάσεων λέγεται, τῶν πραγμάτων αὐτῶν τὴν ἀνὰ μέρος ἔχει διαίρεσιν, οἷον ὡς ἐπὶ δύο, ἢ πλειόνων ἀνθρώπων· ὅταν δὲ ἐπὶ ἡνωμένων πραγμάτων, τηνικαῦτα μόνῳ λόγῳ, καὶ θεωρίᾳ, οὐ μὴν αὐτῶν τῶν πραγμάτων ἔχει τὴν διαίρεσιν, οἷον ἐπὶ μιᾶς ὑποστάσεως ἀνθρώπου ἐκ ψυχῆς, καὶ σώματος συνεστώσης. Δύο γὰρ καὶ ἐνταῦθα φύσεις θεωροῦνται, ἑτέρα μὲν τῆς ψυχῆς, καὶ ἑτέρα τοῦ σώματος. Καὶ ὅμως οὐ διὰ τοῦτο εἰς δύο ἀνθρώπους διαιρεῖται, ἀλλὰ ἕνα ἴσμεν τὸν ἄνθρωπον, καὶ μίαν αὐτοῦ τὴν ὑπόστασιν.

[1] Tom. 4. Bib. col. 461. A. — [2] Col. 485. et seq.

[3] Rust. contra Aceph. tom. 4. Bib. col. 808. B.

accipit et esse, et una esse, et sic una, ut uni collata duas impleat unitio adjecta, non numerus interemptus. »

Et in eodem libro[1] : « Assumpsit igitur, *inquit*, cum substantia nostræ naturæ perfectæ, etiam quantitatem ; pro qua eum unum hominem vocat Apostolus, et hoc sæpe. Hæc igitur perfectæ nostræ naturæ integra unitas integræ divinitatis unitati concurrens, dualitatem naturarum rationabiliter coadimplet. »

XIII. Nondum omnis exhausta copia est eorum, quæ de numero naturarum ex antiquorum theologorum monumentis excerpsimus. Ac primum insignem Leontii eruditissimi scriptoris locum præterire religio est, ex libro Solutionis argumentorum Severi. In quo inter cetera objicienti hoc Acephalo, numerum binarium, et alium quemlibet, quantitatem, et divisionem habere ; ita respondet[2] : « Numerus, *inquit*, ipse per se neque dividit, neque copulat ; sed utraque recipit, secundum qualitatem habitudinis. Si enim unitates ipsas consideres, ex quibus constat numerus, in has dividitur ; si autem universitatem harum, ex his copulatur. Duo enim, et duo, verbi gratia, componunt numerum quatuor : numerus vero quatuor in duo, et duo dividitur ; quare nihil verius, quam naturam numeri nihil habere definitum, neque divisum, nec unitum ; sed in complexione rerum, et compositione hoc consistere. Ineruditum igitur est statuere, ut naturam numeri necessario sequatur divisio rerum : ac non potius naturæ rerum vel unitarum, vel divisarum numerus imponat signum declarans quantum rerum subjectarum, alia ratione, et non numero eas dividente, et copulante. » Hæc Leontius : cujus cetera non absque fructu legentur.

De hac numeri proprietate, et Monophysitarum calumnia circa ipsum, ac præsertim circa binarium, quo naturæ censentur, extant luculentæ græcorum theologorum sententiæ ab Euthymio collectæ in Panoplia, præsertim titulo decimo quinto. Sed inter cetera, miscella quædam est ex diversis Patribus, in qua superioribus ex Leontio depromptis consentanea sunt ista de binario : « (1) Calumniantur, *inquit*, binarium, tamquam prima sit divisio statim post unitatem concurrens : quanquam conjunctio sit potius duarum unitatum, et comprehendendi vim, quam habet, prima specie commonstret. Etenim non unitatum divisionem, sed e contrario unitatum aggregationem numerum definierunt harum rerum periti. Nam si hoc dixerint, binarii resolutionem in ea, ex quibus compositus est, unitionem dividere, sive cogitatione, sive actu ipso fiat, forsitan haud absurde loquantur. Verum manens in seipso binarius neutiquam est sectio, nec unitatum divisio : quin potius earum unitio est, et conjunctio. Quippe natura numeri per sese nec ad dividendum est comparata, nec ad copulandum ; sed utriusque capax est pro utentis ratione. » Ita quod lignum aliquod duorum esse cubitorum dicimus, non idcirco divisum est, et continuitatem amittit ; neque cum duodecim horas diei numerat Christus[3], eo minus continuatur diei intervallum.

XIV. Quamobrem si in istis, et aliis numeris nulla divisio consequitur ; nullam esse rationem asserit, cur hoc in naturarum binario timeatur, præsertim cum ad solam differentiam indicandam sit adhibitus. Nam nihilominus unitæ, et arctissime conjunctæ manent : quemadmodum in Trinitate personæ numerantur, nec tamen a seipsis mutuo separantur ; ut erudite copioseque disputat Basilius Epistola 43. quæ et Gregorii Nysseni nomine inscripta legitur cum hoc titulo[4] : *De differentia substantiæ, et hypostasis ad Petrum fratrem*. Quippe, « (2) Nullam in personis sectionem, vel divisionem fieri credimus, ut vel sine Patre Filius intelligatur, vel Spiritus a Filio disjungatur. »

Ex his omnibus certissima ratio conficitur, qua Eutychianorum, et Monophysitarum, ceterorumque numerum ab Incarnationis mysterio removentium argumenta dissolvuntur

(1) Apud Euth. Pan. tit. 15. pag. 622. lat. ed. Διαβάλλουσι τὴν δυάδα, ὡς πρώτην οὖσαν διαίρεσιν εὐθὺς μετὰ τὴν μονάδα προσαπαντῶσαν. Καί τοι συνάφειαν οὖσαν μᾶλλον δύο μονάδων, καὶ τὴν συλληπτικὴν ἑαυτῆς δύναμιν εὐθὺς παριστῶσαν. Οὐ γὰρ διαίρεσιν μονάδων τὸν ἀριθμὸν, ἀλλὰ τοὐναντίον σωρείαν μονάδων οἱ περὶ τὰ τοιαῦτα δεινοὶ ὡρίσαντο. Εἰ μὲν γὰρ εἴπωσιν ὅτι ἡ τῶν δύο εἰς τὰ ἐξ ὧν συνετέθη ἀνάλυσις διαιρεῖ τὴν ἕνωσιν, εἴτε καθ' ἐπίνοιαν, εἴτε κατ' ἐνέργειαν γένηται, εἰκότα ἴσως ἐροῦσι. Μένουσα δὲ ἐφ' ἑαυτῆς ἡ δυὰς οὐκ ἔστι τομὴ, οὐδὲ μονάδων διαίρεσις, εἰ μὴ καὶ μᾶλλον ἕνωσις αὐτῶν καὶ συνάφεια. Ἡ γάρ τοι φύσις τοῦ ἀριθμοῦ καθ' ἑαυτὴν οὔτε διαιρεῖν πέφυκεν, οὔτε συνάπτειν, ἀλλ' ἀμφοτέρον ἐστὶ δεκτικὴ κατὰ τὸν λόγον χρωμένου.

(2) Bas. ep. 43. pag. 810. Οὐ γάρ ἐστιν ἐπινοῆσαι τομὴν, ἢ διαίρεσιν κατ' οὐδένα τρόπον· ὡς ἢ Υἱὸν χωρὶς Πατρὸς νοηθῆναι, ἢ τὸ Πνεῦμα τοῦ Υἱοῦ διαζευχθῆναι.

[1] Ib. col. 831. et seq. — [2] Leont. tom. 4. Bibl. col. 1045. C.

[3] Joan. 11. 19. — [4] Tom. 2. Nyss. p. 460.

initio capitis hujus exposita. Siquidem omnia in hoc fere unum recidunt, ut propterea sit excludendus numerus, ne ex eo divisio, ac disjunctio naturarum oriri videatur. At hoc minime verendum esse, satis catholici illi Patres monuerunt, quos hucusque commemoravimus. Vide inter alios Joannem Damascenum in libro contra Acephalos [1].

XV. Nam quod ad Cyrillum spectat, qui in epistola secunda ad Successum *duo amplius non esse duo* scripsit, hoc illius dictum Maximus martyr in opusculo sæpius jam a nobis citato explicat sic : « (1) Nihil eum aliud velle, nisi illa, ex quibus compositio fit, tam in homine nostri simili ex anima et corpore constante, quam in incarnationis Christi mysterio, quod ex divinitate et humanitate conficitur, duo quidem esse substantiæ ratione ; quandoquidem diversa manent substantia : verum eadem illa in unitate, et unitate per se cohærentia, duo constitui, nullo modo fidei dogma permittere. »

Quod inde apparere dicit, quod Cyrillus ipse passim hoc docet, naturas integras, et proprietatibus suis naturalibus præditas sine ulla confusione permanere. Vide inter alia Cyrilli opera dialogum ejus de uno Christo [2].

Ad eumdem sensum exigendæ sunt reliquæ Patrum aliorum sententiæ, qui duas naturas utcumque dici prohibent. Illud vero Cyrilli longe explicatu difficillimum videtur, quo ex duabus naturis unitionem factam esse confitens, post unitionem nonnisi unam ait esse Verbi naturam incarnatam. Cui exponendo postmodum aliquot capita dicabimus. Nam Gregorii thaumaturgi nomine inscripta fidei expositio, unde disertissimus contra naturas duas locus opponi solitus, non illius est, sed Apollinaris, ut putat Eulogius Alexandrinus [3], de quo alibi dicetur.

CAPUT QUINTUM.

Appendix antecedentis quæstionis, utrum naturæ in Christo duæ ad quantitatem continuam, an ad discretam referantur. — 1. Leontii sententia. — 2. Tum Damasceni. — 3. Basilii dictum eo pertinens. — 4. Item Ammonii. In quibus proposita quæstio disceptatur.

I. Hujus quæstionis appendix, et consectaria est altera illa, quam Joannes Damascenus proponit, ex eoque describit Euthymius ; utrum naturarum duarum numeratio ad quantitatem *continuam* referatur, an ad *discretam*. Quam quidem ne verbo quidem attigissem, veritus ne nimis anxia et arguta videatur ; nec tam difficilis ad explicandum, quam inutilis et otiosa ; nisi jactare se in ista controversia primarios Græcorum theologos animadverterem ; quamobrem nec ista, cujusmodi est, fuit omittenda, nec tamen in longum producenda disputatio.

Sed antequam quæ de ea re Joannes Damascenus exposuit, proponam in medium, Leontii primum eruditi, ac multo antiquioris theologi expendenda ratio est. Qui in libro de Sectis, actione septima, contra *Hæsitantes* Eutychianos naturas duas propugnans, illorum usu contritum affert, ac dissolvit argumentum ; quod si duas in Christo naturas ponimus, hoc est in numerum includimus, consequens sit earum divisio. Et ut majore vi argumentationem suam instruat, mentionem injicit discretæ, quam vocant, quantitatis. (2) Etenim omnis numerus, inquit, ad discretam quantitatem refertur, quæ nihil ab divisione discrepat.

(1) MAXIM. Μονονουχὶ ἐν τούτοις διαῤῥήδην βοῶν, ὅτι τὰ ἐξ ὧν ἡ σύνδεσις, ἐπί τε τοῦ καθ' ἡμᾶς ἀνθρώπου τοῦ ἐκ ψυχῆς, καὶ σώματος, ἐπί τε τοῦ κατὰ Χριστὸν μυστηρίου τοῦ ἐκ θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος τὸ εἶναι μὲν δύο κατὰ τὸν οὐσιώδη λόγον οὐκ ἀνῄρηται. Ἐπεὶ ἑτεροούσια ἔτι μένει· τὰ δὲ καθ' αὑτὰ ἐν μονάδι, καὶ μονάδι ἰδιοσυστάτως, εἶναι δύο παντελῶς ὁ τῆς εὐσεβείας οὐ παραδέχεται λόγος.

(2) LEONTIUS de Sectis act. 7. pag. 519. E. Εἰ δύο φύσεις λέγετε, διαίρεσιν εἰσάγετε. Ἀριθμὸν γὰρ εἰσάγετε. Ὁ δὲ ἀριθμὸς τοῦ διωρισμένου ἐστὶ ποσοῦ.

[1] Pag. 570. et seq. — [2] Maxime pag. 735.

[3] Apud Phot. cod. 230. pag. 445.

Respondet huic Leontius : Non omnem numerum discretæ esse quantitatis, sed de continuis etiam usurpari ; ut cum lignum quinquecubitale dicitur ; et Aristoteles tempus definit numerum motus : quod utique continuum est. Quare « (1) duplicem numerum » constituit, « alterum in continua quantitate, alterum in discreta. » Quanquam si loqui proprie volumus, negat binarium continuæ quantitatis in Christo locum habere. Continuum enim dicitur, cujus partes communi termino copulantur : non possunt autem partes in divinitate reperiri, quæ cum corpore termino aliquo copulentur. Et vero continuum in solis magnitudinibus cernitur. Quare discreta quantitas est attribuenda Christo. « (2) Discretum autem dicitur non illud solum, quod prorsus est divisum ; sed illud etiam quod sic unitum est, ut suam quamdam rationem, qua distinguitur, servet. »

II. Venio nunc ad Joannem Damascenum, qui illam, uti dixi, quæstionem pertractat ; indeque Euthymius exscripsit : et adjecit aliqua, quæ in vulgatis Damasceni editionibus non comparent. « (3) Quod si quis, *inquit*, interroget de Domini naturis, utrum ad quantitatem continuam, an ad discretam referantur ; dicemus (hactenus in græco Euthymii, quod apud Damascenum deest ; cetera apud hunc leguntur) naturas Domini nec unum esse corpus, neque superficiem unam, neque lineam, neque locum, neque tempus ; ut sub quantitate continua reponantur. Hæc enim sunt, quæ in quantitate continua numerantur. Porro naturæ istæ Domini citra confusionem ullam, hypostasi copulantur : dividuntur autem indivise ratione, ac modo differentiæ. Atque illo quidem modo, quo uniuntur, neutiquam numerantur. Non enim hypostases duas dicimus Christi, vel duo hunc esse hypostasi. Quatenus autem indivise dividuntur, numerantur. Sunt enim naturæ duæ ratione, ac modo differentiæ. Etenim hypostasi conjunctæ, et in se mutuo existentes, citra confusionem uniuntur, etc. »

« Igitur solo differentiæ modo numeratæ, sub quantitatem discretam revocabuntur. Fieri enim non potest, ut quæ nulla re differunt, numerentur : sed qua ratione differunt, eadem numerantur, etc. Quare differentia causa est numeri. »

Hactenus Joannes Damascenus : cujus verba, quamvis paulo longiora, hic describenda putavimus, eo quod plene hanc omnem controversiam, eruditeque dissolvunt. Jam quod Christum ad quantitatem discretam spectare vult, negat ad continuam, respectum habet ad naturas, quæ sic unitæ sunt, ut tamen differant, ideoque numerentur. At eædem, ut unam faciunt hypostasim, apud Euthymium in Panoplia ad continuam revocantur. Quippe inter veterum sententias, hanc nullius nominatim editi scriptoris recenset : « (4) Duas in Christo naturas mentis quidem consideratione quantitatis discretæ dici a nobis, utpote cogitatione sola divisas ; reipsa vero quantitatis continuæ, tanquam re minime divisas. » Etenim naturæ illæ inter se copulatæ unum efficiunt, et μονάδα τῆς ὑποστάσεως, id est *unitatem hypostasis, sive personæ* ; quæ ad quantitatem continuam revocatur a Græcis, non proprio, et accurato vocis illius usu, sed latiori significatione, qua id continuum dicitur, quod unum est, et indivisum, ac nulla sectione interruptum. Qua licentia Basilius « (5) hypostaseon differentiam naturæ continuitatem non distrahere » in Trinitate scripsit. Quis *continuitatem*, id est *quantitatem continuam*, in divina substantia vere, ac serio collocandam existimet ? Sed hæc abusione quadam vocis usurpantur, in quam severe nimis, et anxie neutiquam inquirere oportet.

(1) LEONT. ibid. pag. 520. Διττὸς οὖν ὁ ἀριθμὸς, καὶ ἐπὶ τοῦ διωρισμένου, καὶ ἐπὶ τοῦ συνεχοῦς λεγομένου ποσοῦ.

(2) Ibid. Ἀλλ' ἐπὶ τοῦ διωρισμένου ποσοῦ δέον παραλαμβάνειν ἐνταῦθα τὸν ἀριθμόν. Διωρισμένων γάρ ἐστιν οὐ πάντως τὸ καθάπαξ διῃρημένον, ἀλλὰ καὶ ἡνωμένον, πλὴν τὸν οἰκεῖον λόγον διακρινόμενον ἀποσῶζον.

(3) DAMASC. lib. 4. cap. 9. de Fide, apud Euth. Panopliæ par. 2. tit. 15. pag. 615. lat. edit. Εἰ δέ τις ἐρωτῶν εἴη περὶ τῶν τοῦ Κυρίου φύσεων, εἰ ὑπὸ τὸ συνεχὲς ποσὸν ἀναφέροιντο, ἢ ὑπὸ τὸ διωρισμένον· ἐροῦμεν ὅτι αἱ τοῦ Κυρίου φύσεις οὔτε ἓν σῶμά εἰσιν, οὔτε ἐπιφάνεια μία, οὔτε γραμμὴ, οὐ τόπος, οὐ χρόνος, ἵνα ὑπὸ τὸ συνεχὲς ποσὸν, ἀναχθῶσι. Ταῦτα γάρ εἰσι τὰ συνεχῶς ἀριθμούμενα. Ἥνωνται δὲ αἱ τοῦ Κυρίου φύσεις ἀσυγχύτως καθ' ὑπόστασιν, καὶ διῄρηνται ἀδιαιρέτως λόγῳ, καὶ τρόπῳ τῆς διαφορᾶς· καὶ ᾧ μὲν τρόπῳ, ἥνωνται, οὐκ ἀριθμοῦνθαι. Οὐ γὰρ λέγομεν δύο ὑποστάσεις εἶναι τὰς φύσεις τοῦ Χριστοῦ, ἢ δύο κατὰ τὴν ὑπόστασιν. Ὧ δὲ τρόπῳ ἀδιαιρέτως διῄρηνται, ἀριθμοῦνται. Δύο γάρ εἰσι φύσεις λόγῳ, καὶ τρόπῳ τῆς διαφορᾶς, ἡνωμέναι γὰρ καθ' ὑπόστασιν, καὶ ἐν ἀλλήλαις περιχωροῦσαι ἀσυγχύτως ἥνωνται, etc. Τῷ τρόπῳ τοίνυν τῆς διαφορᾶς, καὶ μόνῳ ἀριθμούμεναι ὑπὸ τὸ διωρισμένον ποσὸν ἀναχθήσονται. Ἀδύνατον γὰρ τὰ κατὰ μηδὲν διαφέροντα ἀριθμεῖσθαι. Καθὸ δὲ διαφέρουσιν, κατὰ τοῦτο ἀριθμοῦνται, etc. Ὥστε ἡ διαφορὰ αἰτία τοῦ ἀριθμοῦ.

(4) EUTH. Panop. par. 1. tit. 7. pag. 144. lat. Ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ τὰς δύο φύσεις ἐπινοίᾳ μὲν τοῦ διωρισμένου ποσοῦ λέγομεν, ὡς ἐπινοίᾳ μόνῃ διαιρούμενα· πράγματι δὲ, τοῦ συνεχοῦς, ὡς ἀδιαιρέτους πράγματι.

(5) BASIL. ep. 43. pag. 810. C. Οὔτε τῆς τῶν ὑποστάσεων διαφορᾶς τὸ τῆς φύσεως συνεχὲς διασπώσης.

III. Est ea de re præclarus ejusdem Basilii locus in libro de Spiritu sancto, capite 17. ubi de sanctæ Trinitatis personis agit : « (1) Quænam res, *ait*, ex omnibus ab sua natura descivit unquam pro eo quod numeraretur ? An non potius quæ numerabilia sunt, manent ejusmodi, qualia natura sua ab initio comparata sunt : porro numerus tanquam signum aliquod ad discernendum rerum subjectarum multitudinem a nobis adhibetur ? Si quidem corporum alia numeramus, alia metimur, alia ponderamus ; atque illa quidem quorum natura continua est, mensura comprehendimus, numero vero subjicimus ea quæ sunt discreta natura. » Igitur nulla fit ex numero mutatio nec in divinis personis, divinave substantia, nec in duabus Christi naturis ; ac numero subjiciuntur illa quidem, quæ utrobique differentia aliqua censentur : nec in re ipsa dividuntur, hoc est separantur ; sed ut sunt natura, manent : ac nonnisi τῇ ἐπινοίᾳ, id est *ratione cogitationeque* discriminantur : cujusmodi διαίρεσις interdum vocatur, ut solam distinctionem, et eam plerumque, quæ humana sola constat mente, significet.

IV. Postremo, ne quid ad subtilem istam contemplationem desit ; observabimus ex Ammonio, docto et acuto Peripatetico, *discretam*, ut appellant, quantitatem in duplici esse discrimine. Nam alia est quæ per se, absoluteque dicitur : alia quæ ad aliud refertur. Prioris generis est numerus, cum per se ipse consideratur, sine ullo ad aliud respectu, ut cum parem, vel imparem spectamus illum ; posterioris vero est idem numerus, secundum proportionem consideratus, quam habet ad alterum numerum : cujusmodi in harmonia, et musica tractatur. Addit denique « (2) τὸ διωρισμένον, hoc est *quantitatem*, discretam esse, cujus partes per se ipsæ considerantur, adeo ut non se invicem trahant : » hoc est non ita connexæ sint, ut se mutuo consequantur, quando una posita, altera ponitur ; quod quidem in iis rebus cernitur, quæ σχέσει et habitudine mutua colligantur. Hac ratione naturæ duæ Christi non pertinebunt ad discretam quantitatem, istius saltem generis ; quoniam humana natura cum divina cohæret, nec per se sola consideratur, quatenus existit, ac subsistit *actu* ; sed in potiore, ac per ipsam.

CAPUT SEXTUM.

De celebri sententia Cyrilli Alexandrini : *Ex duabus naturis unitionem esse factam : post unitionem vero unam esse naturam Verbi incarnatam in Christo.* — 1. Consilium tractandæ istius quæstionis. — 2. Quibus in locis sententiam illam Cyrillus expresserit. — 3. Quam Catholici postea frequenter usurparunt. — 4. An et antiquiores Cyrillo eadem usi sint, quæritur. — 5. Complures affirmant, præsertim de Athanasio ; — 6. aliis negantibus Athanasium ita locutum, ut Leontio ; — 7. quod valde probabile esse m nstratur ; — 8. sed neque Gregorius thaumaturgus ita scripsit. Falso illi tribuitur expositio fidei ἡ κατὰ μέρος. — 9. Idem et de Julio papa probatur, cujus supposititia quædam epistola circumferebatur, quæ erat Apollinaris, — 10. et ejus dogmati favebat. — 11. De aliis ejusdem epistolis, deque Erechthio hæretico. — 12. Eutychiani illam ipsam Cyrilli sententiam falso interpretantes sæpius inculcabant.

I. Incredibile est dictu, quantis in Ecclesia motibus, ac plusquam civilibus discordiis una illa sit excepta vox Cyrilli Alexandrini, postquam, Eutyche auctore, nefaria Monophysitarum secta maximum, ac periculosissimum bellum, et propemodum exitiale non longo post Nestorium intervallo redintegravit. Etenim ille potissimum ex Cyrilli verbis istis aliter, atque is intellexerat, acceptis, ac depravatis occasionem sumpsit novæ comminiscendæ hæresis, vel ejus potius, quam ex Ario, et Apollinari conceperat, instaurandæ, ac roborandæ.

Sane vix unquam Eutychis asseclæ vel opi-

(1) Basil. tomo 2. pag. 187. C. Τί τῶν πάντων ἐξέστη ποτὲ τῆς ἑαυτοῦ φύσεως ἀριθμούμενον ; ἀλλ' οὐχὶ τὰ ἀριθμητὰ διαμένει οἷα πέφυκεν ἐξ ἀρχῆς· ὁ δὲ ἀριθμὸς σημεῖον γνωριστικὸν τοῦ πλήθους τῶν ὑποκειμένων παρ' ἡμῶν ἐφαρμόζεται ; τῶν γὰρ σωμάτων, τὰ μὲν ἀριθμοῦμεν, τὰ δὲ σταθμώμεθα, καὶ ὧν μὲν συνεχὴς ἡ φύσις, μέτρῳ καταλαμβάνομεν, ὧν δὲ διωρισμένη, τῷ ἀριθμῷ ὑποβάλλομεν.

(2) Ammon. in Porph. voces, fol. 9. pag. 1. Διωρισμένον δέ ἐστιν, οὗ τὰ μόρια καθ' αὑτὰ θεωρεῖται, ὡς μὴ συνεφέλκεσθαι ἀλλήλοις.

nionis suæ rationem reddiderunt ; vel de ea cum Catholicis in certamen, ac disputationem venerunt, quin ad illud dictum Cyrilli, velut ad arcem, et propugnaculum, confugerent. Contra quos Catholici ipsi pro Cyrillo, uti par erat, non minus quam pro fidei integritate certantes, varias in sententias, interpretationesque distracti sunt ; ut appareat et difficile ad explicandum visum esse pronuntiatum illud, et in eo Christianæ professionis haud leve esse momentum arbitratos fuisse. Cujus rei magno sunt indicio multæ ab ipsis, ac bene longæ ad illius declarationem vel ex professo scriptæ disputationes, vel libris suis inculcatæ, et intextæ, quorum alterutrum nemo fere prætermisit, qui adversus Eutychianam hæresim post Chalcedonense concilium scripti aliquid elucubravit.

Ea re nos adducti, quæ de tanta controversia illorum ex monimentis notata diligenter habebamus, hunc in locum conjecimus ; nihil utilius conferri a nobis rati posse theologorum nostrorum studiis, quam si acerrimis summorum virorum contentionibus agitatam, ac nobilitatam quæstionem tum magis notam, et perspectam opera nostra, tum explicatiorem haberent. Hoc ut via quadam, et ordine faciam, tria constituam capita disputationis istius, ac primum de sententiæ illius auctoribus agam, orsus ab Cyrillo : tum de illius variis interpretandi modis, et catholicorum inter se conflictione dicam. Postea causas inquiram, quæ obscuram adeo ab Cyrillo locutionem expresserint : deque proprio, ac vero illius sensu verba faciam.

II. Cyrillus in priore ad Successum epistola, Incarnationis modum ita declarat, ut « (1) naturas duas inter se convenisse » dicat, « indivisa unitione citra confusionem, et conversionem, etc. Verum post unitionem non dividimus naturas a se mutuo, neque in duos secamus filios illum, qui unus est, et individuus. Sed unum dicimus Flium, et, quemadmodum locuti sunt Patres, unam naturam Dei Verbi incarnatam. » Post exemplum de homine, deque conjunctione corporis, animæque rationalis assumit, quæ cum duæ sint naturæ, non tamen duo existunt ex illis homines.

Idem in secunda ad Successum epistola, cum Orientales dictum illud improbassent, magno id studio propugnat, et explicat, asseverans, « (2) Utroque manente, et intellecto in naturali proprietate, eo modo, quem verbis explicare, effarique non possumus, unitum Dei Verbum unam nobis ostendisse Filii naturam, sed incarnatam. » Atque hoc exemplo itidem hominis confirmat ex anima et corpore conflati, « (3) Quæ duæ partes, cum diversæ sint specie, nec ejusdem inter se substantiæ, unitæ tamen unam hominis naturam efficiunt. » Sic in libro secundo contra Nestorium, « (4) Una, *inquit*, intelligitur natura post unitionem Verbi ipsius incarnata. » Cui similiter exemplum hominis adtexit.

In commonitorio quoque ad Eulogium : « (5) Nos, *inquit*, postquam ista copulavimus, (nempe Verbum et carnem,) unum Christum, unum Filium eumdem, unum Dominum confitemur, et unam postremo Dei naturam incarnatam. » Neque ductam ex homine similitudinem omittit. In epistola item ad Acacium Melitinensem, « (6) post unitionem unam naturam *ait* esse Verbi, sed hominis facti, et incarnati. » Hæc præcipua loca sunt, in quibus Cyrillus locutionem istam usurpavit.

III. Post Cyrillum deinceps hanc sententiam Catholici, tanquam fidei tesseram, adamarunt, Græci præsertim : qui, ut paulo ante memini, strenue adversus hæreticos illam tutati sunt, et ab eorum calumniis, ac falsis interpretationibus vindicarunt. (7) Imo vero summam in ea contineri putarunt catholicæ totius mysterii professionis. Chalcedonensis certe synodus, etsi vocem ejusmodi in suo fidei decreto non posuit, eam tamen non obscure probavit eo ipso, quod Flaviani Constantinopolitani epi-

(1) Cyr. tom. 5. par. 2. pag. 137. Ὁρῶμεν ὅτι δύο φύσεις συνῆλθον ἀλλήλαις καθ' ἕνωσιν ἀδιάσπαστον ἀσυγχύτως, καὶ ἀτρέπτως, etc. Μετὰ μέντοι τὴν ἕνωσιν, οὐ διαιροῦμεν τὰς φύσεις ἀπ' ἀλλήλων, οὐδὲ εἰς δύο τέμνομεν υἱοὺς τὸν ἕνα, καὶ ἀμέριστον, ἀλλ' ἕνα φαμὲν Υἱὸν, καὶ, ὡς οἱ πατέρες εἰρήκασι, μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένην.

(2) Id. ep. 2. pag. 143. Ἀλλ' ἐν ἰδιότητι τῇ κατὰ φύσιν ἑκατέρου μένοντος, καὶ νοουμένου, κατά γε τὸν ἀρτίως ἡμῖν ἀποδοθέντα Λογον, ἀῤῥήτως, καὶ ἀφράστως ἑνωθεὶς, μίαν ἡμῖν ἔδειξεν Υἱοῦ φύσιν, πλὴν, ὡς ἔφην, σεσαρκωμένην.

(3) Ibid. Ἑτεροειδῆ μὲν γὰρ τὰ τοιαῦτα, καὶ ἀλλήλοις οὐχ ὁμοούσια, ἑνωθέντα γε μὴν μίαν ἀνθρώπου φύσιν ἀπετέλεσαν.

(4) Id. lib. 2. cont. Nest. tom. 6. pag. 31. Μία γὰρ ἤδη νοεῖται φύσις μετὰ τὴν ἕνωσιν ἡ αὐτοῦ τοῦ Λόγου σεσαρκωμένη.

(5) Id. p. 133. Ἡμεῖς γὰρ ἑνώσαντες ταῦτα, ἕνα Χριστὸν, ἕνα Υἱὸν τὸν αὐτὸν, ἕνα Κύριον ὁμολογοῦμεν, καὶ λοιπὸν μίαν τὴν τοῦ Θεοῦ φύσιν σεσαρκωμένην.

(6) Id. pag. 115. Μετὰ δέ γε τὴν ἕνωσιν, ὡς ἀνῃρημένης ἤδη τῆς εἰς δύο διατομῆς, μίαν εἶναι πιστεύομεν τὴν τοῦ Υἱοῦ φύσιν, ὡς ἑνὸς πλὴν ἐνανθρωπήσαντος, καὶ σεσαρκωμένου.

(7) Max. in disp. cont. Pyr. pag. 763. edit. Baron. in calce tom. 8. Τὴν μίαν τοῦ Θεοῦ Λόγου φύσιν σεσαρκωμένην περιεκτικὴν πάσης τῆς τοῦ μυστηρίου οὖσαν εὐσεβείας.

scopi professionem fidei, quam Theodosio imperatore postulante eidem obtulit, recitari voluit, auditamque sua auctoritate firmavit, ut argumentatur Eulogius Alexandrinus patriarcha[1]. Qui Chalcedonense concilium ait, etsi verbis iisdem usum non est, iis ipsis tamen geminas, et consentaneas adhibuisse voces in illa, quam edidit, fidei formula, dum ex duabus naturis extitisse Christum asserit[2], sine confusione, mutatione, divisione, ac separatione : ita ut neutiquam naturarum, propter unitionem, sit sublata differentia, sed servetur potius utriusque naturæ proprietas, et in unam personam, atque hypostasim unam concurrat. Tum vero Cyrilli locutioni illi assensum esse, quatenus « (1) Flaviani libellum, ab eo propria manu conscriptum, et oblatum imperatori Theodosio, ante omnia recitari voluit. » Extat libellus iste in actis Chalcedonensis synodi[3], in quo unam ait esse Dei Verbi naturam incarnatam, et hominem factam. Rursus postea[4] cum Ephesini latrocinii acta legerentur in Chalcedonensi concilio, atque Eustathii Berytensis verba recitarentur, quibus Cyrilli sententiam illam protulerat, reclamatum est ab Orientalibus, qui hujusmodi esse hæresim Dioscori jactabant. Sed instante Eustathio, ac tum Cyrilli auctoritate, tum Flaviani Orientales urgente, suffragantibus Ægyptiis, tandem a Patribus approbata est Flaviani confessio. Porro Synodus ipsa in fidei decreto, idcirco videtur ab illa voce *Incarnatæ unius naturæ Verbi* abstinuisse, ne Orientales alienaret, eorumque cum Ægyptiis instauraret jurgia ; præsertim cum eamdem vim haberent verba illa, quibus decretum conceptum est.

Quinta vero Synodus idem Cyrilli dictum admisit, dum Justiniani professionem contra tria Capitula recepit, in qua illud usurpatur[5], et in nono anathematismorum eidem professioni subjectorum exponitur[6]. Postea in synodo Lateranensi prima sub Martino[7], damnatur anathemate, *Si quis secundum sanctos Patres, non confitetur proprie, et secundum veritatem, unam naturam Dei verbi incarnatam,* etc. Deinceps autem frequentiore in usu theologorum locutio ista versata est, ut ex Ephræmii, Eulogii, Maximi martyris, ac ceterorum scriptis liquet, quorum in sequentibus testimonia citabimus.

IV. Sed de posterioribus Cyrillo Patribus nulla dubitatio est, quin sæpe, ac libenter eam vocem adhibuerint, et diligenter explicare conati sint. De antiquioribus Cyrillo nec levis, nec sane hic omittenda quæstio est : fuerintne sic aliqui locuti. Ac Cyrillus quidem tum generatim auctoribus se Patribus ita dixisse scribit, tum nominatim Athanasium laudat. Quorum prius videre licet in priore ad Successum epistola, cujus locum paulo ante descripsimus[8] : in quo sententiam illam exprimit *unius incarnatæ naturæ, uti Patres locuti sunt*, ὡς οἱ πατέρες εἰρήκασιν. Posterius autem in libro ad Reginas, et ad anathematismum octavum contra Orientales ; sed in libro ad Reginas[9] integrum fragmentum Athanasii ex libro de Incarnatione descriptum legitur ; in defensione vero anathematismi octavi[10] brevis tantummodo ex illo fragmento particula decerpitur. Editumque est et ipsum fragmentum inter Athanasii spuria, tomo secundo editionis Comelianæ[11].

Ephræmius Antiochenus patriarcha apud Photium[12] scribit, hæreticos objicere solitos Gregorium Neocæsareæ episcopum, qui est thaumaturgus, Athanasium, Julium, Cyrillum, et Erechthium, « unam naturam Dei Verbi incarnatam » dixisse. Quod adeo verum esse confitetur, ut illorum mentem explicet, quanquam de Erechthio non multum curet, utpote hæretico. Eosdem commemorat Eulogius Alexandrinus[13], præter Erechthium ; nec de Athanasio cunctatur, quin germanum sit illius opus, unde vox ista desumpta sit : de Gregorio thaumaturgo, et Julio non plane assentitur.

Ad hæc Basilius episcopus Seleuciensis in concilio Constantinopolitano, quod sub Flaviano contra Eutychem celebratum est, (2) Athanasii dictum illud vulgo ferri monuit ; *unam naturam Verbi incarnati.* Item et de Athanasio refert Joannes Damascenus[14], ut et

(1) Eulog. loco cit. Ἀλλὰ καὶ ἐκ τοῦ λιβέλλου, ὃν ἔγραψε μὲν οἰκείᾳ χειρὶ ὁ θεσπέσιος Φλαβιανὸς, ἐπιδέδωκε δὲ Θεοδοσίῳ τῷ βασιλεῖ, ἡ δὲ σύνοδος πρὸ τῶν ἄλλων, ταύτην ἔκρινεν ἀναγνωσθῆναι.

(2) In Chalc. syn. act. 1. pag. 153. Ὅτι καὶ τοῦ ἁγίου Ἀθανασίου φέρεται μίαν φύσιν τοῦ Λόγου σεσαρκωμένου·

[1] Eulog. apud Phot. cod. 230. pag. 444. — [2] Vide Chalced. Con. Act. 5. pag. 440. et lib. 3. antec. c. 6. — [3] Par. 1. p. 4. — [4] Act. 1. Chalc. Synod. pag. 93. et seq. — [5] In Syn. 5. p. 347. et seq. — [6] Ib. 356.

[7] Later. Synod. sect. 5. pag. 733. — [8] § 2. — [9] Tom. 5. par. 2. Op. Cyr. pag. 48. — [10] Tom. 6. Cyr. pag 178. — [11] Pag. 36. — [12] Cod. 229. pag. 425. — [13] Ap. Phot. cod. 230. p. 445. — [14] Lib. 3. de fide, cap. 6. sub fine.

Theorianus in Legatione [1]. Nos de veteribus istis Cyrillianæ illius sententiæ auctoribus habitis paulo accuratius disputabimus, maxime de Athanasio ; de quo præcipua, longeque difficillima quæstio nascitur.

V. Athanasium igitur id, quod ab Cyrillo postea celebratum est, in quodam de Incarnatione tractatu scriptum reliquisse, *unam esse naturam Dei Verbi incarnatam*, diserte Cyrillus affirmat ; et post eum catholici illi Patres, quos enumeravimus. At Leontius Byzantinus, gravissimus, et eruditissimus scriptor, qui centum fere annis post Cyrillum floruit, prorsus negat, illud ab Athanasio esse proditum ; sed Apollinaris potius hæretici illum esse tractatum asserit, quem pro Athanasii germano fœtu Cyrillus attulit. Quem etiam primum e Catholicis dictum illud usurpasse dicit. Verba Leontii ex libro de Sectis sunt hujusmodi, post sententiæ illius explanationem : « (1) Sciendum est vero, primum ex orthodoxis sanctum Cyrillum usurpasse vocem istam, unam naturam Dei Verbi incarnatam. Diximus, ex orthodoxis : quoniam Apollinaris sæpe illa est usus. Unde et B. Cyrillus ab Orientalibus Apollinarista est habitus. Non erat tamen. Neque enim par est omnia, quæcumque dicuntur ab hæreticis, funditus repudiare : sed ea solum, quæ mala sunt, rejicere. » Postea nonnullis interjectis, de Athanasii testimonio ab Cyrillo allato accurate disputat : quod quidem Athanasii non esse confirmat, « (2) Neque qui eo utuntur, interrogatos ubi tandem extet, certi aliquid respondere posse : atque in angustum redactos, parvulum tractatum proferre foliorum circiter duorum, in quo illa sententia continetur. Verum notum hoc omnibus esse, omnia Athanasii scripta valde esse longa. »

Atenim objicit sibi, Cyrillum aiunt illo usum esse contra Theodorum Athanasii testimonio. Respondet, etsi in Cyrilli adversus Theodorum scriptis legatur, vetus esse mendum, ac fortasse Dioscorum Cyrilli successorem non dubitasse ejus operibus illud inserere. Cujus rei argumento est, quod Theodoretus in defensione Theodori, cum antiquorum loca omnia, quæ Cyrillus contra eumdem Theodorum adduxerat, refelleret, nullam mentionem illius fecerit. Ac cum Cyrillus alibi vocem eamdem usurpasset, si eam Theodoretus scisset ab illo, tanquam ex Athanasio, prolatam fuisse, non tam imperitus fuisset, ut hoc adversus illum scriberet : « Ecquis tibi Patrum istud unquam dixit, unam naturam Dei Verbi incarnatam ? » Hæc Leontius : quæ nonnihil obscuritatis habere videntur, et sic intelligi debent. Scripsit adversus Theodorum Mopsuestenum opus quoddam Cyrillus[2], in quo Patrum antiquorum sententias collegit illius dogmati, quod idem cum Nestoriano fuit, adversas. Respondit Cyrillo pro Theodoro Theodoretus, et Patrum testimonia declaravit : nec inter ea meminit usquam illius ex Athanasio petiti de una natura incarnata. Porro alio in loco, cum Cyrillus eamdem hanc vocem ex seipso protulisset, Theodoretus acerbe in illum est invectus, ac de eo sciscitatus est, quis sic illum ex antiquis Patribus loqui docuisset. Nec illa pro Theodoro, et contra Theodorum amborum scripta, neque posteriora, in quibus de una incarnata natura contendebant, extant hodie, nisi, quod ad hæc attinet, Cyrilli quidem ad Successum epistolas duas, opus illud esse velit Leontius, in quo sententiam istam ex seipso Cyrillus posuit : Theodoretus vero alio in libro easdem confutarit epistolas, et dicti illius auctorem ex antiquis poposcerit.

VI. Præterea Leontius idem in libro *adversus eos, qui Apollinarii nonnulla proferunt falso inscripta nomine sanctorum Patrum* [3], scribit « quosdam ex hæresi Apollinarii, vel Eutychis, vel Dioscori, cum vellent suam hæresim confirmare, quasdam orationes Apollinarii Gregorio thaumaturgo, aut Athanasio, aut Julio inscripsisse, ut simpliciores fallerent : quod quidem perfecerunt. » Ac subinde inter Athanasii supposititias lucubrationes de Incarnatione, ab Apollinaristarum officina profectas recenset unam, quæ sic inscribitur : *Expositio consentiens cum expositione trecen-*

(1) Leontius de Sect. act. 8. tom. 11. bibl. p. 526. Ἰστέον δὲ, ὅτι πρῶτος ἐν ὀρθοδόξοις τὸ, μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένην, εἶπεν ὁ ἅγιος Κύριλλος· ἐν ὀρθοδόξοις δὲ εἴπομεν· ἐπειδὴ ὁ Ἀπολλιναριος πολλάκις ἔλεγε τοῦτο. Ὅθεν καὶ ἐνομίσθη ὁ ἅγιος Κύριλλος παρὰ τῶν ἀνατολικῶν Ἀπολλιναριστὴς εἶναι. Οὐκ ἦν δὲ. Οὐδὲ γὰρ δέον ἐστὶ πάντα, ὅσα λέγουσιν οἱ αἱρετικοὶ πάντως μὴ δέχεσθαι. Τὰ δὲ κακὰ ἀποβάλλεσθαι.

(2) Ibid. Ἔπειτα δὲ οὐδ' ἔστι τοῦ ἁγίου Ἀθανασίου. Ἐρωτώμενοι γὰρ παρ' ἡμῶν ποῦ κεῖται, καὶ μὴ εὐποροῦντες δεῖξαι, στενοχωρούμενοι παραφέρουσι μικρόν τινα λόγον ὡς δύο φύλλων, ἐν ᾧ κεῖται αὕτη ἡ χρῆσις. Δῆλον δὲ πᾶσιν ὅτι πάντα τὰ συγγράμματα τοῦ ἅγιου Ἀθανασίου πάνυ μεγάλα εἰσίν.

[1] Tom. 11. Bib. p. 461. A. — [2] Vide supra lib. 1. c. 11. § 6.

[3] Tom. 4. Bibl. PP. col. 1031. p. 2.

torum decem et octo. Qui titulus præfixus est fragmento illi, quod ex Athanasio descripsit Cyrillus, in editione Francisci Turriani, qui ex vetusto codice in latinum conversam ἔκθεσιν illam edidit, ut habes in fine libri Theodori presbyteri Raithuensis in tomo undecimo Bibliothecæ Patrum[1]. Quare pro certo habuit Leontius, non esse germanum Athanasii, quod ejus insignitum nomine Cyrillus protulit, sed Apollinari potius tribuendum.

Anonymus auctor Collectaneorum contra Severianos et Acephalos ab Turriano editus[2], fragmentum quoddam *Apollinarii* citat *ex epistola Athanasii ad Jovinianum imperatorem*, quod est principium illius ab Cyrillo laudati, in quo *una natura Dei Verbi incarnata* legitur. Ex quo suspicari aliquis possit, Apollinarii locum illum ex anonymi istius opinione, Athanasio attributum esse, tanquam ad epistolam pertineret, quam ad Jovianum imperatorem scripserat. Scripsit enim revera ad Jovianum Athanasius ab eodem rogatus, qui certam, et sinceram fidei formulam ab ejus fidissimo vindice ac propugnatore petendam sibi esse duxerat. Ea extat inter Athanasii opera[3]. Sed aliam eodem titulo publicatam ab hæreticis constat tum ex anonymo isto, tum ex Ephræmio Antiocheno, ut alias scripsimus[4]. Et hanc ipsam supposititiam epistolam ostendit anonymus, illud de quo agimus, Cyrilli fragmentum habuisse. Subjicit anonymus idem, « Hæc tanquam Athanasii recitata, si quis studiosus veritatis est, conferat cum reliquis Athanasii dogmatibus, et reperiet dissimilia esse. Etsi igitur hæc a dogmatibus Athanasii discrepant, et propinqua sunt dogmatibus Apollinarii, et hæc collatio satis est ad demonstrandam veritatem ; nos tamen supposita collatione veritatem tenemus lecto indice Timothei, ut supra diximus. » Dixerat autem paulo antea « sermonem illum perperam inscriptum Athanasio, cum sit plane Apollinarii, ut testatur index librorum et sermonum Apollinarii, quem Timotheus discipulus ejus conscripsit. » Scripserat ergo Timotheus Apollinarista indiculum operum magistri sui, et in eo opusculum illud falso inscriptum Athanasio recensuerat. Sic anonymus collector.

VII. Ex iis potest animadverti, quam perplexus, ac pene inextricabilis sit nodus iste, quamque difficilis conjectura sit in alterutram partem. Etenim cum et ab Cyrillo locus ille, tanquam ex Athanasio, bis allatus fuerit ; et ea sententia, quæ in eodem legitur, sæpius usus ipse sit ; quod extra controversiam est : profecto vix credibile est, tam erudito viro, et Alexandriæ, hoc est ejusdem urbis, cui ante annos haud adeo multos præfuerat Athanasius, episcopo, tam facile imponi, illudique potuisse, ut aliena, et ab hæretico homine dictata Athanasii nomine venditaret. At ex adverso multum illa me movent, et ab assentiendo deterrent, quæ ex Leontio retuli. Sed nec istud facile persuadere mihi possum, Athanasium, qui in iis libris, quos de Incarnatione commentatus est, Apollinaris hæresim tum maxime grassari incipientem oppugnandam sumpserat : (ut ex iis constat, qui de hoc argumento scripti ab illo supersunt libri, præsertim ex celebri illa ad Epictetum epistola, quam integram Epiphanius exscripsit in Dimœritarum, sive Apollinaristarum Hæresi, quæ est septuagesima septima ;) talem, inquam, ac tantum virum non arbitror, contra Apollinaris dogma certantem, hujusmodi sermonem injecturum fuisse, qui illi ipsi gratificari videretur.

Magnam sane ab Apollinari, ejusque discipulis gratiam iniisset Athanasius, multumque se de eo utrique jactassent : quod de epistolis ab hoc ad Apollinarem scriptis illos fecisse alibi ex Leontio meminimus[5] : si istiusmodi quippiam ab illo proditum extaret. Nam et Cyrillus ipse propter illam locutionem in invidiam adductus est Apollinaristarum hæresis, et ab æmulis plurimum est exagitatus. Quanquam, ut ita loqueretur, probabilem causam habuit, ut postea dicam, quam minime tunc habebat Athanasius ; imo ut ab eo abstineret, tempus et causa postulare videbantur. Huc accedit, quod fragmenti illius stilus, et sermonis genus Athanasii venam non redolet. Quibus de causis valde mihi Leontii conjectura placet, ab Dioscoro, Eutychis et Apollinaris acerrimo defensore, Cyrilli commentarios hoc additamento vitiatos esse : ac tum Athanasii testimonium illud insertum ; tum vero istas in epistolam ad Successum voculas, ὡς οἱ πατερες εἰρήκασι : adeo ut verisimile sit quod scribit Leontius, primum ex Catholicis Cyrillum sic locutum fuisse, idque adeo citra reprehensionem, ut ex sequentibus intelligetur.

Hanc mihi opinionem non leviter affirmat Catholicorum illa cum Severianis collatio[6]

[1] Pag. 329. — [2] Tom. 4. Bib. par. 2. col. 1110. — [3] Tom. 1. pag. 398.

[4] Lib. 4. de Trin. c. 2. § 4. — [5] Lib. 1. c. 6. § 3. — [6] Tom. 3. Conc. pag. 854. et seq.

Constantinopoli habita Justiniano imperante anno Christi 532. Cum enim hæretici Athanasii testimonium illud ipsum, necnon Julii papæ, Gregorii thaumaturgi, ac ceterorum, in medium attulissent, Catholici de falso contra illos exceperunt, asserentes supposititia hæc esse omnia, et ab hæreticis inculcata in Cyrilli libros. Quod idem et de Dionysii areopagitæ, quem iidem Severiani protulerant, scriptis asseverarunt; qui locus est insignis.

VIII. Præter Athanasium, tres alios ab hæreticis objici solitos esse scribit Ephræmius [1], Gregorium thaumaturgum, Julium papam, et Erechthium; qui *naturam unam Verbi incarnatam* dixerint. Sed videtur memoria lapsus Ephræmius. Non enim integram hanc sententiam adscripsisse puto illis hæreticos, sed hoc solum, *unam in Christo esse naturam* : quod Eutychiani longe aliter interpretabantur ac verba illa, ut ab Cyrillo sunt usurpata, significant. Quippe ex duabus naturis, quas ante unitionem fuisse asserebant illi, nonnisi unam post unitionem mansisse dicebant : sive alterutra mutata in alteram, et absorpta : sive una ex duabus conflata. Quamobrem ad unius naturæ defensionem illorum auctoritate usos esse Eutychianos suspicor, non autem ad illius Cyrilliani dicti fidem adstruendam, quod ex ipsis trium illorum verbis cognosci potest, quæ nos singillatim referemus.

Ut ab Gregorio Neocæsariensi ordiar, extat inter ejus opera expositio fidei, quæ ἡ κατὰ μέρος πίστις dicitur, hoc est, *plenior et particulatim concepta fidei formula*. Ex hac verba illa sumpsisse Monophysitas testatur Eulogius : « (1) Et est Deus verus, carnis expers, qui in carne apparuit, perfectus vera, et divina perfectione. Non duæ personæ, neque duæ naturæ. Non enim quatuor adorare nos dicimus, Deum et Filium Dei et hominem, et Spiritum sanctum. » Nulla ibi *naturæ unius incarnatæ Verbi* mentio, sed unius tantummodo naturæ. Porro expositionem istam non esse magni illius Gregorii Neocæsariensis, sed impurissimi Apollinaris, merito Leontius [2], et Eulogius [3] affirmant. Atque ille quidem [4] argumentum hoc affert, quod Gregorius Nyssenus in encomio, quod in illum scripsit, asserat, nullum ab eo scriptum extare, præter brevem illam fidei formulam, quam per visum ab Joanne evangelista, jussu B. Mariæ virginis dictatam excepit, quam et ipse Nyssenus Gregorius refert [5]; nec tamen in illa oratione puto comparet id, quod Leontius narrat, nullum aliud illius restare monimentum ingenii. Eulogius vero in verbis ipsis expositionis latens Apollinaris venenum detegit; cum ait Christum esse perfectum divinitate, nec de humanæ naturæ perfectione meminit. Sic illud etiam jure suspectum est, quod naturas duas negat : quanquam Eulogius eodem modo hac ex parte illum excusat, quo Cyrillum, et alios veteres, qui naturam unicam agnoverunt, duas inficiati sunt, ut antecedente capite dixi. Ceterum μία φύσις τοῦ Λόγου σεσαρκωμένη in supposititia illa Gregorii ἐκθέσει non legitur.

IX. De Julio Romano pontifice idem est judicium, ut in libro de Sectis, actione octava Leontius accurate docet : ac verba ipsa refert, quæ ex epistola Julii ad Dionysium Corinthiorum episcopum hæretici proferebant ad unius naturæ firmandam assertionem. Epistolæ hujus initium fuit : *Miror de quibusdam audiens*. Sententia autem sic se habet : « (2) Necesse est enim, ipsos, qui naturas asserunt duas, alteram earum adorare, alteram non adorare, ac baptizari in divinæ nomen, in humanæ vero non baptizari. » Addit anonymus scriptor [6] : « Si autem in morte Domini baptizantur, in divinam quidem baptizari, in humanam vero non baptizari. » Hanc epistolam revera esse Julii, videtur Ephræmius Antiochenus concedere, atque in eadem scriptum fuisse, *naturam esse unam incarnatam divini Verbi*, quod sic interpretatur, ut adversus Paulum Samosatenum, ac similes hæreticos armare Catholicos voce ista studuerit. Sic et Gennadius [7] quin vere esset Julii non dubitavit epistola ista *ad Dionysium de incarnatione Domini :* « quæ illo quidem tempore, *ait*, utilis visa est adversus eos, qui ita duas

(1) Eulog. apud Phot. cod. 230. pag. 445. Καὶ ἔστι Θεὸς ἀληθινὸς ὁ ἄσαρκος ἐν σαρκὶ φανερωθεὶς, τέλειος τῇ ἀληθινῇ, καὶ θείᾳ τελειότητι, οὐ δύο πρόσωπα, οὐδὲ δύο φύσεις, οὐδὲ γὰρ τέσσαρας προσκυνεῖν λέγομεν.

(2) Ex Leont. pag. 626. Θαυμάζω πυνθανόμενος περί τινων. Καὶ ἔστιν ἡ χρῆσις τοιαύτη. Ἀνάγκη γὰρ δύο λέγοντας αὐτοὺς φύσεις, τὴν μὲν προσκυνεῖν, τὴν δὲ μὴ προσκυνεῖν, καὶ εἰς μὲν θείαν βαπτίζεσθαι, εἰς δὲ τὴν ἀνθρωπίνην μὴ βαπτίζεσθαι.

[1] Sup. § 4. — [2] Tom. 4. Bibl. PP. par. 2. col. 1031. et in lib de Sec. Act. 8. pag. 527. tom. 11. Bibl. — [3] Ap. Phot. Cod. 230. pag. 445

[4] In lib. de Sec. — [5] Nyss. to. 2. p. 978. — [6] In Collect. cont. Sever. to. 4. pag. 2. Bib. col. 1110. — [7] Genn. de script. cap. 2.

per incarnationem asserebant in Christo personas, sicut et naturas. Nunc autem perniciosa probatur, fomentum enim est Eutychianæ, et Timotheanæ impietatis. » Verum supposititiam esse, et ab Apollinari scriptam, persuadet Leontius [1], eo potissimum argumento, quod Gregorius Nyssenus in libro quem contra Apollinarem edidit, multa refert ex illa epistola, quæ refellit. Addit etiam, Julium nihil omnino scripti reliquisse : atque ex epistolis septem, quæ illius inscriptæ nomine circumferebantur, nullam penitus Julii germanam fuisse. Sed quod universe negat ullam extare Julii epistolam, hoc verum non est, et ex Athanasio redarguitur, qui in Apologetico secundo bene longam descripsit Julii epistolam ad Eusebianarum partium episcopos in causa Athanasii.

X. Idem Leontius in libro de fraudibus Apollinaristarum, quasdam ab iis epistolas ait Julii nomine vulgatas esse, ut supra memoratum est [2]. Et anonymus auctor Collectaneorum contra Severianos, idipsum approbat tum ex inscriptione, quæ non erat consentanea Romanorum Pontificum consuetudini : tum ex verbis ipsis, quæ Apollinaris hæresim præferunt, a qua longe abfuit Julius. Dionysium autem illum, ad quem epistola scribitur, presbyterum fuisse, anonymus asserit, quem episcopum Corinthiorum falso, ut opinor, facit Leontius. Mirum est vero, quod in Annalibus prodit Baronius [3], ut Gennadii fidem elevet, epistolam istam « immanes, manifestasque blasphemias continuisse, quibus Nestoriana hæresis penitus confirmaretur : nedum adversus eos utilem fuisse, qui duas dicerent per Incarnationem esse in Christo personas. » Atqui et Leontius, et Eulogius Alexandrinus [4], qui eamdem Julii epistolam dubiam esse censet, et Facundus Hermianensis [5], et Hypatius Ephesinus archiepiscopus in collatione Constantinopoli habita inter Catholicos, et Acephalos, in qua ab istis Athanasii, et Julii testimonia prolata sunt, et ab illis, tanquam adulterina, repudiata : omnes, inquam, illi epistolam Julii unam naturam adstruxisse confirmant : idque verba ipsa demonstrant, quæ indidem afferre illi consueverant, paulo a nobis ante perscripta. Itaque perspicuum est, Apollinaris, et Eutychis dogmati patrocinatam esse hanc epistolam, ab Nestoriano vero plurimum discrepasse.

XI. Præter hanc ad Dionysium, alia Julii nomine ad Docium inscripta fuit, cujus testimonio usa est Ephesina synodus [6] : quod Facundus commemorat [7] : qui et Prosdocium illum vocat, ad quem missa est. Sed hanc etiam Leontius [8] negat esse Julii, et Timotheo Apollinaristæ potius addicit ex fide plurimorum exemplarium. Neque vero quod ex illa prolatum est in Synodo, ullius suspectum hæresis, neque Julio est indignum. Postremus ex laudatis ab Ephræmio scriptoribus antiquis, qui ante Cyrillum sententiam eamdem expresserunt, *unius incarnatæ Verbi naturæ*, superest Erechthius. At is auctoritatis plane nullius est. Fuit enim hæreticus Apollinaris imbutus dogmate, quod testatur illius fragmentum Leontii opusculis adtextum [9], in quo Patrum auctoritates ab Eutychiano hæretico collectæ leguntur adversus catholicam duarum naturarum professionem. Ibi Erechthii episcopi Antiochiæ in Pisidia locus extat, ex homilia in sancta Epiphania, Constantinopoli dicta, coram beato episcopo Proclo. Quo in loco « duas esse » negat « ejus, qui natus est, naturas. » Itaque Timotheus hæreticus contra Chalcedonensem synodum scribens, illius testimonium adhibuit, ut scribit Leontius [10]. Ephræmius item Antiochenus [11] manifeste Eutychianum fuisse probat, allatis ejus verbis, quibus singularis in Christo natura divina perhibetur. Ergo omnes illi, Cyrilli ætate superiores, quos ex Ephræmio ante percensui, ne falso quidem inscripti, præter Athanasium, illam vocem diserte concepisse videntur ; « Post unitionem nonnisi unam esse Verbi naturam incarnatam : » nedum germani, et illis nominibus appellati, ut probabile sit, primum ex catholicis theologis Cyrillum ita esse locutum, ut affirmat Leontius.

XII. At Eutychianarum partium hæretici, ut hoc hominum genus quidquid in rem suam facit, temere, ac sine delectu undecumque complectitur ; illam ipsam sententiam antiquis Patribus, etiam ante Cyrillum, in usu fuisse contendebant, et eam perpetuo Catholicis intentabant, longe alio, ac Cyrillus intellexerat, sensu eam interpretati. Sic Eranistes Apollinarii partes agens in dialogo secundo Theodoreti, orthodoxo illam objicit. Dioscorus Alexandrinus Eutychianorum columen, in Chalcedonensi synodo, eamdem vehementius, ac magnis clamoribus ingessit,

[1] Lib. de Sec. Act. 8. p. 526. — [2] § 6. — [3] Ann. 352. § 6. — [4] Apud Phot. cod. 230. p. 448. — [5] Lib. 1. p. 40. — [6] Act. 1. p. 268. — [7] Lib. 1. p. 40.

[8] Lib. de Sect. Act. 8. p. 526. — [9] Tom. 4. Bib. Par. 2. col. 1063. — [10] In fine Act. 8. de Sec. — [11] Apud Phot. cod. 219. pag. 426.

« (1) habere se » dicens « sanctorum Patrum sententias, Athanasii, Gregorii, Cyrilli, non uno loco significantes, non oportere post unitionem naturas duas dicere, sed unam incarnatam Verbi naturam. » Tum impotentius elatus : « Ego, *inquit*, cum Patribus extrudor, ego Patrum decreta propugno, nec ulla in re transgredior : atque horum dicta non utcumque, neque perfunctorie, sed in libris habeo. » Ita vecors et impius hæreticus detracta voce *incarnatæ*, naturam unam simpliciter, post unitionem a Patribus asseverari dicebat, ac duas negari. Idem et in Constantinopolitano concilio[1], sub Flaviano, Eutyches ; et in Ephesino latrocinali, ambo illi fecerunt, Eutyches, et Dioscorus[2].

Sic apud Anastasium in ὁδηγῷ, Monophysitæ in illa ipsa Cyrilli voce insistere se profitentur.

Ita Petrus Fullo Antiochenus episcopus perperam acceptum illud dictum ad nefarium, et sacrilegum suum commentum accommodat, asserens divinam naturam, adeoque Trinitatem ipsam, ut incarnatam, ita passam esse; ut illi in epistola quadam ad eum scripta Felix exprobrat Romanus pontifex[3]. Sic Polemo Apollinarista eamdem usurpat sententiam, falsa interpretatione depravatam, ut alibi docuimus[4].

CAPUT SEPTIMUM.

De sensu, et interpretatione catholica dicti illius Cyrilli, superiori capite propositi. — 2. Variæ de illo sententiæ, quid vox φύσις significet : ac nonnulli hypostasim indicari putant : quibus favere Cyrillus ipse videtur. — 3. Tum alii quidam. Φύσις et ὑπόστασις promiscue interdum sumptæ. — 4. Alii naturam significari malunt. — 5. Inquiritur causa cur Cyrillus eam sententiam ediderit. — 7. Ex quo mens ejus, et scopus colligitur, nempe ut Nestorianam divisionem, separationemque vitaret. — 8. Unde et naturam verius est intelligi, idque ex ipso Cyrillo probatur. — 9. Tum ex Isidoro Pelusiota.

I. Cum tam egregie de Ecclesia, reque catholica meritus esset Cyrillus Alexandrinus, atque in Nestoriano restinguendo incendio, et Christiana stabilienda fide præcipuæ illius partes extitissent, merito in illum vicissim tuendum totius catholicæ posteritatis studia conspirarunt. Et quoniam nonnulla de incarnatione Verbi paulo obscurius ab illo constabat esse dicta, quibus perditi Monophysitæ ad hæresis suæ patrocinium abutebantur, ut proxime antecedens caput ostendit : idcirco magnopere deinceps in hoc incubuerunt eruditi theologi, ut ab tanto viro nefarii suspicionem erroris arcerent. Hujus assequendi ut erat unica, sic ab illis accurate est inita ratio, uti aliter, atque isti, verba illius interpretando monstrarent, qualicumque horum ambiguitati veram, et sinceræ fidei consentaneam subesse sententiam. Atque hoc non uniusmodi expositionis genere, sed dissimili, et in eumdem tamen concurrente pietatis, ac veritatis sensum efficere conati sunt. Quæ quidem explicandi varietas initium dabit hujus disputationi capitis ; in quo de eodem illo Cyrilli dicto, ac quemadmodum ejus ex mente capiendum sit, pergam dicere. Sed verba imprimis ipsa, in quibus explanandis elaborare volumus, hic integra perscribenda sunt, quod in antecedenti capite nondum fecimus, et inde potissimum repetenda, ubi plenius concepta mihi videntur, ex epistola videlicet ad Acacium Melitinensem episcopum, in qua ita scribit : « (2) Quamobrem dum ea, ex quibus unus est, et solus Filius, ac Dominus Jesus

(1) Diosc. act. 1. Chalc. syn. pag. 97. Ἐγὼ δὲ χρήσεις ἔχω τῶν ἁγίων πατέρων, Ἀθανασίου, Γρηγορίου, Κυρίλλου, ἐν πολλοῖς τόποις, ὅτι οὐ δεῖ λέγειν μετὰ τὴν ἕνωσιν δύο φύσεις, ἀλλὰ μίαν σεσαρκωμένην Λόγου φύσιν. Ἐγὼ μετὰ τῶν πατέρων ἐκβάλλομαι· ἐγὼ συνίσταμαι τοῖς τῶν πατέρων δόγμασιν· οὐ παραβαίνω ἔν τινι· καὶ τούτων τὰς χρήσεις οὐχ ἁπλῶς, οὐδ' ὡς ἔτυχεν, ἀλλ' ἐν βιβλίοις ἔχω.

(2) Cyrill. tom. 5. par. 2. pag. 115. Ταύτῃ τοι τὰ, ἐξ ὧν ἐστιν ὁ εἷς, καὶ μόνος Υἱὸς, καὶ Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, ὡς ἐν ἐννοίαις δεχόμενοι, δύο μὲν φύσεις ἡνῶσθαί φαμεν. Μετὰ δέ γε τὴν ἕνωσιν, ὡς ἀνῃρημένης ἤδη τῆς εἰς δύο διατομῆς, μίαν εἶναι πιστεύομεν τὴν τοῦ Υἱοῦ φύσιν, ὡς ἑνὸς, πλὴν ἐνανθρωπήσαντος, καὶ σεσαρκωμένου.

[1] Vide Chal. Act. 1. p. 121. et seq. — [2] Pag. 186. et 188.

[3] Vide Zon. in Can. p. 540. — [4] Lib. 3. c. 9. § 2.

Christus, cogitatione, intelligentiaque concipimus, naturas duas unitas esse dicimus: post unitionem vero, tanquam sublata jam in duo partitione, unam esse credimus Filii naturam; verum inhumanati, et incarnati. » His adjunge quæ ex priore ad Successum epistola capite superiori [1] descripta sunt cum aliis locis ejusdem Cyrilli; in quibus illa ipsa *Filii unica natura incarnata dicitur*, σεσαρκωμένη φύσις, non σεσαρκωμένου Λόγου, hoc est *incarnati Verbi*, quæ tamen duo in unum idemque recidunt.

II. In illis itaque Cyrilli verbis primum, et præcipuum quæstionis caput vocabulum φύσεως continet, de quo duæ sunt antiquorum sententiæ. Nam alii φύσιν pro ὑποστάσει positam existimant: negant alii, et idem atque οὐσίαν esse nihilominus affirmant. Priori suffragari Cyrillus videtur, qui de eadem re disserens, ambas istas voces sæpius explicandi gratia conjungit tanquam συνωνύμους, ut in secundo libro demonstravimus [2], ubi loca Cyrilli aliquot allata sunt; quibus alia nunc omissa illic adjungemus. In defensione anathematismi octavi adversus Andream, sive Orientales, ita scribit: « (1) Etenim quando in una persona, et natura, hoc est hypostasi una, diligenter examinans ratio, illa, ex quibus est, hoc est constat naturaliter, etc. » In epistola quoque ad Acacium [3] post illa, quæ paulo ante decerpsimus, ita sibi objicientes adversarios inducit, nimirum Orientales; in veræ fidei professione naturas nominari duas, ac pro ambarum discrimine, proprias singulis attribui voces, atque discerni: hoc autem repugnare ei, quod in anathematismo quarto definitum est; « Non oportere personis duabus, sive hypostasibus Christi voces illas attribui » separatim, ac divise; sed uni, eidemque Christo. Huic vero statim respondens ait, se in anathematismo cavisse duntaxat, ne quis voces illas diversas, quarum aliæ quæ unius Dei propria sunt, aliæ quæ sunt hominis propria significant, personis illis et hypostasibus duabus, tanquam seorsim constitutis, et non unitione substantiva conjunctis, affingeret. Porro in illis utrisque proprietatibus solum « (2) intelligi naturarum sive hypostaseon differentiam. » Vides quemadmodum hypostases promiscue cum naturis accipit. Nam quod in anathematismo personas etiam cum hypostasibus conjungit, fecit hoc non ex sua, sed ex Nestorii sententia, quam proprie decreto illo reprehendebat, qui revera totidem personas, quot naturas in Christo confitebatur, tametsi dissimularet, ac verbis præ se aliud ferret; ut supra diximus.

Idem præterea Cyrillus in confutatione Orientalium ad anathematismum quartum [4], perspicue, quam φύσιν μίαν in iis, quos attulimus, locis nominat, πρόσωπον, et ὑπόστασιν appellat. « (3) Uni proinde personæ, *ait*, omnes attribuendæ sunt voces, quæ in Evangeliis occurrunt, hypostasi uni Verbi incarnatæ. » Tum ista subjungit: « Non se permittere animalibus hominibus, et spiritum non habentibus duos cogitare vel dicere filios, dividentes a se invicem hypostases, post indivulsam unitionem. » Dixerat autem proxime antea, « unicuique naturæ congruentem accommodari oportere vocem. » Prorsus φύσεις easdem et ὑποστάσεις nominare videtur, adeoque personas; cujusmodi post unitionem non duas, sed unam duntaxat esse statuit. Quid igitur? num aliquando, et citra, vel ante unitionem duas fuisse judicavit? Dicemus de ea re postea.

Rursus in libro secundo contra Nestorium « (4) unum » vocat « Filium, et unam Verbi incarnatam hypostasim. » Item in priore ad Successum epistola, quam nominarat *unam Verbi naturam incarnatam*, subinde « (5) unum Christum, et Filium, et Dominum » appellat, « Verbum hominem factum et incarnatum. » Quod etiam in posteriore facit [5], et in ea, quam ad Acacium scripsit [6]. Et in Excerptis libri septimi, et octavi in Joannem, « (6) hypostasim unam » nuncupat « Verbi incarnati. » Ut videri possit promiscue has voces accepisse, φύσιν, et ὑπόστασιν τοῦ Λόγου, et Λόγον, atque Υἱὸν.

(1) Cyr. tom. 6. pag. 180. Ὅταν μὲν γὰρ ἐφ' ἑνὸς προσώπου, καὶ φύσεως, ἤγουν ὑποστάσεως μιᾶς βασανίζων ὁ Λόγος, ἐξ ὧν ἐστιν, ἤγουν σύγκειται φυσικῶς, etc.

(2) Cyr. tom. 5. par. 2. pag. 116. Καὶ κατ' αὐτὸ δὴ τοῦτο καὶ μόνον νοηθείη ἂν ἡ τῶν φύσεων, ἤγουν ὑποστάσεων διαφορά.

(3) Cyr. tom. 6. pag. 172. Ἑνὶ τοιγαροῦν προσώπῳ τὰς ἐν τοῖς Εὐαγγελίοις πάσας ἀναθετέον φωνὰς, ὑποστάσει μιᾷ τῇ τοῦ Λόγου σεσαρκωμένῃ. Κύριος γὰρ εἷς Ἰησοῦς Χριστὸς κατὰ τὰς γραφὰς. Οὐκοῦν, ὡς ἀπό γε τῶν ἤδη προγεγραμμένων, οὐκ ἠγνοηκότες μὲν ἁλωσόμεθα τὴν οἰκονομίαν, καὶ τὴν ἑκάστῃ φύσει πρέπουσαν φωνήν. Οὐκ ἐφιέντες δὲ μᾶλλον τοῖς ψυχικοῖς; καὶ πνεῦμα μὴ ἔχουσι, δύο νοεῖν υἱοὺς, ἢ λέγειν διαιροῦντας ἀλλήλων τὰς ὑποστάσεις μετὰ τὴν ἀδιάσπαστον ἕνωσιν.

(4) Id. lib. 2. con. Nest. pag. 51. Ἀλλ' εἰ μὲν ἕνα φῇς Υἱὸν, καὶ μίαν ὑπόστασιν τὴν τοῦ Λόγου σεσαρκωμένην.

(5) Id. ad Succ. tom. 4. par. 2. pag. 137. E. Ἕνα δὲ Χριστὸν καὶ Υἱὸν, καὶ Κύριον, τὸν τοῦ Θεοῦ Πατρὸς Λόγον, ἐνανθρωπήσαντα, καὶ σεσαρκωμένον.

(6) Id. in Joan. pag. 667. Ὑποστάσει μιᾷ τοῦ Λόγου σεσαρκωμένου.

[1] § 2. — [2] Cap. 3. § 5. — [3] Tom. 5. Par. 2. p. 115.

[4] Tom. 6. pag. 172. B. — [5] Pag. 147. — [6] Pag. 116.

III. Ephræmius Antiochenus patriarcha in libro quem de ista Cyrilli sententia scripsit, manifeste φύσιν ab eo pro ὑποστάσει sumptam asserit : « (1) Unam itaque Dei Verbi naturam incarnatam, *ait*, unam hypostasim intelligimus. » Quod deinceps fusius edisserit [1], affirmans φύσιν interdum καταχρηστικῶς pro ὑποστάσει, a Patribus et nominatim a Cyrillo poni, cum id significat, quod ex copulatione naturarum efficitur ; cum autem de iis accipitur, ex quibus effectus, et conflatus est Christus unus, tum *naturam* proprie dictam, hoc est οὐσίαν, et *substantiam* exprimere. Quin idem Ephræmius [2], Athanasium scribit in epistola ad imperatorem Julianum dicere, « unam esse confitendam Verbi naturam, et hypostasim incarnatam. » Jam supra monuimus epistolam istam ad Jovianum (ita enim legendum) illud esse ψευδεπίγραφον fragmentum, quod Cyrillus, aliique tanquam ex Athanasio proferunt. Sed in vulgatis Cyrilli, et Athanasii codicibus, in quibus extare illud notavimus, abest vox ὑπόστασιν.

Idem est Eulogii Alexandrini patriarchæ judicium [3] de significatione vocabuli φύσεως apud Cyrillum. (2) Qui et nomina ista φύσεως et ὑποστάσεως sero apud Romanos, et post Julii papæ tempus distincta fuisse refert. Atqui apud Græcos quoque nonnisi post Nicænum concilium, et annis postea non paucis, discerni ista duo significatione cœperunt, ut in quarto de Trinitate demonstravimus [4] : nec ante Basilii magni ætatem fixa, et stabilita est usu theologorum vocum illarum differentia. Quo minus admirandum est, eam Latinis ignotam fuisse ; ut ex Hieronymi altercatione, ac querela constat, de qua ibidem accuratius egimus [5].

Sic vicissim ὑπόστασιν pro φύσει tanto post Nicænam synodum usurpavit Marcus eremita in tractatu de Pœnitentia ; cum tria sata farinæ, in quæ fermentum condidit mulier [6], « (3) tripartitam hypostasim » interpretatur, « corporis, spiritus, et animæ, » quibus Dei verbum immiscetur.

Justinianus etiam imperator in Professione fidei contra tria capitula [7], Cyrillum putat, quoties *unam Verbi naturam incarnatam* dixit, *naturæ* nomen pro *hypostasi* sumpsisse. Quod ex eo insuper approbat, quod iisdem illis in locis fere semper nomina Filii, aut Verbi, aut unigeniti paulo post adtexit ; quæ sunt utique personæ vocabula. Ad hanc quoque sententiam Leontius accedit in libro contra argumenta Severi : ubi objicienti hæretico Cyrillum in Incarnationis explicando mysterio, *hypostasim*, et φύσιν promiscue accepisse, concedit ultro, causamque reddit, cur hoc cum aliis antiquis fecerit.

IV. Verum aliis placet, φύσιν ibi non pro *hypostasi* positam esse, sed *naturam* revera significare. Ac Leontius ipse in libro de Sectis, actione octava, id velle sibi videtur, cum Acephalorum argumenta diluens, primum istud aggreditur ex Cyrilli testimonio illo petitum ; eumque docet « (4) non unam Christi naturam incarnatam dixisse ; sed unam naturam Verbi incarnatam : » ubi ad has voces, μίαν φύσιν τοῦ Λόγου, addidit σεσαρκωμένην, id est *incarnatam*, ut aliam naturam indicaret. Quod ex Cyrillo idipsum testificante in posteriore ad Successum epistola demonstrat. Quinetiam in libro Dubitationum, capite 24. idipsum adstruit [8].

Leontium laudat, sequiturque Joannes Damascenus [9], ac φύσιν pro *natura* putat accipi, non pro *hypostasi* : multaque disputat ad eam rem erudita, et paulo post diligentius explicanda. Nec aliter Theodorus Rhaituensis presbyter exponit [10]. Anastasius Sinaita in Ὁδηγῷ capite decimo [11] pluribus argumentis ostendit, Cyrillum φύσεις et ὑποστάσεις non confudisse : ex quo suspicari possit aliquis, eumdem in illo Cyrilli dicto φύσιν interpretari *naturam*. Sed non est ita. Nam postea scribit, ipsummet Cyrillum alibi seipsum explicantem, docere, « (5)

(1) EPHRÆM. apud Phot. cod. 229. pag. 412. Τὴν μὲν οὖν μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένην, μίαν ὑπόστασιν νοοῦμεν Vide et pag. 410. necnon cod. 228. p. 408.

(2) PHOT. cod. 230. pag. 448. Δεύτερον δὲ προσήκει γινώσκειν, ὡς Ἰουλίου ὕστερον παρὰ Ῥωμαίοις τὸ τῆς φύσεως τε, καὶ ὑποστάσεως ἐφιλοκρινηθη τε, καὶ διεκρίθη ὄνομα.

(3) MARCUS tom. 11. bib. pag. 907. Καθότι ἡ τὸν τοῦ Θεοῦ Λόγον ὑποδεξαμένη διάνοια ἔκρυψεν εἰς τὴν τριμερῆ ὑπόστασιν, σώματος λέγω, καὶ πνεύματος, καὶ ψυχῆς κατὰ τὸν Ἀπόστολον.

(4) LEONT. act. 8. lib. de Sec. tom. 11. bib. pag. 525. Οὐ γὰρ εἶπε τοῦ Χριστοῦ μίαν φύσιν σεσαρκωμένην, ἀλλὰ μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένην, τὴν ἄλλην φύσιν δηλῶν.

(5) ANAST. Ὁδ. pag. 208. Μίαν Χριστοῦ φύσιν σεσαρσωμένην, ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν, ὅτι ἓν πρόσωπον τῆς ἁγίας Τριάδος σεσαρκωμένον.

[1] Phot. p. 414. Vide et 419. 420. — [2] Phot. p. 427. — [3] Apud Phot. cod. 230. pag. 438. et 459. 460. — [4] Cap. 1. et seq. — [5] Cap. 4. § 14. — [6] Luc. 13.

[7] In Syn. 5. p. 347. et 348. — [8] Tom. 4. Bibl. col. 1060. — [9] Lib 3. c. 11. et in lib. cont. Acephal. p. 569. — [10] To. 11. Bibl. pag. 324. — [11] Pag. 170. et seq.

Unam Christi naturam incarnatam sic accipi, ut sit una persona sanctæ Trinitatis incarnata.» Atqui *unam Christi naturam* non dixit Cyrillus ; sed *unam Verbi naturam*, ut Leontius observat. Vides tamen Anastasium φύσιν ibi *personam* intellexisse, ac negare solum φύσεις in plurali numero ὑποστάσεις esse ; ut si δύο φύσεις constituantur in Christo, totidem ὑποστάσεις sequantur. Nam Monophysitæ collectanea quædam sententiarum ediderant, sub Cyrilli nomine, quæ φύσεις easdem et ὑποστάσεις esse docebant, de quibus ibi disputat Anastasius. Attamen non satis hic consentanee loqui videtur, dum et φύσιν negat pro ὑποστάσει apud Cyrillum usurpari, et φύσιν μίαν σεσαρκωμένην asserit esse μίαν ὑπόστασιν. Sic Theorianus in disputatione contra Armenos [1].

Rusticus item diaconus in libro contra Acephalos [2] aptissimo sensu φύσιν ibi pro *natura* positam explanat. Gelasius etiam papa in libro contra Eutychem [3], dum « naturam deitatis incarnatam » vocat.

V. In hac opinionum interpretationumque varietate, ut quid potissimum tenendum sit statuamus ; quoniam de Cyrilli mente tota est contentio : ea primum nobis accurate, ac solerter, quoad fieri potest, investiganda est ex iis ipsis locis, in quibus vox illa reperitur. In epistola priore ad Successum Diocæsareæ in Isauria episcopum [4], plenissime declarat, quæ causa, et origo fuerit locutionis illius usurpandæ. Cum enim inter Orientales, et Ægyptios, ex Nestoriana conflictione, reliquum esset certamen de duabus in Christo naturis, interrogatus a Successo Cyrillus quid de eo sentiret, rem hic altius repetens, Diodorum ait Tarsensem ex Macedoniano, et Pneumatomacho catholicum factum, in aliam incidisse labem opinionis impiæ, « (1) ut alterum ac separatum crederet esse filium e Davidis semine genitum a B. Virgine, ac Dei matre ; alterum item seorsim filium ex Deo patre Verbum : ita ut unum Christum simulate professus, hoc nomen proprie conferret in solum a Deo patre genitum Verbum, et unigenitum filium : cui, velut gratiæ loco, adjunctum ex Davidis stirpe alterum, eatenus appellaret filium, quod cum vero filio copulatus esset, non vera, proprieque dicta unitione, sed ea tantum, quæ in dignitatis, auctoritatis, et honoris communione consistit. » Hujus discipulus fuit Nestorius, qui ex ejus lectione librorum in eamdem abreptus hæresim, ficte, ac simulate præ se ferebat unius confessionem Christi, ac Filii, et Domini ; reipsa vero unum illum in duos, separatosque partiebatur, hominemque cum Deo conjunctum asserebat sola communicatione dignitatis, et honoris.

VI. Ab hac impietate procul recedentem se Cyrillus affirmat, unum profiteri Dei filium, Jesum Christum, eumdemque, nec ab illo diversum sanctissimæ Virginis filium : quandoquidem sempiternum Dei Verbum ex muliere natum, et caro factum est, id est homo : adeo ut tam propria illius caro fuerit, quam est sua propria hominis cujusque caro. Et quoniam nonnulli Apollinaris affinem hæresi eum esse suspicabantur, ut unum propterea Filium post incarnationem crederet, quod commistio quædam et confusio naturarum intercessisset, idcirco Verbum asserit conjunxisse sibi carnem anima præditam, ac verum hominem ex muliere prodiisse ; ut idem sit Christus homo pariter et Deus, in quem ambarum naturarum proprietates competunt : quique in Evangelio alias ut Deus, alias ut homo loquitur.

Quocirca naturas inter se convenisse duas indivisa conjunctione citra confusionem, et mutationem alterutrius : adeo ut ex duabus naturis copulatio ista facta sit, post unitionem vero non dividantur ab sese mutuo naturæ, neque in duos filios unus et indivisus secetur ; sed sit unus Filius, unaque Dei Verbi incarnata natura. Atque hoc hominis exemplo confirmat, in cujus compositionem naturæ concurrunt duæ, carnis et animæ : ex quibus tamen conjunctione copulatis homo tantum unus existit.

Rursus in epistola posteriore ad eumdem Successum [5], cum inter alia contra effatum illud ab adversariis objecta, propositum hoc esset : videri confusionem, et abolitionem unius naturæ contigisse, si ex duabus una est facta natura ; negat id esse consequens Cyril-

(1) CYR. Πεφρόνηκε γὰρ, καὶ γέγραφε ὅτι ἕτερος μὲν Υἱὸς κατ' ἰδίαν ἐστὶν ὁ ἐκ σπέρματος Δαβὶδ γεννηθεὶς ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου, καὶ θεομήτορος· ἕτερος δὲ πάλιν ἰδικῶς Υἱὸς ὁ ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγος, etc. προσποιεῖται μὲν ἵνα Χριστὸν λέγειν, ἀναφέρων μὲν τὸ ὄνομα ἐπὶ μόνον τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγον γεννηθέντα Υἱὸν μονογενῆ. Ὡς ἐν χάριτος δὲ τάξει προσνέμων αὐτῷ, καθά φησιν αὐτὸ, καὶ τὸν ἐκ σπέρματος Δαβὶδ Υἱὸν ἀποκαλεῖ, ὡς ἑνωθέντα, φησὶ, τῷ κατ' ἀλήθειαν Υἱῷ. Ἑνωθέντα δὲ, οὐχ ὥσπερ ἡμεῖς δοξάζομεν, ἀλλὰ κατὰ μόνην τὴν ἀξίαν, καὶ κατ' αὐθεντίαν, καὶ κατὰ ἰσοτιμίαν.

[1] Tom. 1. Bibl. pag. 560. — [2] Tom. 4. Bibl. pag. 840. — [3] Ibid. 421.

[4] Tom. 5. part. 2. oper. Cyr. pag. 435. — [5] Pag. 142. et seq.

lus; quoniam non solum præcise Verbum, Deusque filius, sed idem caro factus inducitur; ita ut suam utraque natura proprietatem conservet; (1) et utroque manente, intellectoque, sed quadam arcana et inexplicabili unitione conjuncto, una Filii natura incarnata sit.

Sic in commonitorio ad Eulogium [1], tam Orientalium expositionem reprehendisse quosdam scribit, quod duas in ea naturas constituerint: quam seipsum, qui illos toleraverit, imo collaudarit: tanquam Nestorianam istud hæresim sapiat. Ad quod Cyrillus respondet, Nestorium quidem naturas duas recte esse fassum, sed earum ἕνωσιν, id est unitionem abnegasse; nec unum ex illis Christum, unumque Filium agnovisse; adeoque *naturam unam Dei incarnatam*: quod habet catholica professio. Idem docet in epistola ad Acacium [2], et in libro secundo contra Nestorium [3].

VII. Hinc igitur perspicuum est, non alia de causa in hujusmodi locutionis genus inductum fuisse Cyrillum, nisi ut Nestorii perfidiæ se opponeret, vitaretque subdolam, et nimium dilutam illius unitionem, quæ specie, ac verbo tenus naturas copulabat duas: re autem ipsa disjunctas, ac seorsim cohærentes, et subsistentes habebat, nullo proprie dicto, et substantivo nexu, sed externo, et improprio inter se commissas. Quare τὸ ἀδιαίρετον, id est *divisionis expertem*, naturarum duarum conjunctionem sancire verbis illis voluit. Quod latissime declarat Eulogius Alexandrinus: et scopum hunc Cyrillo propositum fuisse contendit, ut « (2) naturas ambas in unam hypostasim conjunctas » ostenderet. Hoc enim plane idem esse, ac *naturam illam unam incarnatam* Cyrilli, probat inde, quod Orientales illud asseverantes, citra hujus expressionem, amplexus est.

Sic Ephræmius Antiochenus apud eumdem Photium [4], et Sophronius Hierosolymitanus in epistola synodica ad Sergium [5]. Tum Maximus martyr in opusculo supra laudato a nobis sæpius: in quo « commune hoc habuisse » Cyrillum cum Nestorio scribit, « (3) ut naturas duas asserent, easque differentes: hoc autem commune non fuisse, unitionem confiteri hoc ipso, quod unum Christum, unum Filium, unum Dominum dicerent, et unam Verbi naturam incarnatam: id enim Nestorium neutiquam admisisse. » Non igitur absolute naturas pronuntiare duas prohibuit unquam Cyrillus, ut idem observat Maximus; sed tantummodo ex Nestorii sensu, qui frivolum, et perfunctorium modum unitionis asciscebat. « Unde si B. Cyrillus », ait Facundus Hermianensis [6], « Nestorium quamdam nefandam dualitatem conantem inducere ne quam occasionem daret ejus errori, sermonem suum magis ad ea, quæ unitatis sunt, coarctabat: sicut e contrario priores doctores Ecclesiæ respondentes Apollinari naturarum diversitatem stultissime confundenti earum distinctionem amplius incumbebant: sic ipse Nestorio repugnans, putari non debuit negasse differentiam naturarum; quemadmodum nec illi repugnantes Apollinari, putandi sunt unitatem negasse personæ; quia non idem semper est ordo pugnæ, vel modus, sed in oppugnatore causa est, quomodo contraire debeat propugnator. » Nimirum Eutychiani, et Apollinaristæ ita unam incarnatam naturam intelligebant, ut ne suæ cuique naturæ proprietates constarent, quod alioqui διαίρεσις abesse non poterat: ut Eranistes apud Theodoretum objicit [7].

Quo illud Aristotelis sane aptissime refertur, qui in Metaphysicis scribit: « (4) Quæcumque divisione carent, quatenus ea carent, hoc ipso unum dici; ut si quatenus homo est, divisionem non habet, unus est homo. » Ergo ut Nestorianam divisionem caveret Cyrillus, μίαν φύσιν tam constanter inculcavit. Ideo Theodorus presbyter τοὺς φιλοδιαιρετὰς, id est, *divisionis amantes*, sententia illa comprimi docet [8].

VIII. Animadverso Cyrilli scopo, et instituto, non erat difficile constituere, quid potissimum φύσεως nomine significare voluerit, naturam an hypostasim. Hoc enim dijudicandum est ex ipso controversiæ, sive quæstionis genere, ac statu.

(1) Cyr. pag. 143. Ἀλλ' ἐν ἰδιότητι τῇ κατὰ φύσιν ἑκατέρου μένοντός τε, καὶ νοουμένου, κατά γε τὸν ἀρτίως ἡμῖν ἀποδοθέντα Λόγον, ἀῤῥήτως, καὶ ἀφράστως ἑνωθεὶς, μίαν ἡμῖν ἔδειξεν Υἱοῦ φύσιν, πλὴν, ὡς ἔφην, σεσαρκωμένην.

(2) Eulog. apud Phot. cod. 230. pag. 440. Τὰς δύο φύσεις ἀδιαιρέτους ἐν τῇ καθ' ὑπόστασιν ἑνώσει. Vide et pag. sequentes.

(3) Maxim. Ὅτι κοινὸν αὐτῷ καὶ Νεστορίῳ τὸ λέγειν δύο φύσεις μέχρι τοῦ γινώσκειν τὴν διαφοράν· Οὐκέτι δὲ κοινὸν ἦν τὸ καὶ τὴν ἕνωσιν ὁμολογεῖν, τῷ λέγειν ἕνα Χριστὸν, ἕνα Υἱόν, ἕνα Κύριον, καὶ μίαν τοῦ Λόγου φύσιν σεσαρκωμένην· ὅπερ Νεστόριος εἰπεῖν οὐ κατεδέχετο.

(4) Arist. 4. Met. cap. 6. Καθόλου γὰρ ὅσα μὴ ἔχει διαίρεσιν, ᾗ μὴ ἔχει, ταύτῃ ἓν λέγεται· οἷον εἰ ᾗ ἄνθρωπος, μὴ ἔχει διαίρεσιν, εἷς ἄνθρωπος.

[1] Tom. 5. part. 2. p. 132. et seq. — [2] Pag. 115. — [3] Tom. 6. pag. 51. — [4] Cod. 228. p. 408. et 425. et seq.

[5] In 6. Syn. Act. 11. pag. 167. — [6] Lib. 6. pag. 245. — [7] Dial. 2. pag. 72. — [8] Tom. 2. Bib. pag. 323.

Quod si respicimus, statim apparebit, naturam intellexisse Cyrillum, non personam, et hypostasim. Etenim quod in quæstionem disceptationemque venit, et cujus gratia Cyrillus sententiam exprompsit illam, fuit istud : an duæ naturæ dicendæ essent in Christo, quod pravo et hæretico sensu primum Paulus Samosatenus, et Photinus, et qui ambos secuti sunt, Theodorus Mopsuestenus, Diodorus Tarsensis, ac Nestorius dixerant, qui omnes naturam ab hypostasi sejunctam esse noluerunt; tum dissimili mente, et catholicæ regulæ consentanea, Orientales illi, qui, damnato Nestorio, cum Cyrillo, et orthodoxis reliquis in gratiam redierunt, edita prius, et Alexandriam ad Cyrillum missa per Paulum Emisenum professione fidei, in qua (1) *duas naturas* asseverarunt, cum eo tamen, ut *unum Christum, unum Filium, unum Dominum* confiterentur, ac beatam Virginem Θεοτόκον, *ex qua incarnatus est Deus Verbum*. Cum igitur Cyrillus ob istam Orientalium probatam, ac receptam naturarum duarum professionem, male apud quosdam audiret; necesse habuit crebris ad diversos datis epistolis, tam suæ, quam Orientalium fidei rationem reddere, ac de duabus naturis quod isti scripserant, rite, et catholice conceptum ostendere. Quocirca φύσεως vocabulo certum est non aliam notionem subjecisse Cyrillum, quam quæ ab Orientalibus usurpata fuerat. At hos ipsos constat *naturas duas* intellexisse, non *hypostases duas*. Non enim hypostases in unum convenisse duas, et in unitione ipsa sine confusione integras mansisse, Catholicus ullus diceret; aut vero laudare posset Cyrillus : cum hæc mera Nestorii fuerit hæresis, cui cum auctore suo damnandæ non interfuit ille solum, sed etiam præfuit. Denique illud extra dubitationem est, de iis rebus duabus commotam esse quæstionem inter Cyrillum, et Orientales, quæ in Christi incarnatione ita sunt unitæ, ut eædem post unitionem, salvis ac minime confusis proprietatibus, maneant. At ejusmodi non sunt hypostases, sive personæ, quia duæ non sunt conjunctæ, sed unica tantum divina, Verbique propria. « In Christo, ait Fulgentius [1], est gemina, inseparabilis, inconscissibilisque natura, et utriusque naturæ una persona. » Et mox, « Fides enim sicut in Christo duas naturas veraciter prædicat, sic duas in eo personas omnino denegat. » Quare cum naturis solis hoc conveniat, ut et duæ numerentur, et integræ absque confusione maneant unitæ ; merito ad eas solas tum controversia ista, tum ejus occasione prolata Cyrilli sententia referenda est.

Ac profecto Cyrilli verbis hujusmodi subesse sensum animadvertit Isidorus Pelusiota, in epistola quadam ad Cyrillum, quam laudat Anastasius Sinaita in Ὁδηγῷ, qua in epistola Cyrillum admonet, ut ne naturam unam in Christi incarnatione constituat. Isidori verba huc adscribi non alienum abs re nostra fuerit. « (2) Omni, *inquit*, custodia conserva cor tuum, ne forte naturam unam post Christi incarnationem admittas. Nam approbatio unius, utriusque negatio est. Præsertim cum habeas complures hac de re demonstrationes sancti patris nostri Athanasii, viri excellenter in divinarum rerum cognitione versati. » Hæc postrema verba non recte accepit interpres; qui putavit non esse Isidori, sed Anastasii asserentis Isidorum multa Athanasii testimonia citare. Verum Isidori sunt ipsius Cyrillum commonefacientis, ne naturam unam adstruat, cum Athanasius duas luculenter professus sit. Qui locus hoc ipsum confirmat, quod supra diximus, non esse germanum Athanasii, quod circumferebatur, opusculum, in quo *natura una Verbi incarnata post unitionem* ponitur. Non enim aut ignorasset, aut dissimulare potuisset Isidorus, nec tam audacter, increpans Cyrillum, ad Athanasium provocasset.

Ceterum Isidori epistola ista non extat, cujusmodi ab Anastasio refertur, inter illius epistolas, (3) sed est una in libro primo nu-

(1) JOAN. Antioch. epist. ad Cyr. in Eph. syn. pag. 588. Δύο γὰρ φύσεων ἕνωσις γέγονε. Διὸ καὶ ἕνα Χριστὸν, ἕνα Υἱὸν, ἕνα Κύριον ὁμολογοῦμεν. Κατὰ ταύτην τῆς ἀσυγχύτου ἑνώσεως ἔννοιαν, ὁμολογοῦμεν τὴν ἁγίαν παρθένον θεοτόκον, διὰ τὸ τὸν Θεὸν Λόγον σαρκωθῆναι, καὶ ἐνανθρωπῆσαι. Vide et Pauli homiliam pag. 590.

(2) ISIDOR. apud Anast. in Ὁδηγῷ pag. 162. Πάσῃ φυλακῇ τήρει τὴν καρδίαν, μή που μίαν φύσιν μετὰ τὴν σάρκωσιν τοῦ Χριστοῦ δέξῃ. Ἡ γὰρ εἰς μίαν συγκατάθεσις, ἑκατέρας ἐστὶν ἄρνησις, καὶ μάλιστα ἔχων περὶ τούτου πλείστας ἀποδείξεις τοῦ ἁγίου Πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου ἀνδρὸς ὑπερφυῶς τὰ θεῖα ἐμβατεύσαντος.

(3) ISID. Pelus. lib. 1. ep. 323. Ὅτι δὲ ὁ ἀληθινὸς, καὶ ἐπὶ πάντων Θεὸς, ἄνθρωπος γέγονεν ἀληθῶς, οὔτε ὃ ἦν τραπεὶς, καὶ ὃ οὐκ ἦν προσλαβὼν, ἐκ φύσεων δυοῖν ὁ εἷς ὑπάρχων Υἱὸς, ἄναρχος, καὶ ἀπέραντος, πρόσφατος, καὶ ἀΐδιος, οὐδ᾽ ἂν αὐτὸς ἀρνηθείης, πλείστας ἔχων τοῦ ἁγίου Πατρὸς ἡμῶν μεγάλου Ἀθανασίου περὶ τούτων συναινέσεις, ἀνθρώπου τὰ θεία ὑπερφυῶς ἐμβατεύσαντος.

[1] Fulg. ad Donat. c. 17.

mero 323. ad eumdem Cyrillum, quæ tacitam hujus reprehensionem ob idem dogma unius naturæ continere videtur ; tum eadem postrema verba, quæ ab Anastasio descripta sunt, illic leguntur.

CAPUT OCTAVUM.

1. Adversus interpretationem Cyrilliani dicti, quæ φύσιν pro natura sumit, objectum illud, naturam Verbi communem esse personis tribus ; ex quo consequens sit tres personas incarnatas esse : quod dissolvitur ex naturæ varia consideratione. — 2. Naturam ergo Verbi Cyrillus consideravit, ut communis est, sed in una aliqua hypostasi. — 3. Aliter natura divina, aliter hypostasis cum humana natura conjungitur. Inter unitionem et conjunctionem differentia ab Rustico allata rejicitur. — 4. Natura divina quomodo nata, aut genita dicatur, ex Rustici observatione. — 5. Eodem recidit natura una Cyrilli, atque hypostasis una. — 6. Cur naturam unam Verbi potius expressit Cyrillus, quam humanam. — 7. De voce σεσαρχωμένη, id est *incarnatæ* in illo Cyrilli dicto : quæ duabus naturis exprimendis servit. — 8. Quod Cyrilli testimonio declaratur ; — 9. et Maximi, ac Theodoreti : qui et ambo naturam intellexere, non hypostasim. — 10. Ex Eulogio eadem illustrata Cyrilli sententia ; et ex Theodoro presbytero. — 11. Maxentius perperam reprehensus super unitione naturarum.

I. Atenim non pauca sunt, nec explicatu facilia, quæ μίαν φύσιν illo in Cyrilli loco de natura interpretari vetent ; sed illud primarium, quodsi naturam Verbi incarnatam esse Cyrillus dixerit, cum sit eadem numero Verbi natura, quæ est Patris et Spiritus sancti, tam ab istis carnem esse susceptam, quam ab illo, necessario sequetur ; qui Patripassianorum, et similium hæreticorum fuit error, jamdudum ab Ecclesia proscriptus. Huc accedit, quod natura, ex omnium græcorum Patrum opinione, non est singulare quiddam, sed commune ; in quo differt ab hypostasi. Nam φύσιν idem esse cum ea specie, quam *infimam* vocant dialectici, passim illi docent, ut in quarto libro de Trinitate monstravimus [1] : hypostasim vero, naturam esse singularem, et individuam, certis proprietatibus ab communi distinctam, ac determinatam.

Huic argumento parata jam responsio est ex iis, quæ capite nono libri ejusdem quarti ab Joanne prodita Damasceno commemoravimus [2]. Qui naturam quamlibet trifariam considerari posse dicit : vel ut abstracta subjicitur simplici animi contemplationi, (non enim per se subsistit,) vel in communi, ut est in omnibus speciei ejusdem individuis, et hypostasibus, quas inter se conjungit ; appellaturque natura in specie considerata : vel denique ut eadem ex toto in singulari aliqua spectatur hypostasi, accidentium assumpta multitudine ; atque hoc modo vocatur natura in individuo considerata, quæ eadem est cum natura in specie considerata. Verbum deinde scribit neque primo intellectam modo naturam hominis copulasse sibi, alioqui merum esset figmentum, et adumbratio, simulatioque potius Incarnationis, quam vera carnis assumptio ; neque item secundo modo. Ita enim homines sibi adjunxisset omnes. Tertio itaque modo spectatam hominis naturam assumpsit, quatenus scilicet inest in uno individuo.

Quamobrem naturam Cyrillus hominis in illo loco consideravit, ex Joannis Damasceni mente, neque ut penitus ab individuis cogitatione semotam, neque ut plane individuam, ne et ipsa sit hypostasis ; sed eamdem, quatenus in uno homine singulari intelligitur, cui Verbum hypostasis est factum ; quemadmodum Euthymius in quarto illo de Trinitate libro [3] laudatus a nobis exposuit.

II. Nam quod ita Cyrillus τὴν μίαν φύσιν Verbi acceperit, inde constare Damascenus asserit, quod idem in posteriore ad Successum epistola respondens huic adversariorum interrogationi, « (1) Quinam perfectus in humanitate subsistat

(1) Cyr. 2. ad Success. pag. 143. Εἰ μὲν γὰρ μίαν εἰπόντες τοῦ Λόγου φύσιν, σεσιγήκαμεν, οὐχ ὑπενεγκόντες τὸ σεσαρκωμένην, ἀλλ' οἷον ἔξω τιθέντες τὴν οἰκονομίαν, ἦν αὐτοῖς τάχα που καὶ οὐκ ἀπίθανος ὁ λόγος, προσποιουμένοις ἐρωτᾷν εἰ μία φύσις τὸ ὅλον, ποῦ τὸ τέλειαν ἐν ἀνθρωπότητι ; ἢ πῶς ὑφέστηκεν ἡ καθ' ἡμᾶς οὐσία ; ἐπειδὴ δὲ καὶ ἡ ἐν ἀνθρωπότητι

[1] Cap. 7. et seq. — [2] Lib. 3. c. 11.

[3] Cap. 9. § 15.

Christus; aut quemadmodum natura in eo nostra cohæreat, » ait, merito talia sciscitaturos illos fuisse, si, cum *unam Verbi naturam* dixit, non statim adjunxisset, *incarnatam.* Hanc autem vocem idipsum, quod illi quærunt, exprimere, ac continere humanitatis perfectionem, et eamdem nobiscum substantiam. Hic apparere concludit Joannes Damascenus, φύσιν ibi non esse ὑπόστασιν : quando quidem si hoc illa significaret, nihil opus fuisset addere σεσαρκωμένην, eo quod *unam Verbi hypostasim* absolute pronuntiare licet, nulla alia voce subjuncta, quæ priorum invidiæ medeatur. (1) Ita naturam divinam intellexit Cyrillus, quatenus in hypostasi Verbi subsistit.

Eximia est de hac re Rustici diaconi contra Acephalos disputatio [1]. Nam cum hæreticum asserentem introduxisset, tres esse Trinitatis naturas, quarum una ab Cyrillo incarnata dicitur ; negat sequi esse tres, etsi una incarnata Verbi natura sit : « Sicut enim quando dicunt Patres, Deum Verbum incarnatum, et inhumanatum, etsi commune nomen Dei de tribus personis indifferenter prædicatur ; non tamen ob hoc eos consequitur dicere, quod incarnata sit Trinitas ; licet Pater, et Filius, et Spiritus sanctus unus sit Deus ; et ob hoc qui incarnatus est, dicatur et Deus, et unus Deus, et solus Deus, et Deus Verbum. Sicut igitur Deum esse, vel unum Deum esse, licet uniuscujusque personæ commune sit, non tamen quando Deum confitemur incarnatum, seu Virginem Dei partricem, consequitur nos, quod absit, inhumanatam dicere Trinitatem ; sed unam ex illis personis, id est, ex illa Trinitate, quæ Deus est : sic quando unam naturam Dei Verbi dicimus incarnatam, non nos consequitur, ipsam cum propria natura incarnatam dicere Trinitatem, sed magis unam illarum personarum, quæ in illa natura sunt confitendæ. »

III. Est etiam illud ejusdem Rustici impendio notandum de differentia, quæ inter naturam Verbi, et hypostasim cernitur, in conjunctione cum humana natura. « Non Deus Verbum, *ait* [2], per divinam naturam, sed divina natura per Dei Verbi personam unita dicitur carni. Si enim tota Trinitas incarnari voluisset, tunc forsan juste ipsa per semetipsam fuerat incarnata natura. Omnia enim, quæ illi naturæ secundum se, et propter semetipsam adsunt, communia Trinitatis, et non propria unius, soliusque personæ sunt. Inhumanatio autem non communis, sed propria est solius subsistentiæ Verbi. Incarnatus est igitur et Deus Verbum, et natura ejus : sed ille quidem per semetipsum, et secundum quod est ipse ; illa vero non ita, sed per personam. Igitur Deus Verbum secundum semetipsum quidem unitus est carni : una enim persona, et una subsistentia est facta cum carne : secundum naturam vero conjunctus est potius, quam unitus : duæ enim mansere naturæ, et per comparationem, Verbum potius unitum carni est, quam natura ejus ; et ob hoc, istud potius, quam illud, unitio est. Illud magis conjunctio est, licet sit et unitio : hoc vero magis unitio est, quam conjunctio. Nam quæcumque omnino conjunctio nominatur, illic pene semper servatur et numerus conjunctorum, seu etiam quantitas. » Hic Rusticus *unitam* potius personam Verbi, quam conjunctam ait humanæ naturæ ; naturam vero naturæ conjunctam potius, quam unitam. Quod ideo dixit ; quia unitionem secundum hoc usurpari credidit, quod unum fit : conjunctionem autem, duorum esse, quæ copulata manent, et numerum retinent, quales sunt naturæ duæ. Quæ observatio non est magni momenti. Etenim unitio duorum est, quæ reciproce dicuntur, hoc est si uniri hoc illi dicitur, etiam illud huic unitur. Quare si persona Verbi unitur humanæ naturæ, etiam uniri hanc illi oportet. Fit autem unum non in eo, quo Verbo natura unitur humana ; quæ per se, hoc est natura, non hypostasi, quam nullam habet, unitur : sed ex unius hypostasi, et alterius natura, una existit hypostasis : vel potius in eamdem hypostasim assumitur natura hominis. Ad hæc promiscue ab Cyrillo, ceterisque Patribus sumuntur ἕνωσις, et συνάφεια, vel σύμβασις, et σύνοδος, et si qua sunt alia vocabula, quæ *conjunctionem* proprie significant, ut superiore libro dictum est [4]. Tum *unitio* ipsa, ut idem Cyrillus ait, necessariam duorum expressionem continet : « (2) Ubi enim unitio nominatur, *inquit*, non unius rei concursus significatur, sed duarum, vel plurium,

τελειότης, καὶ τῆς καθ' ἡμᾶς οὐσίας ἡ δήλωσις εἰσκεκόμισται διὰ τοῦ λέγειν, σεσαρκωμένην· παυσάσθωσαν καλαμίνην ῥάβδον ἑαυτοῖς ὑποστήσαντες.

(1) JOAN. Damasc. lib. 3. cap. 11. pag. 207. Ὥστε

τὸ εἰπεῖν, φύσιν τοῦ Λόγου, οὔτε τὴν ὑπόστασιν μόνην σημαίνει, οὔτε τὸ κοινὸν τῶν ὑποστάσεων, ἀλλὰ τὴν κοινὴν φύσιν ἐν τῇ τοῦ Λόγου ὑποστάσει ὁλικῶς θεωρουμένην.

(2) CYR. in commonit. ad Eulog. tom. 5. par. 2.

1 Tom. 4. Bibl. col. 839. et seq.

2 Rust. col. 824. — 3 Cap. 3.

a se mutuo natura discrepantium. » Verissime hoc tamen Rusticus, aliter naturam Verbi, aliter Verbum ipsum, sive hypostasim ipsius uniri, conjungive naturæ hominis : siquidem hypostasis per sese, et ἀμέσως, quod *immediate* vocant, copulatur : natura vero, non per se proxime, et absolute, sed qua in hypostasi est, vel qua est hypostasis. Nam hypostasis natura est ipsa per se subsistens, et singularibus, atque hypostaticis affecta proprietatibus.

IV. Hinc est, quod plerumque Patres naturæ tribuunt, quod non ei simpliciter, ac secundum se convenit, sed eatenus, qua est hypostasis. Ut cum natura vel essentia Filii gigni, nascive dicitur : cujusmodi locutionem aliquot exempla in sexto de Trinitate prolata sunt a nobis et exposita[1]. Quibus addendum illud Fulgentii[2], « Naturam Filii de seipso genuit Pater. » Et quod ad Incarnationem attinet, non minus frequentia apud eosdem Patres occurrunt. At Fulgentii ipsius insigne istud est in libro de Incarnatione et gratia Christi[3] : « Neque enim in utero sanctæ illius matris, et virginis, illa spiritalis, et ex Deo Patre sine initio genita Verbi Dei natura poterat absque carne temporaliter concipi, etc. Una quippe fuit in utero Mariæ virginis conceptio divinitatis et carnis; et unus est Christus Dei filius in utraque natura conceptus. » Vides ut et naturam Verbi genitam a Patre absque initio dixerit, et eamdem a matre Virgine in utero conceptam.

Ferrandus item diaconus in epistola ad Anatolium[4], « Ita igitur proprie, *inquit*, sicut veraciter, Maria divinitatem Filii genuit, sed incarnatam. Sine carne enim divinitatem sempiternam generare non posset homo mortalis. » Sic Athanasius in libro *de salutari adventu Jesu Christi*, « (1) Tota, *inquit*, natura fuit in ostensione formæ humanæ carnis aspectabilis Adami secundi ; non in divisione personarum, sed in existentia divinitatis, et humanitatis. » Vide Rusticum diaconum in disputatione contra Acephalos, tomo quarto Bibliothecæ Patrum[5].

V. Quamobrem φύσις hoc modo accepta perinde usurpatur ac Verbum ipsum, aut hypostasis Verbi, aut Filius, atque hujusmodi cetera, quæ incarnari dicuntur. Itaque Cyrillus ambo illa conjunxit, Λόγον, et φύσιν Λόγου, in dialogo de uno Christo. « (2) Unum, *inquit*, Filium et unam ejus esse naturam dicimus ; licet assumpserit carnem natura intelligente præditam. » Alias ergo aliis vocabulis utuntur tum Cyrillus ipse, tum Patres ceteri, vel naturam, vel personam significantibus[6]. Ita Proclus ad Armenos, « (3) unam hypostasim » dicit « incarnati Verbi. » Et Joannes Damascenus[7] « unam naturam Verbi incarnatam » pro eodem sumit ac « Verbum incarnatum. »

Theorianus in disputatione adversus Armenos[8], existimat Athanasium ita esse locutum, ut diceret, *unam naturam Verbi incarnatam*, propter Arii blasphemiam : qui Λόγον duplicem asserebat, unum in Patre, insitum ipsi, et ejus substantiæ proprium ; alterum, in tempore creatum, et nostra causa factum, et incarnatum. Ideo μίαν φύσιν Λόγου scripsisse Athanasium, ut non plures esse Λόγου naturas ostenderet. Quod mihi frivolum videtur. Nam μία φύσις non ad discrimen alterius divinæ naturæ dicitur, sed ad plurium excludendam divisionem, sive ut divina, qua in Verbo est, significetur, eique adjuncta et unita caro, non seorsim subsistens.

VI. Porro in isto loquendi genere Cyrillus *unam naturam Verbi* potius expressit, quam hominis, cui primas deferret, cum sint duæ mutuo nexu copulatæ ; quod in Incarnatione primarium locum obtinet divinitas, ad quam humanitas velut appendicis, et accidentis instar est ad substantiam : ut ex S. Thoma Aquinate[9] alibi notavimus[10], ubi et Vigilii dictum illud attulimus ex libro quarto contra Eutychem : « Verbum quippe habet ; habetur autem caro. » Nam habere alterum dicitur, qui potior est ; haberi, qui inferior, et subjectus. Itaque solius præstantioris naturæ cohærentia, et habitudo ad alteram, verbis illis exprimitur, divinæ scilicet : humanæ

pag. 133. Ὅπου γὰρ ἕνωσις ὀνομάζεται, οὐχ ἑνὸς πράγματος σημαίνεται σύνοδος, ἀλλ' ἢ δύο ἢ πλειόνων, καὶ διαφόρων ἀλλήλοις κατὰ τὴν φύσιν.

(1) ATHAN. pag. 500. Ἐπειδὴ καὶ φύσις ὅλη τοῦ Λόγου ἐν ἐπιδείξει μορφῆς τῆς ἀνθρωπίνης σαρκὸς τῆς ὁρωμένης τοῦ δευτέρου Ἀδὰμ, οὐκ ἐν διαιρέσει προσώπων, ἀλλ' ἐν ὑπάρξει θεότητος, καὶ ἀνθρωπότητος.

(2) CYR. tom. 5. par. 1. p. 735. Ἕνα γε μὴν Υἱὸν, καὶ μίαν αὐτοῦ φύσιν εἶναί φαμεν, κἂν εἰ ἐν προσλήψει γενέσθαι σαρκὸς ψυχὴν ἐχούσης τὴς νοερὰν.

(3) PROCL. tom. 11. bibl. PP. pag. 314. Μίαν ὑπόστασιν τοῦ σαρκωθέντος Λόγου.

[1] Cap. 10. — [2] Fulg. ad Ferrand. Resp. 2. p. 220. A. — [3] Cap. 3. pag. 233. D. — [4] Tom. 3. Bib. 332. — [5] Tom. 4. Bibl. 823. et 824.

[6] Vide supra § 2. — [7] Lib. 3. c. 7. p. 194. — [8] Tom. 11. Bib. pag. 460. et 461. — [9] Opusc. 2. c. 201. — [10] Lib. 3. de Trin. c. 3. § 12.

vero cum illa nexus non diserte ponitur, sed ex altera consequens, et subaudienda relinquitur.

Simile quiddam ab Rustico est notatum diacono, in disputatione contra Acephalos [1]. Nam cum hæretici isti, ad unius naturæ approbandam fidem, Gregorii Nazianzeni locum objecissent, in quo « (1) secundum substantiam conjunctam esse, conjungique divinitatem in Christo » asserit; « non autem in ipso, velut in Propheta, operatam fuisse per gratiam ; » ex quo ita ratiocinabantur : « Si secundum substantiam in Christo unitio facta est, constat quia unam substantiam fecit. Non enim dixit testimonium (Gregorii) secundum substantias conjunctum (Verbum) sed secundum substantiam : substantia utique una est, et non duæ substantiæ, ut dicitis vos ; » huic, inquam, argumento Rusticus ita respondet : « Non dicit nunc qualiter ad invicem duæ naturæ convenerint ; sed quomodo una et sola divina natura humanitati convenerit : sed non e converso etiam. » Quippe ut ex proxime antecedentibus constat, de eo sermo erat, quod hæretici dicebant, Dei Filium cum humanitate conjunctum esse sola operatione, et efficientia. Quare modus erat explicandus, quo divinitas cum humana natura copulatur; non autem vicissim is, quo cum illa ista connectitur. Quanquam ut unius et ejusdem viæ contrariæ sunt rationes, ut alter ascensus sit, alter descensus; nec idem sit Thebis Athenas, et Athenis Thebas itio, tametsi intervallum idem sit, et spatium, ut scribit Aristoteles [2]; sic divinitatis et humanitatis eadem est unitio; sed ratio diversa, ut ait Rusticus [3] : primum « quia duarum naturarum unitionem non ambæ fecere naturæ, sed sola divinitas. Quid enim et cooperari ad unitionem valuit natura nostra, quæ in Christo est, quæ sumpsit ab ipsa unitione principium? » Deinde quia « non duarum, sed unius tantum miraculum ipsa unitio fuit, » divinæ scilicet, quæ admirabili, et inusitata ratione cum humana copulata est, longeque ab ea diversa, qua cum prophetis virisque sanctis, non sine eorum nisu, et cooperatione jungi solebat. Hæc fere Rusticus. Quod si utriusque naturæ connexionem, et coagmentationem Cyrillus explicare voluisset, addidisset utique *ad unam naturam Verbi incarnatam*, etiam alteram hominis in Deum assumptam ; vel si quo alio verborum aut circuitu, aut compendio, unitionem naturæ inferioris, et assumptæ cum assumente declarare mallet : de quo postea. Nec illud præterierim, consentaneum esse Cyrilliano illi dicto, magni Leonis istud ex sermone 10. de Nativitate, « Verbum caro factum, unus est Christus. » Hic enim Verbum tanquam principale recensetur.

VII. Ut reliqua persequamur memorabilis illius Cyrilli sententiæ, restat expendenda nobis vox una σεσαρκωμένη, in qua utiliter animadverti nonnulla possunt, sed illud imprimis, valere hanc ad unius in Christo naturæ suspicionem amoliendam, duarumque stabiliendam fidem. « Dum enim dicitur unam divinitatis naturam fuisse incarnatam (verba sunt Gelasii papæ [4]) remotis ambiguitatibus, altera erit, quæ incarnata est, altera qua incarnata perhibetur; quoniam non eadem erit natura deitatis, quæ incarnata est, quæ est natura carnis, qua incarnata affirmatur; neque seipsa natura deitatis incarnata est, sed natura carnis incarnata cognoscitur. Sicut neque seipsa natura carnis extitit deitate sublimis : quia et non aliunde divinitas, quam de utero Virginis matris incarnata processit, et caro nonnisi in iisdem visceribus sancto Spiritu superveniente, et Altissimi obumbrante virtute, est unita deitati. » Quem *beatæ memoriæ Gelasii papæ* locum citat Fulgentius in responsione ad quæstionem secundam Ferrandi.

Sic Maxentius in libello contra Acephalos [5], « At si voluerint, *inquit*, dicere, Verbum incarnatum, sive unam naturam Dei Verbi incarnatam, eo ipso, quo hoc dicunt, duas proculdubio dicere convincuntur in Christo naturas, duarumque, non unius, nomina naturarum, ejus videlicet, qui incarnatus est, id est Verbi Dei; et ejus, quæ ab ipso assumpta est, id est carnis. Non ergo hoc unius rei nomen est, quod sic expressam significationem duarum, diversarumque unitarum doceat naturarum. Quemadmodum cum dicitur humana natura, quam ex duabus, seu potius in duabus, diversisque naturis, id est carnis et animæ, subsistere, nemo dubitat : sed quemadmodum si dicatur anima incarnata, sive una natura animæ incarnatæ. »

Idem pugnaciore stilo contra Eutychianos contendit Leontius [6], quod caro illa, quæ cum

(1) Nazianz. ep. 1. ad Cledon. pag. 739. Εἴ τις ὡς ἐν Προφήτῃ, λέγοι κατὰ χάριν ἐνηργηκέναι, ἀλλὰ μὴ κατ' οὐσίαν συνῆφθαι τε, καὶ συνάπτεσθαι, εἴη κενὸς τῆς κρείττονος ἐνεργείας.

Tom. 4. Bibl. col. 823. — [2] Arist. 3. phys. c. 3. — [3] Col. 824. — [4] Gelas. lib. cont. Eut. tomo 4. Bib. 421. par. 2. — [5] Tom. 4. Bibl. PP. Par. 1. pag. 462. — [6] Tom. 4. Par. 2. Bib. 959.

divina natura conjungitur, propria substantia non careat, nec possit non esse quod dicitur. Porro illud minime prætermitti debet, Eutychianos, cum Cyrillianum illud dictum crebrius usurparent, ac nullum intentandi ejus Catholicis modum facerent, paulatim eo pervenisse æstu et fervore contentionis, ut plures divinitatis personas esse profiterentur. Quod enim persona Trinitatis una, et non alia, incarnata esse diceretur, exinde aliam esse, vel alias potius non incarnatas argumentati sunt. Cujus rei specimen habes apud Rusticum in disputatione contra Acephalos [1].

VIII. Sed præ omnibus est commemoranda Cyrilli ipsius vox, et professio; qui ab æmulis persæpe vexatus, et pro hæretico traductus ob illam ipsam sententiam, qua unam perfectam naturam duntaxat adstruere videbatur, præsidio se potissimum vocis illius σεσαρκωμένης, ab illorum obtrectatione defendit; ut in epistola secunda ad Successum, cujus verba antea descripsimus. Quæ et contra Monophysitas affert Petrus diaconus libro de Incarnatione, capite secundo : « Nec illis, *inquit*, acquiescentes, qui unam Dei Verbi naturam incarnatam prædicantes, venerabilis Chalcedonensis concilii fidem refugiunt; nec illos admittentes, qui duas naturas dolose pronuntiantes, unam Dei Verbi naturam incarnatam minime confitentur, æstimantes hoc duarum naturarum professioni contrarium : quasi aliquid aliud quam duas naturas ineffabiliter unitas, una Dei Verbi natura incarnata significet. » Mox Cyrilli verba refert illa, ex secunda ad Successum epistola, quæ græce adscripsimus antea, nunc latine, ut a Petro diacono sunt conversa, reddemus. « Si enim unam naturam dicentes Dei Verbi, ait Cyrillus, tacuissemus, non inferentes, *incarnatam*, sed velut abjicientes dispensationem, erat illis forsitan non improbabilis sermo simulantibus interrogare, ubi est in humanitate perfectio, aut quomodo substantia nostra subsistit. Quoniam vero et perfectio, quæ in humanitate est, et essentiæ nostræ manifestatio, illata est per id, quod dictum est, incarnati, jam desinant arundineam virgam sibi supponentes. »

IX. Habet igitur hanc vim σεσαρκωμένη vox, ut perfectam hominis naturam, id est anima et carne constantem significet; ut jam supra diximus, et Maximus martyr inter alios observat in tractatu quodam, *de Expositione vocum quarumdam, quibus utitur Ecclesia catholica, cum de Christo agitur ;* ubi ait, in illo Cyrilli dicto, « (1) periphrasi quadam naturas describi duas simul unitas, tum nomine, tum definitione : nomine quidem, cum una natura Verbi dicitur, quæ vox communitatem substantiæ cum hypostasis proprietate significat : definitione vero, cum humanitas exprimitur. Quid est enim humanitatis natura, nisi caro intelligente anima prædita? Itaque qui dicit, unam Dei naturam incarnatam, Deum Verbum indicat cum animata esse carne : tum vero aliud omnino quiddam secundum substantiam, præter Deum Verbum, esse carnem intelligit. » Ibi φύσιν pro *natura* perspicue sumit Maximus, quæ communem essentiam significans, determinatur, et restringitur adjectione *Verbi*, quod hypostaticam proprietatem continet. Porro *carnis* in *incarnato* vocabulum, perfectam hominis substantiam declarat, quæ nec animæ sit expers, ut Apollinaris existimabat : nec in divinitatem transfusa, et exhausta ; uti neque contra divinitas in carnem transiit.

Hanc naturarum in se mutuo conversionem, et permistionem, quæ Cyrillo identidem est objecta, passim idem accurate refellit, docetque « (2) id quod incarnari dicitur, non in carnis naturam converti, sed diversum aliquid ab hac, et cum ea copulatum intelligi. »

Theodoretus quoque Dialogo secundo, naturas indidem duas colligit sic : « (3) Alia est, *inquit*, incarnata Dei Verbi natura ; alia natura carnis, qua assumpta, Dei Verbi natura incarnata est, et inhumanata. » Et mox : « (4) Non mutatus, sed carnem sumens, incarnatus est. »

X. Eulogius Alexandrinus accuratius in illud

(1) MAXIM. Περίφρασις γάρ ἐστιν ἐν ταὐτῷ καθ' ἕνωσιν δι' ὀνόματος, καὶ ὅρου τὰς δύο φύσεις ἐμφαίνουσα· ὀνόματος μὲν, τῆς μιᾶς τοῦ Λόγου φύσεως, τῆς τὸ κοινὸν τῆς οὐσίας μετὰ τοῦ ἰδίου τῆς ὑποστάσεως σημαινούσης· ὅρου δὲ, τῆς ἀνθρωπίνης· ὡς αὐτός φησιν ὁ διδάσκαλος. Τί γάρ ἐστιν ἀνθρωπότητος φύσις, πλὴν ὅτι σὰρξ ἐψυχωμένη νοερῶς ; ὥστε ὁ λέγων μίαν τοῦ Θεοῦ Λόγου φύσιν σεσαρκωμένην, τὸ μετὰ σαρκὸς ἐμψύχου εἶναι τὸν Θεὸν Λόγον δηλοῖ, ἕτερόν τι πάντως κατὰ τὴν οὐσίαν παρὰ τὸν Θεὸν Λόγον οὖσαν τὴν σάρκα νοῶν.

[1] Rustic. tom. 4. Bib. p. 839. et seq.

(2) CYR. in defens. anath. 4. contra orient. Τὸ γὰρ σαρκοῦσθαι λεγόμενον, οὐκ εἰς σαρκὸς τρέπεται φύσιν, ἀλλ' ἕτερόν τι νοεῖται παρ' αὐτὴν ὑπάρχον, καὶ ἑνωθὲν αὐτῇ.

(3) THEOD. pag. 70. Ἄλλη μὲν ἡ σαρκωθεῖσα τοῦ Θεοῦ Λόγου φύσις, ἄλλη δὲ ἡ τῆς σαρκὸς, ἣν ἀναλαβοῦσα ἡ τοῦ θείου Λόγου φύσις ἐσαρκώθη, καὶ ἐνηνθρώπησεν.

(4) THEOD. ibid. Εἰ τοίνυν οὐ τραπεὶς, ἀλλὰ σάρκα λαβὼν ἐσαρκώθη.

vocabulum inquirens, trifariam explicari posse σεσαρκωμένην ait : « (1) Aut enim significare idem, atque carne figuratam, ac velut formatam esse, sicut æs simulacri forma : aut in carnem commutata Verbi natura, et tanquam carnea facta, unam prodiisse naturam : aut postremo unam illam Verbi naturam in Incarnatione non unam amplius esse solam ; sed cum carne considerari, ita ut conversionis, ac mutationis expertem seipsam, et assumptam carnem pariter conservet. » Ex his tribus modis, priores duos Apollinaris, et Eutychis esse dicit : tertium, ab apostolis accepisse, ac professos esse veteres Patres.

Non solum autem naturas duas contra Eutychis amentiam Cyrilli sententia illa complectitur; sed easdem arctissimo inter se nexu copulatas, et, quod accurate supra demonstravimus, ab antiquis theologis commendari solitas esse, salva ambarum differentia, et numero, neutiquam divisas, ac separatas ostendit; atque ita Nestorianam perfidiam elidit. Propterea complures ita dictum illud interpretati sunt, ut *unam* dicere *naturam incarnatam Dei Verbi*, perinde esse docerent, ac « (2) duas » asserere « naturas indivisas, minimeque confusas, ait Eulogius, in uno, et eodem Christo ; » vel [1] « naturas duas in unitione secundum hypostasim, » ita ut addatur vox, ἀσυγχύτους, hoc est *inconfusas*, ad vitandum Eutychis errorem. Addit Eulogius « (3) non sufficere professionem naturæ unius incarnatæ, » nisi et hoc adjungas, quod crebro Cyrillus subjicit, « animatæ rationali et intelligente anima, citra confusionem : » ut hæreticis omnem cavillandi occasionem præcidamus.

Theodorus presbyter Rhæthuensis in isagogico tractatu de incarnatione Domini [2] pluribus agit de illa Cyrilli voce, et additamento, quod necessarium putat Eulogius ; ex quo singularem unitionis ejus, quæ est in Christo facta, prærogativam colligit : quod nulla confusio, vel commutatio naturarum in conjunctione mutua contigerit, quæ in aliis evenire solet. Etenim cum dicimus, exempli causa, *naturam aquæ congelasse*, non adjicimus alteram naturam, velut *gelu congelasse*, tanquam diversa natura sit : cum eo ipso, quod dicimus, aquam congelasse, satis sit istud expressum : quod eo fit, quia aquæ natura in gelu convertitur. At dicimus lignum auro deauratum esse ; quoniam naturæ ibi minime confunduntur : et duas, ac diversas manere, ex illa geminatione cognoscimus. Sic igitur *naturam unam Verbi incarnatam* dicentes subjicimus, « carne animata rationali, et intelligente anima. » Hæc Theodorus.

XI. Recte igitur, et Cyrillo, atque Eulogio consentanee Maxentius in Anathematismo primo [3] utramque formulam conjungens, « Si quis, *inquit*, non confitetur in Domino nostro Jesu Christo duas naturas unitas, hoc est divinitatis, et humanitatis ; ac sic unam naturam Dei Verbi incarnatam, sicut duas unitas in una substantia, atque persona, secundum quod nobis tradidit veneranda synodus Chalcedonensis, anathema sit. » Quod frustra vellicat ille, qui annotationem præfixit anathematismis istis. Quemadmodum et quod idem Maxentius in tertio professus est : « Si quis non confitetur substantialem, sive naturalem unitatem, secundum id quod manens natura Deus Verbum, naturæ est unitus humanæ, sed subsistentialem, sive personalem dicit unitatem, aut secundum illustrationem, sive secundum dilectionem, aut secundum affectionem, anathema sit. » Credidit scholiastes subdolam hanc esse confessionem, quod et *substantialem*, ac *naturalem unitatem* asserendo, naturarum confusionem in unam aliquam adstruat : et *subsistentialem*, *ac personalem* negando, catholico dogmati contradicat, quod naturas duas in unam coire personam, ac subsistentiam decernit. Verum absurda prorsus est ista reprehensio ; et ex inscitia manat veræ, et usitatæ, græcis præsertim theologis, notionis illarum vocum. Nam *substantialem* et *naturalem*, id est οὐσιώδη καὶ φυσικὴν, *unitionem* vocant naturarum in Chri-

(1) Eulog. apud Phot. cod. 230. pag. 438. Καὶ γὰρ τὸ, σεσαρμωμένη, ἢ ἀντὶ τοῦ, σαρκὶ ἐσχηματισμένη, καὶ οἷον εἰδοποιηθεῖσα, ὥσπερ ὁ χαλκὸς τῇ μορφῇ τοῦ ἀνδριάντος, ἐκληφθείη ἄν· ἢ ὅτι εἰς σάρκα τῆς τοῦ Λόγου φύσεως τραπείσης, καὶ οἷον ἀποσαρκωθείσης, μία προῆλθεν ἡ φύσις· ἢ ὅτι μία οὖσα ἡ τοῦ Λόγου φύσις, κατὰ τὴν οἰκονομίαν οὐκέτι μία μόνη, ἀλλὰ καὶ μετὰ σαρκὸς θεωρεῖται, τὸ ἄτρεπτον, καὶ ἀναλλοίωτον ἑαυτῇ τε, καὶ τῇ προσληφθείσῃ σαρκὶ διασώζουσα.

(2) Apud Phot. cod. 230. pag. 438. Καὶ δῆλον ὡς, εἴ τις εὐσεβεῖν ἐθέλει ἐν τῷ λέγειν μίαν φύσιν τοῦ Λόγου σεσαρκωμένην, τὸ αὐτὸ φρονεῖν ἂν χαριτωθείη τοῖς δύο φύσεις ἀδιαιρέτους, καὶ ἀσυγχύτους ἐν τῷ ἑνὶ, καὶ τῷ αὐτῷ Χριστῷ θεωροῦσι τε, καὶ δοξάζουσιν. Vide et pag. 460.

(3) Id. pag. 454. Ὥστε οὐχ ἁπλῶς αὐτὴν παραδεκτέον, ἀλλ' ὡς ὁ τὰ θεῖα σοφὸς Κύριλλος, τουτέστι, ψυχῇ λογικῇ τε, καὶ νοερᾷ συνάπτοντα ἐψυχωμένην καὶ τῶν συνελθόντων συνεπιθεωροῦντα τὸ ἀσύγχυτον.

[1] Eulog. p. 454. — [2] To. 11. Bib. 324.

[3] To. 4. Bib. PP. 441.

sto, quæ σχετικῇ, et fictæ, ac perfunctoriæ, qualem inducebat Nestorius, opponitur; non autem ejusmodi quæ in unam naturam desinit : *subsistentialem* vero, et *personalem*, hoc est ὑποστατικὴν et προσωπικὴν damnat eo sensu, quem Nestorius præ se ferebat : qui ex duabus subsistentiis, et personis unam esse factam voluntate, et affectione, hoc est σχετικῶς, aiebat; non quomodo Catholici unitionem illam in unicam personam redundare prædicant. Vide quæ in libro tertio capite tertio, et quarto de vocabulis istis scripsimus.

Ad extremum, animadvertendum etiam istud est, Eutychem judicio postulatum in Constantinopolitana synodo [1], instantibus Patribus, ut duas naturas, neque divisas, neque confusas agnosceret, non semel opposuisse Cyrilli et Athanasii auctoritatem : qui ante unitionem, ut putabat, naturas duas confessi sunt; post unitionem vero duntaxat unam, non addito vocabulo, *incarnatam* : quo videlicet intelligebat labefactari hæresim suam. At vero Basilium Seleuciensem frustra hortatum esse, ut hanc vocem adjiceret, σεσαρκωμένην, uti cum catholico dogmate consentiret.

CAPUT NONUM.

An ut Deus homo factus dicitur, ita et homo factus Deus. — 2. Duobus modis hoc exprimi a Græcis : primo per verbum *γίνομαι*. — 3. Secundo per *θεοῦσθαι* : quod *deitari* Rusticus vertendo dixit. — 4. Quod posterius usitatissimum est, et aliquot exemplis adstruitur. — 5. Quid sit Deum natura factum hominem fuisse, hominem *θέσει* factum Deum. — 6. Dicitur et *θεοποιεῖσθαι*, et *θεοπλαστία*. — 7. Latini etiam usurparunt, hominem factum esse Deum. — 8. Et *λογωθῆναι*, id est Verbum factum esse. — 9. Cavendum tamen est ne in usu vocum hujusmodi Nestorianum virus lateat. *Ἀποθεοῦσθαι*, id est *divinari*, infamatum vocabulum ab Nestorio. — 10. Cur a Patribus rejectum : — 11. maxime a Joanne Damasceno. A Cyrillo tamen adhibitum. — 12. Illustrantur Petri diaconi, et aliorum quorumdam loca, in quibus homo factus Deus esse negari videtur; — 14. ut Cyrilli contra Anthropomorphitas. — 15. Scholasticorum de illa enuntiatione conflictus : inter quos negantium argumenta diluuntur.

I. Ex duabus naturis, quæ in una Christi persona subsistunt, unam, quæ divina est, incarnatam esse, hoc est, Verbum ipsum, carnem, sive hominem esse factum, hucusque demonstratum est. Nunc vicissim illud inquirendum est, an et homo factus Deus dici debeat. Nam dispar utriusque videtur esse conditio, quod Deus, priusquam hominem assumeret, adeoque omni ex æternitate, Deus erat, ac Verbum : ac propterea id, quod antea non erat, et quod esse cœpit, recte homo factus esse dicitur. Homo vero si factus est Deus, prius extitisse ponitur, quam Deus fieret. Quod enim fit aliquid, antequam hoc sit, extare debet : ut jam constituto, novi illius, et adventitii, quod deinceps esse dicitur, fiat accessio. Atqui natura hominis, quæ est in Christo, ne momento quidem conjunctionem cum Verbo antecessit suam, uti libro sequente docebitur. Non igitur homo factus est Deus.

Movit hæc potissimum ratio complures de Schola theologos, ut hanc enuntiationem, *Homo factus est Deus*, tanquam falsam abjudicarent, contra quos postea disputabimus. Illuc modo prævertamur, quod, cum omnis, quæ in illa complexione vocum inest, invidia, vocabulo *factus est* contineatur, eam sermo græcus, a quo ad Latinos enuntiatum istud manavit, aut nullam habet, aut multo certe leviorem.

II. Duplex est usitatum apud Græcos loquendi maxime genus, quod latinis illis respondet : alterum verbo γίνεσθαι, alterum verbo θεοῦσθαι solet exprimi. Horum prius usurpavit Joannes evangelista in celebri illa sententia, (1) *Verbum caro factum est*. Et apostolus Paulus in epistola ad Romanos, (2) *De filio suo, qui factus est ei ex semine David*. Et ad Philippenses, (3) *In similitudinem hominum factus*. Quibus in locis verbum γίνεσθαι ex propria, præcisaque notione sua, *factionem* non significat, sed rei *extantiam*, cujus initium, quoquo modo cœpta sit, expri-

(1) Joan. 1. 14. Καὶ ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο.

(2) Rom. 1. 3. Περὶ τοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαβίδ.

(3) Phil. 2. 7. Ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος.

[1] In Chal. Synod. Act. 1. p. 123. 124. 132. 153.

mitur, citra ejus antecessionem ullam, tanquam prius in sese τὸ ὑποκείμενον, id est *subjectum*, extiterit, quam τὸ κατηγορούμενον, id est *prædicatum*; quæ antegressio, in latina voce *factus est*, significari putatur. Itaque hoc inopiæ linguæ istius adscribendum est, quæ verbo caret, quo simplex initium existendi sine talium proprietatum admistione declaratur.

Hujus verbi in ea re, quæ modo agitur, usus apud Athanasium occurrit in libro *de humana natura suscepta*. « (1) Iste ipse Deus, *inquit*, factus est caro, ut caro ejus fieret Deus Verbum. » Item apud Gregorium Nazianzenum, Oratione 35. ubi Arianos Christi contemptores insectans, « (2) Qui propterea divinitatem, *inquit*, aspernaris, quia crassitiem tuam suscepit, per interpositam mentem cum carne conjunctus, atque inferior hic homo Deus factus, postquam cum Deo commistus est, et unus factus est, potiori parte superante : ut ipse quoque tantum Deus efficiar, quantum ille homo. » Frustra est enim Elias scholiastes, qui *inferiorem* appellari Deum, non hominem existimat. Hunc ipsum Gregorii locum refert Nicetas Choniata in libro 3. Thesauri capite 29.

III. Altera vox græca, quam Latini tribus explicare coguntur ob eamdem angustiam, est ἐθεώθη, *Deus factus est*. At ista *factionem*, sive effectionem proprie non significat. Sed, si barbare loqui vellemus, *deitandi* vocabulo liceret uti : quemadmodum Rusticus [1], *homo deitatis* dixit. Sed hujusmodi verba Latini sic solent vertere, ut *factum esse* dicant. Sic σαρκοῦσθαι est *carnem fieri*, hoc est incarnari, χαριτοῦσθαι *gratiosum fieri*, κρυσταλλοῦσθαι *crystallum*, aut *glaciem fieri*. Nonnunquam tamen solam rei communicationem, et adjunctionem significant : ut χρυσοῦσθαι est *inaurari*, non *aurum fieri*. Χαλκῶ est *æro* in Glossario veteri, hoc est *ære obduco*, ἀργυρόω *argento*. Ita θεοῦσθαι est *divinum fieri*, participatione quadam divinitatis, quæ creatis etiam rebus tribuitur, ut angelis, et hominibus sanctis; et interdum *deificari* vertendo redditur, quando sanctiorem in statum, ac diviniorem, hoc est Deo similiorem imitatione virtutis illius attolluntur : quo sensu « (3) Deum oportere esse » dixit Synesius, « evecto sursum animo ; nec eo contentos esse, ut ne mali simus. »

IV. Quamobrem, uti jam supra monuimus, pro rerum captu, et conditione, de quibus agimus, uti pleraque vocabula, sic istud θεοῦσθαι intelligi oportet, necnon *deificari*, *Deumve fieri*. Sicut et *Dei* nomen non semper essentia ipsa, sed qualitate, ac similitudine censetur, cum ad creata transfertur. Cum igitur de homine assumpto ab Verbo dicitur, θεοῦσθαι, idem est atque esse, dicique Deum. Quod quia minime ex omni æternitate fuit, sed in tempore cœptum est, idque factione, et efficientia quapiam a Deo manante, et in subjectam rem transeunte; idcirco dicitur *homo factus esse Deus*. Atque hæc apud græcos latinosque Patres videlicet usitata locutio est : e quibus pauca hic exempla referam.

Gregorius Nazianzenus in Oratione 36. « (4) Quid majus humilitati hominis accidere potuit, quam ut Deo copularetur, et ex illa mistione Deus fieret ? » Tum in epistola priore ad Cledonium, quam orationem 51. numerant, ex Rustici, cujus supra memini, versione : « (5) Hæc enim ambo unum commistione, Deo quidem inhumanato, homine vero deitato, vel quomodolibet quis nominet. » Hoc expressius ad Gregorii mentem, quam quod recentior interpres, vir ceteroqui græce doctissimus, reddidit : « Ambo enim hæc connexione unum sunt, Deo nimirum humanitatem, atque homine divinitatem suscipiente. » Nam σύγκρασις plus est aliquid, quam *connexio*, et *commistionem* significat. Tum humanitas non satis commode *suscipere divinitatem* dicitur. Notanda porro est factitia illa vox, *deitatus*, quam fingere, ac subrustice loqui maluit Rusticus, quam Nestorianis calumniandi ansam præbere, si *deificatum* aut *Deum factum* scriberet.

Idem Gregorius Oratione 33. et 42. « (6) Procedens, *inquit*, Deus cum eo quod

(1) ATHAN. tom. 1. pag. 466. Καὶ οὗτος αὐτὸς ὁ Θεὸς γέγονε σὰρξ, ἵνα ἡ σὰρξ αὐτοῦ γένηται Θεὸς Λόγος.

(2) NAZ. or. 35. pag. 575. Ὃς διὰ τοῦτο περιφρονεῖς θεότητα, ὅτι τὴν σὴν παχύτητα κατεδέξατο, διὰ μέσου νοὸς ὁμιλήσας σαρκὶ, καὶ γενόμενος ἄνθρωπος ὁ κάτω Θεὸς, ἐπειδὴ συνανεκράθη Θεῷ, καὶ γέγονεν εἷς, τοῦ κρείττονος ἐκνικήσαντος, ἵνα γένωμαι τοσοῦτον Θεὸς, ὅσον ἐκεῖνος ἄνθρωπος.

(3) SYN. in Dione pag. 50. Δεῖ δὲ καὶ ἀναγωγῆς, οὐ γὰρ ἀπόχρη μὴ κακὸν εἶναι, ἀλλὰ δεῖ καὶ Θεὸν εἶναι.

(4) NAZ. orat. 36. pag. 578. D. Τί δὲ μεῖζον ἀνθρώπου ταπεινότητι, ἢ Θεῷ πλακῆναι, καὶ γενέσθαι Θεὸν ἐκ τῆς μίξεως;

(5) NAZIANZ. orat. 51. pag. 739. Τὰ γὰρ ἀμφότερα ἓν τῇ συγκράσει, Θεοῦ μὲν ἐνανθρωπήσαντος, ἀνθρώπου δὲ θεωθέντος, ἢ ὅπως ἄν τις ὀνομάσειε.

(6) NAZIANZ. pag. 620. et 682. Προελθὼν δὲ Θεὸς μετὰ τῆς προσλήψεως, ἓν ἐκ δύο τῶν ἐναντίων σαρκὸς καὶ πνεύματος· ὧν τὸ μὲν ἐθέωσε, τὸ δὲ ἐθεώθη.

[1] Tom. 4. Bibl. 820.

assumpsit, unum ex duobus inter se contrariis, carne, ac spiritu : quorum alterum Deum fecit, alterum Deus factum est. » Item in iambico carmine contra Apollinarem,

(1) Sic quod Deum fecit, deificatumque est unus Deus.

V. Joannes Damascenus, « (2) Ipsum, *inquit*, Verbum caro factum est, conceptum quidem ex Virgine, progrediens vero Deus cum assumpta natura, jam et ipsa ab illo deificata simul atque esse cœpit : adeo ut tria simul ista fuerint, assumptio, existentia, et deificatio illius a Verbo. » Et mox, B. Virginem θεοτόκον, id est *Dei genitricem*, appellari dicit, « (3) propter deificationem humanitatis. »

Sed latius idipsum explicat in capite 17. libri tertii, ubi rationem edisserit, modumque, quo « (4) caro Deus est facta ; » et ὁμόθεος, ac Θεὸς appellari meruit ; hoc est æqualis Deo, ac Deus ipsa.

Euthymius in Panoplia, inter sententias quasdam collectas ex variis Patribus, unam habet, qua de mutua naturarum communicatione agens, quamdam appellat «(5) æqualem, sed dissimilem, ut in Deo inhumanato, et in homine deificato. Quamvis enim tantum deificatus sit assumptus homo, quantum inhumanatus est qui assumpsit Deus, (siquidem in corpore, et anima, et mente tam humanatio facta est, quam deificatio,) dissimili tamen id ratione contigit. Deus enim natura factus est homo : at hic institutione Deus. » Qui locus singularis est, neque satis expeditus, quatenus *Deum* ait *natura esse factum hominem ; hominem vero* θέσει *factum Deum*. Nomina hæc duo solent inter se opponi, φύσει, καὶ σχέσει : ut cum de Filio agimus, alium dicimus naturalem, τὸν φύσει, alium adoptivum, τὸν θέσει, hoc est *gratia*. Ideo latinus Euthymii interpres vertit, *Homo autem per gratiam Deus.* Sed an non homo in Christo, naturali, et substantiva ἑνώσει factus est Deus ? Existimo, *natura* dici *Deum hominem factum*, quia naturalis inest Deo facultas, et potestas, qua se hominem facere potest : ejusmodi autem non est in hominis natura, ut se Deum facere possit ; ideo θέσει, hoc est, ut recte vertisse me arbitror, *institutione*, hoc illi obtigisse. Idem auctor in calce tituli septimi, « (6) Quod assumptum est, *ait*, ex unitione ipsa factum est Deus. »

Chrysostomus quoque, sive alius quis (nam suspectus est auctor) in homilia secunda de Ascensione, « (7) Christum ad nos venisse *ait*, et naturam nostram assumpsisse, ac Deum fecisse. » Andreas item Cretensis, « (8) ejus quod assumptum est, *inquit*, deificationem » vocat. Theophanes Cerameus B. Virginem ait, « (9) naturam nostram partu suo deificasse. » Quod tamen non de sola, quam Deus assumpsit, sed de universa hominis natura potest intelligi : ut illa θέωσις non sit proprie dicta, sed σχετικὴ duntaxat, et tropica. Quemadmodum et in illo Athanasii loco orationis quartæ, ubi ita scribit : « (10) Nisi divinitatis Verbi opera per corpus effecta essent, nunquam homo deificatus esset : » humana ipsa natura *hominis* voce continetur.

VI. Usi sunt tamen aliqui vocabulo isto θεοποιεῖσθαι, quod est proprie *deificari*, ad singularem illam exprimendam hominis evectionem ad Dei consortium, quæ in solo Christo cernitur. Ita enim Cyrillus Christum ait dici gratiam a Patre accepisse, « (11) deificato templo, quod assumpsit, » quia templum istud, id est humanitas Verbi erat propria. Athanasius item (12) θεοποιηθεῖσαν Christi carnem dixit post resurrectionem, hoc est incorruptam immortalemque factam.

Et Maximus martyr in centuria prima theo-

(1) Id. in carm. iamb. pag. 248. Οὕτω τὸ θεῶσαν, καὶ θεωθὲν εἷς Θεός.

(2) DAMASC. lib. 3. cap. 12. pag. 212. Αὐτὸς γὰρ ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο κυηθεὶς μὲν ἔκ τε παρθένου, προελθὼν δὲ Θεὸς μετὰ τῆς προσλήψεως, ἤδη καὶ τῆς αὐτῆς ὑπ᾽ αὐτοῦ θεωθείσης ἅμα τῇ εἰς τὸ εἶναι ταύτης παραγωγῇ· ὡς ὁμοῦ γενέσθαι τὰ τρία, τὴν πρόσληψιν, τὴν ὕπαρξιν, τὴν θέωσιν αὐτῆς ὑπὸ τοῦ Λόγου.

(3) Ibid. Διὰ τὴν θέωσιν τοῦ ἀνθρωπίνου.

(4) Id. cap. 17. Καὶ ἡ σὰρξ τοῦ Κυρίου τεθεῶσθαι λέγεται, καὶ ὁμόθεος καὶ Θεὸς γενέσθαι.

(5) EUTH. Pan. par. 1. tit. 7. pag. 146. Ἡ μὲν ἴση καὶ ἀνόμοιος, ὡς ἐπὶ τοῦ ἀνθρωπισθέντος Θεοῦ, καὶ τοῦ θεωθέντος ἀνθρώπου. Εἰ γὰρ καὶ τοσοῦτον ἐθεώθη ὁ προσληφθεὶς ἄνθρωπος, ὅσον ἐνηνθρώπησεν ὁ προσλαβὼν Θεός· κατὰ σῶμα γάρ, καὶ ψυχὴν, καὶ νοῦν, καὶ ἡ ἐνανθρώπησις, καὶ ἡ θέωσις· ἀλλ᾽ οὐχ ὁμοίως. Ὁ μὲν γὰρ φύσει γέγονεν ἄνθρωπος, ὁ δὲ θέσει Θεός.

(6) Ibid. pag. 149. Καὶ τὸ πρόσλημμα δὲ ἐξ αὐτῆς τῆς ἑνώσεως ἐθεώθη.

(7) Tom. 5. Savil. hom. 162. pag. 974. Ἀλλ᾽ αὐτοῦ πρὸς ἡμᾶς ἐλθόντος, καὶ ἡμῶν φύσιν ἀναλαβόντος, καὶ θεώσαντος.

(8) ANDR. de Annunt. Mariæ p. 13. Τὴν τοῦ προσλήμματος θέωσιν : et ibid. pag. 14. ὅλον ἡμῶν ἐν ἑαυτῷ θεώσας το πρόσλημμα.

(9) THEOPH. hom. ult. pag. 427. Ἡ τὴν φύσιν ἡμῶν τῷ σῷ τόκῳ θεώσασα.

(10) ATHAN. orat. 4. pag. 275. Εἰ γὰρ τὰ τῆς θεότητος τοῦ Λόγου ἔργα μὴ διὰ τοῦ σώματος ἐγίνετο, οὐκ ἂν ἐθεοποιήθη ἄνθρωπος.

(11) CYR. Thes. lib. 20. pag. 196. B. Ἐδέχετο μὲν γὰρ θεοποιουμένου τοῦ ἀναληφθέντος ναοῦ.

(12) ATHAN. orat. 4. pag. 486. Καὶ ἀποθεμένη τὴν νέκρωσιν, καὶ θεοποιηθεῖσα.

logicorum capitum, ubi ἐκθέωσιν utramque, de qua locuti sumus, tam proprie dictam, cujus sola Christi humanitas compos fuit; quam participatione, et imitatione duntaxat adumbratam, cujusmodi toti naturæ hominum facta copia est, eleganter complexus est. « (1) Certa, *inquit*, fiducia sperandæ deificationis naturæ hominum est Dei incarnatio, quæ in tantum hominem Deum fecit, in quantum ipse homo factus est. Etenim qui citra peccatum homo factus est, plane citra mutationem in deitatem, naturam nostram deificabit : ac tantum propter se illam evehet, quantum propter hominem sese ipse demisit. » Vides ut perinde Maximus Deum factum hominem esse dicit, atque hominem esse Deum factum : ex quo consequens esse censet, ut et genus ipsum hominum, quantum in sese est, ad eamdem divinitatis communionem provehat. Cui affinis est locus ille Gregorii Nazianzeni, quem supra descripsi [1].

Nec absimili licentia θεοπλαστίαν dixisse videtur Dionysius, hoc est *Dei* effictionem : ubi Mariæ virgini Gabrielem ait angelum nuntiasse, « (2) quemadmodum ab Deo summo omnium principio elaborandum esset illius in utero inexplicabilis Dei effictionis mysterium. » Hic equidem θεοπλαστίαν interpretor *Dei in utero formationem*, qua homo Deus est factus : ita ut, ex quo primum existere cœpit, Deus esset, utpote in eamdem assumptus cum Deo personam. Quod multo aptius videtur, quam quod Maximus, et Georgius Pachymeres volunt, significari Dei ipsius, ac Verbi fictionem, sive, ut latinus Bibliorum interpres loqui solet, *plasmationem*, qua homo factus est; uti Joannes indicat cum ait, *Et Verbum caro factum est*. Siquidem *plasmatio*, sive *fictio*, aut etiam *factio*, ei potius tribuenda est, qui revera *formatus* est, et *effictus*, ut cum ante non *esset*, extare cœperit, quam Verbo, Deoque, in quem formatio effectioque per sese neutiquam convenit. Usus est eadem voce Dionysius in secundo capite libri de Divinis nominibus [2].

VII. Hæc sane vocabula θεοποιεῖσθαι, vel Θεὸν ποιεῖσθαι, vel θεοπλαστεῖσθαι carnem, longe mirabiliora sunt, quam θεοῦσθαι, et propius ad Latinorum expressionem accedunt : qui aliter ista reddere nequeunt, quam ut *hominem* dicant *Deum esse factum*. Et antiqui certe ita locuti sunt aliqui, ut Novatianus libro de Trinitate, capite 19. « Filius, *inquit*, Dei descendit, qui dum filium hominis in se suscepit, consequenter illum filium Dei fecit, quoniam illum Filius sibi Dei sociavit, et junxit. » Ambrosius libro primo de Virginibus : « Tunc in utero, *inquit*, Virgo concepit, et Verbum caro factum est, ut caro fieret Deus. » Item Augustinus; cujus hæc verba sunt [3], « Nam et ipsum Dominum gloriæ, in quantum homo factus est Dei Filius, prædestinatum esse dicimus. » Cui et hoc simile paulo ante scripsit : « Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus. » Quippe Christi vox ibi proprie Deum, Deique Filium significat : certe conjunctionem cum Deo Verbo, et assumptionem hominis illius includit, in quo singularis ista gratia consistit. Et in primo de Trinitate, capite 13. « Talis enim erat illa susceptio, quæ Deum hominem faceret, et hominem Deum. » Quem locum citat Albinus Flaccus libro quarto contra Felicem Urgelitanum, sub initium. Qui et paulo ante finem epistolæ ad Elipandum, « Si Deus homo factus est, *inquit*, utique homo Deus factus est, propter unitatem personæ. » Rursus Augustinus idem alio in loco plenius hoc ipsum explicans, utrumque defendit, et Filium Dei factum esse filium hominis, et filium hominis esse factum Dei filium; atque aliter sentientes refellit [4] : « Non ergo vobis subrepat, *inquit*, quorumdam sententia minus attentorum in regulam fidei, et in Scripturarum oracula divinarum. Dicunt enim : Qui filius est hominis, factus est filius Dei; qui vero filius Dei, non est factus filius hominis. Hoc ut dicerent, quod verum est attenderunt, sed verum eloqui non valuerunt. Quid enim attenderunt, nisi quia humana natura potuit in melius commutari, in deterius autem divina non potuit? Hoc verum est. Sed etiam sic, id est, nequaquam in deterius divinitate mutata, Verbum tamen caro factum est. » Mox veram illis fidei regulam opponit. « Quis enim Christia-

(1) MAXIM. cent. 1. cap. 62. Βεβαία πίστις ἐστὶ τῆς πρὸς ἐκθέωσιν ἐλπίδος τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων ἡ τοῦ Θεοῦ ἐνανθρώπησις, τοσοῦτον Θεὸν ποιοῦσα τὸν ἄνθρωπον, ὅσον αὐτὸς γέγονεν ἄνθρωπος· ὁ γὰρ χωρίς ἁμαρτίας γενόμενος ἄνθρωπος δῆλον ὅτι χωρὶς τῆς εἰς θεότητα μεταβολῆς, τὴν φύσιν θεοποιήσει, καὶ τοσοῦτον ἀναβιβάσει δι' ἑαυτὸν, ὅσον αὐτὸς διὰ τὸν ἄνθρωπον ἑαυτὸν κατεβίβασεν.

(2) DION. cap. 4. de cœl. Hier. pag. 29. Τὴν δὲ Μαριὰμ, ὅπως ἐν αὐτῇ γενήσεται τὸ θεαρχικὸν τῆς ἀφθέγκτου θεοπλαστίας μυστήριον.

[1] § 2. — [2] P. 270. — [3] Aug. lib. de Præd. sanct. c. 15.

[4] Aug. 15. de Nativ. Dom. qui est 19. de Temp. c. 2.

nus neget, ex illa fœmina filium hominis natum, sed tamen Deum hominem factum, et ita hominem Deum factum ?» Ergo et homo factus Deus dicitur, et quod idem est, in melius commutatus. Quod posterius in tractatu ad Psalmum 74. declarat[1]. « Homine, *inquit*, assumpto, ipse non assumptus ; homine mutato in melius, nullo modo ipse in deterius commutatus. » Mutari in melius nihil est aliud, nisi fieri Deum. Capreolus episcopus Carthaginensis in epistola ad Vitalem et Constantium : « Quid ergo nos erubescimus, *ait*, confiteri Deum propter hominem, atque in homine natum et passum, cum non negamus, donante Deo, factum eumdem ipsum hominem Deum.»

VIII. In concilio Lateranensi contra Monotheletas habito sub Martino primo[2], Maximus Aquileiensis, « deificatam voluntatem humanam » dixit. Et Deusdedit episcopus Sardiniæ[3], « factum esse hominem Dei Verbum » confitetur. Vigilius[4] « sic Deum hominem, et hominem Deum factum *ait*, ut non fuerit tamen utcumque consumptum. »

Arnobii vero in disputatione contra Serapionem, par est, et interim mira sententia. Ita enim loquitur[5] : « Homo per Deum, qui eum assumpsit, factus est Deus ; non Deus per hominem, quem assumpsit, factus est homo. » Negare videtur, *Deum factum esse hominem ;* cum alterum fateatur, *hominem esse factum Deum*, sed non absolute hoc inficiatur : verum eatenus tantum, ut id neutiquam per hominem adeptus sit, sicut per Deum homo habuit, ut fieret Deus. Quod eo dicit, ut doceat ex Dei voluntate, et arbitrio rem administratam fuisse, qui sic voluit, eamdem esse naturæ utriusque personam, non substantiam. Paulinus Aquileiensis[6] « exaltatum esse » dicit « hominem Christum Jesum in Deum, ita ut unus idemque sit Deus homo. »

Ut assumpta Dei in hypostasim natura hominis θεωθῆναι, id est *Deus facta*, dicitur : ita quatenus a Verbo est assumpta, λογωθῆναι, hoc quod est *Verbificari*. Quod vocabulum usurpavit Joannes Damascenus, (1) *Deificationem, Verbificationem, et exaltationem carnis* appellans. Usus est et Athanasius (2), sed de communi hominum natura loquens, quam ob Verbi copulationem, ait esse *Verbificatam,* postquam baptismo est initiata.

Gregorius Nyssenus eamdem notionem miro, et inusitato magis loquendi genere declarat, cum sic scribit : « (3) Verbum, quod in carne apparuit, idem esse cum eo, quod apud Deum est ; carnem vero non eamdem esse cum ipso, quod est apud Deum, antequam et ipsa in deitatem commutetur. » Hic μεταποιηθῆναι εἰς θεότητα nihil significat aliud, nisi Deum fieri, vel divinum ; ut paulo post loquitur. « (4) Exinanitur, *inquit*, divinitas, ut ab humana natura capi possit : renovatur quod humanum est, quando per temperationem cum eo, quod divinum est, fit et ipsum divinum ; » ubi non de communi hominum, sed de peculiari, quæ a Verbo est assumpta, natura loquitur, ut ex proxime antecedenti, et sequenti oratione perspicuum est.

IX. Ceterum in adhibendis ad carnis assumptæ sacramentum istiusmodi vocabulis, illud præcipue cavendum merito theologi veteres animadvertunt, ne Pauli Samosateni, Photini, ac deinde Nestorii venenum sub illis latens incauti, ac rudes accipiant ; quo vocem potissimun τῆς ἀποθεώσεως infamavit, ac suspectam reddidit Nestorius. Cujus impura extat apud Cyrillum in Catholicos injecta calumnia : dum humanam naturam ait « (5) ad summam conjunctionem cum Deo perductam esse, sed non ad deificationem, ut recentiorum dogmatistarum sapientes asserunt. » Quasi Cyrillus, ceterique Catholici carnem ipsam in divinitatem transisse dicerent. Nomen quidem ipsum τῆς ἀποθεώσεως potest simpliciter accipi, ut sit *Deum facere*. Glossæ veteres, Ἀποθεῶ, *Divino*, *Deum facio*, ubi *divino* non arbitror esse τὸ μαντεύεσθαι, hoc est *vaticinari ;* sed id potius, quod subjectum est, *Deum facere*, et, ut ex Rustico diacono supra meminimus[7], *deitare*. Sic

(1) DAM. lib. 4. cap. 19. pag. 355. Θέωσιν τῆς σαρκὸς, καὶ λόγωσιν καὶ ὑπερύψωσιν : et pag. 356.

(2) ATHAN. or. 4. pag. 276. B. Οὐκέτι ὡς γηΐνης, ἀλλὰ λοιπὸν λογωθείσης τῆς σαρκὸς διὰ τὸν τοῦ Θεοῦ Λόγον.

(3) GREG. Nyss. lib. 4. con. Eunom. pag. 160. D. et seq. Οἶδε γὰρ πάντως ὅτι ὁ μὲν Λόγος αὐτός ἐστι τῷ Λόγῳ, ὁ ἐν σαρκὶ φανεὶς, τῷ πρὸς τον Θεὸν ὄντι· ἡ δὲ σὰρξ οὐχ ἡ αὐτὴ τῇ θεότητι, πρὶν μεταποιηθῆναι. Καὶ ταύτην προς τὴν θεότητα.

(4) Id. pag. 162. Κενοῦται μὲν γὰρ ἡ θεότης, ἵνα χωρητὴ τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει γένηται· ἀνακαινοῦται δὲ τὸ ἀνθρώπινον, διὰ τῆς πρὸς τὸ θεῖον ἀνακράσεως θεῖον γινόμενον.

(5) NESTOR. apud Cyr. lib. 2. con. Nest. tom. 6. pag. 48. Ἀπηκρίβωται γὰρ εἰς ἄκραν συνάφειαν, οὐκ εἰς ἀποθέωσιν κατὰ τοὺς σοφοὺς τῶν δογματιστῶν τῶν νεωτέρων.

[1] To. 8. p. 334. § 2. — [2] Secr. 5. p. 730. — [3] Ib. p. 731. — [4] Vigil. lib. 2. contra Eut. to. 4. Bib. 504.

[5] Arn. p. 540. — [6] Paul. lib. 1. con. Fel. inter opera Alch. col. 1822. — [7] § 1.

eædem glossæ, Ἀποθεοῦμαι, *Divinor, Deus fio*, et Ἀποθέωσις, *Consecratio*. Verum hæc vocabula proprie jam usus ascivit iis, qui ex hominibus in deorum numerum relati sunt; uti Romæ quondam imperatores divinis honoribus afficere solebant : quæ nominatim ἀποθέωσις vocabatur. Propterea invidiosum hoc nomen in probrum Catholicorum vertit Nestorius, quasi ex homine crederent in Deum esse conversum, cum revera potius in ipsum, ejusque dogma congrueret: quoniam ex communi, ceterorumque simili conditione hominis, Christum aiebat in Dei majestatem, ac dignitatem evectum fuisse, ex solo Verbi consortio, aut alia quapiam habitudine σχετικῇ.

X. Hoc igitur sensu Christum ἀποθεωθῆναι, hoc est *Deum esse factum* negarunt Patres, si jam homo constitutus merito suo, ac virtute, vel alia de causa, translatus in Dei statum conditionemque putaretur. Ita Proclus in Oratione prima, « (1) Non hominem, *ait*, Deum factum prædicamus, sed Deum incarnatum confitemur. »

Quem hæreticorum sensum exprimit, ac refellit Athanasius, sive quis alius, in perbrevi tractatu *de Incarnatione verbi Dei :* dum negat Christum « (2) postea Deum factum, ut hujus, *inquit*, temporis blasphemia violenter inculcat; » quibus verbis Nestorium indicare videtur. Non enim Athanasius, opinor, libelli istius, vel fragmenti potius est auctor, quod et stilus ipse, et alia quædam persuadent. Ibi vero addita particula ὕστερον, hæreticam calumniam, ejusque cavendum in illo vocabulo periculum ostendit. Hoc vero fusius exponit Cyrillus in tractatu quodam perbrevi de incarnatione Christi : quem postea referam, ubi hæreticos, quos quidem Nestorianos oportet intelligere, existimare dicit Deum Verbum assumpsisse hominem, quem Deum fecerit. Et in epistola ad Valerianum : « (3) Ipse, *inquit*, processit homo, non homini copulatus est, neque inhabitavit, ut illi dicunt. Porro ipsum Deum esse factum dicere, qui inhabitavit, ut affirmant isti, (hoc enim a nobis omnino repudiatur,) nonne summam amentiam demonstrat ? »

XI. Joannes quoque Damascenus, cum scripsisset, eodem momento, ac simul et extitisse carnem Christi, et Verbi propriam fuisse, inde concludit sic : « (4) Quare non hominem Deum factum dicimus, sed Deum inhumanatum. » Manifestum est, non simpliciter repudiari hoc ab Joanne Damasceno, si *homo deificatus* dicatur : sed tantum si eo modo id intelligatur, qui Nestorio placebat, ut antequam in Deum assumptus esset, homo jam subsistens esset; quod ἀποθεωθέντα vox indicat. Nam alioqui, remota suspicione nefandæ illius hæresis, multa sunt ex illo supra allata testimonia, quibus locutionem istam adstruit.

Quid quod Cyrillus ipse in libro 20. Thesaurorum, de Christi humanitate loquens, (5) θεοποιούμενον, hoc est *Deum factum, assumptum templum* nominat? At idem in epistola ad monachos, ut Nestorianæ labem perfidiæ summoveat, « (6) non esse Deum factum *ait* hominem ex æquo cum ceteris, qui gratia illud adepti sunt. » Hoc etiam modo Elias Gregorii Nazianzeni scholiastes idipsum negavit [1]. Hac eadem de causa, uti Nestorianis fraudibus occurreret, nonnunquam *assumptum esse hominem* dici vetuit idem Cyrillus, ut in libro secundo adnotavimus, ut et Felix Romanus pontifex; cum tamen alias tam Cyrillus quam ceteri haud minoris auctoritatis Cyrillo, ita loqui non dubitaverint: quod ibidem ostendimus. Atqui hominem assumi a Deo, nihil aliud est, quam fieri Deum. Utrobique enim, unum cum Deo hypostasi factum intelligitur.

XII. Ad hoc ipsum cavendum hæresis Nestorianæ fermentum pertinet, quod Petrus diaconus, et hujus socius Joannes Maxentius, hanc sententiam approbantes, *Deus factus est Christus*, illam respuerint, *Christus factus est Deus*. Ex quo theologus quidam [2] de Petro argumentatus est, non illum probasse, dici hominem esse factum Deum; quandoquidem

(1) PROCL. orat. pag. 62. Οὐκ ἄνθρωπον ἀποθεωθέντα κηρύττομεν, ἀλλὰ Θεὸν σαρκωθέντα ὁμολογοῦμεν.

(2) ATHAN. tom. 1. pag. 463. C. Καὶ οὐχ ὕστερον ἀποθεωθεὶς, ὡς ἡ νῦν βλασφημία βιάζεται.

(3) CYR. tom. 5. par. 2. p. 161. Καὶ αὐτός προῆλθεν ἄνθρωπος, οὐκ ἀνθρώπῳ συνήφθη, οὐδὲ ἐνῴκηκε, καθά φασι. Τὸ δὲ καὶ ἀποτεθεῶσθαι λέγειν τὸν ἐσχηκότα τὴν ἐνοίκησιν, ὡς αὐτοὶ διατείνονται· τοῦτο γὰρ παρ' ἡμῖν ἀπόβλητον παντελῶς· πῶς οὐχ ἁπάσης ἐμβροντησίας ἀπόδειξιν ἔχει;

(4) DAMASC. lib. 3. cap. 2. pag. 167. Διὸ οὐκ ἄνθρωπον ἀποθεωθέντα λέγομεν, ἀλλὰ Θεὸν ἐνανθρωπήσαντα.

(5) CYR. tom. 5. par. 1. pag. 196. Ἐδέχετο μὲν γὰρ θεοποιουμένου τοῦ ἀναληφθέντος ναοῦ.

(6) CYR. tom. 6. pag. 13. Οὐ θεοποιηθεὶς ἐν ἴσῳ τοῖς κατὰ χάριν.

[1] Eli. 15. ad Or. 1. n. 45.

[2] Vasq. in 3. p. disp. 64. c. 3. n. 9.

« Christum non pro supposito, sed pro natura ipsa uncta usurpasse videtur. » Unde cum Christum negat factum esse Deum, perinde est habendum, ac si de homine idem illud inficiaretur. Quod si Christum pro supposito ipso sumeret, addit idem theologus, ratio illi non constaret. « Id enim docet contra Nestorianos, qui dicebant Christum esse hominem purum, et per augmentum sanctitatis ex bonis operibus comparatum factum fuisse Deum, non reipsa, sed peculiari modo per dignitatem, et affectum tantum; hi autem dicebant Christum, hoc est hominem illum, factum esse Deum. Cum igitur Petrus inquit, Christum non esse factum Deum; non contendit probare, suppositum Christi non esse factum Deum; de hoc enim non erat controversia cum ullo hæretico: sed hominem illum, nempe naturam illam humanam concrete significatam non esse factam Deum. » Hæc eruditus theologus; quæ non reprehendendi causa, (nam alioqui falsa sunt,) sed institutæ disputationis illustrandæ, hic afferre, et excutere volui. Quæ igitur duo illic asserit de Petro diacono, profecto minime sunt vera: alterum, Christi nomen ab eo non pro *supposito* accipi, sed pro natura humana: alterum, Nestorianos non contendisse suppositum Christi factum esse Deum, ut de eo laborandum Petro fuerit. Utrumque, inquam, neque cum rei veritate, neque cum Petri mente convenit. Quod productis illius verbis nihil est negotii cognoscere.

XIII. Verba Petri diaconi sunt hujusmodi [1]: « Secundum hanc ergo Prophetæ sententiam, Deus factus est Christus, non autem Christus factus et Deus, sicut dicunt hæretici, qui per provectum, non per naturam, Christum Deum audent asserere. Deus enim unctus est, quia ipse factus est homo. Non enim est alter Deus, alter homo, sed idem Deus, idem homo. Qui enim naturalis est filius Virginis, idem naturalis est filius Dei. » In his verbis primum illud evidenter apparet, *Christi* vocabulum non unam significare naturam hominis, sed ambas potius. Siquidem *Deus unctus* utramque complectitur, Dei et hominis, quam posteriorem unctione Petrus exprimi putat. Tum naturas illas duas nominatim in Christo distinguit. Joannes quoque Damascenus Christi nomen « (1) haud uniusmodi esse, » hoc est, non unam, « sed duas significare naturas » docet, « cum hypostasim designet. » Et, quod caput est, Nestorius ipse « (2) Christi appellatione naturas duas significari dicebat, divinitatem Unigeniti, et humanitatem: Dei porro nomen absolute positum, Dei Verbi declarare substantiam, hominis vero solam humanam indicare naturam. » Ita Theodoretus, qui Nestorii fautor aliquando fuit, ejusque dogma penitus perspectum habuit. Sane Christi voce naturam utramque significari, vel ex eo liquet, quod, ut antiqui testantur, nomen sit hypostasis, non naturæ. Est enim hypostasis Christi composita: atque adeo naturas duas notione sua comprehendit, uti libro superiore capite 13. declaratum est. Quocirca Petrus diaconus recte *Christum* dici negat *Deum esse factum:* eo quod divinitati non minus significandæ, quam humanitati nomen istud impositum est: atque ex quo Christus esse cœpit, Deus utique fuit; nempe ab ipso conceptus sui momento, neque prius homo extitit, ac deinde progressione quadam ad divinitatis consortium merito virtutum suarum est evectus: ut Nestoriani dicebant. Quos quidem personas duas, sive supposita duo in Christo revera constituisse, quod Petrus illic ostendit, et in primo libro demonstravimus, et adeo contrita, vulgataque res est, ut mirum sit tam gravem, et acutum theologum dicere potuisse, « nullam fuisse cum quoquam hæretico controversiam de hoc, an suppositum Christi sit factum Deus. » Fuit enim profecto, fuit acerrima de eo contentio Catholicos inter, et Nestorianos hæreticos, ut ex Cyrilli scriptis omnibus constat, quæ adversus pestes istas commentatus est.

XIV. Simile est, et eodem intelligendum sensu, quod scribit Maxentius contra Nestorianos disputans in Dialogo primo: « Verumtamen Christum non, ut tu asseris, Deum factum; sed Deum, factum Christum (quod tibi displicet) confitemur. » Nimirum Nestorianam et ipse fraudem interclusit, ne quis perfectum in se substitisse hominem ante, persuasum haberet, quam ad conjunctionem assumeretur unius cum Verbo personæ.

(1) Damasc. lib. 3. cap. 3. Τὸ δὲ Χριστὸς, ὄνομα τῆς ὑποστάσεως λέγομεν, οὐ μονοτρόπως λεγόμενον, ἀλλὰ τῶν δύο φύσεων ὑπάρχειν σημαντικόν.

(2) Theod. lib. 8. de Hæres. cap. 12. tom. 4. pag. 245. Ἡ τοῦ Χριστοῦ προσηγορία, φησὶ, τῶν δύο φύσεων ἐστὶ σημαντικὴ, τῆς τε θεότητος τοῦ μενογενοῦς, καὶ τῆς ἀνθρωπότητος· ἡ δὲ τοῦ Θεοῦ ἀπολύτως λεγομένη φωνὴ τὴν ἁπλῆν, καὶ ἀσώματον τοῦ Θεοῦ Λόγου παρίστησιν οὐσίαν· ἡ δὲ τοῦ ἀνθρώπου, μόνην τὴν ἀνθρωπείαν ὑποδείκνυσι φύσιν.

[1] Lib. de Incarnat. c. 5.

In primo libro hujus operis, capite nono, ubi Nestorii hæresim exposuimus, ostendimus duas ab illo personas, Christosque totidem constitutos esse; unum Dei Filium, ac Verbum; alterum hominem, et hominis filium. Itaque cum hominem constet ex ejusdem opinione propriam, ac separatam a Verbo hypostasim obtinuisse, ac sola gratia, et voluntatum inter se conjunctione, ac concordia, unum ex ambobus esse factum, quis quod consequens est non videt, Christum unum e duobus, qui quidem homo merus extitit, Deum fuisse factum appellatione tenus, ac σχέσει?

Huic de Petri diaconi, et Maxentii locorum interpretatione, sententiæ nostræ suffragatur simillimum Cyrilli testimonium ex libro contra Anthropomorphitas, (quanquam non puto Cyrilli hunc esse librum, sed centonem quemdam ex diversis fragmentis disparis argumenti consarcinatum,) in quo multum insignis ille, quem dixi, theologus falsus est. Ita ergo Cyrillus ille in capite 22. « (1) Igitur qui Christum nominat, neque Verbum nudum significat, neque communem hominem, aut tanquam unum quempiam ex nobis. Sed, ut dixi, Verbum, quod ex Deo Patre prodiit, hominem factum, et ad missionem inunctum. Non enim, ut quidam dicunt, homo Deus est factus, cum Verbo conjunctus esset; sed Verbum ipsum, carne suscepta, et homo factum, etiam ita permansit Deus. » Perspicuum est, auctorem istum eo sensu negare Verbum hominem factum, quo Nestorius affirmarat; uti prius homo per se subsistens extiterit, qui assumptus postmodum a Verbo, cum eoque compositus, in Deum evaserit: hoc est non reipsa, bonaque fide, sed communi cum sanctis modo, ac ratione pro Deo sit habitus, quod verbum θεοποιεῖσθαι significat; ut ante dixi. Vide præterea uti Christi appellationi duas dicit naturas esse subjectas; ac Verbum ipsum inunctum, quatenus homo factum est: ut Petrus diaconus asserebat. De quo genere unctionis, ut et de Christi nomine, ac significatione, suo loco agendum erit.

XV. Postremo sciri illud oportet, inter scholasticos theologos de veritate, ac sensu enuntiationis illius grande esse certamen. Ac sancti quidem Thomas [1], et Bonaventura [2] veram esse concedunt, si compositio duarum inter se naturarum intelligitur, quasi sic illam interpretemur, *factum est, ut homo sit Deus.* Si autem ad subjectum, et prædicatum refertur, esse falsam, duabus de causis.

Altera est, quia cum vox *homo* suppositum personamve significet, hæc autem nonnisi divina sit, absurdum est dictu, hunc hominem, factum esse, vel esse cœpisse Deum; qui hic homo non est, nisi sit et Deus. Altera ratio, quod illud omne, quod hujusmodi fieri dicitur, antecedit tempore, vel natura, eam actionem, qua fit hujusmodi; ut cum homo fieri albus dicitur. Atqui neutro modo hic homo prius est, quam sit Deus. His vero contradicit Scotus [3], et propositionem istam simpliciter veram esse defendit. Cujus opinio verisimilior, et antiquis Patribus magis consentanea videtur, ut ex iis patet, quæ hucusque dicta sunt. Neque multum nos duo illa commovent, quæ ex adverso proponuntur. Nam quod ad prius spectat, *hominis* vocabulum eam notionem affert, quam superiori capite ex Joanne Damasceno commemoravi, ac naturam hominis significat, qua in uno aliquo individuo cernitur, quæ in se considerata, conjunctionem cum Verbo suam antecedit ratione, et ἐπινοίᾳ; ut sequenti capite latius exponam. Itaque recte ita loquimur: *Homo factus est Deus*, hoc est, natura hæc humana, quæ est in Christo, per divinam operationem, ac sancto efficiente Spiritu, cum Verbo copulari cœpit, ac Deũs esse. Quæ cum dicimus, non sic interpretanda sunt, quemadmodum cum de Verbo ipso talia pronuntiantur: « De domino servus, de divite pauper, caro de Verbo, et de Dei Filio, hominis filius fieri non despexit: » ut loquitur Bernardus [4]. Siquidem Verbum reipsa, et immenso æternitatis spatio assumptam naturam hominis antecessit. Sed sufficit rationis antegressio, ut in sese natura spectetur humana, et ab conjunctione cum Verbo paululum abducta cogitetur. Quid quod interdum ea, quæ ne ratione quidem, ac cogitatione dissociari possunt, in eamdem tamen veniunt enuntiando formulam? Sic enim Scriptura [5], *Factus est homo*, inquit, *in animam viventem*. Atqui non

(1) Cyr. lib. con. Anthropom. cap. 22. tom. 6. pag. 392. Οὐκοῦν ὁ Χριστὸν ὀνομάζων, οὔτε Λόγον σημαίνει γυμνὸν, οὔτε ἄνθρωπον κοινὸν, ἢ ὡς ἕνα τῶν καθ' ἡμᾶς· ὡς ἔφην δὲ, ἐνανθρωπήσαντα τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγον, καὶ κεχρισμένον εἰς ἀποστολήν. Οὐ γὰρ ἄνθρωπος ἐθεοποιήθη, καθά φασί τινες, ἑνωθεὶς τῷ Λόγῳ. Ἀλλ' αὐτὸς ὁ Λόγος σάρκα λαβὼν, καὶ γενόμενος ἄνθρωπος, μεμένηκε καὶ οὕτω Θεός.

[1] Part. 3. qu. 16. art. 7. et in 3. dist. 7. qu. un. Act. 3. — [2] Bonav. in 3. dist. 7. qu. 3.

[3] In 3. dist. 7. qu. 2. — [4] Ser. 11. in Cant. — [5] Gen. 2. 7.

prius homo fuit, quam animatus esset. Et quamvis *homo* illic pro lutea illa, et informi effigie de terra prius ficta, et subinde animata videatur accipi ; nihilominus ita nos loqui nemo prohibeat, *Homo factus est vivens ac ratione præditus* ; ubi nulla, ne rationis quidem, cogitari potest antegressio. Quanto ergo tolerabilior est nostra illa, *Homo factus est Deus* ; in qua perfecta hominis natura conjuncta Verbo, Deus cœpisse esse dicitur. Athanasius in libro de incarnatione Verbi, de quo tamen germanusne sit merito dubitamus, observat, Joannem scripsisse, *Verbum caro factum est*, non *Caro Verbum facta est*, nimirum eo sensu, quem Apollinaristæ in animo habebant, ut caro in Verbi esset mutata naturam, hoc est caro esse desiisset. Hæc sunt satis ad tuendum, et illustrandum veterum de enuntiatione ista judicium. Quod ex sequenti capite majori adhuc in luce collocabitur.

CAPUT DECIMUM.

An duæ Christi naturæ ante unitionem distingui debeant, idque qua ratione dicatur. — 1. Eutychis vox, ante unitionem duas esse, post unitionem nonnisi unam. Quam a Flaviano contemptam expendit Leo papa. — 2. Quibus ex Cyrilli verbis illam expressit Eutyches, ac quemodmodum sola consideratione distinxerit Cyrillus. — 3. De distinctione *κατ' ἐπίνοιαν* : — 4. deque Acephalorum calumnia occasione illius. — 5. Leontium videri modum excessisse, dum ne cogitatione quidem ante unitionem naturas distrahi permittit. — 6. Ex Cyrillo itaque refellitur. — 7. Qui easdem naturas ratione dividit ante copulationem : imo etiam natura : sed ita, ut prioris et posterioris ordo inde colligi non debeat, qui ex sola temporis antecessione oritur. — 8. Ideo Cyrillus nusquam dixit, *ante unitionem* ; quod Acephali deinceps usurparunt. — 9. Excutitur istorum disputatio quædam ab Rustico diacono confutata. — 10. Duplex intellectio, sive speculatio, qua unum ab alio dividi potest, et quænam naturis Christi duabus congruat.

I. Superioris disputationis appendicula quædam est ea quæstio, quam in hoc capite tractare aggredimur, et ad illam absolvendam, enucleandamque non parum utilis ; imo vero necessaria. Initium huic dabit, qui et occasionem præbuit Eutyches, deque eo Leonis magni responsum ; quorum in libro primo mentionem fecimus [1]. Ille enim, instantibus episcopis in synodo Constantinopolitana Flaviano præside habita, ut sententiam suam ex animo, et integre proferret, « (1) Christum se ex duabus agnoscere naturis ante adunationem » respondit : « post adunationem vero, duntaxat unam. » Et rursus, « (2) Confiteor, *inquit*, ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post adunationem vero unam naturam confiteor. » Quando et Basilius Seleuciensis [2] illum hortatus est, ut ad unius naturæ confessionem, adderet nomen σεσαρκωμένην, id est *incarnatam* : ita fore, ut cum Catholicis, et antiquis Patribus consentiret. Meminit istius professionis Rusticus diaconus in disputatione contra Acephalos [3]. « Quia confiteor, *inquit*, duas naturas fuisse ante unitionem : post unitionem vero unam naturam confiteor. » Cum igitur acta synodi Constantinopolitanæ a Flaviano missa Romam, ad Leonem papam pervenissent, hic Eutychis vocem illam non incuriose habuit, ut qui in Constantinopolitana synodo præsederant Patres ; sed hos ipsos castigavit, quod in illud Eutychis dictum acrius non inquisissent. Quippe Origenis in illa hæresim latere, quæ animas hominum, priusquam infunderentur in corpora, separatas extitisse docet. Verum, quod in primo illo libro, capite 14. monui, non tam acute deliravit rudis, et ineptus stolidæ sectæ conditor Eutyches, ut de Origine cogitaret, cum ita loqueretur : sed verisimilius est, ex Cyrilli famosa illa sententia, quam supra declaravi, responsum istud suum expressisse ; sed inscitia et amentia occæcatum,

(1) In synod. Chalced. act. 1. pag. 74. Καὶ δύο μὲν φύσεων εἰδέναι τὸν Χριστὸν πρὸ τῆς ἑνώσεως, μετὰ δὲ τὴν ἕνωσιν, μίαν.

(2) Ibid. pag. 123. Ὁμολογῶ ἐκ δύο φύσεων γεγενῆσθαι τὸν Κύριον ἡμῶν πρὸ τῆς ἑνώσεως, μετὰ δὲ τὴν ἕνωσιν, μίαν φύσιν ὁμολογῶ.

[1] Cap. 14. § 16. — [2] In Act. 1. Chalc. Conc. p. 153.

[3] Rustic. tom. 4. Bib. PP. col. 840.

addidisse nonnulla de suo. Etenim Cyrillus nusquam scripsit, πρὸ τῆς ἑνώσεως, id est *ante adunationem*, duas extitisse naturas : sed simpliciter, « ex duabus naturis adunationem esse factam : post adunationem autem, unam esse naturam incarnatam; » μετὰ τὴν ἕνωσιν usurpavit, inquam, sæpius ; πρὸ τῆς ἑνώσεως nunquam dixit : idque adjunxit Eutyches. Qui et fraudulenter omisit, quod Cyrillus expresserat, vocabulum σεσαρκωμένην, ut ex verbis ipsius apparet, quæ et ab Leone papa commemorantur [1].

II. Quænam Cyrilli dicta fuerint, ex quibus hæresim suam Eutyches collegit, quemadmodum iisdem e floribus, unde mellitum rorem apes exsugunt, aranei, et serpentes venenum exprimunt, supra notavimus [2]. Dixit autem Cyrillus, « (1) Quantum cogitatione assequimur, ac si tantummodo animi oculis contemplemur, quo modo Unigenitus factus sit homo, duas esse naturas adunatas dicimus : sed unum Christum, et Filium, et Dominum. » Et : « (2) Ex duabus, et differentibus naturis unus, et solus est Christus. » Ac solet idem, ubi duarum naturarum, et earum conventionis meminit, fere semper eas voces addere, quæ cogitationem, et considerationem, ac subtiliorem mentis intuitum significant : ut in prima ad Successum epistola, ἔννοιαν, et τὸ ὁρᾷν τοῖς τῆς ψυχῆς ὄμμασι. Et in epistola ad Acacium : « (3) Affirmamus, *inquit*, dum ea, ex quibus constat unus, et solus Filius, ac Dominus Jesus Christus, cogitando versamus, duas unitas esse naturas : post unitionem vero, tanquam sublata jam sectione in duo, unam esse credimus Filii naturam, ut unius, sed hominis facti, et incarnati. » Quod etiam in secunda ad Successum epistola totidem verbis repetit [3]. Tum in eadem, « (4) Cum igitur, *inquit*, Incarnationis modus curiosius indagatur, duo inter se in adunationem collata inexplicabili, et occulta quadam ratione, omnino utique mens humana contuetur : hæc eadem vero adunata, nullo modo disjungit. »

Ex quibus intelligimus, Cyrillum naturas ambas, ἐννοίᾳ, sive ἐπινοίᾳ, et θεωρίᾳ, id est *cogitatione mentis et consideratione* sola, ante adunationem spectasse.

III. Plurimum ad hanc disceptandam quæstionem conferret, bene perspectam habere græcorum Patrum locutionem illam κατ' ἐπίνοιαν, et τῆς ἐπινοίας differentiam, de qua fuse diximus in tomo primo [4], qui est de Deo ; ubi divinorum attributorum discrimen tum inter se, tum ab essentia ipsa, ex illorum sententia declaravimus : ostendimusque differentiam istiusmodi, quæ κατ' ἐπίνοιαν dicitur, latius patere, quam apud latinos philosophos eam, quæ *rationis* vocatur ; *ac realem* quoque complecti. Velut cum personas tres divinas, quæ summa rei differentia a se mutuo distant, κατ' ἐπίνοιαν differre volunt, nimirum qua separatæ, a seque invicem divisæ considerantur. Non enim reipsa, sed sola ratione sejunctæ sunt. Hoc modo naturis etiam duabus in Christo idem genus distinctionis accommodant, duntaxat quatenus seorsim positæ, disjunctæque considerantur. De hoc ergo discriminis modo, quæ illic uberrime sunt exposita, diligenter evolvenda sunt, ut græcorum theologorum subtilis, et erudita de hoc mysterio, ac naturarum inter se comparatione sententia capiatur. Non enim repetenda hoc loco statui, quæ ibi tradita sunt. Sed unum solummodo hic adtexam, quod nondum expositum, proprium hujus loci ac tractationis est, et instituto nostro apprime necessarium, ex Leontio Byzantino, acuto sane et imprimis docto viro, in libro quodam, quo Severi Acephalorum principis argumenta dissolvit.

IV. Igitur Leontius [5] Acephalorum sophisticam argutiam proponit istam. Cum enim Catholici cum Cyrillo naturas duas sola cogitatione, ac mentis consideratione distinguere se profiterentur ; Acephali horum se idem exemplo facere dicebant, ut unam naturam compositam constituerent, in qua duas cogitatione sola considerarent.

(1) CYRILL. ep. 1. ad Success. tom. 5. par. 2. pag. 137. E. Οὐκοῦν ὅσον μὲν ἧκεν εἰς ἔννοιαν, καὶ εἷς γε μόνον τὸ ὁρᾷν τοῖς τῆς ψυχῆς ὄμμασι, τίνα τρόπον ἐνηνθρώπησεν ὁ μονογενὴς, δύο τὰς φύσεις εἶναί φαμεν τὰς ἑνωθείσας, ἕνα δὲ Χριστὸν, καὶ Υἱὸν, καὶ Κύριον.

(2) Ibid. p. 138. Ὅτι ἐκ δύο καὶ διαφόρων φύσεων ὁ εἷς, καὶ μόνος ἐστὶ Χριστός.

(3) CYRILL. ad Acac. pag. 115. D. Διαβεβαιούμεθα ταύτῃ τοι, τὰ ἐξ ὧν ἐστιν ὁ εἷς, καὶ μόνος Υἱὸς, καὶ Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, ὡς ἐννοίαις δεχόμενοι, δύο μὲν φύσεις ἡνῶσθαί φαμεν· μετὰ δέ γε τὴν ἕνωσιν, ὡς ἀνῃρημένης ἤδη τῆς εἰς δύο διατομῆς, μίαν εἶναι πιστεύομεν τὴν τοῦ Υἱοῦ φύσιν, ὡς ἑνὸς, πλὴν ἐνανθρωπήσαντος, καὶ σεσαρκωμένου.

(4) In 2. ad Succ. ep. pag. 147. Ὅταν τοίνυν ὁ τῆς σαρκώσεως πολυπραγμονῆται τρόπος, δύο τὰ ἀλλήλοις ἀποῤῥήτως τε, καὶ ἀσυγχύτως συνενηνεγμένα καθ' ἕνωσιν ὁρᾷ δὴ πάντως ὁ ἀνθρώπινος νοῦς, ἑνωθέντα γε διΐστησιν οὐδαμῶς.

[1] Epist. 10. c. 6. et ep. 11. — [2] Hoc lib. c. 3. § 2. et lib. 3. c. 5. § 6.

[3] P. 146. — [4] Lib. 1. c. 10. — [5] Tom. 4. Bibl. PP. col. 1049.

Ad quod Leontius respondet, primum esse duplex genus ἐπινοίας : unum, quod ἐπενθύμησιν vocat, quando in re aliqua, quæ simplex videtur, varias notiones animo, et cogitatione versamus ; ut sit « quædam accessio notionis, et considerationis, quæ universam, et indistinctam rerum contemplationem evolvit et explanat. » Alterum est, fictio mentis, et falsa compositio rei ex variis, ac dissimilibus partibus, tanquam portenti cujuspiam ; ut hircocervi, aut sirenis. De quo genere utroque alibi dixi [1]. Deinde neutro modo naturas Christi duas sola constare cogitatione contendit Leontius. Non priori, alioqui Christus nihil erit aliud, præter considerationum congeriem, sine conjunctione naturarum. Non posteriori, ne figmentum, et inane commentum videatur esse Christus. Denique non naturas sola esse, id est existere, cogitatione, Patres antiqui docuerunt; sed dividi. Quare pessima fide Eutychiani sola cogitatione, contemplationeque mentis, hoc est *sola ratione,* ut in scholis loquuntur, naturas illas extare duas asserebant : cum hoc de earumdem divisione, ac separatione, duntaxat Patres intellexissent, ut eam non reipsa, sed ἐπινοίᾳ, et *ratione* constare vellent. Etenim naturas sola esse cogitatione, idem est ac nullas esse, prorsusque confusas et extinctas fuisse. At vero divisas, et sejunctas sola cogitatione dicere, est easdem reipsa copulatas, et adunatas adstruere : quod et verissimum est.

V. Ad hæc absurde dici hoc ab illis ait Leontius, ante adunationem naturas duas extitisse; post adunationem vero, nonnisi unam. Siquidem humana natura ne momento quidem extitit, antequam cum Verbo copularetur, uti postea dicam : sed simul producta est, et unita. Quod si in ipsa unitione duæ naturæ fuerunt, ineptum est post unitionem, non amplius esse duas asseverare, sed unam duntaxat. Quippe unitio ipsa non desiit, ut post eam, quasi jam desitam, ac præteritam, naturæ deinceps duæ non fuerint : verum constanter eadem perseverat, adeoque idipsum habet, ac retinet, quod, cum fieret, habuisse dicitur, naturarum differentiam, et numerum.

Apparet autem ex iis, quæ scribit Leontius, Monophysitas arbitratos esse, naturas duas ante adunationem, totidem hypostases fuisse : ut ex eo patet, quod Acephalum objicientem introducit.

Rursus quod Acephali jactabant, naturas ante copulationem divisas fuisse, id non solum re, sed ne cogitatione quidem fieri potuisse, Leontius probat [2]. « Universe enim, *inquit,* accipere divisionem ante unionem absurdum est, vel certe accipere antequam alterum existat, non est fas. » Nam divisio instar est privationis, unitio vero tanquam habitus. Debet autem prius esse cogitarique habitus, quam privatio. Quare unitio antecedat oportet divisionem etiam illam, quæ cogitatione constat. Hinc Cyrillus, aliique Patres, ut jam dixi, qui naturas duas ratione separant, divisionem hanc affingunt naturis jam inter se conjunctis. Ita Leontius.

Quinetiam Theodotus Ancyranus in homilia quadam de nativitate Domini, tantam esse copulationem illam indicat, ut ne cogitatione tenus quidem dirimere, ac separare liceat. « (1) Quod unitum est, *inquit,* non amplius duo, sed unum nominatur. Rursus vero si cogitatione dividis, et unumquodque seorsim consideras, unitionem dissolvis. Impossibile est enim simul et unitionem servare, et utrumque separatim considerare. Nam quod unitum est, indissolubili ratione unum factum est, et non amplius est duo. Atenim, *inquit,* cogitatione sola separo. Igitur, eadem cogitatione unitionem quoque solvisti. Hoc ipso enim, quo alterum ab altero dirimis, conjunctionem dividis. »

VI. Sed vereor ut tam subtilis et enucleata illorum ratio cum Cyrilli, aliorumque Catholicorum mente conveniat. Prorsus enim Cyrillus naturas ambas in eo statu contemplatus est; non qui unitionem revera præcessit; sed quem habuerunt, cum hæc fieret : quique ratione sola eadem unitione est anterior. Nam in eo loco primæ epistolæ ad Successum, quem paulo ante descripsi [3], cogitatione ait, et mentis intuitu duas esse naturas unitas, et ex duabus naturis esse Christum. Tum in ea quæ est ad Acacium, scribit, « post unitionem, cum jam sublata sit illa in duo sectio, unam esse naturam incarnatam. » Antecessit ergo sectio ista naturarum unitionem, non utique re,

(1) THEODOT. in Eph. syn. pag. 533. Τὸ γὰρ ἑνωθὲν, οὐκέτι δύο, ἀλλ' ἓν ὀνομάζεται. Τῇ δ' ἐννοίᾳ πάλιν εἰ διαιρεῖς, καὶ ἕκαστον κατ' ἰδίαν σκοπεῖς, οὐκοῦν λύεις τὴν ἕνωσιν. Ἀδύνατον γὰρ ἅμα καὶ φυλάττειν τὴν ἕνωσιν, καὶ ἑκάτερον κατ' ἰδίαν σκοπεῖν. Ἀλλὰ τὸ ἑνωθὲν, ἀλύτως ἓν γέγονε, καὶ οὐκέτι γίνεται δύο. Ἀλλ' ἐπινοίᾳ μόνῃ χωρίζω, φησίν· οὐκοῦν τῇ αὐτῇ ἐπινοίᾳ καὶ τὴν ἕνωσιν ἔλυσας. Ὧι γὰρ διϊστᾷς τοῦ ἑτέρου τὸ ἕτερον, τούτῳ καὶ τὴν συνάφειαν ἔτεμες.

[1] Tom. 1. lib. 1. c. 7.

[2] Tom. 4 Bibl. col. 1052. — [3] § 2.

quia natura humana reipsa non fuit antequam uniretur. Rěliquum est igitur, ut ἐπινοίᾳ, et cogitatione divisio illa præcesserit. Imo vero post unitionem negat Cyrillus [1] dividi naturas, scilicet eo modo, quo, cum unirentur, separatæ cogitabantur : proindeque ne cogitatione quidem dividi patitur. Ita quidem videri potest intellexisse Cyrillus. Sed fortasse divisionem illam duntaxat excludere voluit, cujusmodi Nestorius asserebat, rei videlicet, quæ naturas dirimit, ac seorsim constituit. De illo enim ibidem loquitur, et unitioni illi, quam exposuerat, opponit sacrilegam Nestorii divisionem. « (1) Disjungit illas, *inquit*, a se mutuo, Deum seorsim constituens, et hominem similiter separatim ponens, et hunc habitudine quadam cum Deo copulans, sola honoris æqualitate, sive auctoritate. » Mox Nestorii verba subjicit ita loquentis : « Naturas separo, sed adorationem conjungo. » Hujusmodi ergo divisionem, post unitionem, removendam censuit Cyrillus : alteram vero meræ considerationis, et rationis non rejecit.

VII. Quocirca naturas duas Christi, etiam unitas, ratione, et ἐπινοίᾳ dividere, hoc est separatas considerare licet; tum eædem, antequam copulentur, itidem in seipsis cogitari possunt : atque humana quidem prius ratione, ac consideratione spectatur, qua est in se, absolutaque notione, quam ut juncta Verbo est, et habitudine quadam cum eo comparatur. Qui enim minus id in hac assumpta hominis natura fas erit, quam in divinis personis; in quibus ratione, atque origine, prior est Filio Pater, hoc est λόγῳ τῆς ἐπινοίας, ut ait Gregorius Nyssenus [2] ? Quin etiam prius illud et posterius, quod in iisdem personis a theologis agnoscitur, et originis notione determinari solet, *naturæ ordine* definitur a Richardo Victorino, ut sit Pater natura Filio prior, quod alibi adnotavimus [3]. Ubi etiam natura prius altero dici hoc animadvertimus [4], quo sublato, aliud e medio tollitur : aut quod, altero posito, necessario ponitur et ipsum : non autem vicissim, altero sublato, ipsum tollitur; aut ipso posito alterum ponitur. Qua ratione substantiam natura priorem accidente esse dicit Ammonius, propterea quod neque, posita substantia, ponitur accidens : neque, sublato hoc, illa tollitur : cum et, accidente posito, substantiam esse oporteat : et, hac sublata, necesse sit accidens perimi. Quæ antecessio, et consequentia, sola notione, et, ut vocant, *conceptu*, intelligentiaque dijudicatur, non existendi reipsa ordine, dum unius contemplatio, sine alterius consideratione institui non potest : potest autem istius sine illo intellectio consistere. Qua ex regula, et definitione prioris, et posterioris, ostendimus, non dici proprie natura priorem Filio Patrem, quia neuter sine altero cognosci potest. Quod autem ad humanam Christi naturam attinet, ea prius ut existens in sese consideratur, quam ut est conjuncta Verbo : et ab eodem disjuncta potest intelligi existens adhuc in seipsa; non potest vero vel unita, nisi prius sit, intelligi, vel si non sit, unita cognosci. Natura itaque prius in se est, quam cum Verbo societur, si vera est illa philosophorum definitio. Observabis tamen in illo rationis, naturæve ordine, quo prius unum altero cognoscitur, non absolute censeri, dicive prius aut posterius aliquid existere. Quippe, ut Gregorius Nazianzenus docet, Oratione 35. de personarum in Trinitate ordine disputans adversus Arianos; « (2) vocabula ista, quando, antehac, posthac, a principio, significationem temporis continent. » Et in eadem oratione, hæreticorum inquisitionem illam *fatuam* esse judicat, qua rogare solebant, « (3) An Filius, quem a principio fuisse scimus, antequam gigneretur, esset, aut non esset. Hujusmodi quippe sermonem iis convenire, quæ tempore dividi possunt. » Quod prudentissimum summi viri, ac theologi præstantis effatum mirifice ad institutum hoc loco sermonem pertinet. Sic Leontius [5] « ea, quæ simul sunt secundum naturam, et tempus, ante, et post non recipere » dicit : nempe ita, ut in re ipsa ponatur.

VIII. Hanc equidem ob causam Cyrillum existimo, nusquam dixisse, *ante unitionem naturas fuisse duas*, ne quis re, ac tempore putaret prius illas totidem extitisse : quamvis Eutyches, et ejus sectæ homines postea illud

(1) Cyr. in 2. ad Succ. pag. 147. Ἀποδιαιρεῖ δὲ ἀλλήλων αὐτὰς, Θεὸν ἰδίᾳ τιθεὶς, καὶ ὁμοίως ἄνθρωπον ἀνὰ μέρος, συναφθέντα Θεῷ σχετικῶς, κατὰ μόνην τὴν ἰσοτίμιαν, ἤγουν αὐθεντίαν.

Et mox, Χωρίζω τὰς φύσεις, ἀλλ' ἑνῶ τὴν προσκύνησιν.

(2) Naz. orat. 35. pag. 563. Τὸ γὰρ ὅτε, καὶ πρὸ τοῦδε, καὶ μετὰ ταῦτα, καὶ ἀπαρχῆς, οὐκ ἄχρονα.

(3) Id. pag. 568. Ἀπαιδευτότερον εὖ ἴσθι, τὸ ἀπ' ἀρχῆς γεγεννημένον εἰ ἦν πρὸ τῆς γεννήσεως, ἢ οὐκ ἦν διευθύνεσθαι. Οὗτος γὰρ περὶ τῶν χρόνῳ διαιρετῶν ὁ λόγος.

[1] In 2. ad Succ. pag. 147. — [2] Lib. 1. con. Eun. edit. Grets. [3] Lib. 8. de Trinit. c. ult. § 9.

[4] Ex Amm. in Categ. fol. 40. p. 2. — [5] Tom. 4. par. 2. col. 1051.

ausi sint usurpare, ut ante copulationem duas naturas fuisse dicerent, quæ unitione ipsa in unam conflatæ sunt. Quam quidem illorum opinionem declarat, et refutat Rusticus diaconus [1]. Apud quem Acephalus negat imprimis ante unam fuisse carnem, *et postea unitam esse Verbo.* « Sed quia intellectu præcognoscentes duas naturas, deinde admoventes unitionem, unam, *inquit*, continuo effici dicimus. Ergo id quod dicimus, ante unitionem, vel post unitionem; non distinctionem temporis, sed speculationis significat ordinem ; eo quod pariter horum nequeamus deprehendere intellectum, sed præspeculemur compositioni simplicia. » Ac paucis interjectis [2], « Prius, *ait*, intelligendæ sunt duæ naturæ, et post hæc continuo unitio admovenda est : et ideo non dicendum est, Christum in duabus, sed ex duabus esse naturis. » Quia duas in Christo naturas inesse nolebant Acephali, idcirco *in duabus naturis* eumdem non esse, sed *ex duabus* solum, asserebant : ut superiore libro pluribus exposui. Quam naturarum antecessionem, si sola *speculatione* definirent isti, non essent reprehendendi. Verum minime sibi constabant : et qui naturas illas hypostases fuisse dicebant, ut et Leontius antea laudatus a nobis, et ibidem Rusticus ostendit [3], (quandoquidem naturam ab hypostasi nihil differre credebant : adeoque tres in Deo naturas, totidem scilicet ac personas, adstruebant,) illi ipsi profecto non sola consideratione, sed re ante extitisse divisas easdem naturas arbitrati sunt ; quantumvis secus sentire se profiterentur.

Nam quid tandem aliud Acephalus iste sibi vult apud Rusticum [4], dum ait, « esse impossibile, ut alter rerum naturæ sit ordo, et alter speculatiois, quæ est circa intellectum. » Quid, inquam, aliud significat hic verbis, nisi perinde re, et *actu*, ut loquuntur, ac *speculatione* naturas prius extitisse divisas, quam eas unitio copularet ?

IX. Instat ergo Rusticus, et, sive « speculatio hæc, secundum quam dicunt duas naturas intelligi, nunc usque verax est, duas esse naturas veraciter » contendit, « quas veraci intellectu conspicimus ; » quod tamen inficiabantur Acephali : sive « semper falsa est ; nec ante unitionem duas naturas illos confiteri debere : » sive denique « ante unitionem quidem quondam vera, nunc autem de cetero falsa ; erat igitur Domini caro (quod absit) ante unitionem : ac præextitit prius purus homo, et post hæc unitus est Verbo. » Itaque « ex duabus personis, et ex duobus Christis, ex duobus filiis, ex duobus Dominis, unum Christum blasphematis, *inquit*, existere. »

Præterea stolidam hanc Eutychianorum sententiam, qua ante unitionem, duas fuisse naturas aiebant; post unitionem vero, nonnisi unam ; erudite pergit confutare Rusticus [5] ; hoc maxime argumento, quod inde sit consequens, « unitionem unitarum naturarum peremptionem esse. » Cui Acephalo respondente, « non naturarum, sed dualitatis peremptionem esse unitionem ; ita ut duæ jam non sint duæ, sed unum quiddam secundum unitionem ; » vicissim Rusticus ita disputat : « Si dualitas interempta est, erat ergo ante interemptionem, et ante unitionem ; » adeoque naturæ duæ re et actu erant, quas vel ambas, vel alterutram saltem, unitione ipsa deletam oportet, atque extinctam. Quid autem est in singulis naturis imminutum ac detractum , quod jam duas esse, ac numerari prohibeat ? Denique [6] stultum hoc Acephalorum commentum irridet Rusticus, quod Catholicos arguerent ; « quia non post duas, unitionem ; sed post unitionem, duas dicerent naturas : cum deberent prius quidem confiteri duas naturas, postea vero unitionem, et unam naturam de reliquo. » Sed enim recte huic Rusticus occurrit, « si et duæ naturæ confitendæ sunt ante unitionem, » et unitio postmodum adhibenda , prorsus « ex duabus et in duabus naturis » vere dici esse Christum. Hæc Rusticus et alia pleraque contra Eutychianos illo in libro disserit.

X. Ex quibus unum illud paucis explicandum est, quod paulo ante scriptum ab eo commemoravi, et subinde iis verbis repetit, adversus *speculationem* illam, qua duas ante unitionem naturas esse dixerat Acephalus [7] : « Si verax est speculatio, hæ duæ naturæ sunt et circa ipsam rem : si vero dicis non esse veram, ecce negasti duas esse naturas. » Ex istis enim Rustici verbis plane sequi videtur ; non posse naturas ante unitionem cogitatione ac ratione distingui duas : quod tamen licere per Cyrillum, ceterosque catholicos theologos, supra demonstravimus. Sed nimirum duplex intellectio est, et contemplatio : una simplex, quæ de re cognita, utut est, nihil judicat ; nec eam componit, aut dividit, sed in eodem subjecto proprietates habente varias unam absque alia

[1] Tom. 4. Bibl. col. 841. — [2] Ibid. col. 842. — [3] Col. 939. et 842.

[4] Col. 841. — [5] Ibid. col. 842. — [6] Ibid. 843. — [7] Rust. 843. E.

cognoscit; nec utrum ab aliis revera separetur, affirmat aut negat : ut sit tanquam simplex rei perceptio. Altera est, quæ rei subjectæ naturam, affectionesque non tantum considerat ; sed quemadmodum inter se, et cum subjecto habeant, dijudicando pronuntiat. Ad primum genus spectat illa naturarum ante unitionem divisio, quæ nihil aliud est, quam alterius sine altera cognitio, ex qua nihil in naturas divisionis redundat. At Eutychiani quantumvis dissimularent, in posterius incidebant intellectionis genus ; ac naturas ipsas ita contemplabantur, ut eas reipsa duas, et distinctas antea, concurrisse, et post conjunctionem in unam coiisse, si non verbis assererent, vi rationum suarum, et consequentia fateri cogerentur. De utraque intellectionis specie, et simili argumento, quo Eunomiani proprietatum in Deo discrimen omne, etiam τῆς ἐπινοίας, impugnabant, plura leges in tomo primo, qui est de Deo Deique proprietatibus, præsertim capite 11. quæ ad hunc locum omnino pertinent.

Hic vero ad extremum illud adjungimus, Chalcedonensem synodum in fidei definitione damnasse illos omnes, qui (1) *duas ante unitionem naturas Christi Domini comminiscerentur, unam autem post unitionem.* Quod absolute ita pronuntiatum ad eum modum referri debet, quo Eutychianos id usurpasse , intellexisseque diximus.

CAPUT UNDECIMUM.

An temporis intervallo aliquo, vel momento saltem, humana natura Christi prius extitit, quam cum Verbo jungeretur. — 1. Contra Nestorianam hæresim disputantes Patres constanter negant, quorum pleraque testimonia proferuntur græcorum, et latinorum theologorum. — 9. Accedit et argumentum validum, quo illud adstruitur. Item aliud ex Epiphanio.

I. Ad Nestorii, et ante hunc, Pauli Samosateni, Photini , ac similium hæresim proprie spectat ista quæstio : qui omnes perfectum hominem prius extitisse dicebant, quam in eum Dei Filius illaberetur, eumdemque faceret Deum. Itaque de Maria natum esse simplicem aiebant hominem, ideoque non θεοτόκον, sed ἀνθρωποτόκον illam appellari volebant. Nec minus ad Origenis delirium castigandum hæc disputatio valet ; qui Christi animam, perinde ut reliquorum hominum, diu ante procreatam fuisse commentus est, quam in corpus infunderetur.

Contra quos omnes catholica stans ex adverso fides affirmat a Verbo susceptam esse naturam hominis eodem momento, quo existere genita cœpit in utero Virginis matris. Quod quia fundamentum est multarum, magnarumque notionum, quæ in hoc mysterio versantur, paucis illud persequi hoc in capite decrevimus, ac veterum aliquot sententias referre, quibus idipsum diserte professi sunt.

Primus erit Athanasius, qui in libello de Incarnatione contra Apollinarem, « (2) Carnis, *inquit,* adunatio cum divinitate Verbi, ex utero facta est. Inde enim Verbum illam excitavit, adveniens e cœlo ; non quidem ejusmodi, ut ante Verbi adventum extiterit. »

Cyrillus Alexandrinus in secunda ad Nestorium epistola : « (3) Non enim primum homo genitus est communis , *ait*, e sancta Virgine, atque ita demum Verbum in eum est illapsum : sed ex ipso utero copulatum, carnalem generationem sustinuisse dicitur. »

Et in epistola ad Joannem Antiochenum, B. Virginem θεοτόκον ideo vocari dicit, « (4) quod Deus Verbum carnem suscepit, et homo factus est, atque ab ipso conceptu adunavit sibi quod ex illa sumpserat templum. »

II. Theodoretus in Dialogo secundo, demon-

(1) Chalc. conc. act. 4. pag. 340. Καὶ τοὺς δύο μὲν πρὸ τῆς ἑνώσεως φύσεις τοῦ Κυρίου μυθεύοντας, μίαν δὲ μετὰ τὴν ἕνωσιν ἀναπλάττοντας ἀναθεματίζομεν.

(2) Ath. tom. 1. pag. 141. Ἡ γὰρ τῆς σαρκὸς ἕνωσις πρὸς τὴν τοῦ Λόγου θεότητα ἐκ μήτρας γέγονεν. Ἐντεῦθεν γὰρ αὐτὴν ἀνεστήσατο ὁ Λόγος ἐξ οὐρανῶν ἐπιδημήσας, οὐ προϋπάρξασαν τῆς τοῦ Λόγου ἐπιδημίας.

(3) Cyr. ep. 4. tom. 5. par. 2. p. 23. E. Οὐ γὰρ πρῶτον ἄνθρωπος ἐγεννήθη κοινὸς ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου, εἶθ' οὕτω καταπεφοίτηκεν ἐπ' αὐτὸν ὁ Λόγος. Ἀλλ' ἐξ αὐτῆς μήτρας ἑνωθεὶς, ὑπομεῖναι λέγεται γέννησιν σαρκικήν.

(4) Ibid. pag. 106. C. Διὰ τὸ τὸν Θεὸν Λόγον σαρκωθῆναι, καὶ ἐνανθρωπῆσαι, καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς συλλήψεως ἑνῶσαι ἑαυτῷ τὸν ἐξ αὐτῆς ληφθέντα ναόν.

strat *unitionem* idem esse cum *incarnatione*, atque adeo ante unitionem unam tantummodo fuisse naturam Verbi, non duas : ac «(1) cum formatione hominis, unitionem esse conjunctam.» «(2) Porro si ne punctum quidem temporis interpositum est inter assumptionem carnis, et unitionem, nec assumpta natura ante assumptionem, et unitionem existebat; sequitur, eamdem rem significare vocabula ista incarnationis, et unitionis, tum unam naturam fuisse ante unitionem, sive Incarnationem.»

Vide Epiphanium Hæresi 77. ubi pulchre ad illam sententiam Joannis verba hæc accommodat, *Verbum caro factum est.* Quem locum supra in calce capitis secundi hujus libri descripsimus.

III. Justinianus Augustus in Confessione fidei contra tria Capitula, quæ in quinta Synodo probata est, «(3) Unitio, *inquit*, secundum subsistentiam indicat, Deum Verbum, hoc est, unam subsistentiam de tribus divinitatis subsistentiis, non ante subsistenti homini adunatam fuisse; sed in utero sanctæ Virginis fabricatum esse sibi ex illo in propria subsistentia carnem animatam anima rationali, et intelligente, quæ est hominis natura.» Ita Sophronius in epistola synodica, quæ in sexta Synodo recepta est, et in ejus actione undecima legitur : quem locum postea referam libro sequente, cap. 6.

Leontius Byzantinus in solutione argumentorum Severi[1], Christum negat ex hypostasibus constare, eo quod naturæ duæ nunquam divisæ, ac separatæ fuerunt. «Nec enim ante unionem hoc fas est dicere, siquidem non audes dicere, prius formatum esse hominem, et postea subiisse Deum.»

Maximus martyr in libro de Duabus voluntatibus apud Euthymium illud Athanasii refert : «(4) Simul caro fuit, simul Dei Verbi caro, animata, rationalis.» Et in opusculo quodam ad Joannem cubicularium, quo fidei formulam describit, ait, «(5) Verbum ex Maria carnem sibi in eamdem hypostasim copulasse, consubstantialem nobis, et animatam anima rationali, et intelligente : carnem, inquam, ejusmodi, quæ nec oculi nictu prius substiterat, sed in ipso Deo Verbo tum ut esset, tum ut subsisteret, accepit.» Quem locum Euthymius quoque describit in titulo septimo Panopliæ[2].

IV. Joannes item Damascenus aliquot in locis idipsum tradidit, ut in libro tertio, capite secundo, quem locum jam descripsimus[3] : in quo etiam divinum Verbum ait hypostasim factum esse carni, quæ nunquam sola per sese subsistit, sed in Verbo; tum illa subjicit, quæ proxime ante ex Maximo, et Athanasio commemoravimus, *simul carnem fuisse*, *simul Dei Verbi carnem*, necnon ibidem probat, non oportere *deificatum hominem* dicere, hoc est ex mero homine factum Deum : ut Nestoriana scilicet habebat hæresis. Id quod frequenter usurpari videas ab iis, qui contra Nestorium scripserunt, ut ab Cyrillo, cujus perbrevis est tractatus in actis Ephesinæ synodi, de Incarnatione, qui hæc inter cetera continet, «(6) Nonnullos auditorum animis per fraudem obrepere, dicentes, Deum Verbum assumpsisse hominem : ob idque progressum esse per sanctam Virginem : et hunc ipsum hominem deificatum esse Deo Verbo.»

Rursus capite duodecimo libri ejusdem tertii Joannes Damascenus fuse istud ipsum asserit, ac tria hæc simul extitisse docet, «(7) assumptionem carnis, hujus extantiam, et deificationem a Deo Verbo.» «(8) Conceptum quoque

(1) Theodor. pag. 66. Συνῆπται δὲ τῇ διαπλάσει ἡ ἕνωσις.

(2) Ibid. pag. 67. Οὐκοῦν εἰ μηδὲ τὸ ἀκαριαῖον τοῦ χρόνου τὴς λήψεως της σαρκος, καὶ τῆς ἑνώσεως γεγένηται μέσον· ἡ δὲ ληφθεῖσα φύσις οὐ προϋπῆρχε τῆς λήψεως, καὶ ἑνώσεως, ταὐτὸ μὲν πρᾶγμα σημαίνουσι σάρκωσίς τε, καὶ ἕνωσις, μία δὲ ἄρα φύσις πρὸ τῆς ἑνώσεως, ἤγουν σαρκώσεως ἦν.

(3) Justin. tom. 4. Conc. pag. 346. Ἡ δὲ καθ' ὑπόστασιν ἕνωσις δηλοῖ, ὅτι ὁ Θεὸς Λόγος, τουτέστιν ἡ μία ὑπόστασις ἐκ τῶν τριῶν τῆς θεότητος ὑποστάσεων, οὐ προϋποστάντι ἀνθρώπῳ ἡνώθη· ἀλλ' ἐν τῇ γαστρὶ τῆς ἁγίας παρθένου ἐδημιούργησεν ἑαυτῷ ἐξ αὐτῆς ἐν τῇ ἰδίᾳ ὑποστάσει σάρκα ἐψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ, καὶ νοερᾷ, ὅπερ ἐστὶ φύσις ἀνθρωπίνη.

(4) Maxim. apud Euth. Panopl. par. 2. tit. 18. pag. 661. init. Ἀλλ' ἅμα σὰρξ, ἅμα Θεοῦ Λογου σὰρξ, ἔμψυχος, λογικὴ, κατὰ τὸν μέγαν Ἀθανάσιον, δογματίζοντες.

(5) Maxim. Σάρκα ἐξ αὐτῆς ἑνώσαντα ἑαυτῷ καθ' ὑπόστασιν τὴν ἡμῖν ὁμοούσιον, ἐψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ τε, καὶ νοερᾷ· οὐδ' ὡς ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ προϋποστᾶσαν, ἀλλ' ἐν αὐτῷ τῷ Θεῷ Λόγῳ καὶ τὸ εἶναι, καὶ τὸ ὑποστῆναι λαβοῦσαν.

(6) In act. Eph. ex bibliothec. Reuchl. ex edit. Comel. Ὑποκλέπτειν τοίνυν οἴονταί τινες τῶν ἀκροωμένων τὰς ψυχὰς, ἄνθρωπον, φησὶ, λέγοντες ἀνειληφέναι τὸν Θεὸν Λόγον, καὶ διὰ τοῦτο πρόοδον πεποιῆσθαι διὰ τῆς ἁγίας παρθένου· καὶ τοῦτον αὐτὸν τὸν ἄνθρωπον ἀποτεθεῶσθαι τῷ Θεῷ Λόγῳ.

(7) Damasc. pag. 212. Ὡς ὁμοῦ γενέσθαι τὰ τρία, τὴν πρόσληψιν, τὴν ὕπαρξιν, τὴν θέωσιν αὐτῆς ὑπὸ τοῦ Λόγου.

(8) Ibid. Ὧν ἅμα ἡ σύλληψις, καὶ ἡ ὕπαρξις τεθαυματούργηται· ἡ μὲν σύλληψις τοῦ Λόγου, τῆς δὲ σαρκὸς ἡ ἐν αὐτῷ τῷ Λόγῳ ὕπαρξις.

[1] To. 4. Bib. Par. 2. col. 1050. E.

[2] Pag. 131. Lat. — [3] Lib. 3. c. 13. § 2.

Verbi, et carnis in ipso Verbo extantiam eodem momento fuisse. » Ac paulo antea dixerat, « (1) non habitasse Deum in homine ante formato. » Et capite undecimo, « (2) Primitias, *inquit*, assumpsit massæ nostræ, non quæ per se subsisterent, aut individuum aliquod prius essent, ac sic ab illo fuerint assumptæ, sed quæ in illius hypostasi extiterint. »

Theodorus quoque presbyter Rhætuensis in libro de Incarnatione, fidei definitionem explicans; (3) quod in ea scriptum est, unitione secundum hypostasim copulatam Deo esse naturam hominis, significare ait, non prius humanam naturam esse formatam, et sic in ipsam subiisse divinitatem : sed potius, eo ipso momento, quo subsistere cœpit, unitam esse divinitati.

Sic Theodorus alter Hierosolymitanus patriarcha, in synodica professione fidei, quæ in acta septimæ Synodi relata est, ait « (4) humanam naturam Christi a primo conceptus sui momento, divinitati fuisse copulatam. »

V. Idem est latinorum theologorum, Patrumque sensus, e quibus Augustinus variis in locis illud tradidit. In Enchiridio, capite 36. « Numquid antea, *inquit*, fuit homo, et hoc ei singulare beneficium præstitum est, ut singulariter promereretur Deum? Nempe ex quo homo esse cœpit, non aliud cœpit esse homo, quam Dei filius. » Et in capite 40. « gratiam Dei » prædicat, « qua homo nullis præcedentibus meritis, in ipso exordio naturæ suæ, quo esse cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ unitatem, ut idem esset filius Dei, qui filius hominis, et filius hominis, qui filius Dei. »

Et in libro decimo tertio de Trinitate, capite 17. « Ex quo homo esse cœpit, ex illo est et Deus. » Tum in libro de Correptione et gratia, capite undecimo, « Deus ergo naturam nostram, *ait*, id est animam rationalem, carnemque hominis Christus suscepit, susceptione singulariter mirabili, vel mirabiliter singulari, ut nullis justitiæ suæ præcedentibus meritis, filius Dei sic esset ab initio, quo esse homo cœpisset; ut ipse, et Verbum, quod sine initio est, una persona esset. »

Sic in libro de Prædestinatione sanctorum, capite 15. « Nonne faciente, ac suscipiente Verbo, ipse homo, ex quo esse cœpit, filius Dei unicus esse cœpit? » Et in libro primo contra Julianum operis imperfecti[1] : « Non enim et homini Christo gratia peccata dimisit, aut non eum gratia talem fecit, ut ab initio semper esset bonus, sicut ab initio semper Dei filius. » Et alibi[2] : « Nec sic assumptus est, ut prius creatus, post assumeretur; sed ut ipsa assumptione crearetur. »

Leporius monachus in libello emendationis, cui Augustinus, aliique Africani episcopi subscripserunt, retractat id, quod aliquando defenderat[3]; « Non ipsum Deum hominem natum, sed perfectum cum Deo natum hominem; » et confitetur[4] « unicum filium Dei de Spiritu sancto, et Maria semper virgine factum hominem Deum natum ; et ex tempore susceptæ carnis, (quod utique in Virginis utero, statim atque fœtus est formatus accidit,) sic omnia, quæ erant Dei, transisse in hominem, ut omnia, quæ erant hominis, in Deum venirent. » Mox[5], « eumdem a tempore susceptæ carnis factum Deum hominem » affirmat : « nec quasi per gradus et tempora proficientem in Deum. » « [6] Ideoque una persona accipienda est carnis et Verbi, ut fideliter sine aliqua dubitatione credamus, unum eumdemque Dei filium inseparabilem semper, geminæ substantiæ etiam gigantem nominatum, in diebus carnis suæ, et vere semper gessisse omnia, quæ sunt hominis, et vere semper possedisse quæ Dei sunt. »

VI. Cassianus in secundo libro de Incarnatione contra Nestorium, capite sexto, impium hoc hæretici istius dictum reprehendit; « Hominem ipsum, quem solitarium dicebat, non cum Deo natum, sed postea a Deo assumptum. » Et capite sequenti : « Quia Christus, *inquit*, totum erat quod Deus, omnis in ipsa statim hominis conceptione Dei virtus, omnis divinitatis venit plenitudo. Inde enim illi omnis

(1) Ibid. pag. 211. Οὐ προδιαπλασθέντι ἀνθρώπῳ ἐνοικήσας.

(2) Id. pag. 206. Ἀπαρχὴν γὰρ ἀνέλαβε τοῦ ἡμετέρου φυράματος, οὐ καθ' ἑαυτὴν ὑποστᾶσαν, καὶ ἄτομον χρηματίσασαν πρότερον, καὶ οὕτως ὑπ' αὐτοῦ προσληφθεῖσαν· ἀλλ' ἐν τῇ αὐτοῦ ὑποστάσει ὑπάρξασαν.

(3) THEODOR. tom. 11. bib. pag. 323. Διὰ δὲ τοῦ λέγειν, ἑνώσει τῇ καθ' ὑπόστασιν, σημαίνει τὸ μὴ πρότερον διαπεπλάσθαι τὴν ἀνθρωπότητα, καὶ οὕτως αὐτῇ εἰσδεδυκέναι τὴν θεότητα· ἀλλ' ὅτι κατ' αὐτὸ τὸ ὑφίστασθαι, τὴν πρώτην ἀρχὴν ἥνωτο τῇ θεότητι.

(4) Act. 3. sept. Syn. tom. 5. Conc. pag. 603. Ἀλλ' ἡνωμένου ταύτῃ ἐξ ἄκρας συλλήψεως.

[1] Cap. 138. p. 201.— [2] Aug. lib. con. Serm. Anan. c. 8.— [3] Lepor. in Opusc. dogm. pag. 6.

[4] Ibid. p. 8. — [5] Ibid. p. 12. — [6] Ibid. p. 13.

divinitatis perfectio, unde et origo. Neque enim unquam sine Deo fuerat homo ille, qui utique in hoc ipsum, quod erat, a Deo ceperat. »

Leo magnus sermone octavo de natali Domini, « Partum, *inquit*, beatæ Virginis integre cogitemus, ut carni, animæque conceptæ virtutem Verbi nullo temporis puncto defuisse credamus; nec prius formatum, atque animatum templum corporis Christi, quod sibi superveniens vindicaret habitator; sed ipsum, et in ipso, novo homini datum esse principium.» Et in epistola undecima, « Natura, *inquit*, nostra non sic assumpta est, ut prius creata, post assumeretur; sed ut ipsa assumptione crearetur. »

Vincentius Lirinensis, « Hæc igitur in Christo personæ unitas, *inquit*, nequaquam post Virginis partum, sed in ipso Virginis utero compacta, atque perfecta est. Vehementer enim præcavere debemus, ut Christum non modo unum, sed etiam semper unum confiteamur, quia intoleranda blasphemia est, ut etiamsi nunc eum unum esse concedas, aliquando tamen non unum, sed duos fuisse concedas : unum scilicet post tempus baptismatis; duos vero sub tempore nativitatis. Quod immensum sacrilegium non aliter profecto vitare poterimus, nisi unitum hominem Deo in unitate personæ, non ascensu, vel resurrectione, vel baptismo; sed jam in matre, jam in utero, jam denique in ipsa virginali conceptione fateamur. »

Gelasius papa sub initium libri de Duabus naturis, itidem illud indicat verbis istis : « Ut utriusque naturæ ineffabiliter unitio, ab ipso suæ conceptionis exortu, mirabiliter, ac potenter existeret ; nec in sanctæ Mariæ prorsus internis istius sacramenti quidquam vel præcesserit, vel post secutum fuerit institutum : sed hujus magis simul effectum mysterii conceptus iste prævenerit; nec illic aliqua præveniente substantia, perfectio unitionis accesserit; sed ab unitione perfecta potius utriusque substantiæ fuerit inchoatum. »

Et quibusdam interjectis, Eutychianos duas ante adunationem naturas extitisse dicentes, idem cum Nestorio sentire demonstrat : « Si illic interstitium quantumlibet intervenisse dicatur, quo aliquid ante præcesserit, et aliquid postea sit secutum ; ac non potius et ipse fuerit conceptus unitio, et ipsa primordialiter extiterit unitione conceptus; atque in hujus unitionis effectu prorsus omne, quod dicitur, antea et postea, sit remotum : quia non velut duæ substantiæ primitus extiterunt, id est, ipsius humanæ formæ, quæ suscepta; et deitatis, quæ suscepit ; ut earum postea adunatio sequeretur : sed hoc ineffabile magnumque mysterium adunatione sit potius inchoatum, et ipsa inchoatione hujus conceptionis unitum. »

Joannes secundus Romanus æque pontifex, in epistola ad Avienum senatorem, etc. [1] Christum asserit « in deitate, et humanitate perfectum, non antea existente carne, et postea unita Verbo, sed in ipso Deo Verbo initium ut esset accipientem. »

Fulgentius in libro de fide ad Petrum, capite 18. « Firmissime tene, et nullatenus dubites, non carnem Christi sine divinitate conceptam in utero Virginis, priusquam susciperetur a Verbo ; sed ipsum Verbum suæ carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem Verbi incarnatione conceptam. » Et in libro de incarnatione et gratia Jesu Christi, capite tertio : « Ipsa quippe acceptio carnis, *inquit*, fuit conceptio virginalis. Neque enim in utero sanctæ illius et matris et Virginis, illa spiritalis, et ex Deo Patre sine initio genita Verbi Dei natura poterat absque carne temporaliter concipi : sicut nec caro, sine Verbi Dei unitione, potuit aliquatenus nullius viri coitu seminata, in intimo vulvæ virginalis innasci. Hanc ergo carnem tunc ex se natura Virginis concipientis exhibuit, cum in eam Deus concipiendus advenit. Non est igitur aliquod intervallum temporis æstimandum inter conceptæ carnis initium, et concipiendæ majestatis adventum. Una quippe fuit in utero Mariæ virginis conceptio divinitatis et carnis. »

VII. Joannes Maxentius in Dialogo primo [2], « Non homini, *inquit*, jam in propria manenti subsistentia Deum Verbum crede unitum, aut saltem carni formatæ et animatæ, per quam cujuslibet hominis intelligitur esse persona : sed subsistentiam, sive personam Dei verbi naturam suscepisse humanam : quæ nunquam, velut communis, præter Deum Verbum subsistit : sed per ipsum orta, et ab eo suscepta, ipsius facta propria natura est, manetque non in sua, sed in eo, a quo suscepta est, hoc est, Dei Verbi subsistentia, sive persona. » Sic Rusticus in disputatione contra Acephalos [3] : « Quid enim et cooperari ad unitionem valuit, *inquit*, natura nostra, quæ in Christo est, quæ sumpsit ab ipsa unitione principium? »

Ferrandus quoque Carthaginensis diaconus

[1] Tom. 4. Bib. 414.

[2] Tom. 4. Bib. PP. 470. — [3] To. eod. 824. E.

in epistola ad Severum [1] : «Nec ambigere, *ait*, oportet, quomodo credatur humana natura ex initio sui Dei Verbi habuisse personam, scientes, quod non hominem formatum, neque conceptum, neque vita sua quadam vel in matris utero vivere jam incipientem Deus adsumpsit; sed omnino antequam aliquid Maria conciperet, ante omnem formati, formandi (for. *formandique*) ob hominis causam Deus volens et homo fieri, virginalis palatium ventris intravit, et virtute divinitatis munus largiens fœcunditatis, assumpsit, ex ea, quam habere voluit matrem, nostri generis veram carnem, ex ipsa assumptione conceptus, et natus.»

Gregorius item magnus [2], «Non purus homo conceptus, *inquit*, atque editus, post per meritum, ut Deus esset, accepit. Sed nuntiante Angelo, et adveniente Spiritu, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro : et manente incommutabili essentia, quæ ei est cum Patre, et cum sancto Spiritu coæterna, assumpsit intra virginea viscera, unde et impassibilis pati, et immortalis mori, et æternus ante secula, temporalis posset esse in fine seculorum.»

VIII. Laudatur et in epistola synodica concilii Francofordiensis, contra Elipandum et Felicem habiti [3], Gregorii epistola ad Quirinum episcopum, in qua ita scriptum est : «Non autem prius in utero Virginis caro concepta est, et postmodum divinitas venit in carnem, sed mox ut Verbum venit in uterum, mox Verbum, servata propriæ virtute naturæ, factum est caro, et perfectus homo idem in virtute carnis et animæ rationalis, natus est per uterum Virginis Filius Dei.» Hoc modo Felicianam hæresim (sic enim vocata est) sive Nestorianam synodus illa redarguit : ut et Albinus Flaccus in quarto libro adversus eumdem Felicem [4], «Hæc ergo unitas, *inquit*, et veritas in Christo nequaquam post Virginis partum cœpta, sed in ipso Virginis utero conjuncta, atque unita est.» Tum subinde Felicis nefariam vocem, qua «hominem assumptum a filio Dei, mox a conceptione virginalis uteri verum conceptum esse Deum, verum et natum Deum» negabat, nonnullorum Patrum testimoniis oppugnat, et inter hæc Augustini in Enchiridio, et Cyrilli in epistola ad Nestorium, et Fulgentii ad Petrum de fide, quæ a nobis allata supra, id, quod modo agimus, ostendunt, eodem quo in utero conceptus est homo Christus, temporis momento, cum Verbo fuisse conjunctum, neque simplicem unquam hominem extitisse. «Conceptæ nimirum in utero Virginis, ait Petrus Damiani [5], animæ simul et carni ne puncto quidem temporis virtus defuit Verbi, nec antea formata, vel animata est vestis, quam sibi Rex supernus indueret, sed per ipsum, et in ipso cœpit illud humani corporis templum, quod sibi Dei filius essentialiter couniret.» Ubi essentialiter idem est ac *substantive*, quod Græci dicunt οὐσιωδῶς, hoc est non *ex accidenti*, sed propria, et arctissima conjunctione, quæ unum per sese, id est unam hypostasim efficiat. Utitur et Paulinus Aquileiensis eadem voce in primo libro adversus Felicem [6]. «Quoniam, *inquit*, cum a vero Dei filio, et vero Deo essentialiter in singularitate personæ, licet inconfusibiliter sit assumptus homo, verus Dei Filius, et verus Deus, absque ulla dubietatis palpatione, creditur, et adoratur.»

Hildephonsus quoque Toletanus archiepiscopus libro de perpetua virginitate S. Mariæ [7], «Christus, *inquit*, Deus, qui nunquam non fuit, ex quo homo factus est, et assumptus in veritate personæ, semper mansit, et permanet verus Deus homo : non duo quidem, ut esset alter Deus, et alter homo; sed unus idemque Deus et homo.»

IX. Ex quo firmissimum existit argumentum, non vel aliquantulo spatio antequam cum Verbo jungeretur, separatam extitisse naturam hominis; quod alioqui nulla ejusmodi fieri potuisset naturarum unitio. Quippe ex duobus perfecte subsistentibus, hoc est *hypostasibus*, sive *personis*, unum per sese fieri nequit, nisi alterum immutetur, et cum altero confundatur : quemadmodum aquæ stilla in vini amphoram infusa, hoc, quod erat antea, esse desinit. Hoc autem neutram in substantiam earum, ex quibus constat Christus, congruit : ut in tertio libro demonstratum est. Quare σχετικὴ tantummo, et Nestorianæ consentanea perfidiæ, naturarum esset in Christo copulatio, si in hanc duplex persona coaluisset. Non enim rerum natura patitur, individuam aliquam existere substantiam, quæ non subsistendi modum habeat, adeoque sit hypostasis, ut ne quis perbrevi aliquo intervallo, naturam hominis extantia sola, sine hypostatica proprietate, præditam fuisse cogitet, quod omnino fieri non potest. Sed de hac re postea,

1 Tom. 3. Bibl. col. 336. — 2 Lib. 18. Mor. c. 27. — 3 Tom. 6. Conc. p. 178. A. — 4 Col. 844. Op. Alch.

5 Pet. Dam. Opu. 1. c. 8. — 6 Paulini apud Alchuin. 1781. — 7 Hildeph. to. 9. Bib. col. 124.

cum de Christi humanitate seorsim agemus.

Reliqua est ἐπίστασις, atque etiam argumentatio sancti Epiphanii : qui humanam Christi naturam non prius extitisse, quam assumptam a Verbo fuisse, ex Evangelii loco illo, *Verbum caro factum est*, recte approbat, eo quod Verbum primo loco positum est, non item caro, ut ita loqueretur : *Caro Verbum facta est*. Hoc enim modo ἡ προΰπαρξις carnis indicaretur. Epiphanii verba, quia non simplici auctoritate, verum etiam ratiocinatione causam nostram adjuvant, in postremam aciem reservata sic se habent. « (1) Non habemus, *inquit*, hominem ejusmodi, qui ad provectum divinitatis venerit: sed Deum, qui e cœlo descendit, et in seipsum suam sibi humanitatem, pro eo ac potens est ipsius divinitas effinxit. Quemadmodum Scriptura dicit : Verbum caro factum est. Ideo enim dixit; Verbum caro factum est, ne aliqui forsitan putent, primum extitisse hominem, in eumque postea venisse Christum. Idcirco sanctum Evangelium primo loco Verbum posuit, deinde ita de carne professum est: Verbum caro factum est. Non enim dixit, Caro Verbum facta est; ut ostenderet primum Verbum e cœlo venisse, et in seipsum carnem e sanctæ Virginis utero procreasse, atque omnem perfecte naturam hominis in seipsum formasse.»

CAPUT DUODECIMUM.

1. Quæ sit *hominis* vocabulo subjecta notio in illis enuntiationibus, *Deus homo factus est*, vel, *Homo factus est Deus*. — 2. Commemorantur tres a Magistro sententiarum expositæ de ea re sententiæ, ex quibus Incarnationis modus, et humanitatis assumptæ ratio varie declaratur. — 3. De tribus illis sententiis, earumque interpretatione, ac discrimine, S. Thomæ, et aliorum judicium expenditur. — 4. Ex illis tertia merito respuitur, quæ cum anima et corpore non conjunctis unitum Verbum adstruit; prima vero ab nonnullis damnata, ad commodum sensum redacta defenditur. — 5. Ostenditur ex antiquis Patribus, unam aliquam substantiam hominis assumptam, et unitam esse Verbo, quod priores duæ Magistri sententiæ docent. — 7. Refellitur iterum tertia ejusdem sententia.

I. Duo sunt ex antecedentibus proxime totidem capitibus colligenda, quæ ad unitionis modum, incarnationisque non parum conducunt. Primum est, naturas duas ita in Christo colligatas fuisse, ut non ambæ seorsim, et a se mutuo disjunctæ, ne puncto quidem temporis extiterint : sed simul humana, quæ sola initium habuit in tempore, concepta sit, et ad divinæ communionem hypostasis assumpta pervenerit : quod toto superiori capite declaratum est. Alterum, de quo in fine noni capitis diximus; eamdem tamen hominis substantiam, genere quodam antecessionis, quod τῇ ἐπινοίᾳ, id est *cogitatione*, aut *ratione* constat, vel etiam natura, prius in se quodammodo spectari velut extantem, et productam, quam cum Verbo copulatam. Cujusmodi prioris, posteriorisque ratio non absoluta est, nec ex ea simpliciter utravis notio, appellatioque sequitur, ut omnino ante vel postea quippiam extitisse dicatur. Id enim soli temporis antegressioni convenit. Valet tamen ad mentis nostræ dirigendam formandamque contemplationem, et ut sua cuique rei cognitæ proprietas, sine ulla confusione, servetur. Ad hunc igitur modum naturam hominis ex anima et carne compositam, quam carnis solius vocabulo plerumque Scriptura complectitur, prius in se considerari, merito dicimus, quam cum Verbo conveniat in unius Christi personam. Id autem quemadmodum cogitationi nostræ non absurde objici possit, res est quæstione non indigna; quam et Magister sententiarum non minus utilitatis, quam difficultatis continere statuit[1];

(1) Epiph. hær. num. 29. Οὐκ ἄνθρωπον ὄντα ἐλθόντα εἰς προκοπὴν θεότητος· ἀλλὰ Θεὸν ἀπ' οὐρανῶν ἐλθόντα, καὶ εἰς ἑαυτὸν ἀναπλασάμενον τὴν ἰδίαν ἐνανθρώπησιν κατὰ τὴν αὐτοῦ δυνατὴν θεότητα. Ὡς λέγει, ὅτι ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο. Τὸ δὲ, Λόγος σὰρξ ἐγένετο, ἵνα μή τινες νομίσωσιν, ὅτι πρῶτος ἄνθρωπος ἦν, καὶ ἦλθε Χριστὸς εἰς ἄνθρωπον. Διὰ τοῦτο Λόγον πρῶτον ἔταξε τὸ θεῖον Εὐαγγέλιον, εἶτα τὴν σάρκα ὡμολόγησεν, ὅτι ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο. Οὐ γὰρ εἶπεν, ἡ σὰρξ Λόγος ἐγένετο· ἵνα δείξῃ πρῶτον Λόγον ἀπ' οὐρανῶν ἐλθόντα, εἰς ἑαυτὸν δὲ ὑποστήσαντα τὴν σάρκα ἀπὸ τῆς μήτρας τῆς ἁγίας παρθένου, καὶ πᾶσαν τὴν ἐνανθρώπησιν τελείως εἰς ἑαυτὸν ἀναπλασάμενον.

[1] Lib. 3. Dist. 6. et 7.

et pro eo ac statuit, scrupulose anxieque disputavit. Hoc enim in controversiam attulit; cum ita loquimur, *Deus factus est homo*, vel *homo factus est Deus* : quæ sit voci *homo* subjecta notio ac proprietas. Ac tres sunt ab eo notatæ, examinatæque sententiæ : quarum ratio non satis explicata, nec intellectu facilis, et mirum nisi a plerisque theologis haud recte sit accepta. Adeo mihi ab Magistri sensu, ac proposito aberasse videntur.

II. Prima est eorum [1], « qui dicunt in ipsa Verbi incarnatione hominem quemdam ex anima rationali, et humana carne constitutum : qui homo cœpit esse Deus, non quidem natura Dei, sed persona Verbi ; et Deus cœpit esse homo ille. Concedunt etiam hominem illum assumptum a Verbo, et unitum Verbo, et tamen esse Verbum. Et ea ratione tradunt dictum esse, Deum factum hominem, vel esse hominem : quia Deus factus est, id est, cœpit esse quædam substantia ex anima rationali, et humana carne subsistens; et illa substantia facta est, id est, cœpit esse Deus. Cumque dicant, illum hominem ex anima rationali, et humana carne subsistere, non tamen fatentur ex duabus naturis esse compositum, divina scilicet, et humana, nec illius partes esse duas naturas, sed animam tantum et carnem. »

Secunda est eorum, « qui dicunt, hominem illum non ex anima rationali, et carne tantum; sed ex humana, et divina natura, id est, ex tribus substantiis, divinitate, carne, et anima constare, et hunc Jesum Christum fatentur, et unam personam tantum esse : ante Incarnationem vero solummodo simplicem, sed in Incarnatione factam compositam ex divinitate, et humanitate. Nec est ideo alia persona, quam prius ; sed cum prius esset Dei tantum persona, in Incarnatione facta est etiam hominis persona. Persona ergo, quæ prius erat simplex, et in una tantum natura existens, in duabus, et ex duabus subsistit naturis; et persona, quæ tantum Deus erat, facta est etiam verus homo subsistens, non tantum ex anima et carne, sed etiam ex divinitate. »

Tertia denique « aliorum est, qui in incarnatione Verbi non solum personam ex naturis compositam negant : verum etiam hominem aliquem, sive etiam aliquam substantiam ibi ex anima et carne compositam, vel factam diffitentur. Sed sic illa duo, scilicet animam et carnem, Verbi personæ vel naturæ unita esse aiunt, ut non ex illis duobus, vel ex his tribus aliqua natura, vel persona fieret, sive componeretur : sed illis duobus velut indumento Verbum Dei vestiretur, ut mortalium oculis congruenter appareret. Qui ideo dicitur verus factus homo, quia veritatem carnis, et animæ accepit. Quæ duo etiam in singularitatem, vel unitatem suæ personæ accepisse legitur, non quia illa duo, vel aliqua res ex illis composita, sit una persona cum Verbo, vel sit Verbum ; sed quia illis duobus accedentibus Verbo, non est personarum numerus auctus, ut fieret quaternitas in Trinitate, et quia ipsa persona Verbi, quæ prius erat sine indumento, assumptione indumenti non est divisa, vel mutata, sed una eademque immutata permansit. »

Has opiniones tres de modo Incarnationis recenset Magister sententiarum : nec tamen aperit quid ipse sentiat, et quam trium veriorem judicet, sed lectoribus permittit, ut diligentius rem apud se perscrutari, et indagare studeant.

III. Quemadmodum vero se habeant, ac quod inter illas discrimen sit sanctus Thomas declarat sic [2]. Imprimis asserit convenire in hoc omnes, quod neque duas in Christo personas constituunt, sicut Nestorius, nec unam tantum naturam, sicut Eutyches. Ac primam quidem statuere, prius animam et corpus inter se copulari, et unam hominis naturam, unumque adeo hominem componere, quam cum Verbo jungatur. Quare non humanitatem solum, sed etiam hominem assumptum esse : ut in Christo *duo supposita et duas hypostases* agnoscat. Jam personam Verbi neutiquam ex Deo et homine illo esse compositam : sed esse duntaxat substantiam illam compositam ex anima et corpore. Secundam vero opinionem, non hominem, sed humanitatem putare susceptam fuisse, et ad hujus constitutionem, animam corpori esse conjunctam. Personam quoque Verbi post Incarnationem, ex utraque substantia dicere esse compositam, divinitate, et humanitate, ita ut ambæ istæ ad *personalitatem* Verbi pertineant : eo quod persona ista Verbi subsistit tam in divina substantia, quam in anima et corpore conjunctis, sive in hominis natura. Denique tertiam opinionem ait asserere, non prædicari de Christo, cum homo dicitur, aliquid compositum ex anima et corpore, sed partes ipsas tantummodo naturæ hominis; quibus tanquam indumento aliquo vestiatur : ita ut non οὐσιώδης, sed *accidentaria* sit unitio illa cum Verbo. Addit et priores duas, non temporis ordine, sed solo intellectu,

[1] Dist. 6. B.

[2] In 3. Dist. 6.

velle conjunctionem corporis et animæ eorum assumptionem præcedere. Ita S. Thomas, quem mirum est, sic priorem interpretari, uti duas hypostases ab illa totidem naturis adscribi velit, non duas personas. Atqui Nestoriana hæc erat blasphemia, duarum hypostaseon conjunctionem in Christo ponere : quam si prima opinio illa defenderet, non eam vel probaret, vel de ea saltem dubitaret Magister, sed sine hæsitatione, ac continuo damnaret. Non igitur existimandum est, primæ istius auctores sententiæ hominem illum ex anima, et carne prius ratione conflatum, quam cum Verbo et in Verbo subsistentem, esse hypostasim arbitratos fuisse : sed individuam aliquam naturam, quæ ante spectari in se debeat, suis ex partibus coagmentata, et existens, quam unita Verbo. Cum hoc itaque homine consociatum esse Verbum, priores illi opinati sunt, et in hujus hypostasi ita illum substitisse, ut ex duobus non fieret una persona composita : sed una simplex esset Verbi, quæ illa ipsa substantia ex anima constans et carne facta esse dicatur. In quo a secunda differt opinione, quæ personam Verbi hactenus simplicem, utpote in una subsistentem natura Dei, ex ambabus deinceps cœpisse esse compositam affirmat. Quocirca priores non unum, sed duo Christum esse dixisse scribit S. Bonaventura [1] : posteriores autem unum asseruisse; « quia persona Verbi non assumpserat hominis suppositum, sed naturam. » Quæ cum dicit, itidem ut sanctus Thomas, illum hominem, quem prima statuit opinio, *suppositum*, sive *hypostasim* appellare videtur. Nimirum pro *individuo*, hypostasim usurparunt : a quo nonnunquam Græcos haud abhorrere postea dicemus.

IV. Jam ex illis tribus sententiis, primam et tertiam duo illi sancti viri repudiant; mediam asciscunt, iisque Scotus assentitur, et quidem merito, si in prima duæ in Christo ponuntur hypostases, ita ut vox *hypostasis* communi et græcorum usu Patrum detrita significatione sumatur. Ceterum si non hypostasis proprie dicta homo ille cum Verbo junctus intelligitur, sed substantia aliqua, individua, et naturam perfectam habens; non est pœnitenda : nec a secunda plurimum discrepat, nisi modo quodam ac genere loquendi, quod personam Verbi compositam esse velit, negante altera; de qua controversia dixi supra, ostendique magno græcorum Patrum consensu compositam vocari personam Christi. At tertia sententia, quæ cum anima et corpore singillatim potius, quam cum natura hominis, vel homine singulari coaluisse Verbum asserit, jure ab omnibus respuitur. Quippe humanam naturam, vel hominem a Verbo assumptum, et huic esse copulatum, et unitum, græci, latinique theologi passim prædicant : quod nunc adductis in medium testimoniis aliquot et exemplis adstruam : quorum hic erit fructus ad institutam tractationem pertinens, ut intelligamus, unum aliquem hominem, sive naturam singularem hominis ex anima et corpore constantem, et integram, assumpsisse Verbum, et in eamdem secum hypostasim adscivisse : ita ut τῇ ἐπινοίᾳ, et ratione, vel natura prius in se extitisse humana illa substantia cogitetur, quam cum Verbo conveniret.

V. Declarat hoc imprimis familiaris ille Cyrillo, ac post eum aliis, loquendi modus, quo Verbum unitum esse carni dicunt, rationali et intelligente anima præditæ. Sic in primi Anathematismi sui declaratione, « (1) Asserimus, inquit ille, cum carne animam habente rationis participem copulatum esse Verbum. » Quod et alias identidem repetit [2]; necnon ejus exemplo, ac verbis ipsis, reliqui Patres, ut Maximus martyr, Joannes Damascenus, Leontius, ceteri denique, qui *carnis* nomine, quando *Verbum caro factum* dicitur, significari volunt *carnem animatam anima rationali, et intelligente*. Hæc enim natura definitioque est hominis, ut ait Maximus supra laudatus a nobis [3]. Itaque totum hoc perfectum hominem ut assumptum a Verbo, sic ei conjunctum, constanter omnes, ac sæpius affirmant, ut identidem in superioribus ostendimus [4], et rursus postea dicemus. Hinc igitur evidens est ex theologorum veterum sensu, hominem ipsum, sive naturam aliquam singularem, cum Verbo copulatam fuisse. Non enim communem, et εἰδικὴν assumpsit; uti jam observavimus, et plenius sequente libro demonstrabitur.

Eodem pertinet, quod Cyrillus « (2) tum

(1) Cyr. in expos. anath. 1. tom. 5. par. 2. oper. pag. 147. Φαμὲν δὲ σαρκὶ ψυχὴν ἐχούσῃ τὴν λογικὴν ἡνῶσθαι τὸν Λόγον, etc.

(2) Cyrill. anath. 2. Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ σαρκὶ καθ' ὑπόστασιν ἡνῶσθαι τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγον, ἕνα τε εἶναι Χριστὸν μετὰ τῆς ἰδίας σαρκὸς, τὸν αὐτὸν δηλονότι Θεόν τε ὁμοῦ, καὶ ἄνθρωπον, ἀνάθεμα ἔστω.

[1] In 4. Dist. 6. — [2] Ut ad Anat. 3. et cont. Orient. ad Anath. 1. et in ep. 1. ad Succ pag. 136.

[3] Cap. 7. § 9. — [4] Vide c. 2. lib. hujus, et 7.

carni, » id est homini pleno, et integro, « persona et hypostasi unitum esse Verbum : » tum « unum esse Christum cum carne propria, » scripsit in secundo anathematismo. Nam unitum esse carni idem est atque homini conjunctum esse. Est autem homo unum aliquid. Quare uni unum adjungitur.

VI. Hinc etiam Græci, ac Latini passim dicunt, « (1) assumptum esse hominem ; » ut Cyrillus Anathematismo octavo. Et Augustinus [1], « Suscepit plenum hominem. » Item Leo papa [2], « Verus homo vero unitus est Deo. » Et Vitalis [3], ac Constantius Hispani episcopi ad Capreolum Carthaginensem : « Confitemur itaque Deum fuisse in utero Mariæ virginis, assumpsisse aliquam partem, fabricasse Deum sibi hominem : natum fuisse Deum verum, et hominem verum, quem assumpsit pro salute generis humani. »

Quod alias ναοῦ, id est *templi*, vocabulo solent exprimere, quod divina Sapientia ædificasse dicitur, ut in eo habitaret : « ædificante sibi sapientia domum, » ait Leo epistola decima. Est autem ναὸς, sive *domus*, unum quippiam , hoc est natura una, quæ uni alteri conjungitur. « Natura quippe impassibilis naturæ est unita passibili, » ut idem Leo in epistola ad Flavianum scribit [4]. Et frequenter « naturas duas conjunctas esse ; » vel, « naturam unam naturæ alteri copulatam, » Patres asserunt [5].

Adde « formam servi assumptam, » et unitam dici « Dei formæ [6]. » Forma autem servi, una est hominis natura ex anima et corpore composita, inter se conjunctis, et in unum redactis.

Quamobrem « cum ipsa acceptio carnis, fuerit conceptio virginalis, » ut ait Fulgentius [7] : et nos proxime præcedenti capite latius explicavimus : necesse est, ut unus quispiam homo in beatæ Virginis utero conceptus, et ab eo genitus est, sic unum esse Verbo conjunctum hominem : ex quo « (2) Deus homo genitus dicatur, qui utrumque sit et in omnibus perfectus, » ut loquitur Athanasius. Atqui non aliter potest *homo gigni*, nec *homo ac Deus esse*, vel *in utroque perfectus*, nisi unum aliquid homo iste sit, et cum uno altero jungatur.

VII. Ex his certissime liquet, ineptam, absurdamque esse tertiam ab Magistro commemoratam sententiam, quæ negat, unam quamdam hominis substantiam assumptam fuisse , junctamque Verbo : sed animam et corpus , tanquam separatas illas hominis partes assumpserit : quæ utique distractæ, ac non copulatæ, neque homo sunt, neque hominis natura. Quare non esset *Verbum caro factum*, id est homo : nec hominem assumpsisset, aut ἐνανθρωπῆσαι dici posset ; quod est *inhumanatus esse*.

Hanc certe ridiculam cavillationem Cyrillus elidit in expositione Anathematismi secundi : in qua primum Incarnationis modum sic intelligendum ait, ut « (3) unitum esse cogitemus corpori animam habenti procedens ex Deo Patre Verbum : » quod fieri non potest, nisi uni cuipiam ex anima et corpore composito conjunctum sit. Deinde, « unum » dicit « esse filium; quemadmodum in nobis ipsis fieri videmus, ut partes duæ natura dispares, ac dissimiles coeant in unius animalis compositionem. » Ergo in Christo, perinde ut in nobis, anima et corpus non seorsim, sed connexa inter se; vel unum potius ex illis cohærens et compositum cum Verbo copulatur. Ad hæc Cyrillus ibidem Nestorium ait duos in Christo filios idcirco ponere, (4) quod separatim Deum, hominemque statuat : dum ambos non naturali, et substantivo nexu colligat, sed improprio, et σχετικῷ, qui in sola habitudine, et voluntatis mutua conjunctione situs est; tum in communione dignitatis. Igitur si non una est, auctore Cyrillo, persona Christi, nec ex ambobus, homine ac Deo, unus aliquis per sese, proprieque constat, quando deest mutua inter se componentium naturarum, eaque naturalis, et proprie dicta conglutinatio : cum tertia illa Magistri sententia nullum inter animam corpusque Christi vinculum interponat; nullus ex illis existet homo, quia si unus non

(1) Cyr. an. 8. Τὸν ἀναληφθέντα ἄνθρωπον.

(2) Athan. lib. de incarn. Christi cont. Apoll. pag. 484. Ἀλλ' ὁ ὢν φύσει Θεὸς γεννᾶται ἄνθρωπος· ἵν' εἷς ᾖ τὰ ἑκάτερα, τέλειος κατὰ πάντα.

(3) Cyr. tom. 5. par. 2. pag. 149. Ἡνῶσθαί φαμεν ἁγίῳ σώματι ψυχὴν ἔχοντι λογικὴν τὸν ἐκ Πατρὸς Λόγον· ἕνα τε καὶ οὕτω νοοῦμεν Υἱὸν, καθάπερ ἀμέλει καὶ ἐφ' ἡμῶν αὐτῶν ἔξεστιν ἰδεῖν, ἑτεροφυᾶ μὲν τῷ σώματι τὴν ψυχὴν, πλὴν εἰς ἓν ἄμφω ζῶον συντεθειμένα.

(4) Ibid. Ἄνθρωπον δὲ διϊστάντες ἡμῖν ἀνὰ μέρος, καὶ ἰδικῶς συνῆφθαί φασιν, etc. οἱ διαιροῦντες τοίνυν τὰς ὑποστάσεις μετὰ τὴν ἕνωσιν, καὶ ἀνὰ μέρος τιθέντες ἑκατέραν, τουτέστιν ἄνθρωπον καὶ Θεὸν, ἐπινοοῦντες καὶ συνάφειαν αὐτοῖς τὴν κατά γε μόνην τὴν ἀξίαν, δύο που πάντως ἱστᾶσιν υἱοὺς.

[1] Aug. Ser. 3. de Verb. Domini sec. Mat. c. 4. — [2] Leo ep. 11. — [3] In Opus. dog. p. 57.

[4] Cap. 3. — [5] Vide c. 9. § 2. — [6] Ut Leo ep. 10. c. 3. et 4. — [7] Lib. de Incarnat. c. 3.

est, ne homo quidem est. Ita Christus homo non erit; sed anima duntaxat, et caro, quarum neutra ab altera divulsa homo dicitur.

VIII. Rursus hoc inter Nestorium, et Catholicos distabat, quod ille non putabat Verbum revera hominem esse factum, sed in hominem, tanquam unum aliquem e prophetis, aliisve sanctis esse delapsum. Cyrillus vero cum catholica Ecclesia, non in hominem illapsum Deum; sed hominem esse factum nostri similem asserebat: utpote qui unus cum illo, hoc est hypostasis, personaque sit una factus : quod in tertii anathematismi expositione declarat Cyrillus, et nos in primo [1], ac tertio libro [2] pluribus explicavimus. Ut igitur Nestorius, dum in hominem subiisse Deum affirmabat, hominem intelligebat verum, et perfecta natura præditum, hoc est unum aliquid, quod ex anima et carne inter se mutuo junctis coalesceret : ita Cyrillus, qui unitione propria et substantiva, eamdem illam hominis naturam cum Verbo coagmentatam esse, non Verbum excepisse dicit; unam itidem ex anima et corpore conflatam substantiam, hoc est nostri similem, et humanam significare voluit : quia nulla ejusmodi, id est humana, censetur, nisi quæ ex ambarum illarum partium concursione conficitur.

Postremo nec illud parum displicet in tertia illa opinione Magistri, quod animam et carnem sic tanquam vestimentum fuisse somniat, quo sese Verbum induit : tanquam nulla inter ambas naturas substantiva propriaque intercedat unitio. Qua vero ratione nonnunquam a Patribus similitudo illa vestis usurpata sit, postea docebitur.

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

Quonam modo Verbum carni copulatum fuerit : hoc est utrum interventu animæ id factum sit : aut etiam per animæ præstantiorem partem, id est mentem, cum ea, et cum corpore sit adunatum. — 2. Utrumque affirmatur ex græcis, latinisque Patribus. — 5. Quis illorum scopus fuerit in asserendo medio illo conjunctionis Dei et hominis. — 8. Et cur necessarium istud arbitrati sint. Apollinaris hæresim occasionem iis ita sentiendi dedisse. — 9. Exponitur Platonis opinio de divisione animæ rationalis, ejusque partibus. — 11. Nec non Aristotelis ; de quo variant sententiæ. — 12 Ex his illustratur Patrum de proposita quæstione sententia hæresi Apollinaris objecta ; — 13. ac sensus illorum et mens explicatur. Scholasticorum de hac controversia altercatio perstringitur.

I. Hujus disceptandæ, ac dissolvendæ controversiæ semina quædam jacta sunt in antecedenti capite, quæ continentem cum eo, et connexam tractationem exigere videntur, ac ne ultra differatur, suo quodammodo jure postulare. Est autem nata illa quæstio potissimum ex græcorum theologorum celebri, ac trita sententia, qui hoc ipsum, quod huic inscripsimus capiti, frequenter usurpant; vel anima intercedente, cum corpore; vel cum anima ipsa, mentis interpositu, Deum esse sociatum. Quod quemadmodum ab illis intellectum sit, quibusve de causis expressum, et in usum assumptum fuerit, non tam facile est dictu : et hoc ipso singularem a nobis disputationem requirit ; quæ quidem melius utiliusque procedet, si prius antiquorum verba ipsa repræsentemus, quibus illud exposuerunt, de quo hic inquirere volumus. Inest enim in singulorum fere dictis plus minusve aliquid enucleatum, et liquidum, quod ad summam dissolvendæ quæstionis intersit.

II. Ex Græcis itaque (nam illi principes ita, ut dixi, loquendi fuerunt, ab iisque Latini didicerunt) occurrit imprimis Origenes [3], qui Christi animam ante corpus extitisse sentiens, eam pro liberi arbitrii sui viribus, ardentissimo affectu et amore inhæsisse Deo scribit in secundo de Principiis, et cum ipso unum esse spiritum effectam. « Hac ergo substantia, *inquit*, inter Deum, carnemque mediante (non enim possibile erat Dei naturam corpori sine mediatore misceri) nascitur, ut diximus, Deus homo, illa substantia existente, cui utique contra naturam non erat corpus assumere. »

Huic consentaneum illud est Gregorii Na-

[1] Cap. 9. — [2] Cap. 3. et 4.

[3] Orig. 2. Periar. c. 6. p. 441. C. D.

zianzeni, quod ad μεσιτείαν animæ spectat, in Oratione prima ; « (1) Ob hanc causam (ut homines ad Deum transferret) Deus, *inquit*, carni interventu animæ copulatus est ; et quæ a se mutuo distabant, per interpositæ rei cum utraque affinitatem, et cognationem copulatæ sunt. » Idem, atque Origeni, visum et illi fuit : opus fuisse medio aliquo, ut cum corpore, cujus crassa substantia est, subtilis, et spiritalis Dei natura jungeretur. « Etenim anima, ut adnotat Elias Cretensis, tum affectione, tum natura, inter Deum, ac corpus interjecta est, atque ita comparata, ut subtilitate quidem, et materiæ vacuitate corpus longe antecellat : affectione autem, et cura ipsi adjungatur ; a Deoque item subtilitate quidem, et materiæ vacuitate longe remota sit, et quidem magis, quam corpus ab ea, distet : per imaginem autem, et intelligentiam, et quia per propensionem ad eum illinc illuminatur, eique curæ est : ad ipsius necessitatem, et affinitatem rursum accedat. »

Idem Gregorius Oratione 35. « (2) Deitatem, *inquit*, idcirco contemnis, quia crassitiem tuam suscepit, per intermediam mentem cum carne conjunctus. »

Et in oratione 38. et 42. « (3) Qui capi non potest, capitur, *inquit*, per interventum animæ intelligentis inter divinitatem, et carnis crassitiem. »

Item in epistola priore ad Cledonium : « (4) Mens, *inquit*, cum mente miscetur, ut propinquiori, et conjunctiori, ac per eam carni inter divinitatem et carnis molem intervenientem. »

Denique in Senariis adversus Apollinarium, eamdem sententiam ita complexus est :

(5) Quoniam autem misceri nequit cum carne Deus :
Anima vero, et mens velut in interjecto spatio sunt,
Carnis quidem velut contubernalis : et ut imago Dei :
Cum cognato mista Dei natura,
Illinc habuit et crassæ molis societatem.

III. In sexta Synodo probatum est edictum Constantini Pogonati imperatoris, in quo illud ipsum continetur, Filium Dei « (6) carnem suscepisse nobis consubstantialem : et eam sibi per intermediam animam rationalem, et intelligentem compegisse, atque formasse. »

Joannes quoque Damascenus plenissime istud asseverat aliquot in locis : Ut cum « (7) unitum » scribit « esse carni Verbum Dei per mediam mentem, quæ interposita fuit inter Dei puritatem, et carnis crassitudinem. Principatum enim animæ, atque carnis mens obtinet : quæ inter omnia, quæ insunt animæ, purissimum est quiddam. » Ac subinde, « Mens, *inquit*, locus facta est divinitatis, quæ hypostatice ipsi est conjuncta. » Et capite 18. « (8) Mens, *inquit*, media consistit inter Deum, et carnem ; hanc quidem, velut contubernalis, illum vero, tanquam imago. Mens igitur menti commiscetur, ac media est inter Dei puritatem, et carnis crassitiem. »

Sophronius Hierosolymitanus in epistola synodica ad Sergium : « (9) Solam, *inquit*, amplectimur inconfusam, et impartibilem divinitatis et humanitatis unitionem secundum animam : quam solam agnoscit naturalis secundum hypostasim conventio. Hujus enim beneficio divinitas et humanitas istud habuerunt, ut neque mutationem expertæ sint, neque divisionem passæ. » Mirificus hic locus est ; tanquam nisi inter ambas naturas anima spiritalis intervenisset, ejusque cum Verbo

(1) NAZIANZ. orat. 1. pag. 11. Διὰ τοῦτο Θεὸς σαρκὶ διὰ μέσης ψυχῆς ἀνεκράθη, καὶ συνεδέθη τὰ διεστῶτα τῇ πρὸς ἄμφω τοῦ μεσιτεύοντος οἰκειότητι.

(2) NAZIANZ. orat. 35. pag. 575. Ὃς διὰ τοῦτο περιφρονεῖς θεότητα, ὅτι τὴν σὴν παχύτητα κατεδέξατο, διὰ μέσου νοὸς ὁμιλήσας σαρκί.

(3) Idem pag. 620. et 582. Καὶ ὁ ἀχώρητος χωρεῖται διὰ μέσης ψυχῆς νοερᾶς μεσιτευούσης θεότητι, καὶ σαρκὸς παχύτητι.

(4) Id. orat. 51. pag. 742. Ὁ νοῦς τῷ νοῒ μίγνυται, ὡς ἐγγυτέρῳ, καὶ οἰκειοτέρῳ, καὶ διὰ τούτου σαρκὶ μεσιτεύοντος θεότητι, καὶ παχύτητι.

(5) Id. in Carm. pag. 247.

Ἐπεὶ δ' ἄμικτός ἐστι σαρκίῳ Θεός·
Ψυχὴ δὲ, καὶ νοῦς οἷον ἐν μεταιχμίῳ·
Σαρκὸς μὲν ὡς σύνοικος· ὡς δ' εἰκὼν Θεοῦ·
Τῷ συγγενεῖ μιγεῖσα ἡ Θεοῦ φύσις,
Ἐκεῖθεν ἔσχε καὶ πάχους κοινωνίαν.

(6) In 6. Syn. act. 18. pag. 289. Σάρκα λαβόντα τὴν ἡμῖν ὁμοούσιον, καὶ ταύτην ἑαυτῷ διὰ μέσης ψυχῆς λογικῆς τε, καὶ νοερὰς συμπήξαντά τε, καὶ διαμορφώσαντα.

(7) DAMASC. lib. 3. cap. 6. pag. 187. Ἥνωται τοίνυν σαρκὶ διὰ μέσου νοῦ ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ μεσιτεύοντος Θεοῦ καθαρότητι, καὶ σαρκὸς παχύτητι. Ἡγεμονικὸν μὲν γὰρ ψυχῆς τε καὶ σαρκὸς, ὁ νοῦς· νοῦς δὲ τῆς ψυχῆς τὸ καθαρώτατον.

Et mox, Χωρίον ὁ νοῦς γέγονε τῆς καθ' ὑπόστασιν αὐτῷ ἑνωθείσης θεότητος.

(8) Idem cap. 18. pag. 249. Νοῦς γὰρ ἐν μεταιχμίῳ ἐστὶ Θεοῦ, καὶ σαρκὸς, τῆς μὲν, ὡς σύνοικος, τοῦ Θεοῦ δὲ, ὡς εἰκών· νοῦς οὖν νοῒ μίγνυται, καὶ μεσιτεύει νοῦς Θεοῦ καθαρότητι, καὶ σαρκὸς παχύτητι.

(9) SOPHRON. in act. 11. Syn. 6. pag. 167. E. Μόνην δὲ κατὰ ψυχὴν ἀσπαζόμεθα τὴν ἀσύγχυτον ὁμοῦ, καὶ ἀμέριστον θεότητός τε, καὶ ἀνθρωπότητος ἕνωσιν, ἣν μόνην γνωρίζειν ἐπίσταται ἡ φυσικὴ καθ' ὑπόστασιν σύνοδος. Ταύτῃ γὰρ ἀλλήλαις ἑνούμεναι θεότης τε, καὶ ἀνθρωπότης ἐσχήκασιν, ἵνα μήτε τροπὴν ὑπομείναιεν, μήτε διαίρεσιν πάθοιεν.

intima proximaque copulatio, vel mutari naturas ipsas, vel dividi ac separari necesse fuerit.

IV. Ambrosius tractatu in Symbolum apostolorum [1], « Verbum, *inquit*, et substantia Dei, quæ per omnia incorporea est, corpori humano inseri non poterat, nisi aliqua spiritali natura mediante, id est anima. Anima ergo rationali mediante, Verbum Dei opificio Spiritus sancti carnem assumpsit. » Et capite 18. « Mediante ergo anima, Deo et carni, hic, qui omnes, sicut Apostolus ait, divites facit, pauper effectus est. »

Luculentus hac de re locus est apud Ruffinum in Symbolum idem apostolorum. « Sed nec illud quidem, *ait*, ab absolutione vacare hujus quæstionis omittam : quod substantia Dei, quæ per omnia incorporea est, inseri corporibus, vel capi ab eis principaliter non potest, nisi aliqua media sit substantia spiritalis, quæ capax esse divini spiritus possit. Verbi gratia, ut si dicamus, Lux omnia quidem membra corporis illustrare potest; a nullo tamen eorum nisi a solo oculo capi potest. Solus enim oculus est, qui capax sit lucis. Et Filius ergo Dei nascitur ex Virgine, non principaliter soli carni sociatus; sed anima inter carnem Deumque media generatus. Anima ergo media et in secreta rationabilis Spiritus arce Verbum Dei capiente, absque ulla quam suspicaris injuria, Deus natus est ex Virgine. »

Augustinus etiam sæpe istud affirmat : ut in epistola 120 [2]. « Nos itaque mutabiles in melius commutandi, participes efficimur Verbi. Verbum autem incommutabile nihil in deterius commutatum, particeps carnis effectum est, rationali anima mediante. Neque enim homo Christus, ut Apollinaristæ hæretici putaverunt, aut non habuit animam, aut non habuit rationalem. » Et in libro de agone Christiano [3], « Si ergo visibilia munda, *inquit*, visibilibus immundis contingi possunt, et non inquinari, quanto magis invisibilis, et incommutabilis veritas, per spiritum, animam, et per animam corpus suscipiens, toto homine assumpto, ab omnibus eum infirmitatibus nulla sua contaminatione liberavit ? »

V. Nimirum, quod præcipue gentiles absterrebat ab Christiana religione, et susceptæ carnis agnoscendo confitendoque mysterio, id tum Augustinus ipse, tum alii Patres congruentibus argumentis, et exemplis emollire conati sunt. Offendebat autem hæc illos præ ceteris una res, quod contagione carnis ac sordibus infici majestatem illam crederent : minime certe dignum illa esse jactarent, ut ad vile hoc cœnum, ac lutum nostra se causa demitteret, tum ne spiritum quidem excellentem illum, ac simplicissimum, hoc est divinum, cum crasso, ac terreno corpore convenire posse in unius compositionem personæ. Quæ quidem nostri istiusmodi refellere solebant, quæ Augustinus attigit, argumentis duobus : altero ex conjunctione cum corpore humano, rationalis animæ, quam præ oculis habebant : altero, quod interventu spiritus, hoc est animæ, vel mentis, cum carne copulatus sit Deus : a quo, utpote spiritu, non sit proxima illa cum spiritu aliena compactio.

Declarat hoc in decimo libro de civitate Dei [4] idem Augustinus adversum Porphyrium et Platonicos disputans : « Quid vobis, *inquit*, incredibile dicitur, cum Deus dicitur assumpsisse humanam animam et corpus? Vos certe tantum tribuitis animæ intellectuali, quæ anima utique humana est, ut eam consubstantialem paternæ illi menti, quem Dei Filium confitemini, fieri posse dicatis. Quid ergo incredibile est, si aliqua una intellectualis anima, modo quodam ineffabili, et singulari, pro multorum salute suscepta est? Corpus vero animæ cohærere ut homo totus, et plenus sit, natura nostra ipsa teste cognoscimus. Quod nisi usitatissimum esset, hoc profecto esset incredibilius. Facilius quippe in fidem recipiendum est, etsi humanum divino, etsi mutabile incommutabili, tamen spiritum spiritui : aut, ut verbis utar, quæ in usu habetis, incorporeum incorporeo, quam corpus incorporeo cohærere. »

Sic in epistola tertia [5], « Cum enim Verbum Dei permistum est, *inquit*, animæ habenti corpus, simul et animam suscepit, et corpus. Illud quotidie fit ad procreandos homines, hoc semel factum est ad liberandos homines. Verumtamen duarum rerum incorporearum commistio facilius credi debuit, quam unius incorporeæ, et alterius corporeæ. Nam si anima in sua natura non fallitur, incorpoream se esse comprehendit : multo magis incorporeum est Verbum Dei; ac per hoc Verbi Dei, et animæ credibilior debuit esse permixtio, quam animæ et corporis. »

Et in sermone quodam [6], « Quærere tamen quidam solent, *inquit*, quomodo misceri po-

[1] Cap. 13. — [2] Cap. 4. — [3] Tom. 3. c. 18. — [4] Cap. 29. — [5] Pag. 5. B.

[6] Serm. 1. de Diver. cap. 3. Part. 2. tom. 10. pag. 525.

tuit homo et Deus. Quærunt rationem hujus mysterii, quod semel factum est; cum ipsi nequaquam possint reddere rationem ejus, quod fit semper, id est, quomodo anima miscetur corpori, ut homo fiat. Ergo sicut corporea res, incorporeaque conjungitur, ut homo efficiatur : ita homo conjunctus est Deo, et factus est Christus. Et tamen ut fieret Christus, duo illa incorporea, id est anima et Deus, facilius conjungi, permiscerique potuerunt, quam miscetur una incorporea, aliaque corporea, id est anima et corpus, ut persona hominis existat. »

VI. Nemesius Christianus philosophus, ac peræque doctus et disertus, multa de animæ corporisque junctione disputat in tertio capite, et ex ea credibilem illam esse demonstrat, quam Christiana fides affirmat, Verbi cum carne commistionem ; atque hanc negantes, et irridentes ethnicos tum ista similitudine, tum Porphyrii auctoritate compescit. Cujus memorabilem ex secundo libro miscellanearum quæstionum sententiam refert : « (1) Non improbandum esse, posse fieri, ut aliqua substantia ad absolutionem substantiæ alterius assumatur, et sit pars substantiæ, in sua interim natura manens, dum aliam complet substantiam, ita ut unum fiat cum alio, et unum, quod est ex sese, ipsa conservet, et, quod amplius est, ut eum minime ipsa mutetur, illa, in quibus inest, in suam ipsius efficientiam, præsentia sua commutet. » Quæ cum scribit Porphyrius, ad animæ corporisque conjunctionem in homine respicit, ut ait Nemesius : qui et indidem Verbum cum hominis natura copulari potuisse confirmat, adversus temere hoc inticiantes, et illudentes ethnicos; « (2) ab quibus impossibile, nec non absurdum, indignumque judicatur, divinum numen cum mortali natura temperatione, et unitione convenire. »

VII. Sed redeo ad latinos Patres, qui per animam asserunt a Verbo assumptam esse carnem. Gregorius papa Moralium libro 18 [1]. « Dominus, *inquit*, per divinitatem lumen est : qui, mediante anima, in ejus utero fieri dignatus est per humanitatem corpus. »

Atque hoc ex eo nonnulli probant, quod divinitatis velut proprium quoddam domicilium sedesque sit anima : idque Sapiens verbis istis explicet [2], *Anima justi sedes est sapientiæ.* Porro Verbum in suscepto homine, tanquam in templo, ac domicilio, habitare, passim ab antiquis pie et catholice dicitur : ut suo loco declarabitur. Quare merito, animæ interventu, quam proprie incolit, ab iisdem illis Patribus divina sapientia, quæ est Verbum, habitare credita est in corpore, de quo mox. Hunc sensum attigit Fulgentius in primo libro ad Trasimundum [3]. « Habitavit autem in nobis, *inquit*, quia in Christo vera, totaque permanet divina, humanaque substantia. Verbum enim habitans in homine, non est mutatum in hominem. Ubi autem maxime Verbum potuit habitare, quam in illa substantia, quam ad suam imaginem fecit, hoc est in anima illius hominis, quem suscepit? Quod prophetice per Salomonem spiritali gratia cernimus intimatum, cum dicitur, Anima justi sedes est sapientiæ. Nam ut ostendatur Christus in animæ substantia specialiter habitare, Paulus nobis porrigat suæ attestationis in veritate subsidium, qui dicit [4] : *Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis, et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per spiritum ejus, in interiorem hominem habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Ecce et animam nominat, et cor appellat, ubi Christum habitare confirmat. Unde liquido cognoscitur, Verbum Deum totum hominem suscepisse, cum probetur habitationem Filii Dei in anima magis, quam in carne monstrari.

Huic Rupertus adstipulator accedit libro primo commentariorum in Joannem [5] : ubi adversus Apollinarem, non nudam carnem, sed anima præditam a Verbo sumptam fuisse disputans, « Si solam, *inquit*, carnem sine

(1) PORPH. apud Nemes. cap. 5. tom. 12. bib. pag. 738. Οὐκ ἀπογνωστέον οὖν ἐνδέχεσθαί τινα οὐσιῶν παραληφθῆναι εἰς συμπλήρωσιν ἑτέρας οὐσίας, καὶ εἶναι μέρος οὐσίας μένουσαν κατὰ τὴν ἑαυτῆς φύσιν, μετὰ τοῦ συμπληροῦν ἄλλην οὐσίαν, ἕν τε σὺν ἄλλῳ γενομένην, καὶ τὸ καθ᾽ ἑαυτὴν ἓν διασώζουσαν, καὶ τὸ μεῖζον, αὐτὴν μὲν μὴ τρεπομένην, τρέπουσαν δὲ ἐκεῖνα, ἐν οἷς γίγνηται, εἰς τὴν ἑαυτῆς ἐνέργειαν τῇ παρουσίᾳ.

(2) NEMES. ibid. Ὅπερ ἄντικρυς ἀποφράττει τὰ στόματα τῶν ἐπιχειρούντων κατηγορεῖν τῆς τοῦ Θεοῦ ἑνώσεως προς τὸν ἄνθρωπον. Τοῦτο γὰρ Ἑλλήνων οἱ πολλοὶ γέλωτα ποιοῦνται, φάσκοντες ἀδύνατον, ἀπίθανον, καὶ ἀπρεπὲς εἶναι συγγενέσθαι θνητῇ φύσει τὸ θεῖον κατὰ κρᾶσιν, καὶ ἕνωσιν.

[1] Cap. 12. in fine. — [2] Sap. 7. — [3] Cap. 18.

[4] Eph. 3. — [5] Tom. 2. pag. 214. col. 2. sub med.

anima Verbum Deus suscepisset, ubi radicem suam fixisset? Solus quippe rationalis spiritus capax ejus est. Siquidem Verbum hoc ratio est, sapientia est. Quam singuli quoque homines, quantum ea participantur, nonnisi mente vident, nonnisi anima complectuntur. Multo magis ergo Verbum universum, quando carnem suscepit, congruum sibi exceptorium, id est animam rationabilem non omisit. » Animam vocat *exceptorium divinitatis* : quod est proprie δοχεῖον. Joannes vero Damascenus [1] χωρίον, id est *locum divinitatis,* mentem appellat, quæ est summa, et præstantissima pars animæ.

VIII. In his græcorum, latinorumque Patrum sententiis (neque enim plures commemorare attinet) illud apparet, cujus gratia delibatæ sunt a nobis; arbitratos omnes illos esse, necessarium fuisse medium quiddam inter Deum et carnem, vel certe inferiorem hominis partem, cujus cum brutis animantibus, ac plantis communes sunt vitæ functiones, ut substantiva inter se junctione coalescerent; quod *medium* alii animam ipsam, alii partem animæ nobilissimam esse putarunt, *mentem,* sive *intellectum.* Cui posteriori favet, quod Hebræorum doctissimus R. Moses in parte tertia libri More Nebochim docet, « (1) Intellectum istum, quem Deus nobis infudit, esse cohæsionem, vel conjunctionem inter nos et ipsum. » Hujus vero statuendi omnes fere occasionem sumpserunt ex hæreticorum perversis opinionibus, qui assumpto in divinitatis consortium homini vel in totum animam, vel ejus partem præcipuam detraxerunt.

Origenem excipio, qui proprio errore lapsus, animam propterea credidit mediam inter ambos illos intercessisse, quod prius cum Verbo illa sit conjuncta, quam corpus existeret; adeo ut in hoc ab illa trajecta sit, ac derivata mirabilis illa cum divinitate copulatio. Ceteros, Arii, et Apollinaris, atque hujus imprimis, opinio falsa ad eloquenda, prodendaque scriptis illa perpulit, quorum ille animæ fecit expertem humanitatem Christi, ejusque loco, quasi succidaneam, constituit Verbi divinitatem ipsam : iste primum idem de anima, quod Arius, existimavit; deinde mutata velificatione, solum νοῦν, hoc est *mentem, intellectumve* detraxit; animam, qua duntaxat vivimus ac sentimus, reliquit : ut in primo libro pluribus exposuimus [2]. Quocirca si Patrum illorum sensum, ac mentem penitus explorare volumus, non parum conducet, id, quod in ceteris indagandis illorum sententiis principem utilitatis locum tenet, causam, ac fontem diligenter inquirere, unde in ipsis ita sentiendi, ac loquendi oblata semina sunt, et initia. Hujusmodi vero istic est Apollinaris hæresis; cujus proinde rationem, et originem paululum explanare libet.

IX. Memini, cum de abhorrentibus ab germano Trinitatis dogmate quorumdam veterum opinionibus agerem [3], adnotasse me; plerasque omnes ab gentilium philosophorum manasse decretis, et placitis : quibus docti inter primos Christianos insueverant, antequam Christo nomen dederant; aut utcumque illorum se doctrinis, ac volutandis libris dediderant [4]. Talis extra controversiam Apollinaris uterque fuit, pater, et filius; atque hic potissimum, qui, ut reconditarum disciplinarum scientia patri præstitit, sic eumdem impia, et hæretica, quam uterque persecutus est, asciscenda novitate superavit : ac sectæ illius pestilentis, et nefariæ, quæ *Apollinaristarum* vocata est, auctor et conditor fuit. Hic igitur, uti memorare cœpimus, prorsus ab Academia, Lyceove commentandæ de Christi incarnatione novæ suæ opinionis fundamenta cepit : cum indidem de multiplici hominis anima, vel hujus partitione, quæ illuc pertinent, sapere ac loqui didicisset.

Platonem quidem plures humanæ partes animæ constituisse, testantur haud pauci graves, et antiqui scriptores. Cicero in secundo Academicarum quæstionum paulo ante finem : ubi « satis notum esse » negat, « sitne animus, anne sit quidem ullus : et si est, tresne partes habeat, ut Platoni placuit, rationis, iræ, cupiditatis, an simplex, unusque sit. » Plutarchus in quarto de Placitis philosophorum, capite quarto, « (2) Pythagoras, *inquit,* et Plato secundum supremam rationem, bipartitam animam statuunt; ac partem unam, ratione præditam; alteram, ejus expertem; secundum vero proximam, et accuratam rationem,

(1) Rambam. lib. 3. More, cap. 51. הלא בארתי שזה השכל אשר שפע הוא עלינו הדבק [illegible] בינינו לבינו .

(2) Plut. 4. de Plac. c. 4. Πυθαγόρας, Πλάτων, κατὰ μὲν τὸν ἀνωτάτω Λόγον, διμερῆ τὴν ψυχὴν (τὸ μὲν γὰρ ἔχει λογικόν· τὸ δὲ, ἄλογον) κατὰ δὲ τὸ προσεχὲς, καὶ ἀκριβὲς, τριμερῆ. Τὸ γὰρ ἄλογον διαιροῦσιν εἴς τε τὸ θυμικὸν, καὶ τὸ ἐπιθυμητικόν.

[1] Supra § 3. — [2] Cap. 5. et 6.

[3] Tom. 2. lib. 1. — [4] Vide sup. lib. 1. c. 6.

tres ei partes assignant. Nam quæ pars est rationis expers, hanc rursus dividunt in eam, qua irascimur, et alteram, qua concupiscimus. » Cujus sententiæ habes in Timæo haud obscura vestigia, tum aliquanto post initium in iis, quæ latine extant a Cicerone versa, tum sub finem; ubi « (1) tres animæ species trifariam in nobis collocatas esse » dicit : atque « (2) ex his quæ maxime principalis est, eam esse dæmonem quemdam, sive genium a Deo nobis attributum, qui in summa corporis parte residens nos ad illam cognationem, quam in cœlo habemus, extollit a terra, ut qui non terrena simus planta, sed cœlestis. Inde enim, unde prima extitit animæ origo, caput nostrum et radicem suspendens Deus totum corpus erigit. » Quibus consentaneum est quod Plutarchus in capite sequenti, τὸ ἡγεμονικὸν, id est *principem animæ partem*, in toto capite locari a Platone refert.

X. Severus item Platonicus apud Eusebium libro decimotertio de Præparatione evangelica, testis est, « (3) animam ex patibili, et impatibili substantia, a Deo conflatam esse, opinari Platonem, quemadmodum ex albo, et nigro medius color existit. » Quod revera in Timæo scriptum legitur.

At (4) Themistius in paraphrasi libri primi Aristotelis de Anima, de Platonis opinione ista cunctanter, et quasi dubitabundus pronuntiat : cum ait, « quosdam multiplici facultate præditam animam credere, in uno subjecto residentem : alios, multis eam partibus constantem facere, at singulas partes propriis locis determinare ; ut Stoici docent, et fortasse Plato. » Certe Alcinous in libro de dogmatibus Platonicis, capite 25. ubi de animæ immortalitate Platonis opinionem explicat, eam quæ ratione pollet, immortalem esse dicit; an vero rationis expertes perinde sint immortales, id vero controversum esse. Ita quod de rationali, et ratione carente anima scriptum est a Platone, diversis accommodasse videtur Alcinous, hominum scilicet, ac pecudum ; non uni et eidem hominis animæ : sed de Platone superioribus magis assentior.

XI. De Aristotele non minus, imo aliquanto magis variant sententiæ. Photinus ab Eusebio eodem illo in libro laudatus, dum Aristoteleam animæ definitionem, et ἐντελέχειαν illam exagitat, tanquam humanæ nobilitate animæ penitus indignam, ait « (5) coactos fuisse qui sic definirent, aliam quamdam animam introducere, videlicet mentem, quod prior illa solis sensuum officiis exercendis esset idonea : non autem intellectiones efficere posset. » Huic de Aristotelis opinione Plotini judicio favet admodum, quod summus ille philosophus in libro secundo de Generatione animalium, capite tertio prodidit. Cum enim de satu, ac vi seminali animantium, adeoque hominis ipsius ageret, ad hoc delapsus est eximium sapientiæ singularis effatum : « (6) Restat igitur, *inquit*, ut sola mens extrinsecus accedat; ac sola quiddam sit divinum. Non enim cum ejus actione communicat actio corporea. » Quanquam in libro primo de Anima refellit eos, qui « (7) dividuam animam hominis esse dicerent : ut intelligeret alia parte, alia concupisceret. » Quod ad Platonem, et ejus in Timæo, quam paulo superius attigi, sententiam pertinere merito docti interpretes arbitrantur. Vide etiam caput nonum libri tertii ejusdem operis de Anima : ubi Platonem rursus incessit. Ac Themisthius quidem initio primi libri de Anima, dubium esse scribit, « (8) utrum mens pars sit, an facultas solum animæ ; an alioqui cognatum quippiam, et quod illi inseri possit. » Et in paraphrasi capitis noni, quod Aristoteles scripserat [1], multum de eo dubitari,

(1) PLATO Tim. sub fin. Ὅτι τρία ψυχῆς τριχῇ ἐν ἡμῖν εἴδει κατῴκισται.

(2) MOX : Τὸ δὲ δὴ περὶ τοῦ κυριωτάτου παρ' ἡμῖν, ψυχῆς εἴδους, διανοεῖσθαι δεῖ τῇδε. Ὡς ἄρα αὐτὸ δαίμονα Θεὸς ἑκάστῳ δέδωκε τοῦτο, ὃ δή φαμεν οἰκεῖν μὲν ἡμῶν ἐπ' ἄκρῳ τῷ σώματι· πρὸς δὲ τὴν ἐν οὐρανῷ συγγένειαν ἀπὸ γῆς ἡμᾶς αἴρειν, ὡς ὄντας φυτον οὐκ ἔγγειον, ἀλλ' οὐράνιον, ὀρθότατα λέγοντας, ἐκεῖθεν γὰρ ὅθεν ἡ πρώτη τῆς ψυχῆς γένεσις ἔφη, τὸ θεῖον τὴν κεφαλὴν, καὶ ῥίζαν ἡμῶν ἀνακρεμαννὺν, ὀρθοῖ πᾶν τὸ σῶμα.

(3) EUSEB. pag. 410. Περὶ δὲ τῆς κατὰ Πλάτωνα ψυχῆς, ἥν φησιν ἐξ ἀπαθοῦς, καὶ παθητῆς οὐσίας συστῆναι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, ὡς ἐκ λευκοῦ καὶ μέλανος τῶν μέσων τι χρωμάτων, etc.

(4) THEM. init. lib. 1. de An. Διὰ τοῦτο γὰρ, οἱ μὲν πολυδύνατον ἀξιοῦσιν εἶναι τὴν ψυχὴν ἐφ' ἑνὸς οὖσαν ὑποκειμένου. Οἱ δὲ πολυμερῆ διορίζοντες καὶ τοῖς τόποις τὰ μέρη, ὥσπερ οἱ Στωϊκοὶ, τυχὸν δὲ καὶ Πλάτων.

(5) PLOTIN. apud Euseb. pag. 474. Αἰσθήσεις δὲ μόνον δυνατὸν ἴσως γίνεσθαι· σὰς δὲ νοήσεις ἀδύνατον. Διὸ καὶ αὐτοὶ ἄλλην ψυχὴν τὸν νοῦν εἰσάγουσιν, ὃν ἀθάνατον τίθενται.

(6) ARIST. Λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον· οὐδὲ γὰρ αὐτοῦ τῇ ἐνεργείᾳ κοινωνεῖ σωματικὴ ἐνέργεια.

(7) Idem 1. de Anima, cap. 3. tex. 90. Λέγουσι δέ τινες μεριστὴν αὐτὴν εἶναι, καὶ ἄλλῳ μὲν νοεῖν, ἄλλῳ δὲ ἐπιθυμεῖν.

(8) THEMIST. Λέγω δὲ τοῦ νοῦ· ὡς εἴτε μέρος, εἴτε δύναμίς ἐστι τῆς ψυχῆς· εἴτε συγγενὴς ἄλλως, καὶ ἐμφύεσθαι δυνάμενος.

[1] Tex. 40.

cujusmodi sint animæ partes quæ dicuntur, et quot numerari debeant : videri enim innumerabiles : neque tres solum, quas nonnulli determinant, nimirum qua ratiocinamur, qua irascimur, et qua concupiscimus : neque duas duntaxat istas, ratione præditam, et hujus expertem; sed etiam complures alias, ut vegetantem, sive nutritivam, sentientem, et ratiocinantem, tum vero imaginativam : hæc, inquam, Themisthius enarrans, quæri ait, « (1) An partes revera sint animæ, an potius facultates, ut in eodem pomo, dulcedo, fragrantia, color. »

XII. Non est propositi nostri accuratius in eam quæstionem incumbere, quam philosophis enucleandam relinquimus. Illud vero, cujus eam gratia obiter attigimus, jam constare arbitror, Apollinarem Platonicis, et Aristotelicis dogmatibus implicatum, τὸν νοῦν, id est *mentem*, existimasse ab reliquis animæ partibus separabilem esse, ac revera in Christi humana natura non fuisse. Ita docet Theodoretus in dialogo secundo [1], Apollinarem videlicet animas in homine constituisse duas, alteram ζωτικήν, id est *vivificam*, et ἄλογον, hoc est *ratione carentem*; alteram λογικήν, *rationalem*; illam assumptam a Verbo fuisse solam, hanc vero neutiquam : sed hujus vicem supplevisse Verbum ipsum. Ceterum magis esse Scripturæ consentaneum, unicam in hominibus singulis inesse, quam duas, aut plures animas. Gennadius certe [2] inter ecclesiastica dogmata recenset illud, « Non esse duas animas in uno homine, unam animalem, qua animetur corpus, et immixta sit sanguini, et alteram spiritalem, quæ rationem ministret, » quod Jacobitas, et Syros Apollinaris αἱρεσιώτας sensisse scribit.

Ex quo intelligimus, Patres illos, qui « mediante anima rationali, Verbum particeps carni fuisse » dixerunt, ut loquitur Augustinus [3]; et, quod idem fecisse se dicit, propter Apollinaris hæresim, istud usurparunt; prius quodammodo cum anima putasse copulatum esse Verbum, quam cum carne. Tum qui, mente interposita, animam et carnem assumpsisse statuunt, prius itidem cum mente conjunctum esse, quam cum reliquis, persuasum habuisse. Neque vero necesse est, duas ab illis animas hominibus attributas esse; vel mentem ab anima disjunctam, ac separabilem, eosdem asseverasse. Poterant enim aliter de anima, quam Apollinaris, sentientes ipsi, contra eumdem ex positis ab eo principiis argumentari, ac disserere.

Sed nec Origenis commentum secutos esse Patres istos suspicari debemus, ut animam ante corpus, vel mentem ante animam extitisse voluerint; sufficit enim naturæ, et τῆς ἐπινοίας antecessio, qualem exposuimus antecedenti capite. Quod autem et Ariani, cumque his Apollinaris initio per animam; postea vero, per mentem; et contra hos disserentes Catholici, per utrumvis unitum esse carni dixere Verbum; id eo factum, quod, ut scribit Augustinus [4], « Anima aliquando ita dicitur, ut cum mente intelligatur, veluti cum dicimus hominem ex anima, et corpore constare : aliquando ita, ut excepta mente dicatur. Sed cum excepta mente dicitur, ex iis operibus intelligitur, quæ habemus cum bestiis communia. Bestiæ namque carent ratione, quæ mentis semper est propria. »

XIII. Postremo si quis veterum illorum, quos supra recensuimus, dicta relegat, et expendat, inveniet nonnullos eorum idcirco mente, vel anima interposita putasse carnem a Verbo esse susceptam, quod ratione, intelligentiaque carentem substantiam assumere nullo modo potuerit. Ita præter Origenem, diserte Gregorius Nazianzenus, Ambrosius, Ruffinus, Rupertus : ceteri quid revera factum sit, exponunt. Atque est inter Scholæ doctores præcipua de hac re controversia; aliis omnino fieri posse negantibus, ut vel animæ, vel mentis expertem Deus ullam substantiam sibi copulet : aliis ex adverso repugnantibus; quorum tum ratione, tum auctoritate superior est causa. Nam et illi ipsi, quos universe pronuntiare diximus, nullam ratione carentem assumi potuisse substantiam, non tam de eo loquuntur, quob absolute possit, aut nequeat Deus; sed de eo, quod ordinaria vi præstandum fuit, quodque dignum artifice rerum omnium sapientia, eique consentaneum, ac decorum videtur.

Sic enim plerumque non posse fieri quippiam affirmant Patres, quando id consilio, ac proposito Dei, eique fini, quem illum in re aliqua gerenda spectasse novimus, aut adver-

(1) THEMIST. Ἀπορίαν ἔχει πολλὴν, πότερον δεῖ μόρια λέγειν ψυχῆς μεγέθει, καὶ τόπῳ διεστηκότα, ἢ δυνάμει πλείους, ἐν ταὐτῷ ὑποκειμένῳ διαφερούσας. Ὥσπερ εἶχεν ἐπὶ τοῦ μήλου τὸ γλυκὺ, τὸ εὐῶδες, καὶ τὸ λευκόν.

[1] Tom. 4. p. 48. — [2] Cap. 14.

[3] Ep. 120. c. 4. — [4] Lib. 83. qu. 7.

sum, aut minus congruum, accommodatumque cernitur. Sic humanum genus a lapsu, et interitu vindicari non alia ratione potuisse, quam Filii Dei incarnatione, ac morte, complures existimant, qui tamen alias absolutam minime videntur intellexisse necessitatem : ut ex iis apparet, quæ in secundo libro, capite undecimo, et sequentibus exposuimus. Sic etiam capienda mihi videntur ea, quæ adversus Apollinaris ἡμίτομον, id est *mutilam, ac decurtatam* humanitatem, iidem illi disputare solent : nullam idcirco relictam, et abjectam in Incarnatione partem hominis a Verbo fuisse, quod alioqui totus homo minime redimi potuisset : quod enim assumptum non est, hoc nequisse salvum fieri. Hæc enim, et ejusdemmodi alia, de de quibus agetur postea, non præfracte, ac severe interpretanda sunt, sed commoda, et usu trita ratione : nempe uti præsens rerum status est : et cujusmodi divinæ in opere illo providentiæ, administrationisque modus ac finis extat, in sacris litteris, ac fidei luce patefactus nobis, et cognitus. Quæ autem vel abnormia, inusitata, et monstri similia sunt, vel quorum, uti fiant, nulla nobis est causa comperta; eorum vero, quæ jam reipsa facta scimus, usui, ac gestioni contraria videntur, ea nonnunquam simpliciter negant Patres fieri et existere potuisse. « Quidquid enim geritur, debet habere causam sui ; neque ita esse ab ratione sejunctum, ut in operibus feratur cassis, et in vacuis ludat inanitatis erroribus, » ait Arnobius [1].

XIV. Hac cautione animadversioneque freti, missa omnia illa facimus, quæ Scholastici quidam de assumptarum a Verbo partium humanitatis ordine subtilius, quam utilius ad hanc quæstionem disserunt : hoc uno contenti, quod jam strictim attigimus, nullam hominis partem, vera proprieque dicta antecessione, quæ solius est temporis, prius altera susceptam fuisse. Quamvis sic assumptio illa totius naturæ, unitioque cum Verbo momento procedere potuit, ut per animam, et mentem in corporis se molem divinus spiritus infuderit. Quemadmodum potest divinus ille opifex sic naturale compositum momento creare, ut interim formam ex *materiæ*, quam vocant, *potentia* producat : qua ratione etsi simul utrumque, non tamen per alterum, et ejus interventu, vel eo mediante procreabit.

Pene illud exciderat nobis, quod omittendum certe non est, ab Hugone Victorino proditum [2] : « Multo majorem unionem esse inter Deum et hominem, quam inter animam et carnem. Major namque unio est inter spiritualem, et spiritalem naturam, quam inter spiritualem, et corporalem potest esse. Deus vero est spiritualis natura, et homo spiritualis natura. » Quæ Hugonis sententia eo niti debet, quod hactenus ex Patrum auctoritate monstratum est, anima interveniente, Verbum carni esse conjunctum. Non enim aliter, quam secundum animam, spiritalis homo censetur.

At S. Thomas interventu animæ carnem ab Verbo assumptam esse dici propterea censet, quod anima ipsa causa est aliquo modo carnis cum Dei Filio copulandæ [3] : « Non enim esset assumptibilis (ait quæstione 6.) nisi per ordinem, quam habet ad animam rationalem, secundum quam habet, quod sit caro humana.» Itaque [4] medium negat esse animam, quo Verbum cum carne colligatur. Verum plus aliquid allata hucusque veterum testimonia postulare videntur ; atque illud certe, quod sanctus Doctor inficiatur, adstruere ; animam interponi debuisse, tanquam medium aliquid, quo extrema duo, nimium alioquin abhorrentia, conciliari inter se necesse fuerit.

[1] Arnob. lib. 7. sub init. — [2] In sum. sentent. cap. 15. tom. 3. fol. 193.

[3] In 3. Par. q. 6. art. 1. et qu. 50. art. 2. ad 2. — [4] In q. 50. art. 2.

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

De ea, quam Græci vocant *περιχώρησιν*, Latini *circuminsessionem* naturarum in Christo duarum. — 1. De vocis illius notione, origine, et interpretatione. — 2. Cum unitione congruit. — 3. Exemplis aliquot usus illius adstruitur. — 4. Non differt a commistione, vel *κράσει*, qualis in hoc mysterio intelligitur, atque ita salvæ sunt naturæ, ut humana longe propemodum divina fiat : — 5. quod similitudinibus aliquot illustratur. — 7. Ideo deificata passim dicitur. — 8. Itaque *περιχώρησις* ista ad Incarnationis mysterium explicandum valde est accommodata. — 9. Ex ea fit, ut totus Christus sit Deus, et totus sit homo. — 10. Unde alterutrum solum nominatur interdum Jesus Christus. — 11. Eadem *περιχώρησις* etiam in theandricis operationibus conspicitur. — 12. Quam penes solam divinam naturam spectari veteres quidem docent : quod sola hæc penetrare possit spirituales substantias : creatura vero nequeat.

I. Cum unitione naturarum adeo conjuncta est περιχώρησις ista, de qua nunc agimus, ut nonnulli ἕνωσιν illam interpretati sint, ut Joannes Damascenus, de quo postea. Est autem hæc ipsa duorum Christianæ fidei mysteriorum communis proprietas, Trinitatis et Incarnationis. Siquidem illic personæ tres in seipsas περιχωρεῖν dicuntur : hic naturæ duæ. Sed interest modi, qui non idem utrobique cernitur : quod postea patebit. Quamvis igitur de περιχωρήσει plenissime jam actum sit a nobis in quarto libro de Trinitate [1], et illius accurate declarata ratio : superest tamen nonnihil adhuc de ea disputandum, quatenus naturarum est in Christo, non personarum in Deo, quædam peculiaris affectio. Sed eo videlicet breviores hic erimus, quo minus illa repetemus, quæ ibi copiose admodum exposita sunt. Ac de vocabulo primum agendum videtur : cujus sane difficilis est interpretatio : et tamen plurimum ad rem ipsam, quæ eo significatur, intelligendam valet.

Duæ sunt verbi χωρῶ præcipuæ notiones. Nam et *progredi*, atque *ambulare*, vel *meare* significat : et *capere*, vel *continere*, ut est in glossis veteribus : χωρῆσαι, *capere*, et χώρησις, *capacitas*, et χώρημα, *alveum*. Quæ duæ significationes simplicis verbi in compositum περιχωρεῖν concurrunt, quando de θεολογίᾳ, hoc est de divinis personis usurpatur. Siquidem tum eæ sese mutuo pervadunt, hoc est in sese commeant, et quasi penetrando procedunt : tum eædem sese capiunt, ac mutuo continent : quia nulla latius alia diffunditur, aut magis est capax. In οἰκονομίᾳ vero non tam proprie impletur utraque significatio. Quippe divinitatem non permeat, ac pervadit humanitas, hoc est simplicissimum spiritum corporea substantia : nec infinitam divinitatem tantæ amplectuntur, aut continent hominis angustiæ. Dicuntur tamen utcumque de duabus ista naturis pro modo, ac conditione sua. Et posterior ambarum in simplici verbo notio, quæ minus quadrare videtur, ab Cyrillo interdum adhibetur : ut cum ita scribit, « (1) Passionem quidem voluntariam sustinuit Dei Filius, qui Patrem in se capit, quem nihil potest capere : et ab ipso vicissim Patre capitur. Cum enim a Patre capiatur, et sit in sinu Patris, etiam in propria carne inexplicabili quadam ratione capiebatur. »

II. Sed quæ simplici verbo convenit interdum *continendi*, *comprehendendique* significatio, non itidem cadit in compositum περιχωρεῖν, quod ex eo probatur, quia non dicitur περιχωρεῖν ἄλληλα, sed εἰς ἄλληλα, vel ἐν ἀλλήλοις [2]. Prius autem profecto dici deberet, si *continendi*, et *capiendi* esset illi subjecta notio. Ex quo communem illam τῆς περιχωρήσεως interpretationem redarguimus, qua idem esse vulgo perhibent *circumsessionem*, sive mutuam *comprehensionem*, et *circumfusionem*, qua se res duæ invicem complectuntur. Quippe simplex χωρεῖν in composito περιχωρεῖν non tam est *capere*, quam *meare*, hoc est neutra potius, quam activa significatione sumitur : ut sit περιχωρεῖν quasi *per orbem et circuitum*, seu *vicissim redire*, *ac redigi* : quod de duabus rebus dicitur, quæ in se invicem incurrunt, seseque consequuntur : ut, una posita, succedat, vel simul existat altera, necessaria quadam consecutione. Hinc aptius videtur nomen *circumincessionis*,

(1) Cyr. in disp. quad. de Incarn. 3. par. Eph. syn. pag. 524. Πάθος μὲν ὑπέμεινεν ἐθελούσιον ὁ τοῦ Θεοῦ Υἱός, ὁ χωρῶν ἐν ἑαυτῷ τὸν ἀχώρητον Πατέρα· χωρούμενος δὲ καὶ αὐτὸς ὑπὸ τοῦ Πατρός· χωρούμενος γὰρ ὑπὸ τοῦ Πατρὸς καὶ ὢν ἐν τῷ κόλπῳ τοῦ Πατρὸς, ἐχωρεῖτο ἀῤῥήτως καὶ ἐν τῇ ἰδίᾳ σαρκί.

[1] Cap. 16. et ult.

[2] Vide l. 4. de Trinit. c. 16. § 4.

quam *circuminsessionis* : ut ab eo quod est *circumincedo* ducatur ; quasi in orbem, ac vicissim ambulent, incedantve, quæ sic se habent.

Περιχωρεῖν, ut Budæus in Commentariis græcæ linguæ adnotat, nonnunquam idem valet ac περιτρέπεσθαι, vel περιελθεῖν, quod est *devenire*, vel *devolvi* : quo verbo jurisconsulti utuntur, quando *rem*, aut *hæreditatem devolvi*, id est *pervenire* dicunt. Sic in Photicis Pausanias, « (1) Mortuo, *inquit*, Phayllo, ad Phalæcum ejus filium devolutus est Phocensium principatus. » Quam ego germanam esse arbitror vim, et potestatem illius vocis, cum ad divinas personas vel naturas in Christo duas accommodatur : ut dicantur περιχωρεῖν εἰς ἀλλήλας, hoc est *in se invicem revolvi, ac commeare*, ita ut disjungi, ac divelli nequeant. Quo etiam illud Esychii pertinet, qui περιχωρεῖ interpretatur συμμίσγεται, id est *commiscetur*. Hoc enim *miscendi commiscendique* vocabulum crebro Patres assumunt, ad naturarum intimum nexum, unitionemque declarandam. Unde et Joannes Damascenus [1] περιχώρησιν explicat per vocem ἑνώσεως, quod pro subjectæ rei natura, et conditione verum est : non tamen propria, et, ut technici loquuntur, *formalis* est ista significatio. Itaque ἕνωσις adjunctum quoddam est τῆς περιχωρήσεως in incarnatione Verbi. Sed usus vocabuli istius exemplis aliquot illustrandus est ex iis auctoribus petitis, qui illud usurparunt.

II. Primus mihi nunc occurrit Gregorius Nazianzenus : qui in epistola priore ad Cledonium « (2) commisceri *ait* ut naturas, sic appellationes, et inter se vicissim commeare ; » ita videlicet, ut quæ sunt hominis propria, Deo, et quæ Dei sunt, homini tribuantur *ratione conjunctionis*. Post hunc Maximus martyr, in collatione, sive disputatione cum Pyrrho, (3) similitudine interioris, exteriorisque sermonis, duarum naturarum, operationumque conjunctionem explicans, illorum in se *mutuam commeationem* appellat. Post hunc Joannes Damascenus vocabulo isto sæpissime est usus. In libro tertio, capite tertio, idiomatum communionem fieri scribit, « (4) ob partium in se mutuam commeationem. » Et in capite quinto, de tribus divinis personis, ait « (5) illas a se invicem minime digredientes, nec divisas, sed unitas, in seipsas absque ulla confusione commeare. » Sic in capite septimo περιχωρεῖν ἐν ἀλλήλαις naturas dixit [2].

Rursus libro 4. capite 19. « (6) naturas ambas hypostasi conjunctas, ac mutuam in se invicem commeationem, sine ulla confusione, aut mutatione » commemorat. Ac paulo ante scripserat, « (7) Unitionem ostendere, quid singula componentia, ex ejus, quod una subsistit, conjunctione, commeationeque consecuta sint. »

Et oratione prima de imaginibus, « (8) divinitatis, et carnis in se invicem commeationem » vocat. At Gregorius (9) μεταχωρεῖν dixit εἰς ἄλληλα, quæ *in se mutata et extincta transeunt* : uti personæ divinæ ex Sabellii opinione.

IV. Ex his perspicue sequitur, περιχώρησιν non differre ab naturarum *commistione*, ut quidam Latini nuncupant ; Græci μίξιν, κρᾶσιν, σύγκρασιν, et ἀνάκρασιν : de quibus vocabulis alibi dictum est [3] : qua duæ res intime copulantur, et in se invicem existunt, ἀσυγχύτως, et ἀδιαιρέτως, hoc est ut neque confundantur, ac vel ipsæ pereant, vel proprietates suas amittant, neque tamen divisæ, ac divulsæ a se invicem cohæreant. Quod diligenter observat Joannes Damascenus in libro tertio, capite quinto, ac tam in Trinitatis, quam in Incarnationis mysterio fieri dicit. (10) Sic enim in se invicem inesse, ac sese quodammodo pervadere illic personas, hic naturas, ut salva sit unicuique proprietas sua : nec mutatio, vel extinctio alterutrius inducatur.

(1) PAUSAN. Phoc. pag. 318. Φαΰλλου δὲ ἀποθανόντος, εἰς Φάλαικον τὸν παῖδα αὐτοῦ περιεχώρησεν ἡ ἐν Φωκεῦσι δυναστεία.

(2) NAZIANZ. orat. 51. pag. 740. B. Κιρναμένων ὥσπερ τῶν φύσεων, οὕτω δὴ καὶ τῶν κλήσεων, καὶ περιχωρουσῶν ἀλλήλας τῷ λόγῳ τῆς συμφυΐας.

(3) MAX. in disp. cum Pyr. col. 786. Τὴν αὐτῶν δι' ὅλου εἰς ἄλληλα περιχώρησιν.

(4) DAMASC. pag. 174. Διὰ τὴν εἰς ἄλληλα τῶν μερῶν περιχώρησιν. Et pag. 280. ver. pen.

(5) Ibid. pag. 182. Ἀνεκφοιτήτους δὲ αὐτάς, καὶ ἀδιαστάτους ἀλλήλων, καὶ ἡνωμένας, καὶ ἐν ἀλλήλαις ἀσυγχύτως περιχωρούσας ἐπιστάμεθα.

(6) Ibid. pag. 355. Τῶν δύο φύσεων καθ' ὑπόστασιν ἑνωθεισῶν, καὶ τὴν εἰς ἀλλήλας περιχώρησιν ἀσύγχυτον, καὶ ἀμετάβλητον ἐχουσῶν.

(7) Ibid. Διὰ γὰρ τῆς ἑνώσεως δηλοῦται τί ἔσχεν ἑκάτερον ἐκ τῆς τοῦ συνυφεστῶτος ἁρμογῆς καὶ περιχωρήσεως.

(8) DAM. pag. 712. Διὰ τῆς ἐν ἀλλήλαις τῆς αὐτοῦ θεότητος, καὶ τῆς αὐτοῦ σαρκὸς ἀσυγχύτου περιχωρήσεως.

(9) NAZ. orat. 1. pag. 16. Φεύγει γὰρ εἶναι ὅπερ ἐστὶν εἰς ἄλληλα μεταχωροῦντα, καὶ μεταβαίνοντα.

(10) DAM. pag. 183. Τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ αἱ Χριστοῦ φύσεις εἰ καὶ ἥνωνται, ἀλλ' ἀσυγχύτως ἥνωνται· καὶ εἰ ἐν ἀλλήλαις περιχωροῦσιν, ἀλλὰ τὴν εἰς ἀλλήλας τροπήν τε, καὶ μεταβολὴν οὐ προσίενται· φυλάττει γὰρ ἑκατέρα τὴν ἑαυτῆς φυσικὴν ἰδιότητα ἀμετάβλητος.

[1] Lib. 4. c. 19. pag. 456.

[2] Pag. 194. — [3] Lib. 3. cap. 2.

tercedat. Quanquam ex isto dignitatis consortio, ac tam arcta copulatione, qua unus fit ex ambabus naturis homo pariter et Deus, infinitus in viliorem, inferioremque redundat excellentiæ, ac dignitatis splendor : ut propemodum exhausta fæce mortalitatis, tota in potioris censum translata sit, iis duntaxat reservatis, quæ humanitatis propria sunt, eique congruenter annexa : qui status maxime post Christi resurrectionem obtigit.

V. Hanc humanæ naturæ præstantiam, vel ante mortalitatem, patiendique depositam et exutam conditionem, pulcherrima similitudine græci Patres adumbrant ; quæ, quia τῆς περιχωρήσεως vim graphice describit, hoc loco prætermitti non debuit. Euthymius in postremo capite tituli septimi Panopliæ; quod caput, quasi per saturam, varia de Incarnatione Patrum antiquorum dicta colligit ; unum habet auctoris anonymi, verbis istis : « (1) Non potest ulla excogitari similitudo, quæ perfecte rem propositam exprimat. Nos tamen quamdam afferre conabimur, quæ si minus tanti mysterii majestati respondeat, propius tamen, quam ceteræ, ad veritatem illius accedit. Quemadmodum enim si totus aer ignitus, vel potius ignis esset, ac tum ferri globulus immitteretur, necesse foret hunc adeo in potioris transire qualitatem, ut nihil præter ignem esse videretur, cum interim substantiæ illi ratio constaret. Sic humana natura cum divina copulata adeo superata est, ut non amplius hominis natura manere videatur. Hinc est, quod Patres deificatam hanc esse dixerunt, in id videlicet intuentes, quod potius ac superius est. Unde et una tribuitur ambobus adoratio propter unam hypostasim, et individuam unitionem. » Qui locus apud Eliam Cretensem legitur in scholiis ad Gregorium Nazianzenum [1]. Huc etiam referri debent similitudines aliæ, quibus tam hæretici, quam Catholici usi sunt, contraria mente : illi ut naturarum σύγχυσιν adstruerent : isti, ut earumdem conjunctionem, ac περιχώρησιν evidentius ostenderent. Ejusmodi est aceti stilla in mare defusa, quæ ab præstantiore victa, nativam qualitatem deponit, ut scribit Gregorius Nyssenus ; tum mellis itidem gutta in idem infusa mare : qua similitudine usus est Eranistes hæreticus apud Theodoretum. De quo utroque vide quæ scripsi in lib. primo [2].

VI. Non minus aptam, et insignem similitudinem Paschasius diaconus adhibet ab luce desumptam [3] ; cum *Dei et hominis duplicem substantiam esse* probat, *sed tamen unam personam.* « Quam ob rem ? *inquit.* Quia dum formam servi accipiens famulo Deus jungitur, minoris humilitas intra reverentiam majoris absconditur, et superioris lumine exinanita consumitur : ac sic proprietatem personæ humanitas divinitate obumbrante, vel eminente non obtinet. » De hac Paschasii sententia, et personæ ratione, scripsi alias [4]. Nunc similitudo tantummodo ipsa consideranda est, quæ ad naturæ humanæ ex commercio præstantioris indicandum profectum, et accessionem dignitatis, longe magis idonea reliquis videtur. Minus enim suspicionis habet, ac periculi, quod hæreticorum fraus, et corruptela illis objicit. Siquidem perfusa luce corpora, nullum proprietatum suarum, ac naturæ detrimentum capiunt, quamlibet affluente luminis copia. At illa liquoris gutta in oceanum immersa, naturæ statum non retinet, sed in aliam substantiam convertitur. Ideo calumniis hæc, quam illa, similitudo est opportunior.

Bene autem quisquis est, apud Euthymium græcus ille scriptor, τὸ ἐπικρατοῦν, hoc est *potiorem,* ac *dominantem* naturam vocat divinitatem. Sic enim Cyrillus [5], νικῶσαν τὸ προσληφθὲν, hoc est *vincentem id quod assumptum est,* eamdem nominat, et Gregorius Naz. (2) hanc ait ἐκνικᾷν, hoc est, *vincere* naturam assumptam. Hanc enim trahit ad sese, appendicis instar, vel etiam accidentis : ut recte Thomas Aquinas in opusculo quodam disputat [6], libro 3. jam laudatus operis hujus, et in tertio de Trinitate [7], quem locum operæ pretium sit legere.

(1) EUTH. pag. 147. lat. Οὐκ ἔστιν εὑρεῖν εἰκόνα παραστατικὴν τοῦ προκειμένου· πειρασόμεθα δέ τινα παραγαγεῖν, μετρίαν μὲν, ὡς πρὸς τὸ μέγεθος τοῦ μυστηρίου, τῶν δὲ λοιπῶν ἀληθεστέραν εἰς ἐμφέρειαν· ὥσπερ γὰρ εἰ πεπυράκτωτο μὲν ὅλως ὁ ἀήρ· μᾶλλον δὲ εἰ πῦρ ἦν· κόκκος δὲ σιδηροῦς ἐνετέθη τούτῳ, ἀνάγκη καὶ τοῦτον πρὸς τὸ ἐπικρατοῦν πεποιῶσθαι τοσοῦτον, ὡς μὴ δοκεῖν ἕτερον εἶναι, διὰ τὸ πῦρ, εἰ καὶ ὁ τῆς οὐσίας αὐτῷ λόγος ὑφίστατο. Οὕτως ἡ ἀνθρωπίνη φύσις ἑνωθεῖσα τῇ τοῦ Θεοῦ κατεκρατήθη τοσοῦτον, ὡς μὴ δοκεῖν ἔτι φύσιν ἀνθρώπου μένειν. Διὰ τοῦτο καὶ οἱ πατέρες τεθεῶσθαι ταύτην εἰρήκασι, πρὸς τὸ ἐπικρατοῦν ἀποβλέψαντες. Ὅθεν καὶ μία τούτων ἡ προσκυνήσις, διὰ τὴν μίαν τούτων ὑπόστασιν, καὶ ἀδιαίρετον ἕνωσιν.

(2) NAZIANZ. orat. 35. pag. 575. Καὶ γέγονεν εἷς τοῦ κρείττονος ἐκνικήσαντος.

[1] Orat. 51. n. 17. — [2] C. 15. § 8. — [3] Pasch. Diac. lib. 2. de Spir. c. 4. to. 9. Bib. PP. 194. — [4] Lib. 4. de Trin. — [5] Cyr. dialog. de Incar. tom. 5. p. 701.

[6] Incomp. Theol. c. 202. — [7] Lib. 3. hujus operis c. 14. § 5. et lib. 3. de Trin. c. 3. § 12.

VII. Hac vero de causa, carnem, hoc est humanam substantiam *deificatam* esse, veteres affirmant : quippe quam totam in sese quodammodo transformavit divinitas, et sibi consertam, ac penitus insitam, quam potuit fieri simillimam effecit. Ex quo in nos etiam, quodam jure propinquitatis, illa ipsa communio divinitatis, et sanctitas effusa manavit : quos [1] *divinæ consortes naturæ* factos esse testis est Apostolus. Hoc in Christi salvatoris humanitatem ex divinitatis περιχωρήσει profluxisse decus, et ornamentum, docet Joannes Damascenus in libro primo de Imaginibus. « (1) Ex quo enim, *inquit*, Deus Verbum caro factus est, similis nobis per omnia factus, excepto peccato, ac sine confusione cum eo, quod nostrum erat, temperatus est, et citra mutationem carnem deificavit, per mutuam in se invicem divinitatis ipsius et carnis commeationem confusionis expertem, ex eo revera sanctificati sumus. »

VIII. Hæc a nobis de naturarum mutua incursione hucusque notata clarissime demonstrant, nihil ad Incarnationis sacramentum explicandum, ac paucis comprehendendum aptius esse vocabulo isto, et proprietate περιχωρήσεως. Nam quæ in illa duo continentur admirabilia et singularia, naturarum arctissima copulatio, et sine confusione distinctio, et integritas ambarum : hæc tum pronuntiantur, cum easdem naturas in se invicem immeare dicimus. Siquidem inest imprimis ἕνωσις illa, quæ naturas constringit, et consociat, sine qua non potest ἡ περιχώρησις consistere : imo quæ cum ista, vel idem, vel quam proxime idem esse perhibetur. Atque ut in Trinitate personarum ἡ περιχώρησις ex naturæ perfectissima unitate, et hypostaseon trium differentia, numeroque conficitur : nimirum quia quidquid est in Patre, id plenissime per processionem unius ab altero communicatur Filio ; nec aliud potest esse, quam quod est in Patre, sive potius quam quod Pater est : quod quidem brevi hac sententia complexus est Hilarius [2], dum ait, « Patrem autem in Filio, et Filium in Patre esse, plenitudo in utroque divinitatis perfecta est. » Ita prorsus Incarnationis propria περιχώρησις unitatem, et, ut loquar sic, identitatem hypostaticæ proprietatis in utraque natura, et naturarum ipsarum discrimen includit.

Egregie Leo papa stupendum hoc arcanum sic exponit in sermone tertio de passione Domini : « Hoc, *inquit*, catholica fides tradit, hoc exigit, ut in Redemptorem nostras duas noverimus convenisse naturas, et, manentibus proprietatibus suis, tantam factam unitatem utriusque substantiæ, ut ab illo tempore, quo sicut humani generis causa poscebat, in B. Virginis utero Verbum caro factum est, nec Deum illum sine hoc quod homo est, nec hominem sine hoc liceat cogitare quod Deus est. Exprimit quidem sub distinctis actionibus veritatem suam utraque natura, sed neutra se ab alterius connexione disjungit. Nihil ibi ab invicem vacat ; tota est in majestate humilitas, tota in humilitate majestas : nec infert unitas confusionem, nec dirimit proprietas unitatem, etc. suscepit ergo totum hominem Deus, et ita se illi, atque illum sibi misericordiæ, et potestatis ratione conseruit, ut utraque alteri natura inesset, et neutra in alteram a sua proprietate transiret. »

IX. In his Leonis observandum illud est, quod *totam* ait *majestatem in humilitate, et totam in majestate humilitatem inesse* scribit : quæ est περιχώρησις, totas in sese naturas immiscens, et inserens. Cui simile istud est frequentatum a Græcis, Christum totum esse Deum, et totum hominem. In parte tertia Ephesinæ synodi, expositio quædam fidei legitur contra Paulum Samosatenum a Nicænis Patribus edita de incarnatione Christi, quæ istud continet : « (2) Confitemur totum esse Deum, et totum hominem ; totum Deum, etiam cum corpore, sed non Deum quatenus corpus est ; et totum hominem cum divinitate, sed non secundum divinitatem hominem. Sic totum adorandum, etiam cum corpore ; sed non secundum corpus, adorandum ; totum adorantem, etiam cum

(1) Joan. Damasc. pag. 711. Ἀφ' οὗ γὰρ ὁ Θεὸς Λόγος σὰρξ ἐγένετο, ὁμοιωθεὶς ἡμῖν κατὰ πάντα χωρὶς ἁμαρτίας καὶ ἀσυγχύτως ἐκράθη πρὸς τὸ ἡμέτερον, καὶ ἀμεταβλήτως τὴν σάρκα ἐθέωσε διὰ τῆς ἐν ἀλλήλαις τῆς αὐτοῦ θεότητος καὶ τῆς αὐτοῦ σαρκὸς ἀσυγχύτου περιχωρήσεως, ὄντως ἡγιάσμεθα.

(2) Eph. syn. pag. 524. Καὶ ὅλον Θεὸν καὶ ὅλον ἄνθρωπον· ὅλον Θεὸν καὶ μετὰ τοῦ σώματος, ἀλλ' οὐχὶ καθὸ σῶμα Θεόν· καὶ ὅλον ἄνθρωπον μετὰ τῆς θεότητος, ἀλλ' οὐχὶ κατὰ τὴν θεότητα ἄνθρωπον· οὕτως ὅλον προσκυνητὸν καὶ μετὰ τοῦ σώματος, ἀλλ' οὐχὶ κατὰ τὸ σῶμα προσκυνητόν. Ὅλον προσκυνοῦντα· καὶ μετὰ τῆς θεότητος, ἀλλ' οὐχὶ κατὰ τὴν θεότητα προσκυνοῦντα· ὅλον ἄκτιστον καὶ μετὰ τοῦ σώματος, ἀλλ' οὐχὶ κατὰ τὸ σῶμα ἄκτιστον· ὅλον πλαστὸν καὶ μετὰ τῆς θεότητος, ἀλλ' οὐχὶ κατὰ τὴν θεότητα πλαστόν· ὅλον ὁμοούσιον Θεῷ καὶ μετὰ τοῦ σώματος, ἀλλ' οὐχὶ κατὰ τὸ σῶμα ὁμοούσιον Θεῷ, ὥσπερ οὐδὲ κατά τὴν θεότητα ἀνθρώποις ἐστὶν ὁμοούσιος· καί τοιγε μετὰ τῆς θεότητος ἂν κατὰ σάρκα ὁμοούσιος ἡμῖν.

[1] 2. Pet. 1. 4.

[2] Hilar. lib. 3. p. 15. D.

divinitate; sed non secundum divinitatem, adorantem : totum increatum, etiam cum corpore ; sed non secundum corpus, increatum : totum formatum, etiam cum divinitate ; sed non secundum divinitatem, formatum ; totum consubstantialem Deo, etiam cum corpore; sed non secundum corpus, consubstantialem Deo, quemadmodum neque secundum divinitatem consubstantialis est hominibus : cum tamen una cum divinitate, secundum carnem consubstantialis sit nobis. »

Ita Joannes Damascenus « (1) totum Deum esse » dicit, « et totum hominem : eumdem totum Deum, etiam cum carne sua ; et totum hominem, etiam cum superdivina ipsius deitate, etc. Porro cum dicimus totum Deum, et totum hominem singularitatem, et indivisibilitatem hypostasis ostendimus. » Harmenopulus quoque in calce libelli de Sectis idipsum refert [1].

At subinde Joannes idem Damascenus recte illud explicat, quid intersit inter hæc duo, *totus Deus*, *et totum Deus*, atque ita scribit : « (2) Totus igitur est perfectus Deus, sed non totum Deus. Non enim tantum Deus est, verum est etiam homo. Et totus homo perfectus, non totum homo est. Nam non solum homo, sed et Deus est. Quod enim dicitur, totum, naturam significat : quod vero dicitur, totus, hypostasim. Sicut nomen, aliud, naturam : alius vero, hypostasim exprimit. »

X. Ex quo illud oritur, ut, cum Jesus, et Christus nomina sint naturam utramque significantia, sic interdum efferantur, ut unam duntaxat indicent, divinam videlicet, aut humanam : propterea quod ipse Christus tum totus homo est, non tamen sine divinitate ; tum totus Deus, non tamen citra humanitatem : qui est τῆς περιχωρήσεως effectus, per quam naturæ ambæ mutuo se totas pervadunt, et occupant ; non tamen in se invicem commutantur, sed salvæ, integræque manent cum suis proprietatibus. Ideo totius ab singulis denominatio nonnunquam ducitur. « Et ideo Christus, ait Cassianus [2], totum nominatur quod Deus : quia tanta est Christi, et Dei unitas, ut nemo utique jam omnino possit vel Christum dicens, non Deum in Christi nomine dicere : vel Deum dicens, non Christum in Dei nomine nuncupare. Ac sic, unito sibi penitus per majestatem sacræ nativitatis utriusque substantiæ sacramento, quidquid erat, scilicet homo et Deus, factum est totum Deus. » Idem habet Origenes in epist. ad Romanos [3].

Imprimis autem ἡ περιχώρησις excludit illud, quod in Nestoriana hæresi sæpius animadvertit, exagitatque Cyrillus : nempe ut naturæ separatim, ac disjunctæ per seque singulæ constituantur, quod ἰδικῶς et ἀνὰ μέρος, vel διῃρημένως appellare solet. Hoc ipsum Euthymius declarat, et τῇ περιχωρήσει, tanquam causæ, adscribit tam in Trinitatis, quam in Incarnationis negotio : « (3) Trinitas, *inquit*, hypostaseon, non divisionem ab sese invicem eas alienantem invehit. Dividuntur enim, sed sine separatione; uniuntur quoque, sed sine confusione. Quippe in se invicem citra permistionem commeant, singularum proprietate servata. Sic etiam in uno Christo, naturarum binarius numerus nullam in illis divisionem efficit. »

XI. Atque hæc substantiarum περιχώρησις etiam in earum ἐνεργείας, operationesque diffunditur : indeque est illa θεανδρικὴ ἐνέργεια, quam sic explicat Leo [4], quomodo naturarum mutuam ex περιχωρήσει in sese pervasionem, ut ita loquar, paulo ante disputabat. « Nullum est, *inquit*, in hac unitate mendacium : dum invicem sunt et humilitas hominis, et altitudo deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est. » Ita etiam Maximus martyr in disputatione cum Pyrrho illam τῶν ἐνεργειῶν ut differentiam, sic communionem, τῇ περιχωρήσει imputat : id quod suo loco tractabitur, cum de theandrica operatione dicemus.

(1) DAMASC. lib. 3. cap. 7. pag. 194. Ὅλον Θεὸν, καὶ ὅλον ἄνθρωπον· τὸν αὐτὸν ὅλον Θεὸν, καὶ μετὰ τῆς σαρκός αὐτοῦ, καὶ ὅλον ἄνθρωπον καὶ μετὰ τῆς ὑπερθέου αὐτοῦ θεότητος, etc. διὰ δὲ τοῦ εἰπεῖν ὅλον Θεὸν, καὶ ὅλον ἄνθρωπον; τὸ μοναδικὸν, καὶ ἄτμητον δεικνύντες τῆς ὑποστάσεως.

(2) DAM. ibid. pag. 194. Ὅλος μὲν οὖν ἐστι Θεὸς τέλειος· οὐχ ὅλον δὲ Θεός. Οὐ γὰρ μόνον Θεὸς, ἀλλὰ καὶ ἄνθρωπος. Καὶ ὅλος ἄνθρωπος τέλειος, οὐχ ὅλον δὲ ἄνθρωπος. Οὐ μόνον γὰρ ἄνθρωπος, ἀλλὰ καὶ Θεός. Τὸ μὲν γὰρ ὅλον φύσεως ἐστὶ παραστατικόν. Τὸ ὅλως δὲ, ὑποστάσεως. Ὥσπερ τὸ μὲν ἄλλο, φύσεως· τὸ ἄλλος δὲ, ὑποστάσεως.

(3) EUTH. par. 2. Pan. tit. 15. pag. 623. lat. Ἡ τριὰς τῶν ὑποστάσεων οὐ διαίρεσιν ἀλλοτριοῦσαν ἀπ' ἀλλήλων εἰσήγαγε. Διαιροῦνται μὲν γὰρ, ἀλλ' ἀδιαστάτως· καὶ ἥνωνται μὲν, ἀλλ' ἀσυγχύτως. Ἐν ἀλλήλαις γὰρ ἀφύρτως περιχωροῦσι σωζομένων τῶν ἰδιοτήτων ἑκάστης. Οὕτως ἄρα καὶ ἐπὶ τοῦ ἑνὸς Χριστοῦ ἡ δυὰς τῶν φύσεων οὐ διάστασιν αὐτῶν ἀπετέλεσεν.

[1] Tom. 11. Bibl. p 539. C. — [2] Lib. 5. de Inc. c. 7. — [3] Orig. lib. 1. in ep. ad Rom. p. 298. L.

[4] Leo P. ep. 10. c. 4. et Serm. 3. de Pass. c. 2.

Ad summam, quoniam ἡ περιχώρησις nonnisi duorum potest esse ; cum nihil in seipsum incurrat, seque permeet ; et eorumdem conjunctorum, mutuoque nexu copulatorum esse debet : apparet nihil illa fingi posse aptius ad Incarnationis rationem compendio colligendam, quæ tota duplici ista notione, ἑνώσεως, et διαφορᾶς, hoc est *unitione*, ac *differentia* continetur.

XII. Postremum in hac περιχωρήσεως contemplatione notandum est, quod nonnulli observarunt ex Patribus : etsi περιχώρησις utriusque sit naturæ, cum eæ inter se mutuo jungantur et interiore nexu copulentur, nihilominus eamdem proprie solius esse divinitatis.

Ita Joannes Damascenus in libro tertio, capite 19. « (1) Commeatio, *inquit*, non ex carne, sed ex divinitate facta est. Impossibile est enim carnem permeare divinitatem. Sed divina natura cum per carnem semel immeavit, dedit etiam carni inexplicabilem in seipsam immeationem ; quam unitionem vocant. » Et in calce septimi cap. libri tertii, « (2) Sciendum est, *ait*, etsi in se invicem subire naturas Domini dicimus, tamen a divina esse natura ingressionem istam. Hæc enim omnia pervadit, ut vult, ac subit : ipsam vera nulla res omnino. Tum eadem proprias dotes et ornamenta cum carne communicat patiendi interim expers, nec eorum, quibus afficitur caro, particeps. Cum enim sol suam nobis efficientiam impartiens, nihil ex nostris vicissim capiat, quanto magis hoc de solis domino, et molitore credendum ? » Hujus loci priora verba, tacito nomine, descripsit Euthymius [1].

Porro in eamdem cum Joanne Damasceno sententiam concurrit longe ante Leporius, in libello Emendationis [2], cujus verba memoratu digna sunt : « Novit, *inquit*, Deus sine sui corruptione misceri, novit in se ita suscipere, ut nihil ei crescat augmenti : qui se ipse totum novit infundere, ut nihil accidat detrimenti. Non ergo ad intelligentiam imbecillitatis nostræ, secundum experimentorum visibilia documenta, facientes conjecturam de æqualibus se invicem ingredientibus creaturis, putemus Deum hominemque commixtum, et tali confusione carnis et Verbi quasi aliquod corpus effectum. Absit ita credere, ut conflatili quodam genere duas naturas in unam arbitremur redactas esse substantiam. Hujusmodi enim commixtio partis utriusque corruptio est. Deus enim, qui capax est, non capabilis ; penetrans, non penetrabilis ; implens, non implebilis : qui ubique simul totus, et ubique diffusus est ; per infusionem potentiæ suæ misericorditer naturæ mixtus est humanæ : non humana natura naturæ est mixta divinæ. Caro igitur proficit in Verbum, non Verbum profecit in carnem, et tamen verissime Verbum caro factum est. »

Duo sunt in illa naturarum περιχωρήσει spectanda : unum est, individua conjunctio et interior quidam nexus, quo ambæ sibi invicem implicantur : alterum est, mutua commeatio, et quasi pervasio, vel penetratio, quæ hoc efficit, ut in se consertæ invicem existant. De hoc posteriore intelligendum est, quod illi dicunt ; solam divinam naturam penetrare se in alteram, non autem hanc in illam. Id enim proprium esse Dei, uti rerum spiritualium substantiam, et essentiam penetret. Creatorum porro spirituum nullum esse, qui vel creatum alterum in spiritum, nedum divinum, insinuare se possit. De qua veterum opinione, et ejus sensu alibi dixi [3]. Nunc unius Nemesii locum hic attexam ex fine capitis tertii : « (3) Natura, *inquit*, illa, quæ mere incorporea est, per omnia, obstante nullo, permeat : per ipsam vero, nihil omnino. Quare hoc ipso, quod ipsa per omnia pervadit, unitur : quatenus autem per ipsam nihil, impermista et inconfusa remanet. »

(1) DAM. pag. 355. Ἡ δὲ περιχώρησις οὐκ ἐκ τῆς σαρκὸς, ἀλλ' ἐκ τῆς θεότητος γέγονεν. Ἀμήχανον γὰρ τὴν σάρκα περιχωρῆσαι διὰ τῆς θεότητος. Ἀλλ' ἡ θεία φύσις ἅπαξ περιχωροῦσα διὰ τῆς σαρκὸς, ἔδωκε καὶ τῇ σαρκὶ τὴν πρὸς αὐτὴν ἄῤῥητον περιχώρησιν, ἣν δὴ ἕνωσιν λεγόμεν.

(2) DAMAS. pag. 194. Ἰστέον δὲ, ὡς εἰ καὶ περιχωρεῖν ἐν ἀλλήλαις τὰς τοῦ Κυρίου φύσεις φαμὲν, ἀλλ' οἴδαμεν ὡς ἐκ τῆς θείας φύσεως ἡ περιχώρησις γέγονεν. Αὕτη μὲν καὶ διὰ πάντων διήκει, καθὼς βούλεται, καὶ περιχωρεῖ, δι' αὐτῆς οὐδέν. Καὶ αὕτη μὲν τῶν οἰκείων αὐχημάτων τῇ σαρκὶ μεταδίδωσι, μένουσα αὐτὴ ἀπαθὴς, καὶ τῶν τῆς σαρκὸς παθῶν ἀμέτοχος. Εἰ γὰρ ὁ ἥλιος ἡμῖν τῶν οἰκείων ἐνεργειῶν μεταδιδοὺς, μένει τῶν ἡμετέρων ἀμέτοχος· πόσῳ μᾶλλον ὁ τοῦ ἡλίου Κύριός τε, καὶ ποιητὴς ;

(3) NEMES. Ἐπεί περ ἡ καθαρῶς ἀσώματος φύσις χωρεῖ μὲν ἀκωλύτως διὰ πάντων, δι' αὐτῆς δὲ οὐδὲν. Ὥστε τῷ μὲν χωρεῖν αὐτὴν διὰ πάντων, ἡνῶσθαι· τῷ δὲ μηδὲν δι' αὐτῆς, μένειν ἄμικτον, καὶ ἀσύγχυτον.

[1] Pan. Tit. 7. p. 146. Lat.
[2] In Op. dogm. p. 9.
[3] Lib. 2. de Trin. c. 15. § 7. et 8. et lib. 1. de Ang. c. 13. § 16.

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

De mutua communicatione proprietatum, sive idiomatum ; — 1. ac primum de nomine illius agitur, quod Græcis est ἀντίδοσις, latine permutatio. — 2. Explicatur ἀντιδόσεως usus et significatio. Cujusmodi Athenis usurpata sit in permutatione bonorum : et quid ab ea nostra discrepet. — 3. Definitio communicationis idiomatum ; et principium, ac radix ejus, quæ est naturarum diversitas, et unitio in eadem hypostasi : nec non περιχώρησις. — 4. Origenis falsa de anima Christi sententia. — 5. Alia causa communicationis, quod unus sit Christus. — 6. Tum quod Verbum suam fecerit humanitatem ; — 8. quod οἰκειοῦσθαι, et ἰδιοποιεῖσθαι Græci vocant. — 9. Ex his fontibus orta communio proprietatum illustratur e Scripturis, — 11. et conciliis, ac Patribus. — 13. Declaratur eadem communicatio, quatenus humanæ naturæ propria transferuntur in divinam : ut cum Deus nasci, et pati dicitur ; — 15. et vicissim divinæ propria in humanam transeunt.

I. Summæ illius, arctissimæque conjunctionis, qua naturæ inter se duæ nectuntur, consectarium est, illa proprietatum in se invicem transfusio, et quasi permutatio, qua in alterutram naturam quæ sunt alterius propria ita transferuntur, ut et sua, hoc est naturalia, et adventitia singulæ possideant, et ab utrisque denominentur. Id quemadmodum fiat, et quibus regulis frenanda sit theologorum licentia, dicere institui hoc et sequenti capite, ab ipsa, uti moris est, orsus appellatione. Quam igitur Latini *communionem* vocant *idiomatum*, eam græci theologi ἀντίδοσιν nominant. Gregorius Nyssenus ἀντιμετάστασιν in libro contra Apollinarem, quem locum mox referam. Ἀντίδοσις proprie *permutationem* significat, vel *mutuam communicationem*. Ita Maximus martyr in disputatione cum Pyrrho [1] τὸν τῆς ἀντιδόσεως τρόπον appellat : et in libro de Duabus voluntatibus apud Euthymium, de duplici agens operatione, ac voluntate, eamque candentis ferri similitudine declarans, in quo et sectio, et adustio simul efficitur, eæque duæ actiones a ferro et ab igne pro indiviso proficiscuntur ; hanc ipsam communicationem oriri ait « (1) ex summa amborum in se mutuo commeatione et permutatione. » Sic in eodem opere Panopliæ, titulo septimo [2], in quo excerpta variis ex Patribus colliguntur, ἀντίδοσιν ad idem significandum adhibet.

Joannes quoque Damascenus sæpius appellatione illa utitur [3] : ac titulum istum capiti quarto libri tertii præfixit, περὶ τοῦ τρόπου τῆς ἀντιδόσεως, ubi de mutua illa proprietatum accommodatione luculenter disputat.

II. Dixi ἀντίδοσιν proprie esse *permutationem*, cujusmodi est in contractibus et emptionibus, in quibus res permutatione transeunt in alienam possessionem. Ita ἀντίδοσις pro *pretio* sumitur, et *compensatione*. Ut cum Gregorius Nazianzenus ait, omnia quæ erant in Christo, et ex quibus constabat, cum iis, quæ peccato deteriora facta erant in nobis, compensata fuisse. « (2) Pro unaquaque nostrarum rerum, unaquæque res ejus, qui nobis sublimior est, rependitur. »

Olim apud Athenienses ἀντίδοσις vocabatur, hoc est *permutatio*, cum cives bona sua secum invicem permutabant. Nam trecenti e populo deligebantur ceteris locupletiores, qui in publicas functiones sumptus facerent, præsertim trierarchicas. Quod si qui gravari se putarent, et esse alios causarentur ditiores, qui immunes essent ab eo onere, iis ex lege ἀντιδόσεως a Solone lata, contra illos actio dabatur, ut aut suo loco in trecentorum numerum referrentur, aut si ditiores se esse negarent, facultates inter se permutarent. Extat ea de re Isocratis oratio περὶ τῆς ἀντιδόσεως, et Demosthenis πρὸς Φαίδιππον, quæ tamen antiquis criticis, ut in argumento notatur, jure suspecta fuit : idque adeo de stilo conjici potest, qui vim illam, ac nervos non præ se fert oratorum principis.

Hinc quid ἀντίδοσις sit, facile cognoscimus, et quatenus hoc nomen ad communicationem idiomatum significandam assumptum fuerit. Etenim hac sola ratione convenit, quod quæ sibi peculiaria sunt, natura una transfert in alteram : adeo ut hæc illa sibi tanquam propria vindicet, indeque denominetur. Sed illud interest, quod in ἀντιδόσει, et permutatione bonorum, qui iis alteri cessit, non ea amplius pos-

(1) MAXIM. apud Euthym. Pan. tit. 18. pag. 657. lat. Αὐτοῦ γὰρ ὑπάρχει, καθάπερ καὶ τοῦ πυρὸς ἡ τομὴ, διὰ τὴν ἄκραν τουτων εἰς ἄλληλα περιχώρησίν τε, καὶ ἀντίδοσιν.

(2) NAZIANZ. orat. 1. pag. 11. D. Καὶ ὑπὲρ ἑκάστου τῶν ἡμετέρων, ἕκαστον τοῦ ὑπὲρ ἡμᾶς ἀντεδόθη.

[1] In calce tom. 8. Ann. Baron. col. 762. — [2] Pag. 146. Lat.

[3] Ut in l. 3. c. 3. p. 174. et cap. 4. p. 179. 180.

sidet : id quod etiam in emptione, ac similibus contractibus usuvenit : sed jus quod habebat, cum re ipsa transfert in alterum, et vicissim ab eo jus alterum accipit. In Christo vero, sic natura quælibet cum altera quæ sua sunt communicat ; ut eorum nihilominus possessionem retineat, perinde ut aliorum, quæ adventitia, et aliena recepit, quod ex sequentibus intelligetur.

III. Quocirca communionem illam idiomatum, sive ἀντίδοσιν, recte definit Maximus in disputatione cum Pyrrho, dum eam fieri dicit, « (1) quando illa, quæ utrivis Christi parti naturaliter competunt, vicissim alterius propria redduntur, propter inexplicabilem unitionem ; nulla unius in alteram, secundum naturalem rationem , mutatione confusioneque facta. »

Qua ex definitione constat, principium, sive radicem τῆς ἀντιδόσεως esse tum ἕνωσιν, id est *unitionem* naturarum in eadem hypostasi ; tum earumdem, ut in se ipsæ sunt, perfectarum, et integrarum, manentem in compositione differentiam ; tum illam denique, quæ ex istis sequitur, περιχώρησιν, hoc est *circummeationem, et in se mutuo naturarum existentiam*. Hujusmodi connexam ex tribus causam τῆς ἀντιδόσεως passim celebrant græci dogmatum enarratores: ut Joannes Damascenus, qui « (2) et Verbum *ait*, humana sibi propria facere : hæc enim illius esse, quæ sunt sanctæ carnis ipsius : et quæ sua sunt communicare carni, modo quodam mutuæ permutationis ; propter partium inter se commeationem, et unitionem secundum hypostasim. » Et in capite sequenti : « (3) Hic modus est, *inquit*, mutuæ permutationis, utraque natura cum altera communicante quæ sua sunt, propter hypostasis identitatem , et ipsarum in se invicem commeationem. »

Gregorius item Nyssenus fontem ipsum τῆς ἀντιδόσεως eumdem aperit, ita scribens : « (4) Sic mortis perpessio ad eum, *inquit*, qui patibilis naturæ particeps fuit, refertur, propter hominis cum ipso copulationem ; et sublimia, Deoque digna nomina in hominem descendunt : adeo ut ille, qui in cruce conspectus est, dominus gloriæ nominetur ; ob ejus cum eo, quod abjectum est et humile, commistionem ; nominum quoque gratia in humanam simul transeunte naturam. » Et in libro quarto scribit, « (5) propter coagmentationem , et nexum communia fieri utriusque utraque : ita ut et dominus serviles vibices in seipsum assumeret ; et servus honore dominico glorificaretur. »

Et in epistola ad Theophilum, contra Apollinarem : « (6) Propter exactam, *ait*, unitionem assumptæ carnis , et assumentis divinitatis , mutuo transferuntur vocabula : ut et humanum ex divino, et divinum ex humano denominetur. » Quo ex loco habes vocem ἀντιμετάστασιν, ad significandam illam proprietatum transmutationem aptissimam.

IV. Apud Euthymium, inter diversas Patrum de Incarnatione sententias hæc habetur : « (7) Assumpta natura propter hypostaticam conjunctionem, et identitatem hypostasis, statim ab ipsa copulatione, communioneque deificata, particeps fuit excellentium, et magnificorum divinitatis ornamentorum. »

Sed et Gregorius Nazianzenus, « (8) inferiorem hunc hominem , Deum esse factum *ait*, eo quod cum Deo commistus est, et unus factus, eo, quod præstantius est, pervincente. » Propter hanc eamdem ἕνωσιν omnia, quæ Dei

(1) MAXIM. pag. 762. tom. 8. Baron. Κατ' ἐπαλλαγὴν τῶν φυσικῶς ἑκατέρῳ μέρει τοῦ Χριστοῦ προσόντων, κατὰ τὴν ἄῤῥητον ἕνωσιν, θατέρου πεποιημένων, χωρὶς τῆς θατέρου μέρους πρὸς τὸ ἕτερον κατὰ τὸν φυσικὸν Λόγον μεταβολῆς καὶ συμφύρσεως.

(2) DAMASC. lib. 3. cap. 3. pag. 173. Οἰκειοῦται δὲ τὰ ἀνθρώπινα ὁ Λόγος. Αὐτοῦ γάρ ἐστι, τῆς ἁγίας αὐτοῦ σαρκὸς ὄντα. Καὶ μεταδίδωσι τῇ σαρκὶ τῶν ἰδίων, κατὰ τὸν τῆς ἀντιδόσεως τρόπον, διὰ τὴν εἰς ἄλληλα τῶν μερῶν περιχώρησιν, καὶ τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν.

(3) Idem cap. 4. pag. 180. Καὶ οὗτός ἐστιν ὁ τρόπος τῆς ἀντιδόσεως, ἑκατέρας φύσεως ἀντιδιδούσης τῇ ετέρᾳ τὰ ἴδια, διὰ τὴν τῆς ὑποστάσεως ταὐτότητα, καὶ τὴν εἰς ἄλληλα αὐτῶν περιχώρησιν.

(4) GREG. NYSS. 5. con. Eun. pag. 168. B. Καὶ οὕτως ἥ τε τοῦ θανάτου πεῖρα ἐπὶ τὸν κεκοινωνηκότα τῆς ἐμπαθοῦς φύσεως ἀναφέρεται, διὰ τὴν τοῦ ἀνθρώπου πρὸς αὐτὸν ἕνωσιν· καὶ τὰ ὑψηλά τε, καὶ θεοπρεπῆ τῶν ὀνομάτων ἐπὶ τὸν ἄνθρωπον καταβαίνει· ὡς καὶ Κύριον τῆς δόξης τὸν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ φανέντα κατονομάζεσθαι, τῇ τῆς φύσεως αὐτοῦ πρὸς τὸ ταπεινὸν ἀνακράσει, καὶ τῆς τῶν ὀνομάτων χάριτος ἐκ τοῦ θείου πρὸς τὸ ἀνθρώπινον συμμετελθούσης.

(5) Id. lib. 4. pag. 161. D. Ὡς διὰ τὴν συνάφειάν τε, καὶ συμφυΐαν κοινὰ γίνεσθαι τὰ ἑκατέρας ἀμφότερα· τοῦ δεσπότου τοὺς δουλικοὺς μώλωπας εἰς ἑαυτὸν ἀναλαμβάνοντος, καὶ τοῦ δούλου τῇ δεσποτικῇ δοξαζομένου τιμῇ.

(6) Idem tom. 2. pag. 697. D. Καὶ διὰ τὴν ἀκριβῆ ἑνότητα τῆς τε προσληφθείσης σαρκὸς, καὶ τῆς προσλαβομένης θεότητος, ἀντιμεθίστανται τὰ ὀνόματα· ὥστε καὶ τὸ ἀνθρώπινον τῷ θείῳ, καὶ τὸ θεῖον τῷ ἀνθρωπίνῳ κατονομάζεσθαι.

(7) EUTH. Panop. tit. 7. pag. 143. lat. Τὸ πρόσλημμα, διὰ τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν, καὶ τὴν ταὐτότητα τῆς ὑποστάσεως, ἐξ αὐτῆς ἑνώσεως, καὶ κοινωνίας θεωθὲν, μετέσχεν αὐτίκα τῶν θείων πλεονεκτημάτων, καὶ μεγαλοπρεπειῶν.

(8) NAZIANZ. orat. 35. pag. 575. Καὶ γενόμενος ἄνθρωπος ὁ κάτω, Θεὸς, ἐπειδὴ συνανεκράθη Θεῷ, καὶ γέγονεν εἷς, τοῦ κρείττονος ἐκνικήσαντος.

propria sunt, carni tribui testatur Cyrillus in dialogo de Incarnatione [1]. Et Theodoretus, «(1) unitionem *ait* communia facere nomina.»

Sic Origenes in epistolam ad Romanos, « Per indissolubilem, *ait*, unitatem Verbi, et carnis, omnia, quæ carnis sunt, adscribuntur et Verbo, quomodo et quæ Verbi sunt, prædicantur in carne.»

Et in secundo libro de Principiis, capite sexto[2], tum naturarum individuam conjunctionem, tum vero mutuam in se ipsarum existentiam, causam esse scribit communicationis illius et nominum, et proprietatum. Sed hanc posteriorem, id est περιχώρησιν, fœdissimo commento τῆς προϋπάρξεως inquinat; dum animam, antequam cum corpore misceretur, «velut in Verbum et sapientiam, et veritatem totam jam cessisse» dicit. « Unde et merito pro eo, vel quod tota esset in filio Dei, vel totum in se caperet filium Dei, etiam ipsa, cum ea, quam assumpserat, carne, Dei filius, et Dei virtus Christus Dei sapientia appellatur : ut rursum Dei filius, per quem omnia creata sunt, Jesus Christus, et filius hominis nominatur, etc. Et hac de causa per omnem Scripturam, tam divina natura humanis vocabulis appellatur, quam humana natura divinæ nuncupationis insignibus decoratur.» Mox περιχωρήσει subjicit unitatem, tanquam principium accuratissimæ mutuæque communionis. « Magis enim, *ait*, de hoc, quam de ullo alio, dici potest quod scriptum est [3] : *Quia erunt ambo in carne una ; et jam non sunt duo, sed una caro*. Magis enim Verbum Dei cum anima in carne una esse, quam vir cum uxore, putandum est.»

V. Est etiam illa communicationis mutuæ pervagata ratio, et ab Cyrillo præsertim, aliisque linguæ utriusque Patribus sæpius adhibita, quod unus in utraque natura, et ex utraque Christus existat. « (2) Unum, inquit Cyrillus, et eumdem novimus, qui per sanctam virginem Dei genitricem Mariam natus est, Deum perfectum, hominemque perfectum.» Et paulo post : « Quinetiam humanitatis proprias voces, tum eas, quæ divinam potestatem redolent, quæ de ipso proferuntur in sacris litteris, in unam convenisse personam asserimus.» Idem præterea in commentariis in Joannem, libro secundo, « (3) Unus autem Christus, *inquit*, ex ambobus in Filii proprietate, ac Deo digna majestate individuus est.»

Hinc idem in Anathematismo quarto, « (4) voces illas quæ tam in evangelicis, quam apostolicis litteris continentur, vel etiam eas, quæ de Christo a sanctis dicuntur, vel ab ipso Christo de seipso, » vetat alias tanquam homini seorsim a Dei Verbo considerato tribui ; alias tanquam Deo dignas soli Verbo Patris applicari. Quod in Declaratione fusius exponit ; et hoc idcirco fieri dicit, quod unus sit filius Dei Jesus Christus, hoc est Verbum homo factum, et incarnatum, cujus omnia sunt, quæ in unaquaque natura fiunt : unaque est et individua persona, quæ singularum propria in se recipere, atque agere, pative dicitur. Vide eumdem Cyrillum in defensione anathematismi illius adversus Orientales, et Theodoretum.

Joannes Damascenus libro tertio, capite 15. « (5) Unus est Christus, *ait*, et una ipsius persona, sive hypostasis; duas tamen naturas obtinet, divinitatis, et humanitatis. Porro cum ex divinitate naturaliter gloria procedat, utrique communis est propter hypostasis identitatem. Ex carne vero humilia proficiscuntur, et eadem ambobus communia. Quippe unus est, et idem, qui hoc et illud est, nempe Deus, et homo ; et ad eumdem pertinent tam quæ sunt divinitatis, quam quæ humanitatis propria.»

Hilarius in libro nono de Trinitate, aliquanto post initium [4] : « Nec sane negamus, *inquit*, totum illum, qui ejus manet, naturæ suæ esse sermonem. Sed si Jesus Christus et homo et Deus est, et neque cum homo, tum primum Deus ; neque cum homo, tum non etiam et

(1) THEODOR. dial. 3. pag. 151. Χρὴ μέν τοι εἰδέναι ὡς ἡ ἕνωσις κοινὰ ποιεῖ τὰ ὀνόματα.

(2) CYRILL. in Eph. conc. act. par. 3. pag. 522. Ἕνα, καὶ τὸν αὐτὸν ἴσμεν, ἀδελφοὶ, τὸν διὰ τῆς ἁγίας παρθένου τῆς θεοτόκου Μαρίας γεννηθέντα, Θεὸν τέλειον, καὶ ἄνθρωπον τέλειον. MOX : Ἀλλὰ γὰρ καὶ τὰς τῆς ἀνθρωπότητος, καὶ μὴν καὶ τὰς ἐν ἐξουσίᾳ τῇ θεοπρεπεῖ φωνὰς, ἃς διαγορεύουσιν ἡμῖν αἱ θεῖαι γραφαὶ περὶ αὐτοῦ, εἰς ἓν πρόσωπον συνῆχθαί φαμεν.

(3) Id. in Joan. pag. 151. Εἷς δὲ λοιπὸν ἐξ ἀμφοῖν ὁ Χριστὸς, ἀδιαίρετος εἰς υἱότητα, καὶ εἰς δόξαν θεοπρεπῆ.

(4) Id. anath. 4. Εἴ τις προσώποις δυσὶν, ἤγουν ὑποστάσεσι, τάς τε ἐν τοῖς Εὐαγγελικοῖς, καὶ Ἀποστολικοῖς συγγράμμασι διανέμει φωνὰς, ἢ ἐπὶ Χριστῷ παρὰ τῶν ἁγίων λεγομένας, ἢ παρ' αὐτοῦ περὶ ἑαυτοῦ· καὶ τὰς μὲν ὡς ἀνθρώπῳ, παρὰ τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγον ἰδικῶς νοουμένῳ προσάπτει, τὰς δὲ ὡς θεοπρεπεῖς μόνῳ τῷ ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγῳ, ἀνάθεμα ἔστω.

(1) DAMASC. pag. 234. Εἷς μὲν γάρ ἐστιν ὁ Χριστὸς, καὶ ἓν αὐτοῦ τὸ πρόσωπον, ἤτοι ἡ ὑπόστασις. Ἀλλ' ὅμως ἔχει δύο φύσεις, τῆς θεότητος, καὶ τῆς ἀνθρωπότητος αὐτοῦ. Ἐκ μὲν οὖν τῆς θεότητος αὐτοῦ ἡ δόξα φυσικῶς προϊοῦσα, ἑκατέρου κοινὴ διὰ τὴν τῆς ὑποστάσεως ἐγένετο ταυτότητα, ἐκ δὲ τῆς σαρκος, τὰ ταπεινὰ ἑκατέρῳ κοινά. Εἷς γάρ ἐστι, καὶ ὁ αὐτὸς ὁ τοῦτό τε, κἀκεῖνο ὢν, ἤτοι Θεὸς καὶ ἄνθρωπος, καὶ τοῦ αὐτοῦ τά τε τῆς θεότητος, καὶ τὰ τῆς ἀνθρωπότητος.

[1] Tom. 5. part. 1. pag. 708. — [2] Orig. tom. 1. p. 441. D. [3] Gen. 2. 21. et Math. 19. 6. — [4] P. 56. B.

Deus; neque post hominem in Deo non totus homo, totus Deus; unum atque idem necesse est dictorum ejus sacramentum esse, quod generis. »

Ambrosius item in libro secundo de Fide, capite 4. « Unde illud, *inquit*, quod lectum est, Dominum majestatis crucifixum esse, non quasi in majestate sua crucifixum putemus. Sed quia idem Deus, idem homo, Christus Jesus Dominus majestatis dicitur crucifixus; quia consors utriusque naturæ, id est humanæ, atque divinæ, in natura hominis subiit passionem, ut indiscrete et Dominus majestatis dicatur esse, qui passus est, et filius hominis, sicut scriptum est, qui descendit de cœlo. » Hæc duo, et alia plura, latinorum, græcorumque Patrum testimonia in idem conspirantia collegit Leo papa in epistola 97. [1] qui et in decima ad Flavianum de eadem re disputavit [2]. Vide et Cassianum libro sexto de Incarnatione, cap. 22.

VI. Ex his quod consequens est, solet etiam a Patribus pro vera et proxima causa communionis illius afferri, quod Deus Verbum suam, propriamque fecit humanitatem, adeoque quod cum ea connexum est, eique naturaliter convenit, hoc in se totum transtulit, ac sibi accommodari, deque se ipso prædicari voluit. Athanasius in libro de incarnatione Verbi Dei, rationem hanc uberrima oratione disserit, quorum in specimen pauca ita proferam. « (1) De hoc vero ista dicuntur, (inquit, de eo loquens quod natus Deus e Virgine, manducasse, bibisse, ac cetera ejusmodi fecisse, aut pertulisse scribitur,) quandoquidem et corpus manducans, et partu editum, et passum, non alterius cujusdam erat, quam Domini: tum quod homo factus cum esset, decebat hæc de illo, tanquam de homine dici, ut revera non specie tenus corpus habere videatur. » Et in libro secundo contra Arianos: « (2) Ipsius, *ait*, ambo esse dicuntur, quoniam ipsius erat, non alterius, corpus, quod exaltatum est a mortuis, et in cœlos assumptum. Cum autem ipsius esset corpus, nec extra Verbum esset ipsum, merito exaltato corpore, tanquam homo, et propter corpus, exaltatus esse dicitur. » Etenim, ut ait Cyrillus in epistola ad Valerianum, « (3) Cujus proprium est corpus, huic merito quæ hujus propria sunt, adscribuntur omnia, uno excepto peccato. » Rursus Athanasius in libro quarto contra Arianos, « (4) Decuisse *ait* Dominum, humanam carnem induentem, totam hanc cum propriis ipsius affectionibus induere; ut quemadmodum proprium ipsius corpus esse dicimus, sic et corporis affectiones ipsius esse tantum propriæ dicantur. » Quem locum citat Cyrillus ex libro Athanasii de Trinitate [3].

VII. Jam Cyrillus Alexandrinus passim rationem illam communionis affectionum, proprietatumque, genere eodem sermonis explicat: ut in anathematismo undecimo, causam cur *vivifica* sit caro Christi, hujusmodi proponit; « (5) quod propria sit Verbi, quod omnia vivificare potest. » Et in refutatione Orientalium ad eumdem anathematismum: « (6) Proprium itaque fuisse corpus Verbi dicimus, et non hominis cujuspiam seorsim ac separate, qui ab illo diversus intelligatur Christus, et Filius; sicut autem proprium uniuscujusque nostrum dicitur corpus, quod proprie est ejus, sic etiam in uno Christo istud intelligere oportet. »

Sic in libro vicesimo Thesaurorum, idcirco propria esse Verbi asserit, quæ assumptam carnem afficiunt, « (7) quod corpus istud non sit alterius cujuspiam, sed ipsius; et propterea tanquam ipsemet æstimatur. Unus enim Christus est, ex hominis natura, et Deo Verbo temperatus. »

(4) ATHAN. pag. 50. Λέγεται δὲ περὶ αὐτοῦ καὶ ταῦτα· ἐπειδὴ καὶ τὸ σῶμα ἐσθίον, καὶ τικτόμενον, καὶ πάσχον οὐχ ἑτέρου τινὸς, ἄλλὰ τοῦ Κυρίου ἦν· καὶ ὅτι ἀνθρώπου γενομένου ἔπρεπε καὶ ταῦτα ὡς περὶ ἀνθρώπου λέγεσθαι, ἵνα τῇ ἀληθείᾳ, καὶ μὴ φαντασίᾳ σῶμα ἔχων φαίνηται.

(2) Idem pag. 370. B. Αὐτοῦ δὲ λέγεται ἀμφότερα, ἐπειδὴ αὐτοῦ ἦν, οὐχ ἑτέρου σῶμα τὸ ὑψωθὲν, ἀπό τε τῶν νεκρῶν καὶ εἰς οὐρανοὺς ἀναληφθέν· αὐτοῦ δὲ πάλιν ὄντος τοῦ σώματος, καὶ οὐκ ὄντος ἐκτὸς αὐτοῦ τοῦ Λόγου, εἰκότως ὑψουμένου τοῦ σώματος, ὡς ἄνθρωπος καὶ διὰ τὸ σῶμα ὑψοῦσθαι λέγεται.

(3) CYRILL. tom. 5. par. 2. ab Euthym. citatus in pag. 163. Οὗ γὰρ ἴδιόν ἐστι τὸ σῶμα, τούτῳ ἂν εἰκότως προσγράφοιτο καὶ τὰ αὐτοῦ πάντα, δίχα μόνης ἁμαρτίας.

(4) ATHAN. pag. 275. Ἔπρεπε δὲ τὸν Κύριον ἐνδιδυσκόμενον ἀνθρωπίνην σάρκα, ταύτην μετὰ τῶν ἰδίων παθῶν αὐτῆς ὅλην ἐνδύσασθαι· ἵνα ὥσπερ ἴδιον αὐτοῦ λέγομεν εἶναι τὸ σῶμα, οὕτω καὶ τὰ τοῦ σώματος πάθη ἴδια μόνον αὐτοῦ λέγεται.

(5) CYRILL. in anath. 11. Ὅτι γέγονεν ἰδία τοῦ Λόγου τοῦ τὰ πάντα ζωοποιεῖν ἰσχύοντος.

(6) Idem tom. 6. pag. 192. C. Ἴδιον οὖν τὸ σῶμά φαμεν γενέσθαι τοῦ Λόγου, καὶ οὐκ ἀνθρώπου τινὸς ἰδικῶς, καὶ κεχωρισμένους ἑτέρου παρ' αὐτὸν νοουμένου Χριστοῦ, καὶ Υἱοῦ, ὥσπερ δὲ ἴδιον ἡμῶν ἑκάστου λέγεται σῶμα τὸ ἰδικῶς αὐτοῦ· οὕτω καὶ ἐπὶ τοῦ ἑνὸς Χριστοῦ νοητέον.

(7) CYR. Thes. lib. 20. pag. 197. Οὐ γὰρ ἑτέρου τινὸς, ἀλλ' αὐτοῦ τὸ σῶμα. Διὸ καὶ ὡς αὐτὸς λελόγισται. Εἷς γὰρ ὁ Χριστὸς ἔκ τε ἀνθρωπότητος, καὶ Θεοῦ Λόγου κεχρασμένος.

[1] Cap. 3. et seq. — [2] Vide cap. 5.

[3] Cyril. contra Orient. ad Anath. 11. tom. 6. pag 194.

Vigilius libro quinto contra Eutychen [1], Cyrilli ejusdem locum affert *ex epistola totius Synodi ad Nestorium*, quæ idipsum præclare adstruit. Ea est secunda ad Nestorium ab Cyrillo scripta epistola, quæ in Ephesina synodo lecta, probataque est, et in actis posita. Unde quæ in illa leguntur, pro synodalibus sententiis merito sunt habenda : præsertim cum in sequentibus synodis, Chalcedonensi maxime, et quinta, sexta, aliisque compluribus, tam epistola ista Cyrilli ad Nestorium, quam alia quædam ejusdem scripta pro certis, et orthodoxis judicata, et in summam auctoritatem assumpta fuerint. Ibi ergo Cyrillus communionem affectionum humanarum ideo penes Verbum fuisse dicit, quod hujus propria caro sit. Itaque natum esse, passumque Verbum nos dicere, « (1) quia corpus illud, quod ipsius proprium factum est, passum est : ideo hæc omnia pro nobis ipse dicitur passus. »

Ita Gelasius papa in libro de Duabus naturis [2], « Ipsam deitatem *ait* totum suum facere, quidquid caro perpessa est : sicut et filius hominis suum habet totum quidquid est Dei : et sub una persona merito unus atque idem dicitur pati, quidquid ut Deus homo patitur. » Quo in loco duo illa græcis frequentata Patribus feliciter expressit, quæ τὴν ἀντίδοσιν efficiunt : nempe quod unus idemque sit ex duabus, et in duabus naturis Christus Dominus, et una persona Verbi ; tum quod, propter hujus individuam, summamque cum inferiore natura conjunctionem, suum facit quidquid huic accidit, et vicissim totum illud obtinet homo, quodcumque Deo tribuitur.

VIII. Quod posterius (nam de priore satis est actum) Cyrillus per verbum οἰκειοῦσθαι, et ἰδιοποιεῖσθαι, vel ἴδιον ποιεῖσθαι, significare consuevit, itidemque alii ; quos vel imitatus ille est, vel ad imitationem adduxit sui. Athanasius imprimis in libro de salutari adventu Jesu Christi, « (2) Sua, *inquit*, quæ sunt corporis propria, fecit. » Et in libro quarto contra Arianos, « (3) Verbum hominem *ait* esse factum, et sua fecisse quæ sunt carnis. » Item in epistola ad Epictetum : « (4) Sua, *inquit*, quæ erant corporis propria, fecit Verbum corporis expers, etc. Nam quæ Verbi humanitas patiebatur, ea Verbum cum illa copulatum, ad seipsum referebat, ut nos divinitatis Verbi participes esse possimus. »

At Cyrillus in epistola ad Valerianum episcopum, « (5) Deum Verbum » asserit « hominem factum, impatibilem quidem divina natura mansisse ; sed necessario sua facientem, quæ carnis erant suæ, pertulisse dici, quæ caro ipsius pertulit. » Et in scholiis de Incarnatione id exemplo probat animæ rationalis, « (6) quæ sua facit ea, quæ ad corpus attinent. » Ita et « (7) Verbum carnis infirmitates tanquam corporis sui proprias sibi imputavit. » Item in epistola ad monachos : « (8) Quæ carnis sunt, sua fecit, ut et pati proprium dicatur ipsius. » Et alibi sæpius. Sic Paulus Emesenus in homilia Alexandriæ coram Cyrillo dicta, « (9) Sua facere *ait* Verbum Dei proprias sui corporis affectiones, et ad seipsum referre. » Et Theodotus Ancyranus episcopus in homilia quadam de nativitate Domini, « (10) Nostra Deum *ait* fecisse sua, non naturaliter esse passum. » « Quod enim caro Verbi patiebatur, ait Ambrosius [3], vel manens in carne Dei Verbum patiebatur carne, sicut scriptum est [4], *Christo in carne passo* ; in se utique pro corporis assumptione referebat, ut quæ nostra sunt, ipse susciperet, et suis circumvestiret humana. »

Rursus commemorandus hoc loco Cyrillus qui libro secundo in Joannem, « (11) Quæ nudo

(1) CYR. tom. 5. par. 2. pag. 23. E. Ἐπειδὴ δὲ τὸ γεγονὸς αὐτοῦ ἴδιον σῶμα πέπονθε ταῦτα, πάλιν αὐτὸς λέγεται παθεῖν ὑπερ ἡμῶν.

(2) ATHANAS. pag. 504. C. Διὸ καὶ οἰκείωται τὰ τοῦ σώματος.

(3) Id. pag. 276. Νῦν δὲ τοῦ Λόγου γενομένου ἀνθρώπου, καὶ ἰδιοποιουμένου τὰ τῆς σαρκός.

(4) ATHAN. in epist. ad Epict. pag. 457. Ἀλλὰ καὶ ἰδιοποιεῖτο τὰ τοῦ σώματος ἴδια, ὡς ἑαυτοῦ ὁ Λόγος ὁ ἀσώματος, etc. ἃ γὰρ τὸ ἀνθρώπινον ἔπασχε τοῦ Λόγου, ταῦτα συνὼν αὐτῷ ὁ Λόγος εἰς ἑαυτὸν ἀνέφερεν, ἵνα τῆς τοῦ Λόγου θεότητος μετασχεῖν δυνηθῶμεν.

(5) CYRILL. tom. 5. par. 2. pag. 163. Οὐκοῦν ἐπειδήπερ ἐνανθρωπήσας ἦν ὁ Θεὸς Λόγος, μεμένηκε μὲν ἀπαθὴς θεϊκῶς, οἰκειούμενος δὲ ἀναγκαίως τα τῆς ἑαυτου σαρκος παθεῖν λέγεται τὰ κατὰ σάρκα.

(6) Tom. 5. par. 1. pag. 782. Οἰκειοῦται γὰρ ἡ ψυχὴ τὰ τοῦ σώματος.

(7) Ibid. pag. 783. Καὶ ἠφάνιζε μὲν ὡς Θεὸς τὰς τῶν σαρκὸς ἀσθενείας· οἰκειοῦτο γε μὴν αὐτὰς, ὡς ἰδίου σώματος.

(8) Id. tom. 5. par. 2. pag. 17. Οἰκειούμενος δὲ τὰ σαρκικὰ, ἵνα καὶ αὐτοῦ λέγεται τὸ παθεῖν.

(9) PAULUS par. 3. Eph. conc. pag. 591. Εἰ γὰρ καὶ οἰκειοῦται τοῦ ἰδίου σώματος τὰ πάθη ὁ Θεὸς Λόγος, καὶ εἰς ἑαυτὸν ἀναφέρει.

(10) THEODOT. in Eph. syn. pag. 532. Οἰκειωσαμένου τὰ ἡμέτερα, οὐ παθόντος φύσει.

(11) CYRILL. pag. 151. A. Ἐπεὶ κατά τινα τρόπον ὡς ἴδια περιτίθησι τῷ ἐκ τῆς παρθένου ναῷ, τὰ γυμνῷ καὶ μόνῳ πρέποντα τῷ Λόγῳ. Ἰδιοποιεῖται δὲ πάλιν αὐτὸς τὰ μόνῃ πρέποντα τῇ σαρκί.

[1] Tom. 4. Bib. col. 530. E. — [2] Tom. 4. Bib. PP. col. 423. A.

[3] Amb. lib. de Incarn. c. 5. col. 292. — [4] 1. Pet. 4.

Verbo solique conveniunt, *inquit*, ea templo, quod ex Virgine prodiit, velut propria ejus imputat: et rursus ipsum sua illa facit, quæ soli carni competunt. » Et Joannes Damascenus : « (1) Ea quæ humana sunt, sibi Verbum attribuit. Ipsius enim sunt, cum sanctæ sint ejus carnis; et cum carne quæ sibi propria sunt communicat. »

IX. Ab his fontibus mutua illa communicatio proprietatum oritur : qua fit ut et naturæ inter se quæ cuique peculiaria sunt, tanquam propria, usurpent: et uni eidemque tum singillatim, tum simul omnia tribuantur, non diversa modo, sed etiam sibi invicem contraria. Quorum omnium exempla passim in sacris libris extant, ex quibus antiqui Patres ad convincendos hæreticos valida identidem argumenta conficiunt. Ac de ea Scripturarum consuetudine primum universe adhibenda est observatio illa Gregorii Nysseni in quinto libro contra Eunomium, ubi postquam vocum, ac proprietatum permutabilem illam vicissitudinem ex naturarum unitione manare docuit de Scripturæ usu, ac loquendi more, adscribit ista : « (2) Propterea varie ipsum ac diversa ratione tradit; nunc de cœlo descendentem, nunc e muliere genitum, alias, Deum anteriorem seculis omnibus, ac rursus novissimis diebus hominem. Ad hunc modum et impatibilis unigenitus Deus, et patibilis Christus esse creditur : neque de eo institutus per contraria sermo mentitur, dum utrique nomini, quod eorum notionibus consentaneum est, accommodat. »

Hujusmodi sunt loca illa Scripturæ, quæ eumdem Christum e cœlo venisse, et in cœlum rediisse testantur. *Nemo*, inquit[1], *ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis, qui est in cœlo*. Nam solum Verbum proprie loquendo de cœlo descendit, eo sensu, quo id intelligi voluit Christus. « Homo enim de cœlo venire non potuit, » ait Novatianus lib. de Trin. cap. 23. et nihilominus id de solo homine diserte ac palam enuntiat. « (3) Nimirum quod in duas dividi personas, ait Cyrillus, post Incarnationem minime se patitur : nec ullis permittit alterum nominare filium templum illud, quod propter necessitatem assumptum est e Virgine : alterum, Verbum illud, quod ex Patre processit : nisi quantum attinet ad naturæ cujusque congruentem rationem, ac differentiam. Sicut enim Verbum est ex Deo, sic homo est ex muliere : ceterum unus ex ambobus est Christus secundum filietatem, divinamque majestatem individuus. »

X. Sic ad Romanos scribens Apostolus eumdem Deum, ac Dei filium vocat, et Davidis filium, ut observat Cyrillus in libro ad Theodosium imperatorem[2]. Cum enim dixisset, *segregatum se esse in Evangelium Dei de filio suo*, mox eumdem ait, *factum esse ei de semine David secundum carnem; qui prædestinatus est filius Dei in virtute*, etc. Unus igitur idemque filius Dei est et hominis; et homo filius Dei est; et Dei filius, ac Deus, homo est, atque hominis filius.

Sic in epistola ad Hebræos eumdem, quem capite primo *filium Dei* nominat, ac *splendorem gloriæ, figuramque substantiæ ejus; qui omnia portat verbo virtutis suæ :* in sequenti[3], *paululum ab angelis minoratum Jesum* ait, *propter passionem mortis, gloria, et honore coronatum, ut pro omnibus gustaret mortem*. Ex quibus priora, sola sibi Verbi divinitas; posteriora, sola sibi humanitas vindicat.

Tum in ea, quæ est ad Colossenses, capite primo[4], eumdem, *in quo habemus redemptionem, per sanguinem ejus, remissionem peccatorum*, (quod in solam hominis naturam quadrat,) *imaginem* dicit *esse Dei invisibilis, primogenitum omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis, et in terra, visibilia, et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates : omnia per ipsum, et in ipso creata sunt; et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant:* quæ quidem de divinitate ipsa intelligenda sunt.

(1) DAMASC. lib. 3. cap. 3. pag. 173. Οἰκειοῦται δὲ τὰ ἀνθρώπινα ὁ Λόγος. Αὐτοῦ γάρ ἐστι, τῆς ἁγίας αὐτοῦ σαρκὸς ὄντα, καὶ μεταδίδωσι τῇ σαρκὶ τῶν ἰδίων.

(2) GREG. Nyss. pag. 168. C. Διὰ τοῦτο ποικίλως, καὶ διαφόρως αὐτὸν παραδίδωσι, νῦν μὲν τὸν ἐξ οὐρανῶν κατελθόντα, νῦν δε τὸν ἐκ γυναικὸς γεννηθέντα, καὶ Θεὸν προαιώνιον, καὶ ἐπ' ἐσχάτων ἡμερῶν ἄνθρωπον. Οὕτω καὶ ἀπαθὴς ὁ μονογενὴς Θεὸς, καὶ παθητὸς ὁ Χριστὸς εἶναι πιστεύεται, καὶ ὁ Λόγος διὰ τῶν ἐναντίων οὐ ψεύδεται, τὸ πρόσφορον ἑκατέρῳ τῶν ὀνομάτων ἐν τοῖς νοήμασιν ἐφαρμόζων.

(3) CYRILL. in Joann. pag. 150. E. Διχάζεσθαι μετὰ τὴν ἐνανθρώπησιν εἰς δύο πρόσωπα παραιτούμενος, καὶ οὐκ ἐπιτρέπων τισὶν, ἕτερον μὲν λέγειν Υἱὸν τὸν ἐκ παρθένου, διὰ τὴν χρείαν ληφθέντα ναὸν, ἕτερον δὲ τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς πεφηνότα Λόγον, πλὴν ὅσον εἰς τὸν ἑκάστῳ τρέποντα κατὰ φύσιν διορισμόν. Ὥσπερ γάρ ἐστιν ἐκ Θεοῦ Λόγος· οὕτω καὶ ἄνθρωπον ἐκ γυναικός· εἷς δὲ λοιπὸν ἐξ ἀμφοῖν ὁ Χριστὸς, ἀδιαίρετως εἰς υἱότητα, καὶ εἰς δόξαν θεοπρεπῆ.

[1] Joan. 3. 13. — [2] Cyr. in Eph. Syn. p. 37.

[3] Hebr. 2. 9. — [4] Col. 1. 14.

Sic illud Joannis decimo capite [1], usurpatum a Christo, Athanasius refert [2] : *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite; ut cognoscatis, et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre.*

Ejusdemmodi est istud, quod Judæis dixit Christus [3] : *Antequam Abraham fieret, ego sum*, quæ verba ad divinam pertinent substantiam. « Intellige, ait Augustinus [4], fieret, ad humanam facturam : sum vero, ad divinam pertinere substantiam. » Nec aliter Chrysostomus [5], Cyrillus [6], ac reliqui græci, latinique Patres.

XI. Hinc etiam factum est, quod scribit Fulgentius [7], « Ut manente in unitate personæ, naturali hominis et Dei inconfusa, et inseparabili veritate, sicut Deus Christus in homine nomen hominis sumpsit : sic idem homo Christus in Deo vocabulum deitatis accepit. » Cui simile est illud, quod ex Augustino in libro contra Maximinum profert Albinus Flaccus in secundo adversus Felicem Urgelitanum [8]. « Vis, *inquit*, plenius scire, quamvis Christus secundum carnem vere ex homine homo natus sit, tamen propter ineffabilem unitatem, qua unitus cum Deo homo est, nullam penitus inter Christum et Verbum esse distantiam : audi Dominicum Evangelium ; imo potius audi ipsum de se dicentem Deum : *Hæc est*, inquit[9], *vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Superius audisti Verbum Dei ad sanandos homines missum esse : hic autem audis eum, qui missus sit, Jesum Christum esse. Separa hoc, si potes, cum videas tantam unitatem Christi et Verbi esse, ut non unitum cum Christo Verbum; sed etiam propter unitatem ipsam, Christus jam Verbum esse dicatur. »

Atque idem Augustinus in libro contra sermonem Arianorum, capite octavo, « Propter istam unitatem personæ, *ait*, in utraque natura intelligendam, et Filius hominis dicitur descendisse de cœlis, quamvis sit ex ea, quæ fuerat in terra, virgine assumptus : et filius Dei dicitur crucifixus, mortuus, et sepultus, quamvis hæc non in divinitate ipsa, qua est unigenitus Patri coæternus, sed in naturæ humanæ sic infirmitate perpessus, etc. » Ac subinde, « Hanc unitatem, *ait*, personæ Christi Jesu Domini nostri sit ex natura utraque constantem, divina scilicet atque humana, ut quælibet earum vocabulum etiam alteri impertiat, et divina humanæ, et humana divinæ, beatus ostendit Apostolus. »

Huic œcumenicarum Synodorum decreta concinunt [10], et in illis fidei conditæ formulæ, quæ *Jesum Christum filium Dei unicum*, vel *unigenitum* asserunt, *ex Patre natum ante omnia secula*, *Deum de Deo*, *lumen de lumine*, *Deum verum de Deo vero.* Quem eumdem *propter nos homines*, *et propter nostram salutem incarnatum* prædicant, *et natum de Virgine*, *passum*, *mortuum*, *ac sepultum.*

Declarat hoc Leo papa in epistola decima ad Flavianum; quæ et ipsa symbolo cuivis, ac Synodi œcumenicæ decreto, parem est auctoritatem adepta, Synodorum ipsarum, ac totius Ecclesiæ consensu. Ibi sanctissimus Pontifex [11], « Propter hanc unitatem personæ in utraque natura intelligendam, et filius hominis, *inquit*, legitur descendisse de cœlo, cum filius Dei carnem de ea virgine, de qua est natus, assumpserit : et rursus filius Dei crucifixus, ac sepultus, cum hic non in divinitate ipsa, qua unigenitus, consempiternus, et consubstantialis est Patri, sed in naturæ humanæ sit infirmitate perpessus. Unde unigenitum filium Dei crucifixum, et sepultum omnes etiam in Symbolo confitemur, secundum illud Apostoli : Si enim cognovissent, nunquam Dominum majestatis crucifixissent. »

XII. Est hac de re præterea pulcherrimus, et copiosissimus Vigilii locus in secundo libro contra Eutychen, ubi omnia fere illa, quæ recensuimus, Scripturæ loca, ad eamdem proprietatum communionem probandam accommodat, ac præsertim contraria de eodem prædicari, et naturæ alteri quæ sunt alterius tribui demonstrat, ex quibus hic nonnulla describam, in quibus maxime Scripturæ testimoniis, quod nos hic agimus, contra hæreticos nititur [12]. « Ergo hic unus, atque idem et æqualis Patri secundum deitatem, *ait*, et inferior est Patre secundum humanitatis naturam : atque ita nec initium habet, quia Deus est; et habet initium, quia idem Deus homo est. Si ergo me interroges, utrum Christus habeat initium, an non habeat, respondebo tibi, et habet, et non habet : habet secundum humanitatem suam, non habet secundum divinitatem suam. Cum dico habet, vel non habet,

[1] Joan. 10. 37. — [2] Athan. lib. 4. con. Ar. pag. 275. — [3] Joan. 8. 58. — [4] Tract. 43. in Joan. — [5] Chrys. Hom. 55. in Joan. p. 783.

[6] Cyr. lib. 6. in Joan. p. 586. — [7] Lib. 3. ad Tras. c. 14. — [8] Col. 812. — [9] Joan. 17. — [10] Ut Nic. Constant. etc. — [11] Leo ep. 10. cap. 5. — [12] Vigil. lib. 2. col. 502. B.

ad personæ pertinet unionem. Cum dico secundum divinitatem, et secundum humanitatem, ad naturarum pertinet proprietatem. » Subjicit illum Joannis locum de ascensu descensuque Christi, cujus supra meminimus, ac deinde sic colligit : « Quia enim Verbum cum carne ita est inexplicabili modo unitum, ut ipsum Verbum caro dicatur, licet Deus non sit caro, quia non est in carnem mutatum ; ut caro dicatur Deus, licet non sit in deitatis naturam mutata, sed Verbum propter carnem suam homo sit, et caro propter Verbum Deus sit; et quidquid est proprium Verbi, sit commune cum carne, et quidquid est proprium carnis commune cum Verbo sit; quomodo Verbum et caro unus est Christus, et una persona. Idcirco propter hanc communionem, quam salva naturarum proprietate personæ unio præstat, et Verbum cum carne, id est filius hominis, legitur descendisse de cœlo, cum solum Verbum sine carne descenderit : et Deus legitur sepultus [1], et monumento tribus jacuisse diebus, cum sola caro sepulta est, etc. »

Item illud ejusdem Vigilii luculentum ex quarto libro [2] : « Cum Jesus Christus non Verbi, sed carnis proprium sit nomen, et Deus proprium Verbi, non carnis constet esse vocabulum; tamen et Verbum propter carnem suam, homo Jesus Christus; et caro propter Verbum Deus Verbum est. » Quod deinceps aliis Scripturarum sententiis affirmare pergit : ut cum Apostolus scribit [3]: *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo ; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* « Cum profecto, antequam ab illo forma servi esset accepta, nondum fuerit Christus, sed tantummodo Verbum : id est, antequam esset homo, nondum erat homo, sed tantummodo Deus; nondum erat Christus, antequam nostri habitus similitudine homo esset inventus : et tamen Christus est in forma Dei, Christus in forma servi, Christus æqualis Patri, Christus inferior Patre, idem Deus, idem homo. Unde constat et divinitatem humanitatis habere vocabulum ; id est, Verbum dici carnem, et carnem dici Verbum : non quia in se utrumque mutatum sit, sed quia utrumque una persona, id est unus Christus sit. Et ideo recte credimus et prædicamus cum Apostolo, Deum crucifixum, et mortuum in humana natura, quæ ex uniti Verbi consortio, deitatis poscit et nomen. »

XIII. Ad summam, ea vis est communicationis illius mutuæ, quæ ex conjunctione naturarum, et personæ unitate proficiscitur, ut et divinæ imputentur, deque ea prædicentur, quæ longe ab ea sunt alienissima, utpote soli imbecillæ, ac vili creaturæ congruentia : et vicissim quæ magnifica, cœlestia, splendida, et unius divinitatis propria sunt, in infimæ, abjectæque dotem, ac censum naturæ cesserint. « (1) Hinc genita, et nascente carne ex Dei genitrice Maria ortus ipse dicitur, qui aliis ortum, et initium præbet existendi, » ut scribit Athanasius. Et Cyrillus in epistola secunda ad Nestorium, « (2) Verbum *ait* ex utero ipso carni copulatum, carnalem ortum sustinuisse dicitur, tanquam propriæ carnis ortum suum faciens. » « Quia igitur plasmata quidem est caro, ait Rusticus diaconus [4], non deitas Verbi sempiterna persistens, erat vero inseparabiliter carni unitum Dei Verbum, ea quæ propria carnis sunt, propria faciens, dispensative complasmari dicitur carne, ut propriæ carnis impassibiliter significans plasmationem. » Et Gaudentius Brixianus [5], « Nascitur, *ait*, qui semper erat : nascitur qui in principio erat et filius Dei, et Verbum Dei, et Deus. Hic ideo prope finem seculi ex Virgine natus est, ut Verbum caro factum habitaret in nobis. » Mox : « Nascitur, *inquit*, filius Dei in homine. » Cui simile est hoc Cassiani [6], « Quod in homine natus Deus sit. » Albinus item Flaccus in secundo libro contra Felicem, « Quid dubitatis, o novi doctores, Deum dicere verum, et proprium filium Dei, qui natus est ex Virgine, dum fixa ratione catholicæ fidei constat, eumdem esse Deum, quem et Jesum, eumdem esse Deum, quem et Christum ? » Quod et Juvenci testimonio confirmat, cujus hi versus sunt :

Nam tua concipient cœlesti viscera lapsu
Natum, quem regnare Deum per secula cuncta,
Et propriam credi sobolem gaudetque, jubetque.
Hunc ubi sub lucem dederis, sit nomine Jesus.

(1) ATHAN. lib. 4. cont. Arian. pag. 276. Ὅθεν καὶ γεννωμένης τῆς σαρκὸς ἐκ τῆς θεοτόκου Μαρίας, αὐτὸς λέγεται γεγενῆσθαι ὁ τοῖς ἄλλοις γένεσιν εἰς τὸ εἶναι παρέχων.

(2) CYR. tom. 5. par. 2. pag. 23. F. Ἀλλ' ἐξ αὐτῆς μητρὸς ἑνωθεὶς, ὑπομεῖναι λέγεται γέννησιν σαρκικὴν, ὡς τῆς ἰδίας σαρκὸς τὴν γέννησιν οἰκειούμενος.

[1] For. *in monumento.* — [2] Col. 512. — [3] Phil. 2. 5. — [4] Rustic. contra Acephal. tom. 4. Bibl. PP. col. 827. E.

[5] Gaud. Tract. 9. — [6] Cass. 6. de Incar. cap. 20.

Vide Facundum libro primo late de eo disputantem in capite quarto.

XIV. Ita patiente carne Deus patitur. « (1) Sic enim ipsum et passum esse, et resurrexisse dicimus, ait Cyrillus, non quod Deus Verbum in propria natura passum sit vel plagas, vel clavorum perforationes, aliave vulnera : quippe Deus pati nihil potest, cum sit expers corporis. » Et alibi : « (2) Timet autem, et pavet, et angitur passionis tempore, ac tanquam passus ipse describitur ea, quæ soli humanitati conveniunt. » Sic Augustinus [1], « Quia ipsum Verbum, *ait*, caro factum est, et ipsum Verbum crucifixum est, etc. Per id ergo, quod homo erat, mortuus est Deus, etc. Quidquid passus est homo, non potest dici, non passus est Deus; quia Deus erat hominem assumendo, sed non est mutatus in hominem : quomodo non potes dicere non te passum injuriam, si vestis tua conscindatur. Et quando quereris vel amicis, vel in judicio, hoc dicis judici : Conscidit me. Non dicis, Conscidit birrhum meum ; sed, Conscidit me. Si potuit, et meruit vestis tua dici tu, quæ non est tu, sed vestis tua; quanto potius meruit audire caro Christi, templum Verbi unitum cum Verbo : ut quidquid in carne pateretur, Deus ipse pateretur, quamvis Verbum nec mori potuerit, nec corrumpi, nec mutari, nec occidi. Sed quidquid horum passum est, in carne passum est. »

Fulgentius item [2], « Hoc igitur personæ inseparabilis unitas, *inquit*, in qua Deus, et homo unus est Christus, fecit, ut et homo Christus, per gratiam nasceretur ex Deo, salva veritate, ac plenitudine humanæ naturæ, et idem Deus Christus voluntarie pateretur in carne, salva impassibili plenitudine divinæ substantiæ. »

Sed rursus Augustinus [3] : « Verum si quæratur, *inquit*, Quis est ille, [4] qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, respondetur nobis voce Apostolica, Christus Jesus. Ergo et illa divinitas hujus humanitatis nomen accepit. »

XV. Vicissim autem quæ sunt divinæ propria naturæ, in humanam conferri, sic ibidem docere pergit Augustinus [5]. « Item si quæramus, *ait*, Quisnam sit factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; rectissime respondetur : Ille qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. Ergo et ista humanitas illius divinitatis nomen accepit. » Atque, ut apud Euthymium quidam ex antiquis Patribus affirmat, « (3) Humanæ quidem naturæ fines non excessit : verum vivifica facta est, et omnipotens, et omniscia. » Illud vero singulare, ac plane stupendum, quod scribit Cyrillus : « (4) Sanctum ipsum Spiritum proprium esse Filii, non solum qua Verbum est, quod ex Patre prodiit, sed etiam, si cogitetur similis nostri homo factus, neutiquam divinitatis proprietatibus, tanquam in natura propria, destitutus. » Tum in reliquis, « (5) Proprie, *inquit*, carni divinæ largitur operationis gratiam, cum et ipsam carnem, suam faciat, et propter dispensatoriam unitionem, propriæ naturæ illam attribuat. »

Hoc modo. « (6) Natura hominis, immutabilitatem, et in eodem statu manendi perpetuitatem habere dicitur : tametsi mutationi subjecta per sese est, et ei præ ceteris, qua ex non extantibus, ad hoc ut sit, vivatque, perducitur. » Hanc vero dotem immutabilitatis propriam divinæ naturæ, cum humana communicari probat idem Cyrillus ex eo, quod Apostolus scripsit [6] : *Jesus Christus heri et hodie, ipse et in secula.* Unde etiam æternitas ipsa, quæ Deo utique simplex, et absoluta, magis quodammodo proprie convenit, in humanam intelligitur refusa naturam. Quo illa pertinent, quæ Christus de seipso profitetur [7]: *Antequam*

(1) CYRILL. epist. 2. ad Nestor. pag. 23. E. Οὕτω φαμὲν αὐτὸν καὶ παθεῖν, καὶ ἀναστῆναι. Οὐχ ὡς τοῦ Θεοῦ Λόγου παθόντος εἰς ἰδίαν φύσιν, ἢ πληγὰς, ἢ διατρήσεις ἥλων, ἤγουν τὰ ἕτερα τῶν τραυμάτων. Ἀπαθὲς γὰρ τὸ θεῖον, ὅτι καὶ ἀσώματον.

(2) Idem lib. 2. in Joan. pag. 151. Φοβεῖται δὲ, καὶ πτοεῖται, καὶ ἀδημονεῖ κατὰ τὸν τοῦ πάθους καιρὸν, καὶ ὡς αὐτὸς παθὼν ἀναγέγραπται τὰ μόνῃ τῇ ἀνθρωπότητι πρέπον τὰ πάθη.

(3) EUTH. Panop. tit. 7. pag. 143. lat. Καὶ τῶν μὲν ὅρων τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως οὐκ ἐξέστη· γέγονε δὲ ζωοποιὸν, καὶ παντοδύναμον, καὶ πάντα εἰδός.

(4) CYRILL. de recta fide ad Theod. in Eph. syn. p. 46. Ἄραρεν οὖν, ὅτι καὶ ἴδιόν ἐστι τὸ Πνεῦμα τοῦ Υἱοῦ, καὶ οὔ τί που μόνον ᾗ Λόγος ἐστὶ πεφηνὼς ἐκ Πατρὸς, ἀλλ' εἰ καὶ νοοῖτο καθ' ἡμᾶς ἄνθρωπος γεγονὼς, οὐ τῶν τῆς θεότητος ἰδιωμάτων, ὡς ἐν ἰδίᾳ φύσει, λειπόμενος.

(5) Ibid. Παρὰ δ' οὖν ὅμως ἰδεῖν χαριζόμενον μὲν τῇ ἰδίᾳ σαρκὶ τῆς θεοπρεποῦς ἐνεργείας τὴν δόξαν, οἰκειούμενον δ' αὖ τὴν σάρκα, καὶ τῇ ἰδίᾳ περιτιθέντα φύσει.

(6) Ibid. pag. 49. Πῶς δ' ἂν ἔχῃ τὸ ἄτρεπτόν τε, καὶ τὴν ἐν ταυτότητι διαμονὴν ἡ ἀνθρώπου φύσις, καί τοι κίνησιν ὑπομένουσα καὶ πρό γε τῶν ἄλλων, τὴν ἐξ οὐκ ὄντων εἰς τὸ εἶναι, καὶ ζῆν.

[1] Aug. in Ps. 130. p. 622. C. — [2] Lib. 3. ad Tras. c. 8. — [3] Lib. con. Ser. Arian. c. 8. p. 276. B.

[4] Phil. 4. 6. — [5] Aug. ib. — [6] Hebr. 13. 8. — [7] Joan. 8. 57.

Abraham fieret, ego sum. Et [1], *Clarifica me, tu, Pater, apud temetipsum, claritate, quam habui priusquam mundus esset, apud te.* Nec non quod Judas apostolus ait [2], *Jesum populum de terra Ægypti salvantem, secundo eos qui non crediderunt perdidisse.*

XVI. Indidem quoque fit, ut, quod Joannes Damascenus affirmat, « (1) dicere possimus : Hic homo increatus est, et impatibilis, et incircumscriptus, etc. » Tum etiam, « Altissimus, » uti disputat Facundus in primo libro [3]. « Nihil, inquit Bernardus [4], Deo sublimius, nihil vilius limo : et tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaque dignitate limus ascendit ad Deum, ut quidquid in eo Deus fecit, limus fecisse credatur; quidquid limus pertulit, Deus in illo pertulisse dicatur, tam ineffabili, quam incomprehensibili sacramento. » « Nemo itaque (ut Capreoli Carthaginensis verbis [5] hunc locum absolvam) sacrilego spiritu audeat separare, quod videt in cœlo et terra unitate inseparabili permanere. Sicut enim ab omnipotentia deitatis homo Christus Jesus esse non potest alienus : ita et ab his, quæ in hominem, vel circa hominem gesta sunt, separari non potest Deus. Natus est ergo homo qui nondum fuerat, quia Verbum caro factum est, et inhabitavit in nobis. Simili modo passus est impassibilis per passibilem, quem suscepit, et immortalis mortuus est ; et qui nunquam moritur, resurrexit. Neque enim vel in passione defuit illi homini Deus ; alioquin non est dominus gloriæ crucifixus. »

Nondum hæc arcana capiebat Arnobius in libro primo contra Gentes, quando Christianos illudentibus ethnicis, quod *Christus more hominis est interemptus,* ita respondet : « Non ipse ; neque enim cadere divinas in res potest mortis occasus : nec interitionis dissolutione dilabi id, quod est unum et simplex, nec ullarum partium congregatione compactum. Quis est ergo visus in patibulo pendere ? quis mortuus est ? Homo quem induerat, et secum ipse portabat. Incredibile dictu est, et cæcis obscuritatibus involutum. Si velis, non cæcum est, et similitudini proxime constitutum. Si quo tempore Sibylla præsaga oracula illa depromens fundebat, vi, ut dicitis, Apollinis plena, ab impiis esset cæsa, atque interempta latronibus, numquid Apollo diceretur in ea esse occisus ? etc. Mors illa, quam dicitis, assumpti hominis fuit, non ipsius : gestaminis, non gestantis. » Sic enim viri docti recte legendum adnotarunt. At ista Pauli Samosateni sapiunt hæresim, quæ fuit postea Nestorii.

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

Colliguntur ex antiquis Patribus regulæ duodecim communionis proprietatum ; quæ ejus usum, ac vim rationemque continent, ac dirigunt.

I. Quid sit mutua communicatio proprietatum, ac quibus ex causis oriatur, hucusque diximus : tum usum insuper illius, veterum ex theologorum dictis, ac sententiis approbavimus. Nunc ex eorumdem antiquorum decretis certas cautiones seligemus, ac regulas, ad quas communionis illius exigenda, et moderanda tractatio est.

Harum cautionum primam nobis ex Cyrillo conficiemus, qui proprietates naturarum duarum, et earum indices voces partiri vetat, et in duos, quasi disjunctos, ac separatos dividere ; sed uni et eidem attribuere jubet, personæ scilicet, vel hypostasi. Huc spectat anathematismus illius quartus, et ejus interpretatio ; tum vero propugnatio adversus Orientales, et alia ejusdem loca pleraque [6]. Verum animadvertendum est, quod illis in locis observat, triplex vocum genus esse, quæ de

(1) DAM. lib. 3. cap. 4. Κατὰ τοῦτο δυνάμεθα εἰπεῖν ἐπὶ Χριστοῦ· καὶ ὁ ἄνθρωπος οὗτος, ἄκτιστός ἐστι : καὶ ἀπαθὴς, καὶ ἀπερίγραπτος,

[1] Joan. 1. 7. 5. — [2] Jud. 5. — [3] Cap. 4. pag. 34. — [4] Bernar. Serm. 3. de vig. Nat. col. 44. — [5] Capr. Carth. in Opusc. dogm. pag. 47. — [6] In ep. 2. ad Nestor. ep. ad Aca. tom. 5. par. 2. p. 117. et 2. ad Success. p. 147. et seq. et Excerp. lib. 7. et 8. in Jo. p. 667. et 2. cont. Nest. p. 73.

Christo Domino dicuntur in Scripturis, vel a sanctis Patribus. Aliæ sunt θεοπρεπεῖς, hoc est soli divinitati congruentes, ut hæc [1] : *Ego in Patre, et Pater in me est.* Item [2] : *Ego et Pater unum sumus.* Aliæ sunt humanæ penitus ; ut ista [3] : *Nunc autem quæritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo.* Aliæ sunt mediæ utrique naturæ convenientes, ut cum scribit Apostolus [4] : *Jesus Christus heri et hodie, ipse et in secula,* necnon illud : *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula* : et si qua sunt alia, quæ naturarum duarum proprietates continent. Hujusmodi ergo voces, et quæ iis significantur, propria Dei et hominis, post amborum copulationem separari prohibet Cyrillus, ac divisim alias homini tribui, alias Deo, sive Dei filio seorsim, et hominis filio : sed uni et eidem accommodari in utraque natura subsistenti pariter et loquenti. Quod adversus Nestorianam perfidiam potissimum ille sanxit, ad quam refellendam anathematismus ejusdem quartus pertinet, a nobis superiori capite memoratus : in quo perspicuum est, solam ab Cyrillo personæ singularitatem asseverari, non autem naturæ, ut calumniatus est Nestorius, et post eum populares ipsius Antiocheni, et Orientales, de quibus alias dicemus, cum de anathematismis illis agetur. Atque hæc regula facile ex illis intelligetur, quæ toto hoc libro de naturis duabus, et earum conjunctione disputata sunt. De vocum autem differentia, quæ Christo diversa ratione tribuuntur, lege Joannem Damascenum libro quarto, capite decimo nono, de quibus etiam postea nos verba facturi sumus, cum locutiones expendemus, quæ ad Incarnationis enarrandum sacramentum adhibentur.

II. Altera cautio ex hac priore consequens est hujusmodi : Nonnunquam totus Christus ab una natura, ejusque proprietatibus denominari solet ; interdum a duabus. Notatum hoc ab Joanne Damasceno est in capite tertio libri tertii, ubi de ἀντιδόσει, id est *communicatione proprietatum,* agit. « (1) Quando, *inquit,* ex naturis compositam hypostasim consideramus, interdum ab utroque Christum denominamus ; velut Deum, et hominem simul, necnon Deum incarnatum : alias ab una tantummodo parte, Deum duntaxat, et Dei filium, vel hominem tantum, et hominis filium. Nonnunquam ab solis sublimibus denominamus, aliquando vero ab solis humilibus. Unus enim est, qui et hoc, et illud similiter existit. »

Tum hoc deinceps addit haud exigui momenti : « (2) Sive ab utroque denominemus, sive ab una tantum parte compositam illam Christi hypostasim, nihilominus ambarum naturarum illi proprietates attribui. Etenim Christus, qui utrumque est, et Deus, et homo dicitur, et creatus, et increatus, patibilis, et impatibilis. Et cum ab una parte duntaxat appellatur, puta filius Dei, ac Deus, ejus naturæ, qua cum subsistit, proprietates recipit, videlicet carnis ; uti Deus patibilis nominetur, et Dominus gloriæ crucifixus, non qua Deus est, sed qua idem est homo. Item quando homo, et filius hominis dicitur, divinæ substantiæ proprietates, ac decora recipit ; atque ita vocatur, puer ante secula, et homo initio carens, non quatenus puer est et homo, sed quatenus Deus æternitate anterior novissimis temporibus puer est factus. » Atque hic modus est communicationis, sive *permutationis proprietatum.* Qui totus locus apud Cyrillum legitur in pseudepigrapho libro de Trinitate [5] ; ut et reliqua fere libri istius ex Damasceno collecta sunt.

III. Hanc eamdem regulam tradit Joannes Chrysostomus ad illa Joannis [6] : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo.* Ad quæ Chrysostomus, « (3) Filium, *inquit,* hominis non hic carnem vocavit, sed ab inferiore substantia modo seipsum totum, ut sic loquar, appellavit.

(1) DAMASC. pag. 180. Ὅτε δὲ τὴν ἐκ τῶν φύσεων συντεθεῖσαν ὑπόστασιν (ἀναθεωροῦμεν) ποτὲ μὲν ἐκ τοῦ συναμφοτέρου Χριστὸν ὀνομάζομεν, καὶ Θεὸν, καὶ ἄνθρωπον κατὰ ταὐτὸν, καὶ Θεὸν σεσαρκωμένον· ποτὲ δὲ ἐξ ἑνὸς τῶν μερῶν, Θεὸν μόνον, καὶ Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ ἄνθρωπον μόνον, καὶ Υἱὸν ἀνθρώπου. Καὶ ποτὲ μὲν ἐκ τῶν ὑψηλῶν μόνον, ποτὲ δὲ ἐκ τῶν ταπεινῶν μόνον. Εἷς γάρ ἐστιν ὁ κἀκεῖνο, καὶ τοῦτο ὁμοίως ὑπάρχων.

(2) Ibid. Ἐπὶ δὲ τῆς ὑποστάσεως κἂν ἐκ τοῦ συναμφοτέρου, κἂν ἐξ ἑνὸς τῶν μερῶν ταύτην ὀνομάσωμεν, ἀμφοτέρων τῶν φύσεων τὰ ἰδιώματα ταύτῃ ἐπιτίθεμεν. Καὶ γὰρ ὁ Χριστὸς, ὅπερ ἐστὶ συναμφότερον, καὶ Θεὸς, καὶ ἄνθρωπος λέγεται, καὶ κτιστὸς, καὶ ἄκτιστος, καὶ παθητὸς καὶ ἀπαθής· καὶ ὅταν ἐξ ἑνὸς τῶν μερῶν, Υἱὸς Θεοῦ, καὶ Θεὸς ὀνομάζηται, δέχεται τὰ τῆς συνυφεστηκυίας φύσεως ἰδιώματα, ἤτοι τῆς σαρκὸς, Θεὸς παθητὸς ὀνομαζόμενος, καὶ Κύριος τῆς δόξης ἐσταυρωμένος οὐ καθ' ὃ Θεὸς, ἀλλὰ καθ' ὃ καὶ ἄνθρωπος ὁ αὐτός. Καὶ ὅταν ἄνθρωπος, καὶ Υἱὸς ἀνθρώπου ὀνομάζηται, δέχεται τὰ τῆς θείας οὐσίας ἰδιώματα, καὶ αὐχήματα· παιδίον προαιώνιον, καὶ ἄνθρωπος ἄναρχος, οὐ καθ' ὃ παιδίον, καὶ ἄνθρωπος, ἀλλὰ καθ' ὃ Θεὸς ὢν προαιώνιος γέγονεν ἐπ' ἐσχάτων παιδίον. Καὶ οὗτός ἐστιν ὁ τρόπος τῆς ἀντιδόσεως.

(3) CHRYS. hom. 27. in Joan. pag. 662. Υἱὸν δὲ ἀν-

[1] Jo. 14. 10.— [2] Jo. 10. 30.— [3] Jo. 8. 39.— [4] Hebr. 13. 8.

[5] To. 5. Par. 1. oper. Cyr. p. 33. — [6] Joan. 3. 13.

Sic enim loqui consuevit, ut sæpe a divinitate, sæpe ab humanitate totum nominet. » Theophylactus quoque [1] similiter non carnem ibi significari dicit, ne cum Apollinari corpus e cœlo delapsum putetur [2] : sed cum una sit hypostasis, sive persona una composita ex duabus naturis, propria vocabula hominis de Verbo dici ; ac vicissim quæ Verbi propria sunt, homini tribui.

Habet et Cyrillus illam ipsam regulam in libro ad Theodosium [3], eamque declarat similitudine hominis, qui modo carnis solius, modo animæ vocabulo totus exprimitur : « (1) Sic igitur et Christus in sacris litteris prædicatur, interdum quidem sic, tanquam totus sit homo, tacita ipsius divinitate, quod dispensatione quadam usurpatur ; alias tanquam Deus, nulla humanitatis facta mentione. In quo nulla ei fit injuria, propter amborum in unitate concursum. »

Gregorius item Nyssenus in libro quinto adversus Eunomium [4], observat plerumque solius humanæ naturæ nomine totum affici Christum, ac vicissim alterutrius in alteram vocabula transferri, quo ex loco capite antecedenti nonnulla delibavimus [5].

Leontius denique in libro primo contra Nestorium et Eutychem [6], « Nos, *inquit*, secundum scriptum, et speculationes a Patribus traditas, sæpe totum ex parte, et partem nomine totius afficimus, cum Verbum filium hominis nominamus, et Dominum gloriæ crucifixum confitemur. Sed non propterea communicatione idiomatum tollimus propriam rationem proprietatis alterutrius in eodem. »

IV. Tertiam his regulam subjicimus, quæ ad depellendas hæreticorum cavillationes magno est usui : De eadem Christi persona propter et naturarum numerum, et unitatem personæ, contraria κατηγορήματα interdum enuntiari. Quod « (2) imprimis admirabile esse » dicit Athanasius ; « ut idem et pateretur, et non pateretur. Nam patiebatur eatenus, quod proprium ejus corpus pateretur, et in patiente inerat ; non patiebatur autem, quod natura Deus sit Verbum, impatibile sit. »

Affertur, et ab Euthymio alius Athanasii locus ex libro contra Valentinum hæreticum, ubi hac illum cautione refellit. Quod enim Scriptura Dominum gloriæ passum dicit, ac Dei filium et Deum : quod e cœlo descendisse asserit, et alia ejusdem generis, nec non iis contraria : id eo fieri affirmat « (3) quod cum duplex sit secundum naturas Christus, et hypostasi singularis, utriusque propria naturæ sua facit. » Ac demum regulæ istius usum commendat. « (4) Nisi enim unumquodque consentanee, *inquit*, intellexerimus, contradicentem sibi faciemus Apostolum. Quomodo enim per omnia terrenis nobis similis erit ? aut quomodo frater erit noster, qui cœlesti carne sit indutus ? Sed et alia infinita sequentur absurda. »

Sic in Ephesina synodo citatus Gregorius Nyssenus quamplurima generis illius ἐναντιώματα colligit. « (5) Vita, *inquit*, mortem degustat : judex ad judicium agitur : vitæ eorum omnium quæ sunt, dominus, judicis sententia damnatus dicitur. »

Atticus Constantinopolitanus ibidem : « (6) Carnis, *inquit*, expers propter te incarnatur : Verbum caro factum est ; qui sub tactum non cadit, quia natura incorporeus est, tangitur ; qui sine initio est, sub initium corporeum redigitur ; perfectus, augescit ; immutabilis,

θρώπου ἐνταῦθα οὐ τὴν σάρκα ἐκάλεσεν· ἀλλ' ἀπὸ τῆς ἐλάττονος οὐσίας ὅλον ἑαυτὸν, ἵν' οὕτως εἴπω, ὠνόμασε νῦν. Καὶ γὰρ τοῦτο ἔθος αὐτῷ, πολλάκις μὲν ἀπὸ τῆς θεότητος, πολλάκις δὲ ἀπὸ ἀνθρωπότητος τὸ πᾶν καλεῖν.

(1) Cyr. in Eph. syn. pag. 40. Κηρύττεται δὲ καὶ διὰ τῶν ἱερῶν γραμμάτων, ποτὲ μὲν, ὡς ὅλος ὢν ἄνθρωπος, σεσιωπημένης αὐτοῦ τῆς θεότητος οἰκονομικῶς· ποτὲ δὲ αὖ πάλιν ὡς Θεὸς, σεσιωπημένης αὐτοῦ τῆς ἀνθρωπότητος. Ἀδικεῖται δὲ καθ' οὐδένα τρόπον, διὰ τὴν ἀμφοῖν εἰς ἑνότητα σύμβασιν.

(2) Athan. in epist. ad Epict. pag. 457. Καὶ ἦν παραδόξον, ὅτι αὐτὸς ἦν ὁ πάσχων, καὶ μὴ πάσχων μὲν, ὅτι τε ἴδιαν αὐτοῦ ἔπασχε σῶμα, καὶ ἐν αὐτῷ τῷ πάσχοντι ἦν. Μὴ πάσχων δὲ, ὅτι τῇ φύσει Θεὸς ὢν ὁ Λόγος, ἀπαθής ἐστι.

(3) Athanas. apud Euth. Pan. tit. 9. pag. 180. lat. Πρὸς οὕς ἐροῦμεν, ὅτι ἐπεὶ διπλοῦς ὢν ταῖς φύσεσιν ὁ Χριστὸς, μοναδικὸς δὲ τὴν ὑπόστασιν, ἰδιοποιεῖται τὰ τῆς ἑκατέρας φύσεως.

(4) Ibid. Εἰ γὰρ μὴ νοήσωμεν ἕκαστον οἰκείως, ἐναντιολογίᾳ ὑποβαλοῦμεν τὸν Ἀπόστολον. Πῶς γὰρ κατὰ πάντα ὅμοιος ἡμῖν τοῖς γηΐνοις ; πῶς δὲ ἀδελφὸς ἡμῶν ὁ σάρκα οὐρανίαν περιβεβλημένος ; ἀλλὰ δὲ μυρία ἄτοπα ἕψεται.

(5) Greg. Nyss. in Eph. syn. par. 2. act. 1. pag. 272. Ἡ ζωὴ θανάτου γέυεται· ὁ κριτὴς εἰς κριτήριο ἄγεται· ὁ τῆς ζωῆς τῶν ὄντων Κύριος ἐπὶ τῇ ψήφῳ τοῦ δικάζοντος ἄγεται.

(6) Ibid. Ὁ ἄσαρκος διά σε σαρκοῦται. Ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο· ὁ ἀφῇ μὴ ὑποπίπτων διὰ τὸ τῆς φύσεως ἀσώματον, ψηλαφᾶται· ὁ ἄναρχος ὑπὸ ἀρχὴν γίνεται σωματικήν· ὁ τέλειος αὔξει· ὁ ἄτρεπτος προκόπτει.

[1] In cap. 3. Joan. — [2] Vide lib. nostrum 1. c. 6. § 9. — [3] In Eph. Syn. p. 37. F. et seq.

[4] Pag. 168. tom. 2. — [5] § 8. et 9. — [6] To. 4. Bib. 964. B.

proficit. » Ita Sophronius Hierosolymitanus patriarcha, « (1) eumdem *ait* sub aspectum non cadere, et aspectabilem esse : eumdem creatum, et increatum ; eumdem esse corpus, et expertem corporis ; attrectabilem eumdem et non attrectabilem ; circumscriptum eumdem, et incircumscriptum ; terrenum eumdem, et cœlestem. »

V. Sic Ambrosius [1] : «Idem, *ait*, patiebatur, et non patiebatur : moriebatur, et non moriebatur ; sepeliebatur, et non sepeliebatur ; resurgebat, et non resurgebat. »

Et Augustinus in Enchiridio [2], «Ac per hoc, et minor est factus, et mansit æqualis ; utrumque unus etc. Unus Dei filius, idemque hominis filius; unus hominis filius, idemque Dei filius. »

Fulgentius quoque libro de Incarnatione [3] : « Idem unus est, qui initium non habet, æternus Deus generatus ex Patre, et qui initium habet temporaliter secundum carnem ; idem Deus homo creatus ex Virgine, unus unigenitus Dei filius ex æternitate divinitatis, et ex initio carnis. »

Et alibi [4] : « Hinc incomprehensibilis in cruce, inviolabilis in vulnere, impassibilis in passione, immortalis prædicatur in morte. »

Toletana quoque synodus 14 [5]: « Ipse vivit moriens, *inquit*, ipse moritur vivens ; ipse impassibilis patiens, ipse passioni non subjacens, etc. » Vincentius Lirinensis capite 19. « Unus, *inquit*, idemque Christus Deus, et homo ; idem non creatus, et creatus ; idem incommutabilis, et impassibilis ; idem commutatus, et passus ; idem Patri æqualis, et minor. »

Gregorius item papa, libro Moralium 18. capite 27. « Ipse est æternus ex Patre, ipse temporalis ex matre, ipse qui fecit, ipse qui factus est, etc. Ipse ante secula de patre sine matre ; ipse in fine seculorum de matre sine patre ; ipse conditoris templum, ipse conditor templi ; ipse auctor operis, ipse opus auctoris. » Vigilius libro quinto contra Eutychen, « Christus, *inquit*, ipse, unus, atque idem est, et creatus, et non creatus ; habens initium, et initio carens, ætate atque intellectu proficiens, et intelligentiæ, ætatisque augmenta non recipiens ; mortem perpetiens, et mortis legibus non subjacens ; honores ob meritum accipiens, et nullo honore indigens, et cum hæc omnia diversa sint in seipsa, ipsius tamen sunt propria, et ideo voces, affectus, et gesta utrique rei congruentia in seipso non dividit. »

Hac Scripturarum ignorata, vel callide dissimulata consuetudine, in contrarias hæreses dilapsi sunt Nestorius, et Eutyches hoc in Verbi incarnati negotio ; itidem ut in Trinitate, Arius et Sabellius. Nam ut isti sententias illas consectati, quæ Dei filium, aut a Patre prorsus distinctum, et quasi separatum, aut vicissim ei quam arctissimo nexu colligatum adstruebant, sic ut confundere viderentur, dissimiliter de illo sentiendi causas inde sumpserunt ; sic illi adversantia sibi in speciem dicta de Deo et homine Christo, in diversorum, et ex æquo pestilentium errorum occasionem usurparunt. « Deus ergo idcirco tibi, ait contra Arianos Hilarius libro quinto, Christus non est, quia qui erat, nascitur : quia qui indemutabilis est, crescit ætate : quia impassibilis patitur : quia vivens moritur : quia mortuus vivit : quia omnia in eo contra naturam sunt. » Quocirca uti prioribus, adhibita consentanea regula, suo loco consuluimus : ita posterioribus tum hæc tertia, tum vero sequens cautio medebitur.

VI. Quarta igitur in illa consideranda proprietatum permutatione, regula ex antiquis theologis hunc in modum concipitur ; ex Leonis magni verbis in tomo, sive epistola ad Flavianum, quam pro fidei tessera, et quasi symbolo, præ se Catholicum omne nomen habuit post exorta de Incarnatione dissidia. « Quamvis, *inquit* [6], in Domino Jesu Christo, Dei et hominis una persona sit, aliud tamen est, unde contumelia in utroque communis : aliud, unde communis est gloria. De nostro enim illi est minor Patre humanitas : de Patre illi est æqualis cum Patre divinitas. » Ex hac regula primum Leo ipse in eodem capite ista scribit, quæ Græcorum passim usu celebrantur : « Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium est ; Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est : unum horum coruscat miraculis; aliud succumbit injuriis, » quod deinceps uberius enarrare pergit.

(1) SOPHRON. act. 11. Syn. 6. pag. 168. Ὁρατὸν τὸν αὐτὸν, καὶ ἀόρατον· κτιστὸν τὸν αὐτὸν ὡσαύτως καὶ ἄκτιστον· σῶμα τὸν αὐτὸν, καὶ ἀσώματον· ἁπτὸν τὸν αὐτὸν καὶ ἀνέπαφον· περιγραπτὸν τὸν αὐτὸν, καὶ ἀπερίγραφον· ἐπίγειον τὸν αὐτὸν καὶ οὐράνιον, etc.

[1] Amb. de Incarn. c. 5. — [2] C. 35. — [3] C. 10. — [4] Lib. 3. ad Tras. cap. 8.

[5] To. 5. Concil. pag. 402. num. 8. — [6] Leo ep. 10. cap. 4. line.

Gregorius vero Nyssenus in libro quinto contra Eunomium, docet Apostolum diligenter hominem simul et Deum commendare Christum, salvis utriusque naturæ proprietatibus, ut « (1) cum mediatorem Dei et hominum, ac Deum et hominem illum vocat: ut eo ipso, quod duo de uno prædicantur, in utroque quod congruens est intelligatur: in divinitate quidem impatibilitas, in humanitate vero dispensatio passionis. »

Huc referendus est locus ille, qui ex Nicænæ synodi expositione fidei contra Paulum Samosatenum supra capite 13. a nobis est excriptus[1], in quo ita Christus totus Deus etiam cum corpore prædicatur, ut tamen non sit Deus secundum corpus: ac totus item homo etiam cum divinitate dicitur, ut tamen non sit homo secundum divinitatem: idem adorandus etiam cum corpore, non tamen secundum corpus; et cetera, quæ sigillatim persequitur: in quibus regula hæc nostra conspicitur, eaque formula, quam paucis Leo papa perstrinxit proxime a nobis citatus, cum dicit: « Agere utramque formam cum alterius communione quod proprium est. »

Rursus idem Gregorius Nyssenus præclare eamdem regulam adhibet ad convincendam, refellendamque perfidiam Eunomii, sub finem quarti libri: ubi ita temperatam cum divinitate carnem Christi esse scribit, ut tamen incorruptas servet natura utraque proprietates, et distinctas; secundum quas quæ sunt cuique congrua tribuuntur, sine ulla confusione. Hunc locum Gregorii libro sequenti reservabimus, cum de natura hominis in Christo separatim agemus.

VII. Cyrillus in hanc ipsam regulam conspirat; quanquam eo nomine vexatus, ac traductus ab æmulis, tanquam naturæ cuique propria minus distingueret. Hic ergo cum in anathematismo quarto, diversas, ac dissimiles voces, quæ de Christo in Scripturis traduntur, non duobus, sed uni duntaxat imputandas esse sanxisset; in explicatione mox ejusdem anathematismi declarat, (2) hanc sibi fuisse mentem, ut, quoniam unus Deus, ac Dei filius homo factus, et incarnatus est, quoties ipse de se Christus humani quippiam affirmat, id humanitatis modulo, conditionique tribuatur: ac similiter cum divinum aliquid usurpat, divinitati istud arrogetur.

Sic adversus Orientales eumdem propugnans anathematismum, (3) non aliter interpretandum illum docet, quam ut uni voces istæ diversarum naturarum indices sic attribuantur, ut sua cuique propria concedatur.

Idipsum diserte quoque, et catholice Joannes Antiochenus in epistola ad Cyrillum scripta professus est: quam epistolam ineundæ concordiæ gratia per Paulum Emesenum, communi Orientalium nomine, misit Alexandriam. In ea de diversis illis vocibus, earumque distributione, veram et sinceram Ecclesiæ catholicæ fidem expromit sic: « (4) Porro evangelicas, et apostolicas de Domino voces scimus a theologis alias communiter tribui, tanquam uni personæ, alias dividi, velut in duabus naturis: ac quæ Deo congruunt, ad Christi divinitatem: humiles vero, ad ejusdem humanitatem referre solere. »

Quæ Orientalium professio non mediocres turbas concitavit. Non enim illa solum hæreticis displicuit, quos Ecclesiarum concordia minime delectabat: sed etiam Catholicos offendit aliquos, qui ab Nestoriana hæresi plurimum abhorrentes, non probabant illam qualemcumque vocum divisionem; tanquam personas esse duas inde sequeretur. Ex quo etiam adversus Cyrillum gravis exorta est invidia, quod talem professionem approbasset: ac plurimis ad diversos litteris scriptis, hanc a se calumniam depellere necesse habuit. Extat illius ad Joannem epistola, qua missam ad sese formulam istam fidei magnopere collaudat. Tum ad Acacium Melitinensem, qua seipsum, et Orientales excusat. Item ad Successum se-

(1) GREGOR. Nyssen. tom. 2. pag. 167. D. Μεσίτην αὐτὸν Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, καὶ ἄνθρωπον καὶ Θεὸν ὀνομάζων· ἵν' ἐκ τοῦ τὰ δύο περὶ τὸ ἓν λέγεσθαι, τὸ πρόσφορον νοοῖτο περὶ ἑκάτερον· περὶ μὲν τὸ θεῖον, ἡ ἀπάθεια· περὶ δὲ τὸ ἀνθρώπινον, ἡ κατὰ τὸ πάθος οἰκονομία.

(2) CYRILL. in declar. anath. 4. tom. 6. pag. 150. Ὥστε κἂν λέγῃ τι τῶν ἀνθρωπίνων, τοῖς τῆς ἀνθρωπότητος αὐτοῦ μέτροις καταλογιούμεθα τὰ ἀνθρώπινα· αὐτοῦ γὰρ πάλιν καὶ τὸν ἐνανθρωπήσαντα, πάλιν ὡς ἑνὶ Χριστῷ, καὶ Υἱῷ τὰς ὑπερ ἀνθρώπου φύσιν προσνεμοῦμεν φωνάς.

(3) Idem cont. Orient. pag. 172. Οὐκ ἠγνοηκότες μὲν ἁλωσόμεθα τὴν οἰκονομίαν, καὶ τὴν ἑκάστῃ φύσει πρέπουσαν φωνήν.

(4) JOAN. Antioch. in Eph. synod. par. 3. p. 588. F. Τὰς δὲ Εὐαγγελικὰς, καὶ Ἀποστολικὰς περὶ τοῦ Κυρίου φωνὰς ἴσμεν τοὺς θεολόγους ἄνδρας τὰς μὲν κοινοποιοῦντας, ὡς ἐφ' ἑνὸς προσώπου, τὰς δὲ διαιροῦντας, ὡς ἐπὶ δύο φύσεων· καὶ τὰς μὲν θεοπρεπεῖς κατὰ τὴν θεότητα τοῦ Χριστοῦ· τὰς δὲ ταπεινὰς κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα αὐτοῦ παραδιδόντας.

[1] § 9.

cunda ejusdem argumenti : et commonitorium ad Eulogium : in quo Orientales procul abesse docet ab Nestoriana blasphemia, ac duarum personarum asserendo discrimine, tametsi vocum, quæ de Christo dicuntur, differentiam agnoscant. « (1) Nam aliud est, *inquit,* vocum nosse discrimen, aliud easdem in duas personas dividere tanquam diversas. » Ex quibus apparet, quanti momenti sit habenda nostra hæc animadversio atque regula, in qua vindicanda tantum sudavit Cyrillus.

Auctor expositionis fidei, quæ Justino perperam adscribitur, de contrariis vocibus unum in Filium collatis simile dat præceptum. « (2) Quando contrarias, *ait,* de uno Filio voces audies, congruenter ea, quæ dicuntur, naturis distribue : ut si quid amplum, ac divinum est, assignes divinæ naturæ ; sin parum est, et humanum, naturæ hominis adscribas. Hoc enim modo tum vocum dissonantiam evitabis, dum unaquæque quod insitum sibi est natura recipit : tum unum Filium et ante secula, et recens editum secundum divinas Scripturas confiteberis. »

VIII. Mos est autem antiquorum fere Patrum, ad hæreticas cavendas versutias, cum quæ uni naturæ convenientia, aliena autem ab altera, de Christo prædicant, nominatim eam concipere, cujus illa propria sunt, et propter quam de illo toto dicuntur : præsertim cum indecora, et indigna tanta majestate in sermonem incidunt. Cui serviunt istæ voculæ, κατὰ, ut κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, Latinis *secundum ;* vel, ὡς, ut ὡς ἄνθρωπος, *qua homo ;* vel *tanquam* ; et similes aliæ. Sic *passus carne,* vel *secundum carnem,* vel *quatenus homo,* identidem Christus dicitur. Cyrillus in epistola ad Valerianum : « (3) Ea quæ sunt carnis suæ propria sibi necessario faciens, passus esse dicitur quæ secundum carnem acciderunt, quamvis patiendi esset expers, quatenus Deus intelligitur. »

Maximus martyr in opusculo quodam ad Joannem cubicularium nondum edito, « (4) Christum *ait,* secundum naturam, et substantiam, quam habet cum Patre communem, et esse increatum, invisibilem, incircumscriptum, immutabilem, conversionis expertem, impatibilem, incorruptum, immortalem, omnium opificem ; at secundum carnis ipsius, nostramque naturam, eumdem esse creatum, patibilem, circonscriptum, comprehensibilem ; eumdem quidem, sed non secundum idem, propter illa, ex quibus, et in quibus habet esse. »

Sic Ambrosius [1], « Ut homo loquitur, ut homo turbatur, ut homo flet, ut homo crucifigitur. » Et alibi [2], « Resurgebat igitur secundum carnem, quæ mortua resurrexit : non resurgebat secundum Verbum, quod non resolutum fuerat in terram, sed apud Deum semper manebat. Ergo et moriebatur secundum nostræ susceptionem naturæ, et non moriebatur secundum æternæ substantiam vitæ, etc. »

Hilarius in libro decimo, late naturarum propria duarum, et quæ singulis tribuenda sint, explicat, et inter alia : « Per hoc ergo et de cœlo descendit, et filius hominis est, et in cœlis est ; quia Verbum caro factum non amiserat manere quod Verbum est. Nam dum Verbum est, et in cœlis est : dum caro est, et hominis filius est : dum Verbum est caro factum, et de cœlo est, et filius hominis est, et in cœlo est. » Quibus verbis summatim, et pulchre docet, quemadmodum et naturæ cuique sua concedantur ; et unus in se utraque recipiat Christus, sive *Verbum caro factum.* Vigilius quoque sub finem libri quinti contra Eutychen, ex eodem Hilario locum hunc refert : « Videsne, *inquit,* Deum, et hominem ita prædicari, ut mors homini, Deo vero carnis excitatio deputetur ? Naturam Dei in virtute resurrectionis intellige ; dispensationem hominis in morte cognosce : et cum sint utraque utriusque gesta naturis, unum tamen Jesum eum memento esse, qui utrumque est. »

Arnobius item in disputatione cum Sera-

(1) CYRILL. tom. 5. par. 2. pag. 134. Ἕτερον δέ ἐστι τὸ φωνῶν εἰδέναι διαφορὰν, καὶ ἕτερον τὸ μερίζειν δύο προσώποις, ὡς ἑτέρῳ, καὶ ἑτέρῳ.

(2) JUSTIN. pag. 299. Ὅταν οὖν ἀκούσῃς περὶ τοῦ ἑνὸς Υἱοῦ τὰς ἐναντίας φωνὰς, καταλλήλως μέριζε ταῖς φύσεσι τὰ λεγόμενα. Ἂν μέγα τι, καὶ θεῖον, τῇ θείᾳ φύσει προσνέμων· ἂν δέ τι μικρὸν, καὶ ἀνθρώπινον, τῇ ἀνθρωπίνῃ λογιζόμενος· οὕτω γὰρ καὶ τὸ τῶν φωνῶν ἀσύμφωνον διαφεύξῃ, ἑκάστης ἃ πέφυκε δεχομένης φύσεως· καὶ τὸν Υἱὸν τὸν ἕνα, καὶ πρὸ πάντων αἰώνων, καὶ πρόσφατον κατὰ τὰς θείας γραφὰς ὁμολογήσεις.

(3) CYR. tom. 5. par. 2. pag. 163. Οἰκειούμενος δὲ ἀναγκαίως τὰ τῆς ἑαυτοῦ σαρκὸς, παθεῖν λέγεται τὰ κατὰ σάρκα, καί τοι τοῦ παθεῖν ἀπείραστος ὢν, καθὸ νοεῖται Θεὸς.

(4) MAXIM. Καὶ κατὰ μὲν τὴν ἑαυτοῦ πρὸς τὸν Πατέρα φύσιν τε, καὶ οὐσίαν, ἄκτιστον, ἀόρατον, ἀπερίγραπτον, ἀναλλοίωτον, ἄτρεπτον, ἀπαθῆ, ἄφθαρτον, ἀθάνατον, δημιουργὸν τῶν πάντων· κατὰ δὲ τὴν τῆς σαρκὸς αὐτοῦ φύσιν, καὶ ἡμετέραν τὸν αὐτὸν κτιστὸν, παθητὸν, περιγραπτὸν, χωρητὸν, τὸν αὐτὸν μὲν, οὐ κατὰ τὸ αὐτὸ δὲ, διὰ τὰ ἐξ ὧν, καὶ ἐν οἷς τὸ εἶναι ἔχει.

[1] Lib. 2. de fide c. 2[illegible].

[2] Lib. de Incarnat. c. 5.

pione : « In unico filio Dei, *inquit*, duas esse substantias profiteor, et assigno. Habet per humanitatem, ut vere minor Patre sit : habet unde initium vere sumpsit ex tempore : habet unde vere sit impassibilis ; habet et unde passibilis extitit : habet unde vere immortalis sit : habet unde vere sit mortuus, et sepultus ; habet unde nunquam cessavit vivere ; vitam omnibus, qui vivunt, suo arbitrio dispensare, etc. »

Hispalense secundum concilium in actione tertiadecima, uberrime de hac re disputat, ac quæ de Christo diversa in Scripturis exponuntur, in humanam, divinamque naturam distribuit. Vide Ferrandum in epistola ad Anatolium [1].

IX. Theodoretus in Dialogo tertio : « (1) Ergo ut homo, passionem, *inquit*, sustinuit : ut autem Deus, passione superior mansit. »

Idem tamen Theodoretus observat, neque semper naturam exprimi, secundum quam de toto Christo aliquid dicitur : neque vero id necesse videri, quemadmodum cum homo dissimilibus e substantiis constet, propter quas multa de toto affirmantur homine, quæ unius de duabus partibus tantummodo propria sunt ; non tamen perpetuo nominatim fit ejus mentio, cujus gratia toti illi conveniunt. Non enim quando Scriptura caligasse refert Isaaci oculos, corporis meminit ; aut cum paralyticum a Christo curatum esse dicit, quæ pars ejus laboraverit, corpus, an anima, declarat. Id enim per se manifestum est. Sed absolute et Isaacus cæcutisse, et homo dissolutis membris fuisse dicitur. Eodem modo Christus simpliciter passus, ac mortuus esse fertur, et ab æterno extitisse : nec additur, qua sui parte, aut natura id illi conveniat ; quippe quod ratione utentibus facile succurrit. Sicut « et si diem dixeris, lucis rem ostendis, quæ diem præstat, licet non dixeris lucem, » ut ait Tertull. in Scorpiaco, cap. 9.

X. Quinta cautio nobis ex Vigilio suppetit, in libro contra Eutychen quinto : ubi animadvertit, in communicatione idiomatum, aliter *proprietatem*, aliter *communionem* earumdem vocum, et attributorum usurpari. Nam *proprium* cum dicimus, dandi casu utimur : velut proprium asserimus esse Christo mori : *commune* vero dicentes, non *illi*, sed *in illo* commune pronuntiamus. Sed Vigilium audiamus: « Adhuc dicamus manifestius, *ait*, propter eos, qui per imperitiam sensus, naturarum proprietatem, et communionem, quemadmodum dicatur in Christo, non intelligentes, abutuntur, et refugiunt hæc nomina. Diversum est, atque alienum, initium non habere, et ex initio subsistere : mori, et mori non posse. Et tamen sicut ipsi Christo proprium est utrumque, ita non ipsi, sed in ipso est utrumque commune. Si enim dicamus, quia ipsi est commune : necesse est, ut exigatur a nobis dare, et ostendere alium, cum quo ei sit hoc ipsum commune : quæ professionis necessitas in Nestorii vergit impium dogma. Melius igitur, et catholice dicimus, in ipso, et non ipsi esse commune. Et melius ipsi, et non in ipso dicimus proprium esse. Ergo proprium est illi mori, propter naturam carnis, quæ mortalis est : et proprium est illi non mori, propter naturam Verbi, quæ mori non potest. Item propter ineffabile mysterium unionis utrarumque naturarum, communis in ipso fuit mortalitas carnis Verbi naturæ, quæ mori non potuit : et communis in ipso est immortalitas Verbi naturæ carnis, quæ morti succubuit. Ergo sicut illi mori, et non mori, ex utrisque naturis est proprium ; ita commune est in ipso utrisque naturis, quod illarum est proprium. » Hic Vigilius, quæ sunt propria naturæ cujusque, Christo dici propria vult : communia vero, non ipsi Christo, sed in Christo : quia neminem alium habet Christus, quocum ei commune sit aliquid : siquidem, ut Cyrillus in defensione tertii anathematismi contra Orientales scribit : « (2) Quod commune dicitur, non uni commune esse potest, sed duobus saltem, aut etiam pluribus, seorsim, et per sese consideratis. » Atqui plures uno Christi non sunt.

XI. Sexta regula : Communicatio proprietatum sic in Christo fit, ut non *secundum formam*, sed *secundum materiam*, vel *subjectum*, quæ unius naturæ sunt, in censum alterius cedant, quod vulgo sic efferunt, *in sensu materiali*, vel *ratione subjecti* dici, non *sensu formali*. Itaque cum *homo Deus*, et *Deus homo*, sive *Verbum caro factum* dicitur, non sic intelligimus, ut hominis natura, sive forma ipsa, divinitatis naturam et proprietatem acceperit : et vicissim Deus in natura sua novam

(1) Theod. tom. 4. pag. 124. Τοιγάρ τοι ὡς ἄνθρωπος τὸ πάθος ὑπέμεινεν· ὡς Θεὸς, κρείττων πάθους μεμένηκε.

(2) Cyr. Τὸ δὲ κοινὸν, οὐχ ἑνὶ κοινὸν εἴη ἂν, ἀλλὰ δύο που πάντως, ἢ πλείοσιν ἰδικῶς τε, καὶ ἀνὰ μέρος θεωρουμένοις.

[1] Tom. 3. Bibl. PP. 327. E.

admiserit aliquam formam, et τὸ τί ἦν εἶναι, sed ut idem suppositum utrumque capiat.

Hanc regulam Gregorius Nazianzenus indicat in epistola prima ad Cledonium : in qua post anathema dictum in eos, « (1) qui carnem Christi e cœlo descendisse, non autem hinc, et a nobis esse dicerent : » statim eas Scripturæ sententias, quæ aut [1] *hominem secundum de cœlo esse*, aut [2] *filium hominis e cœlo descendisse*, ac similia testantur, de conjunctione naturæ inferioris cum cœlesti ac divina interpretandas esse docet.

Sic Hispalense concilium secundum [3], in eo loco, quem paulo ante citavimus, diligenter inculcat, perpessiones omnes Christi non divinitatem ipsam affecisse, sed solam hominis naturam.

XII. Hinc et alia regula oritur, ordine septima : Nomina quæ naturam præcise significant, non promiscue communicantur. Hujusmodi autem fere sunt, quæ in Scholis *abstracta* nominantur ; ut sunt *divinitas*, et *humanitas*. Hanc regulam præscribit Joannes Damascenus his verbis : « (2) Divinitatem porro cum dicimus, de ea quæ sunt humanitatis propria neutiquam affirmamus. Non enim dicimus divinitatem patibilem, aut creatam. Sed nec de carne, hoc est humanitate, prædicamus divinitatis proprietates. Non enim dicimus, carnem, sive humanitatem increatam. » Hinc illud explicandum est, quod ait Vigilius supra laudatus a nobis [4] : « Verbum dici carnem, etsi Deus non sit caro, quia non est in carnem mutatum : et carnem dici Deum, licet non sit in deitatis naturam mutata. » Nam *Verbum dici carnem*, minime ad *naturam* refertur, hoc est ad *formam*, sed ad subjectum, vel suppositum : at *Deum esse carnem*, formam ipsam significat, id est naturam carnis, divinitatem afficere et formare. Idem porro Vigilius in libro 4. [5] « Christus, *inquit*, est in forma Dei, Christus in forma servi : Christus æqualis Patri, Christus inferior Patre : idem Deus, idem homo. Unde constat, et divinitatem humanitatis habere vocabulum, id est, Verbum dici carnem ; et carnem dici Verbum : non quia in se utrumque mutatum sit, sed quia utrumque, una persona, id est unus Christus sit. » Ubi vocabulum *divinitatis*, et *humanitatis*, utriusque nomen, sed, ut vocant, *concretum* significat.

XIII. Octava regula, et ea quidem summe necessaria, quam in tertio libro de Trinitate jam exposui [6], hujusmodi esse potest : Cum singularum naturarum proprietates de ipsis mutuo, vel de toto Christo prædicantur, inter affirmantes, et negantes enuntiandi formulas, discrimen hoc esse servandum ; ut priores absolute dicantur : posteriores nonnisi alterius naturæ, de qua proprie efferuntur, expressa mentione restrictæ. Hoc modo Christum simpliciter mortuum esse dicimus : imo et hunc Deum passum ac mortuum, quoniam Christus, et hic Deus, sive Dei Filius, revera Deus est, et homo : et caro, sive homo, qui proprie mortuus est, Dei ac Verbi propria caro, ac natura fuit. At non dicimus absolute, Christus vel Dei Filius, non est passus ; non est mortuus : nisi adjuncto illo, qua Deus est, vel secundum divinitatem. Quemadmodum in exemplo illo, quod ad Incarnationis sacramentum vulgo Patres adhibent, intelligi potest. Nam hominem qui moritur, mori simpliciter dicimus, vel esse mortalem : non mori autem, vel non esse mortalem, absolute si dicatur, falso dicitur, nisi statim hoc additur ; secundum animam, quæ immortalis est. Hujus enuntiationum discriminis ratio, ex earum propria conditione petitur, nimirum quod negantes si simpliciter usurpantur, prædicatum funditus removent a subjecto, et *malignæ*, vel *malignantis naturæ* vulgo in scholis appellantur. Ut si dicam, *Petrus est coloratus*, tam vere, quam absolute loquar. Sin ita : *Petrus non est coloratus*, falsum ideo dicam, quia negatio id, quod negat, præcise, et in totum adimit subjecto. Adjungendum igitur erit illud, Non esse coloratum secundum animam. Sed relegenda sunt illa, quæ de hac cautione loquendi fusius in tertio de Trinitate disseruimus.

Quam sit autem opportunus regulæ istius usus, ex Rustici diaconi conflictione cognosci potest ; qui initio disputationis contra Acephalos, *non omnia quæ Verbi sunt, de carne,*

(1) GREGOR. Nazianz. orat. 51. pag. 740. Εἴ τις λέγοι τὴν σάρκα ἐξ οὐρανοῦ κατεληλυθέναι, ἀλλὰ μὴ ἐντεῦθεν εἶναι, καὶ παρ' ἡμῶν, ἀνάθεμα ἔστω.

(2) JOAN. Dam. lib. 3. cap. 4. pag. 180. Θεότητα μὲν οὖν λέγοντες, οὐ κατονομάζομεν αὐτῆς τὰ τῆς ἀνθρωπότητος ἰδιώματα. Οὐ γάρ φαμεν θεότητα παθητὴν ἢ κτιστήν· οὔτε δὲ τῆς σαρκὸς, ἤτοι τῆς ἀνθρωπότητος κατηγοροῦμεν τὰ τῆς θεότητος ἰδιώματα. Οὐ γάρ φαμεν σάρκα, ἤτοι ἀντρωπότητα ἄκιστον.

[1] 1. Cor. 15. — [2] Joan. 3. — [3] Tom. 4. Concil. pag. 564. et seq.

[4] Cap. 14. § 12. — [5] Col. 512. — [6] C. 3. § 15.

id est homine dici fatetur ; *nec e converso.* «[1] Si enim cuncta, quæ carnis sunt, illi incarnato collidimus; vel quæ adsunt, tanquam sint; vel quæ desunt, veluti non adsint : invenitur Deus Verbum nec æqualis, nec consubstantialis, nec indifferens, nec coæternus Patri. » Nimirum quia caro non est æqualis, neque consubstantialis Deo, qua caro est Verum [2]. hæc caro, sive potius hic homo, æqualis, et consubstantialis Deo Patri sine ulla cunctatione dicitur. Non autem, *hic homo*, *vel Christus*, *non est æqualis, consubstantialisve Patri*, pie profertur; si non illud adjungitur, quatenus est homo. Quare melius, ac brevius expedire se poterat Rusticus, si regulam istam animadvertisset.

XIV. Sequitur altera cautio, eaque ordine nona : cujus exponendæ nobis occasionem, idem Rusticus : formulam autem, Joannes Scotus obtulit [3], inter Scholasticos *subtilitatis* titulo insignis. Hæc igitur ad hunc modum concipietur : Quæcumque naturæ cum persona unitionem exprimunt, ab lege communionis idiomatum excipiuntur. « Et ratio hujus est, ait Scotus, quia illa communicatio in prædicationibus fit propter unitionem, (hoc est ab ea, tanquam causa, et fonte proficiscitur,) et ita præsupponit unionem. Non ergo fit secundum illa, quæ exprimunt unionem. » Hæc ille idcirco disserit, ut ei, quod sibi tertio loco opposuerat, argumento satisfaciat : quod erat ejusmodi : « Si Deus est factus homo; ergo Deus est factus Deus. Consequentia probatur, quia propter unionem naturarum, est communicatio idiomatum : et ita sicut occidens hominem, occidit Deum, ita si factus est homo, factus est Deus. » Huic ergo captiunculæ recte occurrit illa regula. Nam hoc quod est *factum esse*, naturæ ac personæ copulationem exprimit : quare non potest alteri communicari. Proinde non est consequens, *si Deus factus est homo*, id est *si unitus est homini*, etiam *factus est Deus*, sive *unitus est Deo*.

Hoc multo ad respondendum brevius, ac solertius est, quam cum Rustico negare, omnia quæ sunt Verbi, de carne prædicari : ne si omnia mutuo de se dici fateretur, consequens esset, *quod caro sit incarnata*, *et inhumanatus sit homo*. Sed nodus iste ex Scoti regula facile solvitur. Nam incarnatum esse Verbum, aut inhumanatum, quod est ἐνανθρωπῆσαι, *unitionem* ipsam exprimit, et ideo à communicatione idiomatum excipitur.

XV. His addenda decima regula est, communionem proprietatum, et ἀντίδοσιν in mysterio Incarnationis latius quodammodo patere, quam in Trinitate : tametsi *unitio* multo in hac quam in illa major, arctiorque sit. Etenim in Trinitate *unitio*, vel potius *unitas*, in natura spectatur, non in persona : in Incarnatione autem e contrario in persona fit, non natura. Porro quidquid naturæ proprium est, et οὐσιῶδες, id etiam personæ proprie convenit, deque ea dicitur. Non autem quidquid personæ proprium est, proprium est substantiæ, vel essentiæ, quoniam in hac nulla est *oppositio relativa*, quæ in personis inest. Quo fit ut personalis proprietas unius non communicetur alteri, cui per hanc ipsam proprietatem opponitur. Non enim Filius gignit, aut pater dicitur : nec vicissim gignitur, aut filius est Pater. At in incarnatione Verbi quidquid secundum hujus naturam, et personam convenit, de assumpto homine, vel de Christo dicitur : ut et Deus, et Dei filius vere, ac proprie nominetur.

Jam vero si proprietatum mutua participatione, Incarnationis sacramentum vincit quodammodo id quod in Trinitate cernitur; etsi conjunctione, et unitate vincatur; minime id mirum erit, eam quoque, quæ post ambas illas prærogativa unitatis antecellit, corporis cum anima copulationem, ab Verbi hominisque conjunctione, eadem proprietatum communione superari. Triplex hoc genus unitatis declarat Bernardus [4] : et hanc, quæ in Incarnatione accidit, « duarum consistentem mediam unitatum, alteri succumbere *ait*, alteri præeminere, quantum superiore inferiorem, tantum inferiore superiorem. » Deinde quemadmodum communicatione mutua, inferiorem media illa vincat unitas, his verbis aperit : « Tantam denique, tamque expressam unionis vim in se præfert ea persona, in qua Deus et homo unus est Christus, ut si duo illa de se invicem prædices, non erraveris; Deum videlicet hominem, et hominem Deum vere catholiceque pronuntians. Non autem similiter vel carnem de anima, vel animam de carne, nisi absurdissime prædicas, etsi similiter anima, et caro unus sit homo. » Cujus rei alibi ratio reddita est : quod anima et corpus natura sua partes sint, adeoque minime perfectæ, et in unius compositæ naturæ, personæque constitutionem mutuo nexu cohæreant. Unde nec alterutra de altera, nec de toto, quod ex iis partibus componitur, prædi-

[1] Rustic. tom. 4. Bibl. col. 797. D. E. et 798. A. B. — [2] Ib. 797. E.

[3] In 3. Distin. 7. qu. 2. ad 3. — [4] Lib. 5. de Consid. cap. 9.

cari potest : ut vel anima sit corpus, et corpus, anima : vel homo esse corpus, animave dicatur. At vero naturæ, quibus constat Christus, perfectæ sunt ambæ, et in unam coeuntes personam, mutua omnium, quæ cuique propria sunt, communicatione censentur. Vide Hugonem Victorinum in Summa sententiarum tract. primo, cap. 15.

Cyrillus in scholiis de incarnatione Unigeniti utramque conjunctionem comparat; et in eo convenire ait, «(1) quod ut ex anima, et corpore unus homo fit, sic ex perfecta hypostasi Verbi, et perfecta secundum essentiam hominis natura, unus Christus efficitur, Deus, et homo. »

Ad hæc, «Verbum propria illa sibi facit, quæ ad suam carnem pertinent; quoniam ipsius est, non alterius corpus; » sicut anima carnem suam, et quæ ad hanc spectant, usurpat tanquam propria; «vicissimque Verbum carni suæ divinam vim, et efficientiam communicat, ut et mortuis vitam restituere possit, et ægris sanitatem. » Verum in eo discrimen situm est, quod anima, patiente corpore, nonnihil patitur pro suo modo, et captu, Verbum autem nullo modo iisdem, quibus assumpta natura, rebus afficitur.

XVI. Undecima regula ex Joanne Damasceno [1] hæc est : Communio proprietatum in Christo dupliciter fit, altera est naturalis, sive substantiva; altera secundum habitudinem : priorem φυσικὴν, posteriorem σχετικὴν, vel προσωπικὴν vocat. Naturalis est ea, qua tum naturam nostram, tum quæ naturæ propria sunt, eique naturaliter insunt, vere Dei Filius assumpsit. Posterior, qua personam alterius quispiam suscipit, κατὰ σχέσιν, vel misericordia ductus, vel charitate, aut simili affectu. Atque hac ratione, Verbum peccata nostra in se recepisse dicitur, et maledictum esse factus, et alia ejus generis assumpsisse, non ut revera hæc haberet in sese; sed ut personam nostram sustinens, ea quodammodo propria, et sua faceret. Vide eumdem Damascenum in quarto libro, capite 19.

Eulogius Alexandrinus patriarcha apud Photium similiter docet, «(2) eorum, quæ de Christo prædicantur, alia vere ac proprie dici, alia secundum relationem. Referuntur enim in ipsum a nobis, quatenus nostrum omnium caput fieri sustinuit; tum peccatum, tum maledictio. » Dicit enim Apostolus [2] : *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Et [3], *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Quin etiam, ut Isaias propheta testatur [4], *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Et [5], *Iniquitates eorum ipse portavit;* et [6], *Ipse peccata multorum tulit.*

XVII. Duodecima, et postrema de communicatione proprietatum cautio talis esse potest : Cum sit omnium, quæ a Deo factæ sunt, excellentissima, maximeque mirabilis unitio illa, quæ in Incarnationis mysterio, divinam cum humana sociavit, alligavitque naturam : tum ad ejus vim, et singularem rationem explicandam plurimum eam conferre, quam hucusque disseruimus, proprietatum permutationem, mutuamque communionem. Etenim duo sunt, ut græci rhetores loquuntur, τὰ συνέχοντα mysterii istius, hoc est, quæ totam ipsius rationem continent : ut observat Theodorus presbyter Rhæthuensis in libro de Incarnatione [7] : alterum est naturarum numerus, et differentia sine ulla confusione perseverans : alterum earumdem naturarum arctissima, et exquisitissima copulatio, qua unus fit in duabus, et ex duabus subsistens Dominus Jesus Christus, et una persona. Ex utroque porro efflorescit, et existit illa proprietatum ἀντίδοσις. Siquidem naturarum discrimen revera manere demonstrat, quod singularum proprietates communicantur : quæ nec ipsæ salvæ essent, nisi naturæ integræ consisterent : et rursus, nisi ambæ inter se summo et individuo nexu devinctæ essent, ac nisi una ex illis persona coalesceret, non fieret tam accurata naturarum, et eorum, quæ sunt iis propria, communicatio et quasi transfusio.

Utrumque declarat erudite Leontius Byzan-

(1) Cyr. tom. 5. par. 1. pag. 783. Ὥσπερ γὰρ ἑτεροφυὲς μὲν τὸ σῶμα πρὸς τὴν ψυχὴν, εἷς γε μὴν ἐξ ἀμφοῖν ἄνθρωπος ἀποτελεῖται, καὶ λέγεται. Οὕτω καὶ ἐκ τελείας ὑποστάσεως τοῦ Θεοῦ Λόγου, καὶ μὴν καὶ ἐξ ἀνθρωπότητος τελείως ἐχούσης κατὰ τὸν ἴδιον λόγον εἷς ὁ Χριστὸς, ὁ αὐτὸς ὑπάρχων ἐν ταὐτῷ Θεός τε ὁμοῦ καὶ ἄνθρωπος. Καὶ οἰκειοῦται μὲν ὁ Λόγος, ὡς ἔφην, τὰ τῆς ἰδίας σαρκός· ὅτι καὶ αὐτοῦ τὸ σῶμα, καὶ οὐχ ἑτέρου. Κοινοποιεῖται δὲ ὥσπερ τῇ ἰδίᾳ σαρκὶ τῆς ἐνούσης αὐτῷ θεοπρεποῦς δυνάμεως τὴν ἐνέργειαν· ὥστε δύνασθαι, καὶ ζωοποιεῖν τοὺς νεκροὺς, καὶ ἰᾶσθαι τοὺς ἐν ἀῤῥωστίαις.

(2) Eulog. apud Phot. cod. 230. pag. 439. Ἔτι δὲ διαστολὴν τῶν ἐπὶ Χριστοῦ λεγομένων ποιεῖται, τὰ μὲν ἀληθῶς, καὶ κυρίως ὑποτιθέμενος λέγεσθαι· τὰ δὲ κατὰ ἀναφοράν· ἀναφέρεται γὰρ ἀφ᾽ ἡμῶν, ὡς κεφαλῆς ἐκείνου πάντων ἡμῶν ἀνασχομένον γενέσθαι, ἥ τε ἁμαρτία, καὶ ἡ κατάρα, καὶ ὅσα παραπλήσια.

[1] Lib 3. cap. 15. — [2] 2. Cor. 5. 21. — [3] Gal. 3. 13. — [4] Is. 53. 6. — [5] Ibid. ver. 11. — [6] Ibid. ver. 12. — [7] Tom. 11. Bib. 323. et seq.

tinus in solutione argumentorum Severi : ubi post expositos unitionis modos duos adulterinos, et hæreticos, Nestorii, et Eutychis : quorum ille naturas nimium segregat, ac personis etiam dividit : iste vero confundit ac permiscet : medium inter illos, eumque verum, et catholicum proponit his verbis[1] : « Unio autem inter has media, neque confusa, neque divisa, novit quidem ea, quæ unita sunt, perfecta esse secundum suas proprietates, propter immutabilitatem : communia vero hæc, et unius esse facit, propter ipsam substantialem unionem : ut sint illa quidem proprie propria alterius, communia totius : hæc vero communia totius, propria alterius, propter proprietatem non confusam in alterutro. Non enim fieret mutua communicatio idiomatum, nisi in utroque maneret et in unione proprietas immobilis. Est igitur hujusmodi unio magis una, quam illa quæ omnino dividit : et copiosior, quam illa, quæ penitus confundit; ut quæ neque faciat penitus idem esse, quæ inter se unita sunt, neque penitus diversum.»

Maximus vero martyr, (1) ἀντίδοσιν eamdem probat necessario duo, et diversa monstrare, « quoniam unius esse non potest : » tum vero unitionem, eamque maximam, quæ singulorum propria facit esse communia, quod sequentibus verbis explicat, quæ jam supra descripsimus.

Idem communionis illius fructus ex iis colligitur, quæ de vocum differentia Christo in Scripturis attributarum ex Cyrillo, aliisque supra retulimus[2]. Quippe voces illæ communionis idiomatum indices sunt, et ministræ. At eas partim singulis naturis competere, illi ipsi docent, partim esse communes. Habent igitur naturarum, et discriminis, et conjunctionis haud obscuram significationem. In quo illud crebro ab Cyrillo repetitum, ac commendatum occurrit : voces illas sic ratione diversarum naturarum accommodari, ut non duobus seorsim separatimque tribuantur, sed uni et eidem omnes.

XVIII. Libet huic capiti, ac libro tanquam coronidem addere eximiam Theodori illius, cujus paulo ante memini, Rhæthuensis sententiam. Hic post expositam perbrevem catholici dogmatis de fide Incarnationis formulam; quem ὅρον appellat, id est *definitionem :* quæ « (2) duas naturas in Christo substantive unitas » adstruit, « unitione, quæ est secundum hypostasim, inseparabiliter, et inconfuse : » « (3) hanc eamdem definitionem *ait* aperte clamare, firmam, et immutabilem utriusque naturæ proprietatem in unitione ipsa permanere : adeo ut facile sit dignoscere, quid sit eorum, quæ convenerunt, cujusque proprium, et quid proprium alterutrum cum altero communicans, quid ab eo vicissim, quocum subsistit, et compositum est, accipit. Atque hoc distinctæ revera, et sincerissimæ est unitionis, quæ amborum communia, et quæ singulorum copulatorum propria sunt ostendere. Nam nisi proprietas primum cognita fuerit, nunquam communitas cognosci poterit. Quomodo enim communio in re aliqua fuit, nisi unumquodque communicantium proprium quippiam habeat? Sic igitur considera : proprium est naturæ Dei Verbi, quæ assumpsit, ut sit filius Dei : proprium assumptæ hominis naturæ, ut sit hominis filius. His ergo mixtis inter se naturis, et in se mutuo permeantibus ratione cohæsionis, et unitionis, miscentur eodem modo, et in se invicem permeant appellationes, et fiunt ambo unus filius Dei pariter, et hominis. »

Hic Theodori locus velut compendio summam continet eorum, quæ de περιχωρήσει, et ἀντιδόσει, hoc est *permeatione naturarum in se invicem, et communicatione mutua proprietatum* hucusque disputata sunt postremis hujus libri capitibus. Itaque prætermittendus non fuit.

(1) MAXIM. in disp. cum Pyr. col. 762. in calce tom. 8. Ann. Baron. Πρόδηλον δὲ, ὡς ἡ ἀντίδοσις ἑνὸς οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ δύο, καὶ ἀνίσων.

(2) THEOD. Rhæt. tom. 11. bib. pag. 322. et seq. Ἀλλὰ δύο φύσεις οὐσιωδῶς ἡνωμένας, etc. ἀλλὰ καὶ ἑνώσει τῇ καθ' ὑπόστασιν ἀδιασπάστως ἅμα, καὶ ἀσυγχύτως.

(3) Ibid. Οὗτος ὁ ὅρος διαῤῥήδην βοᾷ τὸ ἑδραίαν, καὶ ἀνεκφοίτητον τὴν θατέρας φύσεως ἰδιότητα κἀν τῇ ἑνώσει μεμενηκέναι· ὥστε ῥᾳδίως διαγινώσκειν δύνασθαι τί ἴδιον ἑκάστου τῶν συνελθόντων, καὶ τί τῶν ἰδίων ἕκαστον ἀλλήλοις παρέχον, τὰ παρὰ τοῦ συνυφεστῶτος, καὶ συγκειμένου ἀντικομίζεται. Τοῦτο δὲ διηρθωμένης ὄντως, καὶ καθαρωτάτης ἑνώσεως, τὸ τὰ κοινὰ τοῦ συναμφοτέρου, καὶ τὰ ἴδια ἑκάστου τῶν συνημμένων ἐμφαίνειν. Εἰ γὰρ μὴ ἰδιότης πρῶτον γνωσθείη, οὐδ' ἂν ἡ κοινότης ἐπιγνωσθήσεται. Πῶς γὰρ ἡ ἔν τινι κοινωνία γενήσεται, μὴ ἔχοντος ἑκάστου τῶν κοινωνούντων ἴδιόν τι; σκόπει δὲ οὕτως. Ἴδιον τῆς προσλαβομένης Θεοῦ Λόγου φύσεως, τὸ εἶναι Υἱὸν Θεοῦ· ἴδιον τῆς προσληφθείσης φύσεως, τὸ εἶναι Υἱὸν ἀνθρώπου. Κιρναμένων οὖν τῶν τοιούτων φύσεων, καὶ περιχωρουσῶν εἰς ἀλλήλας τῷ λόγῳ τῆς συμφυΐας, καὶ τῆς ἑνώσεως, κιρνῶνται, καὶ περιχωροῦσιν εἰς ἀλλήλας ὡσαύτως καὶ κλήσεις· καὶ γίνεται ἀμφότερα εἷς Υἱὸς Θεοῦ τε ὁμοῦ, καὶ ἀνθρώπου.

[1] Leont. tom. 4. Bibl. Par. 2. 1053.

[2] § 7. et seq.

LIBER QUINTUS.

IN QUO DE NATURIS CHRISTI DUABUS SEPARATIM AGITUR.

CAPUT PRIMUM.

De natura divina, qua susceptæ carnis particeps fuit. An dicenda sit divinitas suscepisse carnem. — 2. Affirmant Patres. — 4. Præsertim qui cum Cyrillo naturam esse unam incarnatam in Christo post unitionem dixerunt. Nec tamen sequitur Trinitatem ipsam, sive tres personas assumpsisse carnem. — 6. An potuerit natura ipsa divina per sese aliam assumere. Pars negans asseritur. — 7. An personæ tres diversas naturas, aut eamdem numero sibi copulare potuerint.

I. De duabus naturis, ex quibus unus constat Christus, dicere instituenti mihi non multa suppetunt hoc loco, quæ de divinitate proprie disputentur. Quæ enim ad illam pertinent, ea fere omnia sunt exhausta priore tomo, in quo de Dei natura, Deique proprietatibus, sive attributis late disseruimus: tum in secundo, qui de Trinitate; adeoque de natura ipsa, et essentia Dei agit ex instituto. Reliqua sunt perpauca, quæ ad naturam eamdem, personamque Filii spectant, qua ad assumptum hominem, et cum eo conjunctionem utraque refertur. In natura considerandum illud superest, an cum humana copulata sit eo vinculo, ac nexu, quo ambæ inter se substantiæ junctæ in unius compositionem personæ cohæserunt; ac, si verum istud est, an tota ipsa Trinitas carnem, et quæ hanc consecuta sunt, suscepisse dicatur. Ita enim in eo, quod commune est, et ad personas tres æqualiter pertinet, copulatione ipsa, vel unitione facta, nihil jam causæ sit, cur Filius potius, quam Pater, aut Spiritus S. naturam hominis assumpserit. Atqui si de re ipsa, et eo, quod est factum, quæritur, jam in secundo libro demonstratum est[1], solam de tribus Filii personam in carne venisse, vel, ut evangelicis verbis utar, *carnem esse factam*: cum tamen Incarnationis opus ipsum tres simul elaborarint, communiterque molitæ sint Trinitatis personæ. Sed nimirum gubernanda sic est, et temperanda Christiana professio, ut et natura ipsa communis personis tribus cum humana sociata credatur; et solus interim Filius homo sit factus. Quæ duo jampridem et Scripturarum oraculis edita, et Synodalibus firmata decretis, et sanctorum Patrum consensu recepta, in auctoritatem catholici dogmatis ascita sunt.

II. Quanquam de priori duum illorum justius addubitari potest: an divinitas ipsa humanam assumpserit formam, cum eaque copulata sit; maxime propter hoc, cujus proxime ante meminimus; ne sit ex eo consequens Trinitatis totius incarnatio. Sed non est, et vincit usitata theologis antiquis loquendi ratio, divinitatem ipsam bono, et catholico sensu vel carnem suscepisse dici, vel cum carne esse conjunctam.

Ut ab citima memoria sermonem repetam, inter ea capitula, quæ Gilberto Porretano Augustoriti Pictonum episcopo pro minime sinceris, et catholicis objecta sunt, unum hoc fuisse memoriæ prodidit Gaufredus Cisterciensis[2]; « Quod natura divina naturam non suscepit humanam: sed persona Filii naturam nostram suscepit. » Plusculum discriminis, quam veritas, et fidei regula patitur, inter naturam, et personas divinas, tum attributa cetera, constituisse Gilbertum, tam Gaufredus ibidem, quam Bernardus ipse testatur[3], et nos alibi docuimus[4].

Refellit autem Gaufredus errorem istum testimoniis aliquot antiquorum, ut Gregorii papæ, qui sic loquitur: « Venit ad nos calceata divinitas humanitate; » nec non Augustini, qui in primo de Trinitate, et in tractatu 75. « formam Dei *ait* accepisse formam servi. » Item Leonis papæ, cujus illa verba citat: « Suscepit nos illa natura, quæ nec nostris sua, nec suis nostra consumeret. »

[1] Cap. 4. — [2] Extat tom. 7. Conc. Par. 2. p. 623. D. 1.

[3] Serm. 80. in Cant. — [4] Tom. 1. lib. 1. c. 8. § 6.

His ab Gaufredo veterum allatis sententiis alias quasdam subjiciemus. In primis Leonis, qui sic scribit [1] : « Hic enim mirabilis sacræ Virginis partus vere humanam, vere divinam una edidit prole naturam. » Tum ita naturam hominis « in societatem sui creatoris assumptam *ait*, ut naturæ alteri altera misceretur. » Vide ut et *naturam divinam*, eodem cum humana, partu B. Virginis *editam*, *et humanæ mistam*, id est *unitam* asseverat.

III. Idipsum luculenter profitetur Fulgentius in libro de Quinque quæstionibus, ubi de ea re sciscitanti Ferrando diacono Carthaginiensi [2] : « Utrum Dei Filius, sicut dicitur natus, passus, mortuus, crucifixus : ita ejus divinitatem confirmare nos oporteat natam, passam, mortuam, crucifixam ; quamvis sive Deus, sive divinitas nominetur, sola caro intelligatur mutabilis, atque passibilis, secundum quam Deus aut divinitas potuit quod in sua natura non potuit ; » de hoc igitur interroganti Ferrando ita respondit Fulgentius : « Quidquid horum dicatur, nihil præjudicare fidei, qua veraciter Ecclesia catholica credit, et prædicat, divinitatem Filii Dei impassibilem, atque incommutabilem naturaliter permanere. » Id autem auctore imprimis approbat Apostolo, qui sic scribit [3], *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam ; ipsis autem vocatis Judæis, et Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.* « Ecce Christum, ait Fulgentius, Dei virtutem, et Dei sapientiam dicit Apostolus crucifixum. » Ac pluribus deinde pergit ostendere, « sicut secundum carnem, crucifixam virtutem fiducialiter vera fides novit, et credit, ita secundum carnem crucifixam divinitatem confiteri. Christus enim Deus fortis, sic est Deus, uti ipse sit divinitas sua : quemadmodum sic est fortis, ut ipse sit virtus sua. » Quod ex Augustino confirmat, cujus regulam alibi exposuimus [4], qua tum Deum divinitatem esse suam, tum unamquamque personam « hoc habere quod est, et hoc esse quod habet. » Cui consentanee scripsit in libro Enchiridii [5] ; « Verbum caro factum est, a divinitate carne suscepta, non in carnem divinitate mutata. » Et alio in loco [6], « Divinitas, *inquit*, unigeniti, facta particeps mortalitatis nostræ, ut et nos participes ejus immortalitatis essemus. »

Ferrandus ipse quoque in epistola ad Anatolium [7], « passam esse divinitatem » dixit : et [8], « divinitatem Filii sempiternam ab Maria generatam. » Item, « Divina substantia secundum humanam substantiam proprie nata est, quia non separatim nata est. » Et, « Proprie est nata de Patre divinitas pura, proprie est nata de matre eadem incarnata divinitas. »

Vigilius simili usus est loquendi modo, cum scripsit [9], « passionis injurias divinitatem pertulisse. » Et, « Confixa est, *inquit*, divinitas clavis. »

IV. Huic adstipulantur omnes illi Patres, qui *naturam Verbi incarnatam* esse, incredibili consensione dixerunt : quorum princeps Cyrillus Alexandrinus : imitatores deinceps omnes Catholici, adeoque tota ipsa Christi Ecclesia ; ut in libro superiore monstravimus [10]. Ubi [11] illud insuper ostensum est, φύσιν illic non pro ὑποστάσεσι accipi, sed pro natura ipsa, sive divinitate. Tot igitur, tantisque præsidiis firmatum genus illud locutionis non temere damnandum est, nec ab usu theologico segregandum.

Joannes certe Damascenus, præter illos omnes, « (1) in incarnatione Dei Verbi, qui unus est e sancta Trinitate, totam, et perfectam naturam divinitatis in una suarum hypostaseon » dicit « unitam esse toti humanæ naturæ, non partem parti. » Cujus sententiæ suffragatorem adhibet Dionysium, qui ita scriptum reliquit : « (2) Ex toto nobiscum communicasse divinam naturam in unam suarum hypostaseon. »

At idem Joannes Damascenus [12] improbare videtur hujusmodi enuntiata, *divinitas incarnata est*, vel *homo facta est* : pro quo illud, quod jam dixi usurpandum asserit : « Divinitas unita est humanitati in una suarum hypo-

(1) DAM. lib. 3. cap. 6. pag. 186. Οὕτω καὶ ἐν τῇ ἐνανθρωπησει τοῦ ἑνὸς τῆς ἁγίας Τριάδος Θεοῦ Λόγου φαμὲν, πᾶσαν, καὶ τελείαν τὴν φύσιν τῆς θεότητος ἐν μίᾳ τῶν αὐτῆς ὑποστάσεων ἑνωθῆναι πάσῃ τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει, καὶ οὐ μέρος μέρει.

(2) DION. Ibid. Καὶ ὁ τούτου φοιτητὴς ὁ θεοφόρος, καὶ τὰ θεῖα πολὺς Διονύσιος, ὅτι ὁλικῶς ἡμῖν ἐν μιᾷ τῶν ἑαυτῆς ἐκοινώνησεν ὑποστάσεων.

[1] Serm. 3. de Nativ. cap. 1. — [2] Fulg. Inquisit. 2. p. 217. et seq. — [3] 1. Cor. 1. — [4] Lib. 2. de Deo. c. 6. § 7. — [5] C. 34. — [6] Epist. 57. pag. 106. C. 1. — [7] Ferr tom. 3. Bib. PP. col. 326. — [8] Ibid. 332. E.

[9] Vigil. lib. 2. con. Eutych. tom. 4. Bib. PP. 503. D. — [10] Cap. 5. et seq. — [11] Cap. 6. Vide et cap. 7. maxime § 4. et lib. 6. de Trinit. cap. 10. — [12] Dam. lib. 3. c. 4. p. 180. et cap. 11. p. 207.

staseon. » Quod ipsum Euthymius ex antiqui cujusdam theologi placitis refert in calce tituli septimi Panopliæ; ubi negat, « (1) proprie loquendo, dici incarnatam divinitatem, vel carne passam. » Quod nimirum recte observatum est ab eo, si κυριολεκτεῖν idem sit, cum eo, quod vocant, *formaliter loqui*. Hoc enim sensu non est *incarnata*, neque *passa divinitas* ipsa per sese: sed qua prorsus idem est cum persona Verbi. De quo legendus inter alios est S. Thomas opusculo primo contra errores Græcorum [1].

V. Jam quod initio capitis hujus, communi isti modo loquendi adversum videri diximus, quod ea, quæ divinitati ipsi conveniunt, personis omnibus tribuuntur; nihil hoc obstare debet: idque libro secundo capite quarto satis explicatum est [2], et nunc Ferrandi unius verbis, quæ illic præterita sunt, uberius explanabitur. « Pater et Filius, *inquit* [3], substantia unum sunt, non in personis. Una est natura Patris, et Filii: sed alia est persona Patris, alia Filii. Filius vero suscipiens carnem, id est hominis plenam, perfectamque naturam, sic eam suscipere dignatus est, ut una persona fieret carnis, et Verbi, non tamen una natura. Deus homo factus naturam sibi adunavit humanam; sed in unitate personæ, quam non habet cum Patre communem: non in unitatem substantiæ, quam habet cum Patre communem. Ideo non Trinitas, sed tantummodo Filius, et natus, et passus est. Alia est natura, secundum quam passus est Filius. Sed quia unam fecit esse personam suæ divinitatis et carnis, propter unitatem personæ divinitas dicitur passa quidquid pertulit caro. Persona autem Filii non est ea, quæ est Patris, quia alia est Patris; ideo tantummodo Filius passus est. »

Nimirum, quod jam alibi dixi [4], etsi divinitas, quæ est in Verbo, idem plane sit cum eo; tamen ἐπινοίᾳ differt: quæ in Deo sufficit, ut quædam de uno κατηγορήματα prædicentur, quæ in alterum non competunt. Ita *ratione* duntaxat *materiæ*, vel *subjecti*, ut loqui amant in scholis, *non formæ*, vera sunt enuntiata ista: quæ tamen, pie et catholice post tantos auctores usurpari possunt; quos profecto qui propterea sic locutos existimant [5], « quod nondum ita illis explorata, atque aperta erant fidei nostræ mysteria, uti postea, disponente sic Domino, posterioribus fuere temporibus, » nimis se amant, ac parum verecunde, ne quid gravius dicam, de eruditissimis illis theologis sentiunt.

VI. Ut hæc apud Christianos, et Catholicos certissima sunt, quæ de sola incarnata Filii persona diximus: sic illud in scholis agitari solet, ecquid absoluta potestate tota Trinitas carnem suscipere potuerit: atque hoc trifariam quæritur. Aut enim dubitatur, an divina ipsa communis natura personis tribus naturam per se aliam potuerit assumere, cum eaque copulari. Aut illud quæritur, utrum personæ tres totidem individuis naturis adjungi. Aut hoc postremo, an unam tres assumere potuerint. De iis aut nihil, aut parum admodum apud Patres disputatum reperio: qui de eo potius, quod reipsa factum est, quam quod extra ordinem a Deo fieri potuit, inquirendum putarunt. Quantum tamen ex jactis ab illis Theologiæ principiis ratiocinando colligitur, ut de singulis agam breviter, mea hæc ratio est: primum, non posse divinitatem ipsam per sese cum alia natura copulari. Etenim, quod in quarto libro de Trinitate, cap. duodecimo, pluribus tractavimus, non habet natura divina communem nescio quem subsistendi modum, ab tribus relativis proprietatibus quoquo modo distinctum. Itaque nihil est, in quo unitio illa fieri possit. Siquidem neque natura divina per sese cum alia natura conjungi potest sic, ut unam cum ea naturam aut componat, aut efficiat; neque creato subsistendi modo, qui in assumpta natura fingeretur, potest divina subsistere. Quare non potest unum aliquid per se, et οὐσιωδῶς, ex ambabus naturis coalescere. Incarnari ergo divina substantia per sese minime potest; neque tres personæ per communem illam substantiam.

Nam quod Rusticus diaconus in illo loco, quem superiore libro descripsimus [6], fateri videtur, totam ipsam Trinitatem per communem naturam incarnari potuisse: videtur tantum; cum hoc revera non asserat. Quippe dum sic loquitur [7]: « Si enim tota Trinitas incarnari voluisset, tunc forsan juste ipsa per semetipsam fuerat incarnata natura: » non assentiendo dicit; sed eo posito, quod possit an non possit fieri, nihil ad rem pertinebat, quid consequatur ostendit.

VII. De secunda quæstione jam illud constituimus [8] ex usitata scholarum magistris

(1) EUTH. Θεότητα δὲ ἐνανθρωπήσασαν, ἢ σαρκὶ παθοῦσαν, οὐ λέγομεν εἰ μέλλοιμεν κυριολεκτεῖν.

[1] Cap. 4. — [2] Præsertim § 7. — [3] Ferr. ad Anatol. 326. A. — [4] Vid. lib. 2. c. 4. § 9. — [5] Schol. ad Ferr. locum illum adnotatum. — [6] Cap. 4. § 3. — [7] Rust. tom. 4. Bib. col. 824. — [8] Lib. 2. c. 15. § 7.

opinione, videri personas duas reliquas naturæ cujuspiam individua in personalem unitatem assumere potuisse.

De tertia is Anselmi sensus est [1], « Plures personas nequire unum, eumdemque hominem assumere in unitate personæ. Quare in una persona tantum hoc fieri necesse est. » Quod illius dictum sic interpretantur aliqui [2], ut de ea loquatur assumptione, « per quam ex assumente, et natura assumpta resultet una aliqua persona, quæ sola sit homo, sicut sola persona Christi inter personas Trinitatis jam de facto est homo. » Atque in libro quidem de Incarnatione Verbi capite quarto [3], præire videtur ad hanc sententiam, dum ita scribit : « Quippe Deus non sic assumpsit hominem, ut natura Dei, et hominis sit una et eadem : sed ut persona Dei, et hominis una eademque sit, quod nonnisi in una persona Dei esse potest. Diversas enim personas, unam et eamdem personam esse, cum uno eodemque homine nequit intelligi. Nam si unus homo cum singulis pluribus personis una persona est ; necesse est plures personas, quæ aliæ sunt a se invicem, esse unam, eamdemque personam, quod non est possibile. Quapropter impossibile est, Deo incarnato secundum unam quamlibet personam, illum secundum aliam quoque personam incarnari. »

Verum cum idem Anselmus [4], « in Deo quantumlibet parvum inconveniens, sequi impossibilitatem » asserat : « et quantumlibet parvam rationem, si majori non vincitur, comitari necessitatem : » atque eodem illo capite 9. libri 2. *Cur Deus homo,* « inconveniens esse » dicat, « Patrem, aut Spiritum S. incarnari, » sequitur ex ejus opinione, et positis ab eo principiis, impossibile hoc esse : nec alium, quam Filium, carnem potuisse suscipere. Ut propterea verisimilius sit, Anselmum universe pronuntiasse, nec eamdem hominis individuam naturam, neque plures, ab divinis personis tribus assumi posse, contra quam S. Thomas, ac plerique theologi scholastici censent : quibus tamen alii refragantur, quod ad unius ab tribus assumptionem naturæ pertinet : ut Scotus [5]. Nobis neutram in partem sententiam dicere placet, quod ea quæstio aliena sit ab instituto nostro, quod antiquorum tantummodo Patrum decreta persequitur. Illud autem, quod ex Anselmo, nec ipso quidem vetere satis, adductum est ; neque vulgo probatur ; et a nobis supra refutatum est [6].

CAPUT SECUNDUM.

Ecquid unus de Trinitate dici debeat Christus, aut incarnatus, aut passus. — 1. Differre duo hæc enuntiationum genera : *Unus de Trinitate incarnatus est*, et, *Unus de Trinitate passus est*. — 2. De monachis Scythis, qui sub Hormisda papa controversiam istam excitarunt : non eos videri Eutychianos fuisse. — 3. Quomodo enuntiationes suas conceperint. — 4. Quibus de causis suspecta fuerint eorum sententia. — 5. Præcipua fuit novitas, et ne Chalcedonensis synodi labefactaretur auctoritas. — 5. Postea tamen recepta fuit ; et cur probata sit, rationes proponuntur. — 9. Sensus enuntiationum ab illis jactatarum exponitur. — 10. Dissolvuntur argumenta, quæ adversus illas objici solebant : ac primum illud, quod Eutychiani in Chalcedonensi synodo institerint, ut illæ reciperentur : quod an verum sit inquiritur. — 11. Aliæ argumentationes explicantur. — 13. Alii modi propositionum illarum concipiendarum expensi : velut, unum de Trinitate esse crucifixum, et, unam personam ex sancta Trinitate, vel unum ex Trinitate, et unum in Trinitate.

I. Controversiæ hujus acris olim, ac vehementis historiam, et originem exposuimus in primo libro, capite decimo octavo : nunc de re, et enuntiatione ipsa dicam ; an, et quo sensu pronuntiare istud oporteat, *Christum esse unum de Trinitate ;* aut, *unum de Trinitate incarnatum esse, vel passum ;* et si quæ sunt aliæ ejusdemmodi formulæ, de quibus altercati sunt inter se catholici alioquin homines ; imo iidem, ac singuli diversa et contraria, non longo interjecto spatio, judicia fecerunt.

[1] Anselm. lib. 2. Cur Deus homo c. 9. — [2] Dur. in 3. dist. 1. q. 3. Valent. to. 4. disp. 1. q. 3. pun. 3. Vasq. in 3. par. disp. 29. c. 1.

[3] Pag. 38. D. — [4] Anselm. lib. 1. Cur Deus homo c. 10. Vid. lib. 2. hujus Op. c. 13. § 3. — [5] In 3. dist. 1. qu. 2. — [6] Lib. 2. c. 13.

Ut autem quæstionis ante omnia status constituatur, et ut quæ res in disceptationem adducta sit intelligamus, illud primum notari debet, paululum hæc distare : *Utrum qui incarnatus est, unus sit e Trinitate*, sive *una de tribus persona :* vel etiam, *Utrum unus de Trinitate sit incarnatus ;* ab istis : *Utrum unus de Trinitate, unave persona de tribus crucem, et mortem subierit.* Nam priores enuntiationes pro subjectis habent simplicem, et unica natura constantem hypostasim, et cum illa conveniunt in Evangelio Joannis expressa, *Verbum caro factum est.* Ut enim *Verbi* nomen in hac, uniusmodi tam naturam, quam personam significat Filii Dei : sic in illis, unus ipse, qui incarnatus est, nonnisi Dei Filius est : necdum homine assumpto, cujus demum accessionem esse factam intelligimus, cum enuntiationis veritas est impleta. Cum autem loquimur sic : *Unus de Trinitate passus, ac mortuus est*, non simplex est ratio, notioque subjecti, sed naturæ necessario duplicis significationem habet. Non enim Deus ipse, et unica, propriaque divinitate constans, ut assumptam naturam hominis, sic perpessionem, ac mortem excepit ; verum homo jam factus, in hac ipsa, quam induit, humana natura cruci est affixus et mortuus. Quocirca nonnihil dubitationis habuit initio posterius hoc genus enuntiandi : maxime quod movere illud poterat, quemadmodum unus de Trinitate passus mortuusque dici posset, cum ceteri, qui de Trinitate itidem erant, neque pati, neque mori possent, ac simplici, communique substantia, sine alterius et peregrinæ commercio, constarent. Sed de causis istis dubitandi paulo post : nunc de quæstionis hujus auctoribus, ac de illius sensu, et conceptione nonnulla prius explicanda sunt.

II. Monachos illos Scythas, de quibus capite decimo octavo libri primi diximus, prorsus Eutychiana imbutos hæresi fuisse, vulgo sentiunt, præeunte magno Annalium scriptore [1]. Sed qui professiones fidei ab illis editas, ac cetera eorumdem scripta, quæ extant, diligenter expenderit, nullum ibi vestigium deprehendet hæresis istius. Vide unius ex iis Joannis Maxentii professionem bene longam [2], eique subjectos anathematismos : tum alia ejusdem opuscula, necnon Petri diaconi [3], ac reliquorum de illo grege monachorum libellum ad Africanos episcopos, in quibus erat Fulgentius : qui omnium nomine respondit, misso ad eos libro de incarnatione et gratia Christi ; animadvertes nulla re monachos istos justam suspicionem dare nefandi illius erroris. Quocirca nihil in illorum facto, atque scriptis aliud culpes, nisi inconsultam rationem, ac præcipitem ardorem inculcandæ novitatis, intempestivæ potius, minimeque necessariæ, quam aut callidæ, aut errore contaminatæ. Nam et Hormisda papa in epistola ad Possessorem Africanum episcopum, nullam aliam notam illis subscribit, præter istam, temerariæ novitatis, contumaciæ, ac superbiæ. « Contemptores, *ait* [4], auctoritatum veterum, novarum cupidi quæstionum, solam putantes scientiæ rectam viam, qualibet conceptam facilitate sententiam. Eousque tumoris elati, ut ad arbitrium suum utriusque orbis putent inclinandum esse judicium : nec in numero fidelium deputantes sequacem traditionis paternæ, si suæ viderint credere nolle sententiæ. Docti crimina serere, obtrectationum venena componere, integrum Ecclesiæ corpus odisse, seditiones struere, invidiam concitare ; et pro obedientia, quæ in cœnobiis principatum regularis obtinet disciplinæ, obstinationem pertinacis amare superbiæ. » Certe cum brevi postea, hoc est annis non plus quindecim interjectis, incredibili omnium consensu probata, et recepta fuerit, quæ tum displicuit, illorum professio : atque illi ipsi, qui initio vehementer obstiterant, eam ultro, ac libenter amplexi sint, tanquam non modo catholicam, sed etiam necessariam : ut inter alios, præque ceteris Justinianus imperator, ac Romanus pontifex Joannes secundus, aliique post ipsum : necnon generales Synodi, et catholica Ecclesia tota formulam illam a monachis editam, in usum profitendæ fidei deinceps asciverint ; non est credibile, Eutychianæ perfidiæ venenum sub ea latuisse : quemadmodum sub appendice illa Trisagii, quæ etsi probabili utcumque sensu tolerari posset, nunquam tamen Catholicorum, vel totius Ecclesiæ auctoritatem, et consensum impetrare potuit. Quid autem illi monachorum additamento ad Chalcedonensem definitionem vitio datum sit, postea constabit : ubi quemadmodum ab illis conceptum fuerit exposuerimus.

III. Hoc adeo ex ipsorum verbis facile est colligere. Joannes Maxentius in professione de Christo, sic eam explicat [5] : « Nos, *inquit*,

[1] Ad ann. 519. § 99. — [2] Tom. 4. Bibl. PP. par. 1. 435. — [3] Inter opera Fulgent.

[4] Hormisd. epist. ad Possess. tom. 4. Bibl. 445. — [5] Tom. 4. Bib. 437.

Deum Verbum unigenitum filium Patris, Dominum nostrum Jesum Christum, qui pro nobis passus est carne, unum de tribus subsistentiis, unius divinitatis esse credimus. » Ac subinde brevius proponit sic [1] : « Unum ex Trinitate esse Christum, qui pro nobis passus est carne. » Item : « Unus ex Trinitate est, qui secundum carnem ex virgine Maria natus est. » Et in quarto Anathematismo, « Si quis non acquiescit confiteri Christum unum de Trinitate, etiam cum carne propria, qui pro nobis passus est in carne ; quamvis secundum carnem non sit de substantia Trinitatis : anathema sit. » Et in responsione [2], « An forte non catholicum, *inquit*, Christum filium Dei vivi unum confiteri ex sancta, et individua Trinitate. » Qua quidem in responsione illos redarguit [3], « qui Christum unam quidem personam ex Trinitate, non autem unum ex Trinitate esse fatentur : » cum utrumque sit ex æquo profitendum.

Petrus quoque diaconus, Scytharum et ipse monachorum unus, in libello de Incarnatione ad Fulgentium et alios episcopos Africæ, capite quarto : « Hac de causa, *inquit*, Trinitas etiam post Incarnationis mysterium, Trinitas mansit : quia idem Deus Verbum, etiam cum propria carne, unus est ex Trinitate : non quod caro ejus sit de substantia Trinitatis, sed quia caro Dei Verbi est, qui est unus ex Trinitate. »

At Dioscorus diaconus, unus ex legatis apostolicæ Sedis ab Hormisda papa missus, illud inter alia capitula monachorum reprehendit [4] : *Unum de Trinitate crucifixum.* Ferrandus vero diaconus, *Unum de Trinitate passum*, usurpari debere asserit.

IV. Hæc posterior formula, quæ *unum de Trinitate crucifixum*, aut *passum* prædicat, Catholicis initio maxime displicuit, quando a Petro Cnapheo, sive *Fullone*, primum Antiochiæ publice pronuntiata est : quod ei Felix III. papa objicit in epistola ad eumdem scripta [5], qua novitatem in trisagium hymnum ab eo introductam redarguit.

Sic Acacius in simili ad eumdem epistola, ipsum increpat, quod Arii, et Apollinaris secutus hæresim dixerit, « (1) Unum ex Trinitate passum esse ; qui est inexplicabilis sapientia Dei et Patris, et ipsius splendor, et character substantiæ ipsius ; Verbum una cum Patre principio carens, et coæternum. » Quibus vero de causis suspecta, et improbata novitas ista fuerit, late Felix papa declarat in epistola sua, ubi illam duplici nomine damnat : « (2) Quod et consubstantialis dogma perimat, et plures Deos, hoc est tres, constituat. Nam si unus sanctæ increatæque Trinitatis, et coæternus est, crucifixus Deus, nempe Filius : sunt autem Trinitatis ejusdem duo, Pater, et Spiritus sanctus, ac dii vocantur, non Deus, uti vera professio continet : quemadmodum nobis tradiderunt, qui ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis : inveniemus hac ratione consubstantialis solvi fidem. Quod enim mortale est, et quod immortale consubstantialia esse nequeunt. Atque ita deorum multitudo firmabitur, dum tres dii in Christianam religionem invehuntur. » Igitur quatenus *unus ex Trinitate* dicitur, nimirum Deus, plures intelligi deos interpretabantur. Tum quod ille ipse unus e Trinitate, tribusve diis, passus, et cruci affixus, ac mortuus est, dissimilis eo ipso naturæ ab ceteris æstimabitur. Quæ duo Arii, et Apollinaris hæresi consentanea sunt. Cum enim divinitatem ipsam Filii Dei passam esse, ceterasque conditionis humanæ proprias affectiones subiisse dicerent : quibus Patrem imprimis obnoxium fuisse negarent : sequebatur inde, non eamdem utriusque esse substantiam, ex quo ἡ πολυθεία nascebatur : cujus invidia merito laboravit Ariana perfidia ; sed nec immunis ab illa fuit Eutychianorum hæresis ; ex qua propago quædam exstitit, cujus principes fuisse perhibentur, Severus, præcipuum nefandæ istius sectæ columen, et Joannes Philoponus : qui tres deos palam, aperteque prædicarunt, et Tritheitarum ex eo factioni vocabulum dederunt.

V. Dioscorus Hormisdæ legatus in *Sugge-*

(1) Acac. apud Zonar. p. 530. C. Σὺ δὲ ἀπὸ τῆς ἀληθείας τὴν ἀκοὴν ἀποστρέψας, ἐπὶ τοὺς μύθους ἐξετράπης κατὰ τὸν Ἄρειον, καὶ Ἀπολλινάριον, λέγων· τὸν ἕνα τῆς Τριάδος παθεῖν· ὅς ἐστιν ἡ ἄῤῥητος σοφία τοῦ Θεοῦ, καὶ Πατρὸς, τό τε αὐτοῦ ἀπαύγασμα, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, Λόγος συνάναρχος, καὶ συναΐδιος.

(2) Felix ibid. pag. 541. Καὶ διὰ τούτου ἐδοκίμασας λύειν καὶ τὸ ὁμοούσιον, καὶ ἀριθμῷ ὑποβάλλειν τὸ θεῖον. Εἰ γὰρ εἷς τῆς ἁγίας Τριάδος τῆς ἀκτίστου, καὶ συναΐδιος ὁ σταυρωθεὶς Θεὸς, τουτέστιν ὁ Υἱὸς, δύο δὲ τῆς Τριάδος ὁ Πατὴρ, καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα, λέγονται δὲ θεοὶ, καὶ οὐχὶ κατὰ τὸν εὐθῆ λόγον Θεός, καθὼς παραδεδώκασιν ἡμῖν οἱ αὐτόπται, καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ Λόγου· εὑρεθήσεται δὴ καὶ οὕτω λυόμενον μὲν τὸ ὁμοούσιον· θνητὸν γὰρ, καὶ ἀθάνατον ὁμοούσια ἔτι εἶναι οὐ δύνανται· κρατυνθήσεται δὲ καὶ οὕτως ὁ τῆς πολυθείας Λόγος ἐν τῷ τρεῖς θεοὺς Χριστιανισμῷ καταγγέλλειν.

[1] Ib. 438. — [2] Ib. 451. A. — [3] Ib. 452. C. — [4] In Suggest. ad Hormis. tom. 3. Concil. p. 780.

[5] Vide lib. 1. nostrum cap. 18. ex epist. Felic. quæ est in Zonar. com. ad Canon. p. 541.

stione ad eumdem missa pontificem de Scythis monachis [1], complures rationes, ob quas minime sit admittenda ista professio, his verbis explicat : « Quod est, *inquit,* nec in sanctis synodis dictum ; nec in epistolis sancti papæ Leonis ; nec in consuetudine ecclesiastica. Quod si permittitur fieri, mihi videtur dissensiones, et scandala non mediocria nasci inter Ecclesias. Istud Anastasius imperator magnopere Catholicis imponere festinavit. Istud et Eutychetis discipuli in synodo Chalcedonensi proposuerunt. Quia quotiescumque Patres de Dei filio nostro Domino Jesu Christo disputaverunt, filium Dei Verbum consubstantialem Patris homousion Patri dixerunt. Iste autem sermo ideo nunquam est in synodis a Patribus introductus, quia proculdubio catholicæ fidei minime poterat convenire. »

Ex omnibus autem argumentis, cur rejici oporteret, hoc præcipuum est judicatum, ne et novitatum aliarum occasio præberetur, et Chalcedonensis concilii auctoritas labefactaretur ; quod accessione ista, quasi mancum, et minime absolutum, perfici, et compleri opus habuisset. « Unde sanum mihi videtur et utile, pergit Dioscorus, et ad pacem Ecclesiarum conveniens, nihil aliud responsum dari, nisi : Sufficit sanctum Chalcedonense concilium, in quo et aliæ synodi continentur. Sufficiunt epistolæ papæ Leonis, quas Synodus confirmavit : novitatem in Ecclesia introducere nec volumus, nec debemus. » Tum quid monachi super Chalcedonensi concilio causarentur, ita declarat : « Est in propositione eorum callida et hæc dicere : Nos synodum Chalcedonensem suscepimus. Hoc speramus, ut jubeatis eam exponere : quia non sufficit sic, quomodo est exposita contra hæresim Nestorianam : non quasi non intelligentes : nisi conantes per subtilitatem, ad hoc nos adducere, ut disputetur de synodo Chalcedonensi. Quod si factum fuerit, dubia et infirma ostenditur, et hæreticorum omnium patuit errori. » Et in sequenti Suggestione legatorum omnium nomine scripta ad eumdem Hormisdam, admonent illi, « Ne qua novitas a Sede apostolica scribatur : quia et nos ante imperatorem, et ante senatum, hæc indicavimus, dicentes : Extra synodos quatuor, extra epistolas papæ Leonis, nec dicimus, nec admittimus quidquid non continetur in prædictis synodis : aut quod non est scriptum a papa Leone, non suscipimus : quia si voluerit Dominus noster qualemvis novitatem scribere, pejus erit istud initium, quam illud, quod factum est per Eutychetem. Sufficere debet Ecclesiæ, quod per sexaginta annos ab Eutychete usque modo sustinuit. » Idem et Justinianus nondum imperator, ad Hormisdam scripsit [2]. Ac rursus Dioscorus in alia Suggestione queritur [3], « Istos Scythas, omnes, qui accipiunt synodum Chalcedonensem, Nestorianos dicere, dicentes : Non sufficit Synodus contra Nestorium. »

Erant et alia quædam argumenta contra novitatem istam objici solita ; quæ sibi Maxentius opponit, et diluit.

VI. Quibus minime deterriti Catholici, ejus, quam improbaverant, processionis patrocinium postea sumpserunt, uti libro primo docuimus [4] : ad quod rationibus adducti sunt multo iis, propter quas illam eamdem initio repudiarant, gravioribus, ac profecto necessariis. Ex quibus, ut nonnullas proferam, primum illa firmissima videtur, quam his verbis explicat Joannes Maxentius [5], « Si Christus verus est Deus, sicut est, aut Trinitas est, aut unus ex Trinitate. Sed quia totum Trinitatem Christum credere sacrilegium est, restat ut unus sit Deus Christus ex Trinitate. Nisi forte alium eum Deum præter Trinitatem esse contendant : quod non Catholicorum, sed Manichæorum est proprium, qui duos deos sibi contrarios introducunt. » Quod argumentum ex Proclo, Cyziceno primum, deinde Constantinopolitano episcopo, mutuatus est, ejusque celeberrima illa ad Armenos epistola, ut putat Maxentius : quam non integram extare hodie, consequens foret, cum iste ipse, de quo agimus, locus ab Maxentio citatus, in illa desideretur, de quo sequenti capite agemus. Sic igitur Proclus apud Maxentium [6] : « Sed sciscitaris me fortassis illum novitium, vanumque sensum, seu vaniloquium, dicens : Quia qui confitetur eum, qui crucifixus est, Christum Deum ; et Patrem, et Spiritum sanctum crucifixum confitetur, si una est Trinitatis natura. Ego autem objicio tibi, et quæro : Unus ex Trinitate est, qui crucifixus est, an alius aliquis extra Trinitatem ? et si quidem unus, solutum est jurgium. Si autem alius aliquis præter Trinitatem, quartus est, sine dubio gloriæ Dominus, et ab illa glorificatione, qua Seraphim glorificant, existit extraneus. Illa autem animalia Trinitatem laudant, et unitatem confi-

[1] To. 3. Conc. p. 780. — [2] In eod. tom. 3. Conc. p. 781. — [3] Ibid. p. 783. — [4] C. 18.

[5] Maxent. in Præfat. in Dialog. to. 4. Bib. 467. Vide ejusdem Prof. col. 438. — [6] In Profes. de Chr. to. 4. Bib. 437. C.

tentur. Hoc autem si non mendaciter docet vox illa, quomodo quartus quos non plasmavit salvavit? aut chirographum peccatorum destruxit in cruce, qui non habet potestatem peccata dimittere, si non est secundum te Deus? »

VII. Rursus instat Joannes Maxentius, et ex eo probat recte illud usurpari, quod B. Virgo Deum utique genuit, ut in Ephesina synodo decretum est; vel potius ante ullius synodi sententiam, Christiana fides, et sacrarum litterarum oracula prædicant. « Sed si eam vere, et proprie Dei crederent genitricem, ait contra suos adversarios Maxentius [1], utique Deum Verbum unum esse crederent de Trinitate; quia non ex ea Deus, qui est Trinitas, natus est. Nam cum Apostolus Christum testetur super omnia Deum; Trinitas autem unus est Deus, non incongrue ab eis quæritur: utrum Trinitas Christus sit, aut alter præter Trinitatem Deus Christus sit. At forte etiam super Trinitatem Deus est Christus, quia super omnia eum Deum testatur Apostolus. Quod si horum trium quodlibet dicere est impium, restat ut unus de Trinitate sit Verbum, qui de Virgine secundum carnem natus est, et homo factus, passus est carne pro nobis. »

Ad hæc, « Homo natus est, cum sit natura Deus Dei Patris Verbum: nec amisit quod erat, » ut ex Cyrillo idem argumentatur. « Peperit enim carnaliter Verbum, quod ex Deo est caro factum, » ut in primo Anathematismo scribit Cyrillus. Unde et duæ nativitates ejusdem Dei Verbi creduntur: nec tamen filii duo: « Sed unum eumdemque naturalem filium Patris, naturalem filium matris agnoscimus; » quod et Leo papa in epistola ad Flavianum uberius affirmat. Hinc igitur necessario sequitur, Christum unum esse ex Trinitate, cum Dei Filius, ac Verbum, Deus sit, unusque de tribus, qui in Trinitate numerantur. Eodem argumento utitur Petrus diaconus in libro de Incarnatione, capite quarto.

VIII. Ferrandus quoque diaconus ex Apostolo non dissimili ratione, idem efficit, in epistola ad Anatolium. Scribit enim Paulus [2], *Christum crucifixum esse Dei virtutem, et Dei sapientiam.* « Ecce Christus crucifixus, ait Ferrandus [3], ipse est Dei virtus, et Dei sapientia. Quare ergo non dicatur unus de Trinitate passus? An Christus Dei virtus, et Dei sapientia non est unus de Trinitate? Sed hoc qui negat, aperte dicat, etiam secundum divinitatem Filium non esse unum de Trinitate. Si autem secundum divinitatem, Christus unus est de Trinitate, et secundum divinitatem, virtus Dei est, et sapientia, Christus autem crucifixus virtus Dei est, et sapientia; recte utique dicitur, quia unus de Trinitate est passus. »

Et in alia epistola ad Severum idem Ferrandus illud ipsum approbans, ex personæ unitate disputat, quæ in baptismi formula ex institutione Christi, nominatur; hæc autem persona non est Dei solius, sed hominis pariter, ac Dei, hoc est mediatoris ex utraque natura constantis [4]. « Nominato, *inquit*, in baptismate [5], si non est una Dei, hominisque persona, quæ persona nominatur? Si dixerint, filii Dei; nec hunc esse confitentur filium hominis, quem filium Dei; ergo omnis a regenerationis sacramento gratia Mediatoris aufertur. *Unus est enim*, sicut dicit Apostolus [6], *mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* Et si, quod absit, nominato in baptismate Filio, sola filii Dei persona nominatur, et persona filii Dei hominis non commemoratur, mediator non nominatur. Et quomodo sine mediatore Pater reconciliatur? » Quo etiam pertinet illud ejusdem apostoli [7]: *Quicumque baptizamur in Christo, in morte ipsius baptizamur.* Nec minus ad illustrandum Ferrandi hoc argumentum valet, quod libro tertio animadvertimus [8], personam, sive hypostasim Christi sic utramque naturam continere, ut tamen Dei propria sit. Quare non aliter intelligi potest Filius, quam ut Deus, perinde ut homo, censeatur.

IX. Sed ejusdem Ferrandi verbis, libet omnes illas, quas attigi, rationes in summam conferre. « Proinde illi, ait in fine epistolæ ad Severum [9], quos negare adseris Dominum nostrum Jesum Christum unum esse de sancta, et individua Trinitate, si fatentur Dominum nostrum Jesum Deum esse Dei filium, factum hominis filium; et ideo nominato Domino Jesu Christo, non hominem purum, sed divinam simul, et humanam substantiam nominari: si fatentur Deum Trinitatem, Patrem esse, et Filium, et Spiritum sanctum; et hunc filium, sine quo Trinitas nunquam fuit, et quo carnem suscipiente, mansit Trinitas, sicut semper est Trinitas ex initio incarnationis suæ, ipsum esse intelligunt Dominum Jesum Christum; quid ad nos quibuslibet verbis rectam prædicent fidem? »

[1] Ib. 438. — [2] 1. Cor. 1. — [3] To. 3. Bib. 331.

[4] Ferrand. ad Sever. to. 4. Bib. 337. C. — [5] Deest *Filio.* — [6] 1. Tim. 2. 5.— [7] Rom. 6.— [8] Lib. 3. c. 13. § 5.— [9] 342. A.

Nihil ergo aliud sententia ista significat, nisi « ipsum esse passum carne, qui de Patre Deo natus est, id est Christum; ne putetur homo purus tolerasse passionis injurias, ut idem Ferrandus scribit [1], hoc ergo dicit quicumque unum de Trinitate passum dicit : Non est quarta persona, qui passus est; sed ad numerum pertinet Trinitatis. » Atque ad Nestorianam præsertim cavendam hæresim valet ista professio. « Quid enim nos contra calumniantes Eutychianos manifestius probat a fallacia Nestorianorum penitus alienos, ait Facundus [2], quam si duo hæc asseramus, id est, unum de Trinitate pro nobis crucifixum; et beatam Mariam recte vocari, et vere, et proprie matrem Dei? » At Ferrandus tam Eutychem, quam Nestorium percelli hoc modo demonstrat [3] : « Unum de Trinitate passum Nestorianis non immerito displicet. Introducere enim quartam personam volunt, cui accidisse æstimant passiones. Eutychianis autem unum de Trinitate passum non recte placet, si tamen placet. Ipsi enim duas Christi permanere naturas evidenter negare contendunt : quibus per hoc capitulum manifeste contradicitur, insinuata una substantia per hoc, quod passus infertur. Passio enim commemorata testimonium est naturæ passibilis : natura passibilis intellecta, maxime in illo, qui unus de Trinitate (est), duarum substantiarum clarissimam reddit distinctionem. » Eadem fere argumenta contra Acœmetas monachos ad illius sententiæ patrocinium attulerunt Joannes secundus papa [4], aliique qui de ea re disputarunt.

X. Neque vero magnus labor est, quæ adversus istam formulam objici solebant, cum primum est vulgata, dissolvere. Horum primum illud est, quod ab Dioscoro legato scriptum esse supra [5] meminimus ad Hormisdam: Eutychianos admodum illa delectatos esse, et ut in usum admitteretur, omni ope contendisse. Nam et Eutychis discipulos in concilio Chalcedonensi eam proposuisse : et Anastasium imperatorem multum elaborasse, ut illam Catholicis obtruderet. Idque adeo Petri Fullonis exemplo comprobatur, qui, ut paulo ante demonstravimus [6], Antiochiæ primum ausus est eamdem publice pronuntiare. De Petro Fullone jam satis dixi, deque nefaria illius impietate, quam verbis istis obtegebat : ut propterea minime tolerandum, aut dissimulandum tanto cum fidei periculo præconium illud fuerit, quod idem et in Anastasio imperatore valet; cujus eadem causa, et in sacrilego errore tuendo, par studium: sed in propagando, et roborando, plus virium, ac potentiæ fuit. Itaque vafris, et in perniciem Ecclesiæ cessuris illorum consiliis acerrime tum refragari oportuit.

De Eutychis discipulis quod refert Dioscorus, hoc Ferrandus expressius ad Anatolium scribit [7], Eutychetis apocrisiarium sententiam istam in Chalcedonensi concilio protulisse. Cui sic ille respondet : « Nec movere quemquam debet, si vere hanc sententiam, sicut a quibusdam dicitur, Eutychetis protulit apocrisiarius in Chalcedonensi concilio. Sæpe etiam per ignorantes loquitur veritas. Patres autem nostri in concilio positi sensum loquentis, non verba considerantes, nec illum propter hanc sententiam pronuntiarunt catholicum; nec ipsam sententiam catholicis tunc inserere definitionibus voluerunt; ne viderentur intellectum loquentis (for. *non minus*) adprobasse quam verba. Mirabiliter tamen Spiritus sanctus postea fideles admonuit, etiam post hanc sententiam revinci Eutychianistas, in qua duarum plena est prædicatio naturarum. »

In actis concilii Chalcedonensis non memini extare vocem ejusmodi ab Eutychis apocrisiario prolatam. Nam nec ullus Eutychis nomine in illa synodo comparuit: nec se Eutyches purgavit: nec de hujus persona omnino est actum, ut qui jam duarum synodorum Constantinopoli celebratarum sententia damnatus esset; ut in primo libro animadvertimus [8]. Verum post Constantinopolitanam synodum [9], cui Flavianus Constantinopolitanus episcopus præfuit, ac damnatum Eutychen anno 448. cum libello supplice Imperatori oblato questus esset Eutyches, acta Concilii ab notariis falsata esse; jussu Imperatoris coactis episcopis, anno sequente 449. eadem acta relecta sunt, præsentibus Eutychis apocrisiariis Constantino, Eleusinio, et Constantio monachis. Qui cum nonnulla identidem adversus actorum fidem objecissent, nihil de sententia illa memoratum ab iis occurrit, qua unus ex Trinitate passus dicitur.

XI. Præterea quibusdam argumentis oppugnare illam ipsam instituerunt, quibus ea initio non placuit: quorum unum hoc est a Ferrando proditum [10], quo usos ait Eutychia-

[1] Ib. in epist. ad Anat. 328. A. — [2] Lib. 1. c. 2. — [3] Ep. ad Anatol. 329 D. — [4] Joan. papa in ep. 3. ad Senat. to. 3. Conc. p. 850. — [5] § 5.

[6] § 4. — [7] Ferrand. to. 4. Bib. 331. E. — [8] Cap. 13. § 13. — [9] Vide id c. § 4. et Acta Chalc. Syn. Act. 1. p. 131. — [10] Ferrand. ad Anatol. col. 332.

nos, ut ex ista formula suam hæresim approbarent, unamque Christi naturam esse suaderent. *Si unus*, inquirebant, *est Christus de Trinitate, et Trinitas unius est substantiæ: unius ergo substantiæ Christus est.* Sed hoc Ferrandus dissolvi asserit ex eo, quod duæ naturæ distincte concipiuntur, cum dicimus, *Christum esse passum*: vel hoc etiam addito, *in carne passum* esse. Hinc enim facile omnes intelligunt, non divinitate ipsa, hoc est natura una, et singulari, Christum esse passum: sed altera, quæ sola pati crucifigique potuit, humana substantia. Rursus instabant Nestoriani, quibus potissimum adversabatur enuntiatio illa: Qui confitetur crucifixum unum ex Trinitate, etiam Patrem et Spiritum crucifixos fatetur. Ita Proclus apud Maxentium [1] argumentatos illos esse significat. Qui et subinde respondet: Christum in hac ipsa substantia, qua unum est cum Patre et Spiritu sancto non esse passum. « Si autem diceremus eum divinitate crucifixum, revera in Trinitate passionem induceremus. Si autem dicimus, quod in carne sua passiones Verbum suscepit, confitemur, quia et unus est de Trinitate, qui passus est, et Trinitatis natura impassibilis mansit.» Item: « Hoc crucifixum est, quod incarnatum est. Si autem quod incarnatum est, crucifixum est; Pater autem et Spiritus non est incarnatus: unus ergo de Trinitate est crucifixus. » Tum Ferrandus recte [2]: « Sicut quisquis Deum prædicat passum, non substantiam divinitatis facit passibilem, sed divinitatis impassibilis, et humanitatis, quæ subjacuit passioni, unam monstrat esse personam: sic unum de Trinitate passum prædicans, unitatem personæ commendat in utrisque naturis, excludens Nestorianæ hæreseos nefariam perfidiam, qui doctrinam duos filios inducentis neget. »

Futile est hoc etiam argumentum, quod ab iisdem oppositum adversariis refert Maxentius [3]: sequi ex eo divisionem Trinitatis fieri. Verum sic ille statim occurrit: « Si Deum ex Deo dicere, divisionem non facit divinitatis, multo magis unum ex Trinitate dicere, divisionem non facit Trinitatis. Quia non secundum id, quod unus est Deus, una divinitas Trinitatis: sed secundum id quod tres sunt, id est, Pater, et Christus, et Spiritus sanctus, unus Deus, Christus dicitur unus de Trinitate, qui pro nobis passus est carne. »

Sic illud Nestorianorum joculare est, quod in Dialogo secundo proponit Maxentius [4]: « Quidquid ex aliquo esse dicitur, aut per generationem, aut per processionem alterum ostendere ex altero. Quare si Christus ex Trinitate est, aut per generationem alter est, et est filius Trinitatis, aut per processionem alter est, quasi a Trinitate procedens: » velut Spiritus sanctus. Ne puero quidem difficile est hoc, quod Maxentius respondet, in promptu habere: neutro illorum modorum intelligi ex Trinitate esse Christum; «sed juxta numerum; sicut solemus unum quemlibet ex duobus, vel tribus, pluribusve specialiter demonstrare. » Ut Christus in Evangelio [5], *Unus*, inquit, *ex vobis tradet me.*

XII. Postremo tritum illud, et a plerisque jactatum, sed sola specie molestum, reipsa vero perfacile, apud Ferrandum et Facundum aliosque legitur [6]: « Ne dicentibus, unus de Trinitate passus, inquisitor acerrimus dicat: Quid unus? et respondentibus, filius; iterum dicat: Ergo si unus est Filius de Trinitate, vel unus est Trinitatis; filiorum est Trinitas; aut Trinitatis est filius. Respondentibus: Deus, dicat: Quomodo est quispiam unus Deus de Trinitate, cum non sit unus Deus, nisi Trinitas?» Cui sic obviam it Ferrandus: « Huic dubitationi facile, inquit, occurritur, si quid sit Trinitas, consideremus. Trinitas enim, quod sæpe dicendum est, personarum est Trinitas. Quid ergo Trinitas nisi tres personæ? Quæ sunt tres personæ, nisi Pater, Filius, et Spiritus sanctus? In hac ergo Trinitate neque Patres invenis, neque Filios tres, neque Spiritus sanctos tres, et propterea securus dicis: Unum de Trinitate filium, quia non est in Trinitate Filius nisi unus, cujus personam significantes dicamus, unum de Trinitate passum. » Clarius, et uberius idipsum Facundus exponit [7]: qui et similium locutionum exemplis hanc calumniam depellit. Quippe Trinitas de seipsa loquens [8], *Ecce factus est*, inquit, *Adam unus ex nobis.* « Numquid unus Deus ex nobis, quasi ex tribus? aut unus Pater ex nobis, quasi ex tribus Patribus? aut unus Filius, vel Spiritus sanctus ex nobis, quasi ex tribus Filiis, vel tribus Spiritibus sanctis? » Sic Joannes in canónica sua [9]: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt.* Ubi simili cavillatione quæri potest, quid tres isti sint.

«Proinde considerare debent, ait Facundus [10],

[1] Maxent. in Prof. to. 4. Bib. 437. — [2] Ad Anat. 328. C. — [3] Max. 438. — [4] Ib. 486. — [5] Marc. 14. 18.

[6] Ferrand. to. 4. Bib. col. 332. C. — [7] Lib. 1. c. 3. p. 14. — [8] Gen. 3. 22. — [9] 1. Joan. 5. 7. — [10] P. 16.

qui verborum captionibus supervacue student, quia non simul, et conjuncte dicimus, unum Filium ex Trinitate crucifixum, ut tres aut duos filios inducere videamur, sed prius dicentes quod magna Synodus confirmavit, unum ex Trinitate incarnatum, vel passum, vel crucifixum, cum interrogati fuerimus, quem unum de Trinitate dicamus, recte postea respondemus, Filium. Non autem recte simul diceretur unus Filius ex Trinitate incarnatus, aut passus, aut crucifixus. Sed non est consequens ut quæ simul non recte dicuntur, etiam sigillatim non recte dicantur. »

XIII. Hoc loco non est prætermittendum, variis modis controversas istas enuntiationes proponi solitas; ac nonnullos nimis in earum delectu, et approbatione, vel rejectione, morosos, et anxios fuisse. Quidam enim *unum de Trinitate* dici minime ferentes, *unam de Trinitate personam* libenter usurpabant. Quos quidem Nestorianæ hæresis insimulat Joannes Maxentius[1]: et *unam personam* sic illos interpretari dicit, quemadmodum Nestorius, *unam Christi personam ex duabus personis, per conjunctionem, et gratiam copulatis* fieri putabat: ut in primo libro meminimus[2]: non *ut ex duabus naturis naturaliter unitis una persona confieret*.

XIV. Verum hanc Maxentii suspicionem per fucum, et calumniam ab illo injectam arbitror; ut Dioscoro Romani Pontificis Hormisdæ legato invidiam strueret[3]: a quo male acceptus, et in crimen vocatus fuerat: uti supra diximus. Porro non tam hæreticos, quam Catholicos nonnullos existimo sententia illa, quæ *unum ex Trinitate passum* dicebat, offensos iis de causis, quas paulo ante commemoravi[4]: maxime quod responderi non posse crederent, ecquid unus ille esset, Deus, an filius, nisi Deos filiosve plures Trinitatem habere diceres: ob hujusmodi, inquam, rationes abstinendum ab illa loquendi formula censuisse Catholicos aliquot puto, ac potius adhibendam hanc, ut *unam de Trinitate personam passam esse* diceretur: cum tres in Trinitate personas agnoscat Christiana professio; quarum unam interroganti responderi possit esse crucifixam. Hanc fuisse præcipuam causam istius amplectendæ potius, quam alterius enuntiationis, indicat Facundus Hermianensis[5], qui et Catholicos, qui ita sentirent, fuisse docet, et ea ipsa, quam exposui, ratione commotos. At ipse demum utrumque dici recte asserit: *Et unum ex Trinitate crucifixum; et unam ex Trinitate personam:* nisi quod ad repellendos Nestorianos minus hæc, quam illa, sit apta professio, quod *unam personam* hæretici isti non bona fide intelligerent; ut sola dignitatis, et auctoritatis unitas in ea contineretur, non naturarum propria, et substantiva copulatio, quod ex Maxentio jam diximus.

Sic etiam Ferrandus ambo hæc catholice pronuntiari non dubitat[6]: « Hoc est quippe unum de Trinitate, quod est unam personam de tribus personis, quoniam si dicas: Una est persona Christi, nihil aliud dicis quam, Unus est Christus: et si dixeris: Unus est Pater, aut Spiritus sanctus, nihil aliud dicis, quam Una est persona Patris, aut Spiritus sancti. »

XV. Huc etiam spectat, quod vocabulum, *unus* proprie, ac per se personam significat; substantiam autem, nonnisi *addito substantiæ proprio, manifestoque vocabulo:* ut cum dicis, *Trinitas est unus Deus.* Alioqui non potes absolute loqui sic: *Pater et Filius et Spiritus sanctus unus sunt.* Ita Ferrandus, qui hoc insuper animadvertit; non sic dici *Christum unum de humanitate*, sicut dicimus, *unum de Trinitate:* quamvis eumdem ut Deum dicamus, *et hominem.* « Deum quippe cum dicimus, recte etiam hominem dicimus: quia Deus et homo nomina substantiarum sunt: unus autem, quia proprie personam significat; unus et unus nequaquam cogimur dicere, ne duas videamur adseverare personas. » Præterea persona ipsa, in qua naturæ duæ subsistunt, Verbi propria est. « Ideo dicere nullatenus possumus unum de Trinitate, et unum de humanitate, vel unum Trinitatis, et unum humanitatis: quia in Christo Jesu personam propriam separatim non habet humanitas, sed persona Verbi Dei, a quo suscepta est ipsa, illi facta est propria. »

Quod si quis expendere ista subtilius velit, minus profecto Ferrandi rationem illam probabit, quæ in dispari ac dissimili vocabulorum genere conflictatur. Siquidem duæ istæ voces, quas inter se comparat, *Trinitas, et humanitas*, non eadem notione censentur; nam prior personas proprie significat, earumque numerum: posterior vero, naturam, sive substantiam. Sunt autem personæ tres, *ex quibus*, sive *quarum una est Christus;* adeoque *unus ex tribus;* at *humanitas* naturam ipsam indicat. Ac si

[1] Dial. 2. to. 4. Bib. col. 487. et in Respons. 452. et seq. — [2] Cap. 9. — [3] Vide Max. Resp. ad Hormisd. ad Poss. to. 4. Bib. col. 452.

[4] § 10. et seq. — [5] Facun. lib. 1. c. 3. — [6] Ferrand. in epist. ad Anat. col. 331.

quis plures homines, hominumve personas uno aliquo numerali nomine comprehenderet: velut si totam, in qua Christus numeratus est, Josephi familiam, tribus constantem capitibus, hoc est præter hunc patrem-familias, Maria virgine, ac puero Christo, ternarium, aut etiam trinitatem vocaret: profecto nemo sic illum loqui prohiberet: Christus qua homo, unus fuit ex ternario, vel trinitate illa hominum, aut absolute sic; Christus unus est ex hominum numero. Sed hæc nimis anxie, ac subtiliter enucleata missa faciamus.

XVI. Non defuerunt qui *unum in Trinitate* confitentes, *unum ex Trinitate* repudiarent, quemadmodum sentire visus est Justinianus, antequam imperator esset, ad Hormisdam scribens [1]. Nestorianus item ille, quem secum disputantem in dialogo secundo Joannes Maxentius introducit [2], « unum in Trinitate Christum fateri, Catholicum judicat, non autem unum ex Trinitate. » Quem subinde Maxentius suspectum agit infidæ, atque hæreticæ opinionis, tanquam « Christum a Trinitate creatum, ita esse credat in Trinitate, ut non sit de Trinitate, hoc est non eum secundum esse, sed secundum inesse cognoscat. Sicut et unusquisque nostrum est in Trinitate; quia unus est Deus, in quo vivimus, et movemur, et sumus. Vel certe sicut dicitur, Pater in Filio, alter docetur in altero: ita quum esse dicitur Christus in Trinitate, alius præter Trinitatem inesse intelligitur Trinitati. » Verum nihil istud est, et constat, veteres quosdam sine ullo discrimine utrumque pronuntiasse: uti mox ostendam. Quippe *unum in Trinitate* dicere *Christum,* idem est atque *unum ex Trinitate* confiteri; sicut unum dicere Petrum de duodecim apostolis, et unum in duodecim, quod idem plane est, atque inter duodecim.

Postremo nonnulli in quacumque illarum enuntiationum desiderari aliquid arbitrati sunt, addique voluerunt, passum, vel crucifixum *in carne*, sive *secundum carnem*, ut adversus Arianorum, vel Apollinaristarum, Eutychianorumve, atque omnino Theopaschitarum nefaria commenta præscriberetur; qui divinitatem ipsam illa expertam, quæ sunt humanæ propria imbecillitatis, asserebant. Quibus ille sine ullo fidei periculo satisfieri posse judicat Ferrandus [3]: sed admonendos tamen, nihil esse necesse nominatim ita concipi. « Non enim totiens aut divinitatem Christi, aut humanitatem negari, quotiens non simul sono vocis enuntiantur. » Ut cum Paulus ita loquitur [4]: *Unus est mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* « Ecce hominem dixit, Deum tacuit: non tamen ideo negavit. » Quinetiam ex eo quod passus dicitur, caro ipsa, vel humana natura statim intelligitur [5]. « Passio enim commemorata, testimonium est naturæ passibilis; natura passibilis intellecta maxime in illo, qui unus de Trinitate (dicitur) duarum substantiarum clarissimam reddit distinctionem. »

CAPUT TERTIUM.

Usus sententiæ illius, *Christus unus est sanctæ Trinitatis* : vel *Unus de Trinitate passus, et crucifixus,* veterum Patrum testimoniis approbatur; — 1. Ac primum, synodalium decretorum. De Chalcedonensi dubitatur, an in ea sancita fuerit, aut usurpata hæc formula. Asserunt aliqui; — 2. alii negant; — 3. solvitur hic nodus ex Liberato diacono : quatenus ista synodus illam approbaverit. — 4. Theodorus Abucara perperam in ejusdem synodi definitione contineri scripsit. — 5. Aliarum synodorum, et Romanorum Pontificum consensus in eamdem vocem. — 6. Tum Patrum ceterorum.

I. Superest ad hanc disceptandam, terminandamque controversiam, quam in explicanda longiores opinione nostra fuimus, ut antiquos Patres illarum de Christo loquendi formularum auctores, ac vindices aliquot excitemus. Et ut major sanctiorque est plurium simul, et in synodalibus consessibus, quam separatim dicentium auctoritas, commemoranda primo loco sunt conciliorum placita;

1 Tom. 3. Conc. p. 727. — 2 Tom. 4. Bib. 486. et seq.

3 Ferr. ad Anatol. col. 328. et seq. — 4 2. Tim. 2. — 5 Ferrand. 329. C.

quod caput difficilem nonnihil habet quæstionem : ut vel eo nomine, pœnitenda non sit opera nostra, quam in testimoniis istis exquirendis adhibemus. Est autem de Chalcedonensi concilio tota quæstio : cujus auctoritate comprobatam illam sententiam, veterum affirmant aliqui ; alii omnino negant. Ut a posterioribus incipiam ; qui primi controversiam illam excitarunt, Scythæ monachi, nihil ab Chalcedonensi synodo de hac re definitum, aut ullo modo significatum esse ingenue sunt fassi : ac propterea non eam sufficere dixerunt, nisi uberius exponeretur : ut supra latius explicavimus[1]. Quinetiam legati Sedis Apostolicæ, imprimisque Dioscorus, hoc maxime telum novam istam in professionem jecerunt ; asserentes sufficere Chalcedonensem synodum, nec admittendam novitatem illam, quæ ad minuendam ejus auctoritatem pertineret, cum ex eo sequeretur, mancam illam fuisse, et necessaria professionis aliqua parte caruisse. Vide quæ in illa capitis superioris sectione quinta, de ambarum conflictione partium exposuimus.

II. At vero Chalcedonensem synodum hanc approbasse, ac sanxisse formulam, asseverant aliqui. Facundus Hermianensis in libro primo, capite tertio, diserte hoc inculcat : et inter alia sic de eo scribit[2] : « Nihil est igitur quod de verbo reprehendamur, dicentes unum de Trinitate incarnatum, sive passum, sive crucifixum. Quod etiam sancta Chalcedonensis Synodus divinarum Scripturarum auctoritate, et antiquissimorum Patrum testimoniis informata, videns a magno Proclo ad Armenos utiliter scriptum, et a sapientissimo Joanne Antiocheno, et ceteris Orientalibus episcopis in Concilio approbatum, convenienter ipsa quoque firmavit. » Ephræmius item Antiochenus, sive Theopolitanus patriarcha (vixit autem hic Justiniano imperante ; ut qui ad Anthimum Trapezuntis episcopum scripserit[3] ; quem inde Constantinopolitanam ad sedem transtulit Theodora imperatoris uxor, an. 535.) apud Photium ait, « (1) Ecclesiam Dei, et Chalcedonensem synodum unum sanctæ Trinitatis Deum Verbum incarnatum, et hominem factum profiteri. » Quanquam suspicari possumus, non illam integram sententiam ab Chalcedonensi usurpatam synodo voluisse sanctum illum patriarcham : sed Deum Verbum duntaxat carnem suscepisse, *quacum secundum hypostasim sit unitus* : Ephræmium vero voces illas, *unum sanctæ Trinitatis*, inseruisse, non quæ Synodus expresserat, sed quæ Deo Verbo convenirent, et quæ commodum sub id tempus admitti ab Ecclesia cœpissent. Verum de Facundo non idem dicere possumus. Nimis enim aperte Chalcedonensem Synodum ait ejusmodi sententiam firmasse.

III. Nodum hunc solvit Liberatus in Breviario, capite decimo : ubi refert, Proclum Constantinopolitanum episcopum ab episcopis Armeniæ rogatum, ut de Theodori Mopsuesteni libris, et dogmatibus sententiam suam expromeret, « Tomum Armeniis scripsisse, ac destinasse, (hæc illa est Procli celebris ad Armenios epistola,) in quo posuit ad interimendas Nestorianorum versutias, qui duas in Christo inducunt personas, unum de Trinitate incarnatum : quem et direxit Joanni Antiocheno, etc. Joannes autem, et qui cum eo erant congregati episcopi, legentes tomum, et ejus laudantes compositionem, subscripserunt in eo, et Proclo transmiserunt. Hunc et Chalcedonensis synodus per relationem suam, quam Marciano imperatori direxit, ad probandum, non tantum gestis synodalibus, verum etiam epistolis fidem constare, inter sanctorum Patrum epistolas suscepit et confirmavit. »

In parte tertia actorum concilii Chalcedonensis, initio legitur synodi totius *allocutio*, vel *relatio*, ut Liberatus vocat, ad Marcianum imperatorem, in qua Leonis epistola propugnant Patres, docentque nihil ab illo præter solitum, aut vero dignum reprehensione esse factum, quod epistolam illam, tanquam novam fidei expositionem, ad Flavianum scripserit; alioqui tum Patres ceteros, ut Athanasium, et Gregorium Nazianzenum ; (2) tum vero Proclum vituperari debere ; qui tomum a se scriptum ad Armenios, Orientalibus approbandum miserit ; necnon Joannem Antiochenum accusandum : qui cum

(1) Ephræm. apud Phot. cod. 228. pag. 406. Καὶ ὅτι ἡ ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ, καὶ ἡ ἐν Καλχηδόνι σύνοδος τὸν ἕνα τῆς ἁγίας Τριάδος Θεὸν Λόγον ὁμολογεῖ σαρκωθῆναι, καὶ ἐνανθρωπῆσαι, οὗ καὶ τὴν καθ' ὑπόστασιν οἶδε, καὶ κηρύττει ἕνωσιν.

(2) Conc. Chalc. alloc. pag. 469. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὸν μέγαν τῇ αὐτῇ τις ἂν Πρόκλον περιβάλοι γραφῇ, τὸν πρὸς Ἀρμενίους τόμον τοῖς τῆς ἀνατολῆς εἰς συμφωνίας ἀπόδειξιν διαπέμψαντα, κοινωνήσει δὲ τῆς αἰτίας, καὶ τὸν σοφὸν τῆς Ἀντιοχέων Ἰωάννην, ὃς τῶν αἱρετικῶν τὰς λοιδορίας ἀποσειόμενος, καὶ τῆς Ἀποστολικῆς διδαχῆς τὸ εὐθὲς ἐνδεικνύμενος τῆς ἑῴας, ὡς ἐκ μιᾶς γλώττης τῷ ὁσίῳ Πρόκλῳ, καὶ τῷ τῆς οἰκουμένης τὰ σκῆπτρα διέποντι τὴν ὁμολογίαν ἐξέπεμψε.

[1] § 5. — [2] Facund. p. 20.

[3] Phot. cod. 228. p. 407.

synodo sua litteras ad Proclum, et ad Imperatores, fidei suæ testes allegavit. Hic ille locus est, in quem Liberatus, et Facundus digitum intendunt: ubi Chalcedonensis synodus, probatis, laudatisque Procli, et Joannis epistolis, quod in illis Procli continebatur, ratum habuisse videtur: quod cujusmodi sit, paulo post videbimus. Jam supra monuimus [1], epistolam Procli, sive tomum ad Armenos, qui græce est editus, nonnullos mutilam existimare: quod citantur ex illo quædam a Maxentio, quæ absunt ab vulgatis editionibus istius tomi: imo etiam ab latina interpretatione Dionysii Exigui; qui Procli epistolam latine vertit. Utrobique enim solum hoc legitur: « (1) Deum Verbum unum ex Trinitate incarnatum. » Apud Maxentium vero [2] alia duo loca ejusdem tomi descripta reperiuntur, in quibus « unus de Trinitate crucifixus carne, et passus » dicitur. Quinetiam Joannes secundus in epistola ad Senatores eumdem Procli locum ex epistola ad Occidentales citavit, quem Maxentius secundo loco posuit. Cyrillus quoque sub finem epistolæ, vel tractatus de Symbolo, locum alium Procli Constantinopolitani episcopi adhuc superstitis laudat ex epistola ad Orientales. Quæ omnia Procli operum editor fragmenta esse putat unius scriptæ ad Armenos epistolæ, nempe tria illa, quæ Maxentius affert, ac nominatim epistolæ Procli ad Armenos assignat; e quibus secundi partem citari diximus ab Joanne papa, qui alterum præterea locum refert, sed utrumque ex epistola ad Occidentales. Ita quinque fragmenta illius epistolæ ad Armenos ab vulgatis græcis abesse, necnon ab latina versione Dionysii Exigui, affirmat vir eruditus, qui Procli opera collegit.

IV. Ego vero integram hodie Procli ad Armenos epistolam extare arbritror: et quæ illi deesse creduntur, non ad illam pertinere, sed ad aliam, quam ad Orientales elucubravit. Cujus meæ opinionis habeo argumenta probabilia tria. Primum est, quod græca epistola Procli ad Armenos nihil ejusmodi continebat, quale in tribus citatis a Maxentio fragmentis legitur: nimirum hoc: *Unus de Trinitate crucifixus*, vel *passus est*: sed hoc solum, *Unus de Trinitate incarnatus est*. Testes sunt hujus rei Dionysius Exiguus, qui in præfatione ad epistolam Procli latine a se redditam, cum ejusdem scribendæ rationem, et argumentum explicat, nihilo plus in ea docere instituisse illum asserit, quam « Christum Dominum, et in principio Verbum apud Deum, unum de Trinitate esse, et pro salute nostra eumdem verum hominem factum, unum mansisse Filium, nec quartam in Trinitate crevisse personam. » Nusquam autem enuntiationem hanc attribuit: *Unum de Trinitate passum*, vel *crucifixum esse*. Differt autem hæc nonnihil a superiore, qua dicimus: *Unum de Trinitate incarnatum fuisse*: ut initio capitis antecedentis animadvertimus. Sed et Liberatus diaconus in Breviarii capite decimo, unum istud in epistola sua ad Armenos posuisse Proclum adstruit: *Unum de Trinitate incarnatum*; non omissurus utique, *crucifixum passumque esse*, si hoc in epistola Procli legisset: cum per idem tempus insignis versaretur inter Catholicos ea de re contentio, ut in eodem Breviario capite vicesimo testatur [3]: ubi et Romæ cum esset, Joannem pontificem vere illud usurpari decrevisse narrat.

V. Alterum argumentum est, quod post annos fere quinquaginta, quam ad Armenos scripta illa Procli fuerat epistola, cum Petrus Fullo Antiochiæ, cujus episcopatum invaserat, illud pro concione dixisset, *unum de Trinitate passum esse*, ingens hoc audito tumultus est consecutus, et eo nomine acriter ab Romano pontifice Felice tertio reprehensus est: cum tamen Procli ad Armenos epistola per universam Ecclesiam recepta passim legeretur, præsertim Alexandrini, et Antiocheni, aliorumque præsulum auctoritate, ac subscriptione robur adepta: et quod amplius est, ab Chalcedonensi tota synodo in relatione ad Marcianum impecatorem laudata. Quinam ergo Petrus ille Cnapheus tantam ex eo suscepisset invidiam, quod illud ipsum Antiochiæ prædicasset, quod in epistola Procli eadem, cui præerat, Ecclesia cum episcopo suo Joanne comprobasset?

Quid illa, Justino imperante, de eadem orta quæstione dissentio, quam in primo libro [4] descripsimus? Cur statim atque ab Scythis monachis est edita sententia hæc, *Unum de Trinitate crucifixum* esse, sub novitatis elogio damnata primum est et proscripta? quando et Apostolici legati contra monachos illos tantopere commoti sunt; et Hormisda ipse Romanus pontifex eodem stilo, et apostolica auctoritate persecutus est. Quod nunquam, opi-

(1) Procl. ad Arm. tom. 2. bib. PP. pag. 314. E. Ἀλλ' ὁμολογοῦντες τὸν Θεὸν Λόγον τὸν ἕνα τῆς Τριάδος σεσαρκῶσθαι.

[1] § 6. capitis antec. — [2] Maxent. in Profess. to. 4. Bib. 437. — [3] Vide quæ lib. 1. c. 18. § 5. scripsit. — [4] Cap. 18.

nor, accideret, si in celebri, et omnium trita manibus epistola Procli ad Armenos, illud ipsum extitisset.

Tertio non leve istud est opinionis nostræ præsidium, quod Joannes secundus epistolam Procli, unde lacinia illa sumpta est, non ad Armenos, sed ad Occidentales inscriptam fuisse significat : sive potius ad Orientales, ut est apud Cyrillum, qui aliud ex eadem hac epistola fragmentum attulit.

Quocirca Proclum existimo non in ea, quam ad Armenos scripsit, epistola talia scripsisse, sed in altera, quam ad Orientales misit, minus cognita, neque publico suffragio probata. Non enim probabile est, tanquam ex compacto, tot illa fragmenta ex iis exemplaribus erasa fuisse, quibus Ephræmium, Liberatum, et Dionysium Exiguum usos esse constat; qui nihil aliud, nisi *unum ex Trinitate incarnatum esse*, ibi scriptum a Proclo significant. Crediderim igitur Maxentium præpropere relegentem illa Procli, quæ in altera epistola continebantur, celeberrimæ illi ad Armenos imputasse. Quod et Facundo evenisse fit ex eo verisimilius, quod is in præfatione, de angustia dati sibi ad respondendum temporis, deque mendositate codicum, quibus initio est usus, excusationem petiit.

VI. Ceterum tametsi illa ipsa, quæ in fragmentis leguntur, de *uno ex Trinitate passo, et crucifixo*, ex tomo ad Armenos decerpta credantur; non ideo formula ista loquendi Concilii œcumenici auctoritate sancita videri debuit, quod in allocutione ad Imperatorem a Patribus edita, inter catholica scripta tomus ille commemoratus est. Quippe aliud est epistolam, sive scriptum quodlibet in catholicis numerare : aliud ea omnia sigillatim pro catholicis approbare, quæ in illo continentur. Quod adversus epistolam Ibæ ad Marim Persam, in Chalcedonensi receptam synodo, quintæ Synodi Patres exceperunt : et qui deinceps famosa illa capitula tria damnarunt. Itaque mirum non est, tam Hormisdæ legatos dixisse, nullam in Chalcedonensi concilio mentionem istius formulæ fuisse factam, quam Scythas ipsos monachos illius assertores id ultro esse confessos. Non enim aperte, et ex semetipsis illam protulissent Chalcedonenses Patres; sed oblique, et ex consequenti solum, quatenus epistolam Procli, in qua illud extaret, inter orthodoxas, et probas ascivissent. Est tamen profecto cur miremur, eamdem illam formulam, statim ut e Scythis monachis est audita, ob id præsertim, quod nova esset, ab Catholicis omnibus vexatam, et explosam fuisse; si eam Proclus antea tanti nominis, et auctoritatis episcopus, ubicumque tandem id fecerit, plus semel usurpasset. De qua re velim attentius cogitent eruditi.

Atenim Theodorus Abucara in Opusculo quarto, Chalcedonense concilium asserit definivisse, (1) *Christum esse unam hypostasim ex Trinitate duas naturas habentem, divinam et humanam.* Verum nusquam hoc expresse decrevit illa synodus : tametsi id ejus ex sententia deducitur. Siquidem in fidei definitione, quam citat Abucara, quæ est in actione quinta [1], unam esse sciscit hypostasim Christi, atque personam duabus naturis præditam, eumdemque esse filium unigenitum : et alia ejusmodi ; ex quibus unus de Trinitate, vel una de tribus persona colligitur : quod tamen diserte non exprimitur. Sed jam ceteros suffragatores formæ istius audiamus, tam qui unum de Trinitate Christum esse vel incarnatum esse simpliciter dixerunt : quam qui unum de Trinitate passum, et crucifixum.

VII. Quinta Synodus in canone quarto, « (2) Dominum nostrum Jesum Christum » nominat « unum de sancta Trinitate. » Et in quinto canone similiter, « (3) Incarnatum unum de sancta Trinitate, Deum Verbum. » Ad eamdem synodum pertinet quæ in ea recepta est, et in acta relata Justiniani imperatoris Professio fidei adversus tria capitula. In qua [2] « unum sanctæ Trinitatis incarnatum » vocat « Dominum Jesum Christum. » Et in anathematismo sexto [3], damnatur quisquis hoc minime profitetur.

Sexta quoque Synodus eamdem formulam probavit, dum Agathonis papæ synodicam recepit, quæ actione quarta recitata est, et admissa. In ea porro [4], « una de tribus personis sanctæ Trinitatis Dei filius dicitur. » Et in actione 18. [5] Constantini imperatoris edictum

(1) Abuc. pag. 392. tom. 2. Bib. PP. Οὐκοῦν τὸ τῆς εἰς Χριστὸν ὁμολογίας ἀληθινὸν δόγμα ὁ τῆς ἐν Καλχηδόνι συγκεκροτημένης θείας συνόδου τῶν ἁγίων πατέρων ὅρος ὀρθοτομεῖ, τὸν Χριστὸν ὁρίζων, μίαν ὑπόστασιν ἐκ τῆς Τριάδος εἶναι δύο φύσεις ἔχοντα, φύσιν θείαν, καὶ φύσιν ἀνθρωπίνην.

(2) Quinta Syn. can. 4. Ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς εἷς τῆς ἁγίας Τριάδος.

(3) Ead. can. 5. Καὶ σαρκωθέντος τοῦ ἑνὸς τῆς ἁγίας Τριάδος Θεοῦ Λόγου.

[1] Concil. Chalc. p. 340. — [2] Syn. 5. p. 347. E.

[3] Ib. p. 356.— [4] Tom. 5. Concil. p. 34. E.— [5] Ib. 289. D.

habetur, in quo idem occurrit. Sic in septima Synodo, actione tertia [1], Tarasii epistola ad patriarchas tres legitur idipsum exprimens : necnon synodica Theodori Hierosolymitani patriarchæ [2].

Adjungendum his est Lateranense concilium, cui Martinus papa præsedit. In hoc enim Synodi quintæ canones recitati sunt, et approbati secretario quarto [3]. Tum Medionalense, cui Mansuetus præfuit : cujus epistola synodica in sexta Synodo est accepta. Ibi [4] « unus ex tribus subsistentiis de sancta Trinitate æternus » nominatur « Filius ».

Romani quoque pontifices illud auctoritate sua sanxerunt. Joannes secundus tum in epistola ad Justinianum [5], in qua illud profitente Imperatorem collaudat, et sententia sua comprobat, contraque sentientes Acœmetas monachos condemnat : tum in altera ad Senatores [6], ubi luculenter id affirmat. Pelagius item primus in epistola 16. quæ est ad Childebertum Francorum regem de Fide catholica [7], « Ex hac, *inquit*, sancta, et beatissima, atque consubstantiali Trinitate credo, atque confiteor, unam personam, id est filium Dei pro salute humani generis novissimis temporibus descendisse de cœlo, etc. »

VIII. Ut ad illos, Patrum ceterorum nonnullos adjiciam, Proclus imprimis appellandus est : qui apud Maxentium, præter eam sententiam, quam antecedenti capite descripsimus, hoc etiam addidit : « Non autem alius est factus nisi unus de Trinitate, et crucifixus est carne, qua factus est; et non est passus divinitate, qua unitus est Patri, et Spiritui sancto, etc. » Et subinde, « Quia et unus, *inquit*, est qui de Trinitate passus est, et Trinitatis natura impassibilis mansit. » Item illud : « Si autem quod incarnatum est, crucifixum est : Pater autem, et Spiritus non est crucifixus : unus ergo de Trinitate est crucifixus. Divinitatem vero, qua communicat Patri et Spiritui servavit impassibilem. » Augustinus in Enchiridii capite 38. *unum trium* appellavit personam Trinitatis unam. « An et quando, *ait*, unus trium in aliquo opere nominatur, uni operari Trinitas intelligitur? » idem alias [8] *aliquam*, dixit *ex Trinitate personam*. Quæ duo loca Maxentius attulit [9]. Rursus in libro de dono Perseverantiæ, capite 24. de Christi naturis duabus loquens, « Et qui suscepit, et quod suscepit, unam *ait* esse in Trinitate personam. » Fulgentius in libro de fide ad Petrum, cap. 13. « Firmissime tene, et nullatenus dubites, unam ex Trinitate personam, id est Deum Filium, qui de natura Patris solus natus est, et unius, ejusdemque naturæ cum Patre est, ipsum in plenitudine temporis secundum susceptionem formæ servilis voluntariæ in Virgine conceptum, et de Virgine natum, Verbum carnem factum. » Et alibi [10] : « Una ex Trinitate persona, Christus Dei Filius unicus, ut nos salvos faceret, carne conceptus, et natus est de ventre Virginis matris. » Item in libro contra sermonem Fastidiosi [11], « Carnem, *ait*, una ex Trinitate persona suscepit. » Et in sequenti capite : « Christus itaque, qui non est Trinitas, sed una ex Trinitate persona. » Quod ipsum et in libro de baptismo Æthiopis ad Ferrandum insigniter usurpavit [12]. « Æterna, *inquit*, divinitas Filii cum plena humanitate sua, et eadem plena humanitas Filii cum æterna divinitate sua, una est in Trinitate persona. »

Dionysius in libro de divinis nominibus « (1) Trinitatem *dicit* eorum, quæ nostra sunt, revera ex toto in una ipsius hypostaseon participem fuisse. » Quem ad locum erudite Maximus scholiastes adnotat, ex eo colligi, « (2) recte dici, unum Trinitatis esse passum. » Tum, « Unum sanctæ Trinitatis in cruce fuisse. Atque hoc, *ait*, contra Nestorianos, et Acephalos prodest. »

Idem porro Maximus in responsione quadam ad Thalassium, apud Euthymium in Panoplia : « (3) In uno, *inquit*, e sancta Trinitate, unam hypostasim non ad confusionem duarum ipsius naturarum dicimus. »

Dionysii locum illum imitatus Joannes Damascenus [13], et eumdem illum nominatim citat, ac paulo aliter interpretatur quam Maximus, quod scribit Dionysius, naturæ nostræ

(1) Dion. cap. 1. de Divin. nom. pag. 245. Ὅτι τοῖς καθ' ἡμᾶς πρὸς ἀλήθειαν ὁλικῶς ἐν μιᾷ τῶν αὐτῆς ὑποστάσεων ἐκοινώνησεν.

(2) Maxim. ad Dion. pag. 127. Τὴν οἰκονομίαν ἐνταῦθα φράζει καλῶς, ὅτι εἷς τῆς Τριάδος ἔπαθε, etc. Καλῶς οὖν λέγομεν, ὅτι εἷς τῆς ἁγίας Τριάδος ἦν ἐν τῷ σταυρῷ. Τοῦτο κατὰ Νεστοριανῶν, καὶ Ἀκεφάλων.

(3) Idem apud Euth. Pan. tit. 15. pag. 606. Lat. Οὕτως ἐπὶ τοῦ ἑνὸς τῆς ἁγίας Τριάδος, τὴν μίαν ὑπόστασιν οὐκ ἐπὶ συγχύσει τῶν δύο φύσεων αὐτοῦ λέγομεν.

[1] Tom. 5. Concil. 591. E. — [2] Ib. 599. E. — [3] Tom. 4. Concil. p. 710. — [4] Tom. 5. Concil. p. 16. — [5] Tom 3. Concil. p. 846. — [6] Ibid. p. 850. — [7] Tom. 4. Concil. p. 409.

[8] Lib. 2. de Trin. c. 10. p. 99. D. 2. — [9] Maxent. col. 437. — [10] Lib. de Incarn. c. 10. — [11] C. 19. p. 201. — [12] Fulg. de bapt. Æth. c. 3. — [13] Lib. 3. c. 6. p. 186.

ex toto unitam esse Trinitatem : de quo postea.

Theodorus Abucara præter illum locum opusculi quarti, quem paulo ante laudavimus, in Opusculo secundo itidem « unam *ait* esse Christum Trinitatis hypostasim, » cujus verba libro tertio descripsimus [1].

Sic Harmenopulus in expositione fidei orthodoxæ, « (1) unum esse sanctæ Trinitatis Jesum Christum Dei filium » affirmat.

Cum igitur Catholici unum e Trinitate Christum esse, tanto consensu docuerint, mirum non est Cyrum Alexandrinum patriarcham, hæreticum Monotheletam, quod genus Eutychianæ sectæ propago fuit, idem in anathematismo suo quinto propugnasse : qui in sexta Synodo recitatus est cum ceteris octo [2]. Nam Eutychiani, et Monophysitæ loquendi genere isto, tanquam hæresi favente suæ, et Nestorianis adversante, multum ac libenter usi sunt : cum e contrario Nestoriani, eidem reclamarent, ut Acœmetæ illi monachi, de quibus supra meminimus.

CAPUT QUARTUM.

De Trisagio, ut vocant, hymno ; — 2. quomodo divinitus Constantinopolitanis traditus sit ; et in Chalcedonensi concilio probatus. — 3. Petrus Fullo Theopaschita hunc interpolavit, appendice quadam impie adtexta : — 4. in qua multiplex hæresis latebat ; quid sit Μαρωνίζειν apud Joannem Damascenum. — 5. De Petro Cnapheo, et trisagio quædam imperite prodita notantur. — 6. Quemadmodum Catholici quidam hymnum istum cum appendice Petri, vel insertis nonnullis, vel commoda interpretatione orthodoxæ fidei vindicarunt.

I. Pertinet ad eamdem præstantioris in Christo naturæ considerationem, illa de Trisagio hymno Catholicorum cum Monophysitis hæreticis contentio, quæ alteram, antecedentibus expositam capitibus duobus, aliquot annis antecessit. De hac pauca quædam in primo libro velut prætereuntes attigimus [3], cum de Eutychianorum variis sectis ageremus : cetera in hunc reservata locum, et superioribus, ut dixi, connexa, nunc uberius explanabimus. Est autem vel ea maxime de causa cum illius prioris explicatione formulæ, istius jungenda tractatio, quod idem ille, qui hanc, de qua dicere aggredimur, trisagii appendicem primus invexit, Petrus Fullo, etiam alteram usurpavit eodem tempore, qua unum de Trinitate crucifixum asseruit. Atque hoc commune ambabus insuper fuit ; quod initio rejectæ atque damnatæ ab Catholicis, propter latentem hæreticum sensum, commodius intellectæ sunt postea, et ad pium usum, et catholicum assumptæ, quod in sequentibus exponam. Prius enim de hymno ipso, quem trisagium vocant, quique celeberrimus apud Græcos, et sanctissimus habetur, aliqua tradenda sunt.

II. Proclo Constantinopolitanam sedem obtinente, (in quam translatus e Cyzicena fuerat, Maximiano mortuo, qui Nestorio hæretico damnato, ac deposito successerat,) magnus terræ motus, non in illa tantum urbe, sed per vicinas regiones, adeoque maximam Orientis, et Occidentis partem, ingenti tum urbium, hominumque strage, tum superstitum horrore, ac metu grassatus est. Constantinopolitani crebris ædium ruinis coacti urbe cedere, extra hanc in Campo, qui dicitur, commorati sunt, cum imperatore Theodosio juniore, ac patriarcha. Ibi dum precibus, ac litaniis assidue propitium sibi numen facere student, forte vehementius solito succussa terra, et imminentis tum maxime publicæ cladis terrore perculsis omnibus; puer quidam e media turba vi abreptus subita, et in aerem elatus, ut jam amplius non appareret ; cœleste ibi carmen, quo divinas laudes angeli canebant, exaudiit; quod erat ejusmodi : (2) *Sanctus*

1) Harmenop. tom. 11. bib. pag. 539. Ὁ γὰρ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς αὐτὸς ὢν ὁ τῆς ἁγίας Τριάδος εἷς, ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ.

(2) Ἅγιος ὁ Θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς.

[1] C. 13. § 6. — [2] Sex. Syn. Act. 13. p. 218.

[3] C. 16. § 8.

Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis. Hoc ipsum docere ceteros jussus, in terram aliquanto post depositus est. Proclus hoc audito, publice ab omnibus cantari præcepit, quod cum alacritate summa factum esset, moveri statim terra desiit, Imperator cum sorore Pulcheria edictum fecit, ut hymnus iste deinceps toto orbe caneretur. Ex quo per universas Ecclesias usus invaluit, ut ab hoc carmine divinæ ubique laudes inchoarentur. Puer mandato sibi munere perfunctus, expiravit illico, et in magna basilica, quæ Irenes appellabatur, est sepultus: locus, unde in altum sublatus erat, ὕψωμα θεῖον, id est *elevatio divina* nominatus est. Hæc anno circiter Christi 448. gesta, refert Nicephorus Callisti F. [1] quæ et ab antiquioribus traduntur, ut Felice tertio papa in epistola [2], quam ad Petrum Fullonem scripsit anno 483. et Acacio Constantinopolitano, aliisque episcopis, qui ad eumdem Petrum acres litteras miserunt; quæ inter Zonaræ commentaria in Canones leguntur. Meminit et Joannes Damascenus libro tertio de Fide, capite decimo : qui et librum de Trisagio hymno peculiarem edidit : in quo eamdem historiam memorat [3].

Hunc hymnum porro Joannes idem Damascenus prodidit [4], in quarta synodo œcumenica Chalcedonensi decantatum fuisse, cujus rei fidem faciunt acta synodi ejusdem; inter quæ, sub finem actionis primæ legitur [5], Orientales episcopos in solemnibus acclamationibus, illum hymnum pronuntiasse.

III. Postea Petrus cognomento Κναφεὺς, id est *Fullo*, in Antiochenam sedem intrusus, ex Eutychiana secta, ad cœlestem hunc hymnum addere istud ausus est : *Qui crucifixus es pro nobis : miserere nobis.* Hoc addito, Theopaschitarum, qua imbutus erat, hæresim corroborare studebat; ut ipsummet Deum non carne, sed divinitate passum esse monstraret. Quod dupliciter potest intelligi. Nam aut Trinitatem ipsam totam perpessioni, ac morti subjiciebat; aut unam tantummodo Filii personam. Utrumque Petro Fulloni tribuitur : quorum prius cum Sabellianis commune habuit : qui unam duntaxat in Deo personam confitentes, hanc ipsam includebant corpore. Atque hujusmodi erroris in illo suspicio statim ex ipsa Trisagii corruptela proditur : cum post triplex totidem personarum elogium, appendix ista subjicitur : ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, ἐλέησον ἡμᾶς : *qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis.* Posterius vero ab Arianis expresserat : qui divinitatem Filii eamdem, atque est in Patre negabant : eamque vice animæ cum carne conjunctam, passam esse, mortuamque dicebant, de quibus in libro primo pluribus [6]. Huic porro suffragabatur altera illa, quæ publice pronuntiata est ab Fullone, sententia : *Unum de Trinitate passum esse.* Quod illi exprobrat tum Felix papa in epistola ad eum scripta [7]; tum Acacius Constantinopolitanus episcopus [8]. Ac Felix in altera epistola, quæ damnationis in Petrum sententiam continet, quatuor ab eo diversis temporibus prædicatas hæreses nefarias, et sub illa sententia comprehensas, intellectasque scribit : « (1) Etenim alias, *inquit*, dixisti, Trinitatem pro nobis esse crucifixam, non autem Christum : alias immortalem Spiritum, Manichæi secutus errorem ; alias vero hujusmodi liberatus opinionibus, postquam admonitionibus nostris, ac sermonibus convictus es, Christum, post immortalem Spiritum, passionem sustinuisse dixisti; non aliter ac Paulus Samosatenus, et Nestorius; qui unum filium in duos partiuntur. » Addit his, alias eumdem Petrum Cherubicum hymnum, id est *trisagium*, quem in Trinitatis laudem cœlestes illi cecinerunt spiritus, ad solum redegisse Filium.

IV. Hæc sunt venena quatuor impietatis hæreticæ, quæ sub illa trisagii carminis depravatione, et appendice Petri Fullonis latere, Catholici deprehenderunt : imo quinque, quatenus ad solum Filium, angelicum hoc carmen applicavit. Sic Acacius in epistola, cujus supra meminimus [9]; Faustus Apolloniadis, Pamphilus Abydenus; Justinus Siciliæ, episcopi. Qui omnes, Petro Cnapheo multiplices errores attribuunt, Valentini, Marcionis, Manichæi, Sabellii, Pauli Samosateni, et Photini, Arii, Apollinaris, Nestorii, Eutychis, quos sigillatim sic accommodant. Primum qua personis tribus passio, et in cruce suspensio subjicitur, Sabellianorum [10], sive Patripassianorum impietas apparet. Deinde cum post verba illa, *sanctus*

(1) Felix P. in epist. apud Zon. in Can. pag. 546. Ὁτὲ μὲν γὰρ ἔφης Τριάδα δι' ἡμᾶς σταυρωθῆναι, καὶ οὐχὶ Χριστόν· ὁτὲ δὲ ἀθάνατον Πνεῦμα, Μανιχαΐζων· ὁτὲ δὲ ἐκ τούτων διαφυγὸν, δι' ἃ κατελεγχόμενος ὑπὸ τῶν ἐμῶν ὑποθηκῶν, καὶ λόγων, Χριστὸν μετὰ τὸ ἀθάνατον Πνεῦμα ἔλεξας ὑπομεμενηκέναι τὸ πάθος, ὡς ὁ Σαμοσατεὺς, καὶ Νεστόριος τὸν ἕνα Υἱὸν διχάζοντες εἰς δυάδα υἱῶν.

[1] Niceph. lib. 14. c. 46. — [2] Apud Zonar. in Can. pag. 543. — [3] Pag. 508. — [4] Lib. 3. c. 10. — [5] Tom. 3. Conc. p. 202.

[6] Cap. 5. — [7] Apud Zonar. in Can. pag. 541. — [8] Ib. p. 530. — [9] Apud Zonar. horum leguntur epist. — [10] Faust. ib. p. 533.

immortalis, quibus proprie Spiritus sanctus exprimitur, proxime additur : Qui crucifixus es pro nobis, etc. significatur, Spiritum sanctum passum ac mortuum esse pro nobis : quam Manichæi opinionem fuisse narrant Felix papa, et Acacius. Hunc enim dixisse[1] Spiritum sanctum columbæ specie in Jordanem delapsum : et ex aquis corpore assumpto, mortem obiisse. Sequitur tertium in corrumpendo trisagio flagitium, quod duos filios ita constituit ; alterum, qui medius inter Patrem et Spiritum ponitur : alterum, qui seorsim a tribus nominatus, pro nobis passus invocatur. Qua ratione, pro Τριάδι, τετρὰς, id est pro tribus personis, divinæ quatuor invehuntur, quæ est Artemæ, Pauli Samosateni, Photini, ac Nestorii hæresis. Siquidem quarta hypostasis illius, qui passus est, adjicienda tribus, quæ utique extra conditionem sunt passionis, atque mortis, et illa tamen istis annumeratur : quoniam qui passus est, utique Deus est. Quarto dum ad solam secundam Filii personam pertinere vult accessionem illam trisagii, et hanc solam excipit ad passionis, mortisque tolerantiam, Trinitatem dissolvit, et τὸ ὁμοούσιον evertit, Arii, et Apollinaris exemplo, necnon Eutychis. Nam Filii substantiam ipsam et patibilem, et mortalem facit ; quod negat de duabus aliis. In quo etiam illi cum Valentino, ac Manichæo convenit, qui divinitatem corruptam inquinatamque dicebant. Hoc modo ἡ πολυθεΐα, hoc est *multitudo deorum* adstruitur. Ad hoc quartum impietatis caput referunt Felix et Acacius dictum illud, *Unus de Trinitate passus est* : ut supra demonstravi. Denique quatenus totum illud carmen cum appendice sua, in Filium redegit ; tum iisdem modis peccavit, quia solum eumdem passionis, ac mortis legibus obnoxium fecit, sine ulla carnis, et humanæ naturæ mentione ; uti passus carne dici posset, quod Antheo Arsenoes episcopus observat[2] ; tum vero sacrilege, ac scelerate hymnum illum, quem tot ante seculis cantari ab Seraphimis propheta Isaias audierat, et ter in eo repetitam *Sancti* appellationem in unam personam contrahit ; ut Joannes Damascenus sub initium libri de Trisagio pluribus explicat ; et abolitum hoc pacto trium personarum, uniusque naturæ, quod inest in illo carmine, vestigium queritur. (1) Addit insuper, « adjuncta ad trisagium crucis significatione, nos Maronizaturos esse. » Ita latinus interpres ; pro quo græce legitur παροινίσομεν, quod esset *contumeliose, et quasi per temulentiam injurium esse*. At *Maronizandi* vox a Maronitis Syriæ populo, qui Libanum hodieque incolit, deflexa videtur ; qui olim Monophysitarum, et Theopaschitarum laboravit hæresi ; ut ex libro primo capite 17. intelliges ; nunc vero tam catholica, quam Romana communione, ac fide censentur, qui hoc nomen obtinent.

V. Hæc in trisagii appendice notata, reprehensaque ab Catholicis errorum semina, magis ad corruptoris mentem venenis istis aut omnibus, aut quibusdam imbutam referenda sunt, quam ad ipsam verborum conceptionem, quæ vindicari per se facile posset ab multiplici hac invidia dissidentium invicem hæreseon, quas simul complecti dicitur : uti postea constabit.

Illud vero minime tacendum est, quod Asclepiades Trallensis episcopus notavit initio epistolæ, Petrum Fullonem hac ratione facinus suum excusasse, quod adversus Nestorium necessariam sibi visam clausulam istam diceret, qui ab Christi passione, ac morte divinam naturam segregasset. Quod idem Asclepiades refellens, nonnulla minus perite injicit, nec sine animadversione prætereunda. Etenim ut illud de Nestorio refellit, (2) objicit hæresim istam, contra quam Petrus appendicem illam addidit, antiquiorem fuisse Nestorio, et a Photino cœpisse : « quem Nicæni illi Patres in vita quidem minime invenerunt : sed ejus dogma damnarunt. » Neque tamen ad trisagium addidere, crucifixum. « (3) Rursus, ait idem Asclepiades, impia illa hæresis Samosateni tempore instaurata iterum invaluit : et congregati sanctæ memoriæ Patres in urbe Constantinopolitana, etsi non eum vivum invenerint, ejus tamen hæresim condemnarunt ; ut ne duo filii crederentur. » Quæ tandem est

(1) Damasc. lib. de Trisag. pag. 507. Καὶ ἡμεῖς Μαροινίσομεν ἐὰν προσθῶμεν τῷ Τρισαγίῳ τὴν σταύρωσιν.

(2) Asclep. apud Zon. pag. 536. Καὶ τί ; μὴ νεώτερον Νεστορίου τὸ φρόνημα ; ἦρξε γὰρ τοῦτο ἀπὸ τοῦ ματαιόφρονος Φωτεινοῦ, ὃν οἱ ἅγιοι πατέρες οἱ ἐν Νικαίᾳ ἐν ζωῇ μὲν οὐ κατέφθασαν, τὸ δὲ δόγμα αὐτοῦ κατέκριναν.

(3) Ibid. Πάλιν δὲ τοῦτο τὸ ἀσεβὲς ἀνανεωθὲν ἐπὶ τοῦ Σαμωσατέως πάλιν ἡδρύνθη. Καὶ ἐπισυναχθέντες οἱ ἁγιώτατοι τὴν μνήμην πατέρες ἐν Κωνσταντινουπόλει, εἰ καὶ αὐτὸν οὐ παρέφθασαν, ἀλλὰ τὸ δόγμα αὐτοῦ κατέκριναν, τὸ μὴ φρονεῖν, δύο υἱούς.

[1] Acac. p. 529. et Felix p. 543.

[2] Apud Zonar. p. 552.

temporum, et historiæ ista turbatio ? Itane Photinus non modo Nicæna synodo, sed etiam Paulo Samosateno prior extitit? aut idem medio Nicænam inter et Constantinopolitanam synodos intervallo vixit, Photino posterior ? Quis ἀνιστορησίαν non miretur.

VI. Ceterum Catholici nonnulli formulam istam trisagii hymni ab Fullone mala mente, velut mangonio quodam, interpolatam, partim ad veræ professionem fidei, paucis insertis voculis, deflexerunt : partim commode interpretati sunt. Calandio Antiochenæ Ecclesiæ a Petro Fullone tertius episcopus, ante hujus clausulam interposuit, *Christe Rex :* ut post trisagium, ita reliqua pertexerentur : *Christe Rex qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis,* ac nefaria illa in Deum blasphemia vitaretur, ut scribit Nicephorus Callisti [1].

Ephræmius autem Antiochenus item episcopus [2], vir egregius, et catholicæ fidei ardentissimus propugnator, scribit apud Photium, hymnum illum ab quibusdam Catholicis de solo intelligi Filio : ideoque sine ullo piaculo, Fullonis eos appendicem adjicere, quod ab Orientalibus fieri dicit. Byzantinos vero, et Occidentales, quod trisagium hymnum in totius honorem Trinitatis concini putent, abhorrere ab illa Petri Fullonis clausula, ac recte utrosque facere, cum ex mente ac sensu, quem quisque adhibet, probanda, vel repudianda sit ista sententia. Subjicit tamen istud Photius ; quandoquidem Acephali ad corroborandam impiam suam hæresim plurimum appendice ista Fullonis utebantur, alios Patres penitus abrogandam censuisse. Sed de trisagio hactenus, de quo legendus, ut jam dixi, Joannes Damascenus.

CAPUT QUINTUM.

De humanæ naturæ in Christo propriis affectionibus; ac primum quæritur an sit universalis, uti græci Patres sentire videntur. — 1. Non esse definitur; — 2. idque probatur ex universalis ratione : — 3. an sit individua dubitatur, quod individuum veteres idem atque hypostasim esse putaverint. Demonstratur individuam esse : — 4. vel communem, ut est in aliquo individuo. Proprietates *individuantes*, ut vocant, naturæ utriusque declarantur : et quemadmodum inter se habeant. — 5. Tam commune, quam individuum duobus modis sumitur, in prima, et secunda intentione; et qua ratione natura humana Christi sit individua. — 6. Ex quibus explicantur multæ antiquorum Patrum sententiæ. — 7. An humana Christi natura dici possit hic homo. Conciliantur inter se contrariæ sententiæ. Non debere dici, *hic homo*, demonstrato Christo.

I. De excellentiore Christi natura satis pro instituto dixi hactenus ; altera modo consideranda restat, ejusque proprietates explicandæ : quarum genera sunt duo. Quædam enim *metaphysicæ* dicuntur : ut sunt universale esse, vel particulare : individuum esse ; subsistens esse: aliæ vocantur *physicæ;* quales sunt naturæ hominis affectiones propriæ, esse anima præditum, esse corpore, sic tanquam forma et materia ; tum quæ naturæ, ac partibus eisdem ex potioris substantiæ societate conveniunt, de quibus omnibus ordine est agendum, et, ut instituimus, illud exequi primum oportet, sitne humana natura, quam Christus habet, universalis, an particularis; quæ cum a nobis enodata quæstio sit in quarto libro de Trinitate [3], non est hic agitanda pluribus : sed omissa tantummodo, illic aliqua reddenda sunt. Imprimis vero constare debet, non universalem esse naturam hominis assumptam a Deo, tanquam speciem infimam. « Non enim possibile est, ut ait Rusticus diaconus in disputatione contra Acephalos [4], communem naturam efficere unquam personam per semetipsam : » hoc est, in compositionem venire personæ cujuspiam. « Insuper nec in semetipsa » natura « illa subsistit, sed intellectu rationalium tantummodo, qui fit ex individuis ejus, a quo et esse accipit : sicut et ea, quæ omnium genera, vel species esse dicuntur apud seculi sapientes. Si enim et esset anima, et tamen non esset rationalis, non erat communis creaturarum natura, sive quod dicitur genus, atque species. » Hoc ipsum est, quod logici in scholis decantant,

[1] Lib. 15. cap. 28. — [2] Apud Phot. cod. 228. pag. 403.

[3] C. 9. § 12. — [4] Tom. 4. Bibl. col. 842.

quæ universalia nominantur, ut sunt genera, et species, non per se in rebus existere; sed in intelligentis notitia. Cujusmodi quæstionem Prophyrius Isagoges initio valere jussit : explicat vero eleganter Ammonius. Cujus ex dictis alterum conficitur argumentum, quo plerique naturam universalem non assumptam fuisse probant.

II. Scribit igitur Ammonius, (1) naturam universalem, veluti speciem hominis, partim in individuis inesse, nec ab iis separari, aut a materia posse : partim quodammodo separari, sed non ante multa; verum post multa, et posterius esse. Ut si quis eodem anulo plures ceras obsignet, ac formam iis Achillis imprimat : tum ingressus postea quispiam, et ceras contemplatus, illud cum animo suo reputet, omnes ab una figura esse signatas : et hujus ipsius figuræ speciem apud se in mente retineat; ibi figura illa, quæ inest in anulo, ante multa dicitur esse : quæ autem in ceris est, in multis : quæ in ejus animo, qui impressit, post multa, et posterior. Sic se res habet in naturis universalibus, in quibus primum occurrunt ideæ, sive species earum in mente opificis Dei, ad quarum exemplar conformata singula molitur. Hæ sunt anularis sigilli similes, et ante multa. Deinde spectatur hominis, exempli gratia, species, et natura in singulis hominibus, uti figuræ ab anulo in ceris omnibus expressæ : et hujusmodi in multis esse dicuntur, et a materia minime separantur. Denique cum individua singula contemplati, eamdem in omnibus speciem hominis intuemur, communem quamdam notionem animo describimus humanæ naturæ. Ea post multa, et posterius formata dicitur. Hæc fere Ammonius.

Ex iis prima trium omissa, quæ nihil ad negotium nostrum attinet; habet enim ideas, de quibus alibi diximus [1]; posteriores duæ notiones utiles sunt ad illam græcorum theologorum intelligendam sententiam, quam in quarto libro de Trinitate proposuimus. Deum enim istud ipsum, de quo disputamus, explicare volunt, qualem Dei Filius naturam hominis sibi copulaverit, trifariam considerari dicunt eamdem hominis speciem : vel ut ab individuis intelligentia secernitur; vel ut in iisdem, et per ea diffusa cognoscitur; vel postremo quatenus communis natura in uno quolibet individuo spectatur. Hoc tertium non commemoravit Ammonius; quod usurpant græci illi Patres ad incarnati Verbi declarandum mysterium. Aiunt enim Deum adjunxisse sibi communem hominis naturam, qua in uno aliquo particulari homine inesse cogitatur : non autem vel disjunctam a singulis et abstractam; quæ proprie *universalis* dicitur : quod ejusmodi in rerum natura nec extare, nec produci, neque subjici sensibus potest, vel in omnibus existentem individuis : alioqui omnes homines in eamdem divini Verbi hypostasim assumpti fuissent.

III. Sed illud majorem habet controversiam, an sit ἄτομον, id est *individuum* homo ille, assumptus a Deo, sive natura hominis, quæ vulgo *humanitas* vocatur. Quærendi porro de ea re justissima causa est, græcorum Patrum, ac theologorum pervagata hæc opinio, individuum omne substantiæ cujuslibet, quam *primam substantiam* nominat in Categoriis Aristoteles, nihil ab hypostasi, et, si quidem intelligens substantia sit, a persona discrepare. Hanc veterum, et hodiernorum Græcorum vulgarem, et tralatitiam de individuo et hypostasi sententiam latius explanavimus in quarto libro de Trinitate [2], ubi illos insuper ostendimus, naturam sive οὐσίαν, id est *essentiam* arbitratos esse, nihil esse *particulare*, sed commune omnibus; ipsamque adeo speciem infimam, ita ut nonnulli individua sub eadem comprehensa proxima infimaque specie, velut homines singulos, suam quæque naturam habere negent; sed una et eadem contineri sentiant, quæ sub numerum proinde cadere non debeat, si exacte proprieque loquimur; uti tres vel quatuor homines dicendi non sint, sed unus duntaxat. Ita præ ceteris Gregorius Nyssenus, de quo capite nono libri quarti de Trinitate fusius egimus, ubi et mentem hujus, ac ceterorum idem docentium explicavimus.

His ergo prætermissis, quæ illinc petita transferre ad institutam hoc loco disputationem studiosus quisque poterit; nemini dubitandum est, quin singularem per se naturam, ac particularem Dei Filius assumpserit; et, quod consequens est, individuam. Ita censet Rusticus diaconus contra Monophysitas hæreticos,

1 AMMON. in Porph. Ἔστι δὲ τὸ εἶδος τοῦ ἀνθρώπου καὶ ἐν τοῖς καθ' ἕκαστον ἀνθρώποις, ὡς τὰ ἐν τοῖς κηροῖς ἐκτυπώματα. Καὶ λέγεται τὰ τοιαῦτα ἐν τοῖς πολλοῖς εἶναι, καὶ ἀχώριστα τῆς ὕλης. Θεασάμενοι δὲ τοὺς κατὰ μέρος ἀνθρώπους, ὅτι πάντες τὸ αὐτὸ εἶδος τοῦ ἀνθρώπου ἔχουσι, etc. ἀνεμαξάμεθα αὐτὸ ἐν τῇ διανοίᾳ, καὶ λέγεται τοῦτο ἐπὶ τοῖς πολλοῖς, ἤγουν μετὰ τὰ πολλὰ, καὶ ὑστερογενές.

[1] Tom. 1. lib. 4. c. 9. et seq.

[2] Cap. 7. et 9.

sive Acephalos disputans [1]. « Verbum, *inquit*, a consubstantialibus (Patre et Spiritu sancto) non natura, neque substantia, sed sola persona discretus est : unusquisque autem nostrum, præter communem, habet et propriam substantiam, individuam, et naturam : idcirco enim et multi homines nominantur. » Non est, opinor, alia communis natura in homine, alia propria, et individua ; nisi ratione, et ἐπινοίᾳ. Quare una et eadem communis est, ut in se spectatur, et particularibus exuta proprietatibus ; et individua, quatenus iisdem affecta, et quasi modificata cogitationi nostræ subjicitur.

Idem vero postea Rusticus [2], « duas Domini Christi naturas nec communes utrasque esse » dicit, « neque individuas : sed divinam quidem communem, humanam vero individuam. »

IV. Leontius Byzantinus subtilis apprime theologus, ac philosophus, in libro *Solutionum argumentorum Severi* [3], confirmat hoc, quod dixi, eamdem esse communem et particularem hominis naturam. Nam percontanti Acephalo, « Cum Verbum assumpsit naturam humanam, assumpsitne naturam, quam contemplamur in specie, an naturam, quam in atomo : » respondet, non aliam esse quam in multitudine contemplamur, et quam in eo, quod unum est numero. « Hanc enim cerni in uno, vel in pluribus, facit cerni illa, in quibus est, plura, vel unum : sed non facit cerni naturam unum, aut plura. » Quod ex eo probat, quod eadem est definitio naturæ in multitudine, et in uno consideratæ. Itaque « naturam aliquam » ait assumptam esse, sed quæ eadem sit cum specie ; atque ejusmodi quidem, « ut certis affectionibus proprium humanitatis Christi ab communi distinguentibus constet : » ita tamen ut non cum Verbo comparata differentiam illam obtineat : sed quatenus cum ceteris confertur hominibus. Sunt enim duo in Christo genera proprietatum individuarum ; vel, ut scholæ nominant, *individuantium*, quot sunt videlicet naturæ. Aliæ sunt, quibus Verbum a personis duabus aliis secernitur : aliæ, quibus, ut homo est aliquis e multis, ab ceteris distinguitur. Utræque porro suam quæque naturam determinant, et ex communi propriam constituunt ; ut ab iis, quæ sunt consubstantialia, discrimine aliquo separentur : non tamen a se mutuo naturas ambas dirimunt. Hæc fere Leontius. Quibus hoc addiderim, illas ipsas uniuscujusque naturæ proprietates non modo eas inter se distinguere ; sed copulare potius, et utrique ab consubstantialibus discernendo, ac distinguendo servire. Siquidem Filius a Patre, ac Spiritu sancto non solum eo differt, quod genitus sit, quod Verbum sit, et hujusmodi reliquis : sed etiam quod de Maria virgine genitus, et homo sit factus; quod morte sua humani generis peccata diluerit. Hoc enim proprietatum reciprocatione fit, quam ἀντίδοσιν vocant : de qua libro antecedente dixi.

Erudita est hac de re Anselmi disputatio in libro de Incarnatione, capite quinto : in quo istud exponit : « Sicut in Deo una natura est, plures personæ, et plures personæ sunt una natura : ita in Christo unam personam esse plures naturas, et plures naturas esse unam personam. » Quippe « non alius est Deus, alius homo in Christo : quamvis aliud sit Deus, aliud homo : sed idem ipse est Deus, qui et homo. » Tum de proprietatibus, quas *individuas* nominant, recte ita pergit dicere : « Cum profertur homo, natura tantum, quæ communis est omnibus hominibus, significatur. Cum vero demonstrative dicimus, istum, vel illum hominem, vel proprio nomine Jesum, personam designamus : quæ cum natura collectionem habet proprietatum, quibus homo communis fit [4] singulis, et ab aliis singulis distinguitur. Nam cum ita designatur, non quilibet homo intelligitur; sed qui ab Angelo nuntiatus est, qui Deus et homo, filius Dei, filius Virginis est; et quidquid de illo dicitur, aut secundum Deum, aut secundum hominem, verum est dicere. »

V. Ut autem penitus individui nobis ratio constet, ac melius intelligamus, quemadmodum naturæ per se alicui, quæ propria caret hypostasi, conveniat : scire illud oportet, quod a Claudio Tiphano erudito Societatis nostræ theologo traditum est, in eximio illo Commentario, quem de hypostasi et persona edidit [5], cum *individuum* idem sit ac *singulare*, et *communi* ex adverso respondeat, tam late patere, quam quod *commune* dicitur. Hoc autem duobus modis accipi solet. Nam vel secundum *rationem* sumitur, quod græci logici dicunt ἐννοηματικῶς, latini *secundum intentionem* vocant : qua natura quæpiam ita communis est multis, ut in iis multiplicetur, deque iisdem prædicetur : cujusmodi est genus, aut species. Vel *re ipsa* communis dicitur ; quam *primam intentionem* scholæ nuncupant : ut cum natura aliqua singularis, et eadem numero manens,

1 Tom. 4. Bibl. col. 811. — 2 Col. 815. — 3 Tom. 4. Par. 2. Bibl. 1043.

4 For. *singularis*. — 5 Cap. 21. p. 117.

aut uni alicui communicatur, aut pluribus. Sic enim divinitas, cum sit una numero, tribus personis communis est *identitate*, ut loquuntur, *simplici*. Sic etiam substantivæ partes, componentes aliquod corpus, inter se communicantur; ut materia, et forma, quæ naturali unitione copulantur, quo modo, id est *naturali unitione*, natura humana Christi Verbo communicatur. Totidem modis *individuum*, vel *singulare* dicitur. Nam aut *universali*, sive *communi* prioris generis opponitur : et ita definiri solet, quod nec inest in multis, nec de multis dicitur, sed de uno, uti Petrus, et Paulus; et hic candor, hic calor; aut posteriori communicationi respondet, quam rei esse monstravimus; et est *singulare* aliquod reipsa, quod solum, ac separatum est ab alio quocumque, et est sui, non alieni juris, nec alteri communicatur, ut parti altera pars, vel etiam toti; estque adeo totum aliquid, et integrum, quod ἰδιοσύστατον Græci nominant.

Igitur natura hominis in Christo priori duntaxat modo singularis, et individua censetur; cum sit una numero, non plures humanæ naturæ, et ab reliquis naturis proprietatibus certis, quas *individuantes* vocant, distincta sit. Posteriori vero, non est individua : eo quod reipsa communicatur alteri; nec per sese, et ab omnibus divisa, separataque consistit : qualis est hypostasis : de qua capite sequenti.

VI. Hæc si diligenter notaveris, pleraque veterum dicta intelligendo consequeris : tum prima specie inter se pugnantia conciliare poteris. Ut quod Rusticus paulo ante laudatus [1] asserit, divinam Christi naturam *individuam* non esse : humanam vero duntaxat esse. Item quod ab Joanne Damasceno scriptum est, Verbum assumpsisse naturam hominis, non qua *universalis* est, aut qua in multis inest; *sed quæ in uno est individuo.* « (1) Non enim hoc modo significare individuum, sive hypostasim proprie, ac solum : neque quod hypostasibus est commune; sed communem naturam in una hypostaseon consideratam. » Tum quod græcos fere Patres usurpare demonstravimus in quarto libro de Trinitate, *individuam*, sive *primam substantiam*, idem esse cum hypostasi. Atque illud etiam manifestum est, quod iidem illi Patres asseverant, naturam commune aliquid esse, non particulare. « Natura, inquit Rusticus [2], nunquam est individua. Non enim definitio individua est. » Prorsus enim communem esse volunt posteriore illo modo; quoniam natura per se spectata, et ut essentiam habet ac definitionem, neque uni est affixa, nec in plures divisa : sed ab utraque notione libera et extricata, communicari potest.

Quin illud etiam facile ex antecedentibus explicatur, quod alii Christum ipsum individuum esse volunt : alii non esse sentiunt. Horum prius Rustico placet [3] : qui ita tamen individuum haberi vult Christum, ut sub una specie minime contineatur : quod in reliquis omnibus individuis usuvenit. Siquidem in nullo alio individuo naturæ rationales duæ convenerunt in unum aliquod singulare. Joannes vero Damascenus individuum negat esse Christum, cujus verba non ab re fuerit hic describere. « (2) In Jesu Christo, *inquit*, Domino nostro, non potest communis accipi species. Non enim fuit, aut est, aut erit aliquando Christus alius ex divinitate, et humanitate in divinitate et humanitate Deus perfectus, idem et homo perfectus. Hinc nefas est dicere unam naturam in Domino nostro Jesu Christo : sicut in individuo aliquo, quod ex anima, et corpore componitur : ut eodem modo in Christo ex divinitate et humanitate sit aliqua composita natura. Nam illic individuum est; Christus autem non est individuum. Non enim speciem habet hujusmodi Christeitatis, ut ita loquar, quæ de se prædicetur. »

Eodem ex principio, quo naturam commune quippiam, et γενικὸν, sive potius εἰδικὸν Græci constituebant, contra Eutychianos, et Monophysitas argumentati sunt, dum ita disputarunt, idcirco non unam in Christo naturam esse ponendam, quod plures Christi esse non possent : ex quibus confieret una species, adeoque natura una quæ de pluribus prædicari debet, de quo insignem Maximi locum supra leges in libro tertio, sub finem capitis noni.

(1) DAMASC. lib. 3. cap. 11. Ταὐτὸν οὖν ἐστὶν εἰπεῖν φύσιν τοῦ Λόγου, καὶ τὴν ἐν ἀτόμῳ φύσιν. Οὔτε γὰρ τὸ ἄτομον, ἤγουν τὴν ὑπόστασιν, κυρίως, καὶ μόνως δηλοῖ· οὔτε τὸ κοινὸν τῶν ὑποστάσεων· ἀλλὰ τὴν κοινην φύσιν ἐν μιᾷ τῶν ὑποστάσεων θεωρουμένην, καὶ ἐξεταζομένην.

(2) DAMASC. lib. 3. cap. 3. pag. 173. Ἐπὶ δὲ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ οὐκ ἔστι κοινὸν εἶδος λαβεῖν. Οὔτε γὰρ ἐγένετο, οὐδέ ἐστιν, οὐδέ ποτε γεννήσεται ἄλλος Χριστὸς ἐκ θεότητός τε, καὶ ἀνθρωπότητος, ἐν θεότητι, καὶ ἀνθρωπότητι Θεὸς τέλειος ὁ αὐτὸς, καὶ ἄνθρωπος τέλειος. Ἐντεῦθεν οὐκ ἔστιν εἰπεῖν μίαν φύσιν ἐπὶ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὥσπερ ἐπὶ τοῦ ἀτόμου ἐκ ψυχῆς, καὶ σώματος συγκειμένου, οὕτω καὶ ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ ἐκ θεότητος, καὶ ἀνθρωπότητος. Ἐκεῖ μὲν γὰρ ἄτομον· ὁ δὲ Χριστὸς οὐκ ἄτομον, οὐδὲ γὰρ ἔχει κατηγορούμενον εἶδος Χριστότητος τοιαύτης.

[1] § 3. — [2] Tom. 4. Bibl. 834.

[3] Col. 808.

VII. Indidem quoque habes quid percontanti respondeas, an natura hominis in Christo, *hic homo* dici mereatur, de quo variant sententiæ. Anselmus idem in capite illo quinto libri de Incarnatione, hominem appellari patitur, hunc vero dici hominem non probat, uti verbis illis explicat, quæ paulo ante retuli; tum his sequentibus: « Non enim idem est, homo, *inquit*, et assumptus a Verbo homo, id est Jesus: quoniam in nomine hominis sola intelligitur natura: in assumpto vero homine, vel in nomine Jesu, intelligitur cum natura, id est cum homine, collectio proprietatum, quæ est eadem eidem assumpto homini, et Verbo. » Sic Hugo Victorinus[1], « Non videtur, *ait,* concedendum, assumpsit aliquem hominem, sed simpliciter hominem. » Quippe, ut S. Thomas adnotat, « cum dicitur, iste homo, demonstrato Christo, designatur suppositum æternum. » Nihil hoc tamen prohibet, quin *hunc hominem*, vel *illum hominem*, vel *aliquem hominem* de natura ipsa hominis assumpta, particulari scilicet, et individua, dicamus. Nec enim ita loqui dubitavit Augustinus[2], cum sic scripsit: « Respondeatur quæso: ille homo, ut a Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus, filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? » Recte autem negatum est a S. Thoma, dici hunc hominen oportere, *demonstrato Christo:* quoniam Christus ipse non hominem merum, nec humanam duntaxat hanc naturam: sed personam ipsam significat in utraque natura subsistentem. Nam et *hominem* simpliciter usurpari de natura hominis assumpta, veterum aliqui prohibuerunt rati complexa istiusmodi, vel *concreta* nomina non naturam solam, sed personam, ac suppositum exprimere: uti jam, opinor, diximus, et postea suo loco repetemus. Propterea Cyrillus Alexandrinus in Epistola ad Valerianum, quod Nestoriani subdole aiebant, « (1) Deum et hominem simul convenientes, unum effecisse Christum, » merito refellit, « quod utriusque salvam hypostasim esse putabant minime confusam, sed ratione divisam. » Multo ergo minus *hunc hominem* dici toleraret de natura duntaxat hominis, si hoc ab Nestorianis audiret, ceterisque, qui *omnem individuam naturam personam esse* crederent, quod falsum esse Rusticus affirmat[3].

CAPUT SEXTUM.

Utrum natura hominis in Christo propriam habeat existentiam. — 1. Explicatur primo quid existentia sit, et οὐσία. Verbum *est* primum, et secundum adjacens. — 2. Deciditur quæstio, affirmando propriam tribui naturæ illi existentiam ex veterum sententia; idque ex duplici proprietatum genere ab illis constituto probatur. — 3. Existentia generica est rerum proprietas. Probatur item ex differentia Trinitatis, in qua una est trium personarum existentia, unde colligitur e contrario duas esse naturarum totidem in Incarnatione. — 4. Rursus probatur ex notione vocis hypostasis: quæ cum naturam significat, dicitur a Patribus pro existentia sumi. — 5. Idipsum Cyrilli testimonio probatur. — 6. Necnon Sophronii. — 7. Cujus locus explicatur, ut et Joannis Damasceni. Existentia duobus modis usurpata, vel pro eo quod est *esse*: vel ut perfecte, completeque *esse* significat.

I. Antequam de re ipsa, et quæstione dico quid sentiam, exponenda nobis est *existentiæ* vox, et ejus enucleanda ratio. Duo sunt apud Græcos nomina, οὐσία, et ὕπαρξις: quorum prius rei *essentiam*, et naturam significat, hoc est id quod respondetur inquirenti quid res sit; quæ est rei definitio, et τὸ τί ἦν εἶναι: quod alibi declaratum est[4]. Hujus absoluta est, et ab omni complexione temporis, ac loci, et reliquorum, quibus productæ res, et ex nihilo emersæ circumscribuntur, libera notio. Nam hominem esse rationis particeps animal cum dico, universe ac simpliciter illius naturam, sive essentiam explico; quocumque tandem loco ac tempore natus existat; aut ut nondum etiam existat, vel desierit existere. At ὕπαρξις

(1) Cyr. tom. 5. par. 2. pag. 160. Οὐ γὰρ, καθά φασι, Θεὸς, καὶ ἄνθρωπος συνελθόντες, ἀπετέλεσαν ἕνα Χριστόν. Et paulo post ante, φυλαττομένης δηλονέτι τῆς ὑποστάσεως ἑκατέρα ἀσυγχύτως, τῷ δὲ λόγῳ διαιρουμένης.

[1] Tom. 3. Tract. 1. Sum. Sent. — [2] Lib. de Præd. Sanct. cap. 15. — [3] Tom. 4. Bibl. col. 16. E. — [4] Lib. 4. de Trin. c. 1. § 4.

eamdem significat essentiam reipsa, et, ut loquuntur, *actu* in rerum natura positam; quam latini philosophi *existentiæ* vocabulo declarant. Utrumque verbo substantivo solet exprimi : hæc quidem, cum verbum istud (1) secundum attribuitur, sive prædicatur, ut cum dico : *Homo est* : *vel Socrates est*, nullo addito alio, vel intellecto. Statim enim occurrit animo, hominem, vel Socratem in rerum quæ extant, productæque sunt, esse numero. Cum autem loquor sic : *Homo est animal ratione præditum*, cogitationem avoco ab omnibus, quæ rem circumstant, et absolute pronuntio, ejusmodi esse hominis essentiam, ubicumque tandem, et quandocumque subsistat, atque hoc tertium ad prædicatum, sive ad attributum adjacens vocatur. Horum prius *esse* nominari simpliciter ab S. Thoma Aquinate jam alias ostendimus in quarto de Trinitate [1] : quo etiam in libro [2] plura de græcis vocibus οὐσίᾳ, et ὑπάρξει deque *essentia*, et *existentia* latinis exprompsimus : quæ ad hunc locum imprimis attinent. Ac præsertim in duodecimo capite illud accurate pervestigavimus, sitne unica, an triplex divinarum personarum *existentia*; et esse nonnisi unam asseruimus. Ea nunc de humana Christi natura movetur a nobis quæstio; ut ex veterum dictis ac sententiis eruamus, quoad possumus, habeatne proprium in illa cum Verbo conjunctione, ac suum existendi modum : an divino Verbique proprio potius existat; itidem ut alieno, et hujus peculiari subsistendi modo censetur. De quo acris est, et magnis partium agitata studiis Scholasticorum inter se contentio. Quorum velitationes ac pugnas, quæ quidem ad illorum institutum pertinent, iniquus sit qui a me hic expectet : et vero frustra faciat. Hoc enim, ut dixi, præstari unicum a nobis oportet, si quid ex antiquorum Patrum sententiis conferri in eam inquisitionem poterit, quod sane perpusillum prædico fore : quod plerique in tam limatam verborum subtilitatem, et philosophorum lucubratione, quam theologica commentatione digniorem parcius incubuerunt.

II. Ut igitur paucis complectar quid esse probabilius in controversia judicem; existimo suam cuique naturæ esse propriam existentiam in Christo. Ad id vero comprobandum non utar iis Patrum testimoniis, quæ ab recentioribus de Schola theologis interdum assumi video. Sed uno genere argumenti ex positis ab aliis principiis deducto, atque concluso, rem, uti spero, conficiam. Duo sunt in Christo Domino consensu omnium consideranda pariter, ac discernenda : alterum naturam; alterum subsistendi proprietatem continet. Naturæ, ut habet catholica professio, duæ sunt a se mutuo distinctæ, quæ sine confusione ambarum ulla, vel alterius extinctione, in eodem Christo permanent : ut in tertio libro latissime disputatum est; hypostasis vero, sive persona, singularis est, et una numero, quod ibidem ostendimus. Rursus proprietatum ex utraque stirpe manantium genera sunt duo. Nam aliæ naturam ipsam consequuntur, et ad eam adhærescunt : aliæ personalem proprietatem, sive hypostasim. Priores φυσικαὶ vocantur : posteriores, ὑποστατικαὶ : de quibus fuse disserit Joannes Damascenus in libro de duabus Christi voluntatibus. *Naturalem proprietatem* sic ille definit ut *sit* (2) *id, quod naturam constituit : sine quo constare natura ipsa non potest, cujus est proprietas*, ut est rationis capax *voluntate, sensu, ambulandi, et spirandi facultate præditum, in homine, ac similia;* quibus hominis species ab alia specie distinguitur. Hypostatica vero proprietas definitur ab eodem, (3) *quæ hypostasim unam ab alia separat* : velut sunt accidentia illa, quorum conglobatione individua Porphyrius; Joannes vero Damascenus, ut et alii Patres præsertim græci, hypostases, sive personas constitui, et ab reliquis disjungi putaverunt : ut quod Socrates simus sit, et albus, aut niger, et calvus, et ejusdemmodi cetera.

In illo numero proprietatum naturalium, quædam sunt affixæ speciei, quæ, ut scholæ dicunt, *gradum specificum* sequuntur : quædam generis propriæ, et ex *generico gradu* profectæ : ut spirare posse, ambulare, et alia : quæ secundo modo *propria* vocantur a Porphyrio : aut certe ad differentiam utramvis pertinent, generis, aut speciei, si οὐσιώδεις sint, non ἐπουσιώδεις, hoc est *secundum essentiam*, non *ex accidente* conveniunt. Nam esse sensu præ-

(1) Arist. de Inter. cap. 10. Προσκατηγορεῖται, vel σύγκειται, vel πρόσκειται.

(2) Damasc. pag. 470. Φυσικὸν μὲν οὖν ἰδίωμά ἐστι τὸ τὴν φύσιν συνιστῶν, οὗ χωρὶς οὐ δύναται συστῆναι ἡ φύσις, ἧς ὑπάρχει ἰδίωμα· οἷον τὸ ζωτικὸν, τὸ θελικὸν, τὸ λογικὸν, τὸ αἰσθητικὸν, τὸ βαδιστικὸν, τὸ ἀναπνευστικὸν ἐπὶ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ τὰ τοιαῦτα.

(3) Ibid. 471. Ὑποστατικὸν δὲ ἰδίωμα, τὸ χωρίζον ὑπόστασιν ἀπὸ ἄλλης ὑποστάσεως, οἷον τὸ σιμὸν, τὸ λευκὸν, τὸ μέλαν, τὸ φαλακρὸν, καὶ τὰ τοιαῦτα.

[1] Lib. 4. de Trin. c. 1.

[2] Cap. 2. 3. et 12.

ditum, differentia est hominis essentiam complens, sed ex genere, non ex infima specie congruens ; at esse rationis capacem, differentia est et οὐσιώδης, et adæquata cum specie.

III. Hoc igitur posito, jam hoc modo argumentari licet : quemadmodum genus ad subjectarum sibi formarum, ut et formis comprehensorum singularium naturam, et essentiam definitionemque spectat : sic generis differentiæ, proprietatesque, φυσικαὶ sunt, et οὐσιώδεις, sive essentiam componunt ac definitionem ipsam ; sive ex ea proficiscuntur. Atqui summum omnium genus est, τὸ ὄν, quod *ens* nominant. Hujus autem differentia, sive proprietas est ὕπαρξις, quam *existentiam* vocant. Quod enim non existit, nihil est, et eatenus quippiam *entis* rationem participat, quoad existentiam sortitur : ut si reipsa, et *actu*, quod dicunt, existat, *actu* sit *ens:* sin potest solum existere, sed nondum existit, *potentia*, non *actu*, dicatur ens : « (1) Quod enim revera, et substantia non est, ait Anastasius Sinaita, perspicuum est, id specie tenus, et imaginatione dici, non autem existere. » Quare generis est τῶν ὄντων affectio peculiaris existentia ; adeoque naturalis omnium, quæ dicuntur entia, proprietas non hypostatica, quia non soli hypostasi competit : imo natura eam antecedit : ut ex regula constat, quam ad naturæ antecessionem dignoscendam præscribit Ammonius : nempe « (2) illa natura dici priora, quibus sublatis alia tolluntur ; non vicissim his extinctis, extinguntur ipsa : tum quibus positis alia non ponuntur, et tamen positis aliis, ponuntur ipsa. » Sic enim quidquid subsistit, necesse est existere : non autem quod existit, id statim subsistere oportet.

Huc accedit, quod alibi demonstratum est [1], in Trinitate unicam *existentiam* inesse, communem personis tribus, et substantiæ, vel essentiæ propriam : cum tamen sint hypostases tres. Porro Trinitatis, et Incarnationis mysteria duo sic inter se comparantur passim a Patribus, ut opposita sint quæ de illis proprie dicuntur, hoc scilicet modo, ut in priori personæ sint, vel hypostaticæ proprietates tres ; una autem natura : in Incarnatione vero, naturæ duæ, sed una persona, et hypostatica una proprietas : deinde ut quæ absolutam notionem habent, et *ad se* dicuntur, ea in Trinitate sint communia tribus et singularia : quæ vero *ad aliud*, sive *relativa* dicuntur, propria singularum personarum sint, et pro earum numero multiplicia : in Incarnatione vero ex adverso multiplicentur quæ absoluta sunt ; quæ autem ad aliud comparata dicuntur, ea sint uniusmodi et communia. Quamvis enim duæ sint mentes, duæ voluntates ; non sunt tamen filii duo, neque duæ, ut sic loquar, filietates ; ut postea demonstrabitur. Hinc igitur merito concludimus, *existentiam,* quæ in utraque natura non *ad aliud, sive relativa*, sed *ad se* absoluteque sumitur, duplicem esse, non ambabus communem.

IV. Est etiam invictum illud argumentum, quod de Patrum sententia hoc in genere capitur, ex illorum usu, modoque loquendi. Etenim cum ὑπόστασις, et quod ab eo deflexum est, ὑποστατικὸν, interdum essentiam ipsam vel naturam significent ; ut in quarto de Trinitate accurate demonstratum est [2] : imprimisque Cyrillus, longe post institutam aliam vocum istarum notionem, de natura tamen usurpare perseveraverit : ubicumque usus illius ab communi more decedentis aliqua suspicio est, solent græci theologi ὕπαρξιν dicere ibi intelligendam esse nomine τῆς ὑποστάσεως, et ὑποστατικάς proprietates esse ὑπαρκτικάς ; tanquam ὕπαρξις proprie loquendo ad naturam referenda sit, ut ὑπόστασις ad personam. Dixi proprie loquendo ; nam scio ὕπαρξιν interdum a Patribus pro eo quod proprium est, et persona dicitur, accipi ; ut in eodem quarto libro de Trinitate docuimus [3]. Verum ibi, ubi ad ambiguitatem nominis τῆς ὑποστάσεως declarandam adhibita est, ad naturam, et id, quod est commune, transfertur.

Memorabilis est ad hanc rem locus apud Euthymium in Panoplia, ubi variorum ex Patrum monumentis sententias quasdam colligit adversus Monophysitarum hæresim, quas inter occurrit ista : « (3) Objiciunt Euty-

(1) ANAST. in Ὁδηγῷ, cap. 8. pag. 138. Τὸ γὰρ μὴ ὂν ἐν ἀληθείᾳ, καὶ οὐσίᾳ, εὔδηλον ὅτι ἐν δοκήσει, καὶ φαντασίᾳ λέγεται μὲν, οὐχ ὑπάρχει δέ.

(2) AMMON. in Porphyr. fol. 59. Διὸ κανόνες εἰσὶ τῶν φύσει προτέρων, τό, τε συναναιρεῖν μὲν, μὴ συναναιρεῖσθαι δέ· καὶ τὸ συνεισφέρειν μὲν, μὴ συνεισφέρεσθαι δέ. leg. μὴ συνεισφέρειν μὲ, συνεισφέρεσθαι δέ, ut patet ex eod. in categ. ad cap. de substantia, fol. 40.

(3) EUTH. tit. 15. lat. edit. pag. 622. Ἀποροῦσιν Εὐτυχιανισταὶ λέγοντες· εἰ δύο φύσεις ἐν Χριστῷ, δύο καὶ ὑποστάσεις ἔσονται. Οὐ γάρ ἐστι φύσις ἀνυπόστατος. Καὶ οὕτω δύο πάντως υἱοί. Πρὸς οὓς ἀντιλέγομεν, ὅτι τῶν ὑποστάσεων αἱ μέν

[1] Lib. 4. cap. 12. § 5. et 10. — [2] Cap. 1. et 2. et seq. Vide et lib. 4. hujus tomi c. 6. supra.

[3] Cap. 2. § 12.

chiani hunc in modum : Si duæ naturæ sunt in Christo, duæ itidem hypostases erunt. Nulla enim est natura hypostasi carens. Ita duo erunt omnino filii. Quibus ita respondemus : Hypostases alias esse personales, id est, quæ personas significant ; ut in sancta Trinitate, angelis, et hominibus : alias existentiam significare : ut in rebus, quæ quoquo modo sunt, ad distinctionem eorum, quæ nusquam sunt. Unde in Christo personalem quidem hypostasim unam agnoscimus : quæ autem pro existentia sumuntur, eas affirmare duas licet ; ut ne alterutram naturarum, quæ insunt ipsi, nusquam esse dicamus. Etenim hypostasim ejusmodi, quæ existentiam significat, in natura omni reperimus : personalem vero neutiquam in omni cernimus. »

V. Quocirca τὸ ἀνυπόστατον, cum ea notione capitur, quæ crebro illi subjicitur, ut sit id, quod reipsa non est, sed specie sola vel fictione; non aliter, quam per vocabulum ἀνύπαρκτον exponitur : quod est *nusquam existens*, et *nihil:* unde τὸ ὑφεστὼς cum aliud significat, quam suppositum, et personam ; et pro eo capitur, quod reipsa vereque consistit ; et non apparet solum, nec inani specie fallit, ὑπάρχον, et ὕπαρξιν ἔχον dicitur, hoc ex *existere*, vel *existentiam habere*. Hæc igitur *naturæ* propria conditio est, non *suppositi* : adeoque pro naturarum diversitate multiplex est.

Idipsum et Cyrillus Alexandrinus in primo libro adversus Nestorium satis ostendit, cum de ambabus naturis, et earum existentia loquens, ait « (1) impium esse, vel opinari solum, Verbum, quod ex Deo Patre prodiit, ad novum initium, ut esse inciperet, vocatum fuisse : aut existentiæ propriæ velut radicem quamdam, cepisse sanctissimæ Virginis carnem. » Tum paulo post de carnis existentia verba faciens scribit, non alio modo carnem illum esse factum, quam communi lege naturæ, ut gigneretur, ac nasceretur ex fœmina; cum ad hoc humanitatis illum conditio vocaret : « (2) nec existentiæ carnalis initium viam alteram habere possit. » Ibi duplicem Cyrillus ὕπαρξιν commemorat, ac duplicem ἀρχὴν, id est *principium*, et *radicem* illius : altera est existentia propria Verbi, et communicatæ ipsi divinitatis principium, quod ex matre Virgine neutiquam accepit : altera carnis, sive humanitatis propria ; cujus ἀρχὴν, hoc est initium sumpsit ex carnis generatione Verbum. Igitur non una eademque est ambobus existentia ; uti nec existendi principium. Sed una « (3) principium habet a Deo Patre, et omne tempus antecedit ; » ut idem postea Cyrillus ait : alia de carne Virginis sumpsit initium in tempore.

VI. Idem genus argumentationis ex simili testimonio Sophronii conficitur : quo perperam usi sunt aliqui Scholastici ad unicam existentiam approbandam : nec ad hos refellendos, recte satis illud alii sunt interpretati. Scribit ergo Sophronius Hierosolymitanus patriarcha in epistola Synodica, quam peræque piam et eruditam ad Sergium misit Constantinopolitanum patriarcham ; quæque in sexta Synodo recitata, probataque est, et in acta relata : « (4) Incarnatum esse Verbum, non carni copulatum ante formatæ, vel figuratæ, neque subsistenti prius connexum corpori ; vel prius subsistenti animæ compositum : sed cum iisdem unitum, tunc ad existendum prodeuntibus, quando Verbum ipsum, Deusque cum illis conjungebatur : adeo ut naturaliter in idem tempus concurrentem cum existentia copulationem habuerint : nec ante verissimam cum Verbo junctionem, per seipsa fuerint ambo : neque quisquam homo nostri similis extiterit omnino : verum sic, ut cum naturali Verbi copulatione concurrentem haberent existentiam :

εἰσι προσωπικαί, τουτέστι προσώπου σημαντικαί, ὡς ἐπὶ τῆς ἁγίας Τριάδος, καὶ τῶν ἀγγέλων, καὶ τῶν ἀνθρώπων· αἱ δὲ ὑπαρκτικαί, ὡς ἐπὶ τῶν ὁπωσδήποτε ὄντων πραγμάτων, πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν ἀνυπάρκτων· ὅθεν ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ προσωπικὴν μὲν ὑπόστασιν μίαν φαμὲν, ὑπαρκτικὰς δὲ καὶ δύο λέγειν ἀκίνδυνον. Ἵνα μὴ θατέραν τῶν ἐν αὐτῷ φύσεων ἀνύπαρκτον εἴπωμεν, ὑπαρκτικὴν μὲν γὰρ ὑπόστασιν ἐπὶ πάσης φύσεως εὑρίσκομεν· προσωπικὴν δὲ οὐκ ἐπὶ πάσης.

(1) CYRILL. tom. 6. pag. 7. Ὡς ἀμαθίας τε ὁμοῦ, καὶ τῆς εἰς ἄκρον ἡκούσης δυσσεβείας ἀπόδειξιν ἐναργῆ, τὸ κἂν γοῦν οἰηθῆναι μόνον, τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγον εἰς ἀρχὴν τοῦ εἶναι κεκλῆσθαι δευτέραν, ἤγουν τῆς ἰδίας ὑπάρξεως ῥίζαν ὥσπερ τινὰ, τῆς ἁγίας παρθένου τὴν σάρκα λαβεῖν.

(2) Id. Καὶ τῆς σαρκικῆς ὑπάρξεως τὴν ἀρχὴν οὐχ ἑτέραν ἔχειν δυναμένης τὴν ὁδόν.

(3) Ibid. pag. 9. Ὁ γὰρ ἐκ Θεοῦ Πατρὸς τὴν ὕπαρξιν ἔχων τὴν παντὸς ἐπέκεινα χρόνου.

(4) Act. 11. Syn. 6. Sophr. ep. pag. 165. Σαρκοῦται γοῦν ὁ Λόγος καὶ Θεὸς τὸ ἡμέτερον, οὐ προπλασθείσῃ σαρκὶ συναπτόμενος, ἢ προμορφωθέντι, καὶ καθ' αὑτὸ προϋποστάντι ποτὲ προσπλεκόμενος σώματι, ἢ προϋποστάσῃ ψυχῇ συντιθέμενος. Ἀλλὰ τότε τούτοις παραγενομένοις πρὸς ὕπαρξιν, ὅτε αὐτοῖς ὁ Λόγος αὐτὸς, καὶ Θεὸς συνετίθετο φυσικῶς σύγχρονον ἔχοντα τῇ ὑπάρξει τὴν ἕνωσιν, καὶ οὐ πρὸ τῆς πρὸς τὸν Λόγον ἀληθεστάτης συμβάσεως καθ' ἑαυτὰ γενόμενα πώποτε, ἤ τινος ἀνθρώπου τῶν καθ' ἡμᾶς ἑτέρου τὸ παράπαν ὑπάρξαντος· ἀλλὰ σύνδρομον ἔχοντα τῇ φυσικῇ τοῦ Λόγου συμβάσει τὴν ὕπαρξιν, καὶ οὐκ ἐκείνης οὐδὲ ὡς ἐν ὀφθαλμοῦ ῥιπῇ, ταυτηνὶ προτερεύουσαν ἔχοντι.

ac ne in ictu quidem oculi, præcedentem illam sortita fuerunt. » Quibus verbis docet Sophronius id, quod superiore libro demonstratum est [1], Christi corpus et animam ne puncto quidem temporis per se, et in seipsis extitisse, antequam cum illis Verbum jungeretur. Tunc ergo existentiam habere ait utrumque cœpisse, quando in unitionem assumptum est ; ita ut ὕπαρξις σύγχρονος, hoc est *existentia eodem temporis momento cœpta* sit illorum, quo sunt conjuncta Verbo.

Quibus subinde istud subjicit : « (1) Simul enim caro ; simul Dei Verbi caro : simul animata rationalis ; simul Dei Verbi caro animata rationalis. In ipso enim, et non per seipsam existentiam habuit. Quippe simul cum Verbi conceptu, ad consistendum ista producta sunt, et unita sunt ipsi secundum hypostasim, simul atque ad consistendum producta sunt. » Hic ὕπαρξιν quidam existimant [2] pro ὑποστάσει ab Sophronio accipi, hoc est *suppositio*, vel persona : quod nihil est necesse. Imo quod paulo ante dixit non προϋποστάσῃ hoc est *ante subsistenti* carni vel animæ copulatum fuisse Verbum : non puto ὑποστῆναι proprie esse, *suppositi, vel personæ modo cohærere :* sed simpliciter *existere in rerum natura*, et revera, non specie sola consistere : quam esse tralatitiam notionem vocabuli istius apud græcos theologos ostendimus, diu etiam postea retentam, quam hypostaseos liquido et distincte constituta significatio fuerat, et ejus ab οὐσίᾳ differentia. Ceterum in latina interpretatione veteri Synodi sextæ, et epistolæ illius Sophronii, addita vox fuerat *una*, et ita locus iste concipiebatur : *In illo itaque, et non per semetipsam habuit existentiam unam.* Sed ea vox in græco deest : quæ si esset, tunc ὕπαρξιν constaret pro supposito sumi. Fortasse autem interpres ita græca reddiderat : *Una cum conceptu quippe Verbi.* Unde primum vocabulum *una*, et in *unam* mutatum propter accentum, ad antecedentem partem orationis retractum est.

VII. Non dissimulabo tamen, ex illis Sophronii verbis nonnullos de Schola theologos in eam esse inductos opinionem, ut humanam naturam crederent non aliter existere, quam ipso divini Verbi proprio existendi modo ; maxime propter insertam illam voculam *unam*. Qua, uti par est, sublata, nihilominus satis in eo argumenti esse putant aliqui, quod Sophronius, *in ipso Verbo, et non per seipsum, existentiam habuisse* scribit humanam naturam. Cui et affinis est Joannis Damasceni locus in capite duodecimo libri tertii, ubi *carnis existentiam in ipso Verbo* nominat. Sed neuter existentiam propriam adimit humanitati : verum hanc per se, ac separatam a Verbo, illam ipsam habuisse propriam existentiam confirmat. De Sophronio, jam illud explicatum est. Idem et de altero persuadebit integer locus si quis animadvertere voluerit. Scribit Joannes Damascenus [3], tria hæc simul esse cœpisse, « assumptionem humanæ naturæ, ejus existentiam, et deificationem a Verbo : » ac paulo post, « simul conceptum Verbi, et existentiam carnis fuisse. » Multum abest igitur ab eo, ut propriam ibi carnis existentiam neget : cum hoc solum contendat, nunquam sine Verbo carnem existentiam suam habuisse, nec prius extitisse, quam cum illo jungeretur.

Ac præterea retinendum illud est, ὕπαρξιν, quam *existentiam* vocant, sive *esse actu*, dupliciter accipi. Aut enim simplicem significat emersionem rei ex nihilo, vel ex causis, quarum potentia continebatur : aut ejusmodi, ut per se, et ab aliis omnibus separata consistat ; nec in partem, ac compositionem totius cujuspiam veniat, quæ ὕπαρξις potest ὑποστατικὴ nominari, eo quod proprietate subsistendi sit affecta, et modificata, qui *modus existendi* dici solet a Patribus, ut in quarto libro de Trinitate docuimus. Ergo ὑποστατικὴ ὕπαρξις absolute ὕπαρξις appellatur interdum.

Hoc modo explicandum istud est, quod Joannes Damascenus in libro de Duabus voluntatibus disputat [4] : Duo esse in qualibet hypostasi : primum est τὸ εἶναι, hoc est *esse, et existere*, creatum esse, sensu, et anima præditum esse, et similia, quæ substantivæ, ac naturales sunt proprietates. Secundum est hypostatica differentia, quæ rem ipsam, et ejus proprietates modo quodam definit, ac determinat, efficitque ut per se cohæreat, nec alieno adminiculo nitatur. Ex quo divinis personis diversam singulis ὕπαρξιν attribuit. Atqui una est ut essentia,

(1) Ibid. pag. 166. Ἅμα γὰρ σὰρξ, ἅμα Θεοῦ Λόγου σάρξ· ἅμα ἔμψυχος λογικὴ, ἅμα Θεοῦ Λόγου σὰρξ ἔμψυχος λογική· ἐν αὐτῷ γὰρ, καὶ οὐ καθ' ἑαυτὴν ἔσχε τὴν ὕπαρξιν. Ἅμα γὰρ τῇ συλλήψει τοῦ Λόγου ταῦτα παρήχθη πρὸς σύστασιν· καὶ ἡνώθη αὐτῷ καθ' ὑπόστασιν ἅμα τῷ πρὸς σύστασιν ἄγεσθαι.

[1] Cap. 10. — [2] Ut Vasq. Disp. 71. num. 22. — [3] Vide l. 4. c. 10. § 4. supra : ubi verba græca descripta sunt.

[4] Pag. 471. et 472.

sic existentia communis tribus, ac personalibus modificata proprietatibus. Sed eadem distinctis et oppositis proprietatibus, ac modis affecta diversa dicitur. De hoc Damasceni loco uberius agemus sequenti capite.

VIII. Ad summam Patres illi, qui humanam Christi naturam extitisse primitus in Verbo asserunt, nihil amplius significant, quam quod Augustinus in Enchiridio, capite quadragesimo scribit, « Hominem in Christo, in ipso exordio naturæ suæ, quo esse cœpit, Verbo Dei copulatum » fuisse; quem locum, cum aliis plerisque græcorum, ac latinorum Patrum superiore libro commemoravimus [1]. Ibi autem Augustinus, ut initium existendi, sic existentiam ipsam humanæ naturæ propriam tribuere videtur.

Certe uti quod οὐσίαν vel ὀντότητα, hoc est *essentiam*, et *entitatem* nullam habet, τὸ μὴ ὂν dicitur, hoc est *non ens*, et fictum aliquid, ac merum nihil : ita quod ὕπαρξιν non habet, non est aliquid, saltem, ut loquuntur, actu : et eatenus est, qua potest existere, ac possibile dicitur, hoc est δυνάμει ὂν : ut supra meminimus. Hinc quod est nihil, ἀνύπαρκτον vocatur, et ἀνυπαρξία status est *nihili*, vel *in nihilum redacti*. Quod si natura hominis in Christo propria caret *existentia*, erit ex sese nihil. Ut enim quia nullum habet proprium sibi subsistendi modum, ἀνυπόστατος vocatur eo sensu, quo ὑπόστασις personam significat : et si ante subsistentem illam, et perfectam, Deus assumpsisset, ut jam persona non esset, recte diceretur εἰς ἀνυποστασίαν redacta, et eo ipso minime completa. Sic eadem nullam si obtinet existentiam propriam, merito ἀνύπαρκτος, et in statum τῆς ἀνυπαρξίας deducta dici potest, ac plusquam *incompleta*; adeoque *nihil* omnino. Quod tamen nefas esse dictu censet idem Joannes Damascenus; (1) qui naturas ita inter se coiisse scribit in eamdem personam, neutra ut naturalibus proprietatibus exciderit, nec in nihilum redacta sit, quam ἀνυπαρξίαν vocat. Humana itaque natura cum perfecta sit, et *ens* natura completum; illa ipsa carere forma et affectione non potest; sine qua ne *ens* quidem sit, nedum perfectum *ens* secundum essentiam : quæ nisi reipsa, et *actu* sit, hoc est *existat*, nihilum esse censetur. Est enim ipsum εἶναι, id est *esse*, et *existere*, inter οὐσιώδεις, et φυσικὰς rerum proprietates facile princeps; et primo loco ponitur ab eodem auctore in [2] libro de duabus Christi voluntatibus, quasi fundamentum reliquarum. Quinam ergo salvæ integræque manerent (quod tam sæpe idem auctor inculcat [3]) naturarum οὐσιώδεις διαφοραὶ, hoc est *substantivæ*, vel *essentiales differentiæ*, si prima deesset omnium, existentia?

CAPUT SEPTIMUM.

An natura humana Christi proprium aliquem subsistendi modum habeat. — 1. Hujus quæstionis fructus exponitur. — 2. Nestorianorum et Eutychianorum inter se comparatio. Hi duas ante unitionem hypostases agnoverunt : ac naturam idem esse cum hypostasi in creatis rebus putarunt. — 3. Quod auctoritate veterum probatur. — 4. Quidam opinati sunt, omnem substantiam, quæ separata per se consistit, esse hypostasim : velut est anima rationalis. — 5. De hypostasis conditione obiter disputatum, et quatenus ex natura, et certis proprietatibus constat. — 6. Maxime illi convenire ut per se ac seorsim cohæreat. — 7. Etiam ut pars non sit totius cujuspiam. — 8. Triplex genus proprietatum in substantia. — 9. Hypostasis et persona pro eodem usurpata in Chalcedonensi Synodo. Nullum subsistendi modum proprium habere naturam hominis in Christo. — 10. Quod argumentis aliquot probatur.

I. Ex omnibus erroris argumentis, quibus præcipites acti sunt, de Incarnatione perperam sentientes hæretici, vulgatissimum id fuit, maximeque pestilens, quod φύσιν, vel οὐσίαν, hoc est *naturam*, aut *essentiam*, ab *hypostasi* nescierunt, nolueruntve secernere. Testis est Joannes Damascenus in tertio de Fide orthodoxa libro, verbis istis : « (2) Hoc, *inquit*, est,

(1) JOAN. Damasc. lib. 3. cap. 3. Μήτε μὴν τῆς ἀνθρωπίνης, ἢ τραπείσης εἰς θεότητος φύσιν, ἢ εἰς ἀνυπαρξίαν χωρησάσης.

(2) DAMASC. lib. 3. cap. 3. pag. 172. Ἀλλὰ τοῦτό ἐστι τὸ ποιοῦν τοῖς αἱρετικοῖς τὴν πλάνην, τὸ ταὐτὸ λέγειν τὴν φύσιν, καὶ τὴν ὑπόστασιν.

[1] C. 10. § 5. — [2] P. 171.

[3] Ib. p. 174.

quod hæreticis errorem objicit, quod idem esse naturam, et hypostasim arbitrantur. » Sic enim persuasum habebant, naturam omnem perfectam, et suis absolutam numeris, nihil desiderare amplius, quo minus hypostasis, et si quidem genere sit rationalium, persona censeatur. Quod ex Aristotelis præsertim philosophia sumptum esse demonstravimus [1] alio in loco; et Anastasius Sinaita in eo libro, qui Ὁδηγὸς inscribitur, capite nono, luculenter de hac re scribens, tam Nestorianos, quam Eutychianos, eodem ex Aristotelico fonte principium hoc hausisse refert. « (1) Quicumque, *ait*, ex præscripto græcanicæ philosophiæ Aristotelis, naturas vocant hypostases, et personas, nec in sancta Trinitate possunt tres hypostases dicere; ne quod fecit Arius, tres naturas affirmare videantur : neque porro duas in Christo naturas profiteri queunt, ne duas personas, et hypostases in ipso, Nestorii instar confiteri cogantur. Nam ab Aristotele didicit Nestorius, naturas appellare hypostases. At vero sancta Ecclesia Aristotelicas, græcasque vaniloquentias declinans, et Evangelice, atque apostolice, ut paulo ante diximus, de Christo credens, negat idem esse naturam, et hypostasim. »

Igitur « unum est hæresis utriusque certamen, ut ait Leontius [2], quamvis finis sit differens. Illi enim, id est Nestoriani, ut cum naturis hypostases inferant : alii vero, id est Eutychiani, ut per hypostases, naturas etiam tollerent, eodem argumento usi sunt. » Itaque Monophysitæ varias ex diversis Patribus sententias, tanquam ab Cyrillo collectas, circumferebant, quæ naturas easdem omnino cum hypostasibus esse confirmarent : ut Anastasius in capite decimo τοῦ Ὁδηγοῦ prodidit [3]. Et apud Rusticum [4] Acephalus, ex eo quod humana Christi natura sit individua, non universalis, probat esse subsistentiam : siquidem omnem naturam individuam personam esse putat [5], si ratione prædita sit. Quod cum in omnibus creatis substantiis verum esse Catholicus fateatur, in Christo tamen secus habere; mirum id hæretico videtur.

II. Hinc apparet non contemnendam; imo vero necessariam hanc esse quæstionem, quid humanæ Christi naturæ desit, quo minus persona, et hypostasis habeatur. Quæ quidem uti facilius explicetur, et catholica fides adversantium utrinque sibi hæresum objecta falsitati magis eniteat, illud ex supra memoratis tenendum est, utrosque tam Nestorianos, quam Eutychianos, in duobus concordes, totidem in aliis discordes fuisse. Etenim Christum ex duabus naturis esse conflatum; sive duas ad illius qualemcumque constitutionem naturas convenisse, pariter utrique credebant; sed in eo dissidebant, quod in duabus esse naturis eumdem, Nestoriani dicerent; negarent Eutychis discipuli, de qua controversia egimus in tertio libro [6]. Rursus ante et post unitionem naturas fuisse duas, Nestorianis placuit : Eutychiani vero ante unitionem tantummodo, duas : post unitionem, nonnisi unam fuisse docuerunt, de quo vide caput nonum libri quarti. Etenim personas duas sola σχέσει conjunctas, reipsa, ut erant, mansisse duas, Nestoriana fuit opinio. Eutychiani naturas duas, et hypostases, antequam unirentur, numeratas esse; postquam autem semel sunt unitæ, non amplius numerari posse, quippe in unam redactas, arbitrati sunt. Unam itaque ex duabus naturis, et hypostasibus, naturam, et hypostasim in Incarnatione factam, putavit Eutyches, et hujus sectæ columen, Severus : non eo, quod φύσιν et ὑπόστασιν idem prorsus esse crederent. (Non enim Tritheitæ, omnes Eutychiani fuerunt, sed horum pars illa tantum, cui originem dedit Philoponus, qui ubique, hoc est tam in Trinitate, quam in Incarnatione, nullam οὐσίαν, aut naturam esse, quæ non hypostasis esset, existimavit.) Non igitur duas hypostases ideo ante copulationem fuisse, duo assensi sunt illi, quod eamdem absolute notionem nominis utriusque statuerent : sed quod in Incarnationis duntaxat negotio, unum censerent esse naturam, et hypostasim : cum eadem in Trinitate different.

III. Hujus illorum opinionis indicium præbet Anastasius Sinaita in Ὁδηγῷ, capite nóno,

(1) ANAST. pag. 150. Ὅσοι κατὰ τὸν ὅρον τῆς Ἑλληνικῆς φιλοσοφίας Ἀριστοτελικῆς λέγουσι τὰς φύσεις ὑποστάσεις καὶ πρόσωπα, οὐ δύνανται οὔτε ἐπὶ τῆς ἁγίας Τριάδος τρεῖς ὑποστάσεις εἰπεῖν, ἵνα μὴ καὶ τρεῖς φύσεις εὑρεθῶσιν, ὡς ὁ Ἄρειος, λέγοντες· οὔτε μὴν πάλιν δυνατὸν αὐτοῖς δύο ὁμολογεῖν ἐν Χριστῷ τὰς φύσεις, ἵνα μὴ ἀναγκασθῶσι καὶ δύο πρόσωπα, καὶ ὑποστάσεις ὁμολογεῖν Νεστοριανῶς ἐπ' αὐτῷ. Ἀπὸ γὰρ Ἀριστοτέλους παρέλαβε καὶ ὁ Νεστόριος λέγειν τὰς φύσεις, ὑποστάσεις. Ἡ δὲ ἁγία ἐκκλησία ἀποφυγοῦσα τὰς Ἀριστοτελικὰς, καὶ ἑλληνικὰς ματαιολογίας, Εὐαγγελικῶς, καὶ Ἀποστολικῶς, ὡς πρὸ βραχέως εἴρηται, τὰ περὶ Χριστοῦ πιστεύουσα, οὐ λέγει ταὐτὸ τὴν φύσιν, καὶ τὴν ὑπόστασιν.

[1] Lib. 4. de Trinit. c. 1. § 2. — [2] Lib. con. Nestor. et Eut. to 4. Bibl. par. 2. 959. — [3] Anastas. init. c. 10. pag. 152. — [4] Tom. 4. Bibl. 814. — [5] Ibib. 815. — [6] C. 5.

sub finem : ubi postquam exposuit, φύσιν et ὑπόστασιν, extra profanæ usum philosophiæ, non idem significare, verbis iis, quæ paulo ante descripsi; statim ista subjicit : « (1) Quid adversus hæc audebunt mutire Severiani? Forte dicent : In Trinitate non idem esse naturam, et hypostasim : at in Incarnatione Christi, qui unus est de Trinitate, idem esse naturam, et personam, sive hypostasim : non enim reperiri naturam, quæ non sit persona. Hæc illis dicentibus, promptissime sermonem eorum accipio, et ambabus amplector ulnis definitionem hujusmodi. » Hinc non inanis suspicio fit, Eutychianos plerosque, qui de Trinitate nihil a catholica regula discrepantes, naturam unam cum personis tribus fatebantur; et idcirco φύσιν ab ὑποστάσει differre non negabant; aliter rem habere in Incarnatione dixisse : quod, ut est verisimile, in creatis tantummodo rebus naturam nihil ab hypostasi distare; in Deo, eadem ista differre crederent.

Invenio apud Nicephorum Callisti F. Dioscorum, Severum, et Joannem Philoponum « (2) unicam naturam, hypostases vero duas » in Christo defendisse ; nonnunquam tamen duas itidem naturas ab illis constitui. Forte naturas duas et hypostases ante copulationem; post hanc, unam duntaxat esse scripserant. Sane Leontius in Solutione argumentorum Severi [1], Acephalum hæreticum ita contra Catholicos disputantem introducit, quasi duas hypostases in unum concurrisse velint, et ex earum junctione unam hypostasim extitisse. Quod ubi pro certo confessoque sumpsit, ex eo concludit; non magis ex duabus hypostasibus, unam effici consentaneum esse, quam ex naturis duabus, unam. At Leontius [2] de falso contra illum excipit; negat enim hypostases duas a Catholicis asseri. Verum Cyrillus interdum hypostases duas nominat; sed ita ut naturas intelligat.

IV. Adversus hanc igitur Nestorianorum, et Eutychianorum πρόληψιν, græci præsertim Patres, qui accuratius in eam tractationem incumbentes, e philosophia præsidium adjungere non dubitarunt; hoc ante omnia constituerunt, naturam hominis in Christo non extitisse, antequam cum divino Verbo necteretur : quod libro quarto, capite decimo demonstratum est. Atque eo sunt aliqui progressi, ut universe pronuntiarent substantias omnes, quæ separatæ per se consistunt, hypostases, aut personas esse; ut si anima hominis ante corpus existeret, illam sine ulla dubitatione personam facerent. Ita Rusticus diaconus in disputatione contra Acephalos [3]. Leontius quoque [4] animam ipsam et corpus, ex quibus homo componitur, negat imperfectas esse substantias; unde consequens sit, esse personas, saltem cum existunt a se mutuo divulsæ, de quo alibi scripsi [5].

Hugo præterea Victorinus [6] tum hoc sibi objicit ; « Animam esse rationalem substantiam, et individuam naturam : (quæ diffinitio est personæ.) igitur si assumpsit animam, etiam personam; » tum ita respondet : hoc utique consequens fuisse, « si prius esset anima, quam assumeretur. Est namque anima persona, sicut angelus. Quid enim est homo nisi anima habens corpus? Sed ideo non assumpsit personam, quia non erat persona quod assumpsit. Animam namque creando assumpsit, et assumendo creavit. »

Atqui communis est non modo philosophorum, sed etiam theologorum hodie sententia; neque animam quamlibet a corpore sejunctam, personam esse; neque corpus, sive materiam, ac quamlibet aliam partem naturalis et perfectæ substantiæ, per se hypostasim esse. De qua re ut accuratius cognoscere possimus, intuendum nobis est in eas notas, et proprietates, sive χαρακτῆρας, quos antiqui theologi τῇ ὑποστάσει præfinierunt. Necesse est enim, ut iis aut universis, aut quibusdam hominis in Christo natura carens persona esse nequeat.

V. Jam primum constat illud, quod sæpius repetere necesse fuit, et in quarto maxime libro de Trinitate diligenter, ac fuse disputatum est, certas ab veteribus illis ex philosophia constitutas esse conditiones, et qualitates, ex

(1) ANAST. pag. 150. Ἀλλὰ τί πρὸς τοῦτο πάντως οἱ ἀπὸ Σευήρου λέξουσιν; ἴσως γὰρ ἐροῦσιν, ὅτι περ ἐπὶ τοῦ τριαδικοῦ λόγου οὐ ταὐτὸν φύσις, καὶ ὑπόστασις, ἐπὶ δὲ τῆς σαρκώσεως τοῦ Χριστοῦ, τοῦ ἑνὸς τῆς ἁγίας Τριάδος, ταὐτὸν ἡ φύσις ἐστὶ, καὶ τὸ πρόσωπον, ἤγουν ἡ ὑπόστασις· οὐκ ἔνι γὰρ φύσις ἀπρόσωπος· ταῦτα αὐτῶν λεγόντων, δέχομαι προθύμως τὸν λόγον, καὶ ἀσπάζομαι ὑπτίαις χερσὶ τὸν τοιοῦτον ὅρον.

(2) NICEPH. lib. 18. cap. 45. pag. 870. Μίαν μὲν φύσιν, δύο δὲ ὑποστάσεις ἀσεβέστατα γράφοντες ἐδογμάτιζον, etc. πλὴν καὶ οὗτοι τῶν οἰκείων βίβλων ἐνιαχοῦ, δύο φύσεις ἀνομολογοῦσιν ἐπὶ Χριστοῦ.

[1] Leont. tom. 4. Bibl. p. 2. col. 1049. F. et 1052 A. — [2] Ibid. 1050. C. — [3] Tom. 4. Bibl. 809. et sequent.

[4] Leont. tom. 4. Bibl. par. 2. 961. — [5] Lib. 4. cap. 10. § 5. — [6] Tract. 1. Sum. sent. cap. 15.

quibus hypostasis confici, ac determinari debet, ut a natura, quæ communis est, differentia aliqua separetur. Eas proprietates Gregorius Nyssenus appellat[1] ἰδιάζοντα σημεῖα, hoc est *peculiares notas;* quarum aliæ sunt naturales, quæ aboleri nequeunt, et manent integræ in ipsa cum Verbo conjunctione : aliæ sunt hypostaticæ, quæ cum naturis neutiquam multiplicantur.

De utrisque scribit erudite Joannes Damascenus in libro de Duabus voluntatibus, quem locum in hoc caput distulimus. « (1) Sciri, *inquit*, oportet omnem hominum hypostasim habere hoc, ut sit, et ex non extantibus ad id ut extet, a conditore perducta sit. Ejusmodi sunt creatum esse, vita, et actione, ac sensu præditum : item intelligentiæ, rationis, appetitus, hoc est voluntatis participem : ad hæc ex substantiis, et accidentibus subsistere. Hæc ergo substantiva, et naturalia sunt. At illorum propria, et ex peculiari electione profecta motio, hypostatica differentia est. Etenim istorum esse participem, ejusdem naturæ est argumentum : modus autem existendi, ac divisa, et constans per sese subsistentia, et uniuscujusque coagmentatio; necnon peculiaris, et sponte propria impulsus, ac differens naturalium usus, divisas, et a se mutuo divulsas hypostases ostendit, efficitque, plures ut homines dicantur.»

Hic hypostasim duplici ex genere proprietatum constare docet : quarum aliæ sunt communes toti speciei, et naturales dicuntur; aliæ sunt individuæ cujusque naturæ propriæ; velut est per se ac suapte motione ad agendum incitari; atque ipse *modus*, ut vocant, *existentiæ* (de quo in libro quarto de Trinitate scripsimus[2]) hypostaseon indices sunt, ac notæ propriæ.

VI. Imprimis autem ad hypostasim pertinet, ejusque intima est, et summe necessaria proprietas, ut per sese, ac nullo alieno præsidio, et quasi adminiculo nixa consistat : ac seorsim, et ab aliis separata cohæreat. Quod ex Cyrilli, et aliorum Patrum identidem repetitis, et inculcatis sententiis colligitur. Hoc enim est, quod tam sæpe usurpare solet Cyrillus, ἀνὰ μέρος, ἰδίᾳ, et ἰδικῶς, hoc est *separatim*, *proprie*, *per se*, *ac seorsim existere*. Non enim pars est ulla doctrinæ catholicæ, qua Incarnationis dogma continetur, ab illo commemorata, et adversus Nestorii hæresim iterata sæpius, quam hæc ipsa, naturas in Christo post unitionem, non proprie, nec separatim, ac disjunctas cohærere. Sic in explanatione anathematismi secundi : « (2) Eumdem, *ait*, esse dicimus Deum simul et hominem, non divisa consideratione hominem seorsim ac particulatim positum, et Deum Verbum separatim cogitantes.» Cui mox Nestorianam hæresim opponit, quæ res conjunctas reipsa ab se mutuo divellit. Et in expositione anathematismi octavi[3], vetat hominem ἰδικῶς et seorsim a Verbo dici, et haberi. Tum in confutatione Orientalium ad eumdem anathematismum, (3) dividendum negat in duos Christum Dominum, ut homo separatim, et particulatim intelligatur. Sic in epistola octava ad clericos Constantinopolitanos, Nestorii opinionem in eo positam refert, ut « (4) duos Christos, et duos filios constituat, alterum hominem per se, ac seorsim, alterum seorsim Deum.»

In epistola quoque posteriore ad Successum, Nestorianos incusat, « (5) quod hominem proprie, ac seorsim, et per se considerent tanquam filium.» Et paulo post, eosdem queritur, (6) « humanam naturam a Verbo divellere, et extra hoc seorsim ponere : uti duo jam intelligantur, et non unus.» Sic in commonitorio ad Eulogium[4], illud ἰδικῶς, id est *seorsim*

(1) JOANN. Damasc. pag. 47. Εἰδέναι τοίνυν χρὴ, ὅτι πάσῃ ἀνθρώπων ὑπόστασις ἔχει τὸ, τε εἶναι, καὶ τὸ ἐκ μὴ ὄντων εἰς τὸ εἶναι ὑπὸ τοῦ δημιουργοῦ παρῆχθαι· τουτέστι τὸ κτιστὸν, τό, τε ζωτικὸν, καὶ τὸ ἐνεργητικὸν, καὶ αἰσθητικόν, καὶ νοερὸν, καὶ λογικὸν, καὶ ὀρεκτικὸν, τουτέστι θελητικὸν, καὶ τὸ ἐξ οὐσιῶν, καὶ συμβεβηκότων ὑφίστασθαι. Ταῦτα οὖν οὐσιώδη εἰσὶ, καὶ φυσικά· ἡ δὲ τούτων ἰδιότροπος, καὶ ἰδιαίρετος κίνησις, ὑποστατικὴ διαφορά. Τὸ μὲν γὰρ μετέχειν τούτων, τὸ ταὐτὸν τῆς φύσεως παρίστησιν. Ὁ δὲ τρόπος τῆς ὑπάρξεως, καὶ ἡ ὑποτετμημένη (for. ἀποτετμημένη) καὶ ἰδιοσύστατος ὑπόστασις, καὶ σύμπηξις ἑκάστου, καὶ ἡ ἰδιότροπος, καὶ ἰδιοκίνητος, καὶ διάφορος τῶν φυσικῶν χρῆσις, ἀποτετμημένας τὰς ὑποστάσεις δείκνυσι, καὶ πολλοὺς λέγεσθαι τοὺς ἀνθρώπους ποιεῖ.

(2) CYRILL. tom. 6. pag. 148. Ταύτῃ τοὶ φαμὲν τὸν αὐτὸν ὑπάρχειν Θεὸν τε ὁμοῦ, καὶ ἄνθρωπον, οὐ διϊστάντες εἰς ἄνθρωπον ἰδικῶς τε, καὶ ἀνὰ μέρος κείμενον τὴν ἐπ' αὐτῷ θεωρίαν, καὶ εἰς Θεὸν Λόγον ἰδικῶς.

(3) Ibid. pag. 179. Διελεῖν εἰς δύο τὸν ἕνα, καὶ ἄνθρωπον ἰδικῶς, καὶ ἀνὰ μέρος νοούμενον ὑποφῆναι.

(4) CYRILL. epist. 8. tom. 5. Par. 2. pag. 33. Ἀλλ' ἐπειδὴ σκοπὸς ἐκείνοις δύο λέγειν Χριστοὺς, καὶ δύο υἱοὺς, καὶ τὸν μὲν ἄνθρωπον ἰδικῶς, τὸν δὲ Θεὸν ἰδικῶς.

(5) Id. pag. 144. Ἀλλ' ἵνα μᾶλλον ἄνθρωπος ἰδικῶς, καὶ καθ' ἑαυτὸν νοούμενος Υἱὸς, etc.

(6) Ibid. pag. 145. Οἷον ἀποδιϊστάντες αὐτὴν τοῦ Λόγου, καὶ ἔξω τιθέντες ἰδικῶς, ἵνα δύο νοῶνται, καὶ οὐχ εἷς ἔτι σεσαρκωμένος, etc.

[1] Lib. con. Apoll. to. 2. p. 697.

[2] C. 6. — [3] Tom. 6. p. 754. — [4] Pag. 134.

et *proprie* ab utravis natura rejicit. Et in epistola ad Acacium Nestorium ait « (1) Deum seorsim ponere, et hominem seorsim. » Quod etiam in anathematismo quarto diserte concipit.

(2) Joannes item Damascenus in libro tertio, capite tertio, « naturas *ait* sic in unitione manere integras, ut non privatim, ac separatæ singulæ ponantur. » Et capite sexto, hypostasim describens, « (3) hanc *ait*, ex communi et proprio constare; ac præterea illud habere, ut per seipsam existat. » Eadem vis est et nominum istorum, quibus hypostasim iidem auctores exprimunt[1], ἰδιοσύστατος, quod est *privatim, et per se consistens*, ἰδιοπεριόριστος id est, *proprio termino circumscriptus;* qua voce usus est Leontius cum vocat, « (4) duas hypostases, et duas personas per se, et peculiari termino definitas. » Tum[2] ἰδιοϋπόστατος hoc est *proprie subsistens*. Hæc enim, et similia vocabula demonstrant hypostasim non aliena ope fultam, ac sustentatam existere, sed per semetipsam, ac proprio termino definitam.

VII. Theodorus Abucaras in Opusculo vicesimo nono disputantem secum inducens hæreticum, ostendit (5) non satis esse ad hypostasim explicandam, ac definiendam, adhibere naturam cum proprietatibus : quippe naturam humanam in Christo non carere proprietatibus suis, quibus ab aliis dignosceretur : nec tamen hypostasim esse. Quare præter hæc duo requiri, ut natura, quæ sit hypostasis, nullius pars sit, hoc est ut ex se, naturaque sua id habeat, ut in nullius veri, et naturalis compositi coagmentationem veniat. Quæ differentia tum humanam Christi naturam excludit ab ratione hypostasis, tum vero rationalem animam, etiam ab corpore sejunctam ; ut alibi diximus. Atque hæc τῆς ὑποστάσεως proprietas, in vocum illarum, quas recensuimus, notione comprehensa potest intelligi, si *per se, ac seorsim cohærere, et proprie constare, termino circumscribi proprio*, non simpliciter accipias : verum ita, ut hoc naturæ sit ipsi insitum, nullius ut in rei constitutione, partis proprie dictæ vice fungatur. Quod enim ejusmodi est, habet illa reliqua : et vicissim hoc postremum, si congruenter accipiatur, in illis cernitur.

Sic alia vox ad hypostasim declarandam ab aliis adjuncta, ita necessariam confert notionem, ut hæc ipsa cum antecedentibus implicata vocabulis videri possit. Est autem hujusmodi vox, αὐτοτελής, quæ *per se completam, et perfectam* significat, qualem oportere esse personam, et hypostasim omnes consentiunt.

VIII. Ex iis colligitur, triplex discerni posse genus proprietatum, quæ in substantia cernuntur. Aliæ sunt naturales, et toti speciei communes, ejusque individuis omnibus, quæ φυσικὰ ἰδιώματα Joannes Damascenus appellat; Chalcedonensis synodus in Decreto fidei, ἰδιότητας φύσεως; Cyrillus[3], ἰδιότητας τὰς κατὰ φύσιν. Aliæ sunt individuorum, ac singularium forma aliqua comprehensorum propriæ, quibus a se mutuo separantur, ac discernuntur. Hanc esse congeriem conglobatorum accidentium et qualitatum vulgo græci Patres existimant, et post eos latini, qui τεχνικώτερον ista pertractarunt; ut in quarto de Trinitate copiosius explicavimus. Aliæ sunt denique, quas ὑποστατικὰς proprie vocare possis : quibus nimirum vera, et completa constituitur hypostasis : cujus ratio addit hoc ad individui notionem, quod paulo ante declaratum est, et vocabulis aliquot comprehensum : ut et per se, et ab quolibet alio separata consistat; neque natura insitum hoc habeat, ut alterius proprie dicta sit pars, et non ex accidente. Horum trium generum priora duo in humanam Christi naturam competere, partim ex antecedentibus intelligitur : partim consequens disputatio monstrabit. Habet enim imprimis naturales omnes proprietates, quæ quidem speciei toti congruunt; quod paulo post accuratius ostendam. Tum singularis, et individua est : uti capite quinto declaravimus. Tertium genus deest illi, proprium duntaxat, et cujusmodi rerum creatarum conditio postulat. Neque enim per se, nec existendi modo proprio, sed alieno subsistit. Itaque non est hypostasis, id est *subsistentia*,

(1) Cyrill. pag. 114. Θεὸν ἰδίᾳ τιθεὶς, καὶ ἄνθρωπον ἀνὰ μέρος.

(2) Joann. Damasc. pag. 173. Καὶ τὰς δύο φύσεις ὁμολογοῦντες σώζεσθαι ἐν αὐτῷ μετὰ τὴν ἕνωσιν, οὐκ ἰδίᾳ καὶ ἀνὰ μέρος τιθέντες ἑκάστην.

(3) Ibid. pag. 186. Τὸ κοινὸν μετὰ τοῦ ἰδιάζοντος ἔχει ἡ ὑπόστασις, καὶ τὸ καθ' ἑαυτὴν ὑπάρξαι.

(4) Leont. de Sec. tom. 11. bib. pag. 518. Δύο ὑποστάσεις, καὶ δύο πρόσωπα καθ' ἑαυτὰ, καὶ ἰδιοπεριόριστα.

(5) Abuc. ibid. pag. 426. Ἀλλ' οὐκ ἀρκεῖ τὸ συγκεῖσθαι τὴν φύσιν τοῖς ἰδιώμασιν εἰς γένεσιν ὑποστάσεως, ἀλλὰ δεῖ συνδραμεῖν εἰς τοῦτο, καὶ τὸ μὴ εἶναι μέρος.

[1] Damas. lib. 3. c. 9. — [2] Apud Euth. Panop. tit. 7. in fine.

[3] In 2. ep. ad Succ. p. 143.

neque persona. Siquidem duo hæc, quæ græce sunt ὑπόστασις, et πρόσωπον, pro uno eodemque sumpta sunt post Athanasii tempora ; cum antea, et ab ipsis adeo synodi Nicænæ Patribus, promiscue usurpata sint ; ut in libro quarto de Trinitate diximus. Imo etiam diu postea apud Alexandrinos, sine ullo discrimine nonnunquam in usum cesserunt, quod Cyrillum præcipue secutum esse, superioribus libris duobus notavimus, deque eo rursus postmodum agemus.

IX. Chalcedonensis certe synodus in definitione fidei pronuntiavit, « (1) utriusque naturæ proprietates salvas manere, et in unam personam, atque unam hypostasim concurrere. »

Sic igitur unam in Christo *subsistentiam* esse decrevit magna illa synodus, eamque divini Verbi propriam : ut Maxentius observat his verbis [1] : « Unam vero duarum naturarum subsistentiam, sive personam, quam nobis veneranda Chalcedonensis synodus tradidit, nullius alterius, nisi Dei Verbi incarnati, et hominis facti, confitemur. » Addit paulo post, impie quosdam Concilii verba et sententiam interpretantes, *personæ* nomen, homini : subsistentiæ vero, Deo Verbo tribuere. « Quapropter, *inquit*, impie quidam personam quidem homini ; subsistentiam vero Deo Verbo credunt a Synodo deputatam. Non quod nesciant apud Synodum idipsum esse subsistentiam quod et personam ; sed ne aperte videantur duas subsistentias, aut duas personas introducere, hoc passim abutuntur argumento. Nos autem unum et idem sentientes subsistentiam esse quod et personam, etc. » Fuit hæc cavillatio jocularis otiosorum hominum : cum certum sit, ὑπόστασιν nihil aliud esse quam subsistentiam : quæ ex natura, et existendi modo coalescit. Hunc vero modum existendi nullum penitus inesse naturæ hominis in Christo proprium, et creatum, res esse debet apud theologos, imo apud Christianos certissima. Quod iisdem fere probatur argumentis, quibus quartum in Deo subsistendi modum, naturæ, sive essentiæ peculiarem evertimus in libro quarto de Trinitate [2]. Hunc enim antiquioribus ignotum theologis, recentiores aliqui in scholas invexerunt, non ut personam quartam eo fieri putarent : sed ita ut absolutum esse quippiam decernerent, et personis commune tribus, quo natura ipsa divina, et substantia, per se, et ab triplici relativa proprietate, cogitando separata subsistit. Sic humanæ Christi naturæ, quæ et ipsa substantia est, existendi per sese modum aliquem convenire, suspicantur nonnulli ; neque tamen hanc hypostasim personamve putant esse ; quod ista qualiscumque subsistendi proprietas non est completa prorsus ; neque naturam communicari, adjungique alteri prohibet ; ultimave circumscriptione determinat.

X. Verum adversus hoc subsistendi genus eodem, quo contra quartum illud in Trinitate, modo præscribitur. Etenim si, quod in hoc opere instituimus, veterum Patrum auctoritas quæritur ; cum ea non aliunde, quam ex eorum monimentis peti possit, certum est nullam in istis extare significationem imperfectæ nescio cujus, inchoatæque subsistentiæ, quæ sit humanæ propria naturæ : neque plures una hypostasi, ac subsistentia, vel persona, utrique Christi naturæ tribui. Unus est, inquam, et singularis τρόπος τῆς ὑπάρξεως, hoc est *existendi modus*, quo Christus, ejusque gemina substantia cohæret. Hic modus subsistentiam, et personam efficit : nec in ratione præditis aliud est subsistentia, quam persona : postquam hæc vocabula ad eorum, quæ tria numerantur in Deo, notationem, ac discrimen assumpta sunt. Ita docet Facundus in libro primo [3] : « Personarum, *inquit*, nomen nonnisi cum Sabellius impugnaret Ecclesiam, necessario in usum prædicationis assumptum est : ut qui semper tres crediti sunt, et vocati, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, non quoque simul, et communi personarum nomine vocarentur. Deinde etiam subsistentiæ dictæ sunt ; quoniam Ecclesiæ placuit, ad significandam Trinitatem et hoc nomen distinctioni personali tribuere. » Quocirca nulla, nisi quæ personali constat differentia, introducenda subsistentia est, tam in Trinitate, quam in Incarnatione.

Ad hæc subsistendi modus proprius eatenus substantiæ convenit, si per sese, ac separatim ipsa consistat. At hominis in Christo natura ne momento quidem extitit, antequam Verbo assumpta jungeretur : quod antecedentis libri capite decimo late disputatum est. Atque hac demum argumentatione inter alias probare solent Patres ; naturam hominis, non personam, aut hypostasim, cum Verbo fuisse copulatam, ut paulo antea sectione quarta signifi-

(1) Chalced. syn. act. 5. pag. 240. Σωζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως, καὶ εἰς ἓν πρόσωποι, καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης.

[1] Tom. 4. Bib. PP. par. 1. 436.— [2] C. 12.— [3] Cap. 3. p. 19.

cavi. Ita Ferrandus in epistola ad Severum [1]: « Non utique personam, *ait*, aliam suscepit, quia non hominem paratum invenit; sed naturam potius humanam, in qua ipse Deus homo nasceretur, invenit. Habuit igitur humana natura, ex quo est creata, personam; sed unam cum Deo, qui eam suscipiendo creatus est. Tu proinde quisquis huic fidei contradicis, ostende mihi in Christo sine divinitate aliquando humanitatem, et tunc fatebor quod habuerit propriam etiam sola humana natura personam. Quia vero divinitas quidem verbi Dei sine humanitate fuit; humanitas vero sine divinitate nunquam fuit, ideo habuit divina natura personam, quam humanæ naturæ, quando eam suscepit, indulsit; ut et natura susceptrix, et natura suscepta, sine ulla confusione ineffabiliter adunatæ, unius crederentur esse personæ. »

Theodorus item presbyter in libro de Incarnatione: « (1) Quinam, *ait*, hæc in Christo humanitas, quæ in propria hypostasi per seipsam nunquam fuit, sed in Deo Verbo, quod eam assumpsit, esse, et subsistere sortita est, subsistentia vocari posset unquam; aut personam propriam subsistentem, ac per sese, et seorsim cognitam haberet? » Quo in loco Theodorus vocabulis usus est ad hypostaseos delineandam proprietatem aptis, et insignibus, quæ sunt ἰδιοσύστατον, *proprie consistens*, καθ' ἑαυτὸ, καὶ ἀνὰ μέρος, *per se, et separatim*. Nam quæcumque natura sic existit, ut alieno adminiculo non egeat, nec alteri adjungi expetat, ea subsistentiæ appellationem meretur.

XI. Præterea si natura Christi humana subsistendi modum ex se proprium obtineret, sequeretur hoc, quod pro ingenti absurdo, et incommodo antiqui omnes habuerunt; quartam in divinis subsistentiam admitti. Cujus etiam vitandi gratia, recepta tandem est a Catholicis [2], et in fidei regulam assumpta professionis hæc formula: *Unam personam de Trinitate incarnatam fuisse, atque passam*: ne altera scilicet, quam Verbi hypostasis et subsistentia, homini Christo tribueretur.

Huc accedit memorabilis illa de numero naturarum controversia tanto inter Catholicos, et hæreticos agitata studio; de qua capite quarto libri superioris diximus, quæ nulla profecto fuisset, ac facillime ab Catholicis disceptata esset, aut elusa, si quem in humana Christi natura inesse modum subsistendi peculiarem, ac distinctum ab hypostasi Verbi suspicarentur.

CAPUT OCTAVUM.

Diluuntur argumenta duo contra superioris capitis doctrinam opponi solita; — 1. quod si humanitas Christi careat proprio subsistendi modo, non sit *actu* substantia. — 2. Responsio ex Joanne Damasceno petitur, qui aliud esse ὑπόστασιν, aliud ἐνυπόστατον docet; — 3. quod deinceps exponitur. — 4. Explicatur deinde in quo substantiæ sit essentia posita, demonstraturque non eam in *actuali* ut vocant, *subsistendi modo* sitam esse; sed in eo, ut ex se apta sit ad subsistendum, quod in natura humana Christi cernitur. — 5. Alterum argumentum proponitur: videri naturam humanam Christi mancam, et imperfectam esse, si ultimo complemento careat. — 6. Ideo de perfectione obiter agitur. — 7. Ea partim est οὐσιώδης, id est *substantiva*; partim accedens naturæ. — 8. Ac proprie loquendo naturæ soli convenit, ad quam hypostasis addit proprietatem *incommunicabilis*, quam sola negatione definit Scotus. — 9. Utroque modo perfecta esse debet hypostasis, non natura singularis. — 10. Illustratur locus quidam ab Euthymio notatus, de imaginum habitudine ad archetypum, et quatenus hypostasi ambo non discrepant.

I. Adversus antecedenti decreta capite, de hominis in Christo natura proprio omni carente subsistendi modo, duo quædam objici possunt, quæ peculiarem operam, disceptationemque flagitant.

Horum primum est, si humanitas Christi

(1) THEOD. tom. 11. bib. 323. Πῶς οὖν αὕτη ἡ ἐν Χριστῷ ἀνθρωπότης ἐν ἰδιαζούσῃ ὑποστάσει καθ' ἑαυτὴν οὔ ποτε γενομένη, ἀλλ' ἐν τῷ προσλαβομένῳ αὐτὴν Θεῷ Λόγῳ τὸ εἶναί τε, καὶ ὑποστῆναι λαχοῦσα, ὑπόστασις ἂν λεχθείη ποτὲ, ἢ πρόσωπον ἰδιοσύστατον καθ' ἑαυτο, καὶ ἀνὰ μέρος γνωριζόμενον ἔχοι;

[1] Tom. 3. Bibl. 336.

[2] Vid. c. 2. hujus libri.

proprie, ac per se non subsistit, reipsa, et, ut loquuntur, *actu* nihil omnino fore. Certe *actu* substantia non erit. Ut enim res quælibet per se, ac proprio existendi modo minime cohærens, non est *ens actu*, ut vocant; sed δυνάμει, id est *potentia* : neque creata dici potest, nisi creatum et finitum existendi modum habeat; sic substantia singularis, et prima, nisi proprio subsistendi modo constet, non est ἐντελεχείᾳ, id est *actu* substantia, saltem creata : nec in substantiarum genere, ac numero reipsa censetur. Hoc argumento, vel ejus simili, multum usi sunt Eutychiani, ac Monophysitæ, cum hoc identidem intentarent, quod est apud Anastasium Sinaitam [1], non esse φύσιν ἀνυπόστατον, vel ἀπρόσωπον, *nullam* in rerum serie posse esse naturam, quæ non sit hypostasis, ac persona; si de rationali natura sermo sit. Quæ ratio longe validior est, et explicatu difficilior, si non trito illo, ac simplici modo proponatur, ut ab illis consueverat, φύσιν ab ὑποστάσει vel absolute non distare, vel in creatis saltem substantiis. Hoc enim sola inficiatione Catholici depellebant : quod plus istic negotii facit, si concessa qualicumque naturæ, et hypostaseos differentia, illud insistant, non posse naturam sive substantiam re, et *actu* hoc, quod nominatur, fieri, si proprio substantiæ modo, ac velut forma, destituta ponatur.

II. Ad hanc diluendam hæsitationem præit nobis Joannes Damascenus in libro tertio, capite nono, cujus verba merito hic adscribam: « (1) Quamvis, *inquit*, non sit natura ulla quæ non subsistat, neque substantia, quæ non sit persona; siquidem in hypostasibus, et personis substantia, et natura spectatur : non tamen necesse est naturas inter se hypostasi copulatas propriam obtinere singulas hypostasim. Possunt enim in unam hypostasim concurrentes, neque non subsistentes esse, neque propriam unaquæque hypostasim habere : sed ambæ unam et eamdem : eadem quippe Verbi hypostasis ambarum facta naturarum hypostasis, neque subsistentiæ quampiam illarum expertem esse sinit; neque tamen diversa ab se invicem hypostasi patitur subsistere; sed nec alias istius, alias illius; sed semper ambarum, citra divisionem, ac separationem, hypostasis est; non partita, nec divisa; neque partem suimet huic, partem alteri tribuens : verum tota hujus et tota illius, pro indiviso est, et integre. Non enim propria vi consistens, Dei Verbi caro substitit : nec altera facta est hypostasis, præter hypostasim Dei Verbi : sed in ipsa subsistens ad hypostasim magis adjuncta, quam proprio modo consistens hypostasis est facta. Ideo non diversam in Trinitatem hypostasim inducit. »

III. Hic eruditissimus theologus naturam humanam Christi negat esse ἀνυπόστατον, id est *non subsistentem*, et tamen ἰδιοσύστατον, sive ἰδιοϋπόστατον non esse fatetur, hoc est *proprio subsistendi modo non constare;* sed in alio, et alieno modo subsistere; quod ἑτεροϋπόστατον appellat. In 4. libro de Trinitate [2], cum de ὑποστάσει disputaremus, quod fuse et accurate illic fecimus, multa de vocum illarum significatione diximus, ἐνυπόστατον, ἀνυπόστατον, et ὑποστατικὸν : quæ hoc loco usui esse possunt : et illud imprimis, ἐνυπόστατον dici nonnunquam id, quod per se, et proprio modo non subsistit; sed inest in alio per se subsistente; et substantiva cum eo conjunctione copulatur. Sic hominis species in individuis; anima in uno quolibet homine subsistit: humanitas ipsa Christi ut hypostasis non est, sic est ἐνυπόστατος, quod in Verbo subsistit, nec tanquam accidens inhæret ipsi. Tum eadem ἀνυπόστατος dicitur, quatenus ὑπόστασις, quam vox illa negat, substantiam per se, ac separatim existentem significat : non autem ut absolute *non existentem*, et in nihilum redactam, atque ἀνύπαρκτον indicat. Nam utraque potestas subest illis vocibus, ὑπόστασις, et ἀνυπόστατος : de quo præter auctores allatos in quarto libro de Trinitate, legendus est Leontius in libro de Sectis, actione septima.

(1) DAMASC. pag. 109. Εἰ γὰρ καὶ μή ἐστι φύσις ἀνυπόστατος, ἢ οὐσία ἀπρόσωπος· ἐν ὑποστάσεσι γὰρ, καὶ προσώποις ἥ τε οὐσία, καὶ ἡ φύσις θεωρεῖται. Ἀλλ' οὐκ ἀνάγκη τὰς ἀλλήλαις ἑνωθείσας φύσεις καθ' ὑπόστασιν, ἑκάστην ἰδίαν κεκτῆσθαι ὑπόστασιν. Δύνανται γὰρ εἰς μίαν συνδραμοῦσαι ὑπόστασιν, μήτε ἀνυπόστατοι εἶναι, μήτε ἰδιάζουσαν ἑκάστη ἔχειν ὑπόστασιν, ἀλλὰ μίαν, καὶ τὴν αὐτὴν ἀμφότεραι. Ἡ αὐτὴ γὰρ τοῦ Λόγου ὑπόστασις ἀμφότερων τῶν φύσεων ὑπόστασις χρηματίσασα οὔτε ἀνυπόστατον αὐτῶν μίαν εἶναι συγχωρεῖ, οὔτε μὴν ἑτεροϋποστάτους ἀλλήλων εἶναι παραχωρεῖ· οὐδὲ ποτὲ μὲν τῆσδὲ, ποτὲ δὲ ἐκείνης· ἀλλ' ἀεὶ ἀμφοτέρων ἀδιαιρέτως, καὶ ἀχωρίστως ὑπάρχει ὑπόστασις, οὐ μεριζομένη, καὶ διαιρουμένη, καὶ μέρος μὲν ἑαυτῆς τῇδε, μέρος δὲ τῇδε διανέμουσα, ἀλλὰ πᾶσα ταύτης, καὶ πᾶσα ἐκείνης, ἀμερῶς, καὶ ὁλοσχερῶς ὑπάρχουσα. Οὐδὲ γὰρ ἰδιοσυστάτως ὑπέστη ἡ τοῦ Θεοῦ Λόγου σὰρξ, οὐδὲ ἑτέρα ὑπόστασιν γέγονε παρὰ τὴν τοῦ Θεοῦ Λόγου ὑπόστασιν· ἀλλ' ἐν αὐτῇ ὑποστᾶσα, ἐνυπόστατος μᾶλλον, καὶ οὐ καθ' αὐτὴν ἰδιοσύστατος ὑπόστασις γέγονε· διὸ οὐδὲ ἑτέραν ἐν τῇ Τριάδι παρεισφέρει ὑπόστασιν.

[1] In Ὁδηγῷ cap. 10.

[2] Cap. 2. § 9. et c. 8. § 10.

Adelmannus in epistola ad Berengarium[1], Christum ait « ex duabus naturis diversis compersonatum esse. » Græce reddi potest συνυπόστατον. Quod autem de toto ipso Christo dixit, non inepte ad solam hominis naturam accommodare licet, et eam appellare *compersonatam*; ac συνυπόστατον, aut etiam ἐνυπόστατον, eo quod personam cum altera natura unam efficit ; vel cum eadem simul in una persona subsistit.

IV. Ut autem plenius controversia ista disceptetur, discernenda sunt duo in οὐσίᾳ, sive *substantia prima*, quorum alterum ad essentiam ejus, definitionemque pertinet ; alterum adventitium est, non οὐσιῶδες. Etenim definitur substantia, *quod est per se*, hoc est non accidentis more adhæret alteri, velut subjecto ; et idoneum est ex sese, ut a quocumque sejunctum altero subsistat. In hoc substantiæ ratio et τὸ τί ἦν εἶναι consistit : idque omnibus convenit, etiam illi, quæ per se, ac separata minime cohæret ; cujusmodi est humana Christi substantia. Quamvis enim non suâ, sed aliena proprietate subsistit ; subsistit tamen vel aliena ; tum ex sese propria quoque posset, si sibi relicta seorsim existeret : uti S. Thomas asserit [2]. Hoc igitur unum, proprio posse modo subsistere, ad substantiæ naturam attinet, eique dat in categoria substantiæ locum. At vero reipsa, et *actu* propria vi, modoque subsistere, non est οὐσιῶδες substantiæ. Horum itaque prius inest humanæ Christi substantiæ : posterius deest, quandiu cum Verbo nectitur, ac potiore modo existendi, naturalis inferiorque pensatur.

Bene hoc, et acute Joannes Maxentius animadvertit in calce Dialogi primi [3], ubi Nestoriano respondet asseveranti naturam, quæ persona non sit, esse nullam : quippe « insubstantiam quamdam, et inanem naturam videri, quæ nullam dicitur habere personam. » (Ubi *insubstantiam* vocat, quod Græci ἀνούσιον, vel ἀνυπόστατον.) Ex hujus itaque verbis informari responsum istud potest : Verbum assumpsisse naturam humanam, quæ ex se apta sit ad subsistendum in aliqua persona; et eam vim habeat; quamvis in propria non subsistat. « Quis enim parvulum necdum utentem ratione, imperfectam recte judicabit humanam habere naturam ? Neque enim qui uti pro tempore non potest ratione, adeo aliquid illi deesse probatur a definitione naturæ humanæ. Quum, sicut veteres definierunt, nihil sit aliud homo, quam animal rationale mortale. An forte aliquis, quia non utuntur parvuli ratione, irrationabilia animalia tentabit eos asserere, quos utique tempore congruo non extrinsecus adveniens ratio, sed intrinsecus natura subministrante ditabit ? » Hæc si ad humanam Christi substantiam transferre volueris, satis commode, quoad res tanta, tamque abstrusa patitur, rationem explicabis, cur ita sit individua natura, proprieque substantia, ut hypostasis non sit, aut persona.

V. Sequitur alterum e duobus, quæ pro Nestoriana opinione dixi nobis objici posse ; quod si naturam humanam sine modo existendi proprio assumptam putemus, ea manca sit, et imperfecta, utpote nativo, ac proprio sibique congruo complemento carens. Ut enim τὸ ὄν, quod *ens* Latini vocant, eo ipso perfici dicitur, quo est reipsa, et ἐντελεχείᾳ, id est *actu :* ita substantia prima, nisi proprio modo sit subsistens, nondum venit ad perfectum, eo quod extrema perfectione destituta est generi suo consentanea. Nam et ἐντελέχεια ab eo, quod τὸ ἐντελὲς ἔχει, hoc est *perfectum habet*, ficta vox ab Aristotele creditur : et hypostasis, αὐτοτελής, hoc est *per se completa*, et *perfecta* debet esse, ut antecedens caput docuit. Atqui natura utraque Christi perfecta solet ab antiquis appellari theologis, ut postea dicam : nec est causæ satis, cur non undequaque perfecta sit, hoc est tam κατὰ τὸ τί ἦν εἶναι, *ratione essentiæ*, quam in genere substantiæ.

De hoc uti recte statuamus, ante omnia cogitandum est, quid sit illud, quod *perfectum* nominamus, et quæ sit vocabulo isti subjecta notio. Ea quantum sat erat, a nobis tradita est in quarto libro de Trinitate, capite octavo, et in sexto libro de Deo, capite septimo ; ubi triplicem perfecti delineationem attulimus ex principe Philosopho : sed eam paulo brevius exposuimus : quæ nunc collatanda nobis est, ut sit in promptu quod de proposita quæstione, et ea, quæ sequenti capite disceptanda est (nam illinc utraque pendet) explicare possimus. Hoc autem faciemus sic, ut quæ in illis locis, præsertim in quarto de Trinitate, jam occupata sunt, minime hic repetamus.

VI. Perfectum itaque primo id esse scribit Aristoteles in quarto Metaphysicorum, capite decimo sexto, *extra quod nulla pars est illius* : hoc est, quod omnibus suis numeris expletum est, nec ullam partem sui desiderat;

[1] To. 3. Bib. 169. C.— [2] In 3. Dist. 5. q. 3. art. 3. ad 3.

[3] Maxent. tom. 4. Bib. 471.

sed omnes intra se complectitur, nulla prorsus exclusa. Ita cum denarius numerus quinque binariis constet; vel decem monadibus, perfectus tunc dicitur, cum vel binarius nullus, vel unitas extra illum est nulla; sed omnes intra ipsum continentur. Quod genus primum perfecti Asclepius interpres vocat τὸ ἐπὶ τοῦ ποσοῦ, quod in quantitate cernitur. Siquidem partes ad quantitatem pertinent.

Secundum ad qualitatem refert idem Asclepius; cujusmodi est *virtus*, *et quod bene se habere dicitur*. Id autem tale esse scribit Aristoteles, « (1) quo nihil est in aliquo genere præstantius. Sic perfectus medicus, et perfectus tibicen habentur, cum pro modulo speciei suæ congruente, nihil illis deest ad complendam virtutem, » inquit Aristoteles. Unde etiam translatione facta in contrarium, *perfectus latro; et perfectus sycophanta* nominatur: ut et *bonus* interdum in vitio ponitur. « (2) Quippe tunc unumquodque censetur esse perfectum, ut idem scribit; ac substantia tunc omnis est perfecta, cum pro virtutis propriæ forma, nulla pars deficit congruentis naturæ magnitudinis. »

Tertia *perfecti* notio, quod est τοῦ τελείου, ad τέλος, id est ad *finem* comparatur. « Ut quibus bonus et honestus finis propositus est, ea perfecta dicuntur, cum hunc finem obtinent. Idque in pravis etiam valet: ut cum ita loquimur: perfecte periit, aut perfecte corruptum est, nempe cum nihil abest mali, vel corruptelæ; sed ad extremum perventum est. Unde et τελευτὴ, quod est mors, τέλος, id est finis appellatur, quod ambo extrema sint. Siquidem finis, et id cujus gratia fit aliquid, est extremum. » Atque hæ tres perfecti notiones in unam illam colligi possunt, ut id perfectum sit, cui nihil deest eorum, quæ proprius status, et conditio requirit.

VII. Hac perfecti definitione posita, facilis est ad quæsita responsio. Sed ante duplex est perfectio constituenda naturæ, vel substantiæ cujuspiam, velut humanæ. Altera est κατ' οὐσίαν, sive φύσιν, quæ οὐσιώδης, et φυσικὴ vocatur a philosophis. Ea tunc intelligitur, cum omnia suppetunt, quæ ad essentiam pertinent in se, absoluteque consideratam, et liberam ab affectionibus iis, quæ ex loco, tempore, ceterisque rem circumstantibus oriuntur, et *accidentes* nominantur. Sic humanæ naturæ *substantiva*, ut sic dicam, perfectio erit primum, esse aliquid, et quidem ejusmodi, ut per se cohærere possit, non accidentis more inhærere alteri: tum esse corpore, anima, sensu, ratione præditum, habere denique cetera, quæ ex istis principiis naturaliter consequuntur. Altera perfectio sita est in concursu, et complexione proprietatum aliarum, quæ *accidentes* vocantur, et extra rei naturam sunt, atque ex adjunctis, et extrariis petuntur. Hujus generis est ultimum substantiæ complementum jam existentis, atque in rerum natura, et *extra causas suas*, ut loquuntur, positæ: quem τρόπον τῆς ὑπάρξεως, id est *existendi modum* appellari jam diximus ab antiquis Patribus. Qui modus negatione solet exprimi, *communicationis*, vel *fulturæ*, sive *fulcionis* alienæ; et *incommutabilitas* in scholis dicitur.

Qua in re magnopere considerandum illud est, quod Leontius Byzantinus, theologus imprimis eruditus, et subtilis tradidit in calce libri *Solutionum argumentorum Severi*[1]; hoc enim plurimum ad id, de quo modo agimus, refert. « Sed hoc, *inquit*, advertere oportet, quod hypostasis non simpliciter, neque præcipue perfectum declarat, sed quod per se existat: secundo autem loco perfectum. Natura vero quod per se existit nequaquam declarat: proprie autem perfectum. Siquidem proprietates, quæ ad rationem hypostasis sumuntur, faciant esse unumquemque aliquem ab aliquibus: quæ vero sumuntur ad rationem naturæ, non faciunt esse aliquem, sed aliquid ab aliquo. »

Pergit deinde[2]: « Et hoc etiam non est ignorandum, *ait*, quod ea, quæ naturam signant, constituunt substantiam; quæ autem signant hypostasim, velut accidentium rationem habent, sive sint separabilia, sive inseparabilia. » Quod ex communi philosophorum veterum sententia dictum est. Illi enim, auctorem secuti Porphyrium, individuum, et hypostasim ex natura singulari, et conglobatione

(1) ARIST. ibid. Καὶ τὸ κατ' ἀρετὴν, καὶ τὸ τοῦ εὖ, μὴ ἔχον ὑπερβολὴν πρός τι γένος· οἷον τέλειος ἰατρὸς, καὶ τέλειος αὐλητὴς, ὅταν κατὰ τὸ εἶδος τῆς οἰκείας ἀρετῆς, μηδέν ἐλλείπωσι.

(2) ARIST. ibid. Ἕκαστον γὰρ τότε τέλειον, καὶ ἡ οὐσία πᾶσα τότε τελεία, ὅταν κατὰ τὸ εἶδος τῆς οἰκείας ἀρετῆς μηδὲν ἐλλείπῃ μόριον τοῦ κατὰ φύσιν μεγέθους. Ἔτι οἷς ὑπάρχει τὸ τέλος σπουδαῖον, ταῦτα λέγεται τέλεια. Κατὰ γὰρ τὸ ἔχειν τέλος τέλειά. Ὥστ' ἐπειδὴ τὸ τέλος τῶν ἐσχάτων τί ἐστιν καὶ ἐπὶ τὰ φαῦλα μεταφέροντες, λέγομεν τελείως ἀπολωλέναι καὶ τελείως ἐφθάρθαι, ὅταν μηδὲν ἐλλείπῃ τῆς φθορᾶς, καὶ τοῦ κακοῦ, ἀλλ' ἐπὶ τοῦ ἐσχάτου ᾖ. Διὸ καὶ ἡ τελευτὴ κατὰ μεταφορὰν λέγεται τέλος, ὅτι ἄμφω ἔσχατα. Τέλος δὲ καὶ τὸ οὗ ἕνεκα, ἔσχατον.

[1] To. 4. Par. 2. Bib. PP. 1055.

[2] Vide S. Tho. in 3. Par. q. 2. art. 2.

proprietatum, ac qualitatum accidentium conflari putabant.

VIII. Quocirca *perfectio* naturæ, et essentiæ proprie convenit; non autem personæ vel hypostasi, nisi quatenus naturam et essentiam continet. Non enim hypostasis ratio in sola subsistendi proprietate, vel modo consistit, aut *incommunicabilitate*, quam vocant: sed ex utroque constat: ut sit natura singularis ἰδιοσύστατος, *per se cohærens*, nec alteri communicata; cujus adminiculo subsistat. Hinc recte proditum est a Scoto [1] duo in persona spectari; quorum alterum est *hæc natura;* alterum est proprietas personalis, quam vocat *personalitatem;* quam quidem nihil *entitatis*, ut loquitur, *positivæ* addere putat ad naturam singularem: sed solam *incommunicabilitatem*. Ita persona creata idem est cum natura individua, si id intueare, quod in illa θετικὸν est, hoc est *positivum*. Verum si ex toto, et complete persona sumatur, qua *incommunicabilitatem* significat, non idem est omnino cum natura persona.

Quin istud quoque utiliter ab eodem observatum est [2]; personam in creatis rebus nullam significare *dignitatem* (quam ἀξίαν, adeoque *perfectionem* interpretor) nisi « materialiter, ratione intellectualis naturæ, quam connotat: non autem formaliter, ratione incommunicabilitatis, quam superaddit. »

De hac *incommunicabilitate*, quam scholæ ita nuncupant, dictum est alias, ut in quarto libro de Trinitate; et postea nonnihil etiam dicendum erit. Certe Scotus; quod minime prætereundum est; hypostasis rationem, quam *formalem* vocat, hoc est idipsum, quod ad naturam addit, meram esse negationem communicationis putat, aut si cujus alterius rei detractionem adjungit. Alii ex adverso Scholastici præter naturam, et negationem aliquid θετικὸν, id est *positivum*, et reipsa cohærens in rerum natura, putant inesse: plerique *modum existendi realem:* quem etiam ab natura ipsa re distinguunt. Quæ tota controversia Scholarum propria: nec a nobis attingenda nisi parce, et obiter: ut in quarto de Trinitate fecimus; et identidem hoc in opere, ubi necesse visum fuit.

Nam quod ad *perfectionem* attinet; qualis ex personali proprietate proficisci posset, et in naturam derivari, etiamsi *modus* ejusmodi *reipsa cohærens* statuatur, actum est abunde in sexto libro de Deo; capite septimo [3], in quo de perfectione Dei disputatur. Ibi [4] inter alia istud observavimus; tametsi personales in Deo proprietates, sive relationes aliquid rei sint, hoc est *modi* quidam *existendi;* non tamen perfectiones esse, quatenus ab essentia distinctas illas contemplationi nostræ subjicimus.

IX. Hinc igitur perfectum duobus dici modis cognoscitur: uno, quod οὐσιῶδες, id est *substantivum*, et ratione essentiæ dicitur: altero, quod est accidens. Utroque persona sive hypostasis perfecta esse debet. Nam et completam habet essentiam, non solum quia numeris omnibus suis, hoc est gradibus, sive partibus essentiam constituentibus absolvitur, sed etiam quia caret habitudine partis ad totum; neque ex naturæ suæ conditione postulat, ut cum altero in compositionem totius cujuspiam proprie dicti, ac naturalis veniat: quo uno rationis particeps anima ab hypostasis, et personæ proprietate secernitur. Tum vero perfectum subsistendi modum obtinet, qui eam ab alterius cujuscumque nexu et consortio vindicat; non illius solum, quocum naturam componat unam; sed etiam ad quod adjungi, applicarique postulet, ut reipsa subsistat. Hinc αὐτοτελὴς sola hypostasis, seu persona nominatur, ut supra memoravi. Hoc genus perfecti, quod accidens esse diximus, quia extra essentiam est, humana Christi natura non habet ex sese, ac si κατ' ἐπίνοιαν, et ratione divellatur a Verbo. Non enim per se, proprioque modo subsistit. Verum priorem perfecti formam obtinet, quæ οὐσιώδης appellatur: eo quod integra, et absoluta ab omni σχέσει, et affectione partis illius est natura. « Neque enim de natura humana dici potest, ait Facundus libro primo [5], quod non possit sine Dei Verbi in unam naturam compositione subsistere: quam videmus specie sua contentam, non in aliquid tendere, cui sic naturaliter adhærescat, ut unam cum illo naturam efficiat. » In hanc perfectionis intenta speciem tam hominem perfectum, quam Deum esse Christum, Synodorum omnium decreta, ac Patrum responsa prædicant: ut paulo post exponam. Posteriorem vero, et personæ congruentem intellexit Leporius presbyter [6], cum in Libello emendationis retractat id, in quo alias se errasse confitetur, ut diceret: « Christum Dominum nostrum sic omnia, quæ erant passionum implesse, ut

[1] In 4. Dist. 5. qu. 2. ad 1. — [2] Ib. ad 2. — [3] § 10. et seq. — [4] § 13.

[5] Fac. l. 1. c. 6. p. 51. — [6] Lepor. in Opusc. dogm. p. 20.

in nullo, quasi perfectus homo, a divinitatis auxilio juvaretur; volens scilicet ita in Christo hominem assignare perfectum, quo et alienum ab his passionibus Verbum Patris adsererem; et solum per se hominem egisse hæc omnia possibilitate naturæ mortalis, sine aliquo deitatis adjutorio. » Nec aliter Nestorius perfectum, et αὐτοτελῆ hominem putavit in Christo; cujus errori prælusisse Leporium istum, in primo libro demonstravimus. Ita enim a Charisio presbytero oblatum Ephesinæ synodo fidei symbolum, perfectum hominem a Verbo assumptum profitetur [1].

X. Ex iisdem fontibus doctrinæ veterum Patrum, quos in explicanda hypostasis notione reclusimus, velut πόρισμα consequemur loci cujusdam difficilis interpretationem, qui inter sententias occurrit sanctorum Patrum de venerandis imaginibus : quas Euthymius excerpsit ex actis septimæ Synodi, et ex libris Germani, et Nicephori Constantinopolitanorum episcoporum; necnon Theodori Studitæ. Inter has legitur ista : « (1) Aliud est naturalis, aliud imitatrix imago. Nam illa non habet naturalem a principio suo differentiam, sed hypostaticam solum; velut filius cum patre comparatus : quippe una est amborum natura; hypostases duæ. Hæc autem e contrario, non hypostasi differt ab archetypo, sed natura : quemadmodum imago Christi ab ipso Christo. Siquidem una horum est hypostasis, quoniam et una persona : naturæ vero duæ. Est enim alia natura pictæ materiæ : alia Christi, quatenus est homo. » Hic jure miretur aliquis, imaginem factam, quam μιμητικὴν vocat iste scriptor, natura sola, non hypostasi differre ab archetypo : cum utraque distet. Verum sciri debet, imaginem dupliciter spectari, vel qua certa est rerum species, ut puta lignum, aut æs cælo, vel dolabra in figuram aliquam expolitum, et formatum : vel ut expressio est, ac repræsentatio formæ cujuspiam, velut Alexandri. Horum primum *materiale*, posterius *formale* in scholis dicitur : atque hoc plane σχετικὸν hoc est *relativum;* illud *absolutum* censetur. Definiuntur autem *relativa*, (2) *quæ hoc ipsum, quod sunt, aliorum esse dicuntur*, tanquam horum ratio propria nulla : sed ex alio pendenda, et æstimanda, adeoque numeranda sit. Cum igitur effigies Alexandri a Lysippo, vel Appelle facta, opus quoddam sit artis ad hoc editum, ut Alexandrum ipsum, hoc est ejus personam, quam potest fieri proxime referat; unumque quodammodo sit cum illo; ideo communi hominum usu, et æstimatione, quam *moralem* vocant, una est utriusque persona. Est autem in ratione præditis idem persona, quod hypostasis. Quare cum imago Alexandri diversa non sit ab eo persona; neque diversa erit hypostasis.

XI. Deinde cum hypostasis, ex communi veterum sententia, ad naturam addat congeriem accidentium, quæ in unum aliquod singulare universa competunt, imago vero arte facta qualitates illas, et accidentes proprietates, quæ naturam circumstant, et latentem indicant, quoad potest, exprimat : merito una cum archetypo censetur hypostasis.

Propterea illud adjiciunt Excerpta : « (3) Hypostasim vero nunc appellamus, non id, quod utcumque subsistit : sed substantiam quamdam cum proprietatibus, quibus ab reliquis ejusdem speciei secernitur. Nam quod proprio modo, ac per se subsistit, non est imago, sed archetypum. » Igitur τὸ ἰδιοϋπόστατον, hoc est *proprio subsistendi modo, ac proprietate cohærens*, per seque manens et absolutum, est exemplar imaginis : hæc autem nonnisi ad illud relata, et comparata subsistit, eo scilicet modo, qui est communis ambobus; sed proprius, et naturalis archetypo; imagini vero σχετικῶς convenit. Et consentanea sunt, quæ deinceps Excerpta subjiciunt. « (4) Quidquid imitatione figuratur, ejus non natura, sed hypostasis adumbratur. Propterea idem cum archetypo est imago ipsius, non natura, sed hypostasi, sive imitatione hypostasis. »

Quo ex principio dicuntur ea, quæ de una

(1) Excerpt. de imag. apud Euthym. Pan. tit. 19. et tom. 11. Bibl. pag. 725. Ἄλλο φυσικὴ εἰκὼν, καὶ ἄλλο μιμητική· ἡ μὲν γὰρ οὐ φυσικὴν διαφορὰν ἔχουσα πρὸς τὸ αἴτιον ἑαυτῆς, ἀλλ' ὑποστατικήν· ὡς ὁ Υἱὸς πρὸς τὸν Πατέρα. Μία γὰρ ἀμφοτέρων ἡ φύσις, δύο δὲ ὑποστάσεις. Ἡ δὲ τοὐναντίον, οὐχ ὑποστατικὴν διαφορὰν ἔχουσα πρὸς τὸ ἀρχέτυπον, ἀλλὰ φυσικήν· ὡς ἡ εἰκὼν τοῦ Χριστοῦ πρὸς τὸν Χριστὸν μία μὲν γὰρ ἡ ὑπόστασις τούτων, ὅτι καὶ ἓν πρόσωπον· δύο δὲ φύσεις· ἄλλη γὰρ φύσις ὑλογραφίας, καὶ ἄλλη Χριστοῦ κατὰ τὸ ἀνθρώπινον.

(2) ARIST. in Categ. Πρός τι δὲ τὰ τοιαῦτα λέγεται, ὅσα αὐτὰ ἅπερ ἐστὶν ἑτέρων εἶναι λέγεται, ἢ ὁπωσοῦν ἄλλως πρὸς ἕτερον.

(3) Excerpta de Imag. loco cit. Ὑπόστασιν δὲ νῦν λέγομεν, οὐ τὸ ἁπλῶς ὑφεστῶς, ἀλλ' οὐσίαν τινὰ μετὰ ἰδιωμάτων, καθ' ἃ διαχωρίζεται τῶν ὁμοειδῶν. Τὸ γὰρ ἰδιοϋπόστατον οὐκ εἰκὼν, ἀλλ' ἀρχέτυπον.

(4) Ibid. pag. 726. Παντὸς μιμητικῶς εἰκονιζομένου, οὐχ ἡ φύσις, ἀλλ' ἡ ὑπόστασις, εἰκονίζεται· καὶ διὰ τοῦτο ταὐτὸν τῷ ἀρχετύπῳ ἡ εἰκὼν αὐτοῦ, οὐ τῇ φύσει, ἀλλὰ τῇ ὑποστάσει, ἤγουν τῇ μιμήσει τῆς ὑποστάσεως.

[1] Eph. Syn. Par. 2. Act. 6. p. 36. vide supra l. 1. c. 9. § 4.

et eadem imaginis, et archetypi veneratione, ex decreto Synodi septimæ ibidem disserunt Excerpta, de quibus postea, cum de Christi et sanctorum cultu dicetur.

CAPUT NONUM.

An Verbum naturam per se subsistentem potuit assumere. — 1. Leontius affirmans quo sensu tolerandus sit, aut reprehendendus. — 2. Negant alii assumi potuisse hypostasim. — 4. Cujus ratio redditur. — 5. Probatur idipsum Athanasii auctoritate, cujus illustratur locus.

I. Superioris de hypostasi controversiæ quædam est accessio quæstiuncula capitis hujus, an ut naturam humanam sine proprio subsistendi modo sibi copulavit Verbum : ita eamdem assumere potuerit proprio illo, qualiscumque tandem est, modo cohærentem per se ; ita ut hypostases duæ in unum Christum coaluerint. Non erit necesse longiorem de hac re disputationem explicare ; quod non multa, quæ ad eam pertinent, veterum in libris occurrunt. Sed quæ in illis volutandis notata meminisse possumus, ea fere sunt hujusmodi.

Leontius Byzantinus sæpe et citatus a nobis, et ab eruditione commendatus auctor, in libro *Solutionis argumentorum Severi*, asserit potuisse Verbum naturam sibi per se subsistentem adjungere. Cujus verba hic omnino describenda sunt. « Quod autem nonnulli dicunt, *ait*, quia humanitas Christi non prius fuit formata, neque prius in se habuit hypostasim, neque perfecta assumpta fuit, sed in Verbo habuit hypostasim, idcirco unam hypostasim amborum facere : hoc quidem ex parte verum est, ex parte non. Etenim non habuisse in se hypostasim, neque prius formatam esse, nos etiam dabimus : fieri vero propter hoc unam hypostasim amborum, tanquam non posset aliter fieri ; neque possent Deus, et perfectus homo sic uniri, hoc non dabimus. Quid enim sic, aut illo modo habenti amplius erit Deo ad unionem ? Nec enim tempus unionis, vel locus, vel imperfectio corporis, sed ipse modus unionis unum Christum fecit. Non igitur propter impossibile ; sed quia non decebat nudam esse unquam, et sine divinitate humanitatem Domini , ideo rejicimus anteformationem. » Ex his verbis constat Leontium in ea opinione fuisse, tametsi natura humana hypostasis fuisset, unam tamen hypostasim ex ambabus potuisse fieri. Quod duobus modis intelligi potest. Aut enim subsistentem prius naturam hominis, in assumptione et conjunctione ipsa, proprio subsistendi modo cariturам fuisse censuit : ita ut divina vicem illius hypostasis expleret : aut utramque manentem hypostasim, in eamdem coituram, ex ambabus compositam. Priore modo si Incarnationem potuisse transigi putavit Leontius, non est reprehendendus. Non enim de eo, quod revera factum sit, ita est locutus : sed de eo, quod absoluta vi sua Deus efficere posset. Nam alioqui ne puncto quidem temporis ante unitionem extitisse naturam hominis in Christo, fidei res est ; ut libro superiore demonstravimus [1]. Posteriore vero modo si arbitratus est, substantivam, ac proprie dictam unitionem ambarum hypostaseon potuisse fieri, minime est audiendus : eique nemo non hac in parte contradicit.

II. Certe veteres omnes Patres, qui catholicum dogma contra Nestorium tutati sunt, et ex duabus personis non constare Christum argumento illo probarunt, quod humana natura nunquam proprio modo substitisset : hoc tanquam confesso usi esse videntur : in eodem statu, quem ante conjunctionem habuisset, mansuram fuisse naturam hominis ; nec hypostatica sua proprietate destitutum iri. Ita Cyrillus, aliique Patres, qui in Ephesina synodo Nestorium damnarunt. Solus Eutyches, ejusque discipuli, duas ante unitionem hypostases extitisse rati, post eam, nonnisi unam agnoverunt ; alterutra, vel utraque perempta. Cyrillus vero non extitisse simpliciter duas ante conjunctionem, sed quasi separatas cogitatione fuisse dicebat, ut alibi accuratius ostendimus [2].

[1] Cap. 10.

[2] Lib. 1. c. 14. et lib. 4. cap. 9.

Sic Rusticus diaconus in disputatione contra Acephalos[1], acriter eos redarguit, quod « præextitisse prius » aiebant « purum hominem, et post hæc unitum esse Verbo. » Hinc enim illud sequi objicit, quod utique non posse fieri credebat ; « ut ex duabus personis, et ex duobus Christis, ex duobus filiis, ex duobus Dominis unum Christum blasphemarent existere. Hæc vero modis omnibus abdicanda sunt. Ex præexistentibus enim per sese personis unitio secundum subsistentiam fieri nequit. » Igitur personam, sive naturam per se subsistentem, assumi non posse, arbitratus est Rusticus.

Maximus item martyr in opusculo de Cyrilli sententia in epistola ad Successum : « (1) Ex duabus, *inquit*, hypostasibus separatis, quæ contra ejusdem speciei individua privata ratione dividuntur, unam hypostasim fieri impossibile est. »

III. Sic Boetius in libro de Duabus naturis et una persona Christi, asserit, « Omnino ex duabus personis nihil unquam fieri posse : » nempe quod per se, proprieque sit unum ; ut in tertio libro, capite undecimo notavimus[2]. Ubi ex eodem Boetio, et Joanne Damasceno aliquot argumenta confecimus : quibus non solum de humana Christi natura probatur, eam, si ex sese persona foret, non posse, cum altera persona in unius venire compositionem hypostasis ; sed etiam universe, ex duabus hypostasibus non posse aliquid per sese unum existere. Et ut uno verbo concludam, quidquid rationum ab antiquis Patribus allatum, excogitatumque est, adversus Nestorianam, aut Pauli Samosateni hæresim, duobus fundamentis innititur : altero, Christum unum per se quippiam esse ex naturis duabus οὐσιώδει, ac *substantivo* nexu copulatum ; non ex accidenti : qui vere, proprieque tum Deus esset, tum homo : altero, istud ipsum fieri non posse, si duæ perfectæ, per seque subsistentes naturæ conjunctæ fuerint. Tum enim (2) nonnisi συναφείᾳ illa, id est *copulatione*, qualem inducebat Nestorius, unum effici, *sola propinquitate, vel appositione, aut habitudine*, quam σχέσιν nominant : ut adversus Nestorium contendit Cyrillus. Vide quæ de Nestorianæ unitionis modo libro tertio disseruimus[3], ac generatim de variis τῆς ἑνώσεως generibus[4]. Ex quibus agnosces hypostases duas non posse coalescere in ejus compositionem, quod sit unum per sese, nisi alterutra pereunte, vel confusa, atque permista ; certe mutata, et ab statu, integritateque sua deficiente.

IV. Cujus ratio ex hypostaseos essentia, et conditione colligi potest, siquidem proprietas illa, quæ ad naturam accedens, hypostasim eam constituit, ejusmodi est, ut ante dixi, ut perficiat illam, et compleat, hoc est ultima sit ejus determinatio, qua per se, ac separatim consistat : hoc est ad nullum adhærescat aliud, a quo pendeat, et quasi terminetur. Cum enim absque proprietate illa per sese cohærendi, natura perfecte, et ut ejus conditio postulat, nondum existat, necesse est eam vel sua, vel aliena terminatione compleri, ac perfici. Quod ubi est assecuta, jam nihil præterea exigit ; neque communicari alteri potest, a quo, ut dixi, compleri, terminarique illam oporteat. Atqui non potest ex duobus unum per se fieri, si ambo illa idipsum sint ἐντελεχείᾳ, id est *actu*, in quod convenire, copularique dicuntur sed alterum esse δυνάμει hoc ipsum necesse est, quod *actu* ex communione accessuque fiat alterius. Porro naturæ duæ in unum per se componi, et coalescere nequeunt, nisi quod vel natura, vel hypostasi sit unum. Neutro vero modo ex duabus perfectis, per seque subsistentibus naturis unum potest existere : quoniam et naturæ ipsæ, quatenus perfectæ sunt, δύναμιν, id est *potentiam* excludunt ; cum eas jam penitus *actus* occuparit : et qua perfecte dicuntur existere, nihil perinde *potentiæ* ad subsistendum retineant. Ita nihil omnino per se unum, proprieque dictum ; sed ex accidente solum, ex duabus hypostasibus, hoc est perfectis, perfecteque subsistentibus naturis effici potest.

V. Bene hoc intellexit Athanasius (ut quidem inscribitur vulgo, nam revera alius est) in libello de uno Christo : ubi adversus Paulum Samosatenum, et Marcellum, adeoque contra Nestorianam hæresim demonstrat, (3) non esse naturam hominis assumptam a Verbo,

(1) MAX. apud Euth. Panopl. par. 2. tit. 15. pag. 600. lat. edit. Ἐκ δύο γὰρ ὑποστάσεων ἰδικῶν τῶν πρὸς τὰ ὁμοειδῆ ἄτομα ἰδικῷ λόγῳ μεμερισμένων μίαν γενέσθαι ὑπόστασιν ἀμήχανον.

(2) CYR. lib. 2. con. Nest. tom. 6. pag. 44. Ὅτι δὲ συνάφειαν ὀνομάζων, τάχα που τὴν κατ' ἐγγύτητα μόνην, καὶ κατὰ παράθεσιν, ἤγουν σχετικὴν νοουμένην, αὐτὸς τοῖς ἰδίοις ἀντανίσταται λόγοις, etc.

(3) ATHAN. in orat. Ὅτι εἷς ὁ Χριστὸς, tom. 1. p. 520. Καὶ πειρῶνται ἅμα πανταχόθεν εἰς ἓν τῶν ἀτόπων περιάγειν τοὺς ἡμετέρους λόγους, συμπληρωτικὸν εἰπεῖν τῆς ὑποστάσεως τοῦ Λόγου τὸ σῶμα.

[1] Tom. 4. Bibl. 841. E. — [2] § 12.

[3] Cap. 3. — [4] Cap. 1. et 2.

συμπληρωτικήν, hoc est *completivam hypostasis* divinæ ejusdem Verbi; tanquam absque illa manca esset hæc, minimeque perfecta. Ita enim Nestoriani, et similes hæretici, Catholicos duarum in eamdem personam coeuntium naturarum defensores in invidiam vocabant, quasi divinam ipsam Verbi personam ex adjuncta humanitate perfici docerent, hoc est aliquid quod ipsi deesset, accipere, quod his verbis refellit: « (1) Confitemur, *inquit*, utrumque esse unam hypostasim, unamque personam : non ut corpus hypostasim compleverit. Hoc enim impium est : quandoquidem perfectus est Deus, nec imminutionis capax, simplex et uniusmodi, minimeque compositus : nec in partes dividitur : nempe qua Deus est Verbum, et uniusmodi, sub divisionem partium rerumque non cadit, sive corpora sint illæ, sive corporis expertes. » Quoniam ergo divina Verbi persona nihil in se capere incrementi potest, ac nullius eget omnino; eo quod αὐτοτελής, *per sese perfecta* est, tum essentia, tum existendi, ac subsistendi modo; idcirco nec aliena indiget hypostasi, nec extrinsecus adjuncta ulla re completur. Verum e contrario natura humana, quæ propria vi non subsistebat, fulciri ab hypostasi Verbi, perficique opus habuit, quod idem auctor explicat sic: « (2) Non igitur corpus complendæ divinæ hypostaseos vim habuit, sed qui vere perfectus est, quod imperfectum erat perfecit: qui nullius erat indigens, cum egena convenit, et copulatus est carne : cui nulla re opus erat, seipsum egenti dedit corpori. Etenim nemo est eorum qui recte sapiunt, aut qui sobrius sit, et intelligentia valeat, qui hoc dicere audeat, quemadmodum Verbum, utpote perfectum et subsistens, non indigebat carne, ut Deus esset perfectus : ita corpus Verbo nihil opus habuisse, ut perfectus et subsistens homo fieret. » Hinc apparet, tum Verbum nihil assumpta natura hominis opus habuisse, ut subsisteret, ac perfectum obtineret existendi modum, tum naturam illam eamdem Verbo, et hypostasi ejus eguisse : ex quo sequitur, neque hanc per se subsistentem fuisse; et illud summo ex sese, ac citra hujus accessionem, complemento fuisse præditum. Ex quo et hypostaseos metienda proprietas est, et propositæ quæstionis enodatio repetenda.

VI. Ad extremum prætereunda non est Ephræmii Antiocheni patriarchæ sententia quædam in Excerptis Photii codice 228. memorata. « (3) Fieri non potest, ait ille, ut hypostasis hypostasi secundum hypostasim copuletur, velut Paulum et Petrum unam efficere hypostasim impossibile est. Sed neque substantiam cum altera substantia in eamdem convenire substantiam, velut animæ, corporisque substantia unam efficere substantiam non potest : nisi quis ad commune quoddam genus ambo referat, in quo, etiam antequam unirentur, a se mutuo minime discrepabant. Ut si ad genus creati, vel tempori subjecti, aut similia revocet. Tunc enim non dissimiles substantiæ in unam substantiam coeunt : sed quæ antea in remotissimo genere communem habebant substantiam, hoc ipsum servare monstrantur. » Ubi quod de hypostasibus ait, consentaneum est ei, quod ab aliis proditum paulo superius attulimus. Illud vero de substantiis duabus, quas eatenus in unam conflari posse putat, quod in remotissimo aliquo genere conveniunt, ita conformandum est, ut ad illa sola pertineat, quæ inter se comparantur κατὰ δύναμιν καὶ ἐντελέχειαν, hoc est quorum unum rationem habet *potentiæ*, alterum *formæ*, vel *actus*. Sic enim ad unum genus quodammodo revocantur.

(1) Ibid. Ὁμολογοῦμεν τὸ συναμφότερον μίαν ὑπόστασιν, καὶ ἓν πρόσωπον, οὐχ ἵνα συμπληρωτικὸν τῆς ὑποστάσεως τὸ σῶμα γένηται· ἀσεβὲς γὰρ, ἐπειδὴ τέλειον τὸ θεῖον, ἀνεπίδεκτον ἐλαττώσεως, ἁπλοῦν, καὶ μονοειδὲς, καὶ ἀσύνθετον, εἰς μέρη οὐ διαιρεῖται· τουτέστι καθὸ Θεὸς Λόγος ἐστὶ, καὶ μονοειδὴς, εἰς διαφορὰν μερῶν καὶ πραγμάτων οὐ πίπτει εἴ τε σῶμα εἴη, εἴ τε ἀσώματα.

(2) Ibid. Οὐ τὸ σῶμα οὖν συμπληρωτικὸν γέγονε τῆς θεϊκῆς ὑποστάσεως· ἀλλ' ὁ ἀληθῶς τέλειος τὸ ἀτελὲς ἐτελείωσεν. Ὁ ἀπροσδεὴς τῇ προσδεομένῃ συνῆλθε, καὶ συνηνώθη σαρκί· ὁ μηδενὸς χρείαν ἔχων ἑαυτὸν ἔδωκε τῷ χρείαν ἔχοντι σώματι. Οὐδεὶς γὰρ τῶν εὖ φρονούντων, ἢ νήφειν ὅλως, καὶ νοεῖν δυνάμενος εἴποι ἂν, ὅτι ὥσπερ ὁ Λόγος τέλειος ὢν, καὶ ἐνυπόστατος οὐ προσεδεῖτο σαρκὸς, ἵνα Θεὸς τέλειος γένηται, οὕτως οὐδὲ τὸ σῶμα τοῦ Λόγου ἔχρῃζεν, ἵνα τέλειος, καὶ ἐνυπόστατος ἄνθρωπος γένηται.

(3) Cod. 228. Photii pag. 406. Οὐκ ἔστιν ὑπόστασιν ὑποστάσει ἑνωθῆναι καθ' ὑπόστασιν· οἷον Παῦλον καὶ Πέτρον μίαν ὑπόστασιν ἀποτελέσαι ἀδύνατον· ἀλλ' οὐδὲ οὐσίαν ἑτέρᾳ οὐσίᾳ, καθὸ ἑτερούσια, εἰς ταὐτότητα συνελθεῖν οὐσίας· οἷον ψυχῆς καὶ σώματος οὐσίαν μίαν οὐσίαν ἀποτελεσθῆναι ἀμήχανον, εἰ μή πω ἄρα τις εἰς κοινότητά τινα ταύτας ἀγάγῃ, καθ' ἣν καὶ πρὸ ἑνωθῆναι ἀλλήλων οὐ διέφερον· οἷον εἰς τὸ κτιστὸν ἀναφέροι, ἢ τὸ ὑπὸ χρόνον, ἢ τὰ ὅμοια. Τότε γὰρ οὐκέτι ἑτερούσιαι οὐσίαι εἰς μίαν οὐσίαν συνῆλθον. Ἀλλ' αἱ ἀπαρχῆς ἔχουσαι οὐσίαι τὸ ὁμοούσιον κατὰ τὴν πόῤῥωτάτω κοινότητα, τὸ αὐτὸ φυλάττουσαι ἐπεδείχθησαν.

CAPUT DECIMUM.

An naturæ hominis ad Verbum accessio quaternitatem in Deum referat. — 1. Hæretici Nestoriani, et Eutychiani Catholicis, et hi vicissim illis istud exprobrabant. — 2. Nestorii hæresis obiter explicata; — 3. ob quam merito illis objecta est quaternitas a Catholicis : quod multis veterum testimoniis illustratur. — 6. Qua ratione idem Eutychianis objectum fuit. Ea multiplex exponitur. — 8. Monophysitæ vicissim id Catholicis objiciebant. — 9. Sed isti solide hanc calumniam propulsarunt : ex eoque, quod non hypostasim, sive personam, sed naturam Deus assumpsit. Quod quidem variis antiquorum Patrum sententiis explicatur.

I. Frequens in antiquorum Patrum libris occurrit mentio quarti cujusdam, cujus ad personas Trinitatis tres accessionem fieri, pro suo cujusque modo Incarnationis explicandæ, partim catholica pars hæreticæ sectæ, partim hæc illi vicissim exprobrare solebat. Id cujusmodi sit nunc tempus est inquirere, postquam de hypostasis proprietate, et a natura discrimine, satis multa disputata sunt. Hinc enim potissimum controversia ista pendet, ut ex subjectis apparebit.

Inter duo hæreticæ impietatis extrema medium extitisse catholicum Incarnationis dogma, et utrinque vexatum fuisse, ex antecedentibus liquet. Ambarum hæresum altera naturas in Christo duas, a se mutuo reipsa divisas, et sola habitudine, vel *morali*, ut vocant, *unitione* devinctas statuebat, Theodori Mopsuesteni, ac Nestorii commenta persequens; altera duas ante conjunctionem naturas, et hypostases; post conjunctionem, nonnisi unam ponebat, ex ambarum compositione, vel alterutrius mutatione, et confusione confectam. Inter hæc opinionum flagitia medium catholica veritas tenet : quæ duas in eamdem personam et hypostasim colligatas, et unitas naturas in Christo prædicat. Hæc igitur cum adversariis grassantibus sectis geminato marte confligens, meritam ambabus communis infamiæ notam inurebat, quartam ab aliis asserens personam, et hypostasim divinis tribus adscribi. Quod ipsa vicissim convicii loco ab Eutychianis præsertim audiens, strenue ab sese propulsabat. Hoc jurgio quemadmodum contendere secum invicem solerent, operæ pretium sit exponere, ab Catholicorum justa, uti dixi, criminatione initio facto.

II. Nestorius, ut in exponenda ejus opinione diximus [1], sic hominem cum Deo copulatum esse putabat in Christo, uti duas inter se naturas componeret, nullo substantivo nexu cohærentes, sed sola σχέσει, et habitudine conjunctas : ex quo fieri dicebat, ut unus existeret Christus, unus filius, una hypostasis et persona non per se, proprieque dicto, id est οὐσιώδει, et *substantivo* unitatis genere, sed eo, quod *morale* vocari paulo ante diximus : quatenus ad honoris et gloriæ cum Deo consortium, necnon appellationis evecta, natura hominis, divinitatis quodammodo particeps communi æstimatione censetur. Sic enim purpurea vestis, quamdiu regis corpori circumposita est, eodem quo rex honore ac veneratione colitur, et adorari etiam ab salutantibus Imperatoris olim purpura dicebatur, ut est in Notitia imperii. Porro etsi personam esse Christi unicam, ac singularem, verbo profiteretur Nestorius, unumque Dei filium, et eumdem insuper Deum : reipsa tamen, et ex dogmatum, ac decretorum suorum consequentia, duas constituere personas, ac duos filios, totidemque deos certa ratione convictus est. Nam cum Jesum Christum negare funditus Deum, ac ceterorum hominem affirmare similem, Christianis temporibus aperte non auderet, istud ipsum, quod intus fovebat, impium dogma quibusdam verborum involucris, ac præstigiis obtexit. Deum itaque vocabulo tenus confessus Christum Dominum, variis artibus, et cautionibus adhibitis, eo rem deduxerat, ut vel mediocriter intelligentibus constaret, non illum bona fide prædicari Deum, sed ex solo Verbi consortio, aura quadam summæ divinitatis, et communione nominis afflatum : quemadmodum Moses, ac prophetæ alii, propter consuetudinem quam cum Deo habebant, vel commissi sibi officii dignitatem, dii quodammodo habiti sunt, ac Deo etiam auctore nominati. Hinc illæ voces erumpebant profano ex ore furentis hæretici, « (1) Processisse Deum per B. Virginem, non ex ea genitum fuisse : »

(1) NESTOR. act. 1. Eph. syn. pag. 724. Οὐκ εἴρηταί μοι τὸ προῆλθεν, ἀντὶ τοῦ ἐγεννήθη.

[1] Lib. 1. cap. 9.

nec proinde Dei genitricem appellari debere, sed Christi. Item : « (1) Propter ferentem, eum qui fertur veneror : propter latentem, apparentem adoro. » Tum, « (2) Bimestrem, aut trimestrem non oportere dici Deum : » et aliæ similes : quas in primo libro commemoravimus.

III. Cum igitur duos reipsa separatos, ac disjunctos a se mutuo, hoc est personas duas in Christo clam, et subdole Nestorius agnosceret, quantumvis dissimularet, ac vocis sono reclamaret : merito Catholici duos ab illo deos constitui dicebant ; alterum verum, et natura talem ; alterum , qui communem cum isto habet appellationem, et honorem. Ita Cyrillus hanc illi labem objicit impurissimæ opinionis [1] : et qui ἀνθρωπολάτρας, ac νεκρολάτρας, id est *hominicolas*, et *cadavericolas* tacite nominabat Catholicos, in idem probrum, ac convicium recidere demonstrat. Ex quo sequitur, quartum ab eodem in Trinitatem invehi, hoc est personam quartam : ut in septima Synodo Theodorus patriarcha Hierosolymitanus, in synodica epistola sua testatur, ἀνθρωπολάτρην vocans Nestorium : « (3) qui propriis, et execrandis cogitationibus suis deceptus, alium seculis anteriorem Deum Verbum ; alium, qui ex Virgine propter salutem nostram incarnatus est, effutiit ; quartam hoc modo personam impius, etiam præter voluntatem, in sanctam inducens, et consubstantialem Trinitatem. »

Quod et Proclus, episcopus tum Cyzicenus, in homilia de Incarnatione coram Nestorio dicta Constantinopoli, non dubitavit asserere : « (4) Si alius est, *inquit*, Christus, et alius Deus Verbum, non est amplius Trinitas, sed quaternitas. »

Idem Leporius [2], qui Nestorianam hæresim, aliquanto ante hunc hæresiarcham propugnarat, jam emendatus de se confitetur : « Si ergo minime percipientes, *inquit*, hanc potentiam Dei, sensu nostro et propria ratione sapientes, ne quasi inferiora se Deus agere videatur, ita hominem cum Deo natum esse dicamus, ut seorsum quæ sunt Dei, soli Deo demus, et seorsum quæ sunt hominis, soli homini reputemus, quarta manifestissime in Trinitate personam inducimus ; et de uno Filio Dei non unum, sed facere incipimus duos Christos : quod a nobis ipse jam Dominus, et Deus Christus avertat. »

IV. Sic Augustinus [3], aliique Africani episcopi, in epistola, quam cum Leporii libello miserunt ad episcopos Galliæ, scribunt Leporium eumdem, cum adhuc in errore suo versaretur, « non vidisse, quartam se subintroducere in Trinitate personam. »

Sic Capreolus episcopus Carthaginensis in epistola ad Vitalem et Constantium [4] : « Et ideo in Christo Jesu, *inquit*, separari, vel subdividi Dei hominisque nullo modo credimus posse personam, ne non jam in divinitate trinitas, sed quaternitas numeretur. »

Fulgentius item in libro de Incarnatione , capite undecimo, *mortiferum errorem* vocat, « Si quis duas in Christo confitendo personas, non jam Trinitatis cultor, sed nefarius esset quaternitatis assertor. »

Mansuetus episcopus Mediolanensis in epistola synodica ad Constantinum Pogonatum , « Jesum Christum esse » dicit « unum in sancta Trinitate. Nec enim quartam personæ adjectionem suscepit sancta Trinitas. »

Athanasius in libello, vel homilia potius de uno Christo, quæ non videtur esse Athanasii ; Pauli Samosateni, ac Marcelli hæresim eamdem ac Nestorianam incessens, ait illos « (5) pro una hypostasi, duas hypostases, et personas ; et pro sancta Trinitate, quaternitatem indecore, ac nefarie statuere. »

Siquidem, ut recte Anastasius ait in Viæ duce, « (6) Si ex duabus hypostasibus est Christus, jam non est amplius trium, sed quatuor personarum sancta Trinitas, habens duas hy-

(1) Ibid. pag. 276. Διὰ τὸν φοροῦντα τὸν φορούμενον σέβω. Διὰ τὸν κεκρυμμένον, προσκυνῶ τὸν φαινόμενον.

(2) Ibid. pag. 265. Διμηνιαῖον, ἢ τριμηνιαῖον, μὴ δεῖν λέγεσθαι Θεόν.

(3) In 7. Syn. act. 3. tom. 5. Conc. pag. 601. Τοῦ ἀνθρωπολάτρου Νεστορίου, καὶ τῶν ὁμοφόνων αὐτῷ· ὃς ἐκ τῶν οἰκείων ἐξηναγισμένων ἐνθυμιῶν πλανώμενος, ἄλλον τὸν προαιώνιον Θεὸν Λόγον, καὶ ἄλλον τὸν ἐκ παρθένου, διὰ σωτηρίαν ἡμῶν σαρκωθέντα πεφλυάρηκε, τέταρτον καὶ μὴ βουλόμενος ὁ ἀνόσιος πρόσωπον τῇ ἁγίᾳ, καὶ ὁμοουσίῳ συνεπεισάγων Τριάδι.

(4) Procl. orat. quæ est in Eph. conc. pag. 5. Εἰ ἄλλος ὁ Χριστὸς, καὶ ἄλλος ὁ Θεὸς Λόγος, οὐκέτι Τριὰς, ἀλλὰ τετράς.

(5) Athan. pag. 519. Καὶ ἀντὶ μιᾶς ὑποστάσεως τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δύο ὑποστάσεις, καὶ πρόσωπα, καὶ ἀντὶ τῆς ἁγίας Τριάδος, τετράδα ἀπρεπῶς, καὶ παρανόμως φρονήσαντες.

(6) Anast. Ὁδηγῷ, cap. 10. pag. 172. Ὅτι ἐὰν ἐκ δύο ὑποστάσεων ἐστὶν ὁ Χριστὸς, οὐκέτι τρισυπόστατός ἐστιν ἡ ἁγία Τριὰς, ἀλλὰ τετραπρόσωπος, ἔχουσα δύο μὲν ὑποστάσεις τὰς τοῦ Χριστοῦ, ἑτέρας δὲ δύο, τὴν τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος.

[1] Cyr. lib. 2. contra Nestor. tom. 6. pag. 58. et 59 — [2] In libel. emend. p. 7.

[3] Ibid. in Opuscul. dogm. pag. 30. — [4] Opuscul. dogm. pag. 44.

postases Christi, et alias duas, Patris et Spiritus sancti. »

V. Marius quoque Victorinus in libro secundo adversus Arium [1], « Discedant, *inquit*, Marcelli, et Photini discipuli. Ipsum enim Verbum dicimus in carne fuisse, non aliud Verbum esse, et aliud hominem, in quo Christum dicunt esse : sed ipsum logon carnem induisse. Illi enim dicunt esse et Deum, et logon, et spiritum : quartum autem filium, id est hominem, qui ex Maria, quem assumpsit logos, et ut ministrum rexit : cui homini dicunt et sedem paratam esse. » Vincentius Lirinensis, « Anathema Nestorio, *inquit*, neganti ex Virgine Deum natum, adserenti duos christos, et explosa Trinitatis fide, quaternitatem nobis introducenti. »

Maxentius denique in Dialogo secundo [2], Nestorianum asserentem *plenitudinem divinitatis*, quam interpretatur *Trinitatem totam, habitare in Christo*, hoc argumento refellit. « Quartus ergo jam Christus est, in quo tota inhabitat Trinitas. » Cui tametsi Nestorianus utcumque conatur intercedere, dicens [3], « Non totam Trinitatem, sed Deum tantummodo Filium in Christo esse : » neque tamen propterea quaternitatem esse, « quia Deus Verbum ita inest Christo, ut propter conjunctum filium, unus sit filius, et unus Christus : » instat tamen Maxentius, et hoc opponit : « Sive Trinitatem, sive Deum Verbum inesse dixeris Christo, quaternitatem omnino, non Trinitatem prædicare convinceris. » Nam si Trinitas inhabitat in Christo, ut dicebant Nestoriani, « quartus intelligetur Christus, in quo habitat Trinitas. Rursus si inest in Christo Deus filius, non jam ipse est Christus. Et si ipse non est Christus, duo sunt omnino, Deus filius, et Christus : quamvis callide, ad decipiendos simplices, unum esse eos argumentaris. »

VI. Sed adversus Nestorianos justa illa Catholicorum erat, et vincibilis causa : quippe qui naturam eamdem atque hypostasim esse putantes, naturas insuper duas in Christo nulla satis firma et idonea junctione copulatas asserebant. Ita enim quarta illos in Trinitate sequebatur hypostasis. At vero Monophysitarum hæresim eidem suspicioni opportunam habitam fuisse, id multo mirabilius videri potest. Non minus tamen hac isti laborarunt invidia quam illi : nec minus gravi, quamvis dissimili de causa, et quidem multiplici. Harum expressit unam Rusticus diaconus in disputatione contra Acephalos, ex horum decreto petitam ; quod ante unitionem naturas fuisse duas faterentur [4]. « Vos, *inquit*, potius quaternitatem inducere demonstramus, qui eam, quæ dicitur Ephesina secunda synodus, non potestis abnuere, quia Dioscorum condemnare non vultis. Ille enim cum tota illa nefaria synodo, approbavit Eutychis hæretici vocem illic inter monumenta deponentis : *Quia confiteor duas naturas fuisse ante unitionem : post unitionem vero, unam naturam confiteor*. Si igitur ante inhumanationem duæ naturæ fuerunt ; id est una Patris, altera Spiritus sancti, (nec enim poterunt aliter trium tres esse naturæ,) duæ vero tunc et Christi naturæ ante unitionem : quatuor igitur naturas, circa vestras rationes, etsi non esse nunc usque, tamen ante unitionem fuisse inducitis : et ex quaternitate præexistente, sanctam Trinitatem postea factam inducitis. Insuper has præexistentes, ut dicitis, unitioni naturas si quidem permanere nunc usque dicitis; quaternitatem, sicut inquitis nobis, vos magis veraciter impie colitis : quia quod consequitur ex his, quæ dicuntur a vobis, vos ipsi non poteritis abnuere. Si vero non sunt hactenus duæ determinatæ, aliquando vestra quaternitas esse desierit. »

VII. Alteram rationem suggerit Vigilius, ob quam Eutychiani in illam, quam Catholicis imputabant, quaternitatem inciderent, quod et ipsi naturas duas inviti, et aliud agentes inducerent. « Dixisti etiam, ait Vigilius hæreticum compellans [5], quod sicut unius substantiæ est Filius cum Patre secundum divinitatem, ita unius substantiæ est nobiscum secundum incarnationem. Qua professione, ut tecum simpliciter agam, duplicem in Christo fateris esse naturam. Quia si secundum divinitatem unius cum Patre substantiæ, et rursum unius est nobiscum secundum incarnationem naturæ, geminæ est profecto naturæ. » Quare cum naturam omnem, personam esse Eutychiani dicerent, eo ipso convincuntur duas in Christo personas statuere, quod naturas, vi illius argumentationis, duas fateri coguntur. Sed rursus instat Vigilius, et quandoquidem Christum aiebat Eutyches, « sicut cum Patre, ita et nobiscum unitatem habere substantiæ, » hoc est utriusque consubstantialem esse ; inde

[1] Tom. 4. Bibl. PP. col. 208. — [2] Ibid. col. 483. — [3] Ibid. col. 484.

[4] Rustic. tom. 4. Bibl. col. 840. D. — [5] Vigil. 4. cont. Eut. tom. 4. Bibl. 515.

adstruit, duos omnino Christos ex professione hac existere. Quippe, « Patrum nostrorum, *ait*, auctoritate, et communi omnium sapientium judicio; non est unius, sed duorum, communionem ejusdem habere substantiæ. Ac sic duos nobis quosdam Christos inducis : unum, qui cum Patre unius sit secundum divinitatem substantiæ : alium, qui nobiscum secundum carnem unitatem habeat naturæ : quomodo, ut dixi, nostra et Patris non est una substantia. Tu autem in Christo noluisti duplicem esse naturam. Necesse ergo erit, secundum quod profiteris, alium esse Christum, qui cum Patre habeat unitatem substantiæ; alium, qui nobiscum. Quia si non unus utrasque habet, cum duæ sint, tu autem utrasque habere dixisti, duo sint necesse est, qui singulas habeant : et per id vos potius quaternitatem Ecclesiæ introducitis, qui in uno Christo utramque naturam fateri non vultis. » Addit mox uberioris explanationis gratia : « Patres in Nicæno concilio profitentes Patrem et Filium unius esse substantiæ, duas utique personas in unitate naturæ intelligendas religiosissime tradiderunt. Igitur vos cum dicitis Verbum et carnem unius esse substantiæ, duas nobis Christi personas, duosque Christos inducitis. »

Ambrosius quoque libro de Incarnatione, capite 7. sub finem, « Illos magis, (id est Apollinaristas,) qui carnem Christi unius cum divinitate ejus dicunt esse substantiæ, tetrada inducere » demonstrat. « Non enim quod ejusdem substantiæ est, unus, sed unum est. Nam utique Filium ejusdem cum Patre substantiæ confitentes in tractatu Concilii Nicæni, non unam personam, sed unam divinitatem in Patre et Filio crediderunt. Ergo cum dicunt, ejusdem carnem, cujus et filius Dei erat, fuisse substantiæ ipsi quod nobis objiciunt, ineptiis vanæ assertionis incurrunt, ut dividant Christum. Itaque quartum increatum, quod adoramus, inducunt, cum sola increata sit divinitatis Trinitas. »

Hinc Monophysitas, qualis erat Petrus Cnapheus Theopaschita, τετραδίτας, non τριαδόξους, hoc est *quaternitatem pro Trinitate colentes*, vocat Faustus Apolloniadis episcopus in epistola ad eumdem Fullonem [1] : quem et τετράδα φρονεῖν, καὶ οὐ Τριάδα, *quaternitatem sapere*, *non Trinitatem*, mox ait [2]. Idemque illi exprobrat Pamphilus Abydenus episcopus [3], nec non Felix tertius papa in epistola ad eumdem Petrum trisagii interpolatorem [4].

Sic Eutychiani, et Nestoriani contraria via grassati, in idem convenerunt erroris extremum, ut quartam inveherent in divinitatem hypostasim : in quod, ut dixi, præter mentem, et ex pravæ opinionis consequentia prolapsi sunt illi. Quare non satis attentus fuit Feuardentius, qui in Notis ad Arnobii cum Serapione conflictum [5], Anastasium imperatorem, quem ex Acephalorum, et Monophysitarum secta fuisse constat, « a Nestorianis fascinatum, *ait*, præcepisse quaternitatem adorari, non Trinitatem. » Sed nunquam hoc edixit Anastasius : verum quod ad trisagium appendicem illam adjici præcepisset, *Qui passus es pro nobis*, *miserere nobis*, valuit in eo commune probrum, quartæ ad Trinitatem additæ personæ, quod trisagii corruptores ab Catholicis audiebant, de quo supra capite quarto.

VIII. Vicissim autem hæretici Apollinaristæ, et Eutychiani, non minus Catholicos, quam Nestorianos, qui duas in Christo naturas ambo confitebantur, illius impietatis reos postulabant. Inter Gregorii thaumaturgi opera legitur expositio quædam fidei, quæ κατὰ μέρος dicitur : quam esse Apollinaris superiore libro diximus [6]. In ea duæ naturæ perinde damnantur, ac duæ personæ; ne quatuor adorentur.

Athanasius quoque in celebri illa ad Epictetum epistola, quam adversus orientem tunc Apollinaris hæresim scripsit, vehementer succenset illius fautoribus, « (1) qui hoc genus impietatis excogitaverant, ut vel in animum admitterent, et dicerent, eum, qui ex Maria esse dominicum corpus assereret ; non jam Trinitatem profiteri, sed quaternitatem. »

Ephræmius item Antiochenus [7] Chalcedonensem synodum ab falsa Monophysitarum criminatione defendit, qui quaternitatem ab illa constitui dicebant, quod secundum mentionem Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Incarnationis subinde meminisset.

Apud Rusticum quoque diaconum [8], Acephalus acriter hoc contra Catholicos elatrat, quatuor ab ipsis personas induci, ut et naturas. Siquidem hypostasim et personam nihil omnino differre censebant, unde tres divinas,

(1) ATHAN. pag. 454. Τίς δὲ τὴν ἀθέμιτον ταύτην ἐπενόησεν ἀσέβειαν, ὥστε καὶ εἰς ἐνθύμησιν ἐλθεῖν, καὶ εἰπεῖν, ὅτι ὁ λέγων ἐκ Μαρίας εἶναι τὸ κυριακὸν σῶμα οὐκέτι Τριάδα, ἀλλὰ τετράδα ἐν τῇ θεότητι φωνεῖ ; Vide et pag. 458. E.

[1] Apud Zonar. in Can. p. 532. — [2] Ib. 533. — [3] Ib. 534. et 535. — [4] Ib. p. 543. — [5] Feuar. ad Arnob. p. 545.

[6] C. 5. § 8. — [7] Apud Phot. cod. 229. p. 431. — [8] Tom. 4. Bibl. col. 837. et seq.

uti personas, sic etiam naturas in Deo numerabant; ad quas videlicet quartæ in Christo fieret accessio.

Et apud Theorianum in dialogo cum Armenis [1], Syrus quidam episcopus Eutychianus Catholicos ejusdem erroris insimulat, quod Nestorii more quartam ad Trinitatem personam adjiciant. Atque hoc ipsum Theodoretus ab similibus hæreticis objectum diluit in opusculo, quod inter Athanasii rejicula editum est : de quo post.

IX. Hanc vero stultam et imperitam calumniam Eutychianarum pestium facile propulsabant Catholici, hac una præscriptione, quod non hypostasim, ac personam aliquam novam supra tres annumerarent, sed una de tribus, uti Verbum, ita Christus esset Deus et homo, sola et unica Verbi propria subsistens. Ita Proclus in epistola ad Armenos. « (1) Unum, *inquit*, et eumdem sempiternum pariter, et in postremis temporibus incarnatum, confitemur Filium. » Tum quod adversus hanc fidem hæretici solebant objicere, proponit sic : « (2) Si consubstantialis est Trinitas, est etiam impatibilis. At Deus Verbum in Trinitate cernitur. Igitur Verbum impatibile est. Quod si Deus Verbum pati nihil potest, invenietur is qui crucifixus est, diversus a Deo Verbo, qui impatibilis est. » Cui argumento mox ita respondet : « (3) Trinitatem, quod ad rationem pertinet divinitatis, consubstantialem, et impatibilem esse. Cum enim dicimus passum esse Verbum, non ratione divinitatis passum esse dicimus, quippe natura divina nullam passionem admittit; sed Deum Verbum profitentes unum ex Trinitate incarnatum esse, iis, qui cum fide sciscitantur, causam præbemus intelligendi, cur sit incarnatus. »

Joannes Damascenus eamdem rationem indicat. « (4) Non quartam, *inquit*, insero Trinitati personam, absit : sed unam personam confiteor Dei Verbi, atque carnis ipsius. Trinitas enim remansit Trinitas etiam post incarnationem Verbi. » Et capite sequenti : « (5) Non per se, propriaque subsistentia Dei Verbi caro constitit, neque altera hypostasis facta est ab Dei Verbi hypostasi diversa. Sed in ipsa subsistens, adsubsistens potius quam per seipsam proprio modo subsistens hypostasis est facta. Idcirco neque diversam in Trinitatem infert hypostasim. » Sic Augustinus tract. undecentesimo in Joannem [2], « Solus, *inquit*, in Trinitate Filius formam servi accepit; quæ forma illi ad unitatem personæ coaptata est : id est ut Filius Dei, et Filius hominis unus sit Jesus Christus, ne non Trinitas, sed quaternitas prædicetur a nobis : quod absit a nobis. »

Et in libro de Prædestinatione sanctorum capite 15. « Ipsa est, *inquit*, illa ineffabiliter facta hominis a Deo Verbo susceptio singularis, ut filius Dei, et filius hominis simul, et filius hominis propter susceptum hominem, et filius Dei propter suscipientem unigenitum Deum veraciter, et proprie diceretur, ne non Trinitas, sed quaternitas crederetur. »

Idem et in Francofordiensi synodo, quæ Carolo M. imperatore celebrata est [3], laudatus Augustinus in Joannem, « Agnoscamus, *inquit*, geminam substantiam Christi, divinam scilicet, qua æquatus est Patri : humanam, qua major est Pater : utrumque autem simul non duo, sed unus est Christus, ne sit quaternitas, non Trinitas, Deus. » Et Hormisda papa in epistola 79. ad Justinum imperatorem [4] : « Idem enim Deus, *inquit*, et homo : non ut ab infidelibus dicitur, sub quartæ introductione personæ. »

X. Ferrandus item diaconus Carthaginensis in epistola ad Anatolium [5] pulchre hunc locum exornat, et cur quaternitas in catholicum dogma non irrumpat, erudite sic exponit.

(1) PROCL. ep. 2. pag. 615. Ἕνα τοίνυν καὶ τὸν αὐτὸν αϊδίως τε, καὶ ἐπ' ἐσχάτων σαρκωθέντα ὁμολογοῦμεν Υἱόν, μηδὲν ἐπεισάγοντες τῇ φύσει νόθον· οὐδὲν γὰρ περιττὸν ἐν τῷ θρόνῳ.

(2) Ibid. Εἰ ἡ Τριὰς, φησὶν, ὁμοούσιος, ἡ Τριὰς ἀπαθής· ὁ δὲ Θεὸς Λόγος ἐν τῇ Τριάδι ὁρᾶται· καὶ ὁ Λόγος ἄρα ἀπαθής. Εἰ δὲ ὁ Θεὸς Λόγος ἀπαθὴς, εὑρεθήσεται ὁ σταυρωθεὶς ἕτερος παρὰ τὸν Θεὸν Λόγον τὸν ἀπαθῆ.

(3) Ibid. Τί τοίνυν φαμὲν ἡμεῖς; ὅτι κατὰ τὸν λόγον τῆς θεότητος ἡ Τριὰς ὁμοούσιός ἐστι καὶ ἀπαθὴς· οὐδὲ γὰρ, φάσκοντες αὐτὸν πεπονθέναι, τῷ λόγῳ τῆς θεότητός φαμεν αὐτὸν πεπονθέναι. Ἀνεπίδεκτος γὰρ ἡ θεία φύσις παντὸς πάθους· ἀλλ' ὁμολογοῦντες τὸν Θεὸν Λόγον, τὸν ἕνα τῆς Τριάδος σεσαρκῶσθαι, διδόμεν τὴν αἰτίαν τοῦ νοεῖν τοῖς μετὰ πίστεως ἐρωτῶσι δι' ὃ ἐσαρκώθη.

(4) DAMASC. lib. 3. cap. 8. fine. Οὐ γὰρ τέταρτον παρεντίθημι πρόσωπον ἐν τῇ Τριάδι· μὴ γένοιτο. Ἀλλ' ἓν πρόσωπον ὁμολογῶ τοῦ Θεοῦ Λόγου, καὶ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ. Τριὰς γὰρ ἔμεινεν ἡ Τριὰς, καὶ μετὰ τὴν τοῦ Λόγου σάρκωσιν.

(5) Ibid. cap. 9. Οὐ γὰρ ἰδιοσυστάτως ὑπέστη ἡ τοῦ Θεοῦ Λόγου σὰρξ, οὐδὲ ἑτέρα ὑπόστασις γέγονε παρὰ τὴν τοῦ Θεοῦ Λόγου ὑπόστασιν. Ἀλλ' ἐν αὐτῇ ὑποστᾶσα, ἐνυπόστατος μᾶλλον, καὶ οὐ κατ' αὐτὴν ἰδιοσύστατος ὑπόστασις γέγονε. Διὸ οὐδὲ ἑτέραν ἐν τῇ Τριάδι παρεισφέρει ὑπόστασιν.

[1] Tom. 11. Bib. p. 462. — [2] Tom. 9. p. 200. C. 1. — [3] Tom. 6. Conc. p. 175.

[4] Tom. 3. Conc. p. 199. E. — [5] Tom. 3. Bibl. col. 327.

« Ante dispensationem carnis, *ait*, Deus noster Trinitas : post negotium crucis, et post spolia infernorum, Deus noster Trinitas. Quare hoc? Quia sicut unus fuit, est, et erit Pater, qui de Virgine non est natus : sicut unus fuit, est, et erit Spiritus sanctus, qui similiter de Virgine non est natus : ita unus est etiam Filius, qui de Virgine natus est. Assumptio illi fuit alterius ad unam personam. Crevit ergo per nativitatem carnis in Christo numerus substantiarum; singularitas vero personæ perseveravit. Idcirco quamvis alia sit natura divinitatis, alia humanitatis, non fit Trinitas illa quaternitas : quia personarum est Trinitas, quia in Christo una persona mansit. Unus est proinde Christus, et semper unus, propter unius personæ singularitatem ; quæ in eo nec dividi, nec subdividi, nec duplicari potest, quamvis ex duabus, et in duabus credatur esse naturis. » Tum paucis interjectis : « Duos filios, *ait*, ignorat fides catholica ; quaternitatis assertores omnino detestatur. Et idcirco nunc, quantum arbitror, quibusdam rectæ fidei custodientibus regulam placuit unum de Trinitate passum fateri. »

Bene ergo munita est adversus invidiam Nestorianæ perfidiæ, et ab Eutychianorum criminatione secura catholica professio, quæ duas naturas in eadem persona, et unum Christum, ac Dei filium in utraque natura confitetur. Ad quod insuper non parum conducit illa demum in usum recepta, et post aliquanti temporis altercationem probata formula; qua *unus de Trinitate vel incarnatus, vel passus dicitur*. Hæc enim veram, et in summam decretoriam quæstionis nostræ decisionem continet. Quippe ex incarnatione filii Dei propterea nova in Trinitatem hypostasis introducta nulla est, quoniam unus ex Trinitate est, idemque suscepta carne filius, et una de tribus persona naturas habens duas, quod supra capite secundo plenius expositum est.

XI. Etenim [1]: « Cur non unus Christus duæ naturæ credantur, si tres personæ secundum veritatem unus sunt Deus? (ait Rusticus.) Si enim simplicem naturam non dividit Trinitas personarum, quomodo personam, quæ, ut fatemini, minime simplex est, sed composita, discerpat naturarum dualitas ? etc. Non connumeratur vero in Trinitate natura personis. Alioqui et ante Incarnationem (quod absit) quaternitas fuit. Tres namque personæ sunt, et una natura, et numerus in quatuor minime proficit. » Itaque, quod postea auctor idem asserit [2]; « Quantælibet sint naturæ, Trinitas manet. A personis enim tribus, et non a naturis nominatur. » Mox etiam illud adjicit [3] : « Quia nec dualitatem naturarum in Trinitate confitemur, aut colimus. Una enim carnis natura non totius est Trinitatis ; sed unius personæ verbi Dei. In Trinitate vero illa connumerantur, quæ vel similiter, vel æqualiter trium sunt personarum. » Meminisse vero debemus, quod et supra dictum est, et Rusticus ex communi Acephalorum dogmate profitetur [4], hæreticos istos, cum naturam nihil prorsus a persona distare crederent, nec alteram sine altera posse consistere, tres in Trinitate naturas constituisse : ex quo, annumerata carne, quaternitatem poni ab Catholicis pro Trinitate colligebant ; idque ut vitarent ipsi, humanam naturam cum divinitate conflabant in unam naturam compositam.

Sed eos facile propulsabant Catholici, negantes ternarium illum numerum aliis convenire, quam personis, quibuscum naturæ neutiquam numerantur. Et Athanasius in epistola ad Epictetum, Apollinaristas redarguens, qui carnem divinitati ὁμοούσιόν esse dicebant, eorum retorquet in illos argumentum. Aiebant enim, « (1) Si humanum corpus ex B. Maria sumptum existimetur, quandoquidem diversæ est ipsum substantiæ, et in eodem inest Verbum; pro Trinitate quaternitatem existere, propter illam corporis accessionem. Verum cum hæc dicunt, in seipsos imprudentes incurrunt. Nam etsi corpus asserant non esse ex Maria virgine, sed esse consubstantiale Verbo ; non minus hoc ipso quaternitatem, cujus professionem devitare velle simulant, suopte commento inferunt. Quippe uti Filius, ex Patrum sententia, qui Patri consubstantialis est, non est idem qui Pater ; sed Filius comparatus cum Patre, con-

(1) ATHAN. pag. 458. Ἐὰν δὲ ἀνθρώπινον εἴπωμεν τὸ ἐκ Μαρίας σῶμα, ἀνάγκη ξένου ὄντος κατ' οὐσίαν τοῦ σώματος, καὶ ὄντος ἐν αὐτῷ τοῦ Λόγου, τετρὰς ἀντὶ Τριάδος γίνεται διὰ τὴν τοῦ σώματος προσθήκην. Ταῦτα οὕτω λέγοντες οὐ νοοῦσιν ὅπως ἑαυτοῖς [illegible]πτουσι. Καὶ γὰρ κἂν μὴ ἐκ Μαρίας λέγωσι τὸ σῶμα, ἀλλὰ ὁμοούσιον αὐτὸ τῷ Λόγῳ, οὐδὲν ἧττον, ἣ ὅπερ ὑπεκρίναντο, μὴ ἄρα οὕτω φρονοῦντες νομισθῶσι, τοῦτο κατὰ τὴν αὐτῶν ἔννοιαν δειχθήσονται λέγοντες, τετράδα. Ὡς γὰρ ὁ Υἱὸς, κατὰ τοὺς πατέρας ὁμοούσιος ὢν τῷ Πατρὶ, οὐκ ἔστιν αὐτὸς ὁ Πατὴρ, ἀλλὰ Υἱὸς πρὸς Πατέρα λέγεται ὁμοούσιος· οὕτω τὸ ὁμοούσιον σῶμα τοῦ Λόγου, οὐκ ἔστιν αὐτὸς ὁ Λόγος, ἀλλ' ἕτερον πρὸς τὸν Λόγον.

[1] Rust. tom. 4. col. 833. — [2] Ib. col. 837. D. [3] Ib. col. 839. — [4] Ib. 837. 838. 839.

substantialis ei dicitur : ita consubstantiale corpus Verbo, non est idem ac Verbum, sed quippiam ab eo diversum. » Cui similis est ratiocinatio Rustici paulo ante commemorata contra Apollinaris imitatores Acephalos.

XII. Contra hanc eamdem Monophysitarum calumniam, præclare Theodoretus catholicam tuetur fidem in libro quodam, cui Athanasii vulgo nomen præfigitur; cum tamen Theodoreti esse cum stilus ipse demonstret, tum Photius testetur in codice quadragesimo sexto. In illius ergo libri capite, vel ut Photius appellat, oratione quadam [1], cujus inscriptio est, (1) *Adversus eos, qui dicunt, profitentes carnem esse naturam, quaternitatem inducere pro Trinitate*, simili, atque ad Epictetum Athanasius, argumento illos refellit. « (2) Nam si diceremus, *inquit*, carnem ad substantiam pertinere Patris, et Filii, et Spiritus sancti, recte illi quaternitatem objicerent ; utpote cum eadem substantia in personis spectaretur quatuor. Cum autem id, quod est reipsa, dicamus consubstantialem esse Patri Filium, consubstantialem et esse Spiritum sanctum : porro Filium carnem sumpsisse ad œconomiam implendam, non ad augendam substantiam : quo tandem pacto ad numeri accessionem referunt carnis naturam, adeo dissitam; tanquam diversam ejusdem naturæ personam invehant? Præsertim cum per seipsam minime illa spectetur ; sed in irrupta cum Deo Verbo copulatione cognita sit : adeo ut non amplius separata ipsa cernatur , nec velut consubstantialis pari modo connumeretur. » Hic vera ratio traditur, propter quam caro, sive humana Christi natura, numerum in Trinitate non augeat, nec ad quaternitatem perducat. Nimirum quod ea cum Verbo conjuncta, una cum eo persona sit; nec seorsum ab ipso, ac separata consistat.

XIII. Etenim, ut adversus Severum hæreticum unius naturæ vindicem, et quaternitatis exprobratorem, recte disputat Theorianus , «(3) Trinitatis nomen non naturæ, sed quantitatis hypostaseon significandæ vim habet.» Atqui non nova quædam hypostasis ad divinas tres accessione carnis adjungitur, sed naturæ duntaxat ad hypostasim Verbi. Perperam igitur insultabat Severus, et Acephali reliqui Catholicæ parti; tanquam τετράδα pro Τριάδι, quatuor personas pro tribus induceret. Ita Theorianus, qui et accommodatissima similitudine rem ita declarat [2]. Uti si ὑπέρπυρα tria ponantur, hoc est aurei nummi tres, (male interpres, *tria igne potiora* vertit : cum τὸ ὑπέρπυρον postremis imperii Constantinopolitani temporibus aureus nummus fuerit,) sed ut si aurei tres unius naturæ sint, nempe ex auro, atque horum aliquis igne excoctus candefiat; is omnino duabus naturis constabit, auro et igne : nec tamen, si ad duos reliquos adjungatur, plures erunt aurei, quam tres. Ita non est auctus personarum in Trinitate numerus, quamvis altera sit Verbo sociata natura.

Similis illa est apud Euthymium cum statuis tribus comparatio, quam ex antiquo Patre collectam, ejus verbis, quoniam auctor ille græce nondum extat, proponam : « (4) Si tres, *inquit*, essent æneæ statuæ, quarum una auro, cerave tota oblineretur ; num hæc ipsa propriæ substantiæ detrimentum aliquod acciperet ; an potius naturas duas integras, inviolatasque servaret, tam suam, quam sibi illitam, et obductam, adeo ut non quatuor ideo statuæ numerarentur ? Igitur secundum hoc exemplum, ut ex parvis conjectura de majoribus capiatur, atque ut in obscuris quibusdam imaginibus veritatem speculemur, duas in Chisto naturas intellige , sed unam hypo-

(1) THEODORETUS. Πρὸς τοὺς λέγοντας ὅτι τὸ ὁμολογεῖν φύσιν τὴν σάρκα, τετράδα ἐστὶν ἀντὶ Τριάδος κηρύττειν.

(2) Ibid. pag. 252. Εἰ μὲν γὰρ ἐλέγομεν τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος εἶναι τὴν σάρκα, καλῶς τετράδα ὠνόμαζον, ὡς τῆς αὐτῆς οὐσίας ἐν τέτταρσι προσώποις θεωρουμένης. Εἰ δὲ λέγομεν, ὅπερ ἐστὶν, ὁμοούσιον μὲν τῷ Πατρὶ τὸν Υἱὸν, ὁμοούσιον δὲ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον· εἰληφέναι δὲ τὴν σάρκα εἰς ἐκπλήρωσιν οἰκονομίας, οὐκ εἰς αὔξησιν οὐσίας, πῶς ἀριθμοῦ προσθήκην ἐργάζονται τῆς σαρκὸς τὴν φύσιν, τοσοῦτον παρηλλαγμένην, ὡς ἕτερον πρόσωπον ἐπεισάγοντες ὁμοούσιον ; καὶ τοῦτο οὐ καθ' ἑαυτὴν αὐτῆς θεωρουμένης· ἀλλ' ἐν ἀχωρίστῳ συναφείᾳ πρὸς τὸν Θεὸν Λόγον γνωριζομένης· ὥς τε μηκέτι κεχωρισμένην αὐτὴν ὁρᾶσθαι, μήτε ὡς ὁμοούσιον τῷ ἴσῳ τρόπῳ συναριθμεῖσθαι.

(3) THEORIAN. in legat. ad Arm. tom. 11. bib. pag. 465. Ὅτι τὸ Τριὰς πρόσρημα οὐκ ἔστι τῆς φύσεως σημαντικὸν, ἀλλὰ τοῦ ποσοῦ τῶν ὑποστάσεων.

(4) EUTH. Pan. tit. 7. pag. 147. lat. edit. Εἰ τρεῖς ἦσαν ἀνδριάντες χαλκοῖ, τούτων δὲ εἷς ἐπεχρίσθη χρυσῷ, ἢ κηρῷ διόλου· πότερον ἐβλάβη περὶ τὴν ἰδίαν οὐσίαν οὗτος, ἢ σώζει τὰς δύο φύσεις ἀκεραίας, καὶ ἀλωβήτους, καὶ τὴν ἑαυτοῦ, καὶ τὴν ἐπιχρισθεῖσαν αὐτῷ, καὶ οὐδὲ τέσσαρες πάντως ἀνδριάντες παρὰ τοῦτο γεγόνασι ; οὐκοῦν τῷ αὐτῷ παραδείγματι, ὡς ἐκ τῶν μικρῶν τὰ μεγάλα στοχάσασθαι, καὶ ἀμυδραῖς τισιν εἰκόσι, τὴν ἀλήθειαν ἐνοπτρίσασθαι, νόει καὶ ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ δύο μὲν τὰς φύσεις, μίαν δὲ τὴν ὑπόστασιν, καὶ οὐδὲ προσθήκη τῇ Τριάδι ἐπιγενήσεται διὰ τὴν προσληφθεῖσαν φύσιν τῆς ἀνθρωπότητος. Καὶ ἄλλως γὰρ φύσις, οὐχ ὑπόστασις προσελήφθη, καὶ Τριὰς οὖσα ὑποστάσεων, οὐχὶ φύσεων ἡ μία θεότης, πάλιν ἔμεινε καὶ μετὰ τὴν ἕνωσιν, Τριὰς ὑποστάσεων.

[1] In tomo 2. Ath. p. 251.

[2] Theorian. p. 466.

stasim: neque propter assumptam hominis naturam ulla fiet ad Trinitatem accessio. Nam et alioqui natura, non hypostasis est assumpta: et cum hypostaseon, non naturarum, trinitas sit una deitas, rursus post unitionem etiam perseveravit esse hypostaseon trinitas. »

Postremo Theodorus Mopsuestenus apud Facundum [1], quaternitatem illam solide refellit, eadem fere, quam hactenus exposui, ratione fretus. « Quomodo itaque possibile est, *inquit*, quartam personam super has addere, illam, quæ assumpta est, servi formam? quam neque ejusdem substantiæ arbitramur esse: cui neque propter se cultus debetur, neque propter propriam essentiam debere suscipere adorationem agnoscimus; neque ipsam solam apud se divise in propria persona adoramus. »

CAPUT UNDECIMUM.

De humanæ Christi naturæ perfectione, quam Græci οὐσιώδη, Latini substantivam nominant: — 1. in quo Arianos præsertim, et Apollinaristas infestos habemus; quorum illi animam, isti partem animæ detrahunt. — 2. Tam corpore, quam anima integrum fuisse Christum, e Scripturis ostenditur; — 4. præsertim qua hominem fuisse Christum docent. — 5. Probatur idem ex Conciliis, maxime generalibus. — 7. Tum argumentis ex Patribus collectis. Velut quod si pars alterutra deesset, non esset homo verus. — 9. Alter locus argumentandi ex fine Incarnationis, et consilio Dei; qui hoc voluit, ut homo ab homine redimeretur. — 10. Item quod mediator esse Christus debuit, adeoque verus homo, verusque Deus et utrique consubstantialis. — 11. Ad hæc, totum et integrum hominem liberari oportuit, unde et assumi: quæ ratio frequens est in usu Patrum.

I. Hac in controversia infestos habet Ecclesiæ fides antiquos omnes hæreticos, quos in libro primo percensui: qui hominem specie tenus assumptum putaverunt: quique vel veram carnem inficiati sunt: vel e cœlo delibatum corpus dixerunt: vel animam, partemve animæ segregarunt; quales Arii, et Apollinaris discipuli fuere. Quorum ille funditus animam sustulit: (1) ut hoc posito, mutationes omnes, quæ ex affectionibus, et perpessionibus ortæ sunt, divinitati ipsi tribuerent; indeque colligerent, naturam Filii paternæ esse dissimilem; nec ab hac, utpote immutabili, mutabilem illam esse genitam: ut scribit Eustathius Antiochenus episcopus apud Theodoretum; et nos libro primo meminimus [2]. Apollinaristæ vero præcipuam ademerunt animæ partem, quod a Græcis τὸ ἡγεμονικὸν dicitur, quasi principem, et gubernatricem nomines, hoc est νοῦν, sive *mentem*; de qua hæresi late est explicatum libro eodem, capite sexto.

Contra utrosque communiter hoc loco disputandum est, ac docendum perfectam hominis in Christo fuisse naturam, et suis omnibus expletam partibus; quales sunt anima et corpus. Quo uno demonstrato, causam adversus illos etiam obtinebimus, qui aut effigiem solam hominis adumbratam in Christo esse mentiti sunt; aut solam animæ substantiam absque corpore fuisse, cum hujus imagine, ac larva: aut istud ipsum carne minime constare, sed aliena ex materia, velut ex æthere, cœlove esse decerptum existimant. Quos omnes una hæc præscriptio summovebit, quæ veram et integram naturam in Christo fuisse hominis ostendet, cum verus demum, ac perfectus homo ille sit, qui ex anima ratione ac mente prædita, et corpore, id est carne componitur.

II. Persuadent hoc sacræ imprimis litteræ, quæ utramque homini Christo substantiam assignant. E quibus celeberrimus est hic Joannis evangelistæ locus, in quo *Verbum caro factum* esse dicitur: quo *carnis* vocabulo totam significari hominis naturam vulgo Patres

(1) Eustath. Antioch. apud Theodoret. dial. 3. p. 156. Διὰ τί δὲ περὶ πολλοῦ ποιοῦνται δεικνύναι τὸν Χριστὸν, ἄψυχον ἀνειληφέναι σῶμα, γεώδεις πλάττοντες ἀπάτας; ἵνα εἰ δυνηθεῖεν ὑποφθεῖραί τινας ταῦθ' οὕτως ἔχειν ὁρίζεσθαι, τηνικαῦτα τὰς τῶν παθῶν ἀλλοιώσεις τῷ θείῳ περιάψαντες Πνεύματι, ῥᾳδίως ἀναπείσωσιν αὐτοὺς, ὡς οὐκ ἔστι τὸ τρεπτὸν ἐκ τῆς ἀτρέπτου φύσεως γεννηθέν.

[1] Lib. 3. p. 124.

[2] Cap. 5. § 7.

interpretantur, et fuse inter alios Fulgentius in libro primo ad Trasimundum [1]. Sic apostolus Paulus, de Filio Dei loquens [2], *Qui factus est ei*, inquit, *ex semine David secundum carnem.* Joannes item in Epistola prima [3]: *In hoc cognoscitur spiritus Dei. Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est*: ut in latino legitur. Nam in græco aliter hoc membrum concipitur: *Et omnis spiritus, qui non confitetur Jesum Christum in carne venisse, non est ex Deo.* Ita Cyprianus hunc locum citat [4], et Augustinus tractatu sexto in epistolam Joannis: qui et alteram codicum latinorum lectionem sub finem tractatus adjicit: quam quidem ab hæreticis abrasam esse scribit Socrates [5], nimirum ab iis, qui divinitatem ab humana natura separabant, et ita Christum solvebant: quales fuere Paulus Samosatenus, Photinus, et Nestorius.

Rursus Apostolus in epistola ad Hebræos [6]; *Quia ergo pueri*, inquit, *communicaverunt carni, et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem.* Sic de carne nominatim fidem fecit Christus post resurrectionem, cum apostolis dixit [7]: *Palpate, et videte; quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, et pedes.*

Athanasius vero apud Theodoretum [8] ex institutione sacramenti Eucharistiæ, verbisque quibus ipsa declaratur, veram fuisse Christi carnem et sanguinem probat: cum dixit, *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus.* Quemadmodum et ex Ignatii epistola ad Smyrnenses idem Theodoretus ostendit. Non enim divinitas carnem habet, et sanguinem.

III. De anima similiter occurrunt haud pauca Scripturæ testimonia. Ut hoc Joannis decimo [9], *Et animam meam pono pro ovibus meis.* Et [10], *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Quo loco utitur Gregorius Nyssenus libro primo contra Eunomium [11], et Theodoretus libro quinto contra Hæreses, capite 13. Sic Theophilus Alexandrinus apud Theodoretum [12] illud affert ex Actorum capite secundo, usurpatum ab apostolo Petro de Psalmo decimo quinto: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Ubi animam pariter et corpus redemptoris nostri significat, quorum hoc in tumulo reconditum, ab corruptela vindicari, illam in inferno diutius non detineri postulat: uti Gregorius Nyssenus [13], Theodoretus [14], et Fulgentius [15] expendunt, quod pluribus postea declarabitur. Eodem spectat illud [16], *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

Atenim in vetere Testamento Deus ipse animam sibi nonnunquam tribuit, ut apud Isaiam [17], *Solemnitates vestras odivit anima mea.* Ita sibi objicit Cyrillus: nec non Cæsarius Dialogo primo, interrogatione 27. Verum, quod uterque, ac præsertim ille, respondet: longe alia est Dei Patris, ac Filii, Christive ratio. Quippe vel nulla unquam suscepta carne, Pater; vel nondum suscepta, Filius, si animam in vetere Testamento nominant, non ea proprie dicta vereque potest intelligi, sed tropice duntaxat. At in novo Christus, hoc est homo factus Dei Filius, de vera, hominisque propria, et naturali anima loquitur: sicut cum ejusdem manus, ac pedes, aliaque membra commemorantur, non nisi proprie sic appellata putantur exprimi; quæ nemo, nisi hebes et plumbeus, in vetere Testamento legens, aliter, quam per metaphoram, usurpari sibi persuadeat. Augustinus in libro Octoginta trium quæstionum, quæstione 80. discrimen illud veteris, ac novi Testamenti diligenter exponit, ac quæ in illo dicuntur, « propheticis imaginationibus, non narratoria manifestatione usurpari » asserit. In novo autem historica narratione quædam exponuntur, in quibus aperta significatio, non tropica rerum ejusmodi. Vide Augustinum eumdem tractatu 46. in Joannem.

IV. Sed universe valent imprimis ad utriusque partis faciendam fidem loca illa Scripturæ, quæ Deum esse factum hominem confirmant, ac nostri similem, et inter nos humano more versatum ac locutum. Etenim homo non est, sed larva hominis, et imago mendax, quod parte aliqua necessaria, et substantiva caret hominis, ut supra significavimus. Quamobrem, ut argumentatur Theodoretus [18], quoties vel hominem se Christus vocat: uti Joannis octavo[19],

[1] Cap. 17. et seq. — [2] Rom. 1. 3. — [3] 1. Joa. 4. 2. — [4] Lib. 2. Test. cont. Jud. c. 8. — [5] Lib. 7. hist. c. 31. — [6] Heb. 2. 14. — [7] Luc. 22. 38. — [8] Dial. 2. p. 92. et 154. — [9] Joan. 10. 15. — [10] Ibid. ver. 17. — [11] Pag. 55.

[12] Dial. 3. pag. 167. — [13] Gregor. Nyss. lib. 1. cont. Eun. p. 55. — [14] Theod. Dial. 1. pag. 26. — [15] Lib. 1. ad Tras. cap. 19. et lib. 3. c. 23. — [16] Matth. 26. 38. — [17] Isa. 1. 14. — [18] Lib. 5. cont. hær. cap. 14. — [19] Joan. 8. 40.

Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum : vel *filium hominis*, quod identidem inculcat : vel cum Abrahami semini, ac stirpi alioquin inscribitur ; toties veræ carni, ac veræ animæ testimonium perhibetur. Non enim, si alterutra pars desit, nuncupationibus istis veritas subest.

Eadem vis est argumenti illius, quod ex naturæ divinæ, et humanæ propriis notis, quæ in Scriptura de Christo produntur, efficitur; cujusmodi ex Hippolyto martyre refert Theodoretus [1]. Hilarii vero præ ceteris eximius hac de re locus est ab eodem Theodoreto [2] descriptus ; quem hic apponam [3]. « Natus igitur, *inquit*, unigenitus Deus ex Virgine homo, et secundum plenitudinem temporum in semetipso provecturus in Deum hominem, hunc per omnia evangelici sermonis modum tenuit, ut se filium Dei credi doceret, et homini filium prædicari admoneret ; locutus, et gerens homo universa, quæ Dei sunt : loquens deinde, et gerens Deus universa, quæ hominis sunt ; ita tamen, ut in ipso illo utriusque generis sermone nunquam nisi cum significatione et hominis locutus et Dei sit, etc. Hinc itaque fallendi simplices, atque ignorantes hæreticis occasio est, ut quæ ab eo secundum hominem dicta sunt, dicta esse secundum naturæ divinæ infirmitatem mentiantur. »

Basilius item ex iis Apostoli verbis [4], *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens ;* perfectam in Christo naturam utramque fuisse probat. « (1) Ego enim, *inquit*, hoc quod scriptum est, in forma esse Dei, idem valere arbitror atque in substantia esse Dei. Ut enim formam assumpsisse servi, illud significat, Dominum in substantia fuisse humanitatis nostræ : ita qui in forma Dei esse dicit, proprietatem divinæ substantiæ demonstrat. »

V. Atque hæc quidem ratio latissime, imo infinite patet. Nam voces omnes, sententiasque complectitur, quibus in Christo natura hominis inesse, et verus idem homo esse declaratur. Quod secundum sacras litteras œcumenica omnia concilia, quæ proximum ab illis auctoritatis gradum sibi vindicant, apertissime testantur. Hoc enim vetustissima symbola, quæ ante Nicænam synodum per Ecclesias habebantur ; hoc Nicænum ipsum, et insequentium synodorum propria declarant ; quæ omnia inter se congruunt in iis, quæ sunt præcipua, et οὐσιώδη catholicæ professionis. (2) Chalcedonensis concilii Patres in allocutione synodica, quam ad Marcianum imperatorem scripserunt, Nicænum symbolum docent paucis his verbis, quibus Incarnationem exposuit, dicens, *incarnatum et hominem factum Dei filium*, demonstrare, vere humanam assumptam esse naturam, carne proprie dicta, et anima ratione prædita constantem. Cyrillus item Alexandrinus in expositione symboli Nicæni, illud idem τοῦ ἐνανθρωπῆσαι vocabulo significari asserit, « (3) ut in simili nostræ specie, ac forma prodierit. » Et Cyrillus alter Hierosolymitanus, Catechesi duodecima, in qua eadem illa Symboli verba explicat, iis ipsis ostendi ait, hominem revera esse factum ex Maria virgine.

Quod de antiquo symbolo, ac Nicæno dixi ; hoc ipsum et de aliis œcumenicis conciliis intelligi debet : quæ, nonnullis additis et immutatis, idem symbolum usurparunt. Constantinopolitana quidem, secunda inter œcumenicas, in epistola synodica ad Damasum, et alios in Romana synodo congregatos, vocabulum istud ἐνανθρωπήσεως, quod velut tralatitium in symbolo suo posuerat, exponens, ait, « (4) se nec animæ aut mentis expertem, nec imperfectam carnis œconomiam admittere ; verum nosse se, perfectum ante secula Dei Verbum, et perfectum hominem in novissimis diebus propter nostram salutem fuisse. »

Sic Romana synodus, quæ contra Macedo-

(1) Basil. contra Eunom. apud Theodoret. dial. 2. pag. 97. Ἐγὼ γὰρ καὶ τὸ ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχειν, ἴσον δύνασθαι τῷ ἐν οὐσίᾳ Θεοῦ ὑπάρχειν, φημί. Ὡς γὰρ τὸ μορφὴν ἀνειληφέναι δούλου, ἐν οὐσίᾳ τῆς ἀνθρωπότητος τὸν Κύριον ἡμῶν γεγενῆσθαι σημαίνει· οὕτως λέγων ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχειν, τῆς θείας οὐσίας παρίστησι τὴν ἰδιότητα.

(2) Chalc. conc. par. 3. pag. 467. Τῷ δὲ σαρκωθέντα, τὴν ἀληθῆ τῆς ἡμετέρας σαρκὸς ἀνάληψιν ὑποφαίνοντα, καὶ τὴν ἐκ παρθένου καθ' ἕνωσιν γεννήσεως τὴν ἀπόδειξιν ἐνδεικνύμενα. Τῷ δε ἐνανθρωπήσαντα, τὴν ψυχῆς λογικῆς, καὶ σώματος ἐν αὐτῷ τῆς ἡμετέρας φύσεως συμπλήρωσιν παρεχόμενα.

(3) Cyr. tom. 5. par. 2. pag. 181. Καὶ προελθεῖν ἐν εἴδει τῷ καθ' ἡμᾶς· τοῦτο γὰρ τὸ ἐνανθρωπῆσαί ἐστι.

(4) Constant. synod. apud Theodor. lib. 5. Hist. cap. 9. Καὶ τὸν τῆς ἐνανθρωπήσεως δὲ τοῦ Κυρίου λόγον ἀδιάστροφον σώζομεν, οὔτε ἄψυχον, οὔτε ἄνουν, ἢ ἀτελῆ τὴν τῆς σαρκὸς οἰκονομίαν παραδεχόμενοι· ὅλον δὲ εἰδότες τέλειον μὲν ὄντα πρὸ αἰώνων Θεοῦ Λόγον, τέλειον δὲ ἄνθρωπον ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν, διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν γενόμενον.

[1] Dial. 2. p. 89. — [2] Ibid. pag. 107. [3] Hilar. lib. 9. p. 56. A. — [4] Phil. 26.

nianos, et Apollinaristas habita est, in fidei expositione, quam Damasus ad Paulinum Thessalonicam misit, anathema dicit iis, qui vice animæ rationalis Verbum ipsum fuisse censent assumptæ carni. Quippe « (1) illud ipsum Dei Verbum, *ait*, non pro rationali, et intelligente anima fuit in proprio corpore : sed nostram, hoc est rationalem: et intelligentem animam, citra peccatum assumpsit, et servavit. »

VI. Chalcedonensis quoque in decreto fidei, quod Actione quinta promulgatum est, Christum Dominum eumdem sciscit esse perfectum in divinitate, et perfectum in humanitate, vere Deum, et hominem ex anima rationali, et corpore constantem, consubstantialem Patri secundum divinitatem, et consubstantialem nobis secundum humanitatem : quem locum in secundo libro, capite secundo descripsimus.

Nec minus quinta Synodus[1] duas in Christo perfectas naturas asseruit, et humanam integram ex anima ratione intelligentiaque prædita, et carne compositam. Quem canonem Lateranensis sub Martino primo, in Secretario quarto recepit.

Hoc ipsum decrevit et sexta Synodus Actione 18. imo vero hac ratione duas in Christo voluntates, et actiones inesse sanxit : quod altera esset voluntas hominis propria. Adde reliquas omnes synodos tam generales, quam particulares, quæ eamdem regulam secutæ sunt. Imprimis autem Alexandrinam, præside Athanasio, cujus extat Synodica ad Antiochenses scripta[2]; in qua Arii, et Apollinaris damnantur hæreses, quæ mancam hominis in Christo naturam, ac vel anima, vel animæ parte defectam adstruebant. Tum eam, quæ Agathone Romano Pontifice celebrata est ante sextam œcumenicam, et quæ Hierosolymis ab Sophronio patriarcha : quarum duarum epistolæ synodicæ insertæ leguntur actis sextæ illius synodi.

Epiphanius in Ancorato expositionem quamdam fidei pleniorem subjicit Nicænæ, sive potius Constantinopolitanæ : in qua vocabulum illud *hominem factum* sic explicat, ut significet, « (2) perfectum assumptum hominem, animam et corpus, et mentem, et quidquid aliud homo est, excepto peccato. »

VII. Hic si græcos latinosque Patres catholici istius dogmatis testes assertoresque citare voluero, longior ero, quam velim, aut necesse sit. Nam nullus est, qui non magnam vim sententiarum suppeditet; quæ Deum, hominemque Christum, et utrumque perfectum significet, ex vera carne, animaque contextum. De quibus vide quæ in Prolegomenis dixi. Nunc ea tantum veterum loca breviter exponam, quæ Christianum illud fidei decretum de humanæ integritate naturæ non simpliciter enuntiando confirmant : sed rationem insuper aliquam continent, qua idipsum probetur, vel ejus idonea contra obtrectatores causa reddatur. Cujusmodi argumentorum proponam aliquot capita, et ad singula, uti res feret, pauca sanctorum Patrum testimonia colligam. Atque hæc fere argumenta de Scripturis exprompta sunt omnia, et iis earum locis, quæ supra commemoravi : ut jam in illis referendis nonnihil de præsenti opera libatum fuerit.

Primum itaque genus argumentandi ex eo ducitur, quod nisi integra esset humana Christi natura, vera non esset, nec verus homo Christus, ideoque nec homo esset omnino. Nam quod vere aliquid non est, hoc simpliciter non est. Ita Tertullianus in libro de carne Christi. « Aliter, *inquit*, non diceretur homo Christus sine carne ; nec hominis filius, sine aliquo parente homine ; sicut nec Deus, sine spiritu Dei, nec Dei filius, sine Deo Patre, etc. Quid dimidias cum mendacio Christum ? Totus veritas fuit. »

Et in libro de Resurrectione carnis, capite 34. carnem suscitandam esse, ratione eadem adstruit : quod « et indignum Deo, dimidium hominem redigere in salutem, etc. Quomodo denique salvus habebitur, qui poterit et perditus dici? carne scilicet perditus, anima vero salvus. » Tum postea : « Quid a Patre Christus acceperat, nisi quod et induerat ? hominem sine dubio carnis animæque texturam, etc. Atquin, si non et carnem resuscitabit novissima die, jam non modicum patietur perire de homine ; sed, pro tanta dixerim parte,

(1) Damasus apud Theodor. ibid. cap. 10. Ἀναθεματίζομεν κἀκείνους, οἵ τινες ἀντὶ λογικῆς ψυχῆς διϊσχυρίζονται, ὅτι ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος ἐστράφη ἐν τῇ ἀνθρωπίνῃ σαρκί· αὐτὸς γὰρ οὗτος ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος οὐχὶ ἀντὶ τῆς λογικῆς, καὶ νοερᾶς ψυχῆς ἐν τῷ ἑαυτοῦ σώματι γέγονεν· ἀλλὰ τὴν ἡμετέραν, τουτέστι λογικὴν, καὶ νοερὰν, ἄνευ τῆς ἁμαρτίας, ψυχὴν ἀνέλαβε, καὶ ἔσωσεν.

(2) Epiph. Ancor. § 121. Ἐνανθρωπήσαντα, τουτέστι τέλειον ἄνθρωπον λαβόντα, ψυχὴν, καὶ σῶμα, καὶ νοῦν, καὶ πάντα, εἴ τί ἐστιν ἄνθρωπος, χωρὶς ἁμαρτίας.

[1] Collat. 8. Anath. 4.

[2] Vide Athan. to. 1. p. 450. E.

prope totum. » Et capite 40. « Porro nec anima *inquit*, per semetipsum homo, quæ figmento, jam homini appellato, postea inserta est : nec caro sine anima homo, quæ post exilium animæ cadaver inscribitur. Ita vocabulum homo, consertarum substantiarum duarum quodammodo fibula est ; sub quo vocabulo non possunt esse nisi cohærentes. »

Et Ambrosius epistola octava ostendit perfectam in Christo perinde formam hominis fuisse, ac Dei formam, ex illo Apostoli loco [1], quem supra retulimus, in quo formam utriusque naturæ illi accommodat : « Ergo cum esset in plenitudine divinitatis, *ait*, exinanivit se, et accepit plenitudinem naturæ, et perfectionis humanæ sicut Deo nihil deerat, ita nec hominis consummationi, ut esset perfectus in utraque forma. » Tum Apollinaristam ita concludit : « Iterum ergo interrogo, *ait*, quid est in forma Dei ? Respondet in natura Dei. *Sunt enim*, ait Apostolus [2], *qui non sunt natura dii.* Quæro quid sit formam servi accipiens. Sine dubio perfectionem naturæ, et conditionis, ut dixi, humanæ, ut esset in hominum similitudine. » Leo papa epistola 10. capite 4. [3] « Qui enim verus est Deus, idem verus est homo. Et nullum est in hac unitate mendacium, etc. » Quod etiam in sermone quarto de Nativitate posuit.

VIII. Gelasius item Romanus pontifex in libro de Duabus naturis, Christum adversus Acephalos probat duabus constare naturis ; quoniam « unius rei proprietate sublata, pro parte apud eos medius erit Christus, non unus, non integer, ideoque nec verus : sequitur ut falsus ; quia modis omnibus in hoc tendit abruptum, si aliquid naturaliter inde removetur, ex quibus, vel in quibus unus, et integer Christus est : ob hoc consequenter et verus. Ergo ut verus sit, integer sit necesse est : ut integer sit, unus atque idem sit : utroque in eo sine ambiguo permanente, ex quibus, vel in quibus unus idemque persistit. » Licebit autem itidem argumentari et adversus dimidiatum hominem impingentes Christo Domino ; ut eos convincamus ne hominem quidem penitus esse factum putare Verbum. « (1) Quod enim animal alterutra caret ex istis parte, non est homo, » ut ait Joannes Damascenus. Ita etiam et Athanasius ratiocinatur in epistola synodica ad Antiochenses adversus Apollinarem : « (2) Cum Dominus propter nos homo factus sit, non posse corpus ipsius esse mentis expers, aut animæ. »

Hippolytus quoque Portuensis episcopus in fragmento quarto contra Beronem ita disputat : « (3) Quemadmodum is qui natura Deus est, infinita virtute impeccabilis factus homo, pro eo ac voluit, id quod erat est, habens omnia cum quibus Deus intelligitur : ita eumdem esse id quod factus est, cum quibus scilicet intelligitur, et naturaliter dignoscitur homo. » « Et ideo cum susceperit carnem hominis, ait Ambrosius [4], consequens est, ut perfectionem incarnationis, plenitudinemque susceperit ; nihil enim in Christo imperfectum. » Hoc est utraque natura perfecta sit oportet : quoniam « cum dicis perfectum hominem, totam illic naturam humanam vis intelligi. Non est autem homo perfectus, si vel anima carni, vel animæ ipsi mens humana defuerit ; » ut scribit Augustinus [5]. Martinus item papa in Lateranensi concilio, consultatione quinta [6], ne hominem quidem probat fuisse, si intellectu caruit.

Hinc veteres, cum Incarnationis dogma explicant, plerumque voces illas duas ἀληθῆ, et τέλειον de ambabus naturis usurpant. Sic τέλειον ἄνθρωπον vocat Ignatius martyr in epistola ad Romanos apud Theodoretum [7].

Et Hilarius libro nono [8], « verum Deum, et verum hominem » profitetur ; Ambrosius [9], « perfectum hominem ex anima rationali, et corpore assumpsisse. » Leo papa [10], « In integra igitur veri hominis, *ait*, perfectaque natura, verus natus est Deus. » Et [11], « Qui verus est Deus, verus est et homo. » Athanasius [12] πλήρη ἄνθρωπον, id est *plenum hominem* vocat. Et alibi, « (4) hominem vere Deum et Deum vere hominem fuisse » dicit ; « ut idem vere

(1) DAMASC. lib. 3. cap. 6. Τὸ γὰρ ἑνὸς τούτων ἀμοιροῦν ζῶον, οὐκ ἄνθρωπος.

(2) ATHAN. pag. 450. E. Ὡμολόγουν γὰρ καὶ τοῦτο, ὅτι οὐ σῶμα ἄψυχον, οὐδ' ἀναίσθητον, οὐδὲ ἀνόητον εἶχεν ὁ Σωτήρ. Οὐδὲ γὰρ οἷόν τε ἦν, τοῦ Κυρίου δι' ἡμᾶς ἀνθρώπου γενομένου, ἀνόητον εἶναι τὸ σῶμα αὐτοῦ.

(3) HIPPOL. in collect. Anast. pag. 223. Ὁ γὰρ ἀεὶ κατὰ φύσιν ὑπάρχων Θεὸς, ὑπεραπείρῳ δυνάμει γενόμενος, ὡς ἠθέλησεν, ἄνθρωπος ἀναμάρτητος, ὅπερ ἦν ἐστι, μεθ' ὅσων νοεῖται Θεός· καὶ ὅπερ γέγονέν ἐστι μεθ' ὅσων νοεῖται, καὶ γνωρίζεσθαι πέφυκεν ἄνθρωπος.

(4) ATHAN. de Salut. adv. pag. 497. A. Ἵνα ὁ ἄνθρωπος ᾖ Θεὸς ἀληθῶς, καὶ ὁ Θεὸς ᾖ ἄνθρωπος ἀληθῶς· ἵνα ᾖ καὶ ἄνθρωπος ἀληθῶς καὶ Θεὸς ἀληθῶς.

[1] Phil. 2. — [2] Gal. 4. — [3] To. 4. Bib. 422. A. — [4] Amb. lib. de Inc. c. 7. — [5] Aug. ep. 57. — [6] Tom. 4. Conc. p. 732. — [7] Theodor. Dial. 1. p. 33. D.

[8] Cit. ab eodem Theod. Dial. 2. pag. 106. — [9] Ib. cit. p. 93. — [10] Serm. 3. de Nativ. et in ep. 10. ad Flav. c. 3. — [11] Ead. ep. c. 4. — [12] Cit. a Theod. Dial. 3. p. 161.

sit homo, vereque Deus. » Cyrillus [1] « perfectum sæpe Deum et hominem » appellat. Auctor item expositionis fidei Justino inscriptæ [2], « perfectum hominem. » Et Flavianus Constantinopolitanus in fidei professione oblata Theodosio imperatori, perinde utramque naturam perfectam asserit [3]. Quod et ceteri passim prædicant.

IX. Secundus argumentandi locus ex Dei consilio, et fine petitur, quem in Incarnatione molienda sibi proposuit, quantum ex litteris sacris intelligere possumus. Hoc enim illæ significant, instaurandi humani generis gratia, quod partim primi hominis vitio prolapsum fuerat; partim propriis criminibus obrutum jacebat; missum a Deo Patre unigenam venisse Filium [4], *ut salvetur mundus per ipsum.* [5] *Venit enim filius hominis salvare quod perierat.* Et [6], *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere*, ut ait Apostolus. Placuit autem divinæ sapientiæ, ac bonitati, recuperandæ salutis nostræ ratio ista, ut non potentia superaret hostem, neque vi ex ejus dominatu captivum eriperet: sed ut justitia pariter ac misericordia in partem venirent totius administrandi negotii : tum ut eadem illa, quæ in omnibus divinis operibus admirabiliter existit, in summo, ac præcipuo emineret illo, suavitas et artificiosa solertia; qua sic rebus a se conditis efficientiam suam, et providentiam accommodat Deus, ut ad earum se temperet indolem et captum. Quo ex divini consilii fonte, quem in libro secundo uberrima oratione patefecimus, innumeræ rationes ducuntur a Patribus, quæ ad institutam disputationem apprime conferunt.

Imprimis enim consentaneum id fuisse colligunt, ut ab homine procuraretur hominum salus; qui idem et Deus esset, et quidem vere utrumque atque perfecte. Nam victorem, ac successu tumentem hostem superbissimum ab illo ipso, quem vicerat, et prostraverat, hoc est eadem natura, superari vicissim æquum fuit, et miserentis Conditoris indulgentia, ac bonitate dignum, ut alibi demonstravimus [7]. (1) Oportuit, inquam, in eadem, quæ peccato erat infecta, natura peccati piaculum, ac remedium accipi, ut esset plena, et perfecta peccati dissolutio : quod Athanasius in libro de salutari adventu Christi disserit. « (2) Quod nisi humani generis adversarium homo ipse vicisset, non esset juste ille superatus, » ut ait Irenæus. Et Theodoretus, « (3) Voluit, *inquit*, eamdem, quæ victa fuerat, naturam adversarium debellare, et victoriam referre; ob eamque causam et corpus, et animam ratione præditam assumpsit. » Quæ postrema verba conclusionem argumentationis inferunt. Sequitur enim ex eo, quod hominem par fuit esse liberatorem hominis, ac vindicem, (4) neutrius expertem fuisse partium illarum, sine quibus constare hominis natura non potest, ut totum in se primum Adamum, peccati auctorem et calamitatis, posterior in sese contineret, ut ait Athanasius. Maxime vero adversus Arianos, et Apollinaristas valet ista ratio, quorum illi animam, isti vel rationalem ejus partem, vel mentem subtrahunt. At horum vel uno adempto, homo esse desinit, et in brutam degenerat animantem. « Quid autem opus fuit carnem suscipere sine anima, cum utique insensibilis caro, et irrationabilis anima nec peccato sit obnoxia, nec digna præmio? »

X. Hujus argumenti velut accessio est alterum hoc, quod ex Apostolo nonnulli Patres colligunt; debuisse redemptorem nostrum, inter nos, ac Deum sequestrem, conciliatoremque esse, hoc est *medium*, sive, ut loquitur Scriptura, *mediatorem*. Hujusmodi autem *mediatorem* esse decuit, qui ambos in sese complexus sociaret, et concordes sibi invicem faceret. « Inter Deum, et homines, ait Augustinus [8], mediator apparuit, ut in unitate personæ copulans utramque naturam, et solita sublimaret insolitis, et insolita solitis temperaret. » Hinc ergo necessario sequitur, ejusdem cum utrisque substantiæ, hoc est ὁμοούσιον illis esse debuisse; ut animam pariter ac corpus haberet, quod Apostolus vocat [9] *communicare carni, ac sanguini*. Quoniam [10] *per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum.* Non esset autem consubstantialis homini,

(1) ATHAN. pag. 497. E. Ἀλλ' ἐν τῇ λογικῇ, καὶ νοερᾷ φύσει τοῦ ἀνθρώπου ἀρχῆθεν εἰργάσατο ὁ διάβολος τὴν ἁμαρτίαν, etc.

(2) IREN. lib. 3. cap. 20. apud Theodoret. dial. 2. pag. 86. Εἰ γὰρ μὴ ἄνθρωπος ἐνίκησε τὸν ἀντίπαλον τοῦ ἀνθρώπου, οὐκ ἂν δικαίως ἐνικήθη ὁ ἐχθρός.

(3) THEODOR. lib. 5. cont. hær. cap. 11. Ἀλλ' ἠβουλήθη αὐτὴν τὴν ἡττηθεῖσαν φύσιν καταγωνίσασθαι τὸν ἀντίπαλον, καὶ τὴν νίκην ἀπολαβεῖν, τούτου δὴ χάριν, καὶ σῶμα, καὶ ψυχὴν ἀνέλαβε λογικήν.

(4) ATHAN. ibid. pag. 500. E. Καί τοι καὶ σῶμα, καὶ ψυχὴν, καὶ ὅλον εἶχε τὸν πρῶτον, ὁ δεύτερος Ἀδάμ.

[1] Ut in Schol. apud eumd. Dial. 2. p. 111. et Dial. de Inc. to. 5. p. 688. C. — [2] Just. pag. 299. — [3] In Chalc. Syn. init. pag. 4.

[4] Joan. 2. 17. — [5] Mat. 18. 11. — [6] 1. Tim. 1. 15. — [7] Lib. 2. c. 16. — [8] Aug. ep. 3. ad Volus. — [9] Heb. 2. 14. — [10] 1. Cor. 15. 21.

si homo non esset : hoc est si componente hominem aliqua parte careret. « Consubstantialitas enim pro parte, et non pro totietate substantiæ, imperfecta est, » ut ait Rusticus [1], imo nulla. « A trecentis enim decem et octo sanctis Patribus, inquit idem, propter hoc Deo Patri consubstantialis dictus Filius, ut cognosceremus quia nihil in eo deest paternæ substantiæ. Similiter vero ab his, qui postea fuerunt, sanctis Patribus, consubstantialis nobis est prædicatus ; ut omnia nostræ substantiæ illum habere credamus. Igitur hæretica fraude, consubstantialitatis nomine utitur, qui ex parte hoc suscipit. » Quod subinde fusius demonstrat. Sic Hilarius [2], « Mediator, *inquit*, ipse in se ad salutem Ecclesiæ constitutus, et illo ipso inter Deum et hominem mediatoris sacramento utrumque unus existens, dum ipse ex unitis in idipsum naturis, naturæ utriusque res eadem est, ita tamen ut neutro careret in utroque, etc. » Ita Theophilus in Epistola paschali prima, « Ex tantis, et talibus, *inquit*, assumpsit hominem duntaxat absque peccato, ex quantis et qualibus nos omnes creati sumus : non ex parte, sed totus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus. » Cui Fulgentius luculentis verbis succinit in libro primo ad Trasimundum, capite 11. ubi, « Non incassum, *ait*, hominem Jesum Christum mediatorem Dei, et hominum nuncupatum : nisi quia idem Deus totam in se naturam suscepit hominis, et idem homo totam in se habet substantiam deitatis. Nam quia per peccatum homo fuit separatus a Deo ; inter Deum irascentem, hominemque peccantem, talis utique mediatoris debuit intervenire persona, quæ ad propitiandum Deum homini, totum, verumque in se Deum de Deo natum haberet, et ad reconciliandum hominem Deo, totum, verumque in se de homine natum hominem contineret. » Cyrillus quoque : « (1) Dei, *inquit*, et hominis mediatorem, ut Scripturæ docent, componi dicimus tum ex humana nostra natura, propria sua ratione perfecta ; tum ex Filio, videlicet unigenito, qui ex Deo secundum naturam prodiit. » Item Cassianus [3], « Ego Dominum Jesum Christum, *ait*, homousion dico fuisse et Patri pariter et matri. Pro personarum enim diversitate reddidit parenti unicuique similitudinem suam. Secundum divinitatem enim homousios Patri, secundum carnem autem homousios matri fuit. Non quod alter, qui homousios Patri, alter, qui homousios matri : sed quia idem Dominus Jesus Christus et homo natus et Deus, utriusque in se parentis habuit proprietatem : dum et in eo, quod homo est, humanæ matris reddidit similitudinem ; et in eo, quod Deus, Dei Patris habuit veritatem. » Leo papa sermone 10. de natali Domini : « Quia igitur justificandis hominibus hoc principaliter opitulatur, quod unigenitus Dei etiam filius hominis esse dignatus est, ut ὁμοούσιος Patri Deus, id est unius substantiæ, idem homo verus, et secundum carnem matri consubstantialis existeret. »

XI. Celeberrima est etiam apud antiquos Patres, et a plurimis hæc usurpata ratio, cur omnibus suis absolutam partibus naturam hominis assumpserit Verbum, nec aliter debuerit fieri ; quod toti homini consulendum hoc modo fuit, isque ex integro recuperandus, et in pristinum revocandus statum, quem totum illa peccati labes, et calamitas occuparat. Quod si pars hominis ulla, utputa caro, vel anima, ei, quem sibi Deus adjunxit, naturæ defuisset; salutis et curationis expertem futuram illam ipsam disputare solent. Ideo enim utriusque partis infirmitates, et, ut loquuntur, *passiones*, quæ quidem offensionis, ac vitii nihil traherent, ascivisse sibi Dei filium ; ut naturæ in se nostræ morbos omnes, ægritudinesque curaret, ac detergeret. Testatur hoc unus ex antiquissimis Patribus Justinus martyr, in calce Apologetici primi ; dum « (2) nostra causa hominem esse factum Dei Verbum *ait*, uti passionum nostrarum particeps factum remedium adhiberet. » Item Irenæus libro 5. capite 14. quod totum in illud argumentum insumitur. Athanasius in epistola ad Epictetum, « (3) vere hominem factum *ait* Salvatorem, ut ad totum hominem salus pertineret. » Et apud Theodoretum, « (4) Ple-

(1) Cyrill. Alexand. dial. de Incarn. tom. 5. par. 1. pag. 688. Τὸν Θεοῦ μεσίτην, καὶ ἀνθρώπων κατὰ τὰς γραφὰς, συγκεῖσθαί φάμεν ἔκ τε τῆς καθ' ἡμᾶς ἀνθρωπότητος τελείως ἐχούσης κατὰ τὸν ἴδιον λόγον, καὶ ἐκ τοῦ πεφηνότος ἐκ Θεοῦ κατὰ φύσιν Υἱοῦ, τουτέστι τοῦ μονογενοῦς.

(2) Just. Apol. pag. 40. Ἐπειδὴ καὶ δι' ἡμᾶς ἄνθρωπος γέγονεν, ὅπως καὶ τῶν παθῶν τῶν ἡμετέρων συμμέτοχος γενόμενος, καὶ ἴασιν ποιήσηται.

(3) Athan. pag. 457. D. Ἀλλ' ὄντως ἀληθείᾳ ἀνθρώπου γενομένου τοῦ Σωτῆρος, ὅλου τοῦ ἀνθρώπου σωτηρία ἐγίνετο.

(4) Id. apud Theodor. dial. 3. pag. 161. A. Πλήρη γὰρ ἀνείληφε τὸν ἄνθρωπον, ἵνα καὶ πλήρη αὐτὸν, καὶ σὺν αὐτῷ τοὺς νεκροὺς ζωοποιήσῃ.

[1] Rustic. tom. 4. Bibl. col. 805. D.

[2] Lib. 9. sub init. — [3] Lib. 6. de Inc. c. 13.

num, *inquit*, assumpsit hominem, ut plenum ipsum, et cum ipso mortuos vivificaret. »

Gregorius Nazianzenus creber est in hoc argumentationis genere inculcando. Ut cum Oratione 14. Apollinarem incessens queritur « (1) circa mentem homines alioqui sapientes dementire, et humanitatem dividere, ut non ex toto salutem consequar, qui totus cecidi, et condemnatus sum ex primi parentis inobedientia, et adversarii fraude : ut ita tum Dei beneficium, tum nostra salus imminuatur. » Et Oratione 42. [1] illum ipsum Dei filium, ac Verbum, et imaginem Patris, ingens remedium, ad ingentem operis sui calamitatem sublevandam missum esse dicit ; « (2) et carnem carnis gratia gestasse, ac missum esse intelligenti animæ propter animam meam ; ut simile simili repurgaret. »

Idem in priore ad Cledonium epistola : « (3) Si quis in hominem mentis expertem sperat, amens est revera, neque dignus qui totus salvetur. Quod enim assumptum non est, curationis est expers. Quod autem unitum est Deo, idipsum et salute donatur. Si dimidiatus tantum Adamus lapsus est, dimidiatum quoque tantummodo sit quod assumitur, et salvum fit. Quod si totus peccavit, toti quoque genito unitus est, atque ex toto salutem assequitur. »

Ac paulo post in eadem epistola, quæ tota contra Apollinarem scripta est; « (4) si mens in Incarnatione relicta est, solo assumpto corpore, ignoscendum illis esse » dicit, « qui circa mentem peccant. Quippe testimonium Dei secundum te manifeste docuit, eam nullo pacto posse sanari. » Secundum quæ pluribus ostendit cum totum hominem ægrotasse, ideoque toti medendum fuisse ; tum præcipue nobilissimam illius partem, quæ mens est, male affectam singulari remedio opus habuisse. De quo et in carmine de vita sua luculenter cecinit, ubi inter alia menti potissimum fuisse consulendum ait :

(5) Quæ maxime Deo meo liberanda fuit,
Quæ et maxime cecidit in primi parentis formatione.
Quippe mente susceperat, et contempserat legem.
Idipsum vero, quod contempsit, assumendum fuit.
Ne igitur dimidium me salvet Verbum
Qui totus sum male affectus.

Et in alio carmine, tritum illud, et Græcis usitatum contra istiusmodi hæreses pronuntiat :

(6) Quod enim assumptum non est, salute caret.

XII. Gregorius Nyssenus libro primo contra Eunomium, « (7) hoc impietatis Arianæ fundamentum esse » scribit « in incarnati Verbi sacramento, quod totum hominem asserant a Christo non esse liberatum ; sed hominis tantum dimidium, id est corpus. » Et paulo post hunc errorem confutat ex eo fine, cujus gratia Dei filius venit in mundum : nempe [2] ut quæreret, et salvum faceret quod perierat. « (8) Perierat autem non corpus, sed totus homo ex anima compositus. Imo, si verius loquimur, ante anima quam corpus periit. Quippe inobedientia liberæ voluntatis, non corporis peccatum est. Animæ vero propria est voluntas libera, a qua omnis naturæ calamitas initium habuit. » Idipsum copiosa, et eleganti oratione in Catechetico libro capite

(1) NAZIANZ. orat. 14. pag. 121. D. Ἐχρῆν γὰρ, ἐπειδὴ θεότης ἥνωται, διαιρεῖσθαι τὴν ἀνθρωπότητα, καὶ περὶ τὸν νοῦν ἀνοηταίνειν τοὺς τἄλλα σοφοὺς, καὶ μὴ ὅλον με σώζεσθαι, ὅλον πταίσαντα, καὶ κατακριθέντα ἐκ τῆς τοῦ πρωτοπλάστου παρακοῆς, καὶ κλοπῆς τοῦ ἀντικειμένου· ὡς ἐλαττοῦσθαι τῷ μὲν Θεῷ τὴν χάριν, ἡμῖν δὲ σωτηρίαν.

(2) Id. pag. 682. Καὶ σάρκα φορεῖ διὰ τὴν σάρκα, καὶ ψυχῇ νοερᾷ διὰ τὴν ἐμὴν ψυχὴν μίγνυται, τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον ἀνακαθαίρων.

(3) Id. pag. 740. Εἴ τις εἰς ἄνουν ἄνθρωπον ἤλπικεν, ἀνόητος ὄντως ἐστὶ, καὶ οὐκ ἄξιος ὅλος σώζεσθαι. Τὸ γὰρ ἀπρόσληπτον, ἀθεράπευτον. Ὃ δὲ ἥνωται τῷ Θεῷ, τοῦτο καὶ σώζεται. Εἰ ἥμισυς ἔπταισεν ὁ Ἀδὰμ, ἥμισυ καὶ τὸ προσειλημμένον, καὶ τὸ σωζόμενον. Εἰ δὲ ὅλος ὅλῳ τῷ γεννηθέντι ἥνωται, καὶ ὅλως σώζεται.

(4) Idem pag. 742. Εἰ διὰ τοῦτο σῶμα μὲν προσείληπται, νοῦς δὲ παραλέλειπται, συγγνώμη τοῖς πταίουσι περὶ νοῦν, μαρτυρία γὰρ Θεοῦ κατὰ σε σαφῶς ἔδειξε τὸ τῆς θεραπείας ἀδύνατον.

(5) Id. tom. 2. pag. 10. D.

Ὃς δὴ μάλιστα τῷ Θεῷ μου σωστέος,
Ὃς καὶ μάλιστ' ὤλισθεν ἐν πρώτου πλάσει.
Νῷ γὰρ δέδεκτο, καὶ παρεῖδε τὸν νόμον.
Ὃ δ' ἦν τὸ παριδὸν, τοῦτο καὶ προσλήψιμον.
Μή τοίνυν ἡμίση με σωζέτω Λόγος
Ὅλον παθόντα.

(6) Idem pag. 247. C. Ὃ μὴ προσείληπται γὰρ, οὐδὲ σώζεται.

(7) NYSSEN. pag. 53. Ἀλλ' ἐκεῖνο χρὴ προσθεῖναι τοῖς εἰρημένοις, ὅπερ κρηπῖδα τινὰ ποιοῦνται τῆς ἀσεβείας ἐν τῷ περὶ τῆς οἰκονομίας λόγῳ, οὐχ ὅλον ἄνθρωπον σεσῶσθαι διοριζόμενοι, ἀλλὰ τὸ τοῦ ἀνθρώπου ἡμίτομον, τὸ σῶμα λέγω.

(8) Ibid. pag. 54. Ἦλθεν ὁ Κύριος ζητῆσαι, καὶ σῶσαι τὸ ἀπολωλός. Ἀπώλετο δὲ οὐ τὸ σῶμα, ἀλλ' ὅλος ὁ ἄνθρωπος ἀπὸ ψυχῆς συγκεκραμένος. Καὶ εἰ χρὴ τὸν ἀληθέστερον εἰπεῖν λόγον, τοῦ σώματος ἡ ψυχὴ προαπώλετο· ἡ γὰρ παρακοὴ προαιρέσεως, οὐ σώματος ἁμαρτία ἐστίν· ἴδιον δε ψυχῆς ἡ προαίρεσις, ἀφ' ἧς πᾶσα ἡ τῆς φύσεως συμφορὰ τὴν ἀρχὴν ἔσχεν.

[1] Naz. p. 681. D.

[2] Mat. 19.

27. declarat : et tum integrum curari hominem oportuisse docet, tum eam præsertim illius partem, quæ maxime laborabat, et infecta fuerat : « (1) adeo ut neutiquam uni parti medicina fieret, altera remedii maneret expers ; » quem sermonem deinceps latius prosequitur. Ita Cyrillus in commentariis in Joannem, « (2) Totam, *inquit*, hominum naturam sibi copulavit Dei Verbum, ut totum servaret hominem. Quod enim non est assumptum, neque servatum est. » Quam postremam brevemque sententiam a Gregorio Nazianzeno, ut proxime ante meminimus, prolatam, frequentarunt græci theologi : ut Joannes Damascenus (3). His consentanei sunt et alii Patres, ut Theodoretus dialogo secundo [1], Sophronius [2], Cæsarius [3].

XIII. Ex Latinis ut paucos commemorem, Faustinus imprimis libro contra Arianos, capite tertio [4], « Totus, *inquit*, Adam peccaverat, totus Adam expulsus de paradiso fuerat : totum suscipere debuit expulsum, qui totum salvare venerat. Non autem videbatur totum expulsum in se suscepisse, nisi illum suscepisset per substantiam carnis, et animæ. Hoc enim totus homo est per naturam. »

Tum Ambrosius Epistola 63. scribit, « adversus Apollinarem legitimam hanc esse circumspectionem, ut confiteamur, sicut in Dei forma nihil ei defuit divinæ naturæ et plenitudinis, sic in illa forma hominis nihil ei defuisse, quo imperfectus homo judicaretur, qui ideo venit, ut totum hominem salvum faceret. Neque enim decebat, ut qui perfectum opus in aliis consummaverat, hoc imperfectum in se esse pateretur. Si enim aliquid ei defuit, non totum redemit. Si non totum redemit, fefellit igitur, qui dixit ideo se venisse, ut totum hominem salvum faceret. Sed quia impossibile est mentiri Deum, non fefellit ergo : quia ita venit, ut totum redimeret, et salvum faceret ; totum utique suscepit, quod erat humanæ perfectionis. » Sic Prudentius in Apotheosi :

> Totum hominem Deus assumit, quia totus ab ipso est,
> Et totum redimit, quem sumpserat, omne reducens
> Quidquid homo est ; istud tumulis ; ast illud abysso.

Sed omnium plenissime Fulgentius id expressit non uno in loco. Ut in libro primo ad Trasimundum, capite sexto : « Revera homo salvari non potuit, *inquit*, si vel susceptor hominis naturaliter verus Deus non fuit, vel in Dei susceptione aliquid hominis defuit. » Et capite decimo, « Manifestum est, *ait*, quoniam hoc revocavit, quod propriis humeris reportavit. Si autem ipse totam se profitetur ovem propriis humeris impositam reportasse ; totus homo cognoscatur in Christo : quoniam hinc est hominis credenda redemptio, si in filio Dei susceptionis humanæ, id est, ovis illius reportatæ, non defuit plenitudo. Hoc enim Deus in nobis salvavit, quod pro nobis accepit. » Tum capite 13. « Filius Dei hoc adjuvat in homine, quod suscepit pro homine. » Vide totum illum librum ad Trasimundum, et quem de Incarnatione scripsit et gratia Christi [5]. Quibus omnibus in locis, illud ipsum asseverat, quod et alii Patres a nobis citati ; et quos, ne in longum disputatio hæc extraheretur, omisimus ; hoc solum in homine redemptum, quod Dei filius assumpsit : nec aliter repræsentari potuisse plenam, et perfectam humani generis salutem, quam si totum sibi copularet hominem Deus. Quod quidem ad summam, et absolutam illius omnipotentiam minime referendum est. Potuit enim, si sic ei libitum fuisset, etiam non assumpta natura hominis, hominem reficere, ac liberare, uti libro secundo demonstravimus [6]. Verum de eo loquuntur veteres, quod et maxime aptum, ac congruens videtur, et ex fixo jam semel, et constituto Dei consilio, ac decreto consequens erat.

(1) Idem Cat. orat. pag. 514. tom. 2. Καὶ μὴ τὸ μέν τι θεραπεῦσαι τῷ καθαρσίῳ, τὸ δὲ περιϊδεῖν ἀθεράπευτον.

(2) Cyr. in Joan. pag. 704. E. Ὅλην τοίνυν τῶν ἀνθρώπων φύσιν ἥνωσεν ἑαυτῷ ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος, ἵνα ὅλον σώσῃ τὸν ἄνθρωπον· ὃ γὰρ μὴ προσείληπται, οὐδὲ σέσωσται.

(3) Damasc. lib. 3. cap. 6. Τὸ γὰρ ἀπρόσληπτον ἀθεράπευτον, et cap. 18.

[1] Tom. 4. p. 48. — [2] In Syn. ep. Act. 11. sex. Syn. p. 165. — [3] Dial. 1. Inter. 25.

[4] Lib. contra Arian. tom. 4. Bib. 682. — [5] Maxime c. 6. et 7. — [6] Cap. 13.

CAPUT DUODECIMUM.

Arianorum, et Apollinaristarum argumenta præcipua, quibus humanæ Christi naturæ integritatem impugnabant. — 2. Cur Ariani animam Christo detraxerint. Primus illorum argumentandi locus, quod divinitas animæ vices ac mentis suppleret. — 3. Alterum argumentum, quod duo perfecta eidem inesse Christo non poterant, ubi de quaternario in Christo obiter nonnulla. — 4. Tertius locus argumentandi, quod si mens humana esset assumpta, cogitationes carnales, et vitiosæ in Christo fuissent, adeoque peccati expers non fuisset. Refellitur ista ratio ex eo, quod ne in Adamo quidem ante lapsum, ejusmodi fuerint. — 5. Athanasii locus quidam, quo Monotheletæ abusi sunt, exponitur : ac de voluntate γνωμικῇ pauca traduntur, quæ in Christo non fuisse dicitur. — 6. Aliud argumentum Apollinaris, quod duo essent ἡγεμονικὰ in Christo. Id vero confutatur : et de ἡγεμονικῷ aliqua disputantur.

I. Præter argumenta illa, quæ capite antecedente proposui, quibus animam a Verbo assumptam una cum corpore fuisse, veteres probant; unum postremo loco reservavimus ab Fulgentio proditum, ideo quod hujus tractatio accuratius disceptandæ quæstionis hujus, et Arianorum, Apollinaristarumque præsertim refutandorum occasionem nobis afferet. Sic autem decrevimus, præcipua illius hæresis firmamenta convellere, et evertere funditus hoc in capite. Non enim adeo stultos hæreticos illos fuisse putandum est, uti tam absonam, et abhorrentem opinionem in animum inducerent, nisi species illis quæpiam hac in quæstione esset objecta difficultatis, quæ vel eos reipsa commoveret, vel ad excusationem sponte esset ascita communis et catholici deserti dogmatis, et eosdem ab tarditatis, ac stupiditatis infamia vindicaret.

Igitur adversus Arianos humanæ in Christo negatores animæ disputans Fulgentius [1], hoc eos argumento lacessit. Causas afferri jubet, propter quas solum hominis corpus sibi Dei filius adjunxerit, animam neglexerit. Tum allatas e pluribus quatuor, inanes esse demonstrat. Continet autem illius disputatio rationem hanc potissimum, quam superiori extremo capite posuimus, quod quæ peccato maxime vitiata pars erat hominis, ea præsertim curanda, et assumenda fuerit. Nec pigebit totum hunc Fulgentii locum hic describere. Id enim tum doctrinæ, tum sermonis illius elegantia meretur. « Ad extremum, *inquit,* dicatur, cur ab illa ineffabili divinitate non fuerit animæ natura suscepta cum carne? utrum a Deo non fuerit facta? an peccato non fuerit vitiata? an carne viliorem universalis medicina despexit? an peccati vulnere sauciatam Omnipotens curare nequivit? Sed horum primum, postremumque qui sentiunt, et adversus virtutem Creatoris, et contra potentiam Salvatoris rebelles existunt : si vel aliquam creaturam putant a Deo non factam ; vel ad salutem animæ conferendam potestatem dicunt Omnipotentis invalidam. Duobus vero mediis nec peccatum considerant rationalis creaturæ, nec meritum : non intelligentes carne sua viliorem esse non posse, quæ vitam tribuit carni ; et illam gravius vulneratam, quæ per intelligentiam magis potuit resistere tentatori. Illa igitur omnipotens virtus, et pia sapientia nec despexit velut extraneam, quam a se noverat factam, nec sprevit sanandam, quam sciebat gravius vulneratam : nec eam, quam carne potiorem fecit, a remedio salutis exclusit. Sed sicut totum hominem diabolus decipiendo percussit, ita Deus totum suscipiendo salvavit : ut agnosceretur idem creaturæ totius conditor, et redemptor, qui potuit et quod non erat facere, et quod dilapsum fuerat reparare. »

II. Verum quod ad Arianos spectat, contra quos Fulgentius disserit, non tam rationibus aut istis, quas illic recenset, aut aliis quibusvis adductos illos esse constat, ut solam in Incarnationis sacramento corporis substantiam affingerent Christo Domino ; animam detraherent : quam unica illa, quæ et in primo libro, ubi de Arianorum Incarnationi adversantium hæresi agimus, et initio capitis antecedentis exposita est : ut hoc posito, primarium caput adstruerent nefarii sui dogmatis : dissimilem esse substantia Patris Filium ; utpote patiendi capacem. « (1) Etenim si inanimum existimemus esse Dominicum corpus, ait Cæ-

(1) CÆSAR. dial. 1. inter. 26. tom. 11. bibl. p. 562. E. Εἰ ἄψυχον εἰκθῶμεν τὸ κυριακὸν σῶμα, ἕψεται πάντως, παθητὴν ἀποφαίνειν τὴν θεότητα, ψυχῆς δίκην ἐν τῇ σαρκὶ διήκουσαν, πείνῃ τε, καὶ δίψει, ὕπνῳ τε, καὶ δακρύσιν, ἀγωνίᾳ τε, καὶ ἱδρῶτι φυσικῶς ὑποκύπτουσαν.

[1] Lib. 1. contra Trasim. cap. 14.

sarius, prorsus consequens erit patibilem pronuntiare deitatem, quæ carnem pervadat instar animæ, ac fami, siti, somno, lacrymis, angori, et sudori naturaliter obnoxia sit. » Sed hac seposita ratione, quæ ad Arianam proprie dictam hæresim pertinet, Trinitatis inimicam; nonnullæ aliæ sunt excutiendæ, quibus Apollinaris potissimum fretus dimidiatæ animæ commentum adstruebat.

Has inter illa fuit apud ipsos usitatissima, sed imbecilla oppido, quam ex Joannis evangelistæ verbis istis petebant, *Verbum caro factum est*. De qua nihil hic dicam; cum integrum jam supra disputationi isti caput exemerim [1]. Hac igitur argumentatione prætermissa, prima illa commemoranda est, quam Gregorius Nazianzenus in priore ad Cledonium epistola profert : « (1) Quod divinitas Christi sufficeret, quæ vicem mentis expleret in ejus anima. » Contra hoc vero Gregorius excipit sic : « Quid autem hoc ad me? Nam divinitas cum sola carne, homo non est, sed neque cum sola anima : neque cum ambobus, si mentem abstuleris : quæ etiam magis homo censetur. Quare totum hominem retine, et divinitatem admisce, ut plenum, ac perfectum in me beneficium conferas. » Tanquam hoc dicat, non id solum in Incarnatione desiderari, ut quoquo modo mente, ac ratione præditus sit Redemptor; sed illud imprimis, ut verus, et perfectus homo sit, quod esse sine mente nequit omnino.

III. Alterum argumentum paulo dignius est, cujus ratio ducatur. « (2) Atqui duo, inquiebat Apollinaris, perfecta non capiebat Christus : » hoc est naturæ duæ perfectæ in unam personam concurrere non poterant. Respondet idem Gregorius, valere hanc rationem in iis duntaxat, quæ instar corporum animo describuntur. Vas enim unius modii capax, duos minime continebit; neque corporis unius locus duo corpora. At in intelligibilibus, et corporis expertibus rem secus habere. Hæc enim plura esse simul, atque etiam pervadere, ac penetrare se posse. Quæ Gregorii verba alibi descripsi [2], cum de angelorum loco disputarem. Addit præterea, perfectam rem aliquam dici, quæ cum altera comparata imperfecta censeatur. Sic mentem nostram, si cum Deo conferatur, haud esse perfectam. Ita Gregorius tum in illa oratione sive epistola potius ad Cledonium; tum in carmine de Incarnatione [3], contra Apollinarem, ubi de hoc eodem agit. Cujus ad responsionem addenda est et illa ratio, quam attuli supra [4] : Perfecta duo in unum coalescere non posse ab ea parte, qua sunt ambo perfecta; siquidem duo inter se committi nequeunt propria et substantiva copulatione, nisi alterum sit δυνάμει, alterum actu. Cum igitur naturæ, qua naturæ sunt, perfectæ in suo genere sint ἐντελέχειαι; unum aliquid per se fieri ex ambobus nequit. Fit autem persona una vel suppositum : eo quod humana per sese natura proprio subsistendi modo caret, et hac ratione, δυνάμει, id est *potentia* esse censetur.

Ceterum referri istic potest Apollinaristarum trita in Catholicos illa calumnia, qua τετράδα ab iis pro Τριάδι constitui jactitabant. Hæc enim ex eo præsertim firmari videtur, quod quartum aliquid suo in genere perfectum ad Trinitatem apponitur. Hinc etiam Apollinaris in opusculo quodam de fidei Expositione scribebat [5], « Filium Dei factum esse filium hominis; qui non nomine, sed veritate carnem ex Maria virgine assumpsit : et esse unum perfectum, non duo perfecta. » Sed de hac Apollinaris sophistica versutia dixi pluribus capite decimo libri hujus.

Indidem et altera cavillatio ejusdem hæretici pendet, quam Leontius ibidem refert. « Si homo est, aiebat Apollinaris, ex toto, et idem Deus, mens pia, hominem quidem non adorans, Deum vero adorans, reperietur eumdem adorare, et non-adorare : quod fieri non potest, etc. Est autem impossibile, eumdem esse adorabilem, et non adorabilem. Est igitur impossibile eumdem esse Deum, et hominem ex toto. » Huic argutiunculæ tunc occurremus, cum agetur de adoratione Christi. Interim illud admonemus; Apollinaristas propterea solitos esse convicium hoc in Catholicos jacere, ut eos ἀνθρωπολάτρας, id est *hominicolas* vocarent, eo quod perfectum in Christo confiterentur hominem : atque hos vicissim σαρκολάτρας illos nominasse, quasi *carnicolas*, eo quod solam carnem illi eidem affingerent, ut in libro primo, capite sexto meminimus [6].

IV. Tertius argumentandi locus est ex

(1) Nazianz. orat. 51. pag. 740. Ἀλλ' ἤρκει, φησὶν, ἡ θεότης ἀντὶ τοῦ νοῦ. Τί οὖν πρὸς ἐμὲ τοῦτο; θεότης γὰρ μετὰ σαρκὸς μόνης οὐκ ἄνθρωπος· ἀλλ' οὐδὲ ψυχῆς μόνης οὐδὲ ἀμφοτέρων χωρὶς τοῦ νοῦ, ὃ καὶ μᾶλλον ἄνθρωπος. Τήρει οὖν τὸν ἄνθρωπον ὅλον, καὶ μίξον τὴν θεότητα, ἵνα με τελέως εὐεργετῇς.

(2) Ibid. pag. 741. Ἀλλ' οὐκ ἐχώρει, φησὶ, δύο τέλεια.

[1] Vide lib. 4. cap. 2. — [2] Lib. 1. de Ang. c. 13. § 15. — [3] Naz. Carm. pag. 247. — [4] Vide l. 3. c. 10. § 6.

[5] Apud Leont. tom. Bibl. p. 2. 1041. — [6] § 9.

animæ ratione præditæ, ac mentis humanæ statu, ac natura. « (1) Nam si totum ac perfectum suscepit hominem Deus, consequens est, humanas in eo cogitationes extitisse. Fieri autem non potest, ut non sit in humanis cogitationibus aliquid peccati. Quinam ergo peccati expers erit Christus? » Addebant insuper, illam ab Apostolo [1] infamatam carnis prudentiam, hoc est φρόνημα τῆς σαρκὸς, esse animam, aut mentem, ut scribit Theophilus Alexandrinus in epistola prima Paschali [2]. *Sapientia,* inquit Apostolus, *carnis mors est.* Et, *Sapientia carnis, inimica est Deo. Legi enim Dei non subjicitur : nec enim potest.* Ubi φρόνημα τῆς σαρκὸς interpretatur Chrysostomus, « (2) terrenam cogitationem, et crassam, atque in bonorum præsentium procurationem, et in malas actiones intemperanter effusam. »

Apollinaris ipse in quadam epistola ad episcopos Diocæsareæ [3] : « Confitemur, *inquit*, non ad hominem sanctum venisse Verbum Dei, quod erat in prophetis; sed ipsum Verbum carnem factum esse, non assumpta mente humana, mente mutabili, quæ turpibus cogitationibus captiva ducitur; sed divina mente immutabili, et cœlesti. » Et in Expositione quadam fidei docet, « Deum totum hominem non assumpsisse : quandoquidem totus homo non est purus omnis peccati in hac via, secundum Scripturas : quia non potest facere, ut actiones suæ cum divinis actionibus in unum et idem conspirent : et ob eam causam neque esset liber a morte. Deus autem humanæ carni unitus puram habet propriam actionem, cum sit mens invicta, quæ passionibus animæ, et carnis succumbere non potest. » Itaque, « Metus est (ait Ambrosius de hac Apollinaris hæresi loquens [4]) ne sensu Christus laberetur humano. Dicunt quippe, quia concupiscentia carnis legi mentis repugnet. » Quod si responderes, mentem in homine Christo a prolapsione divina vi cohibitam fuisse, opponebant statim id, quod Athanasius in eodem libro de Incarnatione prodidit : « (3) Si natura peccati rea peccatum in Deo non fecit : necessitate ergo continetur. Quod autem necessitate cohibetur, violentum est. »

Hæc ab antiquis iisdem, qui referunt, Patribus, nullo negotio dissolvuntur. Athanasius imprimis [5], negat vitiosas hujusmodi cogitationes, sive affectus, in humana Christi natura fuisse. Non enim ab ipso conditu primi hominis tales extitisse : alioqui vitiositatis, et labis illius auctor esset idem, qui naturæ fuit. Sed ex peccato esse collectam illam in anima hominis et mente perniciem. Quare in Adamo ante lapsum neutiquam cogitationes istas, quæ concupiscentiæ vocabulo censentur, extitisse. « (4) Sed postquam Dei mandatum prætergressus est, talibus cogitationibus obstrictus esse cœpit : non quod Deus in captivitatem agentes cogitationes istas creaverit, sed quod diabolus ex fraude ac deceptione illas super rationali hominis natura seminaverit, postquam in transgressione legis constituta est, et a Deo rejecta. Adeo ut diabolus tum legem peccati in hominis natura collocaverit, tum mortem per opus peccati regnantem. » Propterea itaque [6] *venit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Hic Athanasii locus vel eo memorabilis est, quod illustre testimonium continet originalis noxæ, et corruptelæ indidem in hominum genus illapsæ, quo Pelagiana perfidia convinci potest. Cum ergo Christus nulla prorsus contagione sit infectus Adami peccatoris, immunis fuit ab istiusmodi fæce cogitationum, et illecebra carnis.

V. Atenim, instat apud eumdem Athanasium Apollinaris, hoc ipso *diaboli opera dissolvit* Christus, quod nullum peccatum ipse commisit. Verum nihil hoc erat, respondet ille : « (5) nec est ista peccati dissolutio. Non

(1) ATHAN. de Salut. adven. pag. 497. Ἀλλὰ λέγετε, ὅτι εἰ πάντα ἔλαβε, πάντως δήπου καὶ τοὺς ἀνθρωπίνους λογισμοὺς εἶχεν. Ἀδύνατον δὲ ἐν λογισμοῖς ἀνθρωπίνοις ἁμαρτίαν μὴ εἶναι, καὶ πῶς ἔσται χωρὶς ἁμαρτίας ὁ Χριστός;

(2) CHRYS. Γεώδη λογισμὸν, τὸν παχὺν, τὸν πρὸς τὰ βιωτικα, καὶ τας πονηρὰς πράξεις ἐπτοημένον.

(3) ATHAN. ibid. pag. 499. Πάλιν δὲ λέγετε· εἰ ἡ ἁμαρτήσασα φύσις ἐν Θεῷ γέγονεν ἁμαρτίαν μὴ ποιήσασα, ἀνάγκῃ τοίνυν κατέχεται. Τὸ δὲ ἀνάγκῃ κατεχόμενον, βίαιόν ἐστιν.

(4) ATHAN. ibid. pag. 497. Παρακούσας δὲ τῆς ἐντολῆς τοῦ Θεοῦ ὑποπέπτωκε τοῖς τοιούτοις λογισμοῖς, οὐ τοῦ Θεοῦ δημιουργήσαντος τοὺς αἰχμαλωτίζοντας λογισμοὺς, ἀλλὰ τοῦ διαβόλου ἐξ ἀπάτης ἐπισπείροντος τῇ λογικῇ φύσει τοῦ ἀνθρώπου ἐν παραβάσει γενομένῃ, καὶ ἀπωσθείσῃ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ. Ὥστε τὸν διάβολον καὶ νόμον ἁμαρτίας καταστήσασθαι ἐν τῇ φύσει τοῦ ἀνθρώπου, καὶ θάνατον βασιλεύοντα διὰ τοῦ ἔργου τῆς ἁμαρτίας. Διὰ τοῦτο οὖν ἦλθεν ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ἵνα λύσῃ τὰ ἔργα τοῦ διαβόλου.

(5) Ibid. Ἀλλὰ λέγετε· ἔλυσε μὴ ἁμαρτήσας, ἀλλ' οὐκ ἔστιν αὕτη λύσις τῆς ἁμαρτίας. Οὐ γὰρ ἐν ἐκείνῳ ἀρχῆθεν εἰργάσατο ὁ διάβολος τὴν ἁμαρτίαν, ἵνα ἐλθόντος αὐτοῦ εἰς τὸν κόσμον, καὶ μὴ ἁμαρτήσαντος λυθῇ ἡ ἁμαρτία. Ἀλλ' ἐν τῇ λογικῇ, καὶ νοερᾷ φύσει τοῦ ἀνθρώπου ἀρχῆθεν εἰργάσατο διάβολος τὴν ἁμαρτίαν. Διὰ τοῦτο ἀδύνατον γέγονε τῇ φύσει λογικῇ οὔσῃ, καὶ ἑκουσίως ἁμαρτησάσῃ, καὶ ὑπὸ καταδίκην θανάτου γενομένῃ ἑαυτὴν ἀνακαλέσασθαι εἰς ἐλευθερίαν.

[1] Rom. 8. 6. — [2] Tom. 3. Bib. c. 84. — [3] Apud Leont. tom. 4. Bib. 1040. — [4] Lib. de Inc. c. 7. — [5] Pag. 497. — [6] 1. Joan. 3. 8.

enim in Christo ipso diabolus ab initio peccatum operatus est, ut in mundum ipso veniente, et non peccante, peccatum solveretur : sed in ratione, intelligentiaque prædita hominis natura peccatum initio diabolus effecit. Ideo impossibile fuit rationali naturæ, quæ voluntate sua peccaverat, et damnationi mortis erat obnoxia, semetipsam revocare in libertatem, etc.» Caruit itaque cogitationibus istis, et affectionibus carnis propriis, ac depravatis anima Christi.

Epiphanius in hæresi Dimœritarum, sive Apollinaristarum, quæ est septuagesima septima, illum eumdem refellens errorem, usitatum quoque refert eorum, ac dissolvit argumentum : (1) quod si Christus mentem assumpsisset humanam, cupiditate minime caruisset, quæ est origo peccati. Cui respondet : (2) Quemadmodum ita carnem ascivit, ut nullum carnis defectum, labemque senserit, sic assumpta mente, nihil ea, quod divinitate indignum esset cogitasse : sed quæcumque rationi erant consentanea : ne veræ suæ incarnationis ordinem, administrationemque turbaret. Addit insuper, corruptelam homini insitam non ex mente proficisci, nec in eum finem homini concessam : sed ad rectum, et naturalem usum, minimeque vituperandum : ac potius *carnis* nomen ex usu sacrarum litterarum infamia laborare, quam mentis, sed nec illam tamen per sese malam, ac pœnitendam esse ; posseque quod in ea bonum est, ab vitio secerni. Hæc, et iis plura S. Epiphanius adversus Apollinaris hæresim.

Sane tantum abest, ut idcirco mens detrahenda sit humanæ Christi naturæ, ne peccati capax habeatur, ut eo potius nomine tribuenda illa sit, ne plurimum, si desit, de ipsius dignitate decedat. Sic enim elevari necesse est, « quod cum magno prædicationis miraculo Petrus commendat in Christo (ait Fulgentius [1]), [2] *quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Nam si Dei filius animam humanam (quod idem et de mente dici oportet) in carnis susceptione non habuit, et hoc beatus Petrus de ejus creditur divinitate dixisse, quid est, quod pro magno in laudem dicitur Christi, quia divinitas ejus immunis esse potuit a labe peccati, cum Dei sit proprium non solum non peccare, sed etiam a peccato salvare ? »

VI. Hinc etiam aliud ejusdem Apollinaris argumentum diluitur, quod duo in eadem persona Christi constituantur ἡγεμονικὰ, hoc est duæ principales ac moderatrices humanarum actionum facultates, si mentem humanitatis propriam habuerit; hæc ipsa nimirum, et divinitas. Cujus pleniori enodatione dilata in eum locum, ubi de voluntate Christi disputabitur, hac interea Maximi martyris sententia contenti erimus : qui duo principalia negans in Christo fuisse, cum naturæ essent integræ duæ, similitudine hoc ista declarat : « (3) Quemadmodum, *inquit*, lana alba purpuræ colore tincta, non est bicolor, sed unius duntaxat coloris; sic in assumpta natura, deificata hominis mente, non sunt duo principalia Deus et mens; sed unum; videlicet qui divinam mentem effecit Deus. » Quo in loco minime est existimandum voluisse Maximum sic exstinctam, ac velut erasam fuisse mentem in Christi anima ex consortio divinitatis, quemadmodum lanæ candor aboletur purpuræ rubore suffectus. Sed in eo potius comparatio valet, quod salva, et integra manente anima, ejusque principali parte, quæ est mens, non eâ tamen principatum tenuit actionum : sed cum ex toto divinitate esset imbuta, et inuncta, ad hujus se ductum, ac rectionem applicavit. Agebat itaque divina mens humanam in Christo mentem, eamque gubernabat. Siquidem vel adoptivi *filii sunt ii, qui spiritu Dei aguntur*, ut ait Apostolus [3]. Quanto proprius excellentiusque naturam, ac mentem propriam Deus ipse moderabatur, impulsuque suo quam vellet in partem flectebat? In quod intuens Apostolus [4], *caput mulieris virum esse* dixit; *caput viri Christum; caput vero Christi, Deum.* Quæ vox *capitis* τῷ ἡγεμονικῷ respondet; et ipsum *juris*, *auctoritatis*, ac *potestatis* vocabulis continetur. Sic *mulieres in potestate tutorum* Romanæ leges esse voluerunt, ut ait

(1) EPIPH. hær. 77. § 27. Ἀλλὰ, φησὶν, οὐ λέγω ὅτι νοῦν εἴληφεν ἀνθρώπινον· ἐπειδὴ γὰρ ἐν ἡμῖν ἐπιθυμητὴς ὁ νοῦς τυγχάνει, etc.

(2) Ibid. Ὡς οὖν ἐν τῇ σαρκὶ ἠλαττώθη, καίπερ ἀληθινὴν σάρκα ἔχων ἐλθὼν ὁ Λόγος, οὐδὲ ἐν τῷ νῷ τὰ μὴ πρέποντα τῇ αὐτοῦ θεότητι διανενόηται· ἀλλ' ὅσα ἦν εὔλογα σαρκὶ, καὶ ψυχῇ, καὶ νῷ ἀνθρωπίνῳ, etc.

(3) MAXIM. apud Euth. Panopl. tit. 7. pag. 134. Καθάπερ τὸ λευκὸν τῆς ἐρέας καταχρωσθὲν χρώματι πορφύρας οὐκ ἔστι δίχρωμον, ἀλλὰ μονόχρωμον· οὕτως ἄρα καὶ ἐν τῷ προσλήμματι θεωθέντος τοῦ ἀνθρωπίνου νοῦ, οὐ δύο ἡγεμονικά εἰσι, Θεὸς καὶ νοῦς, ἀλλ' ἓν, ὁ θεώσας τὸν νοῦν Θεός.

[1] Fulg. 1. ad Tras. c. 11. — [2] 1. Pet. 2. 22.

[3] Rom. 8. 14. — [4] 1. Cor. 11. 3.

Cicero [1], et pupilli sub auctoritate ac potestate itidem sunt tutorum : quia nihil injussu illorum agere possunt, *excepto si quid Masuri rubrica notavit.* Ut autem in rebus natura constantibus principium motus in eo constituitur, quod nullius impulsu movetur : ipsum autem movet cetera : sic in illis, quæ *moralia* vocantur, principium agendi, quod est τὸ ἡγεμονικόν, nullius ordinariæ potestati subest, a quo regatur, et moveatur, cum ab eo moveantur, gubernenturque reliqua. Sed hæc quatenus ad Christum, et ejus οἰκονομίαν pertinent, accuratiorem inquisitionem postulant, quam alias adhibebimus.

VII. Ridicule vero Apollinaris idem integritatem hominis in Christo, velut stipula saxum, hac ratione pulsabat : « (1) Si Christus homo perfectus esset, mundi pars fuisset. Atqui mundi pars mundo salutem nequit afferre. » Futile argumentum, et utrinque mancum, et imbecillum. Nam et negari potest id quod assumitur, non potuisse mundi partem toti mundo esse salutarem : cum e contrario per eum salus mundi, id est humani generis, repræsentari debuerit, qui nostri similis, et homo verus esset, uti supra declaratum est. « (2) Quinam Christus, ait Athanasius, mundum non servat homo factus ; cum perspicue constet, in qua natura commissum est peccatum, in eadem abundasse gratiam ? » Et ut verum illud effatum esse fateamur ; negare vicissim istud licebit, Christum mundi fuisse partem : quippe qui non homo simplex erat, sed Deus homo, ac divina persona, cujus conditio mundo omni præstantior est.

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

Ecquid Christus dicendus sit ex tribus constare substantiis. — 1. Nonnullorum Patrum affirmantes sententiæ. — 4. Aliorum negantes. — 6. Etsi magis propria sit locutio ista, quæ Christum ex duabus naturis compositum esse dicit : non ea tamen damnanda, quæ ex tribus constituit.

I. Hinc nova, neque valde difficilis existit quæstio, de qua nihil omnino dicerem, nisi eam ab viris doctis acriter, ac serio pertractatam viderem, et eos ipsos non eadem hac de re judicia fecisse. Proponam breviter paucorum, qui non occurrunt, paululum dissimiles de illa sententias : tum quatenus inter se conciliari debeant, quod est non magni negotii, haud pluribus, quam necesse sit, ostendam. Est autem id, de quo quæritur, ejusmodi : utrum Christus ex tribus substantiis constare dicendus sit. Nam ex duabus illum naturis quodammodo componi, demonstratum est in libro tertio [2]. Harum item alteram, quæ est humana, conflatam ex anima esse, atque corpore, proxime antecedentia capita docuerunt, ex quo, annumerata divina, triplex confici substantia videtur.

Totidem certe Justinus in Apologia priore percenset, dum « (3) Christum ex toto rationalem fuisse » dicit, « corpore, Λόγῳ, et anima, » ubi Λόγον intelligit Deum hominem factum ; qui cum Λόγος græce nominetur, latinis vocibus, tum *rationis*, tum *sermonis*, ac *Verbi* respondet : ut alias dixi [3]. Itaque statim Justinus Λόγον esse Christum declarat.

Augustinus item in libro 13. de Trinitate capite 17. cum ita scribit : « Sic Deo conjungi potuit, *inquit*, humana natura, ut ex duabus substantiis fieret una persona : ac per hoc jam

(1) ATHAN. ibid. pag. 498. Ἀλλὰ πάλιν λέγετε· εἰ ἄνθρωπος ὁ Χριστὸς, μέρος ἔσται τοῦ κόσμου. Μέρος δὲ κόσμου κόσμον σῶσαι οὐ δύναται.

(2) Ibid. Πῶς οὖν ὁ Χριστὸς οὐ σώζει κόσμον ; γενόμενος ἄνθρωπος, ὁπότε δὴ πρόδηλον ὅτι ἐν ᾗ φύσει ἐπράχθη ἡ ἁμαρτία, ἐν αὐτῇ γέγονεν ἡ περισσεία τῆς χάριτος.

(3) JUSTINUS pag. 37. Διὰ τοῦτο λογικὸν τὸ ὅλον τὸν φανέντα δι' ἡμᾶς Χριστὸν γεγονέναι καὶ σῶμα, καὶ Λόγον καὶ ψυχήν.

[1] Orat. pro Mur. — [2] Cap. 12. et seq.

[3] Lib. 6. de Trin. c. 1.

ex tribus, scilicet Deo, anima, et carne, » manifeste docet, perinde ex tribus, atque ex duabus substantiis, unum constare Christum. Et in Enchiridio capite 35. « Homo, *inquit*, Christus est, quia in unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis, et caro. » Leo item papa epistola 11. « Verbum, *ait*, et caro, atque anima unus Jesus Christus, et unus Dei hominisque filius. »

Ferrandus quoque diaconus Fulgentii discipulus in epistolam ad Severum [1], « Hic vero si requiras, *ait*, quid est totum Christus; respondeo, Verbum Dei, anima rationalis, et caro. Sive enim Verbum dicas, totus est Christus; sed non totum, nisi adhibeas animam rationalem, et corpus. Sive animam rationalem dicas, totus est Christus, sed non totum, nisi adhibeas Verbum, et carnem. Sive carnem dicas, totus est Christus, sed non totum, nisi adhibeas Verbum, et animam rationalem. »

Rursus Theodoretus in quinto libro Hæreticarum fabularum, « (1) Verbum assumpsisse *ait* corpus, et animam ratione præditam. Non enim trifariam hominem Scriptura partitur, sed ex anima et corpore animal istud constare dicit. » Quod adversus Apollinaristas scriptum est a Theodoreto; qui mentem ab anima separantes, tres in homine partes adjuncta carne statuebant.

II. Sic Isidorus Hispalensis in libro primo de Differentiis [2], « Nos ex duabus, *inquit*, subsistimus substantiis, corporis quidem et animæ: ille ex tribus, Verbi, corporis, et animæ. » Quem imitata Toletana synodus undecima, primum [3] *duas in Filio* dixit *esse naturas :* deinde, « Idem Christus, *ait*, in his duabus naturis tribus extat substantiis : Verbi, quod ad solius Dei essentiam referendum est : corporis, et animæ, quod ad verum hominem pertinet. Habet ergo in se geminam substantiam, divinitatis suæ, et humanitatis nostræ. »

Sed quæ paucis post annis hanc secuta est Toletana 15. synodus [4], pluribus de hac quæstione disseruit, et utrumque recte ac catholice pronuntiari posse decrevit, sive duas Christi substantias, sive tres. Cum enim Hispani præsules in epistola quadam ad Sedem apostolicam missa, tres substantias Christo Domino tribuissent, idque Benedictus secundus Romanus pontifex incaute dictum videri sibi significasset; post biennium Toleti coacti episcopi, Sergio Romano Pontifice, sese purgarunt : et utriusque rationem reddiderunt, tam duarum scilicet in Christo substantiarum, quam trium. Ac priorem loquendi modum tropicum esse docuerunt, in quo vel anima sola, vel caro adjungitur Verbo, et pro toto pars usurpatur, quæ est synecdoche : ut cum Scriptura dicit, *Verbum caro factum est.* Statim enim altera cum ea, quæ est expressa, tacita pars intelligitur. Cum autem « non tropice, sed proprie Patres hominem totum a Christo susceptum esse fatentur, » utramque partem diserte nominare asserunt. Denique ex duobus iis loquendi modis, licet neuter culpari debeat, posteriorem præferendum esse sentiunt. Potest enim sub priore latere dolus Apollinaristarum, vel Arianorum; qui nihil præter carnem, aut inferiorem animæ partem, assumpsisse putant Dei filium. « In hac vero nostra professione, aiunt Hispani episcopi, ubi præmissa Verbi substantia, specialiter duas hominis in una Christi persona substantias profitemur, nullus potest accidere, vel suspicari fraudulentiæ dolus : quando evidenter in Deo assumptus prædicetur homo totus. Tutior ergo pars est, quæ totum dicit, quam quæ aliquid supprimit : et plus claret, quod proprie dicitur, quam quod arcta tropice locutione firmatur. » Hæc Toletani præsules.

III. His suffragantur Etherius [5], et Beatus in libro primo contra Elipandum : « Homo, *inquit*, ex duabus substantiis una persona est, et habet nomen, Petrus; et Christus ex tribus substantiis, duabus naturis una persona est, et habet nomen, Christus. » Item Bernardus in libro quinto de Consideratione, capite 9. ubi, « In Christo, *ait*, Verbum, animam, et carnem sine confusione essentiarum unam esse personam, et item absque præjudicio personalis unitatis in sua numerositate manere. » Ac subinde, « Decuit, *inquit*, et cum summa, quæ in Deo est, et Deus est, unitate congruere, ut quomodo ibi tres personæ, una essentia, ita hic convenientissima quadam contrarietate tres essentiæ sint una persona. » Et capite sequente decimo, « tria illa sata de Evangelio mixta, et fermentata in panem

(1) Theodoretus lib. 5. cont. hær. cap. 11. p. 279. D. Τούτου δὴ χάριν καὶ σῶμα, καὶ ψυχὴν ἀνέλαβε λογικήν. Οὐ γὰρ τριχῆ διαιρεῖ τὸν ἄνθρωπον ἡ γραφή. Ἀλλ' ἐκ ψυχῆς, καὶ σώματος τόδε τὸ ζῶον συνεστάναι φησί.

[1] Ferrand. to. 3. Bib. PP. p. 340. E. — [2] Num. 6. — [3] In Prof. fid. tom. 4. Conc. p. 818.

[4] Tom. 5. Conc. p. 410. et 411. — [5] Tom. 4. Par. 2. Bib. PP. 494. B.

unum, » ad tria pertinere putat, quæ in Christo reperiuntur. Idem sermone tertio in vigiliam nativitatis Domini, « Verbum, *inquit*, et anima, et caro in unam convenere personam, et hæc tria unum, et hoc unum tria; non confusione substantiæ, sed unitate personæ. » Et ante hunc Stephanus Eduensis episcopus in libro de Sacramento altaris, capite 17. « Credimus, *ait*, in Christo duas fuisse naturas; divinam, et humanam, et tres substantias, divinam, carnem, et animam. » At nonnulli adeo tribus illis constare Christum arbitrati sunt, ut in hac opinione etiam modum excesserint; cujusmodi fuere, quorum Magister sententiarum meminit, et nos ex eo supra [1], qui ex tribus de humanæ naturæ cum Verbo copulatione sententiis tertiam amplexi sunt, quæ cum anima ac corpore non conjunctis, sed separatim singulis Verbum unitum esse statuit. Vide quæ de hac opinione loco illo scripsimus.

IV. At vero substantias in Christo tres dici non oportere asserit imprimis Leontius libro primo contra Nestorium et Eutychem. Nam [2] « Divisionem, *ait*, totius in partes facimus: dividere autem in partes partium post primam divisionem ridiculum est. » Alioqui non solum duæ numerandæ erunt hominis partes, sed etiam plures. Siquidem anima in varias facultates distribui potest, ut irascendi, concupiscendi, ratiocinandi. Corpus idem diversa in membra partiri licet, caput, pedes, manus, et cetera. « Sicut ergo ad significanda hæc omnia satis est dicere, carnem, vel corpus hominis, et rursus satis est nominando animam rationalem, declarare partes in quas divisa est, etc. Sic satis est nominasse hominem, vel naturam hominis ad declaranda omnia, ex quibus compositus est, et in quibus esse cognoscitur. » Itaque « partes Christi non confusæ sunt divinitas, et humanitas: anima vero et corpus non sunt partes Christi, sed partes partis. »

Observat autem eo in loco Leontius, Acephalos illam tribus ex substantiis compositionem in Christo Catholicis objecisse, ut eos a duabus profitendis in eodem naturis absterrerent; tanquam hoc posito, alterum, quod manifeste absurdum videtur, sit consequens.

Joannes item Damascenus in libro tertio de Fide, capite 16. non putat dicendum esse, Christum ex tribus illis componi substantiis. « (1) Etenim omnis, *ait*, compositio ex iis duntaxat, quæ proxime componuntur, fieri dicitur. Non enim dicimus, domum ex aqua et terra compositam esse, sed ex lateribus, et lignis. Alioqui necesse erit dicere, hominem ex quinque, ut minimum, constare naturis, nempe ex quatuor elementis, et anima. Sic in Jesu Christo Domino nostro, non partes consideramus partium, sed ea, quæ proxime inter se componuntur, divinitatem, et humanitatem. »

V. Francofordiensis synodus in epistola synodica ad episcopos Hispaniæ, contra Elipandum Toletanum episcopum [3], « Nec negamus, *inquit*, et nos, Christo hæc tria veraciter inesse, divinitatem scilicet, animam, et corpus. Sed quia vere Deus et homo dicitur, in Dei nomine totum quod Dei est designatur, in hominis vero totum quidquid hominis est intelligitur; ideo sufficit, in eo unam perfectam divinitatis, et alteram perfectam humanitatis confiteri substantiam. Aliud est enim, contra hæreticos contendere: aliud vero puram fideliter fidem confiteri. Ibi enim veritas animæ, et carnis in Christo offerenda erat; hic perfecta humanitas in eodem confitenda est. »

Ad eamdem synodum pertinet *libellus Sacrosyllabus* a Paulino Aquileiensi contra Felicem Urgelitanum, et Elipandum Toletanum editus: quem Synodus ad provincias Galiciæ, ac Spaniarum mittendum decrevit. Quo in libello copiose de hoc argumento disputatur, atque inter cetera leguntur ista [4]: « Sunt etiam plerique, qui adstruunt ex tribus substantiis unam Mediatoris personam, Verbi, carnis, et animæ; cum in causa fidei non videatur necessarium sophistica disputatione secularium litterarum calculos syllogistica spargere manu. Suffecerat enim, juxta præcedentium catholicorum Patrum saluberrimæ promulgationis doctrinam, sincera simplicitatis voce, ex utraque natura unam personam confiteri veri Dei, verique hominis Christi,

(1) DAMASC. pag. 144. Ἔτι δὲ πᾶσα σύνθεσις ἐκ τῶν προσεχῶς συντεθέντων συντεθεῖσθαι λέγεται. Οὐ γὰρ λέγομεν τὸν οἶκον ἐκ γῆς καὶ ὕδατος συντεθεῖσθαι, ἀλλ' ἐκ πλίνθου, καὶ ξύλων, ἐπεὶ ἀνάγκη καὶ τὸν ἄνθρωπον λέγειν ἐκ πέντε τοὐλάχιστον συγκεῖσθαι φύσεων, ἔκ τε τῶν τεσσάρων στοιχείων, καὶ ψυχῆς· οὕτω καὶ ἐπὶ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ οὐ τὰ μέρη τῶν μερῶν σκοποῦμεν, ἀλλὰ τὰ προσεχῶς συντεθέντα, θεότητά τε καὶ ἀνθρωπότητα.

1 Lib. 4. c. 11. — 2 Tom. 4. Bib. par. 1. col, 966. B. — 3 Tom. 6. Conc. p. 175.

4 Tom. 6. Conc. pag. 170. B. C. 2. et tom. 4. Bib. PP. col. 320.

divina scilicet, et humana; sed propter eos utique, qui semiplenam sine anima rationali, et ad vicem animæ divinam naturam in carnis dispensatione adsumptam suspicantur, cum Psalmista alacri pectore dicat: Ecce enim Deus adjuvat me; et Dominus susceptor est animæ meæ. » Et paucis interpositis : « Non ignoramus, *ait*, ex duabus substantiis humanam subsistere naturam, ex anima nimirum, et carne; sed unum sine altero perfectum non efficit hominem. Quid enim caro sine anima, nisi terra? et quid anima sine carne? nonne spiritus? Homo enim ex utroque, et non ex uno. Unde quia redemptor noster perfectum hominem assumpsit in Deum, idcirco ex duabus naturis Deum et hominem confitemur. » Addit etiam id, quod et Joannes Damascenus objicit; eodem jure, quo ex tribus substantiis compositum dixerimus esse Christum, hominem ipsum ex quinque licere compositum dicere; nempe ex elementis quatuor, et quinta anima; quibus accedente Verbo, ex quinque substantiis constabit Christus.

Sic Rusticus diaconus [1] objicienti hæretico Acephalo, si duæ naturæ distinguantur in Christo, eodem modo tres in illo substantias posse constitui; non eamdem amborum rationem esse respondet, quoniam substantiæ illæ, ex quibus homo constat, perfectæ non sunt naturæ; sunt autem perfectæ duæ illæ, ex quibus componitur Christus. « Qui autem tres dicit, imperfecte perfecta connumerat divinitati. »

VI. Quocirca vera hæc est, et germana ratio, quam hic Rusticus, et alii citati supra Patres afferunt, cur non perinde, nec tam proprie Christus ex tribus naturis, vel substantiis conflatus esse dicatur, quam ex duabus, quod cum perfectis imperfectæ numerari non debeant, hoc est partes duæ cum tota, et perfecta Dei natura. Hujusmodi enim unitio illa personalis est, quæ Christum efficit, ut ea ipsa dicatur esse, ex quibus constat. Est enim tum Deus, tum homo Christus; necnon hic Deus, vel hic homo est Christus : et vicissim Christus est hic homo, et hic Deus. Quod ipsum in animam, et corpus carnemve non competit. Non enim Christus est anima rationalis, vel corpus; nisi quod tropice, et κατὰ συνεκδοχὴν, nonnunquam caro dicitur, ut totus intelligatur homo, atque perfectus. Hoc illi significare voluerunt, qui ex tribus substantiis Christum dixere compositum, naturis vero duabus : nimirum naturarum vocabulum ad eas duntaxat accommodarunt, quæ sunt perfectæ, substantiarum nomen utrisque tribuerunt. Quod Francofordiensis synodi Patres improbarunt [2]. « Quid est natura hominis, *inquiunt*, nisi anima et corpus? Vel quid est inter naturam, et substantiam, ut tres substantias necesse sit nobis dicere, et non magis simpliciter, sicut sancti Patres dixerunt, confiteri Dominum nostrum Jesum Christum Deum verum, et verum hominem in una persona? » Ad summam etsi minus propria sit posterior illa locutio, quæ ex tribus Christum componi substantiis affirmans, perfectam unam, atque totam cum duabus imperfectis, iisdemque partibus, comparat, non tamen reprehendenda est, neque damnanda; dummodo nullum in sensu vitium sit, neque catholicæ contraria labes ulla doctrinæ, quæ fuit Toletanæ synodi decimæ quintæ sententia.

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

An Deus sive Verbum in Incarnatione gigni dicatur, et quo sensu. — 2. Nestorius id acerrime negavit. — 3. Sed contrarium e Scripturis ostenditur. — 4. tum ex Conciliis, et Symbolis. — 5. Item ex antiquissimorum Patrum auctoritate, primum græcorum, — 8. deinde latinorum.

I. Verbum esse carnem, sive hominem factum, habet catholicæ fidei regula, quam nemo, nisi profanus ac demens, sollicitare audeat, vel non aperte profiteri. Nunc illud quæritur, an assumptio hæc humanæ naturæ, sive Incarnatio, generatio sit habenda Verbi; ita ut Deus secundo

[1] Tom. 4. Bibl. 806.

[2] Tom. 6. Conc. p. 175. D. 1.

dici possit genitus, ac duplex ideo statuenda Verbi generatio. Negarunt hoc omnes, quicumque veram proprieque dictam σάρκωσιν, id est *incarnationem*, sustulerunt : ut quos Δοκητὰς vocant, veræ carnis inficiatores, de quibus libro primo : tum qui σχετικὴν, et *moralem*, ut loquuntur, in Christo naturarum unitionem adamarunt, naturali et substantiva repudiata, ut Nestorius. Contra quos præsertim capitis hujus disputatio suscipitur ; quod παρασκευὴν quamdam continebit sequentis controversiæ, in qua quæritur sitne vere propriaque locutione nuncupanda Dei mater, quam Græci θεοτόκον appellant. De hac enim præjudicium faciet illa quæstio, quam disceptare hic aggredimur ; quandoquidem si Deus non est vere conceptus, ac genitus in Virginis utero ; non erit hæc proprie dicenda genitrix Dei ; et vincit Nestorius, qui in eo perfidiæ suæ posuit summam, ut hanc Virginis appellationem extorqueret. Sin est vere genitus ex Maria Deus, vincitur Nestorius, et illa vere Dei mater ac genitrix ut est, ita Christianorum omnium cultu, ac professione celebratur. Nam « si Deus Verbum, ait Fulgentius [1], sic in Virgine caro fieret, ut ex ea non fieret, proculdubio non de carne matris idem Deus haberet substantiam carnis, essetque ejus per Virginem transitus, etc. »

II. Nestorius genitum ex B. Virgine Dei filium, ac Verbum præfracte negans, per illam transisse duntaxat asserebat : et ut vendibiliorem impietatem suam faceret, ac Catholicos in invidiam vocaret, quod ii genitum Deum esse fatebantur, maligne sic interpretabatur in vulgus, tanquam divinitatem ipsam genitam dicerent. Descripsit illius nefarias sententias Cyrillus Alexandrinus, præsertim in libris quinque, quos adversus ipsum edidit. Inter quas primam hanc refert in libro primo, qua « (1) sæpius » de Catholicis « percontatum se esse » dicit, « utrum divinitatem e sancta Virgine genitam, natamve esse crederent. » Quod cum illi scilicet inficiando detestarentur, reipsa concordare secum ipsos aiebat, cum verbis tenus dissiderent. Postea virus impietatis suæ manifestius evomens, cum dixisset, « (2) non se invidere vocem illam Christi genitrici Virgini, sed eam scire esse venerandam, quæ Deum suscepit, per quam transitum fecit omnium Dominus; « ac dictum istud ingens secutus esset audientium applausus; veritus ne *transitum* illum de vera generatione populus intelligeret, castigare hunc, et docere sic instituit. « (3) Rursus, *inquit*, suspectus est iste mihi vester applausus. Quo tandem modo transeundi verbum illud intellexistis ? Non dixi transivit, pro eo quod est genitus est. Non enim tam cito sententiæ meæ obliviscor. Transivisse Deum ex Christi genitrice Virgine ab sacris litteris sum edoctus ; Deum vero ex ipsa genitum esse, nusquam didici. » Addebat et insanum illud : « (4) Non esse revera Deum, sed deiferum hominem, » cum Angelus dixerit, *Accipe puerum*. Item B. Virginem dixit, « (5) hominem peperisse, quo cum Deus una transivit. »

Ad hæc [2] σάρκωσιν, et ἐνανθρώπησιν, id est *incarnationem*, et *inhumanationem*, admittebat ille quidem : sed generationem negabat. Quippe Evangelistam aiebat scripsisse quidem, *Verbum carnem esse factum* ; non tamen, *per carnem esse genitum*. Item apostolos, et evangelistas, cum *filii* nomen usurpant, vel dicunt ex muliere esse genitum, verbo ἐγεννήθη uti solere, nusquam tamen dixisse illos, *per humanitatem esse genitum*.

III. Adversus hanc hæretici blasphemiam omnibus fidei præsidiis armandus est Christianus theologus : quæ trifariam partita, triplici auctoritatis genere continentur, Scripturæ, Conciliorum, ac veterum Patrum; ex quibus sigillatim pauca delibabimus.

Principio quod ad Scripturas attinet, Cyrillus [3] ex illis Joannis probari contendit, genitum esse Dei filium, in quibus *Verbum caro factum* refertur. Quem enim et Λόγον, et Deum aperte prædicavit Evangelista, subinde carnem factum esse memorat. At non potest aliter hoc intelligi, nisi incarnatus revera sit, hoc est caro illius propria fuerit. Quod cum in Maria, et

(1) Nestor. apud Cyr. lib. 1. cont. Nest. pag. 6. Ἠρώτησα πολλάκις αὐτοὺς, τὴν θεότητα λέγετε γεγεννῆσθαι ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου;

(2) Ibid. pag. 10. Οὐ φθονῶ τῆς φωνῆς τῇ χριστοτόκῳ παρθένῳ· ἀλλ' οἶδα σεβασμίαν τὴν δεξαμένην Θεὸν, δι' ἧς παρῆλθεν ὁ τῶν ὅλων δεσπότης.

(3) Ibid. Πάλιν ὑποπτεύω τὸν κρότον· πῶς τὸ παρῆλθεν ἐνοήσατε; οὐκ εἴρηταί μοι τὸ παρῆλθεν, ἀντὶ τοῦ ἐγεννήθη· Οὐ γὰρ οὕτω ταχέως ἐπιλανθάνομαι τῶν ἰδίων. Τὸ παρελθεῖν τὸν Θεὸν ἐκ τῆς χριστοτόκου παρθένου παρὰ τῆς θείας ἐδιδάχθην γραφῆς· τὸ δὲ γεννηθῆναι Θεὸν ἐξ αὐτῆς, οὐδαμοῦ ἐδιδάχθην.

(4) Ibid. Προσεπάγει δὲ τούτοις ὅτι μὴ Θεὸς ἀληθῶς, θεοφόρος δὲ μᾶλλον ἄνθρωπος ἦν ὁ Χριστός.

(5) Apud Cyr. pag. 17. Nest. Τέτοκεν ἄνθρωπον, συμπαρελθόντος αὐτῷ τοῦ Θεοῦ Λόγου.

[1] Lib. de Inc. c. 3. — [2] Cyr. lib. 2. contra Nest. p. 24.

[3] Cyr. lib. 1. contra Nest. p. 7.

per Mariam administraverit Spiritus sanctus, ab illa utique carnem sumpsit. Proinde conceptum est ex ea; et generationem, ac nativitatem habuit : quæ et ipsum communi ceterarum more fœminarum peperit; nisi quod in conceptu, et partu virgo permansit. Sed de Joannis illo loco supra integro capite disputavimus [1]. Huic argumento robur adjungit Apostolus qui initio epistolæ ad Romanos *filium Dei factum esse* scribit *ex semine David secundum carnem*. Quem locum pertractans Augustinus libro de quinque Hæresibus, capite quinto; « Audis, *inquit*, quia Dei filius secundum divinitatem factus est filius hominis ex semine David secundum carnem. » Hic ille porro Dei filius est, qui et ab æterno de Patre, et cum Patre extitisse ab Joanne in Evangelio proditur : et per quem Pater omnia fecisse, et ipsa adeo secula testis est Apostolus. Ex semine vero Davidis ac de Virgine nasci, non aliter potest ac debet intelligi, quam usitato et naturali modo gigni, a quo interim absit corruptela; quam ab omnium cogitatione removet matris virginis integritas. Profecto enim si nihil ex Virginis substantia Dei filius sumpsit, non est factus *ex semine*, id est stirpe Davidis, ac nisi vera sit ab illa generatione propagatus. Quis Evam primam omnium parentem de Adami semine factam dixerit? Nemo prorsus sane ac sobrie loquens. Cur autem? Nempe quod ex semine fieri, non merum transitum significat, sed substantivam, veramque generationem.

Eamdem vim habent illa de quarto epistolæ ad Galatas capite [2], *Misit Deus filium suum factum ex muliere;* γενόμενον, quæ vox *generationem* significat, ut et superiore loco epistolæ ad Romanos. Nam γένεσις est *generatio*.

IV. Non aliud fidei Christianæ symbola omnia, tum illa vero prædicant, quæ ab Nicæna synodo, ac deinceps œcumenicis ceteris condita, et ab Ecclesia in auctoritatem assumpta sunt : ut illud Nestorii vanissimum sit, Nicænum concilium nusquam docuisse, genitum ex Virgine fuisse Dei filium. Hoc enim falso jactatum esse convincunt ipsa Symboli verba, quæ Cyrillus expendit [3]. Quippe credere se profitentur secundum *unum Deum Patrem omnipotentem, omniumque factorem, in unum Dominum Jesum Christum filium Dei genitum ex Patre, et unigenitum, hoc est ex illius substantia, genitum, non factum, per quem omnia facta sunt*. Hæc non alterius elogia sunt, quam veri, ac proprie dicti Dei. Pergunt deinde Patres; et istum ipsum Dei filium ac Deum, *propter nos homines descendisse, incarnatum esse, hominemque esse factum* asserunt. Quid aliud ex istis verbis suspicari possumus, nisi Dei filium, humanam ex matre virgine naturam, et carnem veram utique, ac vera generatione sumpsisse? Siquidem græcus articulus τὸν, ut et relativum *qui* in latino, ad eum referuntur, qui proxime ante tot veræ ac germanæ divinitatis insignitus est notis. Eadam est synodorum reliquarum ratio, quæ professionem aliquam edidere fidei. Nam omnes aut Nicænam illam usurparunt, quibusdam pro occasione temporum atque hæresum additis; aut etiam de ipsius Verbi generatione, deque Deo ex Maria virgine nato ac genito manifestius sunt locutæ; ut etiam θεότόκον, id est Dei genitricem et esse revera, et appellari oportere judicaverint, de quo in sequenti capite dicetur, in quo Conciliorum quædam expressa testimonia referam.

V. Transeo veteres ad theologos : e quibus antiquitatis nomine primæ deferendæ sunt Justino martyri. Hic Verbum ex matre fœmina genitum esse passim profitetur. In Apologetico posteriore, « (1) Verbum ipsum formatum esse, id est formam induisse, et hominem esse factum *aît*, appellatumque Jesum Christum. » In dialogo vero cum Tryphone, « (2) Christum » dicit « prius extitisse filium conditoris omnium, ac Deum, qui genitus est homo per Virginem, eidem nobiscum patiendi legi subjectus, et carnem habens. » Et postea Davidem ait verbis istis, *Ex utero ante Luciferum genui te*, significare, « (3) Deum omnium parentem, per humanum uterum illum edidisse. » Item, « (4) Deum e cœlo processisse, et hominem inter homines factum » asserit. Rursus idipsum diserte in eodem dialogo sic affirmat. Objicienti enim Triphoni Judæo, « (5) Rem

(1) JUST. pag. 43. Αὐτοῦ τοῦ Λόγου μορφωθέντος, καὶ ἀνθρώπου γενομένου, καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ κληθέντος.

(2) Id. pag. 207. Καὶ προϋπῆρχεν Υἱὸς τοῦ ποιητοῦ τῶν ὅλων Θεὸς ὢν, καὶ γεγέννηται ἄνθρωπος διὰ τῆς παρθένου, etc. καὶ γεννηθῆναι ἄνθρωπος ὁμοιοπαθὴς ἡμῖν σάρκα ἔχων.

(3) Ibid. pag. 223. Οὐ σημαίνει ἡμῖν ὅτι ἄνωθεν, καὶ διὰ γαστρὸς ἀνθρωπείας ὁ Θεὸς, καὶ Πατὴρ τῶν ὅλων γεννῆσαι αὐτὸν ἔμελλε;

(4) Ibid. pag. 225. Ἵνα καὶ Θεὸν ἄνωθεν προελθόντα, καὶ ἄνθρωπον ἐν ἀνθρώποις γενόμενον γνωρίσητε.

(5) Ibid. pag. 228. Ἄπιστον γὰρ, καὶ ἀδύνατον σχεδὸν πρᾶγμα ἐπιχειρεῖς ἀποδεικνύναι, ὅτι Θεὸς ὑπέμεινε γεννηθῆναι, καὶ ἄνθρωπος γενέσθαι.

[1] Lib. 4. cap. 2. — [2] Gal. 4. 4.

[3] Lib. 2. contra Nest. p. 25.

incredibilem, et prope impossibilem demonstrare ipsum velle, Deum gigni, et hominem fieri sustinuisse : » respondet, id se non humanis documentis, aut argumentationibus probare aggredi, sed Scripturarum auctoritate. Tum postea, « (1) Christum *ait* gigni voluisse, et in crucem tolli pro humano genere. »

Sequitur Ignatius martyr, cujus ex epistola ad Romanos refert ista Theodoretus in Dialogo primo : « (2) Persuasos penitus de Domino nostro, qui est e genere Davidis secundum carnem, filius Dei secundum divinitatem, vere genitus ex Virgine. » Hæc Ignatii verba in epistola ejus ad Romanos non leguntur : sed in ea, quæ est ad Smyrnenses, in apographo Florentini codicis reperi, quod eruditissimus adolescens Vossius ex Magni Ducis bibliotheca descripsit, ac legendi mihi copiam fecit; quo in libro deerat epistola ad Romanos. Sed in illa, quam dixi, ad Smyrnenses, paucissimis exceptis, eadem, ut ab Theodoreto citata sunt, occurrunt, quæ in cusis multo aliter legas.

Idem in epistola ad Ephesios, « (3) Deus, *inquit*, noster Jesus Christus a Maria in utero gestatus, etc. qui et genitus est, et baptizatus. » Et in eadem epistola : « (4) Unus est, *inquit*, medicus carnalis, et spiritalis, factus, et non factus, qui in carne fuit. Deus in immortali, veraque vita, et ex Maria, et ex Deo. » Sic erat in Florentino codice. Paulo aliter Theodoretus, necnon Gelasius. Hic enim post ista, *factus, et non factus*, hæc subjicit, «(5) In homine Deus; in morte vita æterna. » Quæ veram Dei generationem magis confirmant : qua idem ille, qui Deus genitus, et natus erat ab æterno, et non factus, iterato genitus est, et factus, ut homo esset, et in homine Deus. Quemadmodum vero γεννητὸς *factum* et *creatum*, ἀγέννητος *non factum* apud antiquos significaverit, dixi in quinto libro de Trinitate [1].

VI. Irenæus in libro tertio adversus Hæreses capite 31. luculenter idipsum declarat, causam afferens, propter quam e sola fœmina Virgine genitus sit filius Dei, non autem ex virili satu conceptus. Cum enim primi parentis procreationem suapte perditi culpa instaurare, quod est ἀνακεφαλαιοῦσθαι, in se vellet ὁ Λόγος, id est Verbum, per quod formatus ille fuerat; ejus ortum in sua nativitate opifex ipse paribus lineamentis imitari voluit : ut quemadmodum Adamum ex rudi, necdum obarata excultaque terra initio finxerat : sic ipse sola ex Virgine corpus sibi formaret, « Ita recapitulans in se Adam ipse Verbum (puto *ipse Verbum* pro *ipsum* usurpasse interpretem more suo solœcissantem, cum esset in græco αὐτὸς ὁ Λόγος) existens ex Maria, quæ adhuc erat virgo, recte accipiebat generationem Adæ recapitulationis. Si igitur primus Adam habuit Patrem hominem, et ex semine viri natus est; merito dicerent, et secundum Adam ex Joseph esse generatum. Si autem ille de terra quidem sumptus est, et Verbo Dei plasmatus est, oportebat idipsum Verbum recapitulationem Adæ in semetipsum faciens, ejusdem generationis habere similitudinem. Quare igitur non iterum sumpsit limum Deus, sed ex Maria operatus est plasmationem? Ut non alia plasmatio fieret; neque alia esset plasmatio, quæ salvaretur, sed eadem ipsa recapitularetur servata similitudine. » Non est in omni Christiana antiquitate illustrius, expressiusque testimonium ad elidendam Nestorii perfidiam, et ad id, de quo agitur, asseverandum fidei dogma. Primum enim demonstrat Verbum ipsum *extitisse* ex Maria virgine : quæ extantia non alia potuit esse, quam ut de illius substantia formaretur, quemadmodum de terræ substantia fictus est Adamus : hac enim ratione *recapitulatur*, id est instauratur, ac reficitur prior illa in vitium prolapsa generatio. Deinde animadvertenda est similitudo κατ' ἀντίθεσιν, et causa, propter quam Deus in opere suo reficiendo, ex vitiata ipsa massa, id est Adami stirpe, novum hominem elaborare maluit, quam ex humo, ut olim fecerat, instituere. Id eo factum asserit Irenæus, quod eamdem *plasmationem*, id est *massam*, quam peccati morbus lethalis infecerat, curari, ac reconcinnari oportuit. Non esset autem caro eadem, hoc est natura, quæ ægrotabat, recuperata, et

(1) Ibid. pag. 246. Ὥσπερ οὐδὲ τὸ γεννηθῆναι αὐτὸν, καὶ σταυρωθῆναι ὡς ἐνδεὴς τούτων ὑπέμεινεν, ἀλλ' ὑπὲρ τοῦ γένους τοῦ τῶν ἀνθρώπων.

(2) IGNAT. apud Theod. pag. 33. Πεπληροφορημένους ἀληθῶς εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν ὄντα ἐκ γένους Δαβὶδ κατὰ σάρκα, Υἱὸν Θεοῦ κατὰ θεότητα, καὶ δύναμιν, γεγεννημένον ἀληθῶς ἐκ παρθένου.

(3) Idem apud Theodor. pag. 34. Ὁ γὰρ Θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐκυοφορήθη ὑπὸ Μαρίας, etc. ὃς ἐγεννήθη, καὶ ἐβαπτίσθη.

(4) Ibid. Εἷς ἰατρός ἐστιν σαρκικός τε, καὶ πνευματικὸς, γεννητός τε, καὶ ἀγέννητος, ἐν σαρκὶ γενόμενος Θεὸς ἐν ἀθανάτῳ ζωῇ ἀληθινῇ, καὶ ἐκ Μαρίας, καὶ ἐκ Θεοῦ.

(5) THEODORETUS dial. 1. pag. ead. Ἐν ἀνθρώπῳ Θεὸς, ἐν θανάτῳ ζωὴ ἀληθινή.

[1] Cap. 1. et seq.

sanata, nisi ex posteritate Adami, et ejus semine extitisset, ac genitum esset Verbum illud, a quo idipsum, quod ex terra procrearat, in integrum restitueretur. Ut si quis collapsam domum instaurare volens, non ex alio novoque lapide, ac materia, sed ex redivivis ac veteri materia constituat. Ita Verbum corpus, et naturam hominis, ex eadem, quæ in corruptelam defluxerat, massa sibi formare et assumere voluit ; hoc est, ex Adami semine, tametsi in ea, unde genitus est Deus, carne Virginis repurgatum illud, ac defæcatum fuerit : de quo suo loco dicam, cum de originali integritate Virginis Matris agetur. Non esset autem formatus ex Adami semine Dei filius, nisi vera, et substantiva generatione ex matris utero productus fuisset. Hoc enim πλάσις illa significat, quam et γέννησιν, et σάρκωσιν sæpe vocat Irenæus iis in locis, quæ ex eo græce Theodoretus excerpsit [1]. Nos latina potius a barbaro, sed vetustissimo interprete conscripta repræsentavimus, quam græca, quæ quidem Theodoretus exhibet : quod nonnulla illic sunt, quæ in græco paululum immutata leguntur, nec nihil tamen ad negotium nostrum faciunt.

VII. Hippolytus episcopus et martyr in eodem laudatus Theodoreti dialogo ; « (1) Dic mihi, *inquit*, o beata Maria, quid erat, quod a te in utero conceptum est, et quid a te in virginea matrice gestabatur ? Verbum enim erat Dei primogenitum, e cœlo in te delapsum, et homo primogenitus in utero formatus : ut primogenitum Dei Verbum primogenito homini copulatum ostenderetur. » Dionysius Alexandrinus in epistola contra Paulum Samosatenum : « (2) Verbum, *inquit*, caro factum est, secundum Scripturas : non divisum in carnem, et Verbum ; tanquam in homine habitet Deus. Hoc enim est vitare generationem. Siquidem jam olim habitabat in iis, in quibus plures inventæ sunt matres. Sed una sola virgo filia vitæ, genuit vivens Verbum, et subsistens. » Athanasius in epistola ad Epictetum, « (3) Quinam vero revocare in dubium ausi sunt Christiani, utrum qui ex Maria processit Dominus, Dei quidem filius natura, et substantia sit : secundum carnem vero, ex Davidis semine, ac sanctæ Virginis carne ? » Et paulo post : « (4) Quomodo Christiani volunt audire, qui dicunt, in sanctum hominem velut ex prophetis aliquem venisse Verbum, et non ipsum hominem esse factum sumpto ex Maria corpore ? »

Item in libro de salutari adventu Jesu Christi : « (5) Qui existit ante secula Deus, ex Nazaretho homo conspectus est, genitus ex Maria virgine, et Spiritu sancto. » Ac subinde, « (6) Deum *ait* unigenam decrevisse, plenitudine divinitatis suæ, primi illius et exemplaris hominis formationem, ac novum opus ex utero virgineo excitare sibi naturali generatione. » Denique : « (7) Hac de causa venit, *inquit*, Verbum Deus, et primi hominis opifex, ut homo fieret, ad hominem vita donandum, et injustum evertendum inimicum ; et ex muliere genitus est, de prima creatione formam sibi hominis excitans. » Quæ Athanasii loca eximia sunt ; et manifeste Deum ipsum ex matris utero formatum, et vera generatione productum esse, secundum carnem, hominemque, testantur. Quibus addenda sunt ista ex ejusdem perbrevi tractatu de Incarnatione contra Paulum Samosatenum : « (8) Dicimus igitur, *ait*, unitum esse carni Deum, et hac ratione formatum esse ex muliere, ac genitum esse, cum

(1) Apud Theod. pag. 36. Εἰπέ μοι, ὦ μακαρία Μαρία, τί ἦν τὸ ὑπό σου ἐν τῇ κοιλίᾳ συνειλημμένον, καὶ τί ἦν τὸ ὑπό σου ἐν παρθενικῇ μήτρᾳ βασταζόμενον; Λόγος γὰρ ἦν Θεοῦ πρωτότοκος ἀπ᾽ οὐρανῶν ἐπὶ σὲ κατερχόμενος, καὶ ἄνθρωπος πρωτότοκος ἐν κοιλίᾳ πλασσόμενος· ἵνα ὁ πρωτότοκος Λόγος Θεοῦ πρωτοτόκῳ ἀνθρώπῳ συναπτόμενος δειχθῇ.

(2) DION. tom. 11. bib. pag. 276. Γέγονε σὰρξ ὁ Λόγος, κατὰ τὰς γραφὰς, οὐ μεριζόμενος εἰς σάρκα, καὶ Λόγον, ὡς εἰς ἄνθρωπον οἰκῶν ὁ Λόγος· αὕτη γὰρ φυγὴ γεννήσεως. Ἤδη γὰρ ἄνωθεν ἐνοικεῖ ἐν οἷς εὑρέθησαν πολλαὶ μητέρες. Μία δὲ μόνη παρθένος θυγάτηρ ζωῆς ἐγέννησε τὸν ζῶντα Λόγον, καὶ ἐνυπόστατον. Et pag. 291. E.

(3) ATHAN. pag. 454. D. Πῶς δὲ καὶ ἀμφιβάλλειν ἐτόλμησαν οἱ χριστιανοὶ, εἰ ὁ ἐκ Μαρίας προελθὼν Κύριος Υἱὸς μὲν τῇ οὐσίᾳ, καὶ φύσει τοῦ Θεοῦ ἐστι, τὸ δὲ κατὰ σάρκα, ἐκ σπέρματός ἐστι Δαβὶδ, σαρκὸς δὲ τῆς ἁγίας Μαρίας ;

(4) Ibid. Ἢ πῶς χριστιανοὶ θελούσιν ὀνομάζεσθαι, οἱ λέγοντες εἰς ἄνθρωπον ἅγιον, ὡς ἐπὶ ἕνα τῶν Προφητῶν, ἐληλυθέναι τὸν Λόγον, καὶ μὴ αὐτὸν γεγονέναι λαβόντα ἐκ Μαρίας τὸ σῶμα;

(5) Idem pag. 497. Ἀλλ᾽ ὁ ὑπάρχων πρὸ τῶν αἰώνων Θεὸς ἐκ Ναζαρὲτ ἄνθρωπος ὤφθη, γεννηθεὶς ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου, καὶ Πνεύματος ἁγίου.

(6) Ibid. Ἀλλὰ Θεοῦ τοῦ μονογενοῦς εὐδοκήσαντος τῷ πληρώματι τῆς θεότητος αὐτοῦ, τὴν τοῦ ἀρχετύπου πλάσιν ἀνθρώπου, καὶ ποίησιν ἐκ μήτρας παρθένου ἀναστήσασθαι ἑαυτῷ φυσικῇ γεννήσει.

(7) Ibid. pag. 500. Διὰ τοῦτο ἦλθεν ὁ Λόγος Θεὸς ὢν, καὶ του πρωτου ἀνθρώπου δημιουργὸς, γενέσθαι ἄνθρωπος εἰς ζωοποίησιν μὲν τοῦ ἀνθρώπου, καθαίρεσιν δὲ τοῦ ἀδίκου ἐχθροῦ, καὶ ἐγεννήθη ἐκ γυναικὸς, ἐκ τῆς πρώτης πλάσεως τὴν ἀνθρώπου μορφὴν ἑαυτῷ ἀναστησάμενος. Vide et pag. 468. A.

(8) ATHAN. pag. 462. E. Φαμὲν οὖν ἡνῶσθαι τῇ σαρκὶ τὸν Θεὸν, καὶ κατὰ τοῦτο ἐκ γυναικὸς πεπλάσθαι, καὶ γεγεννῆσθαι ἕνα ὄντα ὡς ὁ Ἀπόστολος ἐδίδαξεν. Ἐξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸν Υἱὸν αὐτοῦ γεννώμενον ἐκ γυναικὸς, γινόμενον ὑπὸ νόμον.

[1] Dial. 1. p. 34. et seq.

sit unus, ut Apostolus docuit his verbis : Misit filium suum natum ex muliere, factum sub lege. » Hæc verba sunt Apostoli capite quarto epistolæ ad Galatas, ubi γενόμενον ἐκ γυναικὸς hodie legitur. Sed in quibusdam exemplaribus γεννώμενον, occurrit, ut hic Athanasius legit. Quam lectionem Beda refellit in Lucæ caput undecimum. Verum nihilo expressius vox γεννώμενον, quam γενόμενον, hoc, quod Beda, aliique Catholici contra hæreticos contendunt, asserit, « Filium Dei conceptum ex utero virginali, carnem non de nihilo, non aliunde, sed materna ex carne traxisse. » « Alioqui nec vere filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine, » ut Beda loquitur.

VIII. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi duodecima : « (1) Crede, *inquit*, illum ipsum Dei unigenitum filium ex Virgine iterum esse genitum. » Idem in Catechesi quarta, « (2) Crede hunc unigenitum Dei filium, propter peccata nostra e cœlo in terram descendisse, et assumpsisse iisdem nobiscum subjectam affectionibus humanitatem, et ex sancta Virgine, ac Spiritu sancto esse genitum. » Eusebius Pamphili, « (3) generationem nostra causa sustinuisse Deum » asserit.

Basilius in libro de Spiritu sancto, capite quinto sub finem, observat, Apostolum scripsisse[1], Dei filium *factum esse ex muliere*, non *per mulierem*, ut alibi dixerat[2], « (4) ut ostenderet, carnem Deiferam ex humana massa esse concretam : ideo significantiore usum esse vocabulo. Nam hæc locutio, per mulierem, transitoriam notionem ortus exhiberet : hæc autem, ex muliere, satis exprimit communionem naturæ cum ea quæ genuit, illius quod nascitur. »

(5) Epiphanius in Ancorato verba illa Symboli declarans, *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit, et incarnatus est*, ita scribit : « Hoc est, qui genitus est perfecte ex sancta Maria semper virgine, per Spiritum sanctum. »

Gregorius Nazianzenus epistola prima ad Cledonium : « (6) Si quis formatum hominem fuisse, Deumque postea subiisse dicat, damnatione dignus est. Hoc enim non Dei generatio est, sed fuga generationis. Igitur, « (7) Hominem dicere factum esse Verbum, idem est, atque ex muliere secundum carnem esse genitum, (ut loquitur Cyrillus Alexandrinus in explanatione Symboli,) et in specie nostræ simili processisse : hoc enim est, hominem esse factum. » Sed græcorum Patrum abunde est. Nam Cyrillum, ceterosque, qui post Ephesinam synodum floruerunt, appellare testes, id infinitum esset, ac supervacaneum.

IX. Transeo ad Latinos, e quibus Tertullianus[3] : « Regula autem est fidei, *inquit*, ut jam nunc quid credamus profiteamur, illa scilicet, qua creditur, unum omnino Deum esse, nec alium præter mundi conditorem, qui universa de nihilo produxerit, per Verbum suum primo omnium emissum. Id Verbum filium ejus appellatum in nomine Dei varie visum patriarchis, in prophetis semper auditum : postremo delatum ex spiritu Dei Patris, et virtute in virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, et ex ea natum hominem, et esse Jesum Christum. » Est igitur Deus, ac Dei filius in utero Virginis homo factus, et ex ea natus : quod nihil aliud est, quam Deum hominem esse generatione factum. Et in Apologetico, capite 21. de Christo scribit : « De spiritu spiritus, de Deo Deus, etc. Iste igitur Dei radius, ut retro semper prædicabatur, delapsus in virginem quamdam, et in utero ejus caro figuratus, nascitur homo Deo mistus. » Tum in libro de carne Christi, capite 13. contra hæreticos illos disputans, qui per virginem, non ex virgine natum asseverabant, « Sed et Paulus, *ait*, grammaticis istis silen-

(1) CYRILL. Hierosolym. init. cat. 12. pag. 105. Πίστευσον ὅτι αὐτὸς ἐκεῖνος ὁ τοῦ Θεοῦ μονογενὴς Υἱὸς, οὗτως ἐκ παρθένου πάλιν ἐγεννήθη.

(2) Idem cat. 4. pag. 26. cit. a Theodor. dial. 2. pag. 106. Πίστευε δὲ ὅτι οὗτος ὁ μονογενὴς Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἐξ οὐρανοῦ κατῆλθεν ἐπὶ τῆς γῆς, τὴν ὁμοιοπαθῆ ταύτην ἡμῖν ἀναλαβὼν ἀνθρωπότητα, καὶ γεννηθεὶς ἐξ ἁγίας παρθένου, καὶ ἁγίου Πνεύματος.

(3) EUSEB. lib. 3. de vita Constant. f. 142. pag. 1. citat. a Socrate lib. 7. cap. 31. Καὶ γὰρ καὶ γέννησιν ὑπομένειν ὁ μεθ' ἡμῶν Θεὸς δι' ἡμᾶς ἠνέσχετο.

(4) BASIL. tom. 2. pag. 152. Ἵνα δείξῃ ὅτι ἐκ τοῦ ἀνθρωπείου φυράματος ἡ θεοφόρος σὰρξ συνεπάγη, τὴν ἐμφατικωτέραν φωνὴν προετίμησε. Τὸ μὲν γὰρ, διὰ τῆς γυναικὸς, παροδικὴν ἔμελλε τὴν ἔννοιαν τῆς γενέσεως ὑποφαίνειν. Τὸ δὲ ἐκ τῆς γυναικὸς, ἱκανῶς παραδηλοῦν τὴν κοινωνίαν τῆς φύσεως τοῦ τικτομένου πρὸς τὴν γεννήσασαν.

(5) EPIPH. Ancor. § 121. Τουτέστι γεννηθέντα τελείως ἐκ τῆς ἁγίας Μαρίας τῆς ἀειπαρθένου, διὰ Πνεύματος ἁγίου.

(6) NAZ. orat. 51. pag. 738. et seq. Εἴ τις διαπεπλάσθαι τὸν ἄνθρωπον, εἶθ' ὑποδεδυκέναι λέγοι Θεὸν, κατάκριτος. Οὐ γὰρ γέννησις Θεοῦ τοῦτό ἐστιν, ἀλλὰ φυγὴ γεννήσεως.

(7) CYRILL. tom. 5. par. 2. p. 181. de Symb. Σαρκωθῆναί τε, καὶ ἐνανθρωπῆσαι, τουτέστιν, ὑπομεῖναι γέννησιν τὴν κατὰ σάρκα ἐκ γυναικὸς, καὶ προελθεῖν ἐν εἴδει τῷ καθ' ἡμᾶς· τοῦτο γὰρ τὸ ἐνανθρωπῆσαί ἐστιν.

[1] Gal. 4. — [2] 1. Cor. 11.

[3] Tert. de Præscript. c. 13.

tium imponit; Misit, inquit, Deus filium suum factum ex muliere. Numquid per mulierem, aut in mulierem? Hoc quidem impressius, quod factum potius dicit, quam natum. Simplicius enim enuntiasset natum; factum autem dicendo, et Verbum caro factum est, consignavit; et carnis veritatem ex Virgine factam adseveravit. » Et capite 17. « Ante omnia autem commendanda erit ratio, quæ præfuit, ut Dei filius de Virgine nasceretur. » Item, « Homo nascitur in Deo, in quo homine Deus natus est. »

Cyprianus in libro secundo Testimoniorum adversus Judæos [1]; « Quod cum a principio filius Dei fuisset, generari denuo haberet secundum carnem. » Et paulo post [2]: « Quod hoc futurum esset signum nativitatis ejus, ut de Virgine nasceretur homo, et Deus, hominis et Dei filius. »

Novatianus in libro de Trinitate, capite 11. non auctoritate tantum sua, sed etiam firma quadam argumentatione Deum esse genitum probat: quæ informari sic potest. Etenim cum unus, idemque Christus sit Deus et homo, necesse est ut vera generatione utrumque ut esset acceperit. Vere igitur et qua Deus est, et qua homo, est genitus, et ante Deus erat, quam homo fieret. Cum ergo, ut homo, gigneretur, jam Deus erat, et Deus proinde in hominem gignebatur. « Tam enim Scriptura (verba sunt Novatiani) etiam Deum adnuntiat Christum, quam etiam ipsum hominem adnuntiat Deum: tam hominem describit Jesum Christum, quam etiam Deum quoque descripsit Christum Dominum. Quoniam nec Dei tantum illum filium esse proponit, sed et hominis: nec hominis tantum dicit, sed et Dei referre consuevit: ut dum ex utroque est, utrumque sit: ne si alterum tantum sit, alterum esse non possit. Ut enim præscripsit ipsa natura hominem credendum esse, qui ex homine sit, ita eadem natura præscribit et Deum credendum esse, qui ex Deo sit: ne si non et Deus fuerit, cum ex Deo sit, jam nec homo sit, licet ex homine fuerit; et in alterutro utrumque periclitetur, dum alterum altero fidem perdidisse convincitur. »

Et capite 13. « Verbum autem hoc erat, *ait*, in principio apud Deum, et Deus erat Verbum. Quis igitur dubitet, cum in extrema parte dicitur, Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; Christum, cujus est nativitas, et quia caro factus est, esse hominem, et quia Verbum Dei, Deum incunctanter edicere esse; præsertim cum animadvertat scripturam Evangelicam utramque istam substantiam in unam nativitatis Christi fæderasse concordiam. »

X. Lactantius in libro quarto, capite undecimo sub finem, de filio Dei Judæorum ex gente iterato genito sic scribit: « Ergo, ut cœperam dicere, cum statuisset Deus doctorem virtutis mittere ad homines, renasci eum denuo in carne præcepit, et ipsi homini similem fieri, cui dux, et comes, et magister esset futurus. » Et mox: « Apud illos igitur, et ex eorum semine regenerari eum jussit (Pater,) ne, si fuisset alienigena, justam possent excusationem de lege prætendere, quod eum non suscepissent. » Hic regenerandi, ac renascendi vocabula uni eidemque tributa genito, Deum revera generatum ostendunt. Rursus idem Lactantius, capite duodecimo: « Descendens itaque de cœlo sanctus ille spiritus Dei, sanctam Virginem, cujus utero se insinuaret, elegit. At illa divino spiritu hausto repleta concepit; et sine ullo attactu viri, repente virginalis uterus intumuit. »

Hilarius libro tertio [3]: « Namque Dei filius est: sed qui erat Dei filius, et hominis cœperat esse filius. Erat enim Verbum caro factum: non amiserat quod erat, sed cœperat esse, quod non erat. Non de suo destiterat, sed quod nostrum est acceperat, etc. Ergo quia filius est Verbum, et Verbum caro factum, et Deus Verbum, et hoc in principio apud Deum, et Verbum ante constitutionem mundi filius, Filius nunc caro factus orabat. » Et libro nono, post initium [4]: « Deo itaque proprium, *inquit*, fuit, esse aliud, quam manebat, nec tamen non esse quod manserat: nasci in hominem Deum, nec tamen Deum esse desinere, etc. Natus igitur Deus ex Virgine homo, et secundum plenitudinem temporum in semetipso provecturus in Deum hominem, etc. »

Marius Victorinus initio secundi libri adversus Arium, « Alii, *inquit*, unum Deum dicunt Patrem solum, Filium vero hominem; sed hos nunc omittamus. Etenim Jesum filium cum dicimus, et antequam de Maria nasceretur, fuisse filium confitemur. Nam si in principio fuit logos, et logos fuit ad Deum, et Deus fuit ipse logos, et hoc fuit in principio, qui cum postea logos, caro factus est; idem est logon esse, et Jesum. Si enim in principio erat logos, in principio erat Filius, qui postea in carne Jesus, propter mysterium, quod mandato Patris implevit. »

[1] Num. 8. — [2] Num. 9.

[3] Pag. 14. B. — [4] Pag. 56. A.

Julius Firmicus libro de Errore profanarum religionum, capite 26. « Ex genere, *inquit*, Abrahæ descendens Maria virgo Deum concipit, ut humanum genus per hominem pariter et Deum æquata societatis comparatione conjunctum, ad immortalitatis imperium obedientiæ merito perveniret. »

Ambrosius Epistola 63. « Filium itaque coæternum Patri suscepisse carnem, natum de Spiritu sancto, et virgine Maria, etc. » Et in libro de Incarnatione, capite quinto, « Non enim alter ex Patre, alter ex Virgine: sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine. Generatio generationi non præjudicat. »

Hieronymus libro contra Helvidium ait[1], « Deum per genitalia Virginis natum. » Et, « Natum Deum esse de Virgine credimus, quia legimus. » Tum in epistola 22.[2] « Dei filius pro nostra salute hominis factus est filius. Novem mensibus in utero, ut nascatur, expectat ; fastidia sustinet, cruentus egreditur, pannis involvitur, blanditiis delinitur ; et ille pugillo mundum includens præsepis continetur angustiis. » Et alibi[3], « Filius Dei factus est filius hominis, id est filius virginis Mariæ. »

XI. Præclare hoc ipsum adstruit Augustinus : Deum, inquam, genitum ex B. Virgine ; ac secundo natum luculenter affirmat in sermone 15. de Tempore. Ibi « Creatorem, *inquit*, invisibilem pro nobis visibilem factum, a quo invisibili et ipsa creata est, visceribus fœcundis, et genitalibus integris virgo mater effundit. Concipiens virgo, pariens virgo, virgo gravida, virgo fœta, virgo perpetua. Quid miraris hæc homo ? Deum sic nasci oportuit, quando esse dignatus est homo. Talem fecit illam, qui est factus ex illa. Antequam fieret enim erat ; et quia omnipotens erat, fieri potuit, manens quod erat. Fecit sibi matrem, cum esset apud Patrem : et cum fieret ex matre, mansit in Patre. » Ac nonnullis interjectis : « Non ergo vobis subrepat quorumdam sententia minus attentorum in regulam fidei, et in Scripturarum oracula divinarum. Dicunt enim : Qui filius est hominis, factus est filius Dei ; qui vero filius est Dei, non est factus filius hominis. Hoc ut dicerent, quod verum est attenderunt ; sed verum eloqui non valuerunt. Quid enim attenderunt, nisi quia humana natura potuit in melius commutari, in deterius autem divina non potuit ? Hoc verum est, sed etiam sic, id est, nequaquam in deterius divinitate mutata, Verbum tamen caro factum est. Neque enim ait Evangelista, Caro Verbum facta est ; sed ait, Verbum caro factum est. Verbum autem Deus, quia Deus erat Verbum. Et quid caro, nisi homo ? Non enim sine anima in Christo hominis caro. Unde ait[4], *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Si ergo Verbum Deus, et homo caro ; quid est aliud, Verbum factum est caro ; nisi, Qui Deus erat, factus est homo ? Ac per hoc qui erat Dei filius, factus est hominis filius, assumptione inferioris, non versione potioris ; accipiendo ipse quod non erat, non amittendo quod erat. Nam quomodo in regula fidei confiteremur, credere nos in filium Dei, qui natus est ex virgine Maria, si non filius Dei, sed filius hominis natus est ex virgine Maria ? Quis enim Christianus neget ex illa fœmina filium hominis natum, sed tamen Deum hominem factum, et ita hominem Deum factum ? »

Idem in libro de dono Perseverantiæ, capite ultimo : « Sed dicimus, *ait*, Christum Deum verum natum de Deo Patre sine ullo initio temporis, eumdemque hominem verum, natum de homine matre certa plenitudine temporis. »

Rursus in libro tertio contra Faustum, capite sexto, neganti hæretico Manichæo, « dignum esse ex utero natum credere Deum, et Deum Christianorum, » ita respondet : « Christus Dominus, et salvator noster, filius Dei verus secundum divinitatem, et filius hominis verus secundum carnem, non ex eo, quod est super omnia Deus benedictus in secula, ex fœmina natus est ; sed ex illa infirmitate, quam suscepit ex nobis etc. Illa enim natura, qua in forma Dei æqualis est Patri, incommutabiliter permanente, suscepit mutabilem nostram, per quam de Virgine nasceretur. » Et tractatu octavo in Joannem : « Ille singulariter natus de patre sine matre ; de matre sine patre ; sine matre Deus, sine patre homo, etc.

XII. Capreolus episcopus Carthaginensis in epistola ad Vitalem et Constantinum[5], « Deus, *inquit*, in homine nasci dignatus est, qui semper erat, ut homo nasceretur qualis ante non fuerat. » Et paulo post : « Rogo dicant, quomodo est homo iste de cœlo, si non est Deus conceptus in utero. » Et[6], « Nec nasci æternus, nec crescere perfectus, nec impassibilis pati, nec immortalis mori sine ulla sui mutatione, vel corruptione, sicut jam dictum est, formidavit. »

[1] Hieron. tom. 1. col. 449. — [2] Col. 188. E. — [3] Comment. in Psal. 8.

[4] Mat. 26. — [5] Inter Opusc. dogm. p. 44. — [6] Ibid. p. 56.

Faustinus in libro contra Arianos, capite tertio [1] : « Si ergo Verbum, *ait*, caro factum est, et habitavit in nobis, natus ex Virgine nobiscum Deus; quo nunc, hæretice, proficis ? » Idem paulo postea [2] utramque filii Dei generationem exponit, tum « illam, qua de Deo Patre generatus est, quæ sine initio est : et ideo de ea ait, Generationem ejus quis enarrabit ? » tum alteram, qua de Virgine natus est. « Hanc autem generationem, *inquit*, qua de Virgine nascitur secundum carnem, refert Evangelium, etc. Si ergo in Sacramento fidei hoc accipimus, ut Christum Deum credamus, et hominem, Deum quidem de Deo sine initio tantum; hominem autem, quia de Virgine in temporibus natum : non calumniemur divinitati ejus, cum pro nostra medela quæ sunt hominis exequitur, habens in se acceptam hominis naturam; quia nec homo negandus est, cum propriæ divinitatis naturalem exerit potestatem, accepta in se forma servili. »

Gaudentius Brixianus Tractatu 13. « Divinum, *inquit*, recte diximus partum, quia Deus est iste, qui per Virginem natus in carne est : dicente Gabriele archangelo ad eamdem, Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Ex quo enim carnem nostræ fragilitatis assumpsit, idem filius est hominis, qui et Dei, quia non alius ex Maria natus est, quam qui per maternas illapsus aures, uterum Virginis opplevit. » Et Tractatu 9. « Nascitur qui semper erat, nascitur qui in principio erat et filius Dei, et verbum Dei, et Deus, etc. »

Hoc ipsum Leo papa in celeberrima illa ad Flavianum epistola [3], quæ in fidei regulam assumpta est a synodo Chalcedonensi, aliisque deinceps œcumenicis, ex Symboli verbis colligit, quibus credere nos profitemur *in Jesum Christum filium Dei unicum, Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu sancto, ex Maria virgine*. « Quæ nativitas temporalis, *inquit*, illi nativitati divinæ, et sempiternæ nihil minuit, nihil contulit, etc. Conceptus quippe est de Spiritu sancto intra uterum matris Virginis, quæ ita illum salva virginitate edidit, quemadmodum salva virginitate concepit. »

Sed hic post exortam Nestorianam hæresim, et Catholicorum adversus hanc indicta bella, ista scripsit : cujusmodi innumera possunt similia proferri; quibus ut supersedeam, nimis magna, eaque parabili in copia metuendum fastidium lectoris hortatur : præsertim cum pleræque consequentes disputationes eidem illi deinceps illustrandæ quæstioni serviant.

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

An sit, et qua ratione, mater Dei Maria virgo, quod Græci Θεοτόκον vocant. — 1. Explicata vox illa : τίκτειν non solum est parere, sed etiam gignere. — 2. Unde θεοτόκος utraque notione dicitur B. Virgo. — 3. Quam magni momenti sit nomen istud. — 4. Quod a Nestorio impugnatum. — 5. Qui et usum ejus certa cautione permisit. — 5. Socratis historici de Nestorio notatum judicium. — 6. Primum S. Leonem Dei matrem appellasse diserte, falso quidam prodiderunt. Sed antiquior est usus. — 7. Cyrillus quosdam antiquos citat, qui ea voce sunt usi, ac de eo nonnihil consideratione dignum. — 8. Expenduntur auctores ab illo citati. — 9. Enumerantur alii, et quidem antiquiores, qui B. Virginem ita nominarunt.

I. Quem in Trinitatis explicando dogmate ὁμοουσίου vox; eumdem, hoc in nostro Incarnationis, usum, ac principatum obtinet θεοτόκου nomen. Ut enim illic catholicæ tota fidei ratio, et professio in uno *consubstantialis* vocabulo contineri putabatur, adeo ut tanquam tessera quædam haberetur, qua fœderati, sociatique Catholici mutuo se discernebant ab hostibus hæreticis, et contrarias sibi invicem Sabellii, et Arii hæreses una plaga conficiebant : sic in Incarnatione profitenda, præcipuum in altera θεοτόκου voce momentum a Catholicis constitutum est, ac quam isti in tuenda illa constantes, tam in oppugnanda pervicaces adversarii fuerunt; ut libro primo paucis attigi [4]; nunc vero plenius exponam. Sed ante de nomine ipso, et ejus notione pauca scitu digna commemoranda sunt.

Θεοτόκον ab eo, quod est τίκτειν, dici norunt etiam pueri. Hoc autem verbum *parere* signi-

[1] Tom. 4. Bibl. 681. — [2] Ibid. 682.

[3] Ep. 10. cap. 2. — [4] Cap. 7.

ficat, hoc est, ex utero maturum jam fœtum in lucem effundere. Ex quo et *Deiparam* Latini vocant, quam Græci θεοτόκον, sicut *Christiparam*, quam illi χριστοτόκον. Interest tamen aliquid inter *pariendi*, et *gignendi, concipiendique* notiones. Siquidem *parere* est simpliciter uteri onus exponere : quod de iis etiam dicitur, quæ non per se, ac proprie gignuntur : sic ova gallinæ pariunt, et universe

> Ova parire solet genu pennis condecoratum,
> Non animas,

ait Ennius [1]. Non autem proprie loquendo generantur ova, quia non sunt similia ponentium volucrum : quæ similitudo in generationis essentia, definitioneque continetur.

Verum græca vox τίκτειν non tantum *parere* significat ; sed etiam *gignere*, ac non minus de viro, quam de fœmina dicitur. Ita glossæ optimæ græcolatinæ, τίκτω, *pario, gigno, creo, procreo.* Et τίκτω, ἐπὶ ἄῤῥενος *suscipio.* Hesychius item adnotat « (1) usurpari etiam de maribus. » Nec pauca extant in vocabulariis istius locutionis exempla.

II. Utuntur et Christiani scriptores verbo τίκτειν in *gignendi* significatione, maxime cum de Deo Patre ac Filii generatione loquuntur. Cyrillus dialogo secundo de Trinitate [2], Filium in omnibus Patri similem esse dicit, δίχα μόνου τοῦ τεκεῖν, *hoc uno excepto, quod non peperit,* id est *genuit.* Et in libro de fide ad Theodosium : « (2) Ubi est, *inquit,* Pater, si non revera peperit, aut nisi subsistens aliquid genuit ? » Ac peculiaris quædam est in divino illo partu ratio, cur Deus *parere* dicatur ; cui etiam *uterus* in Scripturis adscribitur, ut et [3] *pariendi* vox, quam simili in re Cassianus adhibuit [4], cum ait, « Jesum Christum homoousion fuisse Patri et matri. Pro personarum enim diversitate reddidit parienti unicuique similitudinem suam. » Quocirca θεοτόκος utraque notione B. Virgo intelligi debet. Nam si ex communi tantum interpretatione *deiparam*, vel *deipartricem*, ut loquitur Rusticus diaconus [5], appellari censeas, non repugnet Nestorius. Hic enim Deum peperisse Mariam virginem, eoque sensu θεοτόκον appellari concederet ; quatenus Verbum συμπαρελθεῖν, hoc est una cum homine, qui solus proprie ex illius opinione gigni dicebatur, per uterum, et ex utero transisse dicitur, quando ex utero genitum, ac formatum effudit hominem : de qua Nestorii falsa opinione agemus postea. Ad quam vitandam aliæ sunt a Patribus adhibitæ voces, quæ generationem ipsam magis exprimerent : ut sunt θεομήτωρ, quo nomine Joannes Damascenus [6], ac Theodorus Hierosolymitanus [7], aliique usi sunt : et θεογεννήτωρ, quæ vox in Hadriani papæ ad Tarasium epistola ponitur [8].

Quod si verbum τίκτω usitatiore illa significatione nihilominus capiatur, secundum quam matris potius, quam patri convenit, ut libro sexto Thesauri Cyrillus ait [9] ; Nestorii cautione hac insidiis obviam ibimus, si communi fœminarum more peperisse Christum B. Maria credatur ; hoc est ita ut prius illum in utero conceperit, et partem ei substantiæ suæ communicaverit, quod ipsum *gignere* dicitur. Hæc enim ordinaria, et consueta est tum hominibus nascendi, tum mulieribus pariendi ratio : a qua non discessisse Verbum, cum B. Virginis partu est in lucem editum, catholicæ fidei regula declarat : ut in primo adversus Nestorium docet Cyrillus [10], et nos post paulo dicemus.

III. Ad hunc modum explicata, et in proprium, ac germanum asserta sensum θεοτόκου vox, magni illius, et revera infiniti, vim summamque mysterii includit in sese ; margaritæ similis, quæ perexigua mole « [11] principium, culmenque omnium rerum olim pretii tenebat. » (3) Hinc omnis fere de fide contentio inter Catholicos, et Nestorianos, hoc in uno constituendo vocabulo sita erat : ut Cyrillus testatur. Et Ephræmius Antiochenus patriarcha, « (4) ad certam catholicæ pietatis suæ faciendam omnino fidem sufficere *ait,* Dei genitricem sentire esse, profiterique sanctissimam Virginem. »

Sic Joannes Damascenus, « (5) Hoc nomen,

(1) HES. Τίκτειν καὶ ἐπὶ ἀῤῥένων· Τίκτεν ἀνὴρ ἀνάσσων Μυρμιδόνεσσιν.

(2) CYR. in Eph. syn. pag. 29. E. Ποῦ γάρ ἐστι Πατὴρ εἰ μὴ τέτοκεν ἀληθῶς, ἢ εἴπερ γεγέννηκε τὸ μὴ ὑφεστός ;

(3) CYR. ep. ad Joan. Ant. tom. 5. par. 2. p. 106. E. Ὅτι σχεδὸν ἅπας ἡμῖν ὁ περὶ τῆς πίστεως ἀγὼν συγκεκρότηται διαβεβαιουμένοις, ὅτι θεοτόκος ἐστὶ ἡ ἁγία παρθένος.

(4) EPHRÆM. apud Phot. cod. 228. pag. 408. Καὶ ἀρκεῖν πρὸς πᾶσαν εὐσεβῆ πληροφορίαν θεοτόκον φρονεῖν, καὶ λέγειν τὴν παναγίαν παρθένον.

(5) DAMASC. lib. 3. cap. 12. pag. 211. Τοῦτο γὰρ τὸ ὄνομα ἅπαν τὸ μυστήριον τῆς οἰκονομίας συνίστησιν. Εἰ γὰρ θεοτόκος ἡ γεννήσασα, πάντως Θεὸς ὁ ἐξ αὐτῆς γεννηθείς· πάντως δὲ καὶ ἄνθρωπος. Πῶς γὰρ ἂν ἐκ γυναικὸς γεννηθείη Θεὸς

[1] Apud Varronem. lib. 4. de lin. Lat. — [2] Tom. 5. Part. 2. pag. 423. — [3] Isa. 66. 9. — [4] Lib. 6. de Inc. c. 13. — [5] Tom. 4. Bibl. col. 840. ver. 13.

[6] Lib. 3. cap. 12. — [7] In Syn. 7. Act. 3. p. 601. — [8] Ibidem Act. 2. pag. 567. — [9] Pag. 45. — [10] Tom. 6. pag. 7. — [11] Plin. lib. 9. c. 35.

inquit, totum Incarnationis commendat mysterium. Nam si Dei genitrix est ea, quæ genuit; prorsus Deus est quem illa genuit: sed idem homo etiam est omnino. Qui enim ex muliere generetur Deus, qui ante secula extitit, nisi homo fiat? Siquidem filius hominis utique est homo. Quod si idem ex muliere natus, Deus est; unus erit nimirum, ex Deo Patre genitus secundum divinam, et initio carentem substantiam, et extremis temporibus natus ex Virgine, secundum eam substantiam, quæ initium habuit, et est subjecta tempori, videlicet humanam. Hæc autem unam hypostasim, et naturas duas, totidemque generationes exprimit Domini nostri Jesu Christi ».

Ita etiam Augustinus illum ex Evangelio Joannis[1] locum declarans, in quo matrem Christi Mariam vocat, accurate commendat hunc illius titulum. « Nullus, *inquit*, vobis corrumpat hanc fidem, si vultis sponso servare castam virginem etc. Si enim falsa mater, falsa caro, falsa mors, falsa vulnera passionis, falsæ cicatrices resurrectionis, non veritas credentes in eum, sed potius falsitas liberabit. Imo vero falsitas cedat veritati, et confundantur omnes, qui propterea se volunt videri veraces, quia Christum conantur demonstrare fallacem; et nolunt sibi dici, Non vobis credimus, quia mentimini: cum ipsam veritatem dicant esse mentitam. »

IV. Hæc eadem causa Nestorio fuit impugnandi, et, quoad potuit, extorquendi Christianorum ex usu vocabuli istius. Quem illius conatum, rationemque, qua se ad id inductum videri volebat, plene ac perspicue Theodoretus exponit in ejus Hæresi. « (1) Primum innovandi conatum, *ait*, in hoc adhibuit, ut assereret B. Virginem, quæ Dei Verbum carnem assumens ex seipsa genuit, non esse Dei genitricem confitendam, sed solum Christi genitricem. » Quod sic illum probare solitum refert: « (2) Christi, *inquit*, appellatio naturas duas significat, divinitatem unigeniti Filii, et humanitatem. At vero Dei vox absolute posita simplicem, et incorpoream Dei Verbi substantiam demonstrat: hominis autem solam declarat humanam naturam. Propterea Christiparam, ait, non Deiparam profiteri necesse est Virginem; ne imprudentes dicamus Deum Verbum initium existendi de sancta Virgine sumpsisse: atque hoc modo antiquiorem eo, quem ex se genuit, matrem ex consequenti fateri cogamur. »

Nestorii ipsius verba, quibus execrandam hanc impietatem publice Christiani populi auribus ingessit, refert[2] Cyrillus libro primo adversus hunc hæreticum, quibus frequenter ait interrogasse se adversantes sibi Catholicos, et θεοτόκου nomen illud propugnantes, ecquid divinitatem ex B. Virgine genitam natamve dicerent. Ad quod exhorrescentibus, et hoc vero negare se profitentibus ita se illis institisse dicit: « (3) Quid igitur absurdi loquimur, cum hoc vobis consilium damus, ut illud (Christiparæ) nomen usurpetis, et ad commune significatum naturarum duarum venire malitis? Tum vero, cum hoc dicimus, blasphemum esse id existimant. Atqui vel aperte confitere divinitatem e B. Maria esse genitam: vel si, tanquam blasphemam, hujusmodi vocem defugias, cur eadem mecum proferens, proferre te dissimulas? »

Idem certe Nestorius in epistola priore ad Cælestinum papam, vocem illam θεοτόκον penitus proscribendam judicat, cum sic scribit[3], « Sed et Virginem Christotocon ausi sunt cum modo quodam Theotocon dicere. Hanc enim Theotocon vocantes non perhorrescunt. » Et Cas-

ὁ πρὸ αἰώνων ἔχων τὴν ὕπαρξιν, εἰ μὴ ἄνθρωπος γέγονεν; ὁ γὰρ Υἱὸς ἀνθρώπου ἄνθρωπος δηλονότι. Εἰ δὲ αὐτὸς ὁ γεννηθεὶς ἐκ γυναικὸς Θεός ἐστιν, εἷς δηλονότι ὁ ἐκ Θεοῦ Πατρὸς γεννηθεὶς κατὰ τὴν θείαν, καὶ ἄναρχον οὐσίαν, καὶ ἐπ' ἐσχάτων τῶν χρόνων ἐκ τῆς παρθένου τεχθεὶς κατὰ τὴν ἠργμένην καὶ ὑπὸ χρόνον οὐσίαν, ἤτοι τὴν ἀνθρωπίνην. Τοῦτο δὲ μίαν ὑπόστασιν, δύο φύσεις, καὶ δύο γεννήσεις σημαίνει τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

(1) THEODORETUS lib. 4. de Hæret. fab. cap. 12. p. 245. C. tom. 4. Γίνεται δὲ αὐτῷ πρῶτον τῆς καινοτομίας ἐγχείρημα τὸ μὴ δεῖν τὴν ἁγίαν παρθένον, τὴν τὸν Θεοῦ Λόγον τεκοῦσαν ἐξ αὐτῆς σάρκα λαβόντα, Θεοτόκον ὁμολογεῖν, Χριστοτόκον δὲ μόνον.

(2) Ibid. D. Ἡ τοῦ Χριστοῦ προσηγορία, φησὶ, τῶν δύο φύσεων ἐστὶ σημαντικὴ, τῆς τε τῆς θεότητος τοῦ μονογενοῦς, καὶ τῆς ἀνθρωπότητος. Ἡ δὲ τοῦ Θεοῦ ἀπολύτως λεγομένη φωνὴ τὴν ἁπλὴν, καὶ ἀσώματον τοῦ Θεοῦ Λόγου παρίστησιν οὐσίαν, ἡ δὲ τοῦ ἀνθρώπου, μόνην τὴν ἀνθρωπείαν ὑποδείκνυσι φύσιν. Διὰ τοῦτο Χριστοτόκον, φησὶν, ἀλλ' οὐ Θεοτόκον τὴν παρθένον ὁμολογεῖν ἀναγκαῖον, μή ποτε λάθωμεν ἀρχὴν τοῦ εἶναι λέγοντες τὸν Θεὸν Λόγον ἐκ τῆς ἁγίας εἰληφότα παρθένου, καὶ οὕτω προγενεστέραν τὴν μητέρα τοῦ γεννηθέντος ἐξ αὐτῆς κατὰ τὸ ἀκόλουθον ὁμολογεῖν βιασθῶμεν.

(3) NESTOR. apud Cyr. lib. 1. cont. Nest. tom. 6. pag. 6. E. Τί οὖν ἄτοπον ἡμεῖς λέγομεν συμβουλεύοντες λέγειν τὴν φωνὴν, καὶ ἔρχεσθαι ἐπὶ τὸ κοινὸν σημαινόμενον τῶν δύο φύσεων; τότε νομίζεται αὐτοῖς εἶναι βλάσφημον τὸ λεγόμενον. Ἢ ὁμολόγησον σαφῶς θεότητα γεγεννῆσθαι ἐκ τῆς μακαρίας Μαρίας, ἢ φεύγων ὡς βλάσφημον τὴν φωνὴν, τί τὰ αὐτά μοι λέγων, ὑποκρίνῃ μὴ λέγειν;

[1] Joan. 3. — [2] Tom. 6. lib. 1. contr. Nestor. p. 6. D.

[3] Nestor. in Eph. Concil. pag. 182. A. 2.

sianus æqualis illius, diserte scribit, vocabulum hoc ab eo fuisse damnatum[1] : « Dicis itaque, quisquis es, *inquit*, ille hæretice, qui Deum ex Virgine natum negas, Mariam matrem Domini nostri Jesu Christi, θεοτόκον, id est matrem Dei, appellari non posse, sed Χριστοτόκον, hoc est Christi tantum matrem, non Dei. Nemo enim, inquis, antiquiorem se parit. »

Itaque instigante illo Dorotheus episcopus publice anathema pronuntiavit in eos, qui beatam Virginem θεοτόκον nominarent; et Anastasius presbyter eamdem vocem in concione, eo præsente repudiandam esse docuit, ut in primo libro memoravimus[2].

V. Nonnunquam tamen usurpandæ vocis illius copiam facere se jactabat, dum ei probabilis sensus subjiceretur. « (1) Si cum simplici fide genitricis Dei vocabulum proferres, ait apud Cyrillum Nestorius, non eam tibi vocem inviderem, dum in subjectam illi notionem inquirerem. Sed quoniam video te sub specie honorandæ B. Mariæ, hæreticorum firmare blasphemiam, idcirco prolationem ipsam vocis istius cautione quadam munio, quod sub eo vocabulo latere nescio quid periculi suspicer. » Quid autem insit periculi, mox aperit sic : Arium ait, et Eunomium, nec non Apollinarem, eorumque sectæ participes studuisse, Dei genitricis nomen introducere : «(2) ut facta permistione, nec divisis a se mutuo naturis, nihil indignum, ac vile humana in se natura susciperet, ac locus jam illis adversus divinitatem pateret; tanquam ab uno omnia dicerentur, non secundum dignitatis copulationem, sed ipsius ratione naturæ. » Hanc impietati suæ causam Nestorius prætexuit, asserens Deum incarnari, et humanæ naturæ ratione gigni non potuisse, nisi naturæ inter se confunderentur : ac divina gradu, et statu suo moveretur. Quo sensu vero θεοτόκον appellari permiserit, indicat Vincentius Lirinensis. « Est, *inquit*, singulari quodam Domini, ac Dei nostri, filii autem sui munere, verissime ac beatissime θεοτόκος confitenda. Sed non eo modo θεοτόκος, quo impia quædam hæresis suspicatur, quæ adserit eam Dei matrem sola appellatione dicendam, quæ eum scilicet peperit hominem, qui postea factus est Deus : sicut dicimus presbyteri matrem, aut episcopi matrem, non jam presbyterum, aut episcopum pariendo, sed eum generando hominem, qui postea presbyter, vel episcopus factus est. » Nimirum prius ac separatim formatum in utero fuisse Virginis hominem, perfecteque substitisse aiebat impurus hæresiarcha : deinde assumptum esse in ejusdem dignitatis communionem, ac nominis, sine ullo substantivo, et unum proprie ac per sese faciente nexu. Sic apud Maxentium Nestorianus in Dialogo primo[3] : «Quamvis, *inquit*, Theotocon beatam Virginem confiteri, nec ego refugiam : non tamen quod Deum, sed quia hominem genuerit Deo unitum, idcirco eam confiteor Theotocon. » Tum instante Catholico : « Si non Deum, sed hominem Deo unitum genuit sancta virgo Maria, est sine dubio juxta te anthropotocos, hoc est hominis genitrix, non Theotocos. Quo ergo modo Theotocon eamdem virginem profiteris, quam non Deum, sed hominem tantummodo prædicas genuisse ? » Respondet Nestorianus : « Unitione factum est, ut is, qui ex ea natus est, Deus appelletur, propter Deum videlicet, cui uniri, unamque cum eo dignitatem, et auctoritatem habere promeruit. »

Atque hoc melius ex ipsius Nestorii verbis, quæ in epistola ad Cælestinum papam scripsit, intelligetur[4]. « Si quis autem hoc nomen Theotocon, *inquit*, propter natam humanitatem conjunctam Deo Verbo, non propter parentem proponet, dicimus quidem hoc vocabulum in ea, quæ peperit, non esse conveniens. Oportet enim veram matrem de eadem esse essentia (qua est) ex se natum. Ferri tamen potest hoc vocabulum propter ipsam considerationem, et quod solum nominetur de Virgine hoc verbum, propter inseparabile templum Dei Verbi. Nemo enim antiquiorem se parit. »

VI. Neque vero Socrati assentior historico, qui negat, (3) revera Nestorium existimasse,

(1) CYRILL. 2. contra Nest. tom. 6. pag. 33. C. Εἰ μετὰ πίστεως ἁπλῆς τὸ, θεοτόκος, προέφερες, οὐκ ἂν σοι τῆς λέξεως ἐφθόνησα τὸν νοῦν ἐξετάζων τοῦ ῥήματος, ἀλλ' ἐπειδήπερ ὁρῶ σε προσφάσει τῆς περὶ τὴν μακαρίαν Μαρίαν τιμῆς, τῶν αἱρετικῶν βεβαιοῦντα τὴν βλασφημίαν, διὰ τοῦτο τὴν τῆς λέξεως προφορὰν ἀσφαλίζομαι, τὸν ἐν τῇ λέξει κρυπτόμενον κίνδυνον ὑφορώμενος.

(2) Ibid. D. Ὡς κράσεως γινομένης, καὶ τῶν δύο φύσεων μὴ διαιρουμένων, μηδὲν τῶν εὐτελῶν εἰς τὴν ἀνθρωπότητα λαμβάνεσθαι· καὶ χώραν αὐτοὺς λοιπὸν κατὰ τῆς θεότητος ἔχειν, ὡς πάντων λεγομένων παρ' ἑνὸς, οὐ κατὰ τὴν ἀπὸ τῆς συναφείας ἀξίαν, ἀλλὰ κατὰ τὴν φύσιν.

(3) SOCRAT. lib. 7. cap. 31. Οὔ μοι δοκεῖ ὁ Νεστόριος οὔτε τὸν Σαμοσατέα Παῦλον ζηλῶν, οὔτε μὴν Φωτεινὸν, μηδ' ὅλως ψιλὸν ἄνθρωπον λέγειν τὸν Κύριον, ἀλλα τὴν λέξιν μόνην, ὡς τὰ μορμολύκια πεφόβηται. Καὶ τοῦτο πέπονθεν ὑπὸ ἀμαθίας πολλῆς.

[1] Cass. 2. de Incarnat. cap. 2. — [2] Cap. 7. § 5.

[3] Tom. 4. Bib. col. 465. — [4] In Eph. Syn. pag. 182.

merum, ac simplicem hominem fuisse Christum, aut ad Pauli Samosateni, vel Photini hæresim adhæsisse : sed ob inscitiam, et neglectum antiquitatis, in cujus lectione parum versatus erat, solo vocabulo θεοτόκου offensum fuisse. Cui suffragatur Joannes Antiochenus in epistola quam ad eumdem scripsit Nestorium[1] : in qua hortatur ipsum, ut deposita pervicacia, ad communem Ecclesiæ professionem vocis illius τῆς θεοτόκου redeat. Etenim certo se istud accepisse, non rei esse, neque dogmatis, sed nominis tantummodo controversiam ; de cujus sensu, et interpretatione cum ab Cyrillo, aliisque Catholicis non dissideat, non debere ipsum de una vocula tantas excitare tragœdias : sed ad receptam per omnes Ecclesias consuetudinem usum suum, ac sententiam applicare. Hæc Joannes episcopus ; quem puto elevandi gratia, et ut ne tanti esse causam illam discedendi ab totius Ecclesiæ auctoritate Nestorius crederet, potius quam ex rei veritate, ista scripsisse. Nam omnino perperam, et impie de Christo Domino sensit Nestorius, ut in primo libro capite 9. præsertim ostendimus.

Neutiquam porro Nestorianis duntaxat aut displicebat, aut adversabatur illa vox θεοτόκου : sed etiam Apollinaris, Eutychisque fautoribus ; quanquam isti non palam abhorrere se ab illa præ se ferebant ; verum reipsa, et dogmate non parum ab ea erant alieni. Siquidem Apollinaris naturam hominis in Christo devocabat e cœlo ; ut et Eutyches : qua ratione nihil de B. Virginis substantia Christus accepisset, nec ab ea vere Deus homo genitus diceretur. Vide quæ de hac re scripsi in libro primo, capite 14[2]. et Eliam Cretensem ad orationem 51. Gregorii Nazianzeni[3].

Ut autem Socratis illud, ac Joannis Antiocheni de sola vocis contentione ab Nestorio suscepta falsum arbitror : ita verissimum esse puto, quod historicus ille de Nestorii inscitia memoriæ prodidit ; et quod affirmat, et ipsum in usu ac lectione antiquitatis rudem, et hospitem fuisse. Quod illius epistolæ vox ea declarat, quem paulo ante memoravi, in qua velut insolentem, et inusitatam appellationem τῆς θεοτόκου notat, et condemnat : non intelligens, hanc ipsam ab antiquis Patribus haud infrequenti usu celebratam fuisse. Qui nunc exemplis aliquot approbandus est : ut tanto major vocabulo isti, et ex eo sanctissimæ Dei matris honori ac venerationi auctoritas accedat.

VI. Ephræmius Antiochenus patriarcha, qui Justiniano Imperatore floruit, sanctitate vir, et doctrina celebris, in opere quodam, quod adversus Monophysitas pro Chalcedonensis synodi, et Leonis papæ auctoritate scripsit, primum ex sanctis Patribus Leonem magnum asserit, « (1) nominatim Dei matrem appellasse sanctam Virginem : cum antecedentes omnes Patres non tam claris, ac disertis vocibus istud elocuti fuerint. » Atque idem alias, illius delati B. Mariæ tituli primas tribuit Elizabethæ Zachariæ conjugi, quæ sic illam salutavit[4] ; *Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me ?* (2) Quod deinde ceteris omnibus apertius Leo papa pronuntiavit. Affert autem hujus ex epistola ad Leonem imperatorem, quæ numeratur nonagesima septima, locum istum : « (3) Anathematizetur ergo Nestorius, qui B. virginem Mariam, non Dei sed hominis tantummodo credidit genitricem, ut aliam personam carnis, aliam faceret deitatis. » Verum nec Elizabeth Dei matrem diserte nominat : siquidem *Domini* vox ab contentiosis hominibus ad merum hominem applicari potest : nec satis argumenti est in illis Leonis verbis, ut primus appelletur auctor illius Virgini tribuendi nominis, quod certe non aliud est, quam θεοτόκος. *Dei mater*, inquam, aut *Dei genitrix* hoc ipsum est, quod græce θεοτόκος. Quæ vox longe ante Leonem papam antiquis usitata fuit. Testis est Joannes Antiochenus in epistola ad Nestorium, qua hunc hortatur, ut, posita contentione, nomen illud impugnare desinat, « (4) quod a permultis Patribus compositum, scriptum, et pronuntiatum est. » Tum ita pertexit : « Hoc enim nomen nemo doctorum Ecclesiasticorum repudiavit. Nam et plures eo sunt usi, iique celebres : et qui usi non sunt, utentes non

(1) EPHRÆM. apud Phot. cod. 228. pag. 404. Καὶ ὅτι πρῶτος ἐν ἁγίοις Λέων ἰδικῶς εἶπεν αὐταῖς λέξεσιν, ὡς μήτηρ Θεοῦ ἐστιν ἡ ἁγία θεοτόκος· τῶν πρὸ αὐτοῦ πατέρων οὕτω διαπρυσίοις ῥήμασι μὴ τοῦτο φαμένων.

(2) EPHRÆM. ibid. pag. 407. Σαφέστερον δὲ τῶν ἄλλων μετὰ ταῦτα τὴν λέξιν πρῶτος ὁ ὅσιος Λέων ὁ Πάπας προήνεγκεν.

(3) Ibid. Ἀναθεματιζέσθω Νεστόριος, ὁ τὴν μακαρίαν καὶ θεοτόκον Μαρίαν οὐχὶ τοῦ Θεοῦ, ἀνθρώπου δὲ μόνον πιστεύων εἶναι μητέρα.

(4) JOAN. in Eph. syn. pag. 405. Πολλοῖς τῶν πατέρων καὶ συντεθὲν, καὶ γραφὲν, καὶ ῥηθέν. MOX : Τοῦτο γὰρ τὸ ὄνομα οὐδεὶς τῶν ἐκκλησιαστικῶν διδασκάλων παρῄτηται· οἵ τε γὰρ χρησάμενοι αὐτῷ πολλοὶ, καὶ ἐπίσημοι, οἵ τε μὴ χρησάμενοι οὐκ ἐπελάβοντο τῶν χρησαμένων.

[1] Tom. 2. Conc. p. 203. et seq.

[2] § 10. et seq. — [3] Num. 6. — [4] Luc. 1. 43.

reprehenderunt. » Theodoretus item in hæresi Nestoriana, scribit « (1) antiquissimos catholicæ fidei præcones, ex apostolica traditione, docuisse, matrem Domini nominandam, credendamque esse Dei genitricem. » Dei ecce genitricem, ex apostolica traditione, nuncupatam olim fuisse B. Mariam, Theodoretus affirmat. Cujus, ut et Joannis Antiocheni, testimonium eo pluris oportet fieri, quod ambo pro Nestorii fautoribus initio sese gesserunt : et Orientales, etiam illius hæresi damnata, plerique ceteroqui catholici, non valde inimico in eum fuerunt animo; æmulatione potissimum Alexandrinorum, quibus cum simultatis nescio quid fere semper habuerunt, ut ex actis Chalcedonensis concilii cognoscitur.

VII. Nam de Cyrillo, minus est mirum, dici ab eo, « (2) vocem τῆς θεοτόκου anterioris ætatis Patribus, qui rectæ fidei nomine celebrantur, usitatam fuisse. » Atque horum nonnullos citat, eorum verba describens, ex quibus aliquot tantummodo nominat in epistola quadam ad Acacium Berrhææ episcopum [1], in qua de Nestorio queritur, qui Dorotheum episcopum anathema iis passus est dicere, qui Mariam θεοτόκον appellant : qua una denuntiatione tot antiquos Patres constet esse proscriptos.

Nec illud prætermittendum est, in illis Patrum testimoniis, quibus θεοτόκου vocabulum asserere Cyrillus studet, paucos esse, qui nominatim illud usurpent, hoc est tres omnino de novem, quorum sententias exscribit; sunt autem novem isti, Athanasius, Atticus Constantinopolitanus, Antiochus, Amphilochius Iconii episcopus, Ammon Hadrianopolitanus, Joannes Constantinopolitanus, (is est Chrysostomus,) Severianus Vitalis episcopus, et Theophilus Alexandrinus, Cyrilli ipsius avunculus. Horum omnium sententias excerpsit Cyrillus, quarum tres solæ θεοτόκου vocem continent, ut Athanasii; cujus tamen locum non esse germanum ostendimus libro quarto, cum de locutione illa Cyrilli egimus, *una Verbi natura incarnata :* quod quidem in fragmento isto ab Cyrillo descripto, tanquam esset Athanasii, legitur ; cum probabilius sit Apollinaris esse. Præter hunc ergo, Antiochus, et Ammon θεοτόκον Mariam nominant; ceteri nihil aliud, nisi genitum, natumve de matre Virgine Deum affirmant. Quod mirum sane mihi videtur ; cum, et antequam loca illa proferret, in eum se finem afferre profiteatur, ut contra Nestorii temeritatem demonstret, « vocem illam, θεοτόκος, antiquis Patribus usitatam fuisse; » quæ verba proxime ante posui : et iisdem percensitis testimoniis, ita concludat : « (3) Ecce, *inquit*, omnes optimi, et sapientes, qui diversis temporibus ante nos extitere, Patres, Dei genitricem nominant Virginem sanctam : et cum naturali unitione copulatum esse carni divinum Verbum asseverent, idem et in utero Virginis genitum esse docent, et ex eo secundum carnem processisse : quamvis initio carentem, et omni anteriorem seculo, ac tempore generationem habuerit ex Patre. » Quis non ista legens, θεοτόκου vocem ipsam in allatis Patrum testimoniis requirat? Et tamen in plerisque solum illud occurrit, quod eodem recidit, et vim proprietatemque vocabuli complectitur, atque in Cyrilli postremis istis verbis continetur : divinum Verbum, præter æternam ex Patre generationem, qua divinitate communicata Deus est, nova in tempore generatione productum, hominis substantiam, ac nomen ex matre fœmina sumpsisse. Hoc autem omnino est esse θεοτόκον, id est *Dei genitricem*, et *partricem*, ut loquitur Rusticus.

VIII. Quoniam igitur connexa sunt hæc inter se duo ; Dei filium semel ex Patre genitum, rursus ex matre Virgine altera generatione prodiisse; et hanc esse θεοτόκον, hoc est genitricem Dei ; quidquid rationis, auctoritatisque confertur in unum probandum, non minus hoc adstruendo alteri serviet. Ita caput antecedens, θεοτόκον eo ipso beatam fuisse Virginem ostendit, quod ab illa vere proprieque genitum approbavit esse Dei filium, productis in medium haud paucis antiquorum senten-

(1) Theodor. lib. 4. de Hær. cap. 12. tom. 4. pag. 245. C. Τῶν πάλαι καὶ πρόπαλαι τῆς ὀρθοδόξου πίστεως κηρύκων, κατὰ τὴν Ἀποστολικὴν παράδοσιν, θεοτόκον διδαξάντων ὀνομάζειν, καὶ πιστεύειν τὴν τοῦ Κυρίου μητέρα.

(2) Cyrillus lib. de Rect. fide tom. 5. par. 2. pag. 47. Ὅτι δὲ καὶ ἡ θεότοκος φωνὴ καὶ αὐτοῖς γέγονε συνήθης τοῖς πρὸ ἡμῶν ἁγίοις πατράσιν, οἳ καὶ ἐπ' ὀρθῇ θαυμάζονται πίστει.

(3) Cyr. ibid. pag. 52. D. E. Ἰδοὺ δὴ πάντες οἱ πανάριστοί τε, καὶ σοφοὶ κατὰ καιροὺς ἡμῶν γεγονότες καὶ θεοτόκον ὀνομάζουσι τὴν ἁγίαν παρθένον. Ἡνῶσθαι δὲ κατὰ φύσιν διαβεβαιούμενοι τῇ σαρκὶ τὸν ἐκ Θεοῦ Λόγον, ἔν τε τῇ νηδυΐ γενέσθαι φασὶ τῇ παρθενικῇ, καὶ ἐξ αὐτῆς προελθεῖν κατὰ σάρκα, καί τοι τὴν ἄναρχον, καὶ πρὸ παντὸς αἰῶνος, καὶ χρονου λαχόντα γέννησιν ἐκ Πατοός.

[1] Cyril. tom. 5. par. 2. in epistolis p. 62.

tiis : ad quas accedere nunc illa par est eorum testimonia, quæ ibi Cyrillus laudavit. Ea vero idcirco in hunc locum distuli, quod eorum tractatio ex hujus propria capitis disputatione plus capere lucis, utilitatisque poterat. Horum testium, qui, sine θεοτόκου mentione, iteratam in Virginis utero Dei generationem confirmant, unus est non immerito mihi suspectus auctor, qui penultimo loco ab Cyrillo refertur, Vitalis episcopus : quem ego fuisse suspicor insignem illum Apollinaris discipulum, et ab eo Antiochiæ partis suæ ordinatum episcopum, de quo in libro primo, capite sexto diximus. Hic enim apud Damasum Romanum pontificem in suspicionem vocatus hæresis, ab magistro suo Apollinari vulgatæ, fidei suæ rationem illi reddidit. Est autem fragmentum illud Vitalis episcopi ab Cyrillo citatum [1], ex aliquo, ut apparet, fidei libello, et professione sumptum. Quod si Vitalis ille idem est Apollinaris discipulus, est cur miremur, sive hoc Cyrillum latere potuisse, quid hic hominis fuisset : sive, ut id non ignoraret, ne verbo quidem aut excusasse, quod tali teste uteretur ; aut de eo certe lectorem, quod hujus scire intererat, monuisse : sive denique hujusmodi ab illo suffragatorem esse quæsitum, cum tot ad manum essent integræ, illibatæque famæ, quales superiori capite commemoravi. Quanquam in illo Vitalis loco ab Cyrillo citato, nullum est hæresis vestigium ; sed sincere ac catholice concepta sunt omnia, et Apollinaris errori contraria.

Ibi inter alia « (1) verum » profitetur « Dei filium secundum æternam ex Deo generationem, etiam hominis filium esse factum, secundum alteram generationem ex Virgine. Atque hic idem est perfectus Deus secundum divinitatem, et consubstantialis Patri : ac perfectus homo secundum generationem ex Virgine, et consubstantialis hominibus secundum carnem. »

Sic Atticus Constantinopolitanus episcopus, qui Maximiano Joannis Chrysostomi successori in eam sedem subrogatus est, duplicem his verbis generationem Dei commendat : « (2) Hodie, *inquit*, Christus Dominus, plenam benignitatis nativitatem suscepit : nam secundum illam, quæ divinæ majestati congruit, jam existebat antea. »

Amphilochius item episcopus Iconii, in homilia de generatione secundum carnem, « (3) Omnium, *inquit*, opifex, qui ante universam creaturam visibilem, et invisibilem cum solo Patre, ac Spiritu Sancto immortalis existit, ecce hodie ex Virgine nascitur. »

Joannem exinde Constantinopolitanum episcopum citat, nempe Chrysostomum, qui in homilia de Divina generatione ita loquitur : « (4) Hodie qui est, nascitur, et qui est, fit quod non erat. Cum enim Deus esset, homo fit. » Præter hunc vero Chrysostomi locum alii sunt complures, qui duplicem Verbi generationem apertissime prædicant, e quibus unum alterumve referam. In homilia secunda in Matthæum : « (5) Valde, *inquit*, auditu mirum et inusitatum est, Deum inaccessum, et ineffabilem, et qui mente comprehendi nequit, ac Patri æqualem, per uterum venisse virgineum, et ex muliere gigni voluisse ; et habere stirpis auctores Davidem, et Abrahamum. » Tum de eodem Dei filio mox : « (6) Genitus est secundum carnem, ut tu spiritu gignaris : genitus est ex muliere, ut tu desinas mulieris esse filius. Propterea duplex facta generatio est, tum nostræ similis, tum nostra præstantior. » Et homilia 11. in Joannem : « (7) Factus est filius hominis, qui est germanus Dei filius, ut hominum filios Dei filios faceret. »

Post hunc Severianum laudat Cyrillus, cu-

(1) Cyr. tom. 5. par. 2. de Rect. fide, pag. 51. C. Υἱὸς γὰρ ὢν ἀληθῶς Θεοῦ, κατὰ τὴν ἀΐδιον ἐκ Θεοῦ γέννησιν, γέγονε καὶ Υἱὸς ἀνθρώπου κατὰ τὴν ἐκ παρθένου γέννησιν. Καὶ ἔστιν εἷς καὶ ὁ αὐτὸς τέλειος Θεὸς κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιος τῷ Πατρί· καὶ τέλειος ἄνθρωπος ὁ αὐτὸς κατὰ τὴν ἐκ παρθένου γέννησιν, καὶ ὁμοούσιος ἀνθρώποις κατὰ τὴν σάρκα.

(2) Attic. apud Cyrill. ibid. pag. 49. C. Σήμερον Χριστὸς ὁ δεσπότης γέννησιν ἀνεδέξατο. Τὴν γὰρ τῆς θεϊκῆς ἀξίας προϋπῆρχεν.

(3) Amphil. ibid. pag. 50. A. Ὁ ποιητὴς τῶν ὅλων, ὁ πρὸ πάσης κτίσεως ὁρατῶν τε, καὶ ἀοράτων, μόνῳ Πατρὶ, καὶ Πνεύματι συνυπάρχων ἀθάνατος, σήμερον ἰδοὺ ἡμῖν ἐκ παρθένου γεννώμενος, χωρὶς πάσης ἁμαρτίας.

(4) Chrys. ibid. E. Σήμερον ὁ ὢν τίκτεται, καὶ ὁ ὢν γίνεται ὅπερ οὐκ ἦν· ὢν γὰρ Θεὸς, γίνεται ἄνθρωπος.

(5) Tom. 2. Savil. pag. 9. ver. 24. Καὶ γὰρ καὶ σφόδρα παράδοξον ἀκοῦσαι, ὅτι ὁ Θεὸς ὁ ἀπρόσιτος, καὶ ἀνέκφραστος, καὶ ἀπερινόητος, καὶ τῷ Πατρὶ ἴσος, διὰ μήτρας ἦλθε παρθενικῆς, καὶ γενέσθαι ἐκ γυναικὸς κατεδέξατο, καὶ σχεῖν προγόνους τὸν Δαβὶδ, καὶ τὸν Ἀβραάμ.

(6) Ibid. ver. 36. Ἐγεννήθη γὰρ κατὰ σάρκα, ἵνα σὺ γεννηθῇς κατὰ Πνεῦμα· ἐγεννήθη ἐκ γυναικὸς, ἵνα σὺ παύσῃ γυναικὸς ὢν Υἱός. Διὰ τοῦτο διπλῆ γέγονεν ἡ γέννησις, καὶ ἐοικυῖα ἡμῖν, καὶ ὑπερβαίνουσα τὴν ἡμετέραν φύσιν.

(7) Id. hom. 11. in Joan. pag. 598. ver. 11. Ἐγένετο γὰρ Υἱὸς ἀνθρώπου, Θεοῦ γνήσιος ὢν Υἱὸς, ἵνα τοὺς τῶν ἀνθρώπων υἱοὺς τέκνα ποιήσῃ Θεοῦ.

[1] Cyr. de rec. fide tom. 5. par. 2. p. 51.

jus hæc verba sunt : « (1) Etenim Verbum illud, quod superne arcana quadam, et inexplicabili, et incomprehensa ratione, ex æterno genitum est a Patre, idem in tempore ex virgine Maria inferne genitum est. »

IX. Nunc qui θεοτόκον nominatim beatam appellarunt Virginem, nonnullos proferemus, ex iis, qui Nestorium, et Ephesinam synodum antecesserunt, plerosque antiquiores tribus illis, quos commemoravit Cyrillus. Horum primus sit Origenes : quem testis est Socrates tomo primo in epistolam ad Romanos[1], explicantem quomodo θεοτόκος dicatur, latius istud inquisivisse. Post hunc Dionysius Alexandrinus in epistola synodica ad Paulum Samosatenum, non solum generationem Verbi duplicem diserte commendat ; sed etiam θεοτόκον matrem illius appellat. « (2) Quinam tu dicis, *ait*, hominem eximium Christum, et non Deum verum existentem, et adoratum ab universa creatura cum Patre, et Spiritu sancto, incarnatum e sancta virgine, et Dei genitrice Maria? » Et in Responsione ad quæstionem quintam hæretici ejusdem, de Isaiæ verbis istis, *Ecce Virgo concipiet*, disputans, « (3) Ostendit, *inquit*, Dei genitricem Virginem quemdam concepisse : quem quidem nos agnovimus Deum nostrum, et Patri coæternum filium Verbum. » Sic Mariam θεοτόκον paulo post vocat [2]; et sæpius eamdem vocem repetit. Alexander etiam Alexandrinus episcopus in epistola ad Alexandrum Constantinopolitanum episcopum eamdem B. Virgini appellationem tribuit [3].

Athanasius Alexandri successor, et hæres odii in Arianam hæresim, passim θεοτόκον nominat S. Mariam virginem, præsertim in tertio libro de Trinitate. (Sic enim ab Cyrillo laudatur in epistola ad monachos.) Ea est quæ vulgo inscribitur Oratio quarta contra Arianos. In qua sæpe vocabulum istud occurrit [4]. Est autem obiter illud observandum, antiquos scriptores Athanasii orationes illas librum appellare de Trinitate, ut ibi Cyrillus. Tum ex quinque, ut nunc inscribuntur, quatuor solas recensere, prima detracta : quæ non est ejusdem cum sequentibus argumenti. Nam in istis adversus Arianam hæresim disputat, eamque rationibus, et Scripturæ testimoniis refellit, et quibus argumentis nitebatur, ea dissolvit. Prima autem nihil horum facit : et est encyclica contra Arianos epistola ; qui illi titulus græce præfigitur. Ideo quæ secunda vulgo numeratur, πρῶτος λόγος ab Græcis plerisque dicitur, quem *primum librum* satius sit latine vertendo nominare ; non ut solent *orationem*. Est enim λόγος non solum *oratio*, sed etiam *liber*. Atque hoc jam alibi notare memini. In actione tamen quarta Synodi septimæ [5], ne quid dissimulem, locus quidam ἐκ λόγου τετάρτου κατ' Ἀρειανῶν profertur, cujus initium est, οἱ Ἀρειομανῖται. Quæ est oratio quarta. Sed vetustiores illo, quem dixi, modo numerant.

Certe qui ab Cyrillo in illa ad Monachos epistola citatur locus ex libro tertio de Trinitate, sumptus est ex oratione quarta ; qui sic habet : « (4) Itaque divinæ Scripturæ scopus iste est, et formula propria, ut sæpe dixi, ut duplicem agnoscamus in ea de Salvatore loquendi rationem : nimirum tum Filium fuisse semper, et esse Deum, qui sit Verbum, et splendor, ac sapientia Patris : tum postea propter nos eumdem illum assumpta carne de virgine Dei genitrice Maria, hominem esse factum. » Sunt et alia loca Athanasii [6], in quibus θεοτόκον vocat B. Virginem.

X. Basilius in homilia 25. de humana Christi generatione [7] θεοτόκον similiter eamdem appellat. Ita et Gregorius Nazianzenus, qui et duplicem filii Dei generationem adstruit adversus Arianos, opponentes idcirco non gigni Filium a Patre, quod generatio omnis adjunctam habeat passionem. At hos redarguit Gregorius,

(1) SEVER. apud Cyr. de Rect. fide tom. 5. par. 2. pag. 51. Ὁ γὰρ γεννηθεὶς ἄνωθεν ἐκ Πατρὸς Λόγος ἀποῤῥήτως, ἀφράστως, ἀκαταλήπτως, ἀϊδίως, ὁ αὐτὸς ἐν χρόνῳ γεννᾶται κάτωθεν ἐκ παρθένου Μαρίας.

(2) DION. Alex. tom. 11. bib. PP. pag. 276. B. Πῶς σὺ λέγεις ἄνθρωπον κατεξαίρετον τὸν Χριστὸν, καὶ οὐ Θεὸν ὄντα ἀληθινὸν, καὶ προσκυνούμενον παρὰ πάσης κτίσεως σὺν Πατρὶ, καὶ ἁγίῳ Πνεύματι, τὸν σαρκωθέντα ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου, καὶ θεοτόκου Μαρίας ;

(3) Ibid. pag. 286. Καὶ δείκνυσιν ὅτι ἡ θεοτόκος τινὰ συνέλαβεν, ἡ παρθένος δηλονότι· ὅν τινα ἡμεῖς ἐγνωρίσαμεν ἡμῶν μὲν Θεὸν, τοῦ δὲ Πατρὸς συναΐδιον ὄντα Υἱὸν Λόγον.

(4) ATHAN. orat. 4. pag. 273. A. cit. a Cyrillo in ep. ad Monac. pag. 4. Σκοπὸς τοίνυν οὗτος, καὶ χαρακτὴρ τῆς γραφῆς, ὡς πολλάκις εἴπομεν, διπλῆν εἶναι τὴν περὶ τοῦ Σωτῆρος ἀπαγγελίαν ἐν αὐτῇ. Ὅτι τε ἀεὶ Θεὸς ἦν, καὶ ἔστιν ὁ Υἱὸς Λόγος ὢν, καὶ ἀπαύγασμα, καὶ σοφία τοῦ Πατρὸς, καὶ ὅτι ὕστερον δι' ἡμᾶς σάρκα λαβὼν ἐκ παρθένου τῆς θεοτόκου Μαρίας, ἄνθρωπος γέγονε. Citatur et ab Euthym. in Panop. tit. 11. pag. 148. ex lib. 3. contra Arian.

1 Socrat. l. 7. c. 32. — 2 Pag. 287. D. et pag. 289. B. 295. C. 296. C. — 3 Alex. in epist. sub fin. apud Theod. tom. 3. operum illius p. 535. A.

4 Ut pag. 261. C. 273. A. 275. E. 276. A. — 5 Tom. 5. Conc. p. 647. — 6 Ut Orat. 5. p. 522. et lib. de Incarn. Verb. 463.— 7 Basil. tom. 1. p. 590. C.

« (1) qui discernere istud nequiverint, eum, cujus diversa sit carnalis generatio, (ubi enim alias apud homines Dei genitricem nosti virginem?) hujus diversam quoque ab aliis esse generationem. » Et epistola priore ad Cledonium, « (2) etiam ab divinitate separat eos, qui Dei genitricem Mariam esse non existimant. » Sic Amphilochius Oratione quarta[1] eumdem titulum confert in sanctissimam Virginem.

Proclus item Oratione prima, quæ initio Ephesinæ synodi præfigitur, sub ipsum exordium θεοτόκον vocat. His adde laudatos a Cyrillo, ut paulo ante dixi, duos, Antiochum, et Ammonem.

Sed illustre cumprimis est ejus rei argumentum, quam crebro vox illa Christianorum in usu versata sit, quod ex impii Juliani et apostatæ testimonio capitur. Nam apud Cyrillum Alexandrinum, octavo in libro contra ipsum, ejus verba referuntur, quibus Christum negat esse Deum, et Christianos irridet, quod illius matrem passim Dei genitricem nominent. « (3) Atqui vos, *inquit*, Mariam non non cessatis vocare θεοτόκον, id est Dei genitricem. » Et in epistola ad Photinum hæreticum, quam Facundus libro quarto, capite secundo refert, ita impius ille loquitur : « Tu quidem, o Photine, verisimilis videris, et proximus salvare, benefaciens nequaquam in utero inducere, quem credidisti Deum. » Ex quo illud apparet, communem et tralatitiam apud Christianos vocem illam extitisse.

Post Ephesinam synodum, damnatumque Nestorium, Synodi omnes, et imprimis œcumenicæ, tum ceteræ fere, in quibus de fide aliquid est sancitum, idem *Dei genitricis* vocabulum magno studio frequentarunt. Imprimis autem Chalcedonensis, in eo quod condidit fidei decreto, comprobavit; et quinta, atque sexta. Ex particularibus synodis unam tantummodo hic referam Carthaginensem quartam, quæ in capitulo primo de Filio loquens, vim nominis expressit, « Deus verus, *inquit*, ex Patre, homo verus ex matre, carnem ex matris visceribus habens, et animam humanam rationalem, simul in eo ambæ naturæ, id est, Deus, et homo una persona, unus Filius, unus Christus, etc. » Nunc illius vocabuli reddenda ratio est, et quæ adversus istud ab hæreticis opponi solerent, explicanda breviter : idque in caput sequens, ne sit hoc longius, differendum videtur.

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

Declaratur vocabuli θεοτόκου ratio, ob quam B. Mariæ virgini proprie convenit. — 1. Ac primum ostenditur, Christum ex matris substantia aliquid traxisse, contra quam veteres hæretici opinati sunt. — 2. Qui e Scripturis convicti, tum ex antiquioribus Patribus, ut Ignatio, — 3. Irenæo, — 4. Tertulliano, — 5. et aliis. Lucæ locus illustratur ; — 6. argumentis itidem approbatur; quia non esset alioqui filius hominis ; — 8. nec de semine Davidis.

I. Ad Nestorii convincendam penitus, et expugnandam hæresim, et ut integerrimæ Dei matris dignitas ab illius defensa calumniis, splendorem suum obtineat, capitis hujus et sequentium aliquot disputatio proprie suscipitur. In quo explicare istud aggredimur, quemadmodum beatissima Christi parens, et Virgo, quoque jure, θεοτόκος, id est non *partrix* solum, ut ita dicam; sed etiam *genitrix Dei*, non abusione aliqua, vel figurata locutione, sed vero, nativo, ac proprio sermone dicatur.

Hoc ut ordine tractatum, ac via disceptari melius possit, inde, opinor, auspicandum est, ut ex sanctæ illius matris utero, hoc est de

(1) GREGOR. Nazianz. orat. 35. pag. 564. A. Καὶ οὐδ' ἐκεῖνο δύνασαι συνιδεῖν, ὅτι ᾧ διάφορος ἡ κατὰ σάρκα γέννησις ἐξαλλάττουσα, μᾶλλον δὲ ᾧ τὸ εἶναι μὴ ταὐτὸν, τούτῳ καὶ τὸ γεννᾷν διάφορον.

(2) Id. orat. 51. pag. 738. D. Εἴ τις οὐ θεοτόκον τὴν Μαρίαν ὑπολαμβάνει, χωρίς ἐστι τῆς θεότητος.

(3) CYRILL. tomo 6. pag. 262. Θεοτόκον δὲ ὑμεῖς οὐ παύεσθε Μαρίαν καλοῦντες.

[1] Pag. 41. D.

ejus substantia, traxisse aliquid Christum, ac *secundum carnem* (uti Patres loquuntur, naturam intelligentes hominis) vere ab illa genitum esse monstremus. Nam eo vel concesso, vel probato; quod minori contentione, nec plerisque refragantibus, obtinetur; erit in altero victoria certior, ac facilior.

Christum itaque carnem, sive potius perfectam hominis naturam, materno ex utero sumpsisse, in antecedentibus capitibus ostensum est; maxime in 14. ubi revera Deum ex utero matris esse genitum adstruximus: quod, ut dixi, non alio sensu potest intelligi, quam si carnem, hominisve indidem naturam cepisse dicatur. In quo duo hæreticorum genera refutantur: quorum alii non veram carnem, veramque substantiam ceterorum hominum similem assumptam esse finxerunt, sed illius effigiem duntaxat, et larvam: tanquam spectrum aliquod hominis, non homo Christus esset, ut quos Δοκητὰς, et Φαντασιαστὰς vocarunt. Alii veram quidem carnem, veramque naturam hominis ascitam fatentes, non eam tamen ex Virginis utero decerptam, ac proprie dicta generatione formatam putaverunt; sed vel e cœlesti materia fictum elaboratumque nescio quod humanum corpus; vel aliunde saltem, quam ex ipsa parturientis massa, et substantia, velut per canalem, et tubum per illa sacrosanctæ Virginis transisse viscera dixerunt.

II. Utraque pravitas erroris antiquissima est, et ipsis nata temporibus apostolorum, ut ex primo libro hujus operis constat: in quam propterea confutandam, opprimendamque, sedulam operam navarunt apostoli, primique post eos, et omnium vetustissimi scriptores ecclesiastici, ut inter apostolos Joannes evangelista, qui in Evangelio, et in canonicis suis epistolis, multa jecit in illos gravia, et sententiosa dicta. Ex Patribus vero præcipue Justinus, Ignatius, Irenæus, hæreses illas notarunt. Justinus quidem variis in locis, maxime vero in Dialogo, Christum ex Maria factum hominem asseverat. Ut cum illa etiam Psalmi verba [1], *Ex utero ante Luciferum genui te;* et quæ statim sequuntur, *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, significare dicit: « (1) Deum universorum parentem ex æterno etiam per humanum uterum, illum fuisse generaturum. » Et interjectis quibusdam, affirmat, « (2) ex Virgine, et per Virginem genitum esse, » idque testificatum esse prophetam Esaiam. Tum « (3) vere illum fuisse hominem *ait,* qui revera cruciatus sensu perceperit. » Et postea, « (4) Per Virginem hominem esse genitum: ut qua via ab serpente inobedientia sumpsit initium, eadem etiam via exitum capiat. »

Ignatius vero multis in locis vere ex Maria genitum esse Dei filium secundum carnem asserit: ut in capite 14. memoravimus. Est etiam insignis præ ceteris in epistola ad Trallianos: « (5) Vere, *inquit*, Maria genuit corpus, quod habitantem in se Deum habet: ac vere genitum est Verbum de Virgine indutum corpore iisdem nobiscum affectionibus obnoxio. Vere in utero conceptus est, qui universos homines formavit in utero: finxitque sibi corpus ex Virginis sanguine, citra ullam cum viro consuetudinem ». Qui locus Ignatii, ne quid dissimulem, in Florentino codice, qui omnium præstantissimus habetur, non extat. Sed satis est nobis, quod *vere genitum ex Virgine secundum carnem* idem Ignatius in epistola ad Smyrnæos, quæ prima est illo in codice, testatur filium Dei, ac vere carnem habere. Hæc enim ex consequenti docent, revera eumdem ex Mariæ substantia humanam assumpsisse naturam, et substantiam; quod egregie Patres affirmant.

III. Irenæus in tertio libro, capite 32. cum in antecedenti capite scripsisset, idcirco de Maria virgine formatum esse novum hominem, non autem ex limo, primi instar hominis; ne aliud opificium esset, et ab eo diversum, quod in corruptelam inciderat, et propterea reficiendum erat: his, inquam, explicatis, ita sermonem pertexit: « Errant igitur, qui dicunt eum nihil ex Virgine accepisse, ut abjiciant

(1) JUSTIN. dial. pag. 223. Οὐ σημαίνει ἡμῖν, ὅτι ἄνωθεν, καὶ διὰ γαστρὸς ἀνθρωπείας, ὁ Θεὸς καὶ Πατὴρ τῶν ὅλων γεννᾶσθαι αὐτὸν ἔμελλεν;

(2) Ibid. pag. 226. Ὅτι ἐκ παρθένου γεννητὸς, καὶ διὰ παρθένου γεννηθῆναι αὐτὸν διὰ Ἠσαΐου ἐπεπροφήτευτο.

(3) Ibid. pag. 254. Ὅτι ἀληθῶς γέγονεν ἄνθρωπος ἀντιληπτικῶς παθῶν.

(4) Ibid. pag. 256. Καὶ διὰ τῆς παρθένου ἄνθρωπος γεγονέναι· ἵνα καὶ δι' ἧς ὁδοῦ ἡ ἀπὸ τοῦ ὄφεως παρακοὴ τὴν ἀρχὴν ἔλαβε, διὰ ταύτης τῆς ὁδοῦ καὶ κατάλυσιν λάβῃ.

(5) IGNAT. Ἀληθῶς τοίνυν ἐγέννησε Μαρία σῶμα Θεὸν ἔνοικον ἔχον, καὶ ἀληθῶς ἐγεννήθη ὁ Θεὸς Λόγος ἐκ τῆς παρθένου, σῶμα ὁμοιοπαθὲς ἡμῖν ἠμφιεσμένος. Ἀληθῶς γέγονεν ἐν μήτρᾳ ὁ πάντας ἀνθρώπους ἐν μήτρᾳ διαπλάττων, καὶ ἐποίησεν ἑαυτῷ σῶμα ἐκ τῶν τῆς παρθένου αἱμάτων, πλὴν ὅσον ἄνευ ὁμιλίας ἀνδρός.

[1] Ps. 109.

carnis hæreditatem, abjiciant autem et similitudinem. Si enim ille quidem de terra, et manu, et artificio Dei plasmationem, et substantiam habuit; hic autem non manu, et artificio Dei, jam non servavit similitudinem hominis, qui factus est secundum imaginem ipsius et similitudinem, et inconstans artificium videbitur, non habens circa quod ostendat sapientiam suam. Hoc autem dicere est, et putative apparuisse eum, et tanquam hominem, cum non esset homo, et factum eum hominem, nihil assumentem de homine. Si enim non accepit ab homine substantiam carnis, neque homo factus est, neque filius hominis. Et si hoc non factus est, quod nos eramus, non magnum faciebat, quod passus est, et suscitavit. » Et paulo post : « (1) Ceterum supervacua est in Mariam descensio ejus. Quid enim in eam descendebat, si nihil incipiebat sumere ab ea? Aut si nihil sumpsisset ex Maria, nunquam eas, quæ a terra erant, percepisset escas, per quas id, quod a terra sumptum erat, nutritur corpus. »

Quamobrem idem esse Irenæus interpretatur affirmare Christi corpus specie tenus, et apparens tantum extitisse, et aliunde quam ex Maria virgine illud acceptum fuisse. Quod et in libro quinto repetit : « (2) Ostendimus autem, *ait*, quoniam idem est putative dicere eum visum, et nihil ex Maria accepisse. Neque enim esset vere sanguinem, et carnem habens, per quam nos redemit, nisi antiquam plasmationem Adæ in semetipsum recapitulasset. Vani igitur, qui a Valentino sunt, hoc dogmatizantes, uti excludant salutem carnis et reprobent plasmationem Dei. »

IV. Tertullianus in libro de carne Christi, capite 19. eumdem Valentinum hæreticum refellens, inde insuper argumentatur, ex B. Virginis utero Christi carnem esse sumptam, quod alioqui frustra « descendens de cœlo sanctus ille spiritus Dei, sanctam Virginem, cujus utero se insinuaret, elegit, » ut Lactantii verbis[1] utar, qui *sanctum Dei spiritum* appellat personam filii Dei : quemadmodum et Tertullianus, qui sic scribit[2] : « Oro vos, si Dei spiritus non de vulva carnem participaturus descendit in vulvam, cur descendit in vulvam? Potuit enim extra eam fieri caro spiritalis, simplicius multo, quam intra vulvam, fieret extra vulvam. Sine causa eo se intulit, unde nihil extulit. Sed non sine causa descendit in vulvam : ergo ex illa accepit. Quia si non ex illa accepit, sine causa in illam descendit, maxime ejus qualitatis caro futurus, quæ non erat vulvæ, id est spiritalis. »

Mox instat ex vi et notione præpositionis *ex*, qua sacræ utuntur litteræ : de qua etiam confligentes, et tergiversantes hæreticos pulchre redarguit. Et digna sunt illius verba, quæ hoc loco referantur[3] : « Qualis est autem tortuositas vestra ut ipsam (Ex) syllabam, præpositionis officio adscriptam, auferre quæratis, et alia magis uti, quæ in hac specie non invenitur penes Scripturas sanctas? Per Virginem dicitis natum, non ex Virgine, et in vulva, non ex vulva, quia et Angelus in somnis ad Joseph, Nam quod in ea natum est, inquit, de Spiritu sancto est; non dixit ex ea. Nempe tamen, etsi ex ea dixisset, in ea dixerat. In ea enim erat, quod ex ea erat. Tantumdem ergo et cum dicit, in ea, et ex ea consonat : quia ex ea erat, quod in ea erat. Sed bene, quod idem dicit Matthæus, originem Domini decurrens ab Abraham, usque ad Mariam, Jacob, inquit, generavit Joseph virum Mariæ, ex qua nascitur Christus. Sed et Paulus grammaticis istis silentium imponit : Misit, inquit, Deus filium suum factum ex muliere. Numquid per mulierem, aut in muliere? Hoc quidem impressius, quod factum potius dicit, quam natum : simplicius enim enuntiasset natum. Factum autem dicendo, et Verbum caro factum est consignavit, et carnis veritatem ex Virgine factam adseveravit. »

Animadvertis ut ex eo, quod in utero gestatus esse Christus simpliciter dicatur, aut etiam ex utero fusus in lucem, et partu editus, non se convictos penitus arbitrentur impudentes, et contentiosi hæretici, ut a virgine Maria genitum eumdem esse fateantur : nisi ex ea genitum esse, et ab ea carnem sumpsisse disertis

(1) Iren. apud Theodoret. dial. 1. tom. 4. p. 35. A. Ἐπεὶ περισσὴ καὶ ἡ εἰς τὴν Μαρίαν αὐτοῦ κάθοδος. Τί γὰρ καὶ εἰς αὐτὴν κατῄει, εἰ μηδὲν ἔμελλε λήψεσθαι παρ' αὐτῆς; ἔτι τε εἰ μηδὲν εἰλήφει παρὰ τῆς Μαρίας, οὐκ ἂν τὰς ἀπὸ γῆς εἰλημμένας προσίετο τροφὰς, δι' ὧν τὸ ἀπὸ γῆς ληφθὲν τρέφεται σῶμα.

(2) Id. lib. 5. cap. 1. apud Theodor. dial. 2. t. 4. pag. 87. D. Ἀπεδειξαμεν δὲ τι ὅτὸ αὐτό ἐστι δοκήσει λέγειν πεφηνέναι, καὶ οὐδὲν ἐκ τῆς Μαρίας εἰληφέναι. Οὐδὲ γὰρ ἦν ἀληθῶς σάρκα, καὶ αἷμα ἐσχηκὼς, δι' ὧν ἡμᾶς ἐξηγοράσατο, εἰ μὴ τὴν ἀρχαίαν πλάσιν τοῦ Ἀδὰμ εἰς ἑαυτὸν ἀνεκεφαλαιώσατο· μάταιοι οὖν οἱ ἀπὸ Βαλεντίνου τοῦτο δογματίζοντες, ἵνα ἐκβάλωσι τὴν ζωὴν τῆς σαρκός.

[1] Lact. lib. 4. c. 12.

[2] Tertul. de carn. Chr. c. 19. — [3] Ibid. c. 20.

verbis asseverari audiant. Ideo nos θεοτόκον jure contendimus supra non ab eo dici solum, quod peperit, sed etiam quod genuit. Ecce quoniam apud Matthæum Angelus ita loquitur : *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*, in hoc illi latebram erroris ac perfidiæ suæ repererunt. Sed frustra; ut recte Tertullianus ostendit. « Non enim suscepit, quod edidit, ut scribit Hilarius [1], sed caro carnem sine elementorum nostrorum pudore provexit, et perfectum ipsa de suis non immutata generavit. » « Genuit etenim, ait idem [2], ex se corpus; sed quod conceptum esset ex Spiritu, habens in se sui corporis veritatem, sed non habens naturæ infirmitatem ; dum et corpus illud corporis veritas est, quod generatur ex Virgine, et extra corporis nostri infirmitatem est, quod spiritalis conceptionis sumpsit exordium. »

V. Præclare vim præpositionis illius, *ex*, Ephræm Syrus expressit in oratione de margarita pretiosa : ubi præter illa duo loca, ab Tertulliano in hoc allata, ut ex Maria genitum esse Christum, ac Dei filium probaret, Matthæi scilicet [3], qui *Joseph virum Mariæ* dixit, *de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus :* et Pauli, qui *filium Dei factum* ait *ex muliere* : tertium suppeditat ex Lucæ Evangelio ; apud quem Gabriel angelus B. Virginem sic alloquitur [4], *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei.* « Non dixit, quod genitum fuerit, ait Ephræm [5], iterum gignetur : neque dixit, quod nascetur ex virtute, vel Spiritu sancto : sed, ex te ; ut virginis naturam ostenderet Deitati ministrantem, assumptionemque in ipsa, et ex ipsa Deo conjunctam. Nisi enim dixisset, quod nascetur ex te, fortasse figuram existimatum fuisset Verbum assumpsisse. » Hoc ipsum est, quod Irenæum paulo ante memorantem vidimus, nisi ex Maria formata esset, ac genita Christi caro, non eam solidum, ac verum quippiam, sed apparens, et adumbratum, existimari debere.

Pergit vero sanctus Ephræm : « Quædam tamen exemplaria supprimunt illa, *ex te,* ut hæresibus gratificentur. Tametsi non admittis, o hæretice, hæc verba, *ex te* , tamen additio verbi adhuc sententiam conservat. Ait enim, Ideo et quod nascetur, assumptionis nexum significans. Ceterum conceptio naturam arguit, et figuram rejicit. »

Quod ait Ephræmius, exemplaria quædam voculis istis duabus, *ex te*, carere, id verum est. Absunt enim in nonnullis tam scriptis, quam cusis. Nec temere suspicatur vir eruditus Hugo Grotius ab Eutychianis inductas illas voculas : quæ in emendatioribus codicibus leguntur. Certe apud Irenæum occurrunt in tertio libro, capite 26. Qui quod easdem omisit capite primo libri quinti, eo, quia necessariæ non erant, fecit. Non enim integrum Evangelistæ locum citare illic instituit : sed adversus Ebionitas ostendere, Christum esse *Dei patris omnium filium.* Ad id autem satis erant voces illæ τὸ γεννώμενον ἅγιον, ut quod *genitum est*, *sanctum* appelletur, et *filius Altissimi.*

Agnoscit quoque Tertullianus voculas istas libro contra Praxean, capite 26. At in quarto contra Marcionem, capite septimo, pro *ex te* posuit *in te*, quemadmodum legit et Cassianus libro secundo de Incarnatione, capite secundo. Novatianus item *ex te* legit [6]. Ex græcis interpretibus Titus Bostrensis easdem asciscit, quæ apud Theophylactum omittuntur.

Verum Athanasius in epistola ad Epictetum diserte particulas istas adhibet, indeque adversus orientem tunc Apollinaristarum hæresim, confirmat Christi carnem ex Maria virgine procreatam fuisse. « (1) Non enim, *ait*, absolute dixit, quod gignetur in te ; ne extrinsecus in illam inductum corpus esse putaretur : sed, ex te, dixit ; ut quod vere genitum esset, originem ex illa sumpsisse manifeste crederetur. »

VI. Nec ideo solum quia non dixit, *in te,* catholicæ fidei suffragatus est contra hæreticos illos, qui in uterum B. Virginis aliunde illapsum, velut adventitium, et alienum fœtum, nefarie commenti sunt, sed etiam quia non dixit, *per te nascetur* : ut idem Athanasius docet in homilia quadam, quæ inscribitur *contra omnes hæreses*, (si est tamen Athanasii ; quod non arbitror.) Reprehendit enim illic Marcionem, Valentinum, et Basilidem asserentes Dominum, velut aquam per canalem, ita per illibatum transisse Virginis uterum. Hos autem istis ipsis ex Angeli verbis refellit :

(1) Athan. apud Epiphan. hær. 77. § 7. p. 1001. Καὶ ὁ Γαβριὴλ δὲ ἀσφαλῶς εὐηγγελίζετο αὐτῇ λέγων οὐχ ἁπλῶς, τὸ γεννώμενον ἐν σοί, ἵνα μὴ ἔξωθεν ἐπεισαγόμενον αὐτῇ σῶμα νομισθείη· ἀλλ' ἐκ σοῦ, ἵνα φύσει τὸ γεννώμενον ἐξ αὐτῆς εἶναι πιστευθείη φανερῶς.

[1] Hilar. lib. 3. p. 14. F. — [2] Id. lib. 10. pag. 73. B. — Mat. 1. 16.

[4] Luc. 1. 35. — [5] Ephr. p. 670. — [6] Lib. de Trin. c. 19.

Quod enim nascetur ex te, etc. « (1) Nam si dixisset, *inquit*, per te, verisimile aliquid haberet hæc impudentia. Cum autem dixerit, ex te, demonstrat, ex ipsa divinum Verbum humanum sumpsisse templum : » hoc est, « (2) in utero Virginis factum esse carnem, et ex eodem secundum carnem prodiisse ; » ut loquitur Theophilus Alexandrinus. « Nihil autem prodest, ait S. Leo [1], Dominum nostrum beatæ Mariæ virginis filium hominem dicere, si non illius generis, atque seminis homo creditur, cujus in ipso Evangelii exordio prædicatur. » Non enim esset hominis, id est Virginis, e qua sola natus est, filius, si non ex illius substantia propriam sibi cepisset. « Nam quomodo, scribit Hilarius [2], filius Dei hominis filius erit natus, vel manens in Dei forma formam Dei acceperit, si non potente Deo Verbo ex se et carnem intra Virginem assumere, et carni animam tribuere, homo Christus Jesus ad redemptionem animæ, et corporis nostri perfectus est natus : et corpus quidem ita assumpsit, ut id ex Virgine conceptum, formam eum esse servi effecerit ? Virgo enim nonnisi ex sancto Spiritu genuit quod genuit. Et quamvis tantum ad nativitatem carnis ex se daret, quantum ex se fœminæ edendorum corporum susceptis originibus impenderent ; non tamen Jesus Christus per humanæ conceptionis coaluit naturam. » Quod autem statim addit, *Non enim ex se corpori Maria originem dedit*, sic intelligi debet, ut non sola virtute sua, et naturali efficientia corpus illud genuerit : sed operante, et in ea, ac per eam, deque ea, hoc est de ejus substantia, elaborante Spiritu sancto assumptæ carnis a Verbo substantiam. Itaque subinde ista pertexit Hilarius : « Licet ad incrementa, partumque corporis, omne, quod sexus sui naturale est, contulerit. »

VII. Brevi hoc, sed rotunda, et accurata sententia complexus est auctor ille, qui Justini inscriptus titulo, *Expositionem rectæ fidei* edidit, his verbis : « (3) Intermedia, *inquit*, usus Virgine, quæ de stirpe Davidica genus deducebat, propter divina illi edita promissa, ad œconomiam expediendam, et illius uterum subiens, tanquam divinum aliquod semen, templum sibi fabricavit, perfectum scilicet hominem : adeo ut ex ipsius natura partem aliquam caperet, et ad templi formationem quodammodo substantiaret. Cumque hoc summe sibi unitum induisset, filius Dei in utraque natura processit. Ex illo enim tempore Filius et Deus est, et homo. » Nimirum, « ut qui erat in divinitate Dei Patris filius, ipse fieret in homine, hominis matris filius, Deus verus ex Patre, homo verus ex matre, carnem ex matris visceribus habens, et animam humanam rationalem, » ut ait Carthaginensis quarta synodus [3].

Inter Athanasii apocrypha, opuscula sunt quædam, quæ Theodoreti potius esse, nonnulli ex Photio colligunt, ut jam dixisse memini. Horum in uno, quod est de verbis istis, *In principio erat Verbum*, refelluntur ii, qui negabant carnem Christi ex beatæ Virginis carne esse susceptam : hoc imprimis argumento, quod alioqui mater illa Christi non esset. « (4) Nam quomodo mater esset, cujus quod partu editum est, nullam partem aufert ? Quinam vero partus appelletur, peregrinus ille quasi per canalem transitus ? Vas itaque, non matrem faciunt illi sanctam Virginem. »

Proclus vero Cyzicenus adhuc episcopus, postea Constantinopolitanus, oratione prima in sanctam Virginem, quæ initio Ephesinæ synodi præfixa est, illud ipsum, pigmentis oratoriis ad exquisitam elegantiam ornatum, more suo studuit exprimere. Ibi inter alia beatam Virginem vocat, « (5) Incarnationis textorium jugum, in quo inexplicabili quodam modo unitionis tunica confecta est : cujus textor fuit Spiritus sanctus : netrix, illa quæ

(1) ATHAN. pag. 852. E. Εἰ οὖν εἶπεν, διὰ σοῦ, πιθανὴν εἶχον τὴν ἀναισχυντίαν. Ἐν δὲ τῷ λέγειν, ἐκ σοῦ, δείκνυσιν ὅτι ἐξ αὐτῆς ἔλαβεν ὁ Θεὸς Λόγος τὸν ναὸν ἄνθρωπον. for. ἀνθρώπινον.

(2) THEOPH. apud Cyr. lib. de Recta fide, tom. 5. par. 2. pag. 52. E. Ἔν τε τῇ νηδύϊ γενέσθαι φασὶ τῇ παρθενικῇ, καὶ ἐξ αὐτῆς προελθεῖν κατὰ σάρκα.

(3) JUST. pag. 299. ver. 18. Μέσῃ δὲ παρθένῳ ἐκ Δαυϊτικοῦ καταγομένῃ τοῦ γένους, διὰ τὰς πρὸς αὐτὸν ἐπαγγελίας, πρὸς τὴν τῆς οἰκονομίας χρῆσιν χρησάμενος, καὶ ταύτης τὴν νηδὺν εἰσδὺς, οἱονεί τις θεῖος σπόρος, πλάττει ναὸν ἑαυτῷ τὸν τέλειον ἄνθρωπον, μέρος τι λαβὼν τῆς ἐκείνης φύσεως, καὶ εἰς τὴν τοῦ ναοῦ διάπλασιν οὐσιώσας. Ἐνδὺς δὲ αὐτὸν κατ' ἄκραν ἕνωσιν, Υἱὸς Θεοῦ προῆλθεν ἄμφω τὰς φύσεις. Ἐξ ἐκείνου γὰρ ὁ Υἱὸς, καὶ Θεος, καὶ ἄνθρωπος.

(4) Tom. 2. Athan. pag. 250. D. Πρὸς δὲ τούτοις οὐδὲ ἡ παρθένος νοεῖται μήτηρ κατὰ τὸν ἐκείνων Λόγον εἴπερ ἑαυτὸν ὁ Λόγος σάρκα πεποίηκεν, οὐ σάρκα λαβὼν ἐξ αὐτῆς προελήλυθεν. Πῶς γὰρ μήτηρ, ἧς οὐδὲν τὸ τεχθὲν ἐπιφέρηται ; πῶς δ' ἂν καὶ λεχθείη τοκετὸς ἡ δίκην σωλῆνος ἀνοίκειος πάροδος ; σκεῦος οὖν ποιοῦσιν, οὐ μητέρα, τὴν ἁγίαν παρθένον.

(5) PROCL. in Eph. conc. pag. 2. A. Ὁ φρικτὸς τῆς οἰκονομίας ἱστὸς, ἐν ᾧ ἀῤῥήτως ὑφάνθη τῆς ἑνώσεως χιτὼν, οὗπερ ἱστουργὸς μὲν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον· ἔριθος δὲ ἡ ἐξ ὕψους

[1] Ep. 18. — [2] Lib. 10. p. 70. E.

[3] Carthag. Concil. 4. tom. 1. Concil. p. 727. D.

obumbravit ex alto virtus: lana fuit, vetus Adami vellus: trama, illibata ex Virgine caro: radius, immensa gestantis gratia: artifex, Verbum quod per auditum illapsum est. »

VIII. Audiamus et Ferrandum diaconum[1], qui filium hominis, quod in Scripturis sæpe audit, ac se ipse quoque nominat, neutiquam fore Christum ait, si nihil ex B. Virginis substantia cepisset: « Si secundum quod hæreticus (Eutyches) sapuit, imo vero desipuit, *inquit*, caro Verbi Dei secundum carnem nascentis, a carne Virginis pronuntiatur extranea, sine causa filius Dei etiam filius hominis est, qui originem non habet ex homine, si conceptus in utero virginali carnem non traxit ex carne. » Neque enim filius hominis est revera, nisi Mariæ sit filius. Non erit autem hujus filius, si nihil in eum de substantia sua contulit, eumque genuit: sed alicunde illapsum in uterum suum, quasi peregrinum onus effudit. « Si Deus Verbum, ait Ferrandi magister Fulgentius[2], sic in Virgine caro fieret, ut ex ea non fieret, procul dubio non de carne matris idem Deus haberet substantiam carnis, essetque ejus per Virginem transitus: atque ita nec mediatoris sacramentum nobis proficeret ad salutem, nec humanæ divinæque plenam in se Christus Dei filius inconfusibiliter uniret substantiæ veritatem. » Et postea: « Beata igitur Maria Deum Verbum, secundum quod caro factum est, et concepit, et peperit: cujus utero Verbum Deus non carnem, in qua conciperetur, intulit, nec ex ea materiam conceptæ, sive formatæ carnis non ipse Deus concipiendus, sed tantum nasciturus assumpsit: sed ex ea, et in eadem Virgine humanæ carnis naturam, secundum quam temporaliter Deus sempiternus conciperetur, et nasceretur, assumpsit. »

Plenius in eodem argumento versari Ferrandus instituit, et observata vi præpositionis *ex* in illo Apostoli loco[3], ubi *factum ex muliere filium* asserit *Dei*, sic deinceps hæreticos lacessit[4]: « Si igitur ex muliere Verbum caro factum est, caro Verbi indubitanter sumpta est de muliere, etc. Alioquin si fabricavit sibi Creator creandi novi generis carnem vel ex nihilo, vel unde voluit, apparere subito debuit oculis mortalium, quam decem mensibus tolerare parvi ventris hospitium, cujus magnitudini non sufficit cœlum. Quid necessarium fuit, ut Joseph sponsus fidelis videns conjugem castissimam, priusquam convenirent, effici genitricem, suspicaretur adulterium, quia nesciebat adhuc cœleste mysterium: fieret unigenitus Deus homo sicut sine homine patre, ita sine matre, si nihil ei accipiendum fuit ex matre: veniret ad filios hominum nullius hominis filius, si nihil habiturus esset commune cum filiis hominum? » Itaque « tolerabilius peccare » judicat, « qui natum de Maria tacet, quam qui natum confitendo, nihil de eo putat accepisse. »

IX. Huic etiam affine adjungit argumentum, quod falso ab Apostolo[5] etiam ex Davidis semine factus dicitur. « Qua enim ratione fieret, *inquit*, ex semine David, nisi carnem suscepisset ex matre, quæ pertinebat ad semen David? De semine enim David Maria, et de carne Mariæ Christus; quamvis sine semine maritali, tamen cum proprietate naturæ. » Sed nec ex Abrahami semine prodiisset Christus: cui tamen Apostolus *dictas esse promissiones* ait[6], *et semini ejus, quod est Christus*. « Nonne sic est semen Abrahæ Christus, ait Ferrandus[7], quomodo ex semine David, propter Mariam, per Mariam, de Maria? Tollat impius disputator Christo materiam carnis, quam Maria ministravit; et doceat quomodo est semen Abrahæ Christus, aut quomodo factus est ex semine David. »

Justinus certe philosophus, et martyr, rationem hanc affert, cur patriarcharum veterum filium Christum fore Scripturæ prædixerint, et inter eos præsertim Abrahami. « (1) Patriarcharum, inquit in Apologetico secundo, filium norunt eum Scripturæ, quod per Virginem ex illorum stirpe procreatam caro factus, homo deformis, et inhonoratus, et patibilis fieri sustinuit etc. Itaque filium hominis seipsum

ἐπισκιάσασα δύναμις· ἔριον δὲ, τὸ ἀρχαῖον τοῦ Ἀδὰμ κώδιον· κρόκη δὲ ἡ ἐκ παρθένου ἀμόλυντος σὰρξ, κερκὶς δὲ, ἡ ἀμέτρητος τοῦ φορέσαντος χάρις· τεχνίτης, ὁ δι' ἀκοῆς εἰσπηδήσας Λόγος.

(1) JUST. apol. 2. pag. 254. Καὶ τῶν Πατριαρχῶν Υἱὸν, ἐπειδὴ διὰ τῆς ἀπὸ γένους αὐτῶν παρθένου σαρκοποιηθεὶς, καὶ ἄνθρωπος ἀειδὴς, ἄτιμος, καὶ παθητὸς ὑπέμεινε γενέσθαι, etc. Υἱὸν οὖν ἀνθρώπου ἑαυτὸν ἔλεγεν, ἤτοι ἀπὸ τῆς γεννήσεως τῆς διὰ τῆς παρθένου· ἥ τις ἦν, ὡς ἔφην, ἀπὸ τοῦ Δαβὶδ, καὶ Ἰακὼβ, καὶ Ἰσαὰκ, καὶ Ἀβραὰμ γένους· ἢ διὰ τὸ εἶναι αὐτὸν τὸν Ἀβραὰμ Πατέρα καὶ τούτων τῶν κατηριθμημένων, ἐξ ὧν κατάγει ἡ Μαρία τὸ γένος· καὶ γὰρ πατέρας τῶν γεννωμένων, ταῖς θυγατράσιν αὐτῶν τέκνων, τοὺς τῶν θηλειῶν γεννήτορας ἐπιστάμεθα.

[1] Fer. in ep. ad Anat. tom. 2. Bib. PP. 321. — [2] Lib. de Inc. cap. 3. — [3] Gal. 4.

[4] Ferran. tom. 3. Bib. 322. A. — [5] Rom. 1. — [6] Gal. 3. 16. — [7] Ferran. 323.

vocavit : sive quod per Virginem genitus est, quæ de genere, uti diximus, erat Davidis, Jacobi, Isaaci, et Abrahami : sive quod Abrahamus ipse pater omnium illorum, quos recensuimus, fuit; a quibus Maria genus deducit. Etenim eorum, quos filiæ generant, liberorum, patres illos esse novimus, a quibus genitæ sunt fœminæ. »

Beda denique[1] ad caput 11. Lucæ, et hujus ista verba, *Beatus venter qui te portavit*, hæreticorum illorum castigat amentiam, « qui negando Mariam semper virginem, sancti Spiritus operante virtute, nascituro ex humanis membris unigenito Deo carnis suæ materiam ministrasse, verum, consubstantialemque matri filium hominis fateri non debere dixerunt. » Quos quidem ita subinde refellit : « Sed si caro Verbi Dei secundum carnem nascentis a carne Virginis matris pronuntiatur extranea, sine causa venter, qui eum portasset, ubera, quæ lactassent, beatificantur. Qua enim consequentia ejus lacte credatur nutritus, cujus semine negatur esse conceptus? cum ex unius, ejusdemque fontis origine, secundum physicos, uterque liquor emanare probetur? Nisi forte putanda est Virgo sementivam suæ carnis materiam nutriendo in carne Dei filio suggerere potuisse; incarnando autem, quasi majori, et inusitato miraculo, minime potuisse. » Eidem hæresi opponit et illum Apostoli locum ex epistola ad Galatas[2], *Misit filium suum factum ex muliere, factum sub lege :* de quo supra disputavimus[3].

CAPUT SEPTIMUMDECIMUM.

Colligitur ex superiori disputatione, B. Virginem vere, ac proprie esse Dei genitricem. — 1. Prima ratio, quod Deum verum, et proprie dictum genuit; — 2. quæ ratio antiquorum testimoniis illustratur, — 3. maxime Synodi quintæ. — 4. Vocum illarum duarum, *vere* ac *proprie*, vis exponitur. — 6. Alia ratio, quod unus, et idem sit Mariæ filius, qui est Dei. — 8. Tertia ratio, quod in Virginis utero, ac de eo Verbum sibi carnem finxit. — 9. Quarta ratio, quod assumpta caro propria Verbi facta est. Ex quibus omnibus veterum auctoritate comprobatis, efficitur, B. Mariam veram proprieque dictam esse Dei genitricem.

I. Nunc ad illud revertamur, quod initio propositum fuit, et *Dei genitricem* vere, ac proprie nominatam esse, hoc est θεοτοκον, Mariam ex antecedente disputatione monstremus. Etenim si revera Christus *carnem suam materna traxit ex carne*, ut Ferrandus, et post eum Beda[4] loquuntur, ex hac eadem matre Virgine genitus, ejusque revera filius est. Est autem Christus verus Deus. Ita dubium non est, quin *Dei genitrix*, et *mater*, Maria sanctissima virgo sit, appellarique debeat. « (1) Nam quia Deum hominem factum, et incarnatum genuit, ut scribit Cyrillus, idcirco et appellamus eam Dei genitricem. Unus igitur est Filius, unus Dominus, Jesus Christus, et ante Incarnationem, et post Incarnationem. Non enim alter erat filius ex Deo Patre Verbum; alter vero natus ex Virgine sancta : sed ille ipse, qui antecedit omnia secula, secundum carnem genitus ex muliere creditur. Non quod divinitas ipsius initium ut esset acceperit, aut ad initium existendi per sanctam Virginem vocata sit : sed potius, quod, ut dixi, secula antecedens omnia Verbum ex illa secundum carnem genitum esse dicatur, siquidem propria erat ipsius caro; sicut nostrum cujusque proprium est ipsius corpus. »

Hæc sic igitur prima ratio, omniumque simplicissima, et efficacissima, cur θεοτοκος eo jure, quo quæ optimo, dicta sit beatissima

(1) Cyrill. ep. 1. ad Succ. tom. 5. par. 2. p. 136. C. Καὶ ἐπειδὴ Θεὸν ἐνανθρωπήσαντα, καὶ σαρκωθέντα γέγεννηκε, διὰ τοῦτο καὶ ὀνομάζομεν θεοτόκον αὐτήν. Εἷς οὖν ἐστιν Υἱὸς, εἷς Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, καὶ πρὸ τῆς σαρκώσεως, καὶ μετὰ τὴν σάρκωσιν. Οὐ γὰρ ἕτερος ἦν Υἱὸς ὁ ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγος, ἕτερος δὲ πάλιν ὁ ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου. Ἀλλ' αὐτὸς ἐκεῖνος ὁ προαιώνιος· καὶ κατὰ σάρκα ἐκ γυναικὸς γεγεννῆσθαι πιστεύεται. Οὐχ ὡς τῆς θεότητος αὐτοῦ ἀρχὴν λαβούσης εἰς τὸ εἶναι, ἤγουν εἰς ἀρχὴν ὑπάρξεως κεκλημένης διὰ τῆς ἁγίας παρθένου· ἀλλ' ὅτι μᾶλλον, ὡς ἔφην, προαιώνιος ὢν Λόγος, ἐξ αὐτῆς γεγεννῆσθαι λέγεται κατὰ σάρκα. Ἴδια γὰρ ἦν αὐτοῦ ἡ σὰρξ, καθάπερ ἀμέλει καὶ ἡμῶν ἑκάστου τὸ ἴδιον αὐτοῦ σῶμα.

[1] Beda lib. 4. in Luc c. 49. to. 5. col. 341. — [2] Gal. 4. 4. — [3] Cap. 14. § 7. — [4] In cap. 11. Lucæ tom. 5. col. 341.

Virgo; quod Deum verum, proprieque nominatum genuit, ac peperit. Quam proinde causam frequentissimo usu celebrarunt veteres. « (1) Deus enim noster Jesus Christus (ait Ignatius in epistola ad Ephesios a Theodoreto laudatus) a Maria gestatus est in utero ex semine David. » Quare « (2) si Deus est Dominus noster Jesus Christus, quomodo Dei genitrix non est, quæ illum genuit sancta Virgo? » ut argumentatur Cyrillus Alexandrinus. Qui subinde pluribus de hac re disserit, ac sanctissimam Mariam non minus filii sui, qui Deus est, matrem esse demonstrat, quam sunt aliæ fœminæ suorum parentes, et genitrices, de quo postea subtilius agetur. Vide eumdem Cyrillum in epistola ad Nestorium postrema.

II. Theodoretus quoque, ceteroquin alienus ab Cyrillo, et in Nestorium propensus, cum adversus illius anathematismos scriberet, θεοτόκον eamdem illam ob causam appellandam esse censuit in Confutatione anathematismi primi, quod Emmanuelem genuerit. « (3) Hoc enim nomen neque Deum significat ab humana natura disjunctum, neque hominem divinitate nudatum: cum sit interpretatum, nobiscum Deus, ut Evangelium loquitur [1]. Porro voces istæ, nobiscum Deus, tam eum, qui ex nobis pro nobis assumptus est, indicant, quam assumentem ipsum Deum Verbum pronuntiant. » Vide Leonem papam homilia tertia in Natalem, et in epistola decima ad Flavianum, capite secundo, et Cassianum libro secundo cap. tertio.

Et in epistola 83. ad Dioscorum Alexandrinum episcopum, luculenter appellationis hujus τῆς θεοτόκου rationem idem Theodoretus edisserit, ex eo, quod Apostolus [2] *Christum super omnia Deum benedictum* vocat *in secula*. « (4) Nam Deus, ait Proclus, ex muliere genitus est non merus: et homo non nudus. » Joannes item Damascenus accuratissime vim illius nominis exponit in libro tertio, capite 12. « (5) Dei genitricem, *ait*, proprie vereque sanctam Virginem prædicamus. Ut enim Deus verus est, qui ex illa genitus est; ita vere est Dei genitrix, quæ verum Deum ex seipsa incarnatum genuit. » Et mox: « (6) Non enim merum genuit hominem Virgo sancta, sed Deum verum; nec ipsum nudum, sed incarnatum, qui non e cœlo corpus detulit, ac per illam, velut per canalem, transiit, sed ex ipsa consubstantialem nobis carnem assumpsit, et in seipso fecit subsistere. Nam si corpus e cœlo attulit, idque non ex natura nostræ simili sumptum est, quæ utilitas fuit hominis suscepti? siquidem inhumanatio Dei verbi propterea facta est, ut eadem, quæ peccaverat, et ceciderat, et corrupta erat natura tyrannum sibi occurrentem vinceret, atque hoc modo a corruptela liberaretur. » Hæc et alia Joannis Damasceni verba Elias Cretensis in scholia sua [3] transtulit ad orat. 2. Greg. Nazian. quæ est prior ad Cledonium epistola. Hanc ipsam appellationis illius originem, ac fontem aperit Fulgentius in libro de Incarn. cap. 6. « Ita Deum Verbum, *ait*, secundum quod caro factum est, Virgo sancta concepit; angelorum hominumque factorem, eumdemque nihilominus Virgo peperit hominum redemptorem. Neque enim sancta virgo Maria Deum sine carnis assumptione, nec carnem sine unitione concepit; quia ille conceptus Virginis Deo fuit carnique communis. »

Petrus quoque diaconus in ejusdem argumenti libro, capite 2. « Beatam vero virginem Mariam *ait*, non propter dignitatem hominis illius, qui ex ipsa natus est, (quem gratia, et non natura Deum quidam impie prædicare

(1) IGNAT. apud Theodoretum dial. 1. pag. 34. Ὁ γὰρ Θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐκυοφορήθη ὑπὸ Μαρίας, ἐκ σπέρματος μὲν Δαβίδ.

(2) CYRILL. epist. 1. ad mon. tom. 5. par. 2. p. 3. Εἰ γάρ ἐστι Θεὸς ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, πῶς οὐ θεοτόκος ἡ τεκοῦσα ἡ ἁγία παρθένος;

(3) THEODORETUS tom. 4. pag. 709. A. Διὰ τοῦτο καὶ τὸ τεχθὲν βρέφος Ἐμμανουὴλ προσαγορεύεται· οὔτε Θεὸς ἀνθρωπείας φύσεως κεχωρισμένος, οὔτε ἄνθρωπος γεγυμνωμένος θεότητος. Τὸ γὰρ Ἐμμανουὴλ τὸ μεθ' ἡμῶν ἑρμηνεύει εἶναι Θεὸν, κατὰ τὴν τῶν εὐαγγελίων φωνήν. Τὸ δὲ μεθ' ἡμῶν ὁ Θεὸς, καὶ τὸν ἐξ ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ληφθέντα δηλοῖ, καὶ τὸν ἀνειληφότα Θεὸν Λόγον κηρύττει.

(4) PROCLUS orat. 1. pag. 60. Ἀλλ' ἐκ γυναικὸς ἐγεννήθη ὁ Θεὸς οὐ γυμνὸς, καὶ ἄνθρωπος οὐ ψιλὸς.

(5) DAMASC. pag. 210. Θεοτόκον δὲ κυρίως, καὶ ἀληθῶς τὴν ἁγίαν παρθένον κηρύττομεν· ὡς γὰρ Θεὸς ἀληθὴς ὁ ἐξ αὐτῆς γεννηθεὶς, ἀληθὴς θεοτόκος ἡ τὸν ἀληθινὸν Θεὸν ἐξ αὐτῆς σεσαρκωμένον γεννήσασα.

(6) DAMASC. ibid. Οὐ γὰρ ἄνθρωπον ψιλὸν ἐγέννησεν ἡ ἁγία παρθένος, ἀλλὰ Θεὸν ἀληθινὸν, οὐ γυμνὸν, ἀλλὰ σεσαρκωμένον, οὐκ οὐρανόθεν τὸ σῶμα καταγαγόντα, καὶ ὡς διὰ σωλῆνος δι' αὐτῆς παρελθόντα, ἀλλ' ἐξ αὐτῆς ὁμοούσιον ἡμῖν σάρκα ἀναλαβόντα, καὶ ἐν ἑαυτῷ ὑποστήσαντα. Εἰ γὰρ οὐρανόθεν τὸ σῶμα κεκόμισται, καὶ οὐκ ἐκ τῆς καθ' ἡμᾶς φύσεως εἴληπται, τίς χρεία τῆς ἐνανθρωπήσεως; ἡ γὰρ ἐνανθρώπησις τοῦ Θεοῦ Λόγου διὰ τοῦτο γέγονεν, ἵνα αὐτὴ ἡ ἁμαρτήσασα, καὶ πεσοῦσα, καὶ φθαρεῖσα φύσις νικήσῃ τὸν ἀπατήσαντα τύραννον, καὶ οὕτω τῆς φθορᾶς ἐλευθερωθῇ.

[1] Mat. 1. 23.

[2] Rom. 9. 5. — [3] Sect. 6.

non metuunt,) sed proprie, et secundum veritatem, theotocon, id est Dei genitricem, eo quod peperit vere, et proprie Deum Verbum incarnatum, et hominem factum, atque essentialiter, sive naturaliter carni unitum, etc. »

III. Sed vim proprietatemque vocabuli istius, ac fucum hæreticæ fraudis, et interpretandi calumniam, qua sunt illudere conati Nestorii discipuli, et Chalcedonensi obtrectare synodo, nemo melius explicavit, quam Synodus quinta in canone sexto; cujus hæc verba sunt: (1) *Si quis abusive, et non vere Dei genitricem dicit sanctam, gloriosam, semper virginem Mariam : vel secundum relationem, quasi homine puro nato, sed non Deo Verbo incarnato, et nato ex ipsa; referenda autem, sicut illi dicunt, hominis nativitate ad Deum Verbum, eo quod cum homine erat nascente : et calumniatur sanctam Chalcedonensem synodum, tanquam secundum istum impium intellectum, quem Theodorus execrandus adinvenit, Dei genitricem Virginem dicentem : vel qui hominis genitricem vocat, aut Christotocon, id est Christi genitricem, tanquam si Christus Deus non esset : et non proprie, et vere Dei genitricem ipsam confitetur, eo quod ipse, qui ante secula ex Patre natus est Deus Verbum, in ultimis diebus ex ipsa incarnatus, et natus est; et sic pie et sanctam Chalcedonensem synodum Dei genitricem eam esse confessam, talis anathema sit.* Hoc in canone, quem et in Lateranensis acta concilii Martino Pontifice habiti relatum legimus, τῆς θεοτόκου proprietatem accurate Patres exposuerunt, et ab Nestorianis præstigiis extricarunt. Etenim Dei genitricem Mariam eatenus profanus agnoscebat Nestorius, non quod Deum genuisset, sed quod hominem edidisset illum, quocum Deus conjunctus erat, et una per matris transibat uterum. Quem sensum canon iste condemnat : « et ut omnes sancti, et catholici Patres, Dei genitricem appellat, quia Deum hominem genuit : » ut loquitur Martinus papa in epistola quadam, quæ est in Collectaneis Anastasii [1], objectum super hac professione sibi crimen diluens.

« Quid est autem proprie genuit, » quærit Ferrandus in epistola ad Anatolium [2], cum genuisse Deum Virgo dicitur? Respondet ita : « Manifeste genuit, contestantibus signis, et virtutibus Deum esse, qui ex homine nascitur. Quid est proprie genuit? Ipsa ei materiam carnis, secundum quam generatur, operante quidem Spiritu sancto, verumtamen ex suis visceribus tribuit : et ideo quem sic nasci oportuit, etiam proprie genuit. » Itaque « quia non hominem quemlibet, qui non sit natura Deus, ait Joannes Maxentius [3], sed Deum Verbum incarnatum, et ex se hominem factum genuit, hac de causa vere, et proprie esse creditur theotocos. »

IV. Animadvertendæ sunt voces illæ, *vere et proprie*, quas ad *gignendi* vocabulum, aut θεοτόκου, Deive genitricis plerumque veteres adjungunt : insigniter vero Joannes secundus Romanus pontifex, in epistola ad Avienum senatorem, et alios [4] : « Gloriosam vero, *ait*, sanctam semper virginem Mariam et proprie, et veraciter Dei genitricem, matremque Dei Verbi ex ea incarnati ab hominibus catholicis confiteri, recte esse docemus proprie et veraciter : et idem ipse ultimis temporibus incarnatus ex sancta, et gloriosa Virgine, matre nasci dignatus est. Propterea ergo quia proprie et veraciter Dei filius ex ea incarnatus est : ideo proprie et veraciter matrem Dei ex ea incarnati, et nati esse confitemur. Et ne Dominus Jesus per honorificentiam, vel gratiam, Dei nomen accepisse credatur : sicut Nestorius sentit insulsus. Veraciter autem ideo, ne phantasma, aut aliquo modo non veram sumpsisse carnem credatur ex Virgine; sicut adseruit impius Eutyches. »

Huic geminus est Ferrandi locus [5], qui similiter amborum vocabulorum *vere* et *proprie* notionem aptissime declarat. « Recte, *inquit*, quantum arbitror dicimus et confitemur : Maria veraciter est mater Dei Christi; ut esset (forte *cesset*) suspicio phantasiæ. Recte etiam confitemur : Maria proprie mater est Dei Christi; ut nullatenus hominem purum, qui pro meritis operum bonorum postea perhibe-

(1) Quinta syn. can. 6. Εἴ τις καταχρηστικῶς, ἀλλ' οὐκ ἀληθῶς θεοτόκον λέγει τὴν ἁγίαν ἔνδοξον ἀειπαρθένον Μαρίαν· ἢ κατὰ ἀναφορὰν, ὡς ἀνθρώπου ψιλοῦ γεννηθέντος, ἀλλ' οὐχὶ τοῦ Θεοῦ Λόγου σαρκωθέντος, καὶ τῆς αὐτῆς, ἀναφερομένης δὲ κατ' ἐκείνους τῆς τοῦ ἀνθρώπου γεννήσεως ἐπὶ τὸν Θεὸν Λόγον, ὡς συνόντα τῷ ἀνθρώπῳ γεννωμένῳ· καὶ συκοφαντεῖ τὴν ἁγίαν ἐν Καλχηδόνι σύνοδον, ὡς κατὰ ταύτην τὴν ἀσεβῆ ἐπινοηθεῖσαν παρὰ Θεοδώρου ἔννοιαν, θεοτόκον τὴν παρθένον εἰποῦσαν· ἢ εἴ τις ἀνθρωποτόκον αὐτὴν καλεῖ, ἢ Χριστοτόκον, ὡς Χριστοῦ μὴ ὄντος Θεοῦ, ἀλλὰ μὴ κυρίως καὶ κατὰ ἀλήθειαν θεοτόκον αὐτὴν ὁμολογεῖ, διὰ τὸ, τὸν πρὸ τῶν αἰώνων ἐκ τοῦ Πατρὸς γεννηθέντα Θεὸν Λόγον, ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν ἐξ αὐτῆς σαρκωθῆναι, οὕτω τε εὐσεβῶς καὶ τὴν ἁγίαν ἐν Καλχηδόνι σύνοδον θεοτόκον αὐτὴν ὁμολογῆσαι, ὁ τοιοῦτος ἀνάθεμα ἔστω.

[1] Pag. 72. — [2] Tom. 3. Bibl. 332. E. — [3] Dial. 1. tom. 4. Bib. PP. col. 465.

[4] Tom. 3. Conc. p. 851. A. B 1. — [5] Loco cit. p. 333. B.

retur in Deum, vel superveniente in se filio Dei, vocari, aut effici inquireret (forte *inciperet*) Deus : sed Deum sine initio, ex certo initio hominem factum concepisse, et genuisse credatur. » Addit alium sensum vocis istius, *proprie;* nempe « ut singulare hoc cœlestis operationis beneficium non videatur commune cum ceteris : » quod multi patres, matresque Christi nominari possunt [1], qui voluntatem Patris ejus faciunt. « Sed Maria ideo proprie mater ejus, quia nascendo de ea secundum carnem, factus est filius ejus. » Sic Petrus diaconus paulo ante citatus « proprie, et secundum veritatem theotocon » dici asserit ; et « vere ac proprie peperisse Deum Verbum. » Sic Fulgentius in libro de Incarnatione, quem ad illum rescripsit, capite secundo. Sic etiam Sophronius Hierosolymitanus in epistola synodica ad Sergium Constantinopolitanum, B. Virginem κυρίως καὶ ἀληθῶς, id est, *proprie ac vere* θεοτόκον fuisse scribit : « (1) Quippe Deus erat, *inquit*, qui ex virgine sancta Dei genitrice Maria natus est, et secundam propter nos, ac temporalem generationem suscepit, post primam ipsius et sempiternam ex Patre naturalem, et inexplicabilem generationem. »

Brevius, et ἐμφαντικώτερον Theodorus Abucara opusculo secundo, « (2) Jesus, *ait*, ex virgine Maria, in fine seculorum, sine virili semine genitus, hypostasis est una Trinitatis. Propterea proprie, ac vere castissima, et immaculata Virgo Davidicæ stirpis Dei genitrix omnium confessione celebratur. »

V. Bene item apud Euthymium in calce tituli septimi Panopliæ non nominatus auctor : « (3) Quoniam Christum, *inquit*, genuit, qui Deus est, et homo : a præstantiori, ac principaliori parte, Dei genitrix appellata est. Maxime cum ejus, quod assumptum est, hypostasis divina sit ; et eadem assumpta natura, ex ipsa unitione deificata fuerit. » Duo hic cumprimis memoranda posuit, ex quibus *Dei genitricis* appellatio jure optimo quadrare in B. Mariam ostenditur ; et illius causa et origo notionis aperitur. Primum est, quod Christi, sive naturarum duarum hypostasis, quæ est unica, sit divina, non creata : de quo vide quæ dicta sunt libro tertio, capite 13. Est enim Verbi ipsius persona ; quæ uti divinæ, et æternæ generationis est terminus, qua divinam substantiam respicit ; sic est humanæ terminus generationis, quatenus humanam naturam sustinet, et homo facta est. Ideo quæ personam illam in hominem secundo genitam peperit, Deum genuit, ac peperit. Alterum est, quod ait naturam humanam, sive hominem assumptum, deificatum fuisse, de quo capite octavo libri quarti egimus. Hinc vero liquet, B. Virginem vere, ac proprie θεοτόκον nominari : quandoquidem quod in ea, et ex ea genitum est, ac natum, ex illa *deificatione* Deus est factum.

Quocirca « si Deus vere est homo, nec aliunde vere homo, nisi nascendo de Virgine, ait Facundus Hermianensis [2], cur non dicatur Deus vere natus ex Virgine? Et si Deus proprie factus est homo, nec aliunde proprie factus est homo, nisi nascendo de Virgine; cur non dicatur etiam proprie natus ex Virgine? Absurdum nimis est, ut Deus, qui nascendo de Virgine, vere, et proprie factus est homo, non vere et proprie de illa natus esse dicatur: ut vera sit res, quam effecit illa nativitas, et ipsa rei ejus effectrix non sit vera nativitas. »

Præclare hoc insuper Eterius et Beatus lib. 1. contra Elipandum [3], de illorum impietate qui θεοτόκον negabant : « Denique in persecutione quid quæritur, nisi ut Deum Christum negemus? Itaque qui non confitetur Christum Deum verum, Mariæ virginis filium, natum ex Deo vero, veniam non merebitur. » « Propter quod (ut concludit Pelagius primus in epistola, et professione fidei ad Childebertum Francorum regem [4]) eamdem beatam virginem Mariam Dei genitricem verissime confitemur. Peperit enim incarnatum Dei Verbum. » Legendus Arnobius in disputatione cum Serapione [5].

VI. Altera ratio, quæ, ut et reliquæ dein-

(1) SOPHRON. in sexta Syn. tom. 5. Conc. act. 11. p. 166. D. Θεὸς γὰρ ἦν ὁ ἐκ παρθένου τῆς ἁγίας θεοτόκου Μαρίας τικτόμενος, καὶ δευτέραν δι' ἡμᾶς, καὶ χρονικὴν προσδεχόμενος γέννησιν μετὰ τὴν πρώτην αὐτοῦ, καὶ ἀΐδιον τὴν ἐκ Πατρὸς φυσικὴν, ἀνέκφραστον γέννησιν.

(2) THEODOR. Abuc. pag. 407. edit. Gret. in 8. Καὶ Ἰησοῦς ὁ ἐκ παρθένου Μαρίας ἐπὶ τέλει τῶν αἰώνων ἀσπόρως τεθχεὶς, ὑπόστασις μία τῆς Τριάδος ὑπάρχων. Διὸ κυρίως, καὶ ἀληθῶς ἡ πάναγνος, καὶ πανάμωμος Δαυιδικὴ νεᾶνις θεότοκος ὁμολογεῖται.

(6) EUTH. Ἐπεὶ δὲ τὸν Χριστὸν ἐγέννησεν, ὅς τις ἐστὶ Θεὸς, καὶ ἄνθρωπος, ἐκ τοῦ κρείττονος, καὶ κυριωτέρου μέρους, θεοτόκος ἐπωνομάσθη. Ἄλλως τε, καὶ ἡ τοῦ προσλήμματος ὑπόστασις, θεία ἦν, καὶ τὸ πρόσλημμα δὲ ἐξ αὐτῆς ἑνώσεως ἐθεώθη.

[1] Mat. 12. — [2] Facun. lib. 1. c. 4. p. 33. — [3] Tom. 4. Bibl. Par. 2. 469. E.

[4] Pelag. tom. 4. Conc. pag. 409. D. 2. — [5] In calce Iren. a pag. 454. et seq.

ceps, ex illa priori, velut ex stirpe proficiscitur, talis a Patribus affertur, cur sanctissima Virgo θεοτόκος, ac *Dei genitrix* proprie vereque dicenda sit. Nimirum quod Christus, quem Nestorianorum etiam confessione revera illa genuit, unus sit idemque Dei primum, deinde hominis filius : nec in duos sectus, divisusque filios. Hinc enim sequitur, a quocumque ille genitus est, ab eo genitum esse Deum et hominem, hoc est filium eumdem utriusque nominis ac generis proprie dictum. Fuit hoc controversiæ caput ejus, quæ inter Cyrillum et Nestorium, adeoque Catholicos inter, et Nestorianos hæreticos ardens, ac vehemens extitit : ut passim observat Cyrillus. Nunc epistolæ hujus ad Acacium verba relegemus[1] : in quibus Nestorii nugas, sive blasphemias potius, cum orientalium Catholicorum professione contendit. Nestorius enim in concionibus suis dixerat, Deum ex Christi genitrice processisse : ut Scripturæ docent : Deum autem ex ipsa genitum, nullo modo docuisse. Ex quo consequi Cyrillus ait, duos in filios unum dividi; quorum alter seorsim, privatimque sit filius, Christus, et Dominus, qui est Verbum ex Patre genitum : alter vero separatim itidem, et per se sit filius, et Christus, et Dominus, qui ex Maria natus est virgine. At Orientales, « (1) qui Dei genitricem nuncupant sanctam Virginem, unum affirmant esse Filium, et Christum, et Dominum, perfectum in divinitate, perfectum in humanitate. »

« Hic enim mirabilis sacræ Virginis partus vere humanam », ait Leo sermone tertio de Nativitate, « vere divinam, una edidit prole naturam : quia non ita proprietates suas tenuit utraque substantia, ut personarum in eis possit esse discretio : nec sic natura in societatem sui creatoris est assumpta, ut ille habitator, et illa habitaculum esset, sed ita ut naturæ alteri altera misceretur. Et quamvis alia sit, quæ suscipitur, alia vero quæ suscipit : in tantam tamen unitatem convenit utriusque diversitas, ut unus idemque sit filius, qui se, et secundum quod verus est homo, patre dicit minorem, et secundum quod verus est Deus, Patri profitetur æqualem. » Et Fulgentius : « Deus itaque cum sua carne unus est Christus, filius Dei, et filius hominis, idem Verbum simul et caro ; imo idem Verbum caro, quia idem Deus homo. » Quod enucleatius, ac prope scholastico illo disputandi more, ita Ferrandus exponit[2] : « Dicat ergo mihi aliquis, utrum proprius filius Dei Patris, ipse est proprius filius Virginis matris, an forte non habuit Maria proprium filium, quem Deus habet proprium filium. Sed et Maria habet proprium filium, quia genuit, non adoptavit ; et illum habet proprium filium, quem habet Deus proprium filium, quia duos filios nunquam fides catholica prædicat. Restat ergo ut, si Deus Dei proprius filius ipse est etiam matris Virginis proprius filius, proprie eum genuerit. Alioquin, si illa proprie non genuerit, nec ille proprius est filius ; proprius est autem; ergo illa proprie genuit ; verumtamen secundum humanitatem, secundum quam potuit Deus nasci. »

VII. Eximius est Facundi Hermianensis de hac re locus : qui Nestorianam perfidiam letali plaga concidit[3]. Qui post commemoratam ex libro tertio Hilarii sententiam, quæ « proprium et verum esse filium Dei, qui crucifixus est, » affirmat : unde colligit, « etiam Deum vere et proprie patrem esse crucifixi Filii ; » hunc in modum ratiocinari pergit : « Quæ cum ita sint, quemadmodum nihil ex hoc metuendum est, ne cum dicitur Deus vere et proprie pater filii crucifixi, sequi videatur, quod illa humanitas a Verbo Dei suscepta, et crucifixa in deitatem conversa sit, et natura humana, quæ composita est, simplici naturæ Patris consubstantialis effecta ; ita non sequitur, cum dicimus vere et proprie matrem Dei Mariam, ut deitas Verbi conversa videatur in carnem, et natura divina, quæ simplex est, compositæ naturæ matris consubstantialis effecta. Alioquin si blasphemum, et absurdum est, quod B. Maria vere et proprie dicitur mater, sine ulla disceptatione blasphemum et absurdum est, quod Deus Verbum vere et proprie dicitur filius hominis. Si autem et hoc blasphemum et absurdum videtur, ut Deus Verbum vere et proprie dicatur filius hominis ; consequenter blasphemum videbitur et absurdum, ut idem ipse mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, vere et proprie dicatur Filius Dei. Porro Scriptura divina, quæ nihil blas-

(1) Cyrill. epist. ad Acac. pag. 114. Οἱ δὲ θεοτόκον ὀνομάζουσι τὴν ἁγίαν παρθένον, ἕνα τε εἶναί φασιν Υἱὸν, καὶ Χριστὸν, καὶ Κύριον, τέλειον ἐν θεότητι, τέλειον ἐν ἀνθρωπότητι. Vide et epist. 4. Cyrilli pag. 24. et dial. de Incarn. tom. 5. par. 1. pag. 694. et seq.

[1] Cyril. tom. 5. par. 2. pag. 114. — [2] Tom. 3. Bibl. PP. col. 353. D.

[3] Facund. lib. 1. c. 4. p. 28. C.

phemum loquitur, vel absurdum, pro unitate personæ verum, et proprium Dei filium dicit mediatorem Dei et hominum, hominem Jesum Christum, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus : in quo vero Dei filio sumus, et cui proprio filio Pater non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Recte igitur etiam beata Maria, pro eadem unitate personæ, vere et proprie mater dicitur ipsius unigeniti Dei Verbi. » Agemus de hac Filii unitate postmodum diffusius [1]. Nunc Fausti Rhegiensis verbis hunc locum absolvemus [2] : « Nos unam Dei, hominisque personam, *ait*, fiducialiter, et salubriter asserentes in eo, qui erat in principio, et qui sub redemptionis nostræ tempore factus est in similitudinem carnis peccati ; id est in veritate hominis, et similitudine peccatoris ; nos, inquam, ita Deum, patrem hominis sub personæ unitate testamur, sicut sub ejusdem unitatis amplexu, matrem Dei hominem confitemur. »

VIII. Tertia nominis θεοτόκου ex veterum scriptis ratio conficitur ; quod in ejus utero, ac de eo Verbum sibi carnem, quam assumeret, finxit. Ideo Proclus in Oratione prima, (1) *officinam* vocat B. Virginem *conjunctionis naturarum*. Et Vincentius Lirinensis argumento huic pressius insistens, θεοτόκον vocari asserit, non eo modo, quo presbyteri mater, aut episcopi vocatur, quæ eum genuit, qui postea presbyter, vel episcopus factus est : ut ex eo supra memoravimus [3] ; ac tum ista subjicit : « Non ita, inquam, S. Maria θεοτόκος : sed ideo potius, quoniam, ut supra dictum est, jam in ejus sacrato utero sacrosanctum illud mysterium perpetratum est, quod propter singularem quamdam, atque unicam personæ unitatem, sicut Verbum in carne caro, ita homo in Deo Deus est. »

Athanasius in quinto libro contra Arianos, « (2) In utero, *ait*, Verbum sibi ipsi domum conformavit, sicut initio Adamum de terra, vel potius diviniore modo. » De qua similitudine templi, sive domus et carnis a Verbo assumptæ peculiari postea capite dicemus.

Vitalis [4], et Constantius Hispani epistola ad Capreolum Carthaginensem : « Confitemur, *inquiunt*, Deum fuisse in utero Mariæ virginis, assumpsisse aliquam partem, fabricasse Deum sibi hominem, natum fuisse Deum verum, et hominem verum, quem adsumpsit pro salute generis humani. » Merito ergo Dei mater appellatur : cujus in utero, ceterarum more matrum, caro illa, id est perfectus homo, qui et Deus est, formatus ac genitus esse creditur : cujus satus, et incrementum Dei hominis soli Virginis utero debetur, a quo illius est sumpta materia, non in eum importata est aliunde. Quippe « in visceribus intactæ matris (ait Gelasius papa libro de Duabus naturis [5]) cessante terreni patris officio, divina sumpsit operatione principium, materiam conditionis humanæ de substantia genitricis instituens, et unitionem divinæ potentiæ dignatione suæ majestatis impertiens, ut utriusque naturæ ineffabiliter unitio, ab ipso suæ conceptionis exortu mirabiliter, ac potenter existeret ; nec in sanctæ Mariæ prorsus internis, istius sacramenti quicquam vel præcesserit, vel post secutum fuerit institutum. Sed hujus magis simul effectum mysterii conceptus ipse prævenerit, nec illic aliqua præveniente substantia, perfectio unitionis accesserit, sed ab unitione perfecta potius utriusque substantiæ fuerit inchoatum. »

IX. Quarta et postrema ratio, ob quam *Dei genitrix* vere proprieque dicenda est B. Virgo, apud Cyrillum, aliosque Patres frequentissima est : quod caro illa, quam ab sanctissima matre genitam Nestorius, aliique similes hæretici non negabant, Verbi proprium aliquid fuerit, non alienum, nec adventitium, id est extrinsecus adhærescens. Hinc enim sequitur, cum genita, et concepta, nataque est caro ista, (quo quidem nomine totam ipsam hominis naturam comprehendi sæpe monuimus,) divinum aliquid, et Dei οὐσιωδῶς ac substantive, vereque, ac ratione personæ, proprium, esse genitum ac partu editum : adeoque Deum ipsum : cujus idcirco mater tam vere ac proprie *Dei genitrix*, ac θεοτόκος vocari meretur, quam est proprium Dei, imo proprie Deus, illud quod est ex ea genitum.

Hanc Cyrillus Nestorio causam appellationis istius opponit, subdole ac vafre sciscitatum se esse de Catholicis dicenti, qui θεοτόκον Virginem nominarent, ecquid eam arbitrarentur genuisse divinitatem : tum negantes horta-

(1) Procl. orat. 1. pag. 60. Τὸ ἐργαστήριον τῆς ἑνώσεως τῶν φύσεων.

(2) Athan. pag. 322. E. Ἐν γὰρ τῇ ταύτης νηδύϊ ὁ Λόγος ἑαυτῷ τὸν οἶκον διεπλάσατο, ὃν τρόπον ἐξ ἀρχῆς τὸν Ἀδὰμ ἐκ τῆς γῆς.

[1] Lib. 7. — [2] Faust. tom. 3. Bib. PP. in ep. ad Greg. col. 46. E. — [3] Sup. c. 15. § 5.

[4] In Opusc. dogm. p. 37. — [5] Initio lib. tom. 4. BB. 51. PP. 415. B. et 416.

tum se esse, ut χριστοτόκον ergo potius illam nuncuparent. Hunc vero Cyrillus redarguens imprimis exponit, cur θεοτόκον vocent Christiani sanctam Virginem; nempe *quod peperit Emmanuelem, qui natura Deus est.* « (1) Quippe factus est nobiscum, qui est natura Deus, et supra nos, Verbum. Num igitur iis quæ sentiunt contradicunt Catholici? Dixerit enim, opinor, tuorum aliquis: Si Verbi naturam fœtum esse carnis non existimas, ac te hujus erroris suspicione liberare vis; qui tandem asseris, sanctam Virginem Deum peperisse? At iste ex adverso illud a nobis audiet: Carnem esse factum Scriptura Verbum illud prædicat, quod ex Deo Patre prodiit; hoc est, sine ulla confusione, et secundum hypostasim, carni esse conjunctum. Non enim alienum erat corpus, quod ipsi copulatum est, et ex fœmina progenitum. Sed quemadmodum suum cujusque nostrum proprium est corpus: ita prorsus Unigeniti proprium erat, et non alterius corpus. Sic secundum carnem est genitus. »

Sic in epistola quarta, quæ secunda est ad Nestorium Cyrillus idem, « (2) idcirco carnalem generationem dici sustinuisse Verbum *ait*, quod ex ipso unitum est utero, quod carnis propriæ generationem, tanquam suam vindicavit sibi. » Sic et mortem, et affectiones omnes, ac perpessiones, quæ illius inflictæ sunt carni, eadem de causa, Verbum ipsum excepisse dicitur. Sic in epistola ad Valerianum[1], et alibi passim, Deum ipsum, ac Verbum genitum, passum, mortuum esse scribit, et alia sustinuisse omnia, quæ ad carnem, et assumptam naturam pertinent, illa ipsa de causa, quod cum suam, ac propriam sibi carnem fecerit, nihil quod in eam caderet, alienum a se, sed perinde proprium habuit. Siquidem « humanæ se inseruit, miscuitque naturæ, ut scribit Cassianus[2], atque id, quod alienum a se fuerat, suum fecit. » Et Fulgentius, « Verbum quippe, cum caro fieret, *inquit*, unitione mirabili suam naturam fecit, quam ex nobis accepit. »

CAPUT OCTAVUMDECIMUM.

De aliis affinibus vocabulis ab hæreticis inventis, ut *θεοτόκον* nomen obliterarent. — 1. De *χριστοτόκῳ*; qua ratione repudiatum sit a Catholicis. — 2. Posse tamen recte, et catholice usurpari. — 3. De *ἀνθρωποτόκῳ*, et Theodoreti de eo sententia; cujus locus illustratur: et contraria Cyrilli.

I. Ut ad eludendum, opprimendumque τοῦ ὁμοουσίου nomen, Ariani huic simile commenti sunt ὁμοιουσίου vocabulum, quod affinitate soni falleret incautos, ac sensim Christianorum ad usum obreperet: sic adversus θεοτόκου vocem rationibus suis adversantem, Nestorius, ejusque sectatores, non multum dissimiles alias callide compararunt. Sunt autem hæ, χριστοτόκος, quam præcipue commendavit, obtrusitque Nestorius: tum ἀνθρωποτόκος, et σαρκοτόκος; de quibus pauca hic expromenda sunt, quo majorem lucem afferamus appellationi alteri propriæ, ac legitimæ, τῆς θεοτόκου, quam ab Catholicorum pietate, ac consuetudine nullus hactenus hæreticorum dolus, ac conatus extorquere potuit.

Christi genitricem revera esse B. Mariam,

(1) CYRILL. lib. 1. cont. Nest. pag. 7. B. Πλὴν ὀνομάζουσι θεοτόκον αὐτὴν, ὡς ἀποτεκοῦσαν δηλονότι Θεὸν ὄντα κατὰ φύσιν τὸν Ἐμμανουήλ. Γέγονε γὰρ μεθ' ἡμῶν Θεὸς ὢν φύσει, καὶ ὑπὲρ ἡμᾶς ὁ Λόγος. Ἆρ' οὖν οἷς δοξάζειν ἐγνώκασι τἀναντία φασίν; ἐρεῖ γὰρ οἶμαί τις τῶν τὰ αὐτά σοι φρονεῖν ᾑρημένων, εἰ μὴ τὴν τοῦ Λόγου φύσιν γέννημα σαρκὸς εἶναι φῂς, καὶ τῶν εἰς τοῦτο σαυτὸν ἀπαλλάττεις αἰτιαμάτων, πῶς δὴ ἄρα Θεὸν ἀποκυῆσαι διαβεβαιοῖς τὴν ἁγίαν παρθένον; ἀντακούσεται δὲ πρὸς ἡμῶν· σάρκα γενέσθαι φησὶν ἡ θεόπνευστος γραφὴ τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγον, τουτέστιν ἀσυγχύτως τε, καὶ καθ' ὑπόστασιν ἑνωθῆναι σαρκί. Οὐ γὰρ ἦν ἀλλότριον αὐτοῦ, τὸ ἑνωθὲν αὐτῷ σῶμα, καὶ γεγεννημένον ἐκ γυναικὸς, ἀλλ' ὥσπερ ἴδιον καθ' ἡμᾶς ἑκάστῳ τὸ αὐτοῦ κατὰ τὸν αὐτοῦ τουτονὶ τρόπον καὶ τοῦ μονογενοῦς ἴδιον ἦν, καὶ οὐχ ἑτέρου τὸ σῶμα.

(2) CYRILL. in ep. 4. tom. 5. par. 2. p. 23. E. Ἀλλ' ἐξ αὐτῆς μήτρας ἑνωθεὶς, ὑπομεῖναι λέγεται γέννησιν σαρκικὴν, ὡς τῆς ἰδίας σαρκὸς τὴν γέννησιν οἰκειούμενος.

[1] Ibid. p. 159. et seq.

[2] Lib. 2. de Inc. cap. 2.

stultus sit peræque, ac profanus impiusque, qui dubitet; nec ejus gratia, quod falso de Virgine diceretur, ab nonnullis est repudiata veterum Patrum : sed quod vel ad explicandam tanti mysterii vim, et ad refutandas hæreticorum cavillationes non satis expressa videretur : vel quod eorumdem interpretatione, prava et impia quædam inusta labes illi putaretur, quæ ad inquinanda Christianorum ora, et mentes etiam contagione erroris afflandas pertinere posset. Quanquam, ut Nestorii ratio fuit in abdicando θεοτόκου nomine, non minus ab altero τῆς χριστοτόκου abhorrere debuit, si in male sentiendo provisi aliquid et consulti, hæreticorum adhiberet vecordia. Nam Christi non potest esse, ac vocari genitrix Maria, nisi sit et Dei. Est enim Christus Deus; imo utrumque, Deus et homo : de quo postea. Sed duos ac diversos, pro uno, tacite, ac re ipsa Christos asserebat Nestorius, totidemque filios, ut in primo libro demonstravimus [1], ac subinde pluribus adstruemus : tametsi verbis unum præ se ferebat utrumque. Quod nisi opinatus sic esset, de abolendo *Dei genitricis* nomine, non tanta contentione certasset.

II. Cum igitur ingentibus animis, ac pertinaci studio contra θεοτόκου nomen obniteretur Nestorius, et alterum illud χριστοτόκον substituere vellet, tanto vehementius repugnatum illi est a Catholicis, ac Cyrillo præsertim. Qui in epistola, quam ad monachos scripsit [2], χριστοτόκου vocem nequaquam idoneam esse retur tantæ, quanta est, significandæ filii matrisque dignitati. Siquidem χριστοί complures in Scripturis appellantur, nudi homines; uti reges, ac prophetæ, aliique viri insignes; et idcirco χριστοτόκος quælibet illorum mater appellari jure suo poterat. « (1) Quid igitur singulare, et eximium præ ceteris in sancta Virgine discernetur, tametsi Emmanuelem illam genuisse dicatur? Nihil enim absurdi ex eo sequetur, quod Christorum, id est unctorum illorum quamlibet matrem Christi genitricem nominemus. »

Quem imitatus Joannes Damascenus, illius architectum nominis impium Nestorium, cum hoc suo commento, gravi oratione percellit. « (2) Christi genitricem, *inquit*, nullo modo dicimus sanctam Virginem; quoniam ad tollendam e medio vocem alteram Dei genitricis, nefarius, ac detestandus, et Judaico sensu prædictus Nestorius, vas ignominiæ, et ad ignominiam ejus, quæ sola supra creaturam omnem honoratur, Dei genitricis; tamen disrumpatur ipse cum patre suo Satana; nomen istud excogitavit, tanquam illi contumeliosum. » Mox idem, quod Cyrillus, commemorat, complures in Scripturis fuisse appellatosque esse Christos. Θεοτόκον vero ob id vere, ac merito nominari B. Virginem, quod nullum unquam tempus, ac ne momentum quidem fuit, quo in ejus utero genitus, et formatus homo, cum Deo copulatus, ac Deus non fuerit : de quo alibi dixi [3].

Ita Theorianus in legatione ad Armenos de χιρστοτόκου vocabulo sentit, ejus tantummodo gratia infamatum esse apud Catholicos, ac repudiatum, quod pessime illud interpretaretur Nestorius. « (3) Interdum enim dictio aliqua non prorsus mala, *inquit*, quia male a quibusdam intellecta, interpretataque est, digna est a sanctis judicata Patribus, quæ omnino rejiceretur. Cujusmodi est illa, Christi genitrix. Poteramus enim pro Dei genitrice, Christi nuncupare genitricem, quippe Deum et hominem genuit : quod ipsum nomen proprie significat. Sed quoniam perperam ab Nestorio vocabuli est illius accepta notio, tanquam blasphemum a sanctis reprobatum est. »

Nihil igitur est, quod absolute prohibeat appellari χριστοτόκον Virginem sanctam, si et dextre, ac sincere vox ista capiatur; et ita, ut ne alterum τῆς θεοτόκου nomen excludat : quod Arnobius in conflictu cum Serapione fatetur [4], qui hoc insuper adjicit [5]: « Si non esset filius hominis,

(1) CYRILL. tom. 5. par. 1. p. 7. D. Τί οὖν ἄν τις ἴδοι τὸ περιττὸν ἐν τῇ ἁγίᾳ παρθένῳ παρὰ τὰς ἄλλας, κἂν εἰ λέγοιτο τεκεῖν αὐτὴν τὸν Ἐμμανουήλ; ἄτοπον γὰρ οὐδὲν, κἂν εἰ ἕλοιτο τις καὶ τὴν ἑκάστου τῶν κεχρισμένων μητέρα χριστοτόκον ἀποκαλεῖν.

(2) JOAN. Dam. lib. 3. cap. 12. pag. 211. fine. Χριστοτόκον δὲ οὐδαμῶς φαμεν τὴν ἁγίαν παρθένον, διότι ἐπ' ἀναιρέσει τῆς θεοτόκος φωνῆς ὁ μιαρὸς, καὶ βδελυρὸς, καὶ Ἰουδαιόφρων Νεστόριος, τὸ σκεῦος τῆς ἀτιμίας, καὶ ἐπὶ ἀτιμίᾳ τῆς μόνης ὄντως τετιμημένης ὑπὲρ πᾶσαν κτίσιν θεοτόκου, κἂν αὐτὸς διαῤῥήγνυται σὺν τῷ πατρὶ αὐτοῦ τῷ Σατανᾷ, ταύτην τὴν προσηγορίαν ἐξεύρατο, ὡς ἐπηρεαζομένην.

(3) THEOR. in Leg. pag. 94. ed. Basil. in 8. Ὅτι ἐνίοτε λέξιν οὐ πάνυ φαύλην, φαύλως δὲ ὅμως παρά τινων νοουμένην, καὶ ἑρμηνευομένην ἀποβολῆς ἀξίαν ἔκριναν οἱ θεῖοι πατέρες. Οἷόν ἐστι καὶ τὸ, χριστοτόκος, ἐπὶ τῆς θεοτόκου λεγόμενον. Ἠδυνάμεθα γὰρ καὶ χριστοτόκον τὴν θεοτόκον καλεῖν. Χριστὸν γὰρ ἐγέννησε Θεὸν, καὶ ἄνθρωπον. Τοῦτο γὰρ δηλοῖ κυρίως τὸ ὄνομα. Ἀλλὰ διὰ τὸ κακῶς ἐκλαμβάνεσθαι παρὰ τοῦ Νεστορίου τὸ σημαινόμενον τοῦ ὀνόματος, ὡς βλάσφημον ἀποδεδοκίμασται παρὰ τῶν ἁγίων τὸ ὄνομα.

[1] Cap. 7. — [2] Cyr. ep. 1. tom. 5. par. 2. p. 6. et 7.

[3] Lib. 4. c. 10. — [4] Pag. 545. — [5] Ibid. p. 546. Vide et p. 556.

filius Dei factus, Maria màter Dei esse non poterat. Per filium ergo suum facta est mater filii Dei : per formam servi, quam assumpsit Dominus, facta est mater Domini : nec poterat esse θεοτόκος, nisi χριστοτόκος fieri meruisset. »

III. De ἀνθρωποτόκῳ, id est *hominis genitrice*, paulo major est quæstio. Ac Theodoretus quidem epistola 16. ad Irenæum episcopum, qui videtur Irenæus ille fuisse antea comes, et Nestorii fautor acerrimus, Cyrilli et Catholicorum insectator [1]; qui episcopus postea factus, Theodosii imperatoris edicto in ordinem est redactus, post annos septemdecim ab Ephesina synodo, damnatoque Nestorio. Ad hunc ergo scribens Theodoretus, « (1) Nihil interesse, *inquit*, utrum hominis, an Dei genitricem vocemus sanctam Virginem : vel utrum appellemus eam, ejus quem peperit, matrem simul, et ancillam ; modo addatur illud : matrem esse Domini nostri Jesu Christi, tanquam hominis, ancillam vero tanquam Dei. » Subjicit tamen, plerosque veterum honoratiore illam insignivisse vocabulo : idque Irenæum ipsum in aliquot orationibus fecisse, ut ambas voces, θεοτόκον, et ἀρθρωποτόκον, conjungeret.

Et in confutatione anathematismi primi Cyrilli, asserit B. Virginem, « (2) non tantum hominis genitricem, sed etiam Dei genitricem appellari, quandoquidem non nuda erat Dei forma, sed templum, quod habitans in se Verbum continebat, ille, quem peperit. » Tum utriusque nominis rationem reddens, «alterum *ait* effictioni, formationique, ac conceptui attributum esse : alterum, unitioni. Propterea qui natus est infans, Emmanuel vocatur : qui neque Deus est ab humana natura disjunctus, neque homo divinitate nudatus. » Quo in loco sententia postulat, ut particula μόνον addatur, et B. Virginem non absolute neget Theodoretus ἀνθρωποτόκον appellari, (quippe qui subinde causam affert, cur ἀνθρωποτόκος nominetur,) sed, solum ac simpliciter, ita dici prohibeat. At Cyrillus [2] eumdem refellens Theodoretum, supervacaneum putat præter θεοτόκου cognomen, usurpari etiam illud ἀνθρωποτόκου : quod tunc utile videri posset, si adeo vasti, ac stupidi extitissent homines, qui Verbum assererent divinitatis suæ velut fontem, et existendi originem imputare carni. Nunc cum nulli sint, neque quisquam adeo deliret, ut istud opinetur ; abstinendum esse ab illa voce, cui præsertim fraus subest Nestorianæ pravitatis. Nam qui *hominis genitricem* nuncupat, facile potest suspicionem movere negatæ divinitatis, quod non evenit in χριστοτόκου nomine. Christus enim utrumque significat.

IV. De quo non est prætereundus Rustici diaconi locus ille, ubi de usu vocabuli τῆς θεοτόκου insigne quiddam memorat [3]. « Non igitur Nestorii blasphemiæ est, *inquit*, Christi genitricem dìcere, eo quod idem sit, Dei et hominis dicere genitricem : sed negare Theotocon hæreticum est, etc. Insuper si quidem Deus est ille, quem genuit, recte dicitur Theotocos. Et quia Christus est, qui natus est, recte dicitur Christotocos. Arbitror autem, quia quæcumque reddatur ratio nominis hujus, aut eadem erit et illius, aut magis illius. Amplius, si Dei genitrix existens, Christi genitrix non est, (quod absit) non erit Deus ratione conversa. Si enim qui Christotocon confitetur, et Theotocon abnegat, Christum non dicit Deum : qui Dei genitricem confitetur, et Christi genitricem refutat, similiter Deum denegat esse Christum. Insuper tantum Christi genitricem confiteri bonum est ; sed Dei genitricem negare non pium : ut et ipse Nestorius Christi genitricem dicens, Dei vero genitricem negans, non propter id, quod illud dixerat, damnetur, sed quia illud addixerat. »

Præclare quoque Petrus Chrysologus de tribus illis nominibus ita scribit [4] : « Veniant, audiant, qui requirunt, quis sit quem Maria genuit : [5] *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Veniant, audiant, qui græco turbine latinam nubilare nisi sunt puritatem, ἀνθρωποτόκον, χριστοτόκον, ut θεοτόκον tollerent blasphemantes. Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. Et quod de Spiritu sancto natum est, spiritus est ; quia Deus spiritus est. Quid

(1) THEODORET. ad Iren. tom. 3. pag. 910. B. Τί γὰρ διαφέρει ἀνθρωποτόκον ὁμοῦ καὶ θεοτόκον ὀνομάσαι τὴν ἁγίαν παρθένον, ἢ καλέσαι αὐτὴν τοῦ τεχθέντος μητέρα καὶ δούλην, καὶ ἐπαγαγεῖν, ὅτι μήτηρ μέν ἐστιν ὡς ἀνθρώπου τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δούλη δὲ ὡς Θεοῦ ;

(2) THEODOR. ad anath. 1. Cyr. tom. 6. Cyr. p. 205. Ἐπειδὴ δὲ οὐ γυμνὴ ἦν τῆς τοῦ Θεοῦ μορφῆς, ἀλλὰ ναὸς ἦν ἔνοικον τὸν Θεὸν Λόγον ἔχων, κατὰ τὴν τοῦ Παύλου φωνήν· ἐν αὐτῷ γὰρ, φησὶν, ηὐδόκησε πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος κατοικῆσαι σωματικῶς· οὐκ ἀνθρωποτόκον (addendum videtur μόνον) ἀλλὰ θεοτόκον τὴν παρθένον προσαγορεύομεν· τὴν μὲν, τῇ διαπλάσει, καὶ μορφώσει καὶ ἑνώσει (for. κυήσει) τὴν δὲ τῇ ἑνώσει τιθέντες προσηγορίαν· διὰ τοῦτο καὶ τὸ τεχθὲν βρέφος Ἐμμανουὴλ προσαγορεύεται· οὔτε Θεὸς ἀνθρωπείας φύσεως κεχωρισμένος· οὔτε ἄνθρωπος γεγυμνωμένος θεότητος.

[1] Vide lib. 1. c. 8. in fine. — [2] Ibid. p. 206. — [3] Tom. 4. Bib. PP. col. 798. E.

[4] Ser. 145. cit. med. — [5] Matth. 1. 20.

ergo requiris? quis est, qui de Spiritu sancto natus est? cum tibi, quia Deus est, Deus ipse respondeat, cum te Joannes increpet, qui dicit : In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : et Verbum Deus caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus. Joannes vidit gloriam, respicit infidelis injuriam. »

Non alia ratio videtur esse vocabuli σαρκοτόκος, quod est *carnis genitrix*, et θεοδόχος, quod est *Dei exceptrix*, ac similium : quæ simpliciter accepta vacant hæretica labe, sed propter illorum, qui talia commenti sunt, insidiosam cavillationem, suspecta merito Catholicis fuerunt. De his autem peculiaris erit disputandi locus postea.

CAPUT NONUMDECIMUM.

e iis, quæ adversus θεοτόκου nomen ab hæreticis objici solebant. — 2. Primum Nestorii argumentum, quod B. Virgo divinitatem non genuit. Cui ex Cyrillo respondetur. Duplex generatio Verbi, quarum posterior in tempore facta. — 2. Nec obstat quominus Dei genitrix sit, quod divinitati initium non dederit : sicut hominis cujuscumque mater nihilominus est, etsi animam non generet. — 3. An divinitas genita vel nata dici possit ex Virgine. — 4. Gregorii Nazianzeni locus illustratur, et expenditur. — 5. Tum Hilarii, de quo nonnullorum velitatio proposita, et disceptata. — 6. Aliud argumentum Nestorii. — 7. Item tertium, — 8. tum quartum, et quintum, — 9. sextum et septimum e Scripturæ auctoritate, ac Nicænæ synodi.

I. Illud ad plenam, et absolutam excellentis tituli ac nominis, in quo explicando versamur, intelligentiam postremum superest, ut quæ ex adverso contra ipsum objici ab hæreticis solebant, referam, ac dissolvam; quæ quidem responsione aliqua digna videbuntur.

Horum primum, et usitatissimum est, quod præ cæteris intentabat Nestorius; non debere *Dei genitricem* appellari Mariam, utpote quæ divinitatem non genuisset. Atque huic argumento robur ac firmitatem addebat ea ratione, quam illius verbis ab Cyrillo commemoratis præstat exponere. « (1) Fingitur, *inquit*, infans in utero, sed quandiu nondum formatus est, animam non habet. At ubi figuram et speciem accepit, animatur a Deo. Quemadmodum ergo mulier corpus quidem gignit, Deus autem animam infundit : neque dici potest mulier animæ genitrix, quod animatum genuerit, sed potius dicenda erit hominis genitrix : ita B. Virgo, etsi hominem peperit, transeunte una cum illo (hac enim voce est usus) Deo Verbo, non propterea Dei genitrix appellanda venit. »

Sic apud Maxentium [1], Nestorianus illud opponit : « Si Deum natura genuit beata virgo Maria, jam non carnis, sed est genitrix divinitatis ; et quomodo non Deum Verbum secundum divinitatem, quæ illi cum Patre communis est; secundum carnem, eum natum ex Virgine prædicatis? »

Responsum est ad hanc Nestorii criminationem a plerisque Patribus, sanctissimam Virginem non sic divinitatem, vel potius Deum Verbum genuisse, ut ex ea initium habuerit existendi. Quod Cyrillus accuratissime multis in locis declarat : ut in epistola ad Monachos, quæ præfixa est Ephesino concilio. Ibi enim ait, Verbum duplici generatione productum esse : primum æterna illa, et arcana, qua divinitatem a Patre communicatam habuit : secundo altera generatione secundum carnem, a matre, et in ejus utero initium, et originem accepisse, quando carni in ejus utero conceptæ, id est naturæ hominis, eodem, quo est genita momento, copulatum est, et unitum secundum hypostasim Verbum. Cujus incarnati, hominisque facti, adeoque Dei hominis, vera, proprieque dicta mater est Maria virgo; non minus quam matres reliquæ eorum geni-

(1) Cyrill. 1. contra Nestor. pag. 17. D. Πλάττεται μὲν γὰρ, φησὶν, ἐν μήτρᾳ τὸ βρέφος. Ἀλλ' ἕως μὲν οὕτω μεμόρφωται, ψυχὴν οὐκ ἔχει· εἰδοποιηθὲν δὲ ἤδη ψυχοῦται παρὰ Θεοῦ· ὥσπερ οὖν ἡ γυνὴ τίκτει μὲν τὸ σῶμα, ψυχοῖ δὲ Θεὸς, καὶ οὐκ ἂν λέγοιτο γυνὴ ψυχοτόκος, ὅτι ἔμψυχον ἐγέννησεν, ἀνθρωποτόκος δὲ μᾶλλον· οὕτω, φησὶ, καὶ ἡ μακαρία παρθένος, καὶ εἰ τέτοκεν ἄνθρωπον, συμπαρελθόντος αὐτῷ τοῦ Θεοῦ Λόγου· ταύτῃ γὰρ ἐχρήσατο τῇ φωνῇ· οὐ διὰ τοῦτο θεοτόκος.

[1] Tom. 4. Bib. 465. D.

trices habentur, quos corpore, animaque constantes in uteris suis genuerint, et in lucem ediderint. « (1) Simile est, inquit Cyrillus, humano partui incarnati Verbi mysterium. Etenim terrenorum hominum matres naturæ ad gignendum servientes, carnem habent in utero, quæ paulatim compacta, et inexplicabilibus quibusdam Dei efficientiis progressa, in humanam speciem absolvitur. Deus porro spiritum animali quibus scit modis infundit. *Fingit enim spiritum hominis in eo*, ut Propheta loquitur[1]. Est autem alia carnis, alia item animæ ratio. Verum etsi mulieres istæ nonnisi terrenorum sint corporum matres : nihilominus cum totum animal pepererint, ex anima et corpore compositum, non solam ejus partem peperisse dicuntur. Nec aliquis dixerit, exempli causa, Elizabetham matrem Joannis, carnis esse genitricem, non autem animæ. Peperit enim animatum Baptistam, ac sic tanquam unum aliquid ex ambobus hominem, anima videlicet ac corpore. Hujusmodi quippiam actum esse fatebimur et in Emmanuelis generatione. Quippe natum est, ut dixi, ex Dei Patris substantia unigenitum ipsius Verbum. Cum autem carnem suscepit, eamque propriam sibi fecit, ut filius hominis esset, ac similis nostri fieret, tunc minime est absurdum dictu, imo necessario profitendum, illum ex muliere secundum carnem esse genitum; quemadmodum et hominis anima una cum proprio corpore gignitur, et unum cum eo reputatur : tametsi natura intelligatur, et sit ab eo diversa, secundum propriam rationem. »

II. Quocirca B. Virgo vera Dei mater est, ac revera Deum hominemque genuit; hoc est eum hominem, qui vere Deus est, et Deum qui homo est; nec alterius, excluso altero, mater, aut genitrix appellari potest : sicut Elizabetha non dicitur mater carnis, sive corporis solius Joannis Baptistæ, neque solius animæ : sed totius Joannis, vel animati corporis, aut animæ corporatæ, qui Joannes nominatur. Nec illud obstat, quod animam per sese non produxerit; nec ejus creandæ particeps causa, vel, ut sic loquar, *instrumentaria* fuerit. Nihilominus enim vera proprieque dicta mater Joannis fuit, quandoquidem eo modo illius in utero conceptus, formatus, nutritus, et adultus iste est, quo qui existunt mulierum fœtus, gigni ab illis dicuntur, et horum istæ genitrices censentur. Hic enim gignendi modus, et hæc notio maternæ generationis, naturalis est, et illius speciei propria : ad quam nullo modo necessarium est, ut utramque compositi partem sigillatim propria quadam efficienta mater attingat; sed satis est ut ad earum unitionem, naturali, ut dixi, modo, et actione cum Deo concurrat. Sic inter alios Petrus Damiani epistola 13. absurdum esse judicat, « patrem carnem tantummodo dici genuisse, non prolem, quæ ex anima constat, et corpore, etc. Et merito patrem illum dicendum, ex cujus femore sola caro sit egressa, non anima. »

Ita nec sanctissima Virgo minus eo Dei genitrix ac mater existimanda est, quod divinitatem per se ipsam non genuerit, nec ei initium dederit. Verum quia hominem illum genuit, qui non prius homo, quam Deus extitit, hoc est cujus anima et corpus, absolutum scilicet, hominisque proprium, non prius in rerum natura esse, quam inter se esse conjuncta, nec ante conjuncta secum, quam cum Verbo copulata, et in unam cum eo personam assumpta esse cœperunt : idcirco tam hominis Dei, vel *deificati*, ut Patres loquuntur, quam Dei hominis facti, sive incarnati Verbi, merito genitrix, id est θεοτόκος dicitur. Vide Albinum Flaccum sub initium libri quinti contra Felicem Urgelitanum.

Legendus idem Cyrillus in primo contra Nestorium[2]; ubi eadem fere, quæ in epistola ad

(1) CYRILL. epist. ad monach. tom. 5. par. 2. pag. 8. C. Ἔοικε δὲ πῶς τῷ καθ' ἡμᾶς τόκῳ τὸ ἐπ' αὐτῷ μυστήριον. Αἱ μὲν γὰρ τῶν ἐπὶ γῆς μητέρες, ὑπηρετοῦσαι τῇ φύσει πρὸς γέννησιν, ἔχουσι μὲν ἐν μήτρᾳ πηγνυμένην κατὰ βραχὺ τὴν σάρκα, καὶ ἀφράστως τισὶν ἐνεργείαις Θεοῦ προϊοῦσαν, καὶ τελειουμένην εἰς εἶδος τὸ ἀνθρώπινον· ἐνίησι δὲ τῷ ζώῳ τὸ πνεῦμα ὁ Θεὸς, καθ' ὃν οἶδε τρόπον. Πλάττει γὰρ τὸ πνεῦμα ἀνθρώπου ἐν αὐτῷ, κατὰ τὴν τοῦ προφήτου φωνήν· ἕτερος δὲ σαρκὸς, καὶ ὁμοίως ἕτερος ὁ ψυχῆς ἐστι λόγος. Ἀλλ' εἰ καὶ γεγόνασι μόνον αὗται τῶν ἀπὸ γῆς σωμάτων μητέρες, ἀλλ' οὖν ὅλον ἀποτεκοῦσαι τὸ ζῶον τὸ ἐκ ψυχῆς δὲ λέγω, καὶ σώματος, οὐχὶ μέρος λέγονται τεκεῖν. Οὐδ' ἂν εἴποι τις, φέρε εἰπεῖν, τὴν Ἐλισάβετ σαρκοτόκον μὲν, οὐ μὲν ἔτι καὶ ψυχοτόκον. Ἐκτέτοκε γὰρ ψυχωθέντα τὸν Βαπτιστὴν, καὶ ὡς ἓν ἐξ ἀμφοῖν τὸν ἄνθρωπον, ψυχῆς δὲ λέγω καὶ σώματος. Τοιοῦτόν τι πεπλάχθαι παραδεξόμεθα καὶ ἐπὶ τῇ γεννήσει τοῦ Ἐμμανουήλ. Γεγέννηται μὲν γὰρ, ὡς ἔφην, ἐκ τῆς τοῦ Θεοῦ, καὶ Πατρὸς οὐσίας ὁ μονογενὴς αὐτοῦ Λόγος· ἐπειδὴ δὲ σάρκα λαβὼν, καὶ ἰδίαν αὐτὴν ποιησάμενος, κεχρημάτικε καὶ Υἱὸς ἀνθρώπου, καὶ γέγονε καθ' ἡμᾶς, οὐδὲν οἶμαί τι ἄτοπον εἰπεῖν, μᾶλλον δὲ καὶ ἀναγκαῖον ὁμολογεῖν, ὅτι καὶ γεγέννηται κατὰ σάρκα διὰ γυναικὸς, καθάπερ ἀμέλει καὶ ἡ τοῦ ἀνθρώπου ψυχὴ τῷ ἰδίῳ συναπογεννᾶται σώματι, καὶ ὡς ἓν λελόγισται πρὸς αὐτὸ, καί τοι τὴν φύσιν ἑτέρα παρ' αὐτὸν, νοουμένη τε καὶ ὑπάρχουσα, κατὰ τὸν ἴδιον λόγον.

[1] Zach. 12. 1.

[2] Tom. 6. p. 18.

monachos, de vera B. Virginis maternitate docet : necnon in epistola postrema ad Nestorium, cui anathematismos subjunxit.

Hilarius libro decimo[1], eam formandi in utero Christi rationem attigit his verbis : « Assumpta sibi per se ex Virgine carne, ipsi sibi ex se animam concepti per se corporis coaptavit, etc. Evacuans se enim ex Dei forma, et formam servi accipiens, et filius Dei etiam filius hominis nascens, ex se suaque virtute non deficiens, Deus Verbum consummavit hominem viventem. » Quæ posteriora verba sic accipio, ut non solum efficientia sua *Verbum consummaverit hominem*, hoc est perfectum hominem ex utero, quem assumeret, molitus sit ; sed etiam ad corpus jam idonee præparatum in eodem utero, simul et animam immiserit, qua viveret, et ad utrumque conjunctum et copulatum, momento ipso personam suam applicarit ; atque ita hominem ejusmodi *consummaverit*, hoc est Deum hominemque perfectum reddiderit, quem Emmanuelem Propheta nominavit.

III. Jam quod ad modum ipsum locutionis attinet : paulum dissentire videntur inter se Patres, dum alii divinitatem negant ex Maria esse genitam, alii affirmant. Sed tantum videntur. Nam reipsa consentiunt. Anonymus quidam apud Euthymium priorem partem propugnat, cum sic scribit : « (1) Deum inhumanatum, et Deum carne passum dicimus : divinitatem vero inhumanatam, aut carne passam non dicimus, si proprie loquimur, quandoquidem Virgo Deum quidem genuit, divinitatem vero non genuit, sed divinitatis hypostasim unam incarnatam, quæ est Filius, etc. Etenim gigni naturæ non est, sed hypostasis. Si enim naturæ esset, non in eadem natura ambo illa spectarentur, genitum et ingenitum. »

At Ferrandus in epistola ad Anatolium[2] : « Ita proprie, sicut veraciter, *inquit*, Maria divinitatem Filii genuit, sed incarnatam. »

Idem de hac locutionis forma judicium est, quod de simili, in Trinitatis mysterio[3], ab quibusdam usurpatum observavimus alio loco : ut divinitatem pro Deo ac divina persona sumentes, genitam eam dicerent. Et videnda sunt quæ de hoc genere loquendi, capite primo libri hujus explicata sunt. Omnino *genitam esse divinitatem* ex Maria virgine, idem est, ac *genitum Deum Verbum* dicere, quod extra calumniam, et rerum naturæ consentaneum esse demonstratum est, capite 14.

De hoc erudite Theodotus Ancyranus in homilia de Nativ. Domini, quæ in Ephesina synodo lecta est : cujus verba, quia Nestorii sophisticam argutiam commode dissolvunt, volo hic referre. « (2) Vidisti, *ait*, Λόγον, id est rationem, supra rationem omnem nasci. Nam Dei Verbum, et rationem, illum esse qui natus est, vel ex eo perspicuum est, quod virginitatem matris non solvit, etc. » « (3) Nascitur ergo unigenitus Dei filius, qui et Λόγος, id est sermo, vel ratio, dicitur. Non quod Verbum initium existendi ex partu ceperit, sed quod ejus quod homo est, initium ex illo eodem habuerit partu. Erat enim jam ante secula Deus Verbum Patri suo coæternum : postquam autem homo fieri propter homines voluit, non mutatione divinæ naturæ, sed miraculo, et voluntate Dei, tanquam initium sese hominis faciendi, partum elegit. »

IV. Rusticus diaconus in disputatione contra Acephalos, locum quemdam ex Gregorii Nazianzeni epistola priore ad Cledonium affert; quo in loco « Verbum *ait* ipsum secundum substantiam conjunctum, et complasmatum esse carni. » Sic enim ex Acephali persona Gregorii verba proponit[4] : « Si quis dicit, tanquam in Propheta, secundum gratiam inoperatum, et non secundum substantiam conjunctum, et complasmatum Verbum, sit vacuus melioris operationis; magis vero plenus adversæ. » Quod idem Rusticus postea sic explicat[5] : « Quia igitur plasmata quidem est caro, non deitas Verbi sempiterna persistens : erat vero inseparabiliter carni unitum Dei

(1) Euth. in calce tit. 7. Panop. Θεὸν μὲν ἐνανθρωπήσαντα, καὶ Θεὸν σαρκὶ παθόντα φαμέν· θεότητα δὲ ἐνανθρωπήσασαν, ἢ σαρκὶ παθοῦσαν, οὐ λέγομεν, εἰ μέλλοιμεν κυριολεκτεῖν· ὅτι καὶ παρθένος Θεὸν μὲν ἐγέννησε, θεότητα δὲ οὐκ ἐγέννησεν, ἀλλὰ θεότητος ὑπόστασιν μίαν σεσαρκωμένην, ἥ τις ἐστὶν ὁ Υἱὸς, etc. τὸ γὰρ γεννᾶσθαι οὐ φύσεως, ἀλλ' ὑποστάσεως. Εἰ γὰρ φύσεως ἦν, οὐκ ἂν ἐν τῇ αὐτῇ φύσει τὸ γεννητὸν ἐθεωρεῖτο, καὶ τὸ ἀγέννητον.

(2) Theod. in 3. par. conc. Eph. pag. 530. B. Εἶδες τὸν Λόγον ὑπὲρ τὸν λόγον τικτόμενον. Ὅτι γάρ ἐστιν ὁ τεχθεὶς Λόγος Θεοῦ, δῆλον ἐξ ὧν τὴν παρθενίαν οὐκ ἔλυσεν.

(3) Ibid. C. Τίκτεται οὖν ὁ μονογενὴς Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ καὶ Λόγος καλούμενος, οὐκ ἀρχὴν τοῦ εἶναι Λόγος ἐκ τοῦ τόκου λαβὼν, ἀλλὰ τοῦ γενέσθαι ἄνθρωπος ἀρχὴν τὸν τόκον ποιούμενος. Ἦν μὲν γὰρ πρὸ αἰώνων Θεὸς Λόγος τῷ γεννήσαντι συναΐδιος. Ἐπειδὴ δὲ ἄνθρωπος γενέσθαι δι' ἀνθρώπους ἠθέλησεν, οὐ μεταβολῇ θεϊκῆς φύσεως, ἀλλὰ θαύματι, καὶ θελήσει Θεοῦ, ὡς ἀρχὴν τοῦ γενέσθαι ἄνθρωπος, τὸν τόκον ἠσπάσατο.

[1] Pag. 70. D. — [2] Tom. 3. Bibl. PP. col. 332. — [3] Vid. lib. 6. de Tr. c. 10. § 6.

[4] Rust. 4. Bib. col. 823. D. — [5] Ib. col. 827. E.

Verbum, ea, quæ propria carnis sunt, propria faciens; dispensative complasmari dicitur carne, ut propriæ carnis impassibiliter significans plasmationem. Sicut enim genita ex Virgine sacrosancta ejus carne, ipse dicitur genitus, qui omnibus ad id ut sint, præstat genesim, sic plasmata ejus carne, ipse dicitur complasmatus : ut in eo quidem, quod est, conservetur ratio naturarum : in eo vero, quod est plasmatus, (quod dum proprium sit primo loco humanitatis, dicitur tamen etiam de Deo Verbo,) unitionis omnino inseparabilis unitas custodiatur. »

Verum in græco Nazianzeni Gregorii aliter legitur, quam Rusticus refert, nec est quidquam, cui *complasmati* vox respondeat : « (1) Si quis, *inquit,* divinitatem in eo, velut in Propheta, per gratiam operatam fuisse dixerit, non autem secundum substantiam conjunctum fuisse, et conjungi, vacuus sit præstantiore afflatu, vel potius contrario repleatur. » Ibi est συνάπτεσθαι, pro quo συμπεπλάσθαι legerit Rusticus. Ceterum idcirco locus a nobis iste est adductus, ut ostenderet, quemadmodum Verbum ipsum humana generatione *fictum,* et *plasmatum* una cum carne dicitur.

V. Hic Hilarii [1] nobis opponi sententia potest, qui decimo libro negare videtur, Mariam corpori Christi originem dedisse. « Non enim, *ait,* ex se corpori Maria originem dedit : licet ad incrementa, partumque corporis, omne quod sexus sui naturale est contulerit. Quod vero hominis filius est, susceptæ in Virgine carnis est partus. » De hoc loco digladiati sunt inter se Philippus abbas Bonæ spei [2], et Joannes quidam præpositus : cum ad hunc ille Hilarii librum, sed falso Athanasii nomine inscriptum, misisset. Cujus cum Joannes in libri decimi locum illum incidisset, eo offensus, Athanasium istum cum stomacho rejecit : et indigno elogio prosecutus, *pertinaciter, et mendaciter prædicari* ista dixit. Cui Philippus respondens, Athanasii, vel revera Hilarii potius, verba sic interpretatur, ut e Mariæ substantia non neget corpus vere esse desumptum, sed originale tantummodo vitium [3]. « Quod scilicet corpus Christi, quamvis nostro simile naturaliter habeatur, a nostrorum tamen contagio vitiorum nullatenus inchoatur. » Quem in sensum accommodat illa, quæ ibidem pertexit Hilarius, *Non terrenis inchoatum corpus elementis :* quasi *terrena* elementa sint idem ac *vitiosa,* quod « vitia ipsorum corporum sint quædam initia : quia post peccatum Adæ, nisi parentes nostri concupiscentiæ vitiis æstuarent; nullam profecto sobolem carnaliter generarent. »

Hæc Hilarii interpretatio probabilis non est, ut recte sentit Hunaldus [4], in epistola, quæ inter Philippi epistolas postrema collocatur : ad Joannem præpositum scripta, in qua velut arbiter honorarius, controversiam illam dirimit, ac nec Hilarium, vel, ut isti putabant, Athanasium, errasse judicat : nec tamen Philippum bene illius loci sententiam explicasse. Quippe nihil aliud Hilarium velle, nisi Christi corpus naturali, et usitato modo non fuisse conceptum, ac genitum ; quod iis verbis indicat : « Corpus non terrenæ conceptionis elementis susceptum, non terrenis elementis inchoatum. » Quæ verba Hilarii sic Hunaldus exponit : « Elementa rerum principia vocat, id est causas illas, quæ divina providentia gubernante conceptionem corporum operantur. Quæ videlicet causæ, sive naturæ in procreandis corporibus numeros illos explicans, quos Deus, cum omnia creavit, simul crearet, et eis attribuit, et in ictu condendi seminaliter eas sparsit ; non tamen suam eis potentiam alligavit, etc. » « [5] Causæ ergo illæ communes, ut dicere cœperam, in congignendis corporibus operantur, velut cum seges, vel arbor ex semine suo nascuntur. In conceptione vero virginali non solitus naturæ cursus; sed alia penitus causa primum operata est, licet aliæ sint subsecutæ. Alia causa non creata supervenit, quæ carnem Verbo Dei personaliter uniendam de carne Virginis sequestravit, et eamdem a peccato originali mundavit. De hac, ut arbitror, causa, sive initio corporis Christi loquebatur Hilarius, cum diceret, Non habuit Christus initium ex Maria. Illud enim revera ex Maria non habuit, habuit vero aliud. Nam Virgo ex se genuit. Hoc ut mihi videtur, Hilarius fideliter intellexit : a qua fide, qui recte sentiat, non dissentit. De verbis ergo contendere, cum de rebus constet, et disputare ad nomen, viris non convenit eruditis. »

Quæ Hunaldi ratio vera est. Quod autem Philippus B. Virginem asserit [6], « carnis suæ

(1) Nazianz. orat. 51. pag. 739. B. Εἴ τις ὡς ἐν Προφήτῃ λέγοι κατὰ χάριν ἐνηργηκέναι, ἀλλὰ μὴ κατ᾽ οὐσίαν συνῆφθαί τε, καὶ συνάπτεσθαι, εἴη κενὸς τῆς κρείττονος ἐνεργείας, μᾶλλον δὲ πλήρης τῆς ἐναντίας.

[1] Hil. lib. 10. p. 70. F.— [2] Phil. Ab. ep. 5.— [3] Phil. p. 21.

[4] Ib. p. 97.— [5] Ib. p. 97. col. 2. init.— [6] Ib. p. 21. et seq.

materiam præstitisse, et hujus conceptionis causam materialem extitisse; Spiritum vero sanctum efficientem causam fuisse : » non satis accurate dictum arbitror; nisi et efficientiæ aliquid in illa corporis formatione sanctissimæ illius matri tribuatur. Quam Hilarius ipse eodem illo in loco non obscure indicat, dum Virginem ait Christum, ejusve corpus genuisse. « Quod ex conceptu, *inquit*, Spiritus sancti Virgo progenuit : quod licet sexus sui officio genuerit, non tamen terrenæ conceptionis suscepit elementis. Genuit enim ex se corpus, sed quod conceptum esset ex Spiritu. » Atqui generatio actio quædam est, efficientis utique causæ, non *materialis*, ut ait Philippus, solius. Nec Adamus Evam genuisse dicitur, pro eo quod e suo corpore, substantiaque sua fingendæ illi, procreandæque materiam suffecit. Utrum vero ista cujusquemodi actio conceptum antecesserit, an etiam ipso in conceptu aliquid egerit; de quo multum inter se scholæ confligunt [1], non est hujus loci disserere. Id enim opportuniore postea loco fiet. Nunc eo contenti erimus, quod inter antiquos omnes Patres convenit, sanctissimam Virginem « officio usam materno, ut scribit Hilarius [2], sexus sui naturam in conceptu et partu hominis executam. »

VI. Nunc cetera Nestorii argumenta persequar, quæ ex priori illo fere universa pendent, quo facilior nobis futurus est in illis exitus. Ergo secundum hujusmodi ex hæretico illo proponit Cyrillus : Qui θεοτόκον beatam Virginem nuncupant, Arianis, Eunomianis, et Apollinaristis favent, « (1) qui cupide vocabulum istud asciscebant, ut commistionem introducerent, ac sublata naturarum divisione, nihil eorum, quæ vilia sunt, ad humanitatem referretur : sed ut locus ipsis adversus divinitatem pateret, tanquam ab uno omnia dicantur, non ratione dignitatis ex conjunctione ipsa sequentis, sed ratione naturæ. » Atqui vana est ista calumnia : et longe ab hæreticorum illorum impietate distat Christiana professio, quæ naturas duas perfectas ita substantiva unitione copulatas esse defendit, ut hoc sine alterutrius extinctione, vel confusione factum sit : sed ita ut naturarum salva sit differentia ; nec ex duabus una composita coaluerit. Hæc demonstrata, et explicata hactenus a nobis qui constanter retinebit, nihil sibi ab κράσει illa, sive commistione metuet, qualem Apollinaris, ac reliqui hæretici commenti sunt, de qua alibi dixi [3]. Quinetiam, uti supra meminimus, Apollinaris θεοτόκον vero ac legitimo sensu Virginem neutiquam habebat : utpote qui Deum negabat ex ea genitum, ac ne ipsam quidem Christi carnem putabat ex illa susceptam, sed aliunde illatam in ejus uterum ; ex quo fiebat ut peperisse tantum qualemcumque hunc hominem, aut Deum illam arbitraretur ; non autem revera genuisse.

VII. Tertio ita ratiocinabatur Nestorius : Si homo per se proprieque duntaxat est genitus, non autem Deus, qua Deus est ; non proprie *Dei genitrix* est Maria vocanda, quæ eatenus solum Deum genuit, quod homo ille, qui ex ea natus est, cum Deo conjunctus erat. Idcirco [4] Deum asserebat παρελθεῖν, id est *transiisse* per uterum illius.

Hæc Nestorii argumentatio duplici labe contaminata est. Prima est, quod ex ea venenum illius, quam dissimulabat, hæresis, manifeste proditur : nempe humanam naturam Christi per se proprioque modo subsistere, et esse personam, sive hypostasim. « Nimirum, ut recte contra illos disputat Maxentius [5], hæc erroris vestri, et non alia causa est. Nam dum non valetis discernere quid inter personam sit, et naturam, idipsum intelligentes naturam esse quod et personam ; imo nullatenus credentes naturam esse posse sine persona, vocabula personæ naturarumque confunditis, et duas omnino personas, sicut duas naturas unius filii Dei, sine dubio prædicatis. Nam cum Deum Verbum natum ex Virgine secundum carnem dicimus, divinitatis ejus naturam æstimatis vos natam ex Virgine prædicare. Verum si hoc, quod absit, crederetur a nobis, non eum secundum carnem natum ex Virgine fateremur. Rursus cum a Deo Verbo susceptam auditis naturam humanam, personam ab eo, hoc est hominem, susceptam, non eumdem factum hominem creditis. Hinc etiam nec vere, nec proprie B. Virginem Dei acquiescitis credere genitricem ; quia non Deum Verbum

(1) NESTOR. apud Cyr. lib. 2. cont. Nest. pag. 33. tom. 6. D. Τοῖς Ἀρείου, καὶ Εὐνομίου, καὶ Ἀπολλιναρίου, καὶ πάντων τοῖς χοροῖς τῶν τῆς τοιαύτης φρατρίας, σπουδὴ θεοτόκον εἰσάγειν, ὡς κράσεως γινομένης, καὶ τῶν δύο φύσεων μὴ διαιρουμένων, μηδὲν τῶν εὐτελῶν εἰς τὴν ἀνθρωπότητα λαμβάνεσθαι· καὶ χώραν αὐτοὺς λοιπὸν κατὰ τῆς θεότητος ἔχειν, ὡς πάντων λεγομένων παρ' ἑνὸς, οὐ κατὰ τὴν ἀπὸ τῆς συναφείας ἀξίαν, ἀλλὰ κατὰ τὴν φύσιν.

[1] S. Tho. 3. par. qu. 32. art. 4. Scot. in 3. Distin. 4. quæst. 1. — [2] Lib. 10. pag. 70. G. — [3] Lib. 3. cap. 2.

[4] Nest. apud Cyr. lib. 1. cont. eum. p. 10.— [5] Maxent. tom. 4. Bib. PP. col. 470. C. D.

incommutabililer ex ejus visceribus hominem factum, sed hominem Deo unitum ex ea creditis natum. »

Etenim generatio per se ac proprie in personam, sive hypostasim, tanquam in terminum, desinit; hoc est in naturam subsistentem. Itaque si B. Virgo hominem solum proprie genuit, Deum vero nonnisi σχετικῶς, atque ob unitionem, qua cum eo copulatus est homo; quam Nestorius οὐσιώδη, ac veram esse non existimabat; prorsus necesse est humanam aliquam personam ex illa generatione extitisse per sese, non divinam. Præsertim cum idipsum quod generatur, et generationis terminus dicitur, unum per se esse debeat: hoc est una substantia, naturali, vera, proprieque sic dicta unitate; non σχετικῇ, ac *morali*; quæ non *physica*, ut vocant, sed *morali* itidem effectione per se, ac directe producitur. Hinc est quod nulla sanctorum parens hominum, Dei genitrix appellatur: ut adversus illam Nestorii blasphemiam excipit Cyrillus [1]: tametsi divinos, ac Deo conjunctos homines pepererint, etiam ex ipso utero sanctos, ac justos: ut Elisabeth Joannem Baptistam.

Alterum Nestorii flagitium illis in verbis, quod Deum transiisse per Mariam virginem dicit, ut ne aliquid ex ea sumpsisse crederetur, quod sibi proprium faceret [2]. Hoc autem quid sit, prorsus explicare nemo potest. Non enim loco certo definitur Deus, nec ex uno transit in alterum. Itaque quod scripsit, *Deum Verbum transiisse per Virginem*, nonnisi figurate, ac tropice interpretari licebat Nestorio; ut idcirco ita loqueretur, quod in homine Deus habitaret natura quidem, ac substantia prorsus alieno; verum affectu, ac voluntate, aut habitudine quadam ejusmodi alia, quam σχέσιν vocant, copulato secum, atque conjuncto.

VIII. Quarto loco instabant hæretici [3]: « Ex una substantia generari nullatenus potuisse substantias duas. » Ita Ferrandus objicit sibi, ac statim respondet: « Veraciter hoc dici, si separatim generatas audiamus. Nunc vero in magno illo, et mirabili sacramento, quod manifestatum est in carne, divina substantia secundum humanam substantiam proprie nata est, quia non separatim nata est, nec humanitatem proprie natam sibi divinitas adunavit, sed adunando eam sibi proprie nata est. Dicam adhuc planius pro captu infirmitatis meæ, si removeat Deus veritas tenebras falsitatis a luce hujus disputationis. Proprie est nata de Patre divinitas pura, proprie est nata de matre eadem incarnata divinitas. Et hoc distat inter unius filii Dei duas generationes, quod in divina generatione nulla fuit humanitas, in humana generatione adunata fuit humanitati proprie nascenti divinitas. Si enim dixero, vel dicere voluero, Maria semper virgo proprie genuit humanitatem, non proprie genuit divinitatem: videbitur sub aliquo modo hominem purum genuisse, quem nullo modo ita genuit, quia Verbum carnem factum proprie genuit. »

Rursus Nestorianis occurrit idem Ferrandus, alio, et, quod quintum ponimus, argumento lacessentibus: quod Mariæ divinitatem sit adscribere, et hanc Deam facere, si Deum illa genitum οὐσιωδῶς proprieque dicamus. Atque hoc idem apud Cyrillum Nestorius tacite Catholicis exprobrans, θεοτόκον Mariam appellantibus «(1) licere hoc illis per se » dicebat, « dummodo virginem hanc Deam non facerent. » Sed hanc cavillationem Ferrandus, ut diximus, ita diluit [4]: « Frustra expavescit, quisquis æstimat, quod proprie Maria mater fuerit Dei. Profecto enim, quia veraciter, et proprie generanti semper est consubstantialis ille qui nascitur, accepit ab ea Deus unde ei fieret consubstantialis, et sic ex ea nasci dignatus est. Ita igitur proprie, sicut veraciter, Maria divinitatem Filii genuit, sed incarnatam. Sine carne enim divinitatem sempiternam generare non posset homo mortalis.»

Quin et Maxentius Nestorianum ita pressius insistentem, ac sibi objicientem illud inducit [5]. « Quæro, qui vere et proprie generat, utrum ejusdem, cujus ipse est, an alterius cujuslibet substantiæ generat. » Ad quod Catholico respondente, ejusdem debere esse substantiæ: pergit Nestorianus, et, « Si fatuum et ineptum judicas, *inquit*, credere quemquam alienæ generatorem esse substantiæ, constat ergo Deum Verbum, non de matre, sed Patre vere, et proprie generatum, cum quo illi est una, eademque substantia. Alioquin erit procul dubio consubstantialis mater Domini, non solum Deo Verbo, quem vere et proprie juxta vos creditur genuisse; verum etiam Deo Patri, cui idem Deus Verbum consubstantialis existit. » Sed respondet

(1) NESTOR. apud Cyrill. in calce lib. 2. con. Nest. tom. 6. pag. 29. Ἐμοὶ πρὸς τὴν φωνὴν φθόνος οὐκ ἔστι. Μόνον μὴ ποιείτω τὴν παρθένον θεάν.

[1] Lib. 1. contra Nest. p. 11. D. — [2] Cyr. ib. p. 12. E. — [3] Fer. ep. ad Anat. tom. 3. Bib. p. 332. E. — [4] Ferran. tom. 3. Bibl. PP. 332. — [5] Tom. 4. Bibl. col. 465. C.

Catholicus: Consubstantialem Virgini Deum Verbum non secundum divinitatem, quæ illi una eademque cum Patre est, sed secundum carnem, qui non credit, alienus a fide. Sane quia non hominem quemlibet, qui non sit natura Deus, sed Deum Verbum incarnatum, et ex se hominem factum genuit, hac de causa vere, et proprie esse creditur theotocos. »

IX. Sextum argumentum quod e Scripturis Nestorius petebat, leve est ac frivolum. Hoc autem ejusmodi est, quod ex illius schedis in Ephesina synodo recitatum est [1], et a Cyrillo commemoratum in secundo libro adversus ipsum [2]. Observabat hæreticus ille, Scripturas sacras ea cautione locutas esse, ut quoties Christi nativitatem ex Maria virgine, vel mortem narrant, nusquam vocabulum, *Deus*, adhibeant: sed *Christus*, aut *Filius*, aut *Dominus*: quæ tria nomina naturis ambabus communia sunt. Hoc Cyrillus ita dissolvit. Eadem ait ista vocabula, cum naturæ utrique conveniant, eamque significent, ad explanandum illud mysterium aptissima videri. Non enim alterutram sine altera genitam dicimus esse naturam, sed ambas conjunctas, sive unum et eumdem constantem ex utraque Jesum Christum. Quoniam ergo verus, proprieque dictus Deus est Christus, non potest hic genitus dici, quin una et Deus genitus, ac natus intelligatur.

[1] Act. 1. p. 237. — [2] Cyrill. tom. 6. p. 36. — [3] Cap. 9. — [4] Nestor. apud Cyr. lib. 1. con. Nest. pag. 22.

Maxentius in Dialogo primo, idem illud argumentum Catholico intentantem Nestorianum inducit: ac respondens ipse, puerum illum, quem in Ægyptum dici ab Evangelista fugisse, objiciebat hæreticus, Deum esse, demonstrat ex Esaia [3]. Quo et illa pertinent Scripturæ testimonia, quibus in secundo libro de Trinitate, Christi divinitatem adstruximus.

Postremo [4] non dissimile istud erat illius argumentum, quod ex Nicæni concilii auctoritate ducebat. Hoc enim nusquam dixisse Deum ex Maria genitum, sed Dominum Jesum Christum; quibus vocabulis utraque natura significatur: sed nec B.Virginem θεοτόκον appellasse, quod in epistola ad Cœlestinum Nestorius scribit [5]. Verum Cyrillus tum in primo tomo contra Nestorium, tum in epistola prima ad monachos [6], et in quarta, quæ est ad Nestorium, et aliis in libris [7], rationem hanc nullo modo consistere patitur. Nam satis utrumque Nicænos declarasse Patres ait, eo ipso, quod *Jesum Christum Dei filium unigenitum* esse dixerunt, *Deum verum de Deo vero*, et cetera, quæ in symbolo posuerunt. Ex quibus necessario sequitur, et Deum verum proprieque dictum esse non solum Verbum per sese, et a carne sejunctum: sed etiam hominem ipsum, qui in Deo Verboque subsistit, et una cum illo persona est, hoc est Jesum Christum: et hujus matrem vere, proprieque Dei esse genitricem.

[5] Par. 1. Eph. Syn. pag. 182. — [6] Tom. 5. par. 2. pag. 4. et seq. — [7] Ib. pag. 22.

LIBER SEXTUS.

IN QUO AB HÆRETICI NUPERI CALUMNIIS, CYRILLI ET EPHESINÆ SYNODI INTEGRITAS FIDEI, ET AUCTORITAS DEFENDITUR; AC NESTORIUS, QUEM ILLE CATHOLICUM FUISSE DICIT, RECTE PRO HÆRETICO DAMNATUS OSTENDITUR.

ΠΡΟΘΕΩΡΊΑ.

Exponitur libri hujus argumentum, et scribendi causa. Cujusmodi liber ab anonymo scriptore contra Cyrillum, et Ephesinam synodum sit editus.

In gravissimis ætatis hujus incommodis, ac vitiis non postremo loco reponenda est opinandi de catholicæ fidei rebus infinita hominum libertas et licentia. Quæ tam late propagari, ac se adeo intemperanter efferre cœpit, ut ad quælibet tum docenda, tum discenda, et profitenda complures apprime ingenio ac voluntate sint parati. Equidem non istud magis alias animadvertisse mihi videor, quam his postremis annis, quibus novarum, et alienarum ab usu Ecclesiæ opinionum, ac dogmatum mire se copia, et varietas effudit. Nihil de ceteris conqueror, quæ jam audita vulgo, pervagataque sunt. Rem narro non multis fortasse cognitam : sed ad ejus, quod dixi, capiendum specimen imprimis idoneam. Editus est anno superiore 1645. liber quidam, vel portentum libri potius : cujus argumentum est ejusmodi, quale nemo suspicari posset, nemo sine horrore et execratione legere. Hoc enim demonstrandum suscipit, Nestorium impurissimum hæresiarcham, pium et catholicum fuisse : illos autem, a quibus condemnatus est, Cyrillum et Ephesinam synodum, hæreticos et impios ; ab quibus injuste, ac per vim et tyrannidem oppressus Nestorius, non solum inter Ecclesiæ doctores et magistros sit habendus, sed inter martyres quoque numerandus.

Nam de Cyrillo, et Ephesinis illis Patribus nefanda, et hactenus inaudita circulator iste garrit ; Apollinaris, Valentini, Manichæi, Eutychis, et Dioscori socios, et participes illos nominans, ad quos insuper adscribit Gregorium thaumaturgum, Dionysium Alexandrinum, Athanasium, et Chrysostomum. Quinetiam in Trinitatis dogmate graviter lapsum eumdem esse Cyrillum, et ante hunc Hilarium affirmat. Sanctissimam porro Virginem neque θεοτόκον, neque Dei matrem esse proprie ; et ab istis vocibus abstineri satius fore. Communionem, quam vocant, idiomatum nec esse revera; nec in Scripturis reperiri. Sed neque de naturarum in Christo copulatione satis religiose, ac sobrie sentit : de quo, ut et reliquis omnibus, plenius ex hac nostra disputatione constabit.

Hujus auctor dissertationis nomen suum iis, quibus cum libro suo damnandus erat, silentii tenebris oppressit. Hoc unum tamen, quod scire interfuit, secta se esse Calvinianum indicat; uti ne illud ignoraremus, undenam consentaneum sit talia perfidiæ portenta, et venena prodire. Ceterum scriptus ille liber est impuro et inquinato sermone; in quo stili barbaries cum argumenti immanitate contendit. Est enim putidum, et ab omni cultu, et munditia destitutum genus orationis ; nec habet quidquam, quod hujus seculi felicitatem et elegantiam sapiat. In quo etsi minime morosus, ac fastidiosus esse soleo : tamen in illa hominum indole, qui theologos nostros in scholis suis impolite, ac parum latine dicentes irridere non cessant, prætereundum hoc non fuit, quod in aliis dissimulari debet, vitium locutionis. Verum leve istud est ac tolerabile, præut est rerum, quæ verborum sordibus istis continentur, et argumenti impietas, ac fœditas, quam paulo ante commemoravi. Ecquis porro tam insperata, tamque horrida recensenti mihi sensus animi fuerit, de suo pius quilibet, et Christianus lector

æstimare poterit. Me quidem non mediocriter cogitatio ista commovit, quod hoc exemplo, et instituto videbam aditum dari improbis, et ingenio pariter atque audacia præditis hominibus ad conturbandam, evertendamque funditus Ecclesiæ fidem. Quod enim est tam sanctum, tamque usu, et ætate corroboratum, ac tam auctoritate fundatum illius decretum, quod non similibus, atque impostor usus iste est, argumentorum calumniis, et argutiis ad vexandum oppugnandumque pateat? Quis est autem ex illis sanctissimis, eruditissimisque Patribus, qui formandis, et concipiendis plerisque fidei dogmatibus præfuerunt, cujus ex libris vox, et sententia aliqua decerpi nequeat, quæ deteriorem in partem ambiguitate ipsa possit, vel maligna interpretatione torqueri? ut, quod in Cyrillo, Athanasio, aliisque iste statuit, ad universos hæresis, et impietatis infamia ista pertineat.

Nam de conciliis œcumenicis quid dicam? quorum nemo est Christianus, quin sacrosanctam, et Gregorii M. judicio, supparem Evangeliis auctoritatem suscipiat; in quibus, ut ait Tertullianus [1], « ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur. » At furiosus ille synodum Ephesi habitam, cum eo, qui pars illius maxima fuit, Cyrillo proscribere, et hæresis insimulare non dubitavit. Quo in uno concilio reliqua omnia damnavit : quandoquidem nec ullum post habitum fuit, quod non illius decreta nominatim approbarit : et iisdem fere de causis etiam anteriora rejici oportebit, propter quas Ephesinum repudiandum esse censuit. Tum vero, uti recte scriptum est a Leontio [2], « qui synodis repugnant, non jam contra aliquos, sed contra omnes Christianos seditionem faciunt. » Nam quod illo suo facto profectum eatenus putat, ut ab conciliis abjudicata *infallibilitas* (sic enim loquitur) in solidum Scripturæ sacræ cederet, nihil istud est. Licebit enim non dissimili, atque ille fecit, interpretandi fuco, et cavillatione, quantumvis expressis, et disertis sacrorum librorum testimoniis illudere. Sed de hoc alias.

Nunc ad librum illum revertor; vel ostentum potius ætatis nostræ : quo libro pluribus abhinc seculis capitaliorem nullum extitisse constat. Hunc mihi confutare hoc loco est animus, ejusque fraudes, ac sacrilega mendacia convincere. Quod ea spe aggredior, ac fiducia, ut jam nunc denuntiare, ac polliceri non verear, palam me esse facturum, nihil ibi subtile, valdeque metuendum esse, aut ad enodandi operam laboriosum et molestum. Quod autem difficilis, ac perobscuræ quæstionis rem esse credidit, eamque magna pompa, et ostentatione jactavit, id illius est factum inscitia : quod nec Cyrilli, ceterorumque Patrum sensus, ac loquendi modos assecutus est : neque Nestorianæ hæresis, et ad hanc opprimendam, Cyrillianæ, Ephesinæque totius actionis et controversiæ arcana perspexit. Quæ qui diligenter observata, et notata habeat, non eum fallet inanis illa difficultatis species, quæ hebetem aciem imperiti istius nebulonis perstrinxit. Sed hujus promissi nostri fidem res ipsa comprobabit, et contra librum illum suscepta consequens disputatio : ad quam, favente Numine, bene, uti spero, successuram, utilem certe, et a multis expetitam, deinceps animum ac stilum convertimus.

CAPUT PRIMUM.

De hypostasi et usia disputatur. — 2. Hypostasis variæ notiones expositæ. — 3. Quomodo, et quando significatione distingui cœpit ab usia. — 4. Etiam ante receptam utriusque differentiam, a natura distinctam fuisse hypostasim. — 5. Neque penitus cum οὐσίᾳ promiscue habitam. — 6. Explicatur hypostasis vera ratio : eaque duplex, tum ut naturam individuam, et reipsa extantem; tum ut suppositum significet. — 7. Utrumque illustratur ex Joanne Damasceno, et aliis theologis. — 8. Nonnunquam Patres hypostasis eam notionem assumunt, quam illi retinent, contra quos disputant.

1. Quæ duæ voces in Trinitatis, et Incarnationis explicandis dogmatibus magno usui sunt, eædem hac in disputatione, quæ tota duobus ex illis proficiscitur, apprime sunt necessariæ, ὑπόστασις, et οὐσία : quarum hoc initio bene perspecta, diligenterque provisa tum

[1] De jejun. c. 13.

[2] Leont. tom. 4. par. 2. Bib. col. 1049. D.

notione nobis opus est, tum vero differentia. Ac de utrique vocabulo subjecta proprietate uberrime dictum est in quarto de Trinitate libro : neque quidquam illic est omissum, quod in præsenti desiderari possit, præter pauca quædam, de usu vocum illarum apud Cyrillum, aliosque veteres : cujus accuratiorem indagationem exigit a nobis tum istorum, quorum patrocinium sumpsimus, auctoritatis propugnandæ studium nostrum : tum eorumdem adversarii, et calumniatoris anonymi confutanda temeritas, et inscitia. Quamobrem cujusmodi in usurpandis nominibus istis ratio Cyrilli præsertim fuerit : de quo in quarto illo libro nonnulla quoque sunt exposita : fusius, et enucleatius dicere hic oportet, ceteris interim parce, obiterque commemoratis, sine quibus illa tradi nequeunt, quæ proprie hoc loco disputantur.

II. Hypostasis apud græcos theologos vocabulum (ab hoc enim disserendi capiendum est primordium) ex primaria impositione significat id, quod extat revera, et solide consistit, non specie sola : vel quod fluxum non est, nec dilabitur, atque evanescit. In quo duæ sunt distinguendæ notiones ad negotium nostrum valde utiles : altera est, ut ὑπόστασις opposita sit τῷ μὴ ὄντι, ei quod nihil est, nec existit reipsa, sed fictum, adumbratumque est. Cujus dissimilitudinis vim apte Tullius expressit initio Tusculanæ tertiæ, ubi de falsæ inanisque studio gloriæ disserens, « Consectaturque, *ait*, nullam eminentem effigiem virtutis, sed adumbratam imaginem gloriæ. Est enim gloria solida quædam res, et expressa, non adumbrata. » Hæc est propria ratio τῆς ὑποστάσεως, ut sit solidum aliquid, et eminens, ac verum, non adumbratum, et inane. Altera significatio est, qua res aliqua declaratur non vere extans solum, et quæ non plane est nihil : sed quæ insuper consistit, et permanet, cui τὸ ἀνυπόστατον opponitur, caduca res, et fluens ; neque statum habens. Sic tempus, et motus, et id omne cujus natura in continuata successione partium, ac transitione posita est, ὑποστάσει carere dicitur : tum quidquid ætatem non fert, ac cito finitur, et interit, ut sunt humanæ res omnes, et mortales. Ita Gregorius Nyssenus in Catechetico libro, capite primo, naturam nostram vocat *corruptelæ obnoxiam, et infirmam* : « (1) cujus rei gratia brevis est vita ; virtus ipsa non consistit ; neque verbum, vel ratio stabilitatem habet. » Et subinde discrimen explicans increati, creatique Verbi, « (2) Etsi, *inquit*, Verbum Dei dicitur, non in ejus impulsu, qui loquitur, extantiam habere putabitur, ad similitudinem nostri, ad hoc transiens ut non sit. » Tum paulo post idem Dei Verbum Λόγον ἀΐδιον, et ὑφεστῶτα, *sempiternum, et consistens* vocat, ejus videlicet proprium naturæ, quam ἑστῶσαν φύσιν, *stantem, nec dilabentem*, nuncupat. At postea patrem esse dicit, « (3) a quo filius habet ὑπόστασιν : » ubi prioris est significationis, et idem est, atque *esse*, vel, ut vulgo loquuntur, *existentia*. Sic in quinto capite, cum « totius mundi ὑπόστασιν pendere *ait* ex virtute Verbi, » pro eo quod est *esse*, vel *in rerum existere natura* sumitur : quam mox σύστασιν appellat, hoc est *constitutionem*, vel *existendi statum*, quam barbari *consistentiam* vocant, *compactionem*, et *coagmentationem* nominare possis. Sic Irenæus : « (4) Non enim specie, et opinione sola, sed vera extantia fiebant. » Interpres suo more barbarissans : « Non enim putative hæc, sed in substantia veritatis fiebant. »

Ibi ὑπόστασις pro vero et solido, nec solum apparente, reipsa vero minime cohærente sumitur. Ac videtur idem fons esse notionis utriusque paulo ante notatæ, ut τῷ μὴ ὄντι, hoc est nihilo, ὑπόστασις et τὸ ὑφεστὼς ex adverso respondeat. Quod enim fluxum est et transiens, ut ea sunt, quorum in cursu, et successione natura posita est ; id, etsi aliquid est, dum fluit, ac transit, potest tamen nihili instar duci, et non esse censeri, quoniam ad hoc properat, ut non sit : imo diffluentibus, et occidentibus vicissim partibus suis, ipsum in quo consistat, non habet. Hinc illa de tempore, ac motu difficilis, et laboriosa quæstio, quorum vix a peritissimis philosophis conditio et natura dignoscitur, quia statum non habet, id est στάσιν, sive ὑπόστασιν. Eodem jure creatæ res omnes, quæ stabilitatem non habent, atque oriendi, intereundique vicibus propagantur alternis, et nihil esse, et ὑποστάσει carere dicuntur. Seneca philosophus in libro de Vita beata, capite 7. *substantiam* usurpavit ea notione, cum sic scripsit : « Itane potest quidem ulla ejus esse substantia, quod venit, transitve celerrime, in ipso

(1) Gregor. Nyss. tom. 2. pag. 477. D. Ἐπειδὴ γὰρ φθαρτὴ, καὶ ἀσθενὴς ἡμῶν ἡ φύσις, διὰ τοῦτο ὠκύμορος ἡ ζωὴ, ἀνυπόστατος ἡ δύναμις, ἀπαγὴς ὁ Λόγος.

(2) Ibid. pag. 478. Οὐκοῦν κἂν Λόγος Θεοῦ λέγεται, οὐκ ἐν τῇ ὁρμῇ τοῦ φθεγγομένου καὶ τὴν ὑπόστασιν ἔχειν νομισθήσεται, καθ' ὁμοιότητα τοῦ ἡμετέρου μεταχωρῶν εἰς ἀνύπαρκτον.

(3) Ibid. pag. 479. D. Πρὸς ἐκεῖνον παρ' οὗ τὴν ὑπόστασιν ἔχει.

(4) Iren. lib. 5. c. 1. cit. a Theodor. dial. 2. pag. 87. Οὐ γὰρ δοκήσει ταῦτα, ἀλλ' ἐν ὑποστάσει ἀληθείας ἐγίνετο.

usu sui periturum. » Hinc Vincentius Lirinensis *personam non simulatoriam, et transeuntem* opponit *substantivæ, ac permanenti;* qualem homini Christo vere et catholice tribuit, divinam scilicet, non ut Nestorius, solo, sine re, vocabulo constantem. Sic Hieronymus Epistola 57. ubi hypostasim idem quod usiam esse dicit; « Una est Dei, et sola natura, quæ vere est, *inquit.* Id enim, quod subsistit, non habet aliunde, sed suum est. Cetera quæ creata sunt, etiamsi videantur esse, non sunt, quia aliquando non fuerunt; et potest rursum non esse, quod fuit. » Non alienum est ab hac οὐσίας, et ὑποστάσεως interpretatione quod scribit Hilarius in libro de Synodis : « Essentia, *inquit*, est res quæ est, vel ex quibus est : et quæ in eo quod maneat subsistit. Dici autem essentia, et natura, et genus, et substantia uniuscujusque rei poterit. Proprie autem essentia idcirco est dicta, quia semper est. Quæ idcirco etiam substantia est, quia res, quæ est, necesse est subsistat in sese ; quidquid autem subsistit, sine dubio in genere, vel in natura, vel substantia maneat. » Hic Hilarius *substantiam* et subsistentiam pro hypostasi sumpsit, quam eamdem cum οὐσίᾳ, vel natura, sive, ut vocat, *genere* esse credidit, sive *essentia;* quam cum ab eo dictam vult, quod sit semper, alludit ad receptam illam apud Latinos olim etymologiam nominis οὐσίας, ab eo quod est οὖσα ἀεί, de qua scripsi in fine capitis sexti libri primi de Deo. Quod ad ὑπόστασιν spectat, ea nonnunquam pro substantia sumitur, non quæ per se subsistit solum, hoc est, quæ non accidentis inhæret modo, sed quæ ab alia disjuncta manet, ac perennat. Ita dialogi græci cujusdam de Trinitate scriptor, qui tribuitur Hieronymo, (1) solum hominem obtinere ait animam ὑποστατικήν, quia sola hæc a corpore divulsa.

Hoc modo οὐσία et ὑπόστασις pro uno, eodemque ab antiquioribus habita sunt, atque adeo ab ipsa synodo Nicæna, et ab Athanasio; ut in quarto de Trinitate libro demonstratum est.

III. Postea distingui cœpere duo illa, medio circiter labente seculo quarto, ac sub Antiochenum schisma, in quo tres illa in urbe constituti sunt episcopi, duo Catholicæ partis; tertius Arianæ, de quo in eodem libro, capite quarto actum est pluribus. Tum vero [1] hujusmodi inter οὐσίαν, et ὑπόστασιν fixa differentia est, ut οὐσία naturam communem significaret, ac multis communem individuis ; ὑπόστασις vero singularem, et individuam, certisque determinatam qualitatibus, et proprietatibus, quæ in unum tantummodo convenirent. Hujus discriminis propugnator est Cyrillus Alexandrinus in dialogo primo de Trinitate [2] : cujus verba, ut et aliorum quamplurimorum, descripsimus in capite septimo libri quarti de Trinitate [3].

Tum igitur Christiana Theologia a profana, et Aristotelea philosophia in usu nominis οὐσίας paululum dissidere cœpit, ut Anastasius Sinaita [4], Theorianus, aliique tradunt. Nam Aristoteles in Categoriarum libro, capite de substantia, οὐσίας nomen primo et proprie illam significare vult, quæ singularis est, et in plures non communicatur : ut sunt hic homo, hic equus : quam idcirco substantiam primam vocat : secundo vero loco significare ait genera et species, quibus primæ illæ, et individuæ continentur, atque hanc, οὐσίαν δευτέραν, id est *secundam substantiam*, appellat.

Cum autem in Aristotelea philosophia, et apud humanæ sapientiæ auctores omnes, οὐσία, vel φύσις, hoc est substantia quælibet, ac natura singularis, se tota differat ab alia natura, vel substantia singulari; et sit ἰδιοσύστατος, quod est *per se subsistens*, et ab alterius cujuslibet consortio, et copulatione divulsa : duo quædam ab illis diversa Christiana sapientia didicit totidem ex primariis Religionis nostræ mysteriis, Trinitatis, et Incarnationis : alterum, non omnem naturam particularem, incommunicabilem esse : quod ex priori dogmate sumus edocti. Nam divina natura, cum sit una, et simplex, et eatenus individua, personis tribus eadem numero communis est. Alterum, non omnem individuam naturam esse ἰδιοσύστατον, hoc est, per se, et non in altero, vel alterius ope consistentem, et cohærentem : quod ex Incarnationis mysterio percepimus ; in quo humana natura etsi singularis, et una numero sit, non tamen per se subsistit. Utrumque veteribus philosophis ignotum propterea fuit, quod nulla humana ratio eo pertingere potuit, nec aliter istud quam fide, ac divina significatione capere.

IV. Posteaquam vero usu recepta est illa *hypostasis* ab usia *distinctio*, ut hæc communem naturam ; individuam, et singularem illa notaret ; paululum diversa ratione hypostasis est accepta, et ea duplici : pro eo atque com-

(1) Dial. de Trin. editus a Feder. Mor. Ψυχὴν γὰρ ὑποστατικὴν μόνος ὁ ἄνθρωπος κέκτηται.

[1] Vide lib. 4. de Trin. c. 7. — [2] Tom. 5. p. 408. — [3] § 4. — [4] Citati in 4. de Trinit. c. 1. § 2.

pertum esse dixi ex Incarnationis decreto, non omnem singularem, primamque substantiam per se, ac solitariam consistere. Alii ergo hypostasim sumpserunt pro substantia individua duntaxat, et una numero, quocumque tandem modo, hoc est sive proprio, sive alieno, subsisteret. Alii pro ea, quæ non solum singularis esset, sed per se quoque, et ab alia omni substantia separata consisteret: quæ alias suppositum, et persona dici solet.

Hic duo sunt cumprimis animadvertenda. Primum, hypostasis vocem, etiam in ejus prima illa usurpatione, cum ab οὐσίᾳ nihil differret, non idem fuisse prorsus ac φύσιν, sed ἐπινοίᾳ, et ratione discrepasse. Quippe φύσιν interpretati sunt naturam ipsam secundum se, et quatenus est τὸ τί ἦν εἶναι, hoc est *essentia* rei, ac definitio; in qua nulla *extantiæ*, sive *existentiæ*, vel τοῦ εἶναι sit inclusa notio: cujusmodi vis est substantivi verbi, quod *de tertio adjacente* dicitur, ut, *Homo est animal capax rationis.* Ibi enim verbum *est* non *existere* significat, sed convenire absolute secundum essentiam. Cum autem dicimus, *homo est*, quod *secundum adjacens* vocatur, substantivum verbum pro eo accipitur, quod est in rerum esse natura, et simpliciter *esse* nominatur ab antiquis theologis, ab recentioribus, *existere.* Φύσιν itaque, ac naturam existentem appellarunt antiqui Patres ὑπόστασιν. Quod ne gratis finxisse videar, ex eo persuasum habeo, quod illi ipsi φύσιν esse dixerunt naturam, quam vocant *specificam*, sive *infimam speciem*; quæ est natura, cum iis, et in iis spectata solis, quæ ad essentiam et definitionem attinent, quæ significationis proprietas etiam τῇ οὐσίᾳ est attributa, postquam ab ὑποστάσει distrahi cœpit, ut in quarto de Trinitate dixi [1]: ὑπόστασιν vero φύσιν, et naturam appellarunt non absolutam; sed ut extat in rerum natura, habetque præter essentiam, id quod *esse rei* dicitur, et *existentia.* Cujus argumentum ex eo duci potest, quod hujus capitis initio demonstravi, ὑπόστασιν, etiam post ejus ab οὐσίᾳ discrimen receptum, ab auctoribus, imprimisque Gregorio Nysseno, pro re extante, et in rerum natura cohærente sæpius accipi. Unde et cum ὑπάρξει confundi solet.

V. Secundo illud etiam notandum est: quamvis ὑποστάσεως, et οὐσίας nomina ante Nicænam synodum, et aliquanto post ipsam, pro natura sumpta sint; nonnihil tamen in illorum usu intercessisse discriminis. Non enim Petri, exempli gratia, vel Pauli, ut unam et eamdem οὐσίαν, sic eamdem ὑπόστασιν esse dixerunt antiqui illi Patres: sed hoc in sola divinitate, sive trium personarum communi essentia sibi permiserunt, ut hanc μίαν οὐσίαν, et μίαν ὑπόστασιν appellarent; quod innumeris exemplis in quarto libro de Trinitate probavimus. Quod nemo temere, ac sine causa factum existimet; sed inde potius verum hoc esse pro certo habeat quod dixi, aliquam iis in vocibus *rationis* constitutam ab illis esse differentiam. Ex quo contra Tritheitas, et anonymum calumniatorem Patrum, firmissimum argumentum petitur: de quo postea.

Maneat igitur, et extra controversiam sit, hypostasim, antequam ad solum significandum suppositum, vel personam, communi usu traheretur, naturam significasse reipsa cohærentem, et *actu*, ut vocant, *existentem*: adeoque singularem, ac determinatam. Nam nulla res in rerum existit natura, nisi singularis, et individua; et in singularibus communia, et universalia suo modo dicuntur existere; ut in primis substantiis secundæ: uti Porphyrius, et Aristoteles docent.

VI. Ut autem melius ea, quæ tum hactenus dicta sunt, tum postea sunt dicenda, percipias, primum *hypostasis*, qua *suppositum* est, et *naturæ* differentia, ex S. Thomæ Aquinatis doctrina, paucis explicanda sic est. « Natura, inquit ille [2], significat essentiam, vel quod quid est, sive quidditatem speciei [3], quam significat definitio. Eadem vero dicitur suppositum, secundum quod est subsistens. » Subsistit autem ad naturam adjuncta, vel re, vel ratione ab ea differente aliqua proprietate, quod ὑποστατικὸν ἰδίωμα nominatur. Quæ proprietas est *præter rationem speciei;* nec in definitionem, vel certe in naturæ notionem includitur. Atque hæc hypostasis ratio est fixa, et constituta postea, cum ab natura penitus distincta esse cœpit. At antea primis quatuor fere seculis; imo quinti majori parte; naturam eamdem, vel essentiam significabat cum existendi proprietate; hoc est reipsa, et *actu* consistentem; adeoque singularem, ut paulo ante dixi.

In utraque vero hypostasis notione, hoc est tam ut suppositum personamve significat, quam ut naturam individuam *existentem* indicat, primarium in ejus essentia, definitione, ac contemplatione locum obtinet non proprietas, sed natura ipsa proprietate hac affecta, et quasi modificata; sicut homo sedens, vel albus,

[1] Cap. 7. et seq.

[2] Par. 3. qu. 2. art. 1. — [3] Ib. art. 2.

proprie, ac præcipue individuam significat hominis naturam, hujusmodi affectam proprietate, vel qualitate : tametsi natura eadem, quæ formæ illi subjicitur, qua natura est, non sit ratio cognitionem istam præcise determinans ; sive, ut loquuntur, *id quo* notitia nostra formatur ; sed id quod directe, ac primario cogitantibus occurrit, tanquam subjectum uti proprietatis, ita notionis, intellectionisque nostræ. Itaque necessario in definitioneu trobique ponitur. Est enim persona humana, *natura per sese, et non in altero subsistens.* Item hypostasis, quatenus individua est natura, et in sola consideratur ὕπαρξει, sive *extantia*, utputa in homine, definitur, natura rationalis individua reipsa, et *actu* existens.

VII. Hinc Joannes Damascenus libro tertio, hypostasim pro supposito recentiore usu sumptam definit, (1) *substantiam cum accidentibus,* nimirum cum proprietatibus omnibus, adeoque cum ea, quæ complet naturam, et *suppositum* facit. Mox enim ista subjicit : «Adeo ut quod commune est habeat hypostasis cum proprio, et hoc insuper, ut per seipsam subsistat : » quæ postrema verba velut formam continent, quæ personam, vel suppositum constituit, uti alias dixi. Ita licebit hypostasim ex antiquorum sensu definire, *naturam communem in individuo aliquo reipsa et actu existentem.* Quo imprimis pertinet multiplex illa naturæ consideratio ex græcis petita theologis ; quam et supra capite quinto quinti libri [1], et in libro quarto de Trinitate [2] fusius explicavimus. Ex quibus cognoscimus, naturam hominis, exempli causa, quæ inest in individuo quopiam, si absolute, et in se spectatur, ac ratione definitionis, et essentiæ, communem esse : sin ut est certis affecta proprietatibus, quæ alteri non conveniunt, esse μερικὴν, id est *particularem :* cui deinde advenit ut fiat hypostasis, sive proprio adjuncto modo subsistendi, sive alieno. Ita certe Joannes Damascenus, et Euthymius illic citati. Qui humanam a Verbo assumptam naturam dicunt non fuisse universalem, sive in omnibus individuis existentem, sive ab omnibus cogitatione sejunctam : sed eamdem in uno existentem individuo, vel unius individui naturam, cui Verbum hypostasis sit factum. Atque hæc ipsa natura hominis, quam Deus assumpsit, si eam spectes, antequam cum Verbo copularetur, poterat quidem φύσις, id est *natura*, dici ; non tamen ὑπόστασις : non eo solum, quod subsistendi modo carebat, sed ideo maxime, quod nihil erat *actu*, nec extabat in rerum natura. « (2) Caro, inquit Ephræmius apud Photium, nondum Verbo conjuncta inter existentes res nullo modo numerabatur. » Atqui τῆς ὑποστάσεως hac ratione consideratæ propria veluti forma est ea, quam vocant *realem existentiam.*

Quid quod οὐσίας nomini interdum eadem subjecta vis occurrit, et φύσεως, ut in quarto de Trinitate dixi [3] ?

Denique Basilius in epistola 43. in qua ὑπόστασιν, et οὐσίαν accurate describit, perspicue demonstrat (3) ὑπόστασιν naturam, sive οὐσίαν esse, quatenus quod commune est per certas proprietates in re aliqua designatur, ac determinatur.

VIII. Quin illud ex sequentibus patebit, plerumque veteres in usurpandis istiusmodi vocabulis, non ejus, quam illis tribuebant, notionis, sed in qua usurpabant ii, contra quos, vel ad quos, et quorum gratia loquebantur, rationem habuisse. Atque hoc modo crediderim Nicænum concilium in fidei formula, οὐσίαν et ὑπόστασιν promiscue sumpsisse, ut alibi notavimus [4]. Sic cum Athanasius, aliique veteres, necnon Nestorius, et Orientales, ὑπόστασιν pro φύσει et οὐσίᾳ indifferenter ponerent, Cyrillus tam ex istorum, quam ex aliorum ab natura, et οὐσίᾳ discernentium more locutus est : unde varietas illa, et ambiguitas orta sermonis, quæ perplexos et incertos lectores habet.

Sed et si vocum hujusmodi non tanta est ab illis adhibita cautio, quantam ii, qui deinceps sunt secuti, tenuerunt ; nihilominus aliis et idem significantibus vocabulis, aut eodem certe conspirante verborum circuitu ad hoc pervenerunt, quod recentior Theologia majore est compendio consecuta. Intellexerunt enim, et aptis etiam sententiis exprimere studuerunt, in substantia qualibet, duo re implicata et involuta, ratione et cogitatione distincta cerni :

(1) Damasc. lib. 3. cap. 6. pag. 186. Καὶ γὰρ τὴν ὑπόστασιν ὁρίζονται, οὐσίαν μετὰ συμβεβηκότων. Ὥστε τὸ κοινὸν μετὰ τοῦ ἰδιάζοντος ἔχει ἡ ὑπόστασις, καὶ τὸ καθ' ἑαυτὴν ὑπάρξαι.

(2) Ephræm. apud Phot. cod. 229. pag. 422. Ἡ δὲ σὰρξ οὔπω τῷ Λόγῳ συναφθεῖσα, οὐδὲ τῶν ὑπαρχόντων ὅλως ἦν.

(3) Basil. tom. 2. pag. 807. A. Τοῦτο γοῦν ἐστιν ἡ ὑπόστασις οὐχ ἡ ἀόριστος τῆς οὐσίας ἔννοια μηδεμίαν ἐκ τῆς κοινότητος τοῦ σημαινομένου στάσιν εὑρίσκουσα· ἀλλὰ τὸ κοινόν τε, καὶ ἀπερίγραπτον ἐν τῷ τινι πράγματι διὰ τῶν ἐπιφαινομένων παριστῶσα, καὶ περιγράφουσα.

[1] § 2. — [2] Cap. 9. — [3] Cap. 1.

[4] Lib. 4. de Trin. c. 1. § 6.

quorum unum est commune pluribus ejusdem nominis, ac formæ; quod interroganti quid rei sit illa, responderi soleat : ut in homine communi subjecta nomini ratio ac definitio est, ut sit animal intelligentia, et ratione præditum : alterum singulorum sub eodem vocabulo, ac definitione proprium, quo a se mutuo illa dignoscuntur, adjectis ad id, quod commune est, peculiaribus notis. Sed nec istud ignorarunt, naturam aliquam, et substantiam esse, quæ non solum extare reipsa, nec nihil esset : verum etiam per sese, et ab quacumque alia separata consisteret, nec in unius compositionem cum altero veniret. Cui quidem declarandæ voces illæ serviunt, ἰδικῶς, et ἀνὰ μέρος, et ἰδιοσυστάτως, quibus identidem Cyrillus utitur. Atque hic præterea cum animadverteret, Nestorium, qui cum res ipsi erat, φύσιν pro ὑποστάσει, et persona sic accipere, uti nullam , sine proprio subsistendi modo, naturam extare crederet, sæpius, et enixe contendit, unam in Christo φύσιν esse post unitionem, sed eam incarnatam. De qua re postea.

CAPUT SECUNDUM.

De usu nominis hypostaseos apud Cyrillum. — 1. Primum in dialogo primo de Trinitate ; — 2. deinde in libris contra Nestorium ; — 3. et in aliis locis. — 4. Quid sit unitio secundum hypostasim apud eumdem Cyrillum ; qui illam pro vera, et, ut vocant, reali sumpsit. — 7. Explicatur unitionis Nestorianæ ratio ; — 7. tum catholicæ illi oppositæ. — 8. Illustratur eximius quidam Cyrilli locus, ex quo quæ sunt dicta de unitione illa comprobantur.

I. Ut indoctas perinde ac temerarias anonymi criminationes accuratius refellam, quas in Cyrillum Alexandrinum præsertim, præque Patribus ceteris conferre non dubitavit ; pauca præfari necesse est de usu nominis ὑπόστασις, quem Cyrillus adversus hæreses disputans tenuit; maxime contra Nestorianos, in quos diutius, animosiusque certavit.

Ex omnibus porro locis, in quibus de hypostasis proprietate Cyrillus expressisse aliquid videtur, disertissimus ille est ex dialogo primo de Trinitate [1], cujus antecedenti capite mentionem fecimus. Nam in eo communem ceterorum Patrum rationem, post institutam ὑποστάσεως, et οὐσίας differentiam, secutus est : et οὐσίαν naturam esse dixit universe consideratam, secundum definitionem, quæ inferioribus convenit omnibus : ὑπόστασιν vero, singularem aliquem, et individuum hominem : quam etiam asserit, « (1) sic de uno quopiam intelligi, ut nec a communitate disjungat rem significatam, nec interim confundat, aut ad obscuritatem permisceat id, quod singulare est, et privatim competit. »

Quibus verbis hoc demonstrat Cyrillus, hypostasim ita singulare, et individuum designare, ut id quod commune est una comprehendat notione sua. Hoc autem est essentia ipsa, et definitio, cujus cum ceteris ejusdem speciei particeps est Petrus, aut Thomas. Ita verum est quod supra monuimus [2], hypostasim naturam ipsam proprie significare, non tamen absolute, universeque spectatam, sed determinatam, et affixam uni individuo. Qua ratione natura consideratur potissimum, ut est *actu*, et *existens*, etiamsi de ejus personali proprietate minime cogitetur. Quamvis naturaliter et ordinario usu, individua nulla sit natura per se, separatimque subsistens : unde inter *individuantes*, ut vocant, propriasque singularium notas recenseri solet ista quoque, per se, et non in alio cohærendi; quæ ultimum naturæ complementum, non tamen οὐσιῶδες, id est substantivum, vulgo *essentiale*, dicitur. Nec aliud Patres illos paulo vetustiores in explicanda hypostasi secutos arbitror : quos apparet ad naturæ *singularitatem* ipsam præcipue respectum habuisse potius, quam ad

(1) Cyrill. dial. 1. de Trin. pag. 409. Ἡ δὲ ὑπόστασις καθ' ἑνὸς ἂν νοοῖτο [illegible], οὔτε τῆς κοινότητος ἐξιστᾶσα τὸ δηλούμενον, οὔτε μὴν ἀναχέουσά τε, καὶ ἀνακιρνῶσα πρὸς τὸ ἀσυμφανὲς ἔτι τὸ καθέκαστόν τε, καὶ ἰδικῶς.

[1] Tom. 5. p. 408. et seq.

[2] C. 1. § 6.

subsistendi modum. Atqui illa ipsa *singularitas* notione disjungitur ab ultimo complemento, modoque subsistendi, et in qualicumque individuo, hoc est quacumque ratione consistente discernitur, quod « (1) reipsa veram habet, et naturalem extantiam, » ut Hippolitus loquitur.

II. Nestorius apud Cyrillum hæreticos incessebat, Mariam θεοτόκον appellantes ea de causa, « (2) ut mistionem inducerent, et duas naturas non dividerent. » Cyrillus de hac agens illius sententia, simulare ipsum ait hunc metum, ne quis Dei genitricem vocans Virginem, « (3) confusionem, et commistionem inter se hypostaseon fieri existimet. » Ubi ὑποστάσεις interpretatur, quas φύσεις appellarat Nestorius ; nempe naturas particulares et existentes. Quod si quis hypostases hoc loco eodem modo sumpsisse Cyrillum putet, quo in dialogo primo de Trinitate intellexisse jam eum dixi superiori capite, nempe ut naturam vox illa significet etiam per se subsistentem; respondere hoc licet, potuisse Cyrillum ex Nestorii, quo cum agebat, sensu et opinione, hypostaseon illic nomen usurpare. Quippe hypostases, et personas ambas esse re credebat hæreticus ille, etsi verbo negaret. Etenim paulo post queritur, Nestorium « (4) diducere Christum in duas personas, et hypostases penitus a se mutuo divisas ; » quod respondet superioribus Nestorii verbis, quibus *naturas divisas* asserit. Possumus tamen ὑπόστασιν hic ab Cyrillo pro *natura* sumptam arbitrari individua, et reipsa existente, quæ rationis differentia a persona ἰδιοσυστάτῳ, et per se, ac separatim existente distet : vel certe quæ communiter utramque complectatur tam singularem et existentem solum, quam completam etiam proprio subsistendi modo. Siquidem non simpliciter dixit ὑποστάσεις, uti πρόσωπα dixerat : sed adjecit *penitus, vel omnimode a se mutuo divisas* : tanquam sola vox ὑπόστασις non exæquaret personæ notionem, uti neque *naturæ* vocabulum, nisi cetera subjicerentur, quæ tanquam differentiam constituunt, quæ ad ὑποστάσεως commune nomen et rationem addita, plenam suppositi ac personæ definitionem absolvit. Sic in sequentibus [1] ad hypostasis vocabulum quædam adjungit similia, quibus plena, et perfecta disjunctio, ac separatio privatim, et seorsim cohærentis utriusque naturæ, vel hypostasis exprimitur.

III. Idem fieri judicium debet de eo, quod in Anathematismis, vel ad eos scripsit Cyrillus. In defensione primi contra Theodoretum, cum hic dixisset, « (5) a Dei forma, formam servi assumptam fuisse; » quærit de eo, « utrum citra hypostases, solæ, ac per seipsas formæ convenerint : » tum pro confesso sibi ipse respondens sumit, « non utique simpliciter similitudines ἀνυποστάτους, id est non subsistentes, vel formas inter se dispensatoria unitione concurrisse : sed rerum, id est hypostaseon, conventionem esse factam : ut Incarnationis ratio vere facta credatur. » Palam est, ibi ὑπόστασιν pro persona non accipi, sed pro *solida, vera, et non imaginaria re, sive rei extantia.* Sic in eadem defensione, sub finem negat ἀνυπόστατον μορφὴν, id est *non subsistentem formam*, « (6) cum subsistente convenisse. » Quod profecto non diceret, si ὑπόστασιν pro persona sumeret. Ita enim certum est, formam servi, id est naturam hominis, in Christo fuisse ἀνυπόστατον, divinam, ἐνυπόστατον. Idem vero in tertio dicit anathema « (7) ei, qui hypostases post unitionem dividit. » In quarto damnat « (8) eum, qui in duas personas, aut hypostases partitur eas voces, quæ in evangelicis, vel apostolicis libris occurrunt; » tanquam aliæ homini separatim, ac per se spectato : aliæ Dei filio, ac Verbo competant. Utrobique vero vel ad Nestorii mentem usum nominis ὑποστάσεως accommodat, ut sit natura subsistens, quam nullam hæreticus iste, nisi hoc modo, putavit posse consistere, ut inter alios observat Anastasius

(1) HIPPOL. opusc. 1. cont. Beron. Κατ' αὐτὴν τὴν ὄντως ἀληθῆ, καὶ φυσικὴν ὕπαρξιν.

(2) CYRILL. 2. contra Nest. pag. 33. D. ex Nest. Ὡς κράσεως γινομένης, καὶ τῶν δύο φύσεων μὴ διαιρουμένων.

(3) CYRILL. ibid. B. Φυρμὸν, καὶ ἀνάκρασιν τὴν εἰς ἀλλήλας, φημὶ τῶν ὑποστάσεων γενέσθαι νομίσας.

(4) CYRILL. pag. 34. Διϊστὰς εἰς δύο πρόσωπά τε, καὶ ὑποστάσεις ὁλοτρόπως ἀλλήλων διῃρημένας.

(5) CYRILL. contra Theod. tom. 6. pag. 206. B. Ἐπειδὴ δέ φησι, παρὰ τῆς τοῦ Θεοῦ μορφῆς μορφὴν ἀναληφθῆναι δούλου, διδασκέτω παρελθὼν, εἰ δίχα τῶν ὑποστάσεων μόναι, καὶ καθ' ἑαυτὰς αἱ μορφαὶ συνῆλθον ἀλλήλαις. Ἀλλ', οἶμαι, καταβαλεῖ καὶ αὐτὸς ἑαυτὸν αὐτόθεν. Οὐ γὰρ ὁμοιότητες ἁπλῶς ἀνυπόστατοι, καὶ μορφαὶ συνέβησαν ἀλλήλαις καθ' ἕνωσιν οἰκονομικήν. Ἀλλὰ πραγμάτων, ἤγουν ὑποστάσεων, γέγονε σύνοδος· ἵνα ὁ τῆς ἐνανθρωπήσεως Λόγος ἀληθῶς γενέσθαι πιστεύηται.

(6) Ibid. p. 207. Ἀνυποστάτου μορφῆς πρὸς ἐνυπόστατον καὶ θείαν μορφήν.

(7) CYRILL. anath. 3. Εἴ τις ἐπὶ τοῦ ἑνὸς Χριστοῦ διαιρεῖ τὰς ὑποστάσεις μετὰ τὴν ἕνωσιν.

(8) Id. anath. 4. Εἴ τις προσώποις δυσὶν, ἤγουν ὑποστάσεσιν, τάς τε ἐν τοῖς Εὐαγγελικοῖς, καὶ Ἀποστολικοῖς συγγράμμασι διανέμει φωνάς.

[1] Ut p. 34. vers. ult. et pag. 36. vers. 1.

Sinaita in *Viæ ductore*, pagina 144. vel naturam particularem intellexit, cujusmodi humana non debet in Christo tanquam sejuncta, et distracta cogitari. Ac Theodoretus quidem in oppugnatione quarti anathematismi, hypostases pro naturis sumpsisse videtur apud Cyrillum. Hic autem in defensione octavi sui anathematismi adversus Orientales, cum ait, « (1) in una persona, et natura, sive hypostasi, ea considerari, ex quibus existit, et naturaliter componitur ; » perspicuum est ambos illos valere modos explicandi, ut vel Nestorii sensum in usurpanda illa voce spectarit Cyrillus, vel naturam significet individuam et extantem reipsa. Quod etiam posterius confirmari videtur ex iis, quæ adversus Orientales scripsit ad anathematismum quartum : ubi « (2) hypostaseon divisionem, ac separationem post unitionem » redarguit. Porro in epistola ad Valerianum, ὑπόστασιν pro natura per se, ac proprio modo subsistente capere videtur, dum eos rejicit [1], qui in Christo utramque salvam manere dicebant hypostasim : quos hominis ex anima, et corpore constituti similitudine redarguit, in quo una est duntaxat hypostasis : sed de hoc postea. Et in secundo libro contra Nestorium ὑπόστασιν a προσώπῳ distinguit, hæreticum hunc incessens, quod eos carperet, qui uni eidemque personæ diversas voces, quæ in Evangelio continentur, attribuerent. « (3) Qui tandem, *ait*, unus erit Dominus, et Christus, et Filius, si utrique sua est propria persona, et ratio : sed et hypostasis in diversitatem recedens, et veræ unitionis rem recusans, et quæ penitus cum altera convenire nequeat ? » Hic prorsus hypostasim *naturam* singularem, et existentem intelligit, quam suppositum faciunt, et complent ea, quæ mox addit, de divisione, ac separatione, et τῷ ἀσυμβάτῳ, quam *incommunicabilitatem* vulgo nominant.

IV. Sequitur ἡ καθ' ὑπόστασιν ἕνωσις, id est *unitio naturarum duarum secundum hypostasim*, cujus apud Cyrillum usus, ac sensus locutionis accurate considerandus est. Vulgo quidem sic eam interpretantur, ut sit naturarum duarum in unam subsistentiam personamque consociatio : ac duabus fere de causis ita nominari creditur : vel ab effecto ipso, ac velut termino conjunctionis ; quod inde ambarum una existit hypostasis, ac persona : vel sic tanquam a causa ; quod una e conjunctis duabus hypostasis est, et subsistentia, quæ in seipsa facit alteram subsistere. De qua vi locutionis fuse disputavimus in libro tertio [2] ; quæ quidem post Cyrillum, ab græcis, latinisque theologis ad hoc usque tempus, frequentissimo est in usu, ac sola fere retinetur. Verum ab ipsomet illius, ut nonnullis placet, locutionis auctore Cyrillo paulo est diverso, quam iste est, usurpata sensu. Non enim ab ea significatione τῆς ὑποστάσεως, qua suppositum, ac personam exprimit, ἡ καθ' ὑπόστασιν ἕνωσις sæpe nominatur : sed ab ea, quam attigi supra, cum rem aliquam designat reipsa, solideque, ac non specie tenus extantem, et adumbratam. Qua ratione unitio καθ' ὑπόστασιν, pro vera proprieque dicta, et naturali, ac substantiva sumitur : quam Græci φυσικὴν et οὐσιώδη, recentiores scholæ *physicam* vocant, *essentialem* Petrus diaconus, sive *naturalem*, libro tertio de Incarnatione, capite tertio. Qui Cyrilli sensus ei τῆς ὑποστάσεως notioni consentaneus est, quem maxime persecutum illum esse paulo ante demonstravimus : uti subjecta exempla persuadent.

In primo libro contra Nestorium, Joannis evangelistæ verba illa, *Et verbum caro factum est,* sic expendit : « (4) Carnem, *inquit*, Verbum dixit, veræ unitionis, hoc est ejus, quæ secundum hypostasim intelligitur, vim exprimens. » Quod idem sequente pagina repetit. Item in secundo libro, cum dixisset : « (5) Unitum esse carni filium Dei secundum hypostasim, » mox eamdem « (6) unitionem » vocat « veram, quæ corpus ipsius proprium dicitur. »

Quin eodem in libro Nestorium scribit,

(1) CYRILL. tom. 6. pag. 180. A. Ὅταν μὲν γὰρ ἐφ' ἑνὸς προσώπου, καὶ φύσεως, ἤγουν ὑποστάσεως μιᾶς βασανίζων ὁ Λόγος τὰ ἐξ ὧν ἐστι, ἤτοι σύγκειται φυσικῶς.

(2) CYRILL. ibid. pag. 172. C. refellit τοὺς διαιροῦντας ἀλλήλων τὰς ὑποστάσεις μετὰ τὴν ἀδιάσπαστον ἕνωσιν : et pag. 133. B. Οὔτε γὰρ μερισμὸν τῶν ὑποστάσεων μετὰ τὴν ἕνωσιν δογματίζομεν. Vide et ep. ad Acacium p. 116. ubi est ἡ τῶν φύσεων, ἤγουν ὑποστάσεων διαφορά.

(3) CYRILL. 2. contra Nest. pag. 35. E. Πῶς γὰρ ἔτι Κύριος εἷς, καὶ Χριστὸς, καὶ Υἱὸς, εἰ πρόσωπον ἰδικὸν ἑκατέρῳ, καὶ Λόγος, καὶ μὴν καὶ ὑπόστασις ἀναχωροῦσα πρὸς ἑτερότητα, καὶ τὸ τῆς ἀληθοῦς ἑνώσεως χρῆμα παραιτουμένη, καὶ τὸ ἀσύμβατον ὁλοτρόπως ἔχουσα πρὸς τὴν ἑτέραν ;

(4) CYRILL. lib. 1. cont. Nest. pag. 4. Σάρκα μὲν γὰρ ἔφη τὸν Λόγον, τῆς ἀληθοῦς ἑνώσεως, δῆλον δὲ ὅτι τῆς καθ' ὑπόστασιν νοουμένης, ἐμφανίζων τὴν δύναμιν.

(5) CYRILL. 2. cont. Nest. pag. 37. Τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς φῦντα Λόγον ἐνανθρωπῆσαί τέ φαμεν, καὶ ἑνωθῆναι σαρκὶ καθ' ὑπόστασιν.

(6) Ibid. pag. 38. Τῷ καθ' ἕνωσιν ἀληθινὴν ἰδίῳ σώματι. Vide et pag. 33. E.

[1] Cyr. tom. 5. par. 2. p. 160.

[2] Cap. 13. a § 10.

« (1) unum asseverare Christum Jesum Dominum; tanquam Deo cum homine copulato sola dignitatis ratione, non unitione vera, eaque scilicet, quæ est secundum naturam. » Quam unitionem subinde clarius exponit sic : Cum enim dixisset Nestorius [1], Christi, et Filii nomina alias divinitati, alias humanitati tribui, tanquam naturas duas dirimeret, ac seorsim, per seque consistentes poneret : hunc Cyrillus redarguens, « Quinam igitur, *inquit*, unus est Christus, Filius et Dominus, si ambobus, ut asseris, separatim conveniat, ut ita nominentur, et sint revera : propterea quod inter se minime copulentur secundum unitionem eorum hypostases; sed sola dignitatis communione jungantur, vel auctoritatis, vel potestatis? » Non dubium est quin hypostases ibi Cyrillus naturas appellet reipsa, ut diximus, existentes : atque uniri secundum hypostasim, idem sit atque hypostases uniri, quæ sunt φύσεις; adeoque unitio secundum hypostasim sit eadem, quæ secundum naturam dicitur; ut et paucis post versibus *unitionem* eamdem vocat, « (2) quæ fit inter hypostases. »

V. Sic in eodem libro secundo contra Nestorium, quod hæreticus iste negabat in Christo divisionem esse conjunctionis in dignitate; sed esse naturæ humanæ, ac divinæ, adeo ut esset ille duplex natura, non dignitate; quærit de eo Cyrillus, utrum individuam illam conjunctionem velit esse quam Catholici profitebantur, (3) *unitionem secundum hypostasim*, an potius appositionem, et appropinquationem : ut cum cortinæ in tabernaculo fibulis connectebantur [2]. Tum hanc posteriorem usitato sibi modo describit, ut sit talis, ex qua quod assumptum est corpus, « (4) proprium fit » assumentis : sicut hominis corpus animæ proprium est. Hanc unitionem et (5) *veram* nominat, et (6) *secundum hypostasim*.

Igitur unitionem τὴν καθ' ὑπόστασιν et ἀληθῆ, et κατὰ φύσιν appellat Cyrillus [3], hoc est *veram* et *naturalem*. Hoc enim inter alia significare φύσεως nomen alibi notavimus [4] : atque ita Cyrillus exponit ad Anathematismum tertium adversus orientales. Qui quidem ὑποστάσεις ab Cyrillo in eodem anathematismo tertio positas pro *naturis* acceperunt. Siquidem quod ille anathemate notarat eos, « qui post unitionem hypostases dividerent, » hoc ipsum repugnare asserunt ei, quod in alio loco scripserat, « (7) Verbum solum non esse sanctificatum in propria natura : » ubi cum (8) *propriam naturam* Verbo tribuat, et ab humana distinctam, non esse consentaneum aiunt cum anathematismo tertio : in quo « naturas ab Cyrillo in unam hypostasim confundi » eatenus putant, quod « naturalem unitionem appellat. » Quamobrem Orientales et ὑποστάσεις *naturas* interpretati sunt, et unam ὑπόστασιν post unitionem fieri minime crediderunt. Cyrillus vero illorum in refutatione, ab hac illorum expositione non dissidens, ὑποστάσεις perinde φύσεις esse concedit, ac se naturarum differentiam agnovisse dicit etiam post unitionem sed ea lege, ut non seorsim, et quasi separatæ a se mutuo naturæ illæ constituerentur, proprioque modo subsistentes; sed ut vera, naturali et substantiva inter se junctione copulentur, quam φυσικὴν ἕνωσιν vocat, hoc est, ut in calce refutationis Orientalium ad eumdem anathematismum explicat, ἀληθῆ, *veram*, et *reipsa extantem*. Quam et alias καθ' ὑπόστασιν nominat, eodem omnino sensu, quo etiam κατ' οὐσίαν συνάπτεσθαι, hoc est *secundum substantiam*, dixit Gregorius Nazianzenus in priore ad Cledonium epistola, ut capite tertio libri tertii supra docuimus. Eodem pertinet quod ad anathematismum secundum contra Theodoretum disserit : quod jam libro tertio commemoravimus [5].

VI. Sed ut melius res tota percipiatur, ac de Cyrilli mente nobis liquido constet, diligenter notanda est ἕνωσις, id est *unitio* Verbi et hu-

(1) Ibid. pag. 34. Καὶ πάλιν ἕνα φησὶ Χριστὸν Ἰησοῦν Κύριον, ὡς ἀνθρώπου Θεῷ συνημμένου κατὰ μόνην τὴν ἀξίαν, οὐ καθ' ἕνωσιν ἀληθῆ, τουτέστι τὴν κατὰ φύσιν. Πῶς οὖν (εἷς) ἐστι Χριστὸς καὶ Υἱὸς ὁ Κύριος, εἴπερ ἀμφοῖν ἀνὰ μέρος ἁρμόσειεν ἂν, ὡς ἔφης, τὸ ὧδέ τε κατονομάζεσθαι, καὶ εἶναι κατὰ ἀλήθειαν, διά τοι τὸ συμβῆναι καθ' ἕνωσιν ἥκιστα μὲν ἀλλήλων τὰς ὑποστάσεις, ἑνοῦσθαι δὲ κατὰ μόνην τὴν ἀξίαν, ἤτοι τὴν αὐθεντίαν, ἤγουν ἐξουσίαν;

(2) Ibid. Ἕνωσιν τὴν ὡς ἔν γε ταῖς ὑποστάσεσι.

(3) CYRILL. ibid. pag. 44. E. Ἆρα τὴν ἕνωσιν, δῆλον δὲ ὅτι τὴν καθ' ὑπόστασιν, ἣν ἡμεῖς πρεσβεύομεν;

(4) Ibid. 45. Ἀλλὰ γὰρ, ὡς ἤδη πλειστάκις ἔφην, ἴδιον ἐποιήσατο σῶμα τὸ ληφθὲν ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου.

(5) Ibid. Καὶ ἀληθῶς ἡνῶσθαί φαμεν.

(6) Ibid. Εἰ τὴν καθ' ἡμᾶς νοουμένην ἑνότητα δηλοῖ, φημὶ δὴ τὴν καθ' ὑπόστασιν.

(7) Orient. apud Cyrill. tom. 6. pag. 164. Οὐκοῦν ὅσον εἰς ἰδίαν φύσιν, οὐχ ἡγίασται μόνος ὁ ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγος.

(8) Orient. ibid. Πῶς οὖν ὡς ἐπιλαθόμενος τῶν ἑαυτοῦ, εἰς μίαν ὑπόστασιν συνάγει συγχέων τὰς φύσεις, φυσικὴν τὴν θείαν ἕνωσιν ἀποκαλῶν.

[1] Apud Cyr. 2. contra Nest. p. 33. D. — [2] Exod. 26. — [3] Eadem pag. 34. lib. 2. contra Nest.

[4] In 4. de Trin. c. 2. § 3. Vide et supra lib. 3. c. 4. — [5] Lib. 3. c. 4. § 6.

manæ naturæ duplex; tum ea scilicet, quam Nestorius ac Theodorus Mopsuestenus invexerunt, tum huic opposita, et catholica, quam Cyrillus propugnabat. De utraque scripsi copiose in libro tertio, capite tertio, et quarto : quæ hoc loco non repetam, sed illud summatim dicam, *unitionem* Nestorianam veram, et proprie dictam, ac substantivam non fuisse, hoc est, quæ unum aliquid per se, proprieque faceret. Nam *unitio* ab *uno* dicitur; et hoc illius *effectum* est, tanquam formæ, quod ideo *formale* nominant. Unde ista sunt ex genere τῶν πρός τι, et *relative*, ac *reciproce* dicuntur : ut talis sit *unitio*, quale est quod ex hac existit *unum*, et vicissim tale sit *unum*, qualis est *unitio*. *Unum* porro vocatur, quod minime est divisum, et multiplex. Quare quo magis *unum* est, eo minus dividitur, et arctius, ac præstantius quæ sunt sociata junguntur. Nestorius duo in Christo convenire dicebat, hoc est naturas, vel hypostases duas, (non enim hæc a se mutuo ulla ratione distinguebat,) non vero aliquo, ut dixi, et οὐσιώδει nexu, sed improprio, et quem *moralem* in Scholis appellare solent, ex quo res una proprie non fit, sed σχετικῶς : cujusmodi inter amicos, vel necessitudine aliqua conjunctos, aut similitudine, imitatione, affectioneve aliqua consociatos intercedit, *unitatis* et *unitionis genus*. Ut cum Actorum tertio Lucas refert [1], *Multitudinis credentium cor unum et animam unam fuisse :* aut Christus [2] *unum esse* vult discipulos suos. Quod enim fit ex hujusmodi unitione, non vere est unum : sed reipsa multiplex ; ac non solum diversum et distinctum, sed etiam divisum ac separatum.

VII. Huic erat alterum genus *unitionis*, et *unius* contrarium, quod Cyrillus ex catholicæ fidei regula statuebat : verum utique, solidum, nec dicis causa, vel specie tenus adumbratum : in quo et substantivus, ac naturalis nexus duo inter se committebat : et unum ex illis proprie dictum, atque indivisum existebat ; hoc est res una, quæ in hoc ipso, in quo unum fieri dicebatur, nullo erat modo divisa atque disjuncta ; non solum *morali*, ut vocant, ratione ; sed etiam οὐσιώδει, ac naturali. Hanc unitionem appellabat Cyrillus φυσικὴν ἕνωσιν, *naturalem*, id est *veram*, et κατὰ φύσιν, vel κατ' οὐσίαν, et οὐσιώδη, ac denique καθ' ὑπόστασιν : maxime quod ὑπόστασις, ut supra memini, rem extantem, solidam, ac vere cohærentem, non fictam, nec σχέσει, et habitudine, vel affectione sola constantem significat. Quemadmodum colorum alii veri, et existentes reipsa sunt, iique ὑπόστασιν habere dicuntur ; alii specie sola, et *apparentes* vocantur : ut qui in columbæ collo atque pennis, aut in triangulari vitro cernuntur ; qui nulli insunt in re subjecta. Itaque ex duabus in Christo congruentibus inter se naturis una fit persona, et in personæ ratione prorsus indivisa substantia, sive subsistentia : non σχέσει, vel habitudine quapiam simili, quam *moralem* nuncupant ; sed vera et οὐσιώδει conjunctione : ita ut duo illa, tametsi distincta natura, et essentia maneant, non sint divisa, nec a se mutuo divulsa, neque proprio modo singula subsistant.

At ex Nestorii opinione naturæ duæ sunt, et hypostases, sive supposita reipsa disjuncta : sed affectione sola, et communione dignitatis, auctoritatis, appellationis, aut cujuspiam alterius dotis inter se copulata. Quod Cyrillus omnibus fere paginis his vocabulis exponit, ἀνὰ μέρος, ἰδικῶς, ἰδιοσυστάτως, et similibus, quæ superius percensui ; quibus indicat, vafre, ac subdole Nestorium unum quidem Christum, ac Dei filium, et unam personam profiteri verbo tenus : verum ita ut duo interim re, ac supposito filii sint, et plane diversi ac separati, quod ad rem ipsam attinet, Verbum, et homo, sola σχέσει, et *morali*, ut sæpe repetendum nobis est, vinculo, et *unitione* juncti. Hæc germana est, et hactenus non satis animadversa τῆς καθ' ὑπόστασιν ἑνώσεως apud Cyrillum notio, quam *hypostaticam* recentiores instituerunt dicere : sed eo sensu duntaxat, ut ex subsistendi modo, et personali proprietate appellatio illa ducatur ; cum tamen Cyrillus hac locutione significet, *veram, substantivam, et solidam*, et a *morali*, ac σχετικῇ diversam : quæ videlicet hominum ex usu ac more, et æstimatione pendet, nec est intima, remque ipsam, ac substantiam pervadens, ac penetrans, atque unum per se, οὐσιῶδες, et naturale faciens. Quam in loquendo tenuisse rationem et usum idcirco mihi videtur, quod tum antiquos plerosque ante et post Nicænam synodum, et in his Athanasium, ejusdem, cui præerat, olim urbis episcopum, sciret ὑπόστασιν promiscue fere usurpasse cum φύσει et οὐσίᾳ : tum ætate sua complures adhuc vel in eadem perseverare sententia, vel certe modo hac, modo illa uti significatione nominis istius : ut ex Theodoreto, et Orientalibus Cyrilli adversariis ostendi ; atque ex iis colligitur, quæ in quarto

[1] Act. 3. 32.

[2] Joan. 17. 21.

de Trinitate, de hypostasi, et vocabulis similibus affatim scripsi.

VIII. Superest ad hujus complementum disputationis unus Cyrilli locus : ex quo valde illa comprobantur, quæ de *unitione secundum hypostasim* aliter ab eo accepta, quam vulgo fit, hactenus docuimus. In epistola secunda ad Nestorium, Incarnationis dogma ex fidei catholicæ regula, id est Nicæno symbolo, declarans, quod in eo scriptum est, Verbum, sive filium Dei, incarnatum esse, hominemque factum, id unitionis proprietate declarat, quod « (1) carnem animatam rationali anima sibi copulavit secundum hypostasim, » non sola « (2) voluntate, vel beneplacito, sed nec assumptione personæ solius : » unde esse factum adstruit, ut ex ambabus naturis inter se copulatis unus extiterit Christus, et Filius. Quod si unitionem illam secundum *hypostasim*, ait postea, « vel ut comprehensionem majorem, vel ut indecoram repudiamus, in hoc incidimus, ut duos asseramus filios. » Tum ad veram illam catholici decreti professionem, inutile prorsus esse dicit, adscribere *personarum unitionem.* « (3) Non enim dixisse Scripturam, Verbum hominis sibi adjunxisse personam, sed factum esse carnem. » Item, « (4) Ex unitione illa secundum hypostasim » consequens esse, « ut Verbum ipsum secundum carnem esse dicatur. »

Huic epistolæ respondens Nestorius, « (5) Christi vocabulum, appellationem esse » dicit « patibilis, et impatibilis naturæ in una singulari persona. » Deinde, « (6) Divinitatem, et humanitatem in unius personæ coagmentationem convenisse. »

Hinc apparet, Nestorium naturas duas asseruisse, secum mutuo in unam et singularem concurrisse personam, videlicet ex utraque compositam, quod et Cyrillo, et Ephesina, Chalcedonensique posteriores synodo Patres omnes græci, latinique postmodum professi sunt; verum non eodem ac Nestorius sensu : quem fucum catholicarum vocum callide, ac fraudulenter obductum bene Cyrillus agnovit, et ideo προσωπικὴν illam συνάφειαν, id est *personalem conjunctionem*, repudiavit. Quippe sic ab hæretico illo constitutam esse noverat, ut esset personarum duarum copulatio : de qua vide quæ libro tertio capite tertio dixi. Cum autem duabus ex personis nihil per se conflari possit unum, sed ex accidente duntaxat, et ejusmodi, ut revera, et in sese sit multiplex, uti capite nono libri hujus ostendimus : ideo Nestorianam illam συνάφειαν constanter respuit Cyrillus, eaque negavit unum fieri Christum, et unum Filium, imo nec unum aliquid proprie, ac simpliciter : quin ex tali conjunctione, ludicra videlicet, ac simulata duas nihilominus existere naturas, et hypostases, seorsim per seque consistentes, et revera disjunctas. Alioqui si unam factam esse personam, bona fide, et ex Catholicorum sensu Nestorius existimasset, non id inficiatus esset Cyrillus, qui unam Christi personam, alias confessus est, ut in posteriore ad Successum epistola [1].

Nunc illud attendi velim, eumdem Cyrillum, qui personas duas in Christo convenisse negat, ita ut post conjunctionem una tantum persona fuerit, (quod Nestorius affirmabat,) hypostases tamen non diffiteri copulatas inter se duas, quæ post unitionem non sint duæ, sed una duntaxat. Ex quo perspicuum est, ὑπόστασιν non pro persona, vel supposito illum usurpasse, aut ea denique substantia, quæ subsistendi modo perfecta, et completa sit; sed pro natura singulari, et existente : quam et φύσιν nominat. Cujusmodi dum unam, sed incarnatam post unitionem esse dicit, perinde est ac si ὑπόστασιν unam incarnatam diceret. Utrobique enim Verbi natura, id est divinitas personali affecta proprietate Verbi, sive qua Verbi propria est, intelligitur. Neque vero necesse est, ut, quemadmodum in rebus creatis, multiplicatis personis, sive personalibus proprietatibus, naturæ singulares et individuæ multiplicantur, ita Deo totidem sint sub eadem specie naturæ divinæ, quot sunt modi subsistendi ; adeo ut hypostasis quælibet suam

(1) Cyr. epist. 4. tom. 5. par. 2. pag. 23. Ὅτι σάρκα ἐμψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ ἑνώσας ὁ Λόγος ἑαυτῷ καθ' ὑπόστασιν, etc.

(2) Ibid. Οὐ κατὰ θέλησιν μόνην, ἢ εὐδοκίαν· ἀλλ' οὐδ' ὡς ἐν προσλήψει προσώπου μόνου.

(3) Ibid. pag. 24. Ὠφέλησε καθ' οὐδένα τρόπον τὸν ὀρθὸν τῆς πίστεως Λόγον εἰς τὸ οὕτως ἔχειν, κἂν εἰ προσώπων ἕνωσιν ἐπιφημίζουσί τινες. Οὐ γὰρ εἴρηκεν ἡ Γραφὴ, ὅτι ὁ Λογος ἀνθρώπου πρόσωπον ἥνωσεν ἑαυτῷ, ἀλλ' ὅτι γέγονε σὰρξ.

(4) Ibid. pag. 25. Ὧ καὶ καθ' ὑπόστασιν ἑνωθεὶς ὁ λόγος γεγεννῆσθαι λέγεται κατὰ σάρκα.

(5) Nestor. ibid. pag. 26. Τίθησι τὸ Χριστὸς ὡς τῆς ἀπαθοῦς, καὶ παθητῆς οὐσίας ἐν μοναδικῷ προσώπῳ προσηγορίαν σημαντικήν.

(6) Ibid. Κατὰ τὸν τῆς ἀνθρωπότητος, καὶ θεότητος λόγον, καὶ τὴν τούτων εἰς ἑνὸς προσώπου συνάφειαν.

[1] Cyr. in 2. ad Succ. p. 148.

uti proprietatem, sic etiam naturam habeat. Hoc enim in Deo peculiare est, ut una simplex, et individua, eademque numero, ac specie natura, et ex antiquorum usu, etiam hypostasis una, subsistat tribus modis, et in personis tribus. Quod in quarto de Trinitate libro demonstratum est; et Cyrillus ipse haud obscure declarat, qui in dialogo de Trinitate primo [1], et libro tertio contra Nestorium [2], in Deo statuit hypostases tres, et unicam, ac singularem naturam; quod tum in Ecclesia receptum hoc esset, ut hypostases tres Græci præsertim profiterentur; quas Latini personas potius tres, quam hypostases, aut subsistentias nominarent, ut in eodem illo libro pluribus exposuimus.

IX. Memorabilis est de illa καθ' ὑπόστασιν unitione locus Eulogii Alexandrini apud Photium, in quo docet, « (1) plerosque veterum Patrum non solum ante, sed etiam post Ephesinam synodum, istiusmodi voce non eos quidem usos esse, sed tantumdem valentes adhibuisse, et eamdem per illas tradidisse dogmatis pietatem. » Quod Ephesinam ipsam fecisse synodum asserit. Imo et ipsummet Cyrillum cum Orientalibus gratiam et concordiam resarcire volentem, abstinuisse locutione ista, proque hac alias notionis ejusdem usurpasse. Sunt autem ejusmodi, quod naturas duas ita concurrisse dicerent Orientales, ut earum ἕνωσις facta sit, id est *unitio*, vera scilicet, et non commentitia, qualis erat illa Nestorii : tum quod eumdem Filium Dei unigenitum, et ex Patre genitum ante secula, et in tempore ex matre secundum humanam naturam dicerent, ideoque θεοτόκον B. Mariam agnoscerent, et id genus alia; quæ *citra conjunctionis in hypostasi* mentionem ab Orientalibus expressa multum eos ab Nestorii causa segregabant : ac propterea laudantur, et propugnantur a Cyrillo adversus iniquam nonnullorum calumniam. Vide Joannis ipsius epistolam ad Cyrillum, et hujus ad Acacium; commonitorium item ipsius ad Eulogium, et alia id genus opuscula, quæ inter epistolas illius extant, in quibus Orientalium causam ac professionem tuetur.

Hypostasis vocabulum eodem sensu, ac plane hæretico videtur Origenes usurpasse, pro *natura singulari* in octavo libro contra Celsum, ubi sic loquitur : « (2) Colimus, *inquit*, Patrem veritatis, et Filium veritatis, (cor. *veritatem*,) quæ res duæ sunt hypostasi : unum vero concordia, consensu, et identitate voluntatis. » Quod quidem meram redolet impietatem Ariani dogmatis.

CAPUT TERTIUM.

1. Cyrillus Alexandrinus Tritheitarum hæresis insimulatur ab anonymo; — 2. sed eadem ratione reliquos Patres suspectos reddi posse monstratur. — 3. Exponitur summatim Ariana hæresis, et adversus hanc Nicænæ synodi consilium in ὁμοουσίου sanciendo vocabulo; — 4. quod deinde Patres illustrarunt, enucleatius *naturæ*, et *hypostasis* nomina declarantes : tum assumpta similitudine naturæ humanæ, et ei subjectorum individuorum, quatenus utrobique commune aliud est, aliud particulare. — 5. Nec tamen omni ex parte similitudo quadrat; neque Patres divinitatem sic universalem statuerunt, quomodo humana est natura; — 6. quod probatur aliquot Patrum allatis locis, ut Basilii, — 7. tum Cyrilli. — 8. Qui ab anonymi calumnia defenditur. — 9. Naturæ divinæ communitas ejusdem, et singularitas ex Patribus adstruitur. — 10. Emendatur quidam Cyrilli locus. — 11. Haresim falso suspectum reddit anonymus Tritheitarum hæresis, ob Sirmiensem laudatum canonem. — 12. Quatenus eum approbarit : quomodo Pater imperare aliquid Filio dicitur, — 13. aut eo esse major.

I. His totius nostræ disputationis fundamentis positis, ad eas jam anonymi calumnias discutiendas festinat animus, quibus antiquorum Patrum memoriam, et existimationem

(1) EULOG. apud Phot. cod. 226. pag. 400. Δείκνυσι γὰρ πολλοὺς τῶν ἁγίων πατέρων οὐ μόνον πρὸ τῆς ἐν Ἐφέσῳ συνόδου, ἀλλὰ καὶ τῶν μετ' αὐτὴν, τῇ τοιαύτῃ μὲν οὐ κεχρημένους φωνῇ, δι' ἑτέρων δὲ ῥημάτων τὴν αὐτὴν δογματίσαντας εὐσέβειαν.

(2) ORIG. 8. cont. Cels. pag. 397. Θρησκεύομεν οὖν τὸν Πατέρα τῆς ἀληθείας, καὶ τὸν Υἱὸν τὴν ἀλήθειαν, ὄντα δύο τῇ ὑποστάσει πράγματα, ἓν δὲ τῇ ὁμονοίᾳ, καὶ τῇ συμφωνίᾳ, καὶ τῇ ταυτότητι τοῦ βουλήματος.

[1] Tom. 5. p. 409.

[2] Tom. 6. p. 91.

dedecorare turpiter, nequiterque est ausus; maxime Cyrilli Alexandrini; a quo etiam propugnationem hanc meam exorsus, attingam illa primum, quibus depravatum ab illo Trinitatis dogma mentitur. « Rejicimus, *inquit*[1], etiam Cyrillum Alexandrinum, qui existimasse videtur, Patrem, et Filium habere quidem æqualem, et eamdem specie essentiam divinam, non tamen eamdem numero. » Tritheitarum videlicet affingit illi hæresim, quæ, ut in rebus a Deo conditis propriam individuo cuique naturam, ac singularem convenire scimus, sic Trinitatis personis singulis singulas naturas attribuit solo numero distinctas, sub eadem specie divinitatis, qua ratione dii tres erunt itidem, ut homines tres, Petrus, Paulus, et Andreas[2].

Hujus Cyrillianæ opinionis argumentum capit ex illo loco, quem initio antecedentis capitis attuli ex dialogo primo de Trinitate[3]. Ibi enim οὐσίαν esse docet Cyrillus, essentiam, naturamve communem, et universalem: ὑπόστασιν vero naturam eamdem, qua singularis est, et individuo cuilibet affixa; quod exemplo trium hominum, uti fecimus, exponit: qui inter se conveniunt in eadem essentia, sed propria et particulari constant hypostasi singuli. Sic deinde Patri Filium consubstantialem esse dicit, et habere tamen propriam hypostasim, quæ a Patris hypostasi discernitur. Hoc modo conjunctim, ac discretim unitos esse ambos asserit, hoc est in eadem essentia personis, et hypostasibus distinctos. Rursus in secundo dialogo, « (1) Trium divinarum hypostaseon in propriis existentiis proprietatem servantes, *ait*, oportere unam, et consubstantialem omnium reginam adorare naturam: » quam *specificam* interpretatur anonymus, sub qua personæ tres comprehenduntur, existentiam singulæ suam obtinentes, ut in eodem dialogo scribit[4].

Ad hæc in libro undecimo Thesaurorum ponit in divinis « (2) naturam, quæ genuit, et quæ genita est. »

Denique libro tertio contra Nestorium, « (3) Dicat, *inquit*, fortasse aliquis: quomodo sancta, et adoranda Trinitas, cum in tres diducatur hypostases, unam divinitatis naturam efficit? Respondeo id eo fieri, quod identitas substantiæ naturarum differentiam necessario consequens, fidelium mentem ad unam revocat divinitatis naturam. »

II. Hæc sunt argumenta auctoris anonymi, quibus Cyrillum in suspicionem vocat absurdæ Tritheitarum hæresis: quæ profecto ludicra sunt, ac temeritatis inscitiæque plena. Horum ad id summa revocatur, quod hypostases tres, et unam οὐσίαν in Deo Cyrillus constituit: hypostasim vero naturam esse particularem asserit; οὐσίαν communem, et *specificam*. Atqui si propterea male de Trinitate sensisse, et hæreticus fuisse judicandus est Cyrillus, nihil erit, cur ab eadem labe hæresis, et infamia liberare velimus innumerabiles alios Ecclesiæ utriusque, græcos scilicet, ac latinos Patres; qui non aliter iis de rebus sunt locuti. Hæreticus ergo Basilius fuit, fuit et Gregorius Nyssenus, et Theodoretus, nec non Ephræmius Antiochenus, Maximus monachus et martyr, Anastasius Sinaita, Joannes Damascenus, Theodorus Abucara, Euthymius, Theorianus, Boetius, Rusticus diaconus, Maxentius, Hugo Etherianus; quos in quarto de Trinitate[5] idem de ὑποστάσει, et οὐσίᾳ sentientes laudavimus. Denique trita et vulgata est opinio ista, nec Cyrilli, paucorumve cum eo propria; ut hac de causa solus illam in se nefandæ hæresis infamiam suscipere debuerit. Verum quid non audet impietatis temeritatisque comes ignorantia? Sane hæc ipsa fecit, ut præpostere Cyrilli mentem, imo totius Christianæ antiquitatis, anonymus, adeoque nec nominandus, iste calumniator acciperet.

Cui quidem perbrevi hac una responsione satisfacimus: et ad eamdem personarum trium substantiam (quod est τὸ ὁμοούσιον) singularum vero differentiam explicandam, recte veteres exemplum de humana natura sumpsisse, quæ et eadem est essentia in omnibus; et in singulis, proprietatibus est solis individuis distincta: neque propterea concludi ex eo debere, parem et eamdem esse utrobique rationem; ut sint in Deo naturæ numero totidem, quot personæ, quemadmodum in homine multiplicatis indi-

(1) CYRILL. pag. 423. Οὕτω τε σαφῆ, καὶ ἀσύγχυτον τὴν τῶν τριῶν ὑποστάσεων ἐν ὑπάρξεσιν ἰδικαῖς ἰδιότητα τηρῶν, μίαν τε, καὶ ὁμοούσιον τὴν ἁπάντων βασιλίδα προσκυνήσεις φύσιν.

(2) Id. Thes. pag. 85. Ἐπειδὴ δὲ ἐχρῆν εἰδέναι καὶ τὴν γεννήσασαν φύσιν, καὶ τὴν γεννηθεῖσαν ἐξ αὐτῆς.

(3) Idem tom. 6. pag. 91. Ἀλλ' ἴσως ἐρεῖ τις· πῶς ἡ ἁγία, καὶ προσκυνουμένη Τριὰς διαιρεῖται μὲν εἰς τρεῖς ὑποστάσεις, μίαν δὲ θεότητος ἀποτελεῖ φύσιν, ὅτι, φαίην ἄν, τῇ τῶν φύσεων διαφορᾷ τὸ ταὐτὸν εἰς οὐσίαν ἀναγκαίως ἑπόμενον, εἰς μίαν θεότητος ἀνακομίζει φύσιν τῶν πιστευόντων τὸν νοῦν.

[1] Anon. c. 2. p. 34. — [2] De his vide lib. 4. de Trin. c. 9. § 16.

[3] [illegible] — [4] Pag. [illegible] — [5] Cap. 7. et 8.

viduis fit natura ipsa multiplex. Hoc si, pro eo ac meretur, et vero res ipsa postulat, explanare voluero, longior erit oratio : tum hic describenda erunt omnia quæ alibi, hoc est in quarto libro de Trinitate, capite præsertim decimo tertio accurate disserui. Quod ne facere necesse sit, plenam istius loci tractationem inde repetere lectorem meum jubebo : nunc vero summatim quæ sunt illic tradita, et probata perstringam.

III. Arii fuit hæc hæresis : Filium, quia genitus est a Patre, eodem esse posteriorem, ac minorem ; neque vere, proprieque dictum Deum : quoniam qui verus, ac summus est Deus, eum oportet esse ingenitum, et a nullo communicatam habere substantiam. Itaque non persona tantum, et subsistendi modo, ac proprietate ; sed natura etiam, et essentia diversum a Patre, qui solus est verus, et summus Deus, esse Filium, Arianorum fuit insania : qua laborat hodieque Socinianorum, et Photinianorum impura factio ; etsi multo, quam illi, deterius et intolerabilius errat in Christo, quem nihil supra communem hominem habere prædicat. Adversus hanc igitur Arianorum hæresim suscepto certamine, veteres [1] in id potissimum incubuerunt, ut ostenderent, ejusdem prorsus essentiæ, ac naturæ esse Patrem ac Filium, hoc est illi hunc æqualem, nec inferiorem ulla re : quamvis Pater a nullo productus, Filius a Patre sit genitus ; neque vero personæ diversitatem, atque alterius processionem ab altera, æqualitati huic obstare, vel ejusdem naturæ communioni. Cui rei significandæ aptissimum judicavit Nicæna synodus τοῦ ὁμοουσίου, id est *consubstantialis*, nomen : quod per se, ac præcisa notione nihil aliud indicat, nisi eamdem οὐσίαν, id est *essentiam*, sive *naturam*, aut *substantiam*, in quam sic individua sub eadem proxima comprehensa specie inter se conveniunt, ut hac ratione paria sint, et æqualia singula singulis ; nec sit ullum in essentia, vel definitione discrimen. De unitate porro numerica, vel singularitate communis substantiæ, nihil expresse in fidei regula synodus illa ponendum censuit : cum id interim ex iis, quæ constituta ibi sunt, et posita, necessario consequatur. Quæ causa fuit illius assumendæ, quæ erat in promptu, similitudinis ex creatis naturis, et substantiis : in quibus videmus singulos quosque homines, exempli gratia, pares inter se esse natura, nec unum alteri antecellere iis in rebus, quæ ad essentiam spectant : tametsi diversis ab se invicem notis, ac proprietatibus distent, et alii sint aliis origine priores ac posteriores, atque ab illis gignantur isti, non ab istis illi vicissim oriantur.

IV. Hoc ut melius intelligeretur, de οὐσίᾳ et ὑποστάσει pressius, ac subtilius disputare sunt coacti ; et quæ ambarum esset differentia, ex ipsis, quæ notæ magis sunt, creatis rebus investigare. Cum igitur hoc animadverterent, homines omnes, uti Petrum, Joannem, Andream, et ceteros, eadem essentia, et definitione censeri ; hoc est cum quid sint, ac quæ sit natura singulorum quæritur, idem de omnibus singillatim responderi, esse hominem, id est animal rationis capax : et hos ipsos tamen ceteris proprietatibus, ac notis a se mutuo discerni ; ut non idem Petrus esset, qui est Joannes, nec essent communes istæ cujusque notæ cum reliquis hominibus ; quemadmodum essentia, et definitio est illa communis : hoc ergo considerantes, sic apud se statuerunt, οὐσίαν, sive *naturam*, et *essentiam*, quam definitio explicat, esse aliquid commune omnibus sub eadem forma comprehensis : quod autem ex hoc communi, et proprietatibus illis, notisque conflatur, hoc individuum, sive ἄτομον ideo vocarunt, sumpto a philosophis nomine, quod communicari, et quasi dividi ac spargi in plures non poterat. Postea personam et hypostasim nominare instituerunt, iis de causis, quas in quarto de Trinitate plenius explicavimus.

Rursus cum se ad contemplandum, enarrandumque Trinitatis mysterium contulissent ; in quo tres sunt re a se distincti, non tamen essentia, vel natura, et quasi definitione, propterea quod tres isti Deus unus sunt, sola originis proprietate, ac mutua in se habitudine discrepantes ; ut unus sit Pater, a nullo productus alio ; alius sit ab eo genitus Filius ; tertius ab utroque procedens Spiritus sanctus : nihil ad hoc utrumque declarandum, aptius invenire potuerunt, quam ut ab Trinitatis imagine, hoc est rationali substantia præsertim homine, transferrent illum, quem dixi, communis, ac proprii, enarrandi, appellandique modum. Quocirca id, in quo tres illi unus sunt Deus, οὐσίαν, id est essentiam, substantiam, ac naturam nominarunt, quia commune tribus est, et sine ulla varietate singulis ex æquo tribuitur : quatenus autem numerantur tres, et propriis notionibus differunt, personas, et hypostases, ac subsistentias dixerunt. Qua in re, translationeque nominum, ac horum interpre-

[1] Vide Greg. Nyss. lib. 1. contra Eun. ed. Grets. p. 67. et seq.

tatione ab rebus creatis capienda, in hoc unum intenti fuerunt, in quo similitudinis ratio constabat, quod aliquid esset, quod plures communiter dicerentur, et, quid singuli essent sciscitanti, statim responderetur; aliud vero, quod uni peculiare sic esset, ut eo discerneretur a ceteris; quemadmodum autem commune illud esset, atque utrum numero, an specie duntaxat unum haberetur, curæ illis non fuit. Credo enim reperire aliquid possent ejusmodi extra divinitatem, unde ad hanc similitudo traheretur, quod unum numero, ac singulare, communis esset nihilominus essentia multorum. Hoc cum in rebus creatis frustra quæreretur, eo certe, quod occurebat unicum, contenti esse debuerunt, et vero fuerunt; quod idem specie ac definitione, et eatenus indivisum, in plura spargeretur, sine ulla detractione, et imminutione sui. Hæc est usitatæ apud Patres similitudinis ratio, quæ ex formis rerum creatarum, et quæ iisdem subjecta sunt, individuis petita, utcumque divinæ communitatem essentiæ, et personarum proprietatem adumbrando explicat. Quem quidem exponendæ Trinitatis modum latius edisserit Basilius epistola quadragesima tertia.

V. Jam quisquis ex ea comparatione non similem modo, sed eamdem ex omni parte rationem utrobique statuit, et exigit, non tam importunus homo est, quam vanus, ac ludibrio dignus. Nec enim animadvertit, isto modo, et instituto perimi similitudines omnes, quæ conditis ex rebus ad informandam divinarum intelligentiam persæpe capiuntur. Quid est illa comparatione frequentius, quam ad Trinitatem assimilandam crebro adhibent sancti Patres, præque ceteris Augustinus, ex natura hominis, animaque ratione prædita, tanquam illius imagine deprompta? Ita enim disputant [1], sic in divinis esse Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum a se distinctos tres, et unam trium essentiam, quemadmodum tria hæc in homine, mens, memoria, et voluntas, inter se discrepantia, una, eademque sunt animæ substantia. Quod si illorum exemplo cavillari quispiam velit, potest hanc omnibus antiquis Patribus inferre calumniam, ut eos dicat, nullum prorsus in Deo personarum, aut hypostaseon agnovisse discrimen, et Sabellianos ad unum omnes fuisse, quandoquidem tres illæ facultates animæ non subsistunt per sese, nec sunt hypostases. Vides quem exitum habeat anonymi calumniatoris, et similium furor: et quam ridiculi, contemnendique sint, qui tam futili, ac ludicro argumento tantas res commovere non sunt veriti.

Nec ea, quæ dico, velim sic accipi, quasi veteres illi, qui divinam naturam cum humana, et hujus cum illa communitatem contulerunt, et ita singulas personas uni divinitati, sicut homines singulos uni humanitati subjecerunt, nullam significationem dederint ejus differentiæ, quæ inter ambo cernitur. Non est ita. Etenim plerique illam adnotarunt: et eamdem numero in tribus personis divinam esse naturam; in hominibus vero non numero eamdem, sed specie; suo tamen modo communem utramque dixerunt. Videnda plane sunt, quæ hac de re in quarto libro de Trinitate, præsertim capite 13. scripsimus. Ex quibus Joannis Damasceni locus præ ceteris observandus est [2]: qui discrimen illud communitatis et singularitatis inter utramque substantiam pulcherrime describit. Naturam enim hominis docet communitatem, sive universitatem habere sola ratione constantem; cum reipsa non una quæpiam universalis existat, sed cogitatione duntaxat, intelligentiæque modo: quatenus Petrum ac Paulum, propter naturæ similitudinem, in unam speciem cogimus: at individua ejusdem speciei, re esse divisa, nec mutuo connexa. Nam Petrus a Paulo se toto disjungitur. E contrario vero naturam divinam re ipsa unam esse, adeoque singularem, ratione vero quasi diffusam in plures personas. Has autem sola cogitatione divisas esse; cum ita re a se mutuo distinguantur, ut non sint separatæ, nec extra se invicem consistant. Quam etiam ob causam non, ut tres homines dicimus, ita tres deos numerari. Hæc Joannes Damascenus: cui et alios permultos, eoque longe vetustiores adscripsimus.

VI. Ac licet antiqui Patres in declarando Trinitatis dogmate, differentiam istam non tam enucleate ac subtiliter exposuerunt, quam qui postea secuti, (ut est Theologiæ recentioris indoles, eo certe nomine commendanda, quod ea diducit, et evolvit, quæ apud antiquos compressa, et involuta latebant,) nihilominus satis illa perspicue pro instituto, et commentandi genere suo tradiderunt. Declarant hoc illa veterum testimonia, græcorum, ac latinorum, quæ in quarto de Trinitate perscripsi [3]: in quibus lucet illud, quod dixi; quamvis naturam divinam, ejusque commu-

[1] August. lib. de Trin.

[2] Lib. 1. cap. 11. — [3] Cap. 13. et 14.

nitatem cum specie citima, utputa hominis, et ejus generali statu (quam Scholæ vocant *universalitatem*) conferant, nihilominus eosdem ipsos intellexisse, non esse parem in omnibus utriusque conditionem, neque vel divinam sic esse communem, quomodo est humana ; vel divinas personas ita sua quasque natura constare numero diversa, quemadmodum homines singuli propriam habent ab similibus suis numero discrepantem. Horum locorum unum alterumve, vel omissum illic, vel ad confutandam anonymi ἀλογιστίαν in præsentia necessarium, referre hic oportet.

Ex iis unus erit Basilii in libro de Spiritu Sancto, capite 17. ubi nonnullorum stultam opinionem refellit, qui Spiritum sanctum aiebant non συναριθμεῖσθαι, id est *connumerari*, sed ὑπαριθμεῖσθαι, id est *subnumerari* personis ceteris, tanquam minime his æqualem. Contra quos disputans, primum constituendum esse dicit, cujusmodi *subnumeratio* ista sit ; atque hoc ex philosophia repetendum. Hæc enim docet nominum alia esse communia, quorum significatio plura complectitur ; alia magis speciatim usurpata ; alia particularia. Velut *substantiæ* vocabulum generale aliquid sonat, quod in omnia convenit tam animata, quam inanima : animalis vero vox non tam late diffunditur, tametsi varias sub se formas complectitur : sic etiam *homo* universalem naturam indicat, sed pauciora continentem, quam animalis vocabulum : Petrus denique, ac Paulus particularia sunt nomina, nec ulla ratione communia. Tum quærit, « (1) An hoc ὑπαρίθμησιν vocent, ejus, quod commune est, in subjecta divisionem. » Quod sic deinde rejicit : « (2) Atqui persuadere mihi non possum, illos eo dementiæ processisse, ut asserant, universorum Deum velut quamdam esse communitatem, quæ sola ratione consideretur, et in nulla subsistentia extantiam habentem in inferiora dividi. » Nihil apertius dici potuit ad falsam illam anonymi diluendam suspicionem. Nam divinam substantiam, sive naturam, negat esse creatæ, quam *specificam* appellant, similem. Hanc enim ratione sola consistere ait, hoc est non unum esse quippiam, (quod *reale* nominant, vel qui barbare magis, ac putide loquuntur, *a parte rei*,) sed intellectione, cogitationeque sola collectum, et quasi unum effectum in subjecta individua multiplicari, ac dividi. Ubi quod dicit, naturam universalem in nulla ὑποστάσει habere ut sit, non de subjectis individuis accipiendum est ὑποστάσεως nomen, sed pro vera et solida rei extantia sumitur ; quam non habet natura communis λόγῳ θεωρητὴ ; cum alioqui in subjectis individuis existat, sed non ea ratione, qua est λόγῳ θεωρητὴ, atque communis. Hujus ergo speciei ac naturæ dissimilis est tum natura divina, tum ejus communitas. Nam et existit reipsa, atque ideo singularis est ex sese ; et una eademque numero, ac singularis, nihilominus communicata tribus, subsistit in singulis : et est (3) *indivisa in divisis*, ut recte Joannes Damascenus affirmat. Vide Gregorii Nazianzeni disertam de unica, et singulari Dei natura professionem, cujusmodi ab Athanasio traditam approbat in oratione 21. p. 380.

VII. Alter est Cyrillus ille ipse, quem anonymus infamia sacrilegi erroris aspersit. Hujus vero non pauca extant diserta satis, expressaque testimonia, quæ alienum ab ista suspicione fuisse declarant sanctissimum, et eruditissimum virum. Ex quibus aliqua prolata sunt a nobis in quarto libro de Trinitate, capite 13. Nunc uno contenti erimus, qui omnem dubitationem eximit, ex dialogo sexto de Trinitate, ubi sic scribit : « (4) Intelligitur enim Deus, *inquit*, et Pater existens per sese : sed et Filius per se, privatimque subsistit. Verum etsi propriam hypostasim uterque diversam habeat ; non tamen penitus, et ex toto divelli se ab alio patitur. Non enim disjungi potest a Patre Filius; sicut angelus ab angelo : sive ut in nostro genere, hic ab isto, totus a toto fortasse dirimetur. Sed nec ad absolutam divisionem differentiæ ratio perveniet, ita ut seorsim plane

(1) BASIL. cap. 17. de Sp. S. tom. 2. pag. 185. Ἆρ' οὖν τοῦτο νοοῦσι τὴν ὑπαρίθμησιν, τὴν τοῦ κοινοῦ εἰς τὰ ὑποτεταγμένα διαίρεσιν ;

(2) Ibid. Ἀλλ' οὐκ ἂν πιστεύσαιμι εἰς τοσοῦτον αὐτοὺς παραπληξίας ἐλαύνειν, ὥστε φάναι τὸν Θεὸν τῶν ὅλων, ὥσπερ κοινότητά τινα λόγῳ μόνῳ θεωρητὴν, ἐν οὐδεμιᾷ ὑποστάσει τὸ εἶναι ἔχουσαν εἰς τὰ ὑποκείμενα διαιρεῖσθαι. Vide Nysseni insigneml ocum ex libro primo contra Eunomium citatum infra libro 12. cap. 1. § 7.

(3) DAMASC. lib. 1. cap. 11. Ἀμέριστος γὰρ ἐν μεμερισμένοις, εἰ δεῖ συντόμως εἰπεῖν, ἡ θεότης.

(4) CYRILL. tom. 5. par. 1. pag. 592. B. Νοεῖται μὲν γὰρ ὁ Θεὸς, καὶ Πατὴρ ἐν ὑπάρξει τῇ καθ' ἑαυτὸν, ὑφέστηκε δὲ αὖ καὶ ὁ Υἱὸς ἰδικῶς, ἀλλ' εἰ καὶ ἰδίαν ὑπόστασιν ἑκάτερος ἀπετέμετο, τὸν γοῦν εἰσάπαν διορισμὸν οὐ προσίεται· οὐδὲ γὰρ ἂν διορίζοι τὸ τοῦ Πατρὸς ὁ Υἱὸς, ὥσπερ ἄγγελος ἀγγέλου, καὶ μὴν καὶ ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς, ὁ δεῖνα τοῦ δεῖνος, ὅλος ὅλου διεστήξει τυχὸν, οὔτε μὴν καὶ διαμπὰξ ἐλάσει τῆς διαφορᾶς ὁ λόγος, ἀνὰ μέρος ὁλοτρόπως ἑκάτερον ἱστάς. Ἢ γὰρ ἂν εἶεν καὶ δύο θεοί. Μιᾶς δὲ καὶ μόνης οὔσης τε, καὶ νοουμένης θεότητος, ζῶντα, καὶ ὑφεστηκότα καταθρήσαιμεν ἂν ἐν Πατρὶ τὸν Υἱὸν, καὶ μὴν καὶ τὸ ἔμπαλιν, τουτέστιν καὶ ἐν Υἱῷ τὸν Πατέρα.

utrumque constituat : alioqui duo essent dii ; sed cum una, solaque sit, et intelligatur divinitas ; viventem, et subsistentem contemplabimur in Patre Filium, et vice versa, in Filio Patrem. »

Hinc apparet, non existimasse Cyrillum Patrem et Filium naturas habere singulas : sicut Socrates et Paulus, vel Michael et Gabriel ; qui propterea duo homines, aut duo angeli numerantur, eo quod penitus, ac se totis distincti, divisique consistunt : nec in se invicem immeant, seseque pervadunt. At divinæ personæ, ita proprietatibus suis a se mutuo discernuntur, ut tamen eamdem numero communem habeant essentiam, cujus gratia in se invicem insunt. Vide insuper librum 11. Thesauri [1], ubi accurate declarat, quemadmodum natura divina eadem, et singularis cum personarum differentia consistat.

VIII. Atque ut recta, et ambage omni submota, anonymi occurramus argumento, negamus ex eo sequi, ὑπόστασιν omnem, etiam divinam, propriam habere, singularemque naturam, quam non habet alia hypostasis : quod Cyrillus οὐσίαν universe definit, naturam communem pluribus ; hypostasim vero, singulare aliquid, et individuum sub specie comprehensum. Primum enim non dicit Cyrillus illo, quem citat anonymus, loco, ὑπόστασιν esse *naturam singularem*, sive potius οὐσίαν, (non enim naturæ, sed οὐσίας vocabulo ibidem utitur,) verum οὐσίαν absolute ait esse id quod commune est, et definitioni subjicitur : hypostasim vero, singulare, et uni affixum. Hoc autem recte intelligitur, si natura quæpiam singularis, certis proprietatibus affecta, determinataque sit ; quamvis numero eadem aliis proprietatibus velut modificata, alia constituat individua, sive hypostases alias. Nam illud unum hypostasis ratio postulat, ut ex communi et proprio coalescat ; quæcumque tandem sit illa communitatis ratio, hoc est sive in natura per se individua, et revera una reperiatur, sive in ea, quæ non re una est, sed ratione duntaxat, et intelligentia. Imo, ut paulo aliquid mirabilius dicam, magis individua, et singularis est hypostasis illa, quæ ex οὐσίᾳ singulari, et proprietate itidem singulari constat, quam quæ ex οὐσίᾳ communi, et singulari duntaxat proprietate conflatur. Quocirca multiplicatis individuis, et suppositis, non est necesse naturas ipsas multiplicari, pluresque numero fieri ; sed eadem variis subjici potest individuis notis, quæ hanc ipsam determinent, et plures constituant hypostases. Unde οὐσία divina τρισυπόστατος a Dionysio vocatur, quasi *trisubsistens*. Huc adjungi debet, quod ex Joanne Damasceno, aliisque græcis philosophis, ac theologis supra docuimus, unam numero naturam, velut hominis, ut est in Petro, dupliciter considerari posse, vel absolute, et ratione definitionis, qua videlicet animal est ratione præditum, vel quatenus propriis et peculiaribus Petri notis afficitur. Priore modo, etiam communis appellatur, quia sola hæc in illa considerantur, quæ communia Petrus habet cum reliquis hominibus : posteriore vero modo, particularis est, et individua. Unde Verbum asserunt non assumpsisse naturam hominis communem, ut ab omnibus individuis separata spectatur : sed communem, quæ est in aliquo singulari. Multo ergo magis natura divina, quæ per se, ac revera, non ratione tantum, una est, et individua, in qualibet divinarum personarum ita propria cujusque considerari potest, ut nihilominus menti nostræ sub alia notione communitatis, et quasi definitionis occurrat.

IX. De hac singularis in Deo communitate naturæ, permulta scitu digna collegit Euthymius variis ex Patribus in Panopliæ titulo secundo : ex quibus duo tantummodo referam, adversus imperitam anonymi cavillationem, græcis interpretandis doctoribus utilia.

Primus locus est Maximi martyris ; qui de *unitate* ac *Trinitate* in eadem divinitate disputans, quam græci theologi post Dionysium [2] ἡνωμένην, καὶ διακεκριμένην θεολογίαν vocant, ambas illas inter se comparat, et inter alia, non sic habere se dicit, tanquam ἡ μονὰς sit « (1) commune aliquid, et universale, quod sola cogitatione spectatum a Trinitate, velut a particularibus sibi subjectis differat : cum sit substantia proprie per se existens, et virtus revera per sese valens. »

Alter locus sine auctoris nomine, postea prolatus in eodem titulo, et ei consentaneus, quem ex Damasceni primo libro capite un-

(1) MAX. apud Euth. pag. 47. lat. edit. Ἢ ὡς κοινόν τι, καὶ γενικὸν, καὶ ἐπινοίᾳ μόνῃ θεωρητὸν τῶν ὑπ' αὐτὸ μερικῶν παρήλλακται τῆς Τριάδος. Ἡ μονὰς οὐσία κυρίως αὐθύπαρκτος οὖσα, καὶ δύναμις ὄντως αὐτοσθενής.

[1] Cyril. tom. 5. par. 1. p. 85.

[2] Lib. de Divin. nom. cap. 2.

decimo, in quarto de Trinitate descripsimus [1], est hujusmodi : « (1) In omnibus creaturis hypostaseon separatio reipsa consideratur. Nam reipsa Gabriel a Michaele diremptus est, et Petrus a Paulo. Quod autem commune est ipsis, et unum, sola cogitatione dignoscitur. Quippe sola cogitatione intelligimus angelitatem, ut ita dicam, et humanitatem. At vero in divina Trinitate contrarium accidit. Scimus enim reipsa unum esse Deum, et unam eamdemque naturam, et potestatem, et sapientiam, ac virtutem, et actionem, atque unam et eamdem voluntatem. Verum hypostaseon divisio nuda cogitatione intelligitur. Non enim personalem circumscriptionem cogitare audemus, neque localem distantiam, neque aliam quampiam separantium proprietatum, præterquam paternitatem, filietatem, et processionem. Atque hæc ratione quadam excellente, quæ est supra omnem substantiam. Hinc est, quod unum Deum tres illos dicimus, cum perfecte, ac reipsa hypostases eorum dividere nequeamus, quæ quidem et indivise dividuntur, et sine junctione junguntur, propter eximiam simul, et supersubstantivam ipsorum divisionem pariter, et copulationem. » Unus hic locus communem de Trinitate veterum sensum, et constitutæ ab illis in essentia communitatis, differentiæ autem in personis modum ac rationem egregie declarat; atque ab Tritheitarum perfidia procul eos abfuisse probat : et hos inter Cyrillum : qui communem habuit cum reliquis naturæ et hypostaseos differentiam, ex qua stulte præjudicium de illa hæresi in uno Cyrillo facit anonymus.

X. Nam quod in libro tertio contra Nestorium, eumdem Cyrillum ait in Trinitate φύσεων discrimen constituere, de hoc loco jam actum est a nobis in quarto de Trinitate [2] : ubi φύσιν ab illo pro ὑποστάσει, sive *supposito*, nonnunquam accipi ex antiquorum sententia diximus. De quo vide quæ iterum in quarto hujus operis, capite 6. et 7. disputavimus ad famosum illud Cyrilli dictum : *Post unitionem, unam esse duntaxat naturam incarnatam Verbi.* Verum si quis attentius contempletur locum illum Cyrilli, quem ex tertio contra Nestorium intentat anonymus, facile assentietur erudito viro, qui editioni Romanæ Conciliorum præfuit. Hic enim ad oram libri adnotavit pro φύσεων, legendum esse ὑποστάσεων, aut προσώπων, quod etiam nuperæ auctor editionis Cyrilli secutus est. Nec est dubitandum quin ita Cyrillus scripserit. Alioqui putida esset, et non ferenda paucis in verbis ejusdem vocabuli contraria significatio, et conflictus secum Cyrilli. Verba ejus ipsa, ne quis emendanda non censeat, aut criminari temere malit, hic adscribam. « (2) Dicat aliquis, *inquit*, quonam modo sancta, et adoranda Trinitas dividitur in hypostases tres, et unam divinitatis naturam efficit ? Respondemus hoc eo fieri, quod naturarum discrimen necessario consequens identitas in substantia, fidelium intelligentiam ad unam revocat divinitatis naturam. » Manifestus hic est librariorum error, qui φύσεων διαφορᾷ, perperam pro ὑποστάσεων scripserunt. Reliqua ejusdem Cyrilli ab anonymo in invidiam adducta, ex dictis hactenus explicari possunt.

De Dionysio Alexandrino, quem impostor ille rejicere se dicit [3], cujus nauci faciendum est judicium, nihil, quod respondendum hic esset, omisimus in primo libro de Trinitate [4]. Nonnulla scriptis ille suis immiscuit, antequam Ariana hæresis extitisset, parum dicta commode, quæ Athanasius purgavit libro singulari, quem adversus Arianos hoc ipsum, quod hæreticus perinde facit anonymus, Dionysium in partes trahentes, elucubravit. Defendit hunc Facundus ipsemet Hermianensis, a quo criminosas illius voces excerpsit anonymus.

(1) EUTH. Tit. 2. pag. 58. lat. Ἐπὶ πάντων τῶν κτισμάτων, ἡ μὲν τῶν ὑποστάσεων διαίρεσις πράγματι θεωρεῖται. Πράγματι γὰρ ὁ Γαβριὴλ τοῦ Μιχαὴλ κεχώρισται, καὶ ὁ Πέτρος τοῦ Παύλου, καὶ τὰ λοιπὰ δὲ ὁμοίως. Τὸ δὲ κοινὸν αὐτῶν, καὶ τὸ ἓν, ἐπινοίᾳ διαγινώσκεται. Ἐπινοίᾳ γὰρ μόνῃ νοοῦμεν τὴν ἀγγελότητα τυχὸν, καὶ τὴν ἀνθρωπότητα. Ἐπὶ δὲ τῆς θείας Τριάδος, ἀνάπαλιν· τὸ μὲν κοινὸν αὐτῶν, καὶ τὸ ἓν, πράγματι θεωρεῖται· πραγματικῶς γὰρ οἴδαμεν, ὅτι εἷς ἔστι Θεὸς, καὶ μία, καὶ ἡ αὐτὴ φύσις, καὶ ἐξουσία, καὶ σοφία, καὶ δύναμις, καὶ ἐνέργεια, καὶ ἓν, καὶ τὸ αὐτὸ θέλημα. Ἡ δὲ τῶν ὑποστάσεων διαίρεσις ἐπινοίᾳ ψιλῇ νοεῖται· οὔτε γὰρ προσωπικὴν περιγραφὴν ἐννοῆσαι τολμῶμεν, οὔτε τοπικὴν διάστασιν, οὔτε τι τῶν ἄλλων ἀφοριστικῶν ἰδιοτήτων, πλὴν πατρότητος, καὶ υἱότητος, καὶ ἐκπορεύσεως. Καὶ ταῦτα δὲ ὑπερφυῶς, καὶ ὑπερουσίως. Διὸ καὶ ἕνα Θεὸν λέγομεν αὐτοὺς, μὴ δυνάμενοι διελεῖν τελείως, καὶ πραγματικῶς τὰς ὑποστάσεις αὐτῶν, ἀδιαιρέτως διαιρουμένας, καὶ ἀσυνάπτως συναπτομένας, διὰ τὸ ὑπερφυὲς ὁμοίως, καὶ ὑπερούσιον τῆς τε διαιρέσεως αὐτῶν καὶ συναφείας.

(2) CYRILL. lib. 3. cont. Nest. tom. 6. pag. 91. C. Ἀλλ' ἴσως ἐρεῖ τις· πῶς ἡ ἁγία, καὶ προσκυνουμένη Τριὰς, διορίζεται μὲν εἰς τρεῖς ὑποστάσεις, μίαν δὲ θεότητος ἀποτελεῖ φύσιν ; ὅτι φαιὴν ἄν, τῇ τῶν φύσεων διαφορᾷ, τό ταὐτὸν εἰς οὐσίαν ἀναγκαίως ἑπόμενον, εἰς μίαν θεότητος ἀνακομίζει φύσιν τῶν πιστευόντων τὸν νοῦν.

[1] Cap. 13. § 19. — [2] Cap. 2. § 3. et seq.

[3] Anon. p. 37. — [4] C. 5. § 10.

XI. Quid quod Hilarium etiam, tantum virum, et catholicæ fidei columen, decusque gallicanæ quondam Ecclesiæ, proscribit, ac rejicit, cum illa sua plena fastus arrogantiæque formula : « Rejicimus, *inquit* [1], et Hilarium? » Putes, cum hæc audias, specimen aliquod loqui gravitatis, et auctoritatis, non obscurum, ac despicatum nescio quem homunculum, neque valde acutum, et nimis profecto confidentem.

Solent interdum sanctissimi Patres quæ sunt ab hæreticis tolerabiliter dicta laudare, tametsi ab exacta fidei regula nonnihil distent. Fecit hoc in libro de Synodis Hilarius; qui hæreticorum conventuum decreta quædam, quod et minus, quam cetera, impietatis, et aliquid catholicæ integritatis haberent, hac ex parte duntaxat, qua sana erant, approbavit. In quo gravium, et sapientum hominum judicium est secutus, qui sic existimarunt [2] : « Non solum ex malis eligere minima oportere, sed etiam excerpere ex his ipsis si quid inesset boni. » Sirmiensis synodus contra Photinum ab dimidiatis Arianis habita, nonnulla de fide statuit pravis admista proba et recta. Hæc, dissimulatis, vel commodam in sententiam deflexis illis, ita commendavit, et illustravit Hilarius, ut a fidei catholicæ, ac Nicænæ sinceritate nullo modo discedat. Sirmiensis synodus in anathematismo secundo et tertio : (1) *Si quis*, ait, *Patrem et Filium duos dicit deos, anathema sit. Et si quis unum dicens Deum, Christum autem Deum ante secula, filium Dei obsecutum Patri in creatione omnium non confitetur, anathema sit.* Hæc Sirmiense concilium apud Hilarium, cujus latina paululum a græcis diversa sunt. Ad hæc igitur quid tandem Hilarius? Num dubia et obscura dedit indicia catholici de Trinitate sensus, ac Nicæno decreto consentanei? « Rerum, *inquit,* nobis absolutam intelligentiam ipsa illa nominis religiosa professio tribuit. Cum in damnatione sit Patrem et Filium duos deos dicere : et rursum anathema sit Filium Deum negare substantiæ diversæ alterius ab altera, opinio in prædicandis diis duobus excluditur. Non enim ex alia præter illam Dei Patris, ex qua Dei filius intemporalis est natus, essentia. Nam cum necessario Deum Patrem confitemur, et absolute Christum Dei filium Deum prædicamus, et inter hæc duum deorum sit irreligiosa confessio : non possunt secundum naturæ indifferentiam, et nomen indifferens non unum esse in essentiæ genere, quorum essentiæ nomen non licet esse nisi unum. » Quid ad plenam et absolutam catholici dogmatis confessionem desiderari potest illis in verbis? Duos esse negat deos, Patrem et Filium; negat diversam esse substantiam amborum, aut essentiam. Nec ista solum, quæ sunt accuratissimæ pietatis, affirmat : sed in Sirmiensi quoque decreto contineri docet; quem unum videlicet finem in illo sibi libro præfixit, ut istam Arianæ portionem sectæ dissociaret ab reliquis, et in Catholicorum partes, ac velut castra transferret. Quod si qua sunt illis immista, paululum ab sinceræ fidei norma distantia, fuit hæc, ut Hilarius fecit, dissimulare prudentis.

XII. Quanquam haud adeo sunt pœnitenda, quæ anathematismus iste concepit : Deo Patri obsecutum esse filium Dei, et eumdem consubstantialem Deum. Tollit enim, vel certe minuit horum invidiam, reliquorum adjunctio, dum et unus cum Patre Deus, et ejusdem cum eo substantiæ esse Filius dicitur. In græcis, *obsequendi* verbo, quod magis offendit, respondet ὑπουργεῖν, quod significare potest, *operam alicui præbere*, vel simpliciter ab alio ad opus applicari; quo sensu de Verbo quidam antiquorum illud usurparunt apprime catholici, ut Irenæus, et Clemens Alexandrinus. Est enim Verbum, δύναμις, id est *virtus* Patris, et *potentia,* qua ille omnia condidit [3]. Ars item est [4], et imperium Patris [5], qua ratione dici potest exequi omnia, quæ mandat et præcipit, quod idem est ac molitur, et efficit Pater. Siquidem imperio quod vult facit Deus : adeoque Verbo suo. Hinc illa manavit locutio, probo, et catholico sensu ab quibusdam adhibita Patribus, ut Irenæo, Athanasio, Cyrillo Alexandrino aliisque, Patrem Filio suo præcepisse, uti res creatas produceret, eumque quod jussum erat executum fuisse. De quibus relegenda sunt, quæ in libro secundo de Trinitate scripsi [6]; tum uberrime in præfatione ad tomum secundum : ubi ὀξύμωρα illa loquendi genera, quæ apud antiquos leguntur, purgare,

(1) Sirm. synod. apud Athan. lib. de Syn. p. 693. et Socr. lib. 2. cap. 30. Εἴ τις τὸν Πατέρα, καὶ τὸν Υἱὸν δύο λέγει θεοὺς, ἀνάθεμα ἔστω. Καὶ εἴτις λέγων Θεὸν τὸν Χριστὸν πρὸ αἰώνων Υἱὸν τοῦ Θεοῦ ὑπουργηκότα τῷ Πατρὶ εἰς τὴν τῶν ὅλων δημιουργίαν μὴ ὁμολογοίη, ἀνάθεμα ἔστω.

[1] Anon. p. 38. — [2] Cic. init. lib. 3. de Off. — [3] Vide tom. 1. lib. 5. c. 8. § 6.

[4] Ib. lib. 4. c. 11. § 9. — [5] Ib. lib. 5. c. 9. § 8. — [6] C. 7. § 7.

et explicare studuimus. In quibus ut a nobis minime sunt imitandi, ita nec reprehendendi sunt, temereque damnandi.

Ejusdemmodi sunt quæ de anathematismo Sirmiensi 17. contra Hilarium objicit anonymus, quod hæc probarit illius verba : « Non enim exæquamus, vel comparamus Filium Patri, sed subjectum intelligimus. Neque enim descendit in Sodomam sine Patris voluntate, neque pluit ex se, sed a Domino, auctoritate scilicet Patris, etc. » Quæ Hilarius eatenus laudat, quod personarum differentiam, et proprietatem indicant, ac Filium demonstrant a Patre procedere : « dum mittitur, dum accipit, dum in omnibus voluntati ejus, qui se misit, obsequitur; » quod partim ad eum sensum referri debet, quem proxime ante declaravi, ut Verbum, quidquid a Patre imperatur, dicatur exequi, qui a seipso facit, tanquam Patris *imperium*, sive *sermo*, quo fiunt omnia; partim de incarnato Verbo potest accipi.

XIII. Ad hoc autem pertinet antiquorum bene multorum sententia; qui, quod Christus[1] *Patrem* fatetur *se esse majorem*, de Verbo ipso, et Dei filio, qua filius est, intelligendum putant. Majorem quippe Filio esse Patrem, quatenus ille pater est, hic filius : ille ab nullo habens originem; hic a Patre genitus : ut sit personalis proprietas, non naturæ, majoris, ac minoris illa distinctio. Vide librum nostrum secundum de Trinitate, capite secundo[2], ubi et Hilarium ostendimus hoc etiam modo dictum illud interpretari. Itaque mirum non est, Sirmiensis professionis tale ab illo decretum meliorem in partem accipi : cum nihil officiat ei, quod in catholica fidei regula primarium est, æqualitati, et *identitati* naturæ. Et manifeste ad hunc, quem diximus, sensum, subjectionem illam Filii trahit, ita scribens : « Indifferentis unum nomen est naturæ, et vel in eo quidem maxime non comparatur, nec coæquatur Filius Patri, dum subditus per obedientiæ obsequelam est : dum pluit Dominus a Domino, nec a se ipse, secundum Photinum aut Sabellium, pluerit. » Ergo « non exæquatur, nec comparatur in eo Patri, » quod a se ipso non est, ut est pater. Hoc autem personalis est differentia, quæ æqualitati nihil obstat essentiæ, neque τῷ ὁμοουσίῳ, ut in homine patre ac filio cernimus, et in relativis, quæ *disquiparantiæ* vulgo nominantur : quæ mutuæ comparationis, et habitudinis solius inæqualitatem significantia, naturæ congruentiam, et unitatem retinent. Quare pergit Hilarius[3] : « Sed pietatis subjectio non est essentiæ diminutio, nec Religionis officium degenerem facit naturam : cum per id, quod, cum et innascibilis Pater Deus est, et unigenitus filius Dei Deus est, Deus tamen unus sit, et subjectio Filii doceatur, et dignitas : dum ei ipsi non nisi Filius nuncupandus subjicitur. Quod cum Dei Patris sit, tamen sibi ex natura sit, nomen habens alienum, sed ejus, cujus et filius est, ut sit Patri et obsequio subjectus, et nomine : ita tamen, ut subjectio nominis, proprietatem naturalis, atque indifferentis testetur essentiæ. » Denique Vigilius sub initium libri quinti contra Eutychen, Sirmiensem illam synodum pro catholica laudavit, translatitio errore deceptus.

CAPUT QUARTUM.

Deinceps antiquorum quorumdam falsa criminatio super Incarnationis mysterio discutitur; — 1. quos anonymus putat naturam Christo unam tribuisse ex duabus compositam. — 2. De Gregorio thaumaturgo error illius; necnon de Dionysio Alexandrino. — 3. Excutitur, et enarratur Dionysii locus, quem anonymus per hallucinationem putat Alexandrinum, ex epistola ad Caium. — 4. Alius ejusdem stupor de eodem Dionysio, et Cyro Monotheleta. — 5. Tum perperam Eutychianæ labis alios incusat.

I. Quæ ad Trinitatis dogma pertinent, dixi pro antiquis Patribus, adversus horum calumniatorem anonymum, quantum necesse fuit, ut injectas ab eo criminationes depellerem. Nunc ad præcipuam susceptæ defensionis partem aggredior; in qua scriptor ille dyso-

[1] Joan. 14. 28. — [2] Lib. 1. de Trinit. c. 2. § 8.

[3] Lib. de Syn. ad anath. 17.

nymus, Incarnationis perperam, contraque fidei regulam acceptæ reos eosdem appellat veteres, ac præsertim Cyrillum, imo Ephesinum omne concilium, totumque, quod est consequens, Catholicum nomen execrandæ hæresis accusat. Sed ut legitimum prælium leviores quædam pugnæ velitum et ferentariorum, velut ros pluviam, antecedere solent, ex quibus futuræ victoriæ præsagia capiuntur : sic antequam de Cyrillo, ac Nestorio, quod argumenti caput est, ac susceptæ dimicationis, cum obscuro ignotoque hoste confligam : experiar minori in re, et quasi prolusione, quantum viribus valeat; ut omen inde secundi, quem mihi a Deo pollicitus sum, exitus faciam.

Capite quinto disputationis suæ [1], a quo veterum in exponendo mysterio Incarnationis errata persequi cœpit, triplicem modum affert Incarnationis explicandæ; quorum primus manifesta implicatus est hæresi; posteriores duos probabiles judicat. De his locus erit postea disputandi : nunc primus tractandus est, qui est hujusmodi. Duas naturas qui sic sentiunt, in unam naturam, personamque conflari, et coalescere sentiunt : quemadmodum ex anima, et corpore fit una composita hominis natura simul, ac persona. Quæ fuit Apollinaris sententia; et ante hunc, Valentini, Manichæi; post eumdem vero, Eutychis, Dioscori, et aliorum, qui in Ephesina latrocinali synodo prævaricati sunt, et, Flaviano damnato, Eutychem in integrum restituerunt. Sed istos nihil moror, aut hæreticos, aut hæreticorum fautores. (Quanquam inter illos, qui metu Dioscori, pro Eutyche sententiam dixerunt, falso aliqui vocantur in crimen Eutychiani erroris, de quibus obiter dicetur.) Quod autem Gregorium thaumaturgum, et Dionysium Alexandrinum, ac postremo Cyrillum in Apollinaris, et Eutychis partes compellit invitos, et nihil minus cupientes : hoc vero minime ferendum. Est enim tum res ipsa falsissima : tum argumenta, quibus nititur, imbecilla sunt, et futilia. Verum in Cyrilli defensionem tota vis postea disputationis incumbet. In Gregorii et Dionysii causa tuenda, prima, ut proposui, explicanda velitatio est. Nam quibus eos rationibus suspectos illius hæresis facere conatur, eædem stuporem, et inscitiam accusatoris prædicant.

II. Gregorium thaumaturgum asserit anonymus [2], idem, quod Manichæum, Apollinarem, et Eutychem, de Verbi incarnatione statuisse; unam ex duabus naturis personam ac naturam extitisse : propterea quod apud Photium, libro 230. hæc illius verba referuntur, quæ supra descripsimus [3]; in quibus negat duas in Christo esse tam naturas, quam personas. Sed singularis hic anonymi est oscitantia : qui in eodem illo Photii loco, qui ex Eulogio decerptus est, quid sibi respondere posset, non animadvertit. Etenim Eulogius ibidem affirmat, expositionem illam fidei, quæ κατὰ μέρος inscribitur, non ab Gregorio Neocæsariensi editam fuisse, sed ab Apollinari hæretico : de quo nemo paululum litterarum istarum intelligens dubitat. Vide quæ nos libro quarto, capite sexto, scripsimus de hac Gregorii sententia.

Non minor ejusdem anonymi stupor est in Dionysio Alexandrino, quem eadem nota hæresis aspergit. Cujus rei argumenta duo profert, totidem ex illius sententiis. Primam ex Photii libro 192. citat, pagina 503. in hæc verba : « Quomodo dicis, Jesum, qui est supra omnia, cum omnibus hominibus esse essentialiter coordinatum ? » Quæ ita scilicet intellexit anonymus, ut Dionysius Alexandrinus redarguat asseverantem, Jesum, cujus est natura dispar hominum, et his præstantior, iisdem tamen hominibus annumerari secundum essentiam. Hinc enim sequitur, Jesum, quod assumptæ naturæ vocabulum esse debet, non ejusdem esse cum hominibus substantiæ.

Atqui puerilis, et crassissima est hæc hallucinatio. Mitto Dionysii Alexandrini verba illa non in eo, unde excerpta referuntur, Photii libro reperiri 192. pag. 503. nempe posterioris editionis græcolatinæ Photii. Certe undecumque ea corraserit anonymus, neque Alexandrini Dionysii sunt; sed alterius, qui areopagita vulgo cognominatur : nec eo sensu intelligenda sunt, quem ille inscienter affinxit.

III. Imprimis ergo sciendum, initium illa verba facere epistolæ quartæ ad Caium therapeutam, posterioris Dionysii, cui areopagitæ cognomen adhæsit, quæ sic in græco se habent : « (1) Quomodo, inquis, Jesus ille, qui supra omnia est, in eodem cum omnibus hominibus ordine collocatur secundum substantiam ? » Nimirum Caius ille de Dionysio

(1) DION. epist 4. Πῶς, φὴς, Ἰησοῦς ὁ πάντων ἐπέκεινα πᾶσίν ἐστιν ἀνθρώποις οὐσιωδῶς συντεταγμένος ;

[1] Anon. p. 59. — [2] P. 65.
[3] Lib. 4. c. 6. § 8.

sciscitatus erat primo, « (1) Quomodo Deus, qui est supra omnia, supra divinitatis principium, et bonitatis principium esset. » Cujus inquirendi causam præbuerat opinio illa Dionysii, quam in fine capitis undecimi de Divinis nominibus exposuit, et nos alibi patefecimus [1] : Deum ab omni æternitate ideas quasdam produxisse, sive formas, et exempla secundaria, quorum imitatione res creatas formaret, ac perficeret. Eas formas præfixo vocabulo αὐτὸ, nominabat αὐτοζωὴν, αὐτοαγαθότητα, αὐτοσοφίαν, etc. hoc est *ipsissimam vitam*, *ipsissimam bonitatem*, *ipsissimam sapientiam* : nempe ideam, et exemplar vitæ, bonitatis, et sapientiæ, ex quibus, et quorum communicatione cetera vitam, bonitatem, sapientiamque participant. Non enim divina ipsamet essentia, vita, bonitas, et sapientia communicari, ac participari potest, cum habitet lucem inaccessam, et extra usum, ac commercium sit infimarum rerum, in quas quidquid boni, ac perfecti derivatur, ex formarum illarum applicatione transfunditur. Ita quidem Dionysius, ut græci interpretes enarrant : quorum sententia capite illo decimo libri quarti de Deo a nobis explanata est, et ad germanum et catholicum accommodata sensum. Ita quæstioni illi ab Caio propositæ respondet in eadem epistola secunda Dionysius, ideo dici supra divinitatis, et bonitatis principium esse Deum, quod deitas, et bonitas ibi non ipsam, quæ est in Deo, quæque Deus est, divinitatem, et bonitatem significet, sed formam illam secundam, quam donum vocat, *bonificum*, ac *deificum*, ut sic loquar, cujus participatione Deus bonos, ac divinos efficit. Hoc cum ita dissolvisset Dionysius, rursus alteram Caius quæstionem proposuit, quomodo Jesus, id est Dei filius homo factus, qui est supra universa, in eodem, ac ceteri homines, ordine collocatur secundum substantiam. Non enim, ut in priori inquisitione, responderi posse videtur, hominem eum dici, quod sit omnium hominum principium, sicut sol, et lux vocatur Deus, quod principium sit lucis ac solis. Quare Dionysius aliter occurrit, et eumdem asserit, qua vere humanam naturam assumpsit, hominem inter homines esse ; quatenus autem excellenti quadam ratione hoc habuit, ut homo esset, et pro homine se gereret, supra homines fuisse. Hic sensus est illius loci, quem recte Georgius Pachymeres explicavit, longe ab eo diversus, quem calumniator anonymus ridicule, et imperite sibi finxit.

IV. Par est argumenti alterius ἀσυλλογιστία [2], quod ex œcumenici sexti Concilii actione quarta, et decimatertia colligit ; unde Dionysii Alexandrini verba illa refert : « Agnoscimus unum Christum, et unum Filium operantem Deo et homini decibilia, una Deivirili operatione. » Atqui Dionysii Alexandrini non sunt ista verba, sed Cyri impurissimi Monotheletæ ; qui e Lazica translatus ad patriarchatum Alexandriæ ab Heraclio imperatore, novem proposuit anathematismos ; quorum in septimo hæresim suam publicavit unius propugnatricem operationis in Christo : ut in primo libro narravimus [3]. Ex hoc, inquam, Cyri Monotheletarum principis decreto, quod cum ceteris actione 13. sextæ Synodi recitatum est [4], verba illa desumpsit anonymus, quæ et Agatho papa citavit in epistola ad imperatores missa ; quæ relata est in actionem quartam ejusdem sextæ Synodi [5]. Verba Cyri ita græce concipiuntur : « (2) Si quis non confitetur, etc. hunc eumdem Christum, et Filium, operantem quæ Deo conveniunt, et quæ humana sunt, una theandrica, id est Deivirili operatione, secundum sanctum Dionysium. » Est autem Dionysius iste, non Alexandrinus, sed areopagita vulgo dictus ; qui in epistola quarta ad Caium, θεανδρικὴν ἐνέργειαν nominavit. Hujus potissimum auctoritate freti Monotheletæ, et Acephali, suam hæresim affirmarunt : ut, præter Cyrum, Macarius Antiochenus episcopus [6], acerrimus unius actionis in Christo defensor : de quo in libro primo meminimus [7]. Est autem oppido ineptum, *theandricæ actionis* vocem putare idoneum esse Eutychianæ hæresis argumentum, ut suo loco patebit.

V. Quinetiam temere, ac falso quosdam alioqui catholicos antistites in classem Eutychianorum includit anonymus, ob id unum quod Cyrilli sententiam illam approbaverint, *naturæ unius post unitionem incarnatæ*, de qua locutione multa scripsimus in quarto libro [8]. Hæc enim loquendi formula sensum habet catholicum, tametsi eatenus reprehen-

(1) Idem epist. 2. Πῶς ὁ πάντων ἐπέκεινα, καὶ ὑπὲρ θεαρχίαν ἐστὶ, καὶ ὑπὲρ ἀγαθαρχίαν.

(2) CYRUS anath. 7. pag. 218. Syn. 6. Καὶ τὸν αὐτὸν ἕνα Χριστὸν, καὶ Υἱὸν ἐνεργοῦντα τὰ θεοπρεπῆ, καὶ ἀνθρώπινα μιᾷ θεανδρικῇ ἐνεργείᾳ, κατὰ τὸν ἐν ἁγίοις Διονύσιον.

[1] Tom. 1. lib. 4. c. 10. — [2] Anon. p. 66. — [3] Cap. 19. § 2. — [4] Tom. 5. Conc. p. 218. F. — [5] Ib. p. 53. et seq. — [6] Ib. Syn. 6. Act. 2. pag. 24. — [7] Cap. 20. § 9. — [8] Cap. 5. 6. et 7.

dendi illi fuerunt, quod metu Dioscori, in Ephesino latrocinio, Flaviani damnationi, et Eutychis absolutioni subscripserint. Cujus errati veniam in Chalcedonensi postea synodo suppliciter rogarunt, et, a Patribus impetrata ea, in pristinum statum restituti sunt. Nunc a prolusione ad serium, et legitimum conflictum pro Cyrillo, et Ephesinæ synodi Patribus, adversus anonymum, transitum faciamus. Quo in certamine eadem, cujus in velitatione periculum fecimus, adversarii stupiditas, et doctrinæ reconditioris expers ac judicii, levitas, et ἀλαζονεία, illustrioribus se indiciis in apertum proferet.

CAPUT QUINTUM.

Ad Cyrilli defensionem præparatur aditus exponenda Nestorii, quam ille impugnavit, hæretica opinione. — 2. Itaque demonstratur, Nestorium naturas Christo duas nullo substantivo nexu copulasse, sed morali duntaxat. — 3. Quod deinceps variis illius ex locis adstruitur. — 6. Unde primum argumentum efficitur, quod sola dignitatis communione junctas esse naturas diceret. — 8. Tum alterum argumentum ex eo, quod negabat egisse, ac pertulisse Deum illa, quæ Christus egit, ac sustinuit. — 11. Tertium argumentum, quod Incarnationem sola inhabitatione definiebat. — 12. Quartum argumentum, quod Deum ex fœmina genitum dicere absurdum judicabat.

I. Post ejectos, et proscriptos ab cœtu Catholicorum Patres aliquot, tanquam contagione Apollinaristarum hæresis afflatos, deinceps majore spiritu ac furore perbacchari in reliquos aggressus est anonymus. Et sunt impotentis ac fanatici lucumonis memoranda primum illa verba, quibus, ut circulatorum mos est, ad novum et inusitatum spectaculum curiosos homines provocat.

« Rem novam, *inquit* [1], et hactenus inauditam jam demonstrandam suscipimus, et propter quam potissimum instituta est hæc disputatio. » Audite, atque togam componite : « Scilicet Cyrillum Alexandrinum, et alios episcopos, qui primo concilio œcumenico Ephesino interfuerunt, fuisse hæreticos, et auctores hæresis Eutychianæ, aut potius restauratores hæresis Apollinaris. » Grandis et magnifica vox, sed quæ vana, et irrita denuntiatione, nihil præter risum ac ludibrium colliget. Mihi sic repellendus illius conatus videtur; ut quoniam de Nestorio, ac Cyrillo, et adjunctis huic Ephesinis Patribus agitur, non prius anonymi argumenta dissolvamus, quam, contra atque iste nititur, et Nestorium jure pro hæretico damnatum fuisse monstremus, et quos ille falso hæresis accusat, recte sentientes, et catholicos. De Nestorio itaque primum : quem certissimum hæreticum extitisse, tum ex ipsius dictis, tum ex fide dignissimis testibus probare aggrediar.

II. Duas in Christo ut naturas, ita personas et subsistentias, sive hypostases esse, eo sensu vocum istarum, qui apud theologos hodie percrebuit, manifesta est, et catholicæ adversa fidei hæresis. Eam ab Nestorio susceptam, ac defensam fuisse, ita planum fiet, si sic illum ostendero duo illa, ex quibus constat Christus, divinam, humanamque substantiam, inter se copulasse, ut non hypostatica, et οὐσιώδει, hoc est substantiva, proprieque dicta unitione colligatas putaverit : sed *morali* duntaxat, ut vocant, nexu applicatas invicem; adeo ut vere proprieque loquendo, disjunctæ essent, ac separatæ. Ut autem melius status controversiæ percipiatur, facili aliqua ratione declarari in hunc modum debet.

Rei cujuscumque cum altera re conjunctio, ex effecto, quod inde oritur, æstimanda venit. Hoc autem est τὸ ἕν, id est *unum*, quod ex *unitione* fit. Cujusmodi ergo est unum, quod ex illa unitione consurgit, ita est unitio : et vicissim qualis est unitio, tale est unum, quod efficitur. Jam vero res una jungi alteri, eique adhærere dupliciter potest : vel proprie dicto, et naturali, quod οὐσιῶδες Græci vocant, vinculo; ut quando cum anima corpus componitur, pes aut manus cum corpore : vel improprio, et *morali;* ut cum vestis corpori adjungitur.

[1] Anon. pag. 71.

Quod priore modo existit unum, per se, et substantivum, ac naturale, id est verum, et proprie dictum habetur; quod autem posteriore fit, improprie, et ex accidenti unum dicitur: ut est lapidum cumulus, et par amicorum, ac cetera ejusdemmodi. Nestorius unum esse Christum, unumque Filium, et unam personam docuit. Hoc si vere, ac bona fide pronuntiavit, et ut catholica fides habet; necesse est, ut divinam substantiam, et humanam proprie dicta, et substantiva junctione aptas inter se, et connexas esse crediderit. Sin easdem a se mutuo distractas, et separatas, hoc est tali nexu minime conglutinatas existimaverit: consequens est, unitatem illam, et unum, quod componentium amborum concursione factum est, nonnisi improprie, et *moraliter*, ut loquuntur, ejusmodi ab illo censeri, ac nominari. Hoc igitur videamus, quis Nestorii sensus fuerit. Id ex ipsis illius verbis licet agnoscere, quæ Cyrillus descripsit, et operi suo intexuit, quod adversus illum edidit: necnon ex ejusdem sententiis, quæ in Ephesina synodo ex ipsius scriptis recitatæ, et in acta relatæ, hodieque leguntur [1].

III. In libro secundo Cyrilli contra Nestorium, hujus verba referuntur, quibus exponit, quomodo Christo nomina ista conveniant, *Christi*, *Dei*, *Filii*, et *sancti*. « (1) Sicut, *inquit*, dicimus Deum, omnium Conditorem, et Deum Mosem: *Deum enim*, ait [2], *constitui te Pharaonis;* et Israelem, filium Dei: *Filius enim*, inquit [3], *primogenitus meus Israel.* Et ut Saulem dicimus Christum, etc. ita vocamus et Dominum, Christum, et Deum, et Filium, et sanctum. Sed communio quidem similis est nominum: at non eadem est dignitas. »

Rursus in eodem libro, Nestorii hæc periocha descripta est: « (2) Dic de eo qui assumpsit, hunc esse Deum; adde, eum, qui assumptus est, esse servi formam. Infer postea conjunctionis dignitatem, quod communis sit amborum auctoritas, quod amborum sit eadem dignitas; manentibus naturis, confitere dignitatis unitatem. »

Ad hæc: « (3) Ideo volo vos, ait ibidem Nestorius, illud certissime retinere. Nulla est conjunctionis, quæ est in dignitate, et filietate, divisio: hoc ipsum quod Christus est, nullam capit divisionem. At divinitatis et humanitatis est aliqua divisio. Christus, qua Christus, individuus est. Non enim duos Christos habemus, duosve filios. Nam non est apud nos primus et secundus, nec alius et alius; neque rursus alius filius, et rursus alius, sed ille ipse unus est duplex non dignitate, sed natura. »

Item in actione prima Ephesini concilii observat Scripturam sacram nunquam dixisse genitum ex Maria virgine Deum, neque mortuum esse Deum: sed semper Christi nomen usurpasse, vel Filii, vel Domini: ac demum ita concludit, « (4) Christi genitricem Virginem filium quidem genuisse Dei: sed quia iste ipse Dei filius duplici natura constat, non illam genuisse Dei filium; verum humanam naturam genuisse, quæ est Filius propter unitum sibi Filium. » Tum in sequentibus locis, id enixe contendit, ut Deum Verbum ex Maria genitum ac natum esse non credant, dicantve Christiani. Necnon ut Christus, vel hic homo minime censeatur Deus, nisi propter conjunctionem cum Verbo, quam συνάφειαν vocat.

IV. Inter alia vero loca celeberrimus ille est [4], in quo Christi vocem hanc expendit [5], *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem.* Ubi carnem manducari, bibique sanguinem animadvertit, non autem divinitatem. Quæ cautio subdole ab eo posita est, non eo sensu, qui utique probandus est, ut ne divinitatem ipsam atteri dentibus, ac com-

(1) Nestor. apud Cyr. pag. 40. Ἀλλ' ὥσπερ λέγομεν Θεὸν τὸν πάντων δημιουργὸν, καὶ Θεὸν τὸν Μωσέα. Θεὸν γὰρ, φησὶ, τέθεικά σε τοῦ Φαραὼ, καὶ Υἱὸν τὸν Ἰσραὴλ τοῦ Θεοῦ. Υἱὸς γὰρ, φησὶ, πρωτότοκός μου Ἰσραὴλ. Καὶ ὥσπερ λέγομεν Χριστὸν τὸν Σαούλ, etc. οὕτω λέγομεν καὶ τὸν δεσπότην Χριστὸν, καὶ Θεὸν, καὶ Υἱὸν, καὶ ἅγιον. Ἀλλ' ἡ μὲν κοινωνία τῶν ὀνομάτων ὁμοία, οὐχ ἡ αὐτὴ δὲ ἀξία.

(2) Ibid. pag. 43. E. Εἶπε τὸν ἀναλαβόντα, ὅτι Θεός· πρόσθες τὸν ἀναληφθέντα ὅτι δούλου μορφή. Ἐπάγαγε μετὰ ταῦτα τὸ τῆς συναφείας ἀξίωμα, ὅτι τῶν δύο ἡ αὐθεντία κοινή. Ὅτι τῶν δύο, ταὐτὸν τὸ ἀξίωμα· τῶν φύσεων μενουσῶν, ὁμολόγει τὴν τῆς ἀξίας ἑνότητα.

(3) Ibid. pag. 44. D. Διὰ τοῦτο βούλομαι ὑμᾶς μετὰ ἀσφαλείας κρατεῖν. Διαίρεσις οὐκ ἔστι τῆς συναφείας τοῦ ἀξιώματος, τῆς υἱότητος αὐτοῦ, τοῦ εἶναι Χριστὸς οὐκ ἔστι διαίρεσις, τῆς δὲ θεότητος, καὶ ἀνθρωπότητός ἐστι διαίρεσις. Ὁ Χριστὸς κατὰ τὸ Χριστὸς ἀδιαίρετος. Οὐ γὰρ ἔχομεν δύο Χριστοὺς, οὐδὲ δύο υἱούς. Οὐ γάρ ἐστι παρ' ἡμῖν πρῶτος, καὶ δεύτερος, οὐδὲ ἄλλος καὶ ἄλλος. Οὐδὲ πάλιν ἄλλος Υἱὸς, καὶ ἄλλος πάλιν· ἀλλ' αὐτὸς εἷς ἐστι διπλοῦς, οὐ τῇ ἀξίᾳ, ἀλλὰ τῇ φύσει.

(4) In tom. 2. Conc. pag. 273. F. Υἱὸν γὰρ ἐγέννησε Θεοῦ καὶ ἡ Χριστοτόκος Παρθένος. Ἀλλ' ἐπειδή περ ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ διπλοῦς ἐστὶ κατὰ τὰς φύσεις, οὐκ ἐγέννησε μὲν τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' ἐγέννησε τὴν ἀνθρωπότητα, ἥ τίς ἐστιν Υἱὸς, διὰ τὸν συνημμένον Υἱόν.

[1] In Eph. Syn. Act. 1. a pag. 275. — [2] Exod. 7. — [3] Exod. 4.

[4] In Eph. Syn. pag. 278. D. — [5] Joan. 6.

minui, vel proprie trajici in stomachum, quispiam crederet; quod nemo dicam non catholicus, sed nec sanus ac sobrius cogitavit unquam : sed ne verum Deum, et hominem illo in sacramento sumi, ac manducari Christiani amplius putarent; cum quidem Christum vere, proprieque dictum Deum ibi et esse revera, et accipi, comedique non dubitarent. Hoc ita, uti dico, callide ab Nestorio esse factum; et *abstractum*, quod vocant, *divinitatis* nomen, pro *concreto*, *Deus*, ad catholici nominis invidiam assumptum fuisse, sequentia demonstrant. Nam subinde verbis illis similem obducit fucum : *Sicut misit me vivens Pater*, etc. Quæ male ab hæreticis, id est *Dei genitricem* Mariam profitentibus Catholicis intelligi sic queritur, ut *divinitatem* mitti adstruant. Et ne quis eo duntaxat offendi illum existimet, quod *divinitatem* ipsam mitti in Incarnatione, non autem *Deum Verbum* existimarent, mox venenum prodit impietatis suæ. « (1) Mementote, *inquit*, de carne illud esse dictum : Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo. Sequitur : Sicut misit me vivens Pater : me, inquit, quem vos videtis. At fortassis aliquando non recte interpretor. Audiamus ex iis, quæ sequuntur : Sicut misit me vivens Pater, ille divinitatem intelligit, ego vero humanitatem. Videamus quis nostrum male istud exponat. Sicut misit me vivens Pater. Dicit hæreticus, divinitatem hic exprimi; et ita explicat : Misit me Deum Verbum; ut ex illorum sensu sic ista digerenda sint : Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo Deus Verbum propter Patrem. Quod autem postca subjunxit, Et qui manducat me, et ille vivet, quomodo accipiendum est? Quid, quæso, manducamus, divinitatemne, an humanitatem? » Non alius locus Nestorii versutiam, ac malam mentem insignius aperit. Etenim quos et hæreticos vocat, et falso ait interpretari verba illa Christi, *Sicut me misit vivens Pater*, tanquam missam esse divinitatem dixerit : ii tum catholici erant, tum Deum missum a Patre, non divinitatem ipsam asserebant. Quare *divinitatem* pro *Deo* sumpsit Nestorius; ut ita hominem missum a Deo Patre ipse velit; sicut quos hæreticos appellat, missum dicebant fuisse Deum. Neque enim missa humanitas proprie dicitur, cum homo mittitur. Et alioqui solet Nestorius id, quod assumptum est, *hominem* vocare, necnon *filium*, aut aliis vocabulis, quæ *concreta* nominantur, afficere : pro quibus etiam interdum usurpat *abstracta*; idque aperte significat, ut in illo loco, qui primus in Ephesina synodo recitatus est, et paulo a nobis ante descriptus [1]; ubi descripsit, « beatam Virginem genuisse humanitatem, quæ est Filius. » Prorsus ergo illum ipsum, qui a Patre missus est, qui incarnatus est, qui propter Patrem vixisse se dicit, quem abstracto nomine *divinitatis* expressit, negavit esse Deum Nestorius; hoc est Christum Dominum. Et qui manducandum se præbuit, ac præbet quotidie, hunc non putavit esse Deum, sed merum hominem; qui nomine tenus homo dicatur, propter externam, et σχετικὴν, id est *moralem* conjunctionem, qua cum Deo sociatur.

V. Sic in alio loco, qui ex quaternione 16. Nestorii lectus est in Ephesina synodo idem, hæreticus pari artificio *abstracta* nomina et *concreta* promiscue capiens, naturas se solas separare indicat, cum subsistentes ipsos, Deum et hominem, disjungat : « (2) Propter gestantem, *ait*, eum qui gestatur veneror : propter latentem, eum qui apparet adoro. Deus ab eo, qui apparet, separari non potest. Propterea illius, qui non separatur, honorem non separo. Naturas separo, non adorationem. »

Hic vero mirifica est hominis astutia, et in librandis, temperandisque verbis, ne facile deprehendi possit, dolosa, et malitiosa cautio. Non enim naturas tantum *separat*, (quoquo tandem modo vox χωρίζειν intelligatur : de qua post agendum erit,) sed hominem ac Deum : quippe is qui apparet, et qui gestatur, non natura est ipsa, quæ per se, proprieque videri non potest; sed homo subsistens, adeo-

(1) Nest. in Eph. syn. pag. 278. E. Μνημονεύετε, ὅτι περὶ τῆς σαρκὸς τὸ λεγόμενον· καθὼς ἀπέστειλέ με ὁ ζῶν Πατὴρ, ἐμὲ τὸν φαινόμενον. Ἀλλ' ἐνίοτε παρερμηνεύω, ἀκούσωμεν ἐκ τῶν ἑξῆς. Καθῶς ἀπέστειλέ με ὁ ζῶν Πατὴρ, ἐκεῖνος λέγει τὴν θεότητα, ἐγὼ δὲ τὴν ἀνθρωπότητα. Ἴδωμεν τίς ὁ παρερμηνεύων, καθὼς ἀπέστειλέ με ὁ ζῶν Πατὴρ. Λέγει καὶ αἱρετικὸς ἐνταῦθα τὴν θεότητα· λέγει· ἀπέστειλέ μέ, φησι, τὸν Θεὸν Λόγον· καθὼς ἀπέστειλέ με ὁ ζῶν Πατὴρ, κατ' ἐκείνους, κἀγὼ ζῶ ὁ Θεὸς Λόγος διὰ τὸν Πατέρα· εἶτα τὸ μετὰ τοῦτο, καὶ ὁ τρώγων με κἀκεῖνος ζήσεται. Τίνα ἐσθίομεν, τὴν θεότητα, ἢ τὴν ἀνθρωπότητα ;

(2) Nestor. in Eph. syn. pag. 276. A. Διὰ τὸν φοροῦντα τὸν φορούμενον σέβω. Διὰ τὸν κεκρυμμένον προσκυνῶ τὸν φαινόμενον. Ἀχώριστος τοῦ φαινομένου Θεός. Διὰ τοῦτο τοῦ μὴ χωριζομένου τὴν τιμὴν οὐ χωρίζω. Χωρίζω τὰς φύσεις, ἀλλ' ἑνῶ τὴν προσκύνησιν.

[1] § 3.

que persona hominis. Deinde cum unum propter alium adorare ac venerari se dicat, hoc tacite significat, se eum per sese non adorare, qui propter alterum duntaxat colitur. Quod etiam alias aperte professus est, cum dixit, « (1) Bimestrem, ac trimestrem puerum non oportere dici Deum. » Est autem *bimestris*, ac *trimestris*, homo ipse, non natura hominis. Quare cum *bimestrem trimestremve*, et idcirco non adorandum, Nestorius reipsa separet a Deo, qui neque bimestris et est est, adorandus : perspicuum est Deum et hominem ab eodem esse disjunctos ; et Christum Dominum, qui bimestris, et aspectabilis fuit, vere non fuisse Deum, ex impuri capitis abominanda blasphemia. Et tamen ut solum naturarum discrimen putares ab illo constitui, naturas se χωρίζειν, id est *separare* dicit. Nam quod proxime ante dixerat, *separari non posse ab eo qui videtur, Deum ;* ejusdem est calliditatis et κρύψεως : quam subinde retegit quod sequitur, *honorem se minime separare*; in quo illud ostendit, honoris solius, et dignitatis consortio junctos ambos esse, nec a se mutuo separatos.

VI. Ex his, aliisque, quæ identidem postea ab eodem dicta Nestorio referam, ostendi potest, ambarum in Christo naturarum nexum, non φυσικὸν, et οὐσιώδη, id est substantivum, et verum, sed *moralem* duntaxat illum statuisse : adeoque non unum aliquid proprie dicta unitate inde esse factum, quod argumentis aliquot ita colligitur.

Primum Nestorius sola τιμῇ, et ἀξίᾳ, hoc est *honoris, dignitatisque communione*, necnon appellationis, junctas naturas unum aliquid, et ἀδιαίρετον, hoc est, *indivisum* facere docuit. Etenim in eo loco, qui ex libro Cyrilli secundo supra est allatus [1], Christum similiter Deum, ac Dei filium, et Christum, id est *unctum* vocari scribit, ut Moses deus Pharaonis ; Israel, Dei filius ; Cyrus, *unctus*, sive christus dicitur. « Ita, *inquit*, dicimus, Jesum Christum, et Deum, et Filium, etc. » Ex quo perspicuum est, Nestorium non putasse, B. Virginis filium revera Deum esse, ac Dei filium ; hoc est naturalem, et ex illius substantia genitum : sed sola honoris participatione, et voce tenus : quemadmodum Moses, ac ceteri, quorum exemplo usus ille est, non proprie vel dii censentur, vel Dei filii. Cujus propugnatores opinionis execratur Athanasius in epistola, quam ad Epictetum scripsit. « (2) Quidam adeo, *inquit*, temerarii fuerunt, ut dicerent, Christum, qui carne passus, et crucifixus est, non esse Dominum, et Salvatorem, et Deum, ac Patris filium. Aut quomodo Christiani volunt appellari, qui asserunt, in hominem sanctum, tanquam in unum quempiam e prophetis, venisse Verbum, et non hunc ipsum esse, qui de Maria corpus accepit ? »

Asterius certe Cappadox sophista [2], quod Christum scripsisset, δύναμιν Θεοῦ, id est *Dei virtutem* nominari, sicut *bruchus et eruca, et rubigo* appellantur a Propheta [3] *Dei virtus*, sive *fortitudo magna :* idcirco tanquam Arianus hæreticus omnium execratione rejectus, ac damnatus est. Cur non igitur eodem jure detestandus habeatur Nestorius, qui simili comparationis genere Christum dedecoravit, et in ordinem redegit ?

VII. Idem persuadet locus alter [4], ubi primum assumentem jubet vocari Deum : tum assumptum, nuncupari servum ; postea conjunctionis dignitatem adjici, qua fit ut communis sit amborum auctoritas : nec aliud unitionis istius effectum colligit, nisi ἑνότητα τῆς ἀξίας, id est *unitatem dignitatis*, qualis est inter præconem regis aliquid nomine pronuntiantem, et regem. Hanc solam dignitatis et appellationis unitatem negat divisionem admittere [5] : « (3) Non enim post assumptum hominem separatim vocari Filium, ne duos esse filios arbitremur. Sed quoniam cum illo conjunctus est (nempe homo susceptus) qui in principio erat Filius, et ipsi copulatus est, non potest, quod ad filiationis dignitatem attinet, divisionem ullam capere. Dixi, quod ad filie-

(1) In Eph. syn. pag. 265. Διμηναῖον, ἢ τριμηναῖον, μὴ δεῖν λέγεσθαι Θεόν.

(2) ATHAN. tom. 1. pag. 454. E. Τίνες ἄρα οὕτω τολμηροὶ γεγόνασιν, ὥστε εἰπεῖν τὸν Χριστὸν, τὸν σαρκὶ παθόντα, καὶ ἐσταυρωμένον, μὴ εἶναι Κύριον, καὶ Σωτῆρα, καὶ Θεὸν, καὶ Υἱὸν τοῦ Πατρὸς ; ἢ πῶς Χριστιανοὶ θέλουσιν ὀνομάζεσθαι, οἱ λέγοντες εἰς ἄνθρωπον ἅγιον, ὡς ἐπὶ ἕνα τῶν προφητῶν ἐληλυθέναι τὸν Λόγον, καὶ μὴ αὐτὸν γεγονέναι, λαβόντα ἐκ Μαρίας το σῶμα ;

(3) NESTOR. apud Cyr. lib. 1. cont. Nest. tom. 6. p. 47. Ἀλλ' ὢν πρὸ τούτου Υἱὸς, καὶ καλούμενος, μετὰ τὴν ἀνάληψιν οὐ δύναται καλεῖσθαι κεχωρισμένως Υἱὸς, ἵνα μὴ δύο υἱοὺς δογματίσωμεν. Ἀλλ' ἐπειδήπερ ἐκείνῳ συνῆπται τῷ ἐν ἀρχῇ ὄντι Υἱῷ τῷ πρὸς αὐτὸν συναφθέντι, οὐ δύναται κατὰ τὸ ἀξίωμα τῆς υἱότητος διαίρεσιν δέξασθαι. Κατὰ τὸ ἀξίωμα φημὶ τῆς υἱότητος, οὐ κατὰ τὰς φύσεις.

[1] § 3.— [2] Atha. l. de Decr. Syn. Nic. p. 416.— [3] Joel. 2. 25.

[4] Cyr. lib. 1. contra Nest. p. 44. A.— [5] Ib. D.

tatis dignitatem attinet, non autem ratione naturarum. »

Igitur quem reipsa divisum, ac sejunctum a Deo credidit Nestorius, sola communicatione dignitatis unum cum ipso, ac Deum, et Dei filium habendum censuit : atque hoc sensu θεοτόκον appellari passus est B. Virginem, « non quod Deum, sed quod hominem genuerit, Deo unitum, » ait Nestorianus apud Maxentium. Qui statim ex Catholici persona instat, et probat, non recte θεοτόκον illo sensu nominari : « quæ non Deum, sed hominem tantum genuerit. » Tum occurrente Nestoriano, « Unitione factum esse, ut is qui ex ea natus est, Deus appelletur, propter Deum, videlicet, cui uniri, unamque cum eo dignitatem, et auctoritatem habere promeruit; » respondet Catholicus [1] : « Appellatione ergo tantum, et dignitate, sive honore, non vere, et proprie beata Virgo est secundum vos theotocos, quæ non vere, et proprie genuit secundum carnem Deum Verbum, sed hominem, cui præstitutum est ab eo, cui uniri meruit, ut Deus dicatur, quod non est. »

Redeo ad Nestorium ipsum : cujus de hac solius dignationis unitate memorandus est apud Cyrillum locus in tertio libro, in quo *duplices se in Christo discernere naturas* ait. « (1) Sunt enim natura duplices, sed dignitate singulares. Siquidem naturarum auctoritas, propter conjunctionem, est una ; naturis in ordine suo perpetuo manentibus, dignitate vero conjuncta, ut dixi, in singularem auctoritatem. » Quæ verba significant, naturas esse duas, si naturam ipsam spectes, hoc est quidquid naturæ cuique est insitum, sed sola communicatione dignitatis et auctoritatis unitas et copulatas esse.

Ad eamdem solius dignitatis unitatem spectat, quod se hominem illum, qui assumptus est, « (2) adorare cum divinitate profitebatur, tanquam divinæ συνήγορον, id est ex æquo compotem auctoritatis. » Ita vocem hanc συνήγορον intellexisse Nestorium, postea suspicatur Cyrillus [2], ut idem sit quod ἰσηγόρος, cum alioqui *patronum*, ac *defensorem* significet.

VIII. Aliud argumentum sequitur ex Nestorii sententiis, in quibus illa Deum egisse, suscepisse, ac pertulisse negat, quæ ab Christo transacta, et tolerata sunt. (3) Ut cum genitum ex Maria virgine dici Deum, aut Verbum non patitur, sed tantum per illam transiisse; ut libro quinto notavimus [3]. Non enim Scripturas usquam significare, Deum esse genitum. Imo angelos, nobis utique sapientiores, non illum Deum vocare, qui in Ægyptum delatus est, sed parvulum. Solum itaque genitum fuisse docebat hominem; qui cum ex matris utero nascendo prodiit, cum eo παρῆλθεν, id est *transiit* Deus Verbum. Ita minime θεοτόκος, id est *Dei genitrix* Maria virgo dicenda est, sed χριστοτόκος, vel ἀνθρωποτόκος, hoc est *Christi*, vel *hominis genitrix*.

Ac ne dubium sit, quomodo Deum per Mariam transiisse, non tamen genitum, natumve esse, Nestorius existimaverit, verba illius animadvertenda sunt, quæ ab Cyrillo libro primo contra ipsum referuntur. (4) Ubi sanctum Joannem Baptistam ait ex utero materno repletum esse Spiritu sancto, ut angelus Zachariæ illius patri nuntiavit : ac sic habentem illum Spiritum sanctum a matre in lucem editum. At non ideo nominari Elizabetham πνευματοτόκον, id est *Spiritus sancti genitricem*. « Quod si, *inquit*, inter vos aliqui sint, qui hæc, tanquam nova, et inaudita mirentur, date veniam illorum inscitiæ. »

Cum autem hæc, et hujusmodi cetera palam in concione jactaret impius Nestorius [4], quidam e populo pius, et eruditus, hominis impudentiam, et blasphemiam non ferens, ausus est elatiori voce publice illum arguere, ac dicere, Verbum ipsum, quod erat ante secula, secundam subiisse generationem secundum carnem. Quo audito, ingens tumultus excita-

(1) NESTOR. apud Cyrill. lib. 3. pag. 90. E. Μέμνησθε δέ που πάντως, καὶ τὰ πολλάκις μοι πρὸς ὑμᾶς εἰρημένα, τὰς διπλᾶς πρὸς τὸν δεσπότην Χριστὸν διακρίνοντι φύσεις διπλαῖ μὲν γὰρ τῇ φύσει, τῇ δὲ ἀξίᾳ μοναδικαί· ἡ γὰρ τῶν φύσεων αὐθεντίᾳ, διὰ τὴν συνάφειαν, μίᾳ τῶν μὲν φύσεων ἐν τῇ οἰκείᾳ τάξει διὰ παντὸς μενουσῶν· τῆς δὲ ἀξίας συνημμένης, ὡς προεῖπον, εἰς αὐθεντίαν μοναδικήν.

(2) NESTOR. apud Cyr. lib. 2. pag. 52. C. Προσκυνῶ δὲ σὺν τῇ θεότητι τοῦτον, ὡς τῆς θείας συνήγορον αὐθεντίας.

(3) NESTOR. apud Cyrill. 1. cont. Nest. pag. 10. Οὐκ εἴρηταί μοι τὸ παρῆλθεν, ἀντὶ τοῦ ἐγεννήθη. Vide et pag. 12. et 17. et in ep. ad Acac. tom. 5. par. 2. pag. 114.

(4) NESTOR. lib. 1. Cyr. pag. 19. C. Ὁ μακάριος Ιωάννης ὁ Βαπτιστὴς προκηρύττεται παρὰ τῶν ἁγίων Ἀγγέλων, ὅτι πλησθήσεται τὸ βρέφος Πνεύματος ἁγίου ἔτι ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ. Καὶ Πνεῦμα ἅγιον ἔχων, οὕτως ὁ μακάριος βαπτιστὴς ἀπετίκτετο. Τί οὖν καλεῖς τὴν Ἐλισάβετ πνευματοτόκον; ἐνταῦθα τὸν νοῦν συνάγαγε. Κἂν τινες ὦσιν ἐν ἡμῖν πρὸς τὰ λεγόμενα ξενιζόμενοι, σύγγνωτε τῆς ἀπειρίας αὐτοῖς.

[1] Maxent. tom. 4. Bibl. 465. — [2] Lib. 2. contra Nest. p. 53. — [3] Lib. 5. cap. 19. § 7.

[4] Cyr. lib. 1. contra Nest. pag. 20. E. et 21. A.

tus est, aliis laudantibus, aliis indignantibus. Nestorius vero statim in illum invectus, ita dictum ejus coarguit: « (1) Quorum duæ sunt generationes, eorum necesse est duos esse filios. At Ecclesia unum novit filium, Dominum Jesum. »

IX. Hinc evidens est illum, quem B. Maria peperit, Deum esse non credidisse Nestorium; sed simplicem hominem: qui cum Deo conjunctus est non substantiva aliqua copulatione, qua unus idemque cum illo fieret, sed σχετικῇ, et quam *moralem* vocant: quemadmodum Joannes Baptista cum Spiritu sancto, et nos cum eodem, et cum Deo conjuncti sumus. Si enim Deum esse sentiret, non negaret eumdem esse genitum natumque Deum, nec θεοτόκον matrem illius vocare cunctatus esset. Hoc enim necessario consequens est, ejus, qui vere proprieque dictus est Deus, genitricem nominari θεοτόκον, id est *Dei genitricem*. Sicut ejus mater, qui revera homo est, ἀνθρωποτόκος, id est *hominis genitrix* habetur, et dicitur. Quippe generatio, ut et alia quævis actio, ab effecto, terminove, ut vocant, nomen, et essentiam accipit; ab actione vero, agens ipsum, qua agens est, appellatur, et definitur. Cum ergo Christus, adeoque hic homo, quem B. Virgo peperit, Deus sit, tum ipsa generatio, et partus, quo est in lucem editus, generatio est et partus Dei; tum quæ genuit, et peperit Dei genitrix, ac Deipara merito censenda est. Quod qui posterius negavit, et usurpari vetuit Nestorius, prius quoque negavit, ac sustulit, quantumvis affirmate Deum esse profiteretur Christum. Sic enim, qui actionem aliquam negat esse caloris efficientiam, procul dubio id quod effectum est, et productum calorem negat esse. Hinc summus ille theologus Gregorius Nazianzenus tam eum, qui θεοτόκον non existimat esse sanctissimam Virginem, quam qui generationem Christi γέννησιν Θεοῦ, id est Dei generationem vocare detrectat, a Deo separatum, et damnandum pronuntiat: ut in libro quinto memoravimus[1].

Sic de Christi perpessione, cruciatibus, ac morte judicavit Nestorius, eaque Deo imputari noluit: adeo ut illa Pauli apostoli verba[2], *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*, negaret ad Deum ac Verbum pertinere; sed ad hominem. In quo solitas artes, id est fucum, et fallaciam adhibuit ad illudendum; quod ejus imitatione in eodem propugnando fecit anonymus. Etenim in illo Apostoli loco initio ponitur, « (2) Dominum gloriæ non humanitatem vocari, sed divinitatem, » objici a Catholicis, quasi horum quispiam divinitatem ipsam eo nomine appellari diceret, aut hoc humanitati soli detraheret, et non potius utrumque Deum et hominem passum assereret. Sic ille *abstractis* vocibus pro *concretis* utentes Catholicos induxit; ut minus valida, et plausibilis illorum esset argumentatio. Sed utcumque Nestorii verba illa capiantur, quæ minus liquido concepta sunt, illud certo constat, sic ipsum interpretari Apostoli mentem, ut *Dominum gloriæ* vocatum esse velit *hominem ipsum*, qui solus crucifixus est, non autem *Deum Verbum*.

X. Pari licentia Catholicos incessens postea, et hæreticos nominans, ait « (3) ipsos divinitatis, et humanitatis naturam in unam commiscere substantiam, » ac statim interrogat, quis ille sit, qui ab Juda proditore traditus est: an divinitatis natura simul et hominis: ex quo κρᾶσις, id est *commistio naturarum, et confusio* sequatur. Quanquam subinde Θεὸν Λόγον, id est *Deum Verbum*, *minime comprehensum* ab Judæis esse dicit: ut appareat quantopere duo illa, ex quibus constabat Christus, separata, et divulsa putaverit.

Ita postea quod Petrus ad Judæos dixit[3], *Hunc Jesum Deus suscitavit,* non *Deum* intellexisse vult, « (4) Qui utique non est mortuus, sed suscitavit, » sed illum qui in oculos incurrebat, et in cruce suffixus est; qui Thomæ manibus attrectatus est; quippe dixit[4]: *Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere*. Addit et Thomam, cum exclamavit, *Dominus meus, et Deus meus*, « (5) non illum,

(1) Nestor. apud Cyr. lib. 1. pag. 21. B. Ὧν γὰρ δύο γεννήσεις, τούτων δύο υἱοί. Ἡ δὲ ἐκκλησία ἕνα οἶδεν τὸν Υἱὸν δεσπότην Χριστόν.

(2) Nestor. apud Cyr. lib. 3. cont. Nest. pag. 126. Ἰδοὺ Κύριον τῆς δοξης λέγει. Οὐ καλεῖ τὴν ἀνθρωπότητα, ἀλλὰ τὴν θεοτητα.

(3) Id. Nest. pag. 132. C. Ἡδέως ἂν ἐνταῦθα τῶν αἱρετικῶν ἐπυθόμην τῶν τὴν τῆς θεότητος, καὶ τῆς ἀνθρωπότητος φύσιν εἰς μίαν κατακιρνάντων οὐσίαν.

(4) Nestor. apud Cyr. ibid. pag. 128. Οὐκ ἀπέθανε Θεὸς, ἀλλ' ἀνέστησεν. Et mox: Τοῦτον τὸν ὁρώμενον ὄμμασι, τὸν ξύλῳ προσηλωθέντα, τὸν ταῖς τοῦ Θωμᾶ ψιλαφηθέντα χερσὶ, τὸν πρὸς αὐτὸν κεκραγόντα, ψηλάφησον, ὅτι Πνεῦμα σάρκα, καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει, καθὼς ἐμέ θεωρεῖτε ἔχοντα.

(5) Nestor. ibid. Οὐ τὸ ψηλαφηθὲν προσαγορεύων Θεόν Οὐδὲ γὰρ ψηλαφήσει θεότης εὑρίσκεται.

[1] Lib. 5. cap. 14. § 7. et cap. 15. § 10.

[2] 1. Cor. 2. 8. — [3] Act. 2. 24. — [4] Joan. 20.

quem contrectavit vocasse, Deum : non enim contrectatione Deus invenitur : » sed videlicet hominem solum. Ex iis, nisi plane cæcus, ac mente captus, nemo non intelligit, Nestorium arbitratum esse, hominem ac Deum in Christo ita disjunctos ac divisos fuisse, ut non inter se propria ulla, veraque unitione colligati essent ; qua fieret, ut unus ex ambabus naturis proprie, et οὐσιωδῶς existeret idem Deus et homo : cui quidem uni tribuerentur, et competerent diversa illa κατηγορήματα, id est *prædicata*, quæ de singulis naturis enuntiantur. Quid enim prohiberet, hunc ipsum, quem Judas tradidit, Deum traditum fateri; aut quem Thomas, aliique viderunt, et contrectarunt apostoli, visum et contrectatum Deum agnoscere, si Deum esse persuasum habuisset? Sic enim Joannes *vidisse se oculis, et perspexisse, et manibus contrectasse Verbum vitæ*, id est, *vivum* et *vitam ipsam* asserit [1]; de quo vide commentarium Œcumenii recte illa loca Joannis enarrantem.

Eadem ærugine vitiata sunt et ista Nestorii apud Cyrillum, ubi commemoratis Apostoli verbis his [2], *Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*, ita mox scribit : « (1) Num semen Abrahæ est divinitas? » quasi divinitatem ipsam, non autem Deum, Deique filium, assumpsisse semen Abrahæ, hoc est factum esse Abrahæ filium, Catholici crederent. Sed subinde transit ad *concreta*, ut vocant, nomina, et cum reliqua de Christo Apostoli verba subjecisset, velut ista [3], *Unde debuit per omnia fratribus similari;* hæc adnotat : « (2) Num divinitate similes aliquos sibi Deus Verbum habuit? » Maligna vox, et hæretica impietate suffusa. An enim Christi similitudo cum hominibus, vel germanitas, divinitate ipsa, et non potius humanæ naturæ communione metienda est? Quis autem ex eo non perspicit, Nestorium in Christo Deum ab homine, quod ad suppositum, et ὑπόστασιν spectat, abjunxisse penitus, ac separatim posuisse?

Sic et paulo post : « (3) Qui igitur passus est, ille est Pontifex misericors; porro patibile est templum, non Deus, vivificans id quod passum est. Semen est Abrahæ ille, qui *heri est, et hodie*, ut Paulus loquitur [4]; non qui dicit [5], *Priusquam Abraham fieret, ego sum.* Similis est fratribus per omnia ille, qui humanæ animæ, carnisque fraternitatem suscepit : non is qui dicit, *Qui vidit me, vidit et Patrem meum.* » Quæ profecto nunquam scriberet Nestorius, si ullo naturali, germanoque nexu devinctas inter se naturas arbitraretur, ut ex ambabus unus existeret.

Rursus [6] inde perspicua mens est hæretici illius, quod σάρκωσιν, id est *Incarnationem*, et ἐνανθρώπησιν, id est *inhumanationem*, quam in Symbolo Nicænum concilium posuit, sola *inhabitatione* circumscribit, qua hominem incoluit. Nam etsi ἐνοίκησιν, et *habitationem* in carne, vel homine, velut in templo, sancti Patres interdum ad Incarnationem explicandam adhibent, non tamen ea locutione contenti sunt, sed alia quædam insuper adjungunt, quibus non sola naturarum differentia, et potioris excellentia significetur, sed etiam arctissima inter ambas conjunctio, et ad unum quiddam per se, proprieque dictum, hoc est Christum, componendum inita sociatio. At idem etiam Nestorius [7] nominatim notare admonet, non dixisse Nicænos Patres *genitum de Spiritu sancto Christum ex B. Virgine*, sed *incarnatum*, quod nihil esse aliud asserit, quam incolentem, et habitantem.

Ad hæc Nestorius apud Cyrillum Catholicos irridet, qui quem Paulus nominat [8] *Apostolum*, et *Pontificem*, Deum Verbum interpretantur, inusitato quodam stupore, ac vecordia; cum potius homo sit intelligendus, « (4) quem et possessorem divinitatis [9] ex hominibus sumptum *ait*, ut pro hominibus constitueretur in iis, quæ sunt ad Deum. » Possessorem vocat divinitatis, quem hominem appellans, negat esse Deum. Itane Deum eumdem esse revera, ac bona fide credidit, qui esset homo : et non magis separatos ac divulsos a se invicem existimavit? Nam si persona unica sit amborum;

(1) NESTOR. ibid. lib. 3. Cyr. pag. 69. Μή σπέρμα τοῦ Ἀβραὰμ ἡ θεότης;

(2) CYRILL. ibid. Μὴ τῇ θεότητι τινὰς ὁ Θεὸς Λόγος ἔχεν ἀδελφοὺς ἐοικότας;

(3) Ibid. pag. 69. C. Οὐκοῦν ὁ παθὼν ἀρχιερεὺς ἐλεήμων, παθητὸς δὲ ὁ ναὸς, οὐχ ὁ ζωοποιὸς τοῦ πεπονθότος Θεός. Σπέρμα Ἀβραὰμ ὁ χθὲς καὶ σήμερον, κατὰ τὴν τοῦ Παύλου φωνὴν, οὐχ ὁ λέγων πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι ἐγὼ εἰμι. Ὅμοιος τοῖς ἀδελφοῖς κατὰ πάντα, ὁ ψυχῆς ἀνθρωπίνης καὶ σαρκὸς ἀναλαβὼν ἀδελφότητα· καὶ οὐχ ὁ λέγων, ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ, ἑώρακε τὸν Πατέρα.

(4) CYRILL. lib. 3. pag. 64. cont. Nestor. Ὁ θεότητος κτήτωρ ἐξ ἀνθρώπων ληφθεὶς, ὑπὲρ ἀνθρώπων καθίσταται τὰ πρὸς τὸν Θεὸν.

[1] 1. Joan. 1. — [2] Heb. 2. 16. — [3] Heb. 2. 17. — [4] Heb. 13. — [5] Joan. 8. — [6] Nest. apud Cyr. 1. contra Nest. p. 22. et in epist. ad Acac. tom. 5. par. 2. p. 116.

[7] Lib. 3. contra Nest. Cyr. p. 22. — [8] Heb. 3. — [9] Heb. 5. 1.

quæ singulis competunt, aut quoquo modo accidunt, ex quibus persona ipsa coalescit, ea tribuuntur uni, isque illa transfert in se, ac de se in solidum usurpat.

Hinc igitur constat ita Deum in Christo cum homine conjunctum existimasse Nestorium, uti possessor cum re possessa, habitator cum domo, bajulus cum onere, homo cum veste copulatus est. Ex quo illæ voces eruperunt [1] : « Propter portantem, eum qui portatur veneror, » ut θεοφόρον, id est *Deiferum* potius, quam Deum, esse Christum putaret : quod refert Cyrillus [2].

XII. Sed præ omnibus argumentis illud est, in quo maxime pius videri volebat, et quod adversus Cyrillum aliosque Catholicos intentabat, quod Deum ipsum, ac Verbum dici genitum ex fœmina, impium, absurdumque diceret; solumque id hominem capere, vel carnem putaret. Nam qui ita sentit ac loquitur, non potest abire, quin duo quædam a se non distincta solum, sed etiam separata, nulloque substantivo copulata nexu inter se constituat : ut in epistola ad Acacium Cyrillus disputat. « (1) Qui hæc dicit (inquit, nempe B. Virginem esse *Christi*, non *Dei genitricem*) in duos filios partitur unum : et alterum quidem privatim asserit esse Filium, et Christum, et Dominum, illud nempe, quod a Patre genitum est, Verbum : alterum vero, rursus seorsim, et privatim Filium et Christum, et Dominum : qui ex Maria virgine natus est. » Quare quidquid ad mitigandam invidiam, et ad dissimulandam hæresim obtendebat Nestorius, hoc uno tenebatur, quod ex Maria genitum Deum negaret, quando Christus homo genitus est. Hinc enim profecto necessario sequitur, duos esse diversos, ac divisos a se invicem genitos et filios : nec solum naturas, sed personas, et hypostases separatas; nisi quod utcumque inter se junguntur « secundum relationem dignitatis, vel auctoritatem personæ, vel gratiæ nuncupationem, » ut Facundus scribit ex Nestorianorum usitato sermone [3].

Etenim, ut bene Theorianus observat in legatione ad Armenos, « (2) Non ideo pro hæretico damnatus est Nestorius, quod naturas duas esse contenderet; sed quod easdem illas duas a se invicem separatas poneret, divinam privatim, ac seorsim ; et privatim, ac seorsim humanam. Unde et duos filios, ac duos Christos fanaticus ille constituebat : alium filium ex Deo Patre, et alium, qui ex Virgine natus est, inepte adstruens. Ob id etiam sanctam Virginem Dei genitricem appellare nolebat. » Hinc merito Cyrillus in commonitorio ad Eulogium [4], eo reprehendendum ait esse Nestorium, non quia naturas duas esse dicebat, sed quia ἕνωσιν, id est unitionem tollebat, veram scilicet, et naturalem, quæ unum proprie, ac per se Filium, et Christum, unamque personam efficit. Vide quæ ex Nestorio, et hujus hæresi afflatis testimonia collecta sunt in Lateranensi synodo sub Martino primo, consultatione quinta [5] : in quibus Nestoriana ἕνωσις describitur.

(1) CYRILL. tom. 5. par. 2. in ep. ad Acac. p. 114. B. Ὅτι δὲ ταῦτα λέγων, εἰς υἱοὺς δύο μερίζει τὸν ἕνα, καὶ ἕτερον μεν ἰδικῶς εἶναί φησιν Υἱὸν, καὶ Χριστὸν, καὶ Κύριον, τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς γεννηθέντα Λόγον· ἕτερον δὲ πάλιν ἀνὰ μέρος τε, καὶ ἰδικῶς Υἱὸν, καὶ Χριστὸν, καὶ Κύριον, τὸν ἐκ τῆς ἁγίας Παρθένου.

(2) THEOR. tom. 11. bib. pag. 463. Ὅτι Νεστόριος οὐ διὰ τὸ λέγειν δύο φύσεις καθῃρέθη, etc. ἀλλὰ διὰ τὸ λέγειν δύο φύσεις ἀλληλων κεχωρισμένας, ἰδίᾳ, καὶ ἀνὰ μερος τὴν θείαν, καὶ ἰδίᾳ καὶ ἀνὰ μέρος τὴν ἀνθρωπίνην. Διὸ καὶ δύο υἱοὺς, καὶ δύο Χριστοὺς ὁ ἐμβρόντητος ἐδογμάτιζεν, ἄλλον Υἱὸν τὸν ἐκ Θεοῦ, καὶ Πατρὸς, καὶ ἄλλον τὸν ἐκ τῆς παρθένου παραληρῶν. Διὰ τοῦτο καὶ θεοτόκον τὴν ἁγίαν Παρθένον καλεῖν οὐκ ἠβούλετο.

[1] Sup. § 5. — [2] Lib. 1. contra Nest. p. 10. — [3] Lib. 9. c. 2. pag. 372.

[4] Cyrill. tom. 5. par. 2. pag. 132. — [5] Lateranens. Syn. Tom. 4. Concil. pag. 725.

CAPUT SEXTUM.

Cyrillus ab Apollinaristarum hæresis suspicione purgatur. — 1. Quod judicium esse debeat de scriptorum sententia. — 2. Cyrillum naturas duas in Christo distinctas agnovisse : tum easdem sic unitas, ut non tamen unam compositam faciant. — 3. Quæ duo variis ex illius locis, et sententiis approbantur. — 8. Colliguntur argumenta tria ex dictis Cyrilli; quibus demonstratur, recte ipsum, et catholice de Incarnatione sensisse.

I. De Nestorio, ejusque hæresi, ob quam jure damnatus est, satis dixi ; nunc de Cyrillo, quod erat alterum caput, explicanda sunt ea, ex quibus constet, nulla re ab catholica illum fide discrepasse; nec affinem fuisse Apollinaristarum, et Eutychianorum hæresi ; quod ei crimem falso, et per calumniam impingit anonymus.

Sed ante omnia vehementer hoc in lectorum animis defixum esse cupio, quod non tantum ad insequentem pro Cyrillo, et contra Nestorium disputationem, sed etiam ubique valere debet : cum de auctoris, vel operis cujuspiam statu dijudicando agitur; non ex una, alterave hinc inde collecta sententia, ac ne ex verbis quidem solis de eo ferendum esse judicium : sed ex perpetua, et continenti oratione : tum vero ex mente, ac proposito scriptoris, quod per universi operis corpus tanquam succus quidam vitalis diffunditur. Cujus rei prudenter Ambrosius in epistola 63. [1] Sabinum admonet, ad quem libros suos recensendos, et emendandos miserat : « Quoniam, *inquit*, non in sermone est regnum Dei, sed in virtute[2], verbum si offendero, virtutem professionis interrogato. » Tum, exposita fidei sana, et catholica professione, ista subjungit : « Nostra sententia hujusmodi est, ut meministi. Si verba alicubi movent, non præjudicant fidei. Etenim sermonem dubium mens non dubia obumbrat, et defendit a lapsu. » Sic Eulogius Alexandrinus pluribus istud ipsum commendat, ut perinde in tractandis sanctorum Patrum operibus, atque in sacris litteris, non ad paucas utrobique periochas respectum habeamus ; sed complures in se comparemus, quarum aliæ sunt aliarum interpretes. « (1) Quemadmodum autem minime oporteat, *inquit*, ex nonnullis fragmentis, et abscissis sententiis, de scriptoris pietate sententiam ferre, adeo splendido emisso radio veritas ipsa demonstrat, ut et ipsum Severum quantumvis in istis cæcutientem ad illud intelligendum adduxerit. Scribit enim ad Julianum Halicarnassensem ad hunc modum : Oportet igitur sanctorum, qui certis temporibus Ecclesiæ doctores extiterunt, doctrinam integre perlegere : et non ex parte illorum proferre sententias, indeque de tota eorum mente non sine periculo conjecturam facere. Atque hoc in apostolicis, et evangelicis quoque libris, et in universa sacra Scriptura facere convenit : quandoquidem ex uno aliquo dicto, sive epistola, vel lucubratione, tota scriptoris pietas ostendi non potest. » Sic illaudati hominis laude dignam sententiam valde commendat Eulogius : cui nec ipsum tamen obtemperasse Severum, ejusque discipulos queritur : qui Leonis epistolam ex quibusdam decisis indidem particulis, et falsa interpretatione corruptis, calumniari, et infamare studebant. « Quocirca non adspiciamus (ut Facundi verbis [3] utar) in furtivas sententiarum particulas, quas ideo præcidunt hæretici, ut in eis non appareat dicentis intentio. »

II. Hæc pro antiquis Ecclesiæ Patribus, imprimisque Cyrillo Alexandrino, contra horum accusatorem anonymum disputaturus, præfari necesse habui : ne quem fraus istius lateret, qui, paucis ex illorum operibus decerptis, ac decurtatis sententiolis, impiæ, ac detestandæ

(1) Eulog. apud. Phot. cod. 215. Ὅτι δὲ οὐ χρὴ διά τινων σπαραγμάτων, καὶ περικομμάτων τὴν τοῦ συγγραφέως κρίνειν εὐσέβειαν, οὕτω λαμπρὰν ἀφίησι τὴν ἀκτῖνα ἡ ἀλήθεια, ὡς καὶ Σευῆρον αὐτὸν, καί τοι περὶ ταῦτα τυφλώττοντα, ὅμως πεῖσας τοῦτο συνιδεῖν. Γράφει γὰρ πρὸς Ἰουλιανὸν τὸν Ἀλικαρνασσοῦ. Δεῖ τοίνυν τὰς τῶν ὁσίων κατὰ καιροὺς τῆς ἁγιωτάτης ἐκκλησίας μυσταγωγῶν διδασκαλίας ἐντελῶς ἀναγινώσκειν, καὶ μὴ ἑκατέρους τὰ ἐκείνων προφέρειν, καὶ τῆς ὅλης αὐτῶν διανοίας ἐπικινδύνως καταστοχάζεσθαι. Τοῦτο δὲ καὶ ἐπὶ τῶν Ἀποστολικῶν, καὶ εὐαγγελικῶν συγγραμμάτων, καὶ ἐπὶ πάσης τῆς θεοπνεύστου Γραφῆς προσήκει ποιεῖν. Ἐπεὶ μηδὲ ἐκ μίας ῥήσεως, ἤγουν ἐπιστολῆς, ἢ συντάγματος ἐστὶ παραστῆσαι τὴν ὅλην τοῦ συγγραφέως εὐσέβειαν.

[1] Tom. 5. ol. 329. A. — [2] 1. Cor. 4.

[3] Fac. l. 9. pag. 383.

ipsos hæresis sine ullo pudore damnavit. De quibus antequam dico, et eas temere, ac falso in invidiam adductas esse palam facio ; ex illius præscripto regulæ, quam proxime supra memoravi, Cyrillum præ ceteris, cui præcipue bellum anonymus indixit, omnino catholicum, et ab Monophysitarum alienissimum hæresi fuisse, certis convincam rationibus ; quas ex plenis illius disputationibus, et perpetuis ac continentibus sententiis quanta potero brevitate conficiam. Harum porro sententiarum duo possunt ac debent esse capita, ad quæ controversiæ totius summa revocatur. Primum erit, ut Cyrillum doceam duas in Christo naturas reipsa differentes asseverasse, non tamen a se mutuo divisas. Alterum, naturarum istarum ἕνωσιν, id est *unitionem*, talem ab eo constitutam esse, quæ nec eas inter se permisceret, nec unam ex ambabus compositam faceret. Est autem diligenter observandum, præque oculis habendum discrimen istarum vocum duarum, διαφορᾶς, et διαιρέσεως, hoc est *differentiæ*, ac *divisionis*. Nam naturas Christi duas differentes esse, non tamen divisas et distractas a se invicem, catholicum dogma defendit. De hac vero distinctione multa in quarto libro, capite tertio, et sequentibus diximus, quæ illinc repetenda censeo ; ut cum fructu tota hujus libri disputatio legatur, et ad eorum qui legent intelligentiam adhærescat.

III. Cyrillus in primo libro adversus Nestorium, hujus impietatem arguens, qui *Dei genitricem* appellari B. Virginem nolebat, quod ea minime divinitatem genuisset, longa oratione contendit, etsi divinitas ipsa ortum ex Maria non acceperit, ita ut existendi ab ea initium faceret, Deum tamen Verbum, qui ante secula omnia natus est ex æterno Patre, novissimis temporibus secundum carnem esse genitum. « (1) Cum enim proprium sit corpus ipsius, quod in matris utero formatum est, prorsus ejus sibi vindicasse, propriamque fecisse generationem. » Siquidem « (2) Deus est revera Christus, et unus, ac solus Dei et Patris, non divisus in hominem seorsim, et similiter in Deum : sed idem existens, et ex Deo Patre Verbum, et ex muliere homo nostri similis, cum eo tamen ut Deus maneat. » Quibus in verbis utrumque declaratur : tum naturas in Christo differentes inesse, nec tamen divisas, ac separatas : tum ex duabus unam non existere compositam, uti ex anima et corpore fit homo. Nam et manere naturas duas asserit, quæ utrique generationi respondent ; et eumdem Christum non minus Deum esse, appellarique, quam hominem. Quod nec esset omnino, nec diceretur, si una constaret ex duabus composita natura et essentia, velut partibus. Siquidem totum ab unaquaque parte reipsa differt, et essentia, nec ambo inter se nomine, ac definitione congruunt. Non enim homo est anima, nec animæ definitio homini tribuitur, uti nec appellatio *in recto*, ut vocant, casu, sed obliquo duntaxat, aut ab recto deflexo aliquo vocabulo : ut si *animam habens*, aut *animatus* homo dicatur. At Christus non Deum habens solum, aut divinus, sed Deus etiam recte proprieque nominatur.

Rursus in secundo libro Nestorium ita compellat : « (3) Ergo unum confitere, naturas non dividens : sed ita ut scias interim, ac sentias, aliam esse carnis rationem, aliam divinitatis soli ipsi convenientem. Non enim carnem ipsam Verbi divinitatem esse factam dicimus ; sed divinam potius, tanquam ipsius propriam. » Manifeste naturas a se invicem duas distinctas, sed non divisas esse perhibet, ac sine confusione, vinctas in unius compositionem hypostasis, et personæ. Hoc enim significat vocabulum ὁ εἷς, id est *unus*. Deinde passim et iis in libris, quos contra Nestorium edidit, et in aliis omnibus lucubrationibus suis unum esse Christum ac Dei filium prædicat Cyrillus, qui sit utrumque, Deus et homo, hoc est id quod assumpsit, et id quod est assumptum, sive duo illa ex quibus componitur. Hoc autem nullo modo convenit in unum aliquem, cujus tertia quædam natura sit, ex duabus illis, unde constat, et componitur, velut partibus, conflata. De quo vide quæ in tertio libro multis capitibus [1] exposui, et in sequentibus uberius explicabitur.

(1) CYRILL. 1. cont. Nestor. pag. 9. B. Εἰ γὰρ ἴδιον αὐτοῦ τὸ σῶμα νοεῖται, πῶς οὐ πάντη τε, καὶ πάντως τὴν τοῦ ἰδίου σώματος γέννησιν οἰκειώσεται ;

(2) Ibid. Ὅτι Θεὸς ἀληθῶς ἐστιν ὁ Χριστὸς, εἷς τε, καὶ μόνος ὢν τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς, οὐ διῃρημένος εἰς ἄνθρωπον ἰδικῶς, καὶ ὁμοίως εἰς Θεὸν, ἀλλ' ὁ αὐτὸς ὑπάρχων καὶ ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγος, καὶ ἐκ γυναικὸς ἄνθρωπος καθ' ἡμᾶς μετὰ τοῦ μεῖναι Θεός.

(3) CYRILL. 2. con. Nestor. pag. 51. Οὐκοῦν ὁμολόγησον ἕνα, μὴ διαιρῶν τὰς φύσεις μετὰ τοῦ εἰδέναι, καὶ φρονεῖν, ὅτι σαρκὸς μὲν, ἕτερος ὁ Λόγος, θεότητος δὲ πάλιν, ὁ αὐτῇ, καὶ μόνῃ πρέπων. Ἥκιστα μὲν γὰρ θεότητα γενέσθαι φαμὲν τοῦ Λόγου τὴν σάρκα· θείαν δὲ μᾶλλον, ὡς ἰδίαν αὐτοῦ.

[1] Cap. 9. 10. 11.

IV. Idipsum luculentissime testatur, ac Cyrilli mentem exprimit locus unus, qui est in dialogo de incarnatione Unigeniti. « (1) Affirmamus, *inquit*, conventionem quamdam, et concursum ratione omni præstantiorem in unitionem esse factum, inæqualium dissimiliumque naturarum. Ac nihilominus unum Christum, et Dominum, ac Filium agnoscimus, qui idem simul et est, et intelligitur Deus et homo. » Ac ne cetera describam ; pergit in sequentibus docere, indivulsam esse ambarum naturarum unitionem ; ex qua unus existit, et creditur *unigenitus*, simul et *primogenitus :* unigenitus quidem, eo quod sit Verbum ex Deo Patre, et ejus substantia procedens : primogenitus vero, quatenus homo factus est, et in multis fratribus. Quæ omnia in eum sensum conspirant, ut unus quidem sit Christus, sed non una Christi natura, neque simplex, neque composita.

Sic in anathematismo quarto statuit, uni eidemque Christo competere voces illas diversas, ac pæne contrarias, quæ in Scripturis de illo prædicantur : quarum primariæ sunt illæ, quæ ambas naturas proprie significant, ut sunt Deus, sive Dei filius, ac Verbum, et homo, vel hominis filius, ac similes aliæ : quas negat in personas, vel hypostases duas esse partiendas. Cujus rationem in ἐπιλύσει, hoc est *Expositione*, et in *Defensione* utraque contra Andream, sive Orientales, et Theodoretum ex eo repetit, quod unus et idem, sine ulla hypostaseon differentia, sit Deus, et homo. Atque in illa contra Orientales apologia horum sententiam approbat ; atque iisdem verbis usurpat, quæ illud expresse declarant. « (2) Indivisibilis enim, et inseparabilis est, *inquit*, summa unitio : et unus Filius secundum omnem rationem, et modum, et cogitationem est. Itaque summa unitione servata, et uno Filio, atque Christo, Dominoque pro confesso habito, de uno et eodem Filio quæ dicuntur accipienda sunt. »

V. Eximium et illud est ex epistola Cyrilli ad Nestorium, quæ una est ex iis, quas Chalcedonensis, ac reliquæ deinceps œcumenicæ synodi nominatim approbarunt ; ubi sic scribit : « (3) Differentes, *inquit*, sunt, quæ in veram unitatem coactæ sunt naturæ : sed unus ex ambabus Christus, et Filius existit, non quod naturarum differentia unitione sublata sit : sed quod unum nobis Dominum Jesum Christum, et Filium, divinitas et humanitas effecerint, per inexplicabilem, et arcanum in unitatem excursum. Atque ita, tametsi ante secula extantiam habeat, et ex Patre sit genitus, dicitur etiam ex muliere secundum carnem genitus. » Quæ verba, et his similia, quæ identidem inculcantur a Cyrillo, et a nobis in quinto libro accurate sunt expensa, cum et duplicem Verbi generationem, et Dei genitricem B. Virginem adstruximus : hujusmodi, inquam, de duabus naturis, et Christo ab Cyrillo dicta demonstrant non eum naturam ex duabus unam asseverasse compositam. Nam si ita sensisset, nunquam eumdem, unumque Dei filium, ac Verbum, et ante secula genitum a Patre, et in tempore genitum ex matre dixisset. Non enim, quoniam a solo Deo creatur ex nihilo rationalis anima, eodem momento, quo homo a parentibus gignitur, eumdem hominis filium dixeris et a Deo solo proxime, ac sine medio aliquo creatum ex nihilo, et a patre matreque genitum. Etenim quæ partium naturam aliquam componentium propria sunt, de natura ipsa composita minime in recto, ut loqui solent, prædicantur. Sic nemo spiritum esse, et corporis expertem simpliciter hominem affirmet, quod tali sui parte, id es anima constat ; cum tota pro indiviso ex utroque, corpore et anima, illius essentia constituta sit. Sed neque partis nomen alteri parti tribuitur, ubi ex duabus una fit natura composita. Non enim vel caro de anima, vel anima de carne prædicatur. At vero et Deus homo, et homo vere proprieque dicitur Deus, quod in libro tertio jam ostendimus [1].

VI. Memorabile est etiam quod in tertio

(1) Cyrill. tom. 5. par. 1. pag. 688. D. Διϊσχυριζόμεθα δὲ σύνοδον μέν τινα, καὶ τὴν ὑπὲρ λόγον συνδρομὴν εἰς ἕνωσιν, ἀνίσων τε, καὶ ἀνομοίων πεπράχθαι φύσεων. Ἕνα δ' οὖν ὅμως Χριστὸν, καὶ Κύριον, καὶ Υἱὸν ἐπιγινώσκομεν ἐν ταυτῷ καὶ ὑπαρχόντα, καὶ νοούμενον Θεόν τε, καὶ ἄνθρωπον.

(2) Cyr. ad anath. 4. cont. orient. pag. 170. C. Ἀδιαίρετος γὰρ, καὶ ἀχώριστος ἡ ἄκρα ἕνωσις. Καὶ ὁ εἷς Υἱὸς κατὰ πάντα καὶ λόγον, καὶ τρόπον, καὶ ἔννοιάν ἐστι· τῆς δὲ ἄκρας ἑνώσεως φυλαττομένης, καὶ τοῦ ἑνὸς Υἱοῦ, καὶ Χριστοῦ, καὶ Κυρίου ὁμολογουμένου, περὶ τὸν ἕνα, καὶ τὸν αὐτὸν Υἱὸν ἐκλαβέσθαι χρὴ τὰ λεγόμενα. Vide ep. 2. ad Succ. p. 149. et ad Acac. et defens. anathem. 8. contra orient. p. 179.

(3) Cyrill. ep. 4. ad Nestor. pag. 23. B. Ὅτι διάφοροι μὲν αἱ πρὸς ἑνότητα τὴν ἀληθινὴν συναχθεῖσαι φύσεις· εἷς δὲ ἐξ ἀμφοτέρων Χριστὸς, καὶ Υἱός. Οὐχ ὡς τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης διὰ τὴν ἕνωσιν· ἀποτελεσασῶν δὲ μᾶλλον ἡμῖν τὸν ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστόν καὶ Υἱὸν, θεότητός τε, καὶ ἀνθρωπότητος, διὰ τῆς ἀφράστου, καὶ ἀποῤῥήτου πρὸς ἑνότητα συνδρομῆς· οὕτω τε λέγεται, καί τοι παρ' αἰώνων ἔχων τὴν ὕπαρξιν, καὶ γεννηθεὶς ἐκ Πατρὸς, γεννηθῆναι καὶ κατὰ σάρκα ἐκ γυναικός.

[1] Cap. 9.

contra Nestorium libro Cyrillus idem scribit. Cum enim Nestorius duas in Christo naturas inesse dixisset, si naturæ ipsius rationem habeas; sin autem dignitatem spectes, esse singulares, id est unum aliquid et singulare: quæ verba Nestorii capite antecedente citavimus [1]; ad ea Cyrillus primum contendit « (1) unum esse Dominum Jesum Christum: nec separatim ponendum eum: qui ex semine Abrahami ortus est, et eum, qui ex Deo est Patre Verbum. » Deinde ita pergit: « Altera quippe res est divinitas: altera, nostræ similis humanitas: si eam, quæ naturis inest, rationem consideres; verum conventione, quæ in veram unitionem fit, unus ex ambobus Christus existit. »

In epistola vero ad Joannem Antiochenum, fidem suam uberius, accuratiusque declarans Cyrillus, « (2) Deum *ait* immutabilem, et qui alter fieri non potest, natura sua, factum hominis filium, unum deinceps intelligi cum carne propria, et e cœlo dici descendisse: sed et hominem appellari de cœlo; qui perfectus in divinitate, et idem in humanitate sit perfectus, et in una intelligatur esse persona. Unus est enim Dominus Jesus Christus, tametsi non sit ignota naturarum differentia, ex quibus arcanam unitionem factam esse dicimus. » Hæc Cyrillus in ea epistola, quæ in Chalcedonensi synodo præsertim approbata est, in fidei regulam ascita; et quoniam ab Orientalibus recepta est, ac velut conciliatrix quædam fuit pacis, et concordiæ, tanto majorem auctoritatem habet, et ex ea mens Cyrilli plenius, certiusque dignoscitur. In illa porro naturas duas integras, et perfectas sine ulla mutatione perseverare docet, et in unam cogi copularique personam, non utique naturam. Alioqui perfecta saltem humana esse non posset: quoniam ex perfectis et absolutis duobus unum per se, et proprie dictum non potest existere, ut jam diximus [2].

VII. Eodem refertur, quod in epistola ad Acacium Melitenensem episcopum scribens tum eumdem, unumque Christum ait esse perfectum divinitate, et humanitate; tum consubstantialem Patri secundum priorem; matri, secundum posteriorem naturam: nec in duos dividi unum Filium, et Christum, et Dominum Jesum. « (3) Porro non posse intelligi consubstantialem nobis secundum humanitatem, maxime cum ex Patre sit genitus secundum divinitatem, nisi intelligatur, et dicatur idem ipse Deus simul et homo. » Vide cetera ejusdem epistolæ, quæ alibi jam allata sunt.

Sic in commonitorio ad Eulogium, « (4) Nestorium *ait* recte quidem duas naturas constituere, et differentiam significare carnis, ac Dei Verbi: est enim diversa Verbi, carnisque natura: sed in eo peccare, quod naturarum unitionem non fatetur nobiscum. » Idem et in epistola ad Valerianum tradidit [3], et in duabus ac Successum epistolis, maxime in secunda [4]. Tum in Paschali homilia octava: ubi « (5) indivulsa, et indivisa unitate arcanæ copulationis adstrictum Verbum *ait*, unum et ante, et cum suscepta carne prædicari in Scriptura Christum. » Quo fit ut idem et descendisse de cœlo, et in cœlum, ubi prius erat, rediisse dicatur. « (6) Quod enim inest ipsi natura, propriæ carni attribuit: ut qui non sit alter, et diversus ab ipsa, quantum attinet ad unitatem ex œconomia factam. Neque tamen dum sic unitione summa conjungimus quæ natura

(1) Cyr. 3. contra Nestor. pag. 91. A. Ἕνα λεγούσῃ (τῇ γραφῇ) Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ οὐκ ἀνὰ μέρος τιθείσῃ τὸν ἐκ σπέρματος Ἀβραάμ, καὶ τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγον. Καὶ πρός γε δὲ τούτοις κἀκεῖνο διανοεῖσθαι χρή. Ἕτερον μὲν γάρ τι χρῆμα, θεότης, ἕτερον δὲ ἡ καθ' ἡμᾶς ἀνθρωπότης, κατά γε τὸν ἐνόντα ταῖς φύσεσι λόγον, συμβάσει δὲ τῇ καθ' ἕνωσιν ἀληθῆ εἷς ἐξ ἀμφοῖν ὁ Χριστός· καθὰ πλειστάκις εἰρήκαμεν.

(2) Idem in epist. ad Joan. tom. 5. par. 2. p. 107. D. Καὶ κεχρημάτικεν Υἱὸς ἀνθρώπου, μετὰ τοῦ μεῖναι, ὃ ἦν, τοῦτ' ἔστι Θεός· ἄτρεπτος γὰρ, καὶ ἀναλλοίωτος κατὰ φύσιν ἐστίν· ὡς εἷς ἤδη νοούμενος μετὰ τῆς ἰδίας σαρκὸς, ἐξ οὐρανοῦ λέγεται κατελθεῖν. Ὠνόμασται δὲ καὶ ἄνθρωπος ἐξ οὐρανοῦ, τέλειος ὢν ἐν θεότητι, καὶ τέλειος ὁ αὐτὸς ἐν ἀνθρωπότητι, καὶ ὡς ἐν ἑνὶ προσώπῳ νοούμενος. Εἷς γὰρ Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, κἂν ἡ τῶν φύσεων μὴ ἀγνοῆται διαφορὰ, ἐξ ὧν τὴν ἀπόῤῥητον ἕνωσιν πεπρᾶχθαι φαμέν.

(3) Idem pag. 114. E. Πῶς γὰρ ἂν νοοῖτο πρὸς ἡμᾶς ὁμοούσιος εἶναι κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, καί τοι γεννηθεὶς ἐκ Πατρὸς κατά γε, φημὶ, τὴν θεότητα, εἰ μὴ νοοῖτο, καὶ λέγοιτο Θεός τε ὁμοῦ, καὶ ἄνθρωπος ὁ αὐτός; Vide et pag. 116. C. D.

(4) Cyrill. ibid. pag. 133. A. Οὕτω καὶ ἐπὶ Νεστορίου· κἂν λέγῃ δύο φύσεις, τὴν διαφορὰν σημαίνων τῆς σαρκὸς, καὶ τοῦ Θεοῦ Λόγου· ἑτέρα γὰρ ἡ τοῦ Λόγου φύσις, καὶ ἑτέρα ἡ τῆς σαρκός· οὐκέτι τὴν ἕνωσιν ὁμολογεῖ μεθ' ἡμῶν.

(5) Cyrill. pasch. 8. pag. 102. C. Ὁρᾷς οὖν ὅπως ἀδιαστάτῳ τε, καὶ ἀδιορίστῳ περισφίγξας ἑνότητι τῆς ἀποῤῥήτου συνόδου τὸν Λόγον, ἕνα καὶ πρὸ σαρκὸς, καὶ μετὰ σαρκὸς παρ' ἡμῶν ὁμολογεῖσθαι βούλεται Χριστόν;

(6) Ibid. Τὸ γὰρ ἐνόν αὐτῷ κατὰ φύσιν, τῇ ἰδίᾳ σαρκὶ περιτίθησιν, ὡς οὐκ ὢν ἕτερος παρ' αὐτὴν, ὅσον εἰς ἑνότητα τὴν ἐκ τῆς οἰκονομίας. Καὶ οὐκ ἀναιρήσομεν διὰ τὸ εἰς ἄκρον ἑνοῦν τὰ ἀνόμοια κατὰ τὴν φύσιν, τὸ ὑπάρχειν μέν τοι κατὰ ἴδιον λόγον το ἀπαύγασμα τοῦ Πατρὸς· ἕτερον δὲ πάλιν τὸ ἀπὸ γῆς σαρκίον, ἤτοι τελείως τὸν ἄνθρωπον. Ἀλλὰ καὶ οὕτω ταῦτα διεγνωκότες, καὶ μόναις διελόντες ταῖς ἐννοίαις τὸν ἐφ' ἑκάστῳ λόγον, ἀδιαστάτῳ πάλιν ἑνότητι περισφίγξομεν.

[1] § 7. — [2] Vide l. 3 c. 10. et l. 5. c. 11.

[3] Ibid. pag. 160. — [4] Pag. 144.

sunt dissimilia, illud auferemus, ut et propria ratione splendor Patris existat, et rursus diversa caro sit orta de terra, id est, homo perfectus. Verum cum hæc ita se habere statuerimus, ac sola animi notione singulas istas rationes separaverimus, indivisa rursus unitione constringemus. » Non potuit evidentiori hoc oratione describi, quemadmodum duo illa, quæ sunt in Christo conjuncta, natura et proprietate differant, sed nexu et unitione ita unum per se faciant, ut quæ unius propria sunt, tum alteri, tum ipsi uni tribuantur : quod non fieret, si una ex ambabus Christi propria natura, et composita coalesceret.

VIII. Postremo illud est ad Cyrilli sententiam explanandam, et ab omni hæresis suspicione purgandam aptissimum, quod cum Joanne Antiocheno, et Orientalibus in eamdem convenit expositionem fidei; quam ab illis oblatam admisit, et adversus ejus obtrectatores strenue defendit. Adeo vero suspecti non erant Orientales Apollinaristarum, vel Eutychianorum, aut Monophysitarum hæresis, ut Nestoriani potius erroris insimularentur, quod naturarum numerum, ac differentiam enixe tuerentur. Quare qui cum istis concordiam iniit fidei, ac professionis, et in traditam ab ipsis formulam consensit, immerito criminis illius accusatur, a quo longe constat Orientales abhorruisse.

Igitur Joannes Antiochenus in epistola, quam ex Orientalium synodo ad Cyrillum scribit, et in qua fidem suam suorumque perscribit; primum omnium, *Jesum Christum* confitetur « (1) Dei filium unigenitum, Deum perfectum, ac perfectum hominem, consubstantialem eumdem Patri secundum divinitatem, et consubstantialem nobis secundum humanitatem. » Hic duas naturas perfectas profitentur. Minime ergo *partes unius* : quia perfectæ naturæ unam per se naturam constituere non possunt. Sed nec una eademque natura Deo et homini consubstantialis esse potest : eo quod pars quælibet, quam alterutri consubstantialem haberet, non est tota Christi substantia, nec ejus gratia, Christus Deo vel homini esset ὁμοούσιος. Quippe naturæ rerum, etsi ex diversis partibus compositæ sint, pro indivisis eas continent.

IX. Pergunt Orientales, et, « (2) Duarum, *inquiunt*, naturarum unitio facta est. Ideo unum Christum, unum Filium, unum Dominum confitemur. » Unitio ista naturalis, ac vera, non *moralis*, qualem Nestorius adstruebat : quæ unum proprie Filium, ac Dominum, Deumque non faceret; ac ne unum quidem penitus. Itaque θεοτόκον statim agnoscunt B. Virginem. « (3) Secundum hanc, *inquiunt*, unitionis non confusæ notionem, confitemur S. Virginem esse Dei genitricem : propterea quod Deus Verbum incarnatus est, et homo factus. » Vides ut vera proprieque dicta unitio naturarum duarum causa sit, cur Christi mater Dei genitrix nominetur. Unde Nestorius, qui ἕνωσιν illam respuebat, ac dicis tantummodo causa unum esse Christum, ac Filium asserebat, quod erat consentaneum addebat : ut Dei genitricem vocari non pateretur, quam merum ac nudum hominem genuisse crederet. His expositis Orientales pie jam et catholice docent, dissimiles voces, et proprietates, quæ eidem Christo in Scripturis imputantur, non secundum unam, sed diversas naturas eidem illi tribui.

Hæc Orientalium expositio numeros explet omnes integræ ac perfectæ fidei, professionisque catholicæ de sacramento incarnati Verbi : ac tam Nestorii divisionem, unitione vera, et substantiva : quam Apollinaris confusionem, naturarum differentia constituenda, jugulat, et condemnat. Ex quo non minus ab omni labe purus, et intactus hæresis utriusque censendus est Cyrillus : qui illam ipsam professionem fidei suam fecit, eamque non solum approbavit in ea, quam ad Joannem rescripsit epistola [1] : sed in aliis plerisque propugnavit, et quamplurimos ei adversantes, atque initam cum Orientalibus concordiam etiam ipsi vitio vertentes, accurata pro se, illisque reddita ratione compressit, ut supra notavimus.

X. Confecta sunt igitur ex allatis hucusque Cyrilli locis tria potissimum argumenta, quæ fidem faciunt, abfuisse procul illum ab ea opinione, ut ex duabus naturis, unam Christi compositam fieri putaret. Quæ quidem argumenta diligenter animadverti volumus, ac memoria contineri ; ut adversus novæ ac putidæ calumniæ virus antidoti loco deinceps

(1) JOANN. Ant. in ep. ad Cyr. tom. 5. par. 2. oper. Cyr. pag. 103. Ὁμολογοῦμεν τοιγαροῦν τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ Θεὸν τέλειον, καὶ ἄνθρωπον τέλειον, etc. ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ τὸν αὐτὸν κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιον ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα.

[1] Ibid. pag. 104.

(2) Ibid. Δύο γὰρ φύσεων ἕνωσις γέγονε. Διὸ καὶ ἕνα Χριστὸν, ἕνα Υἱὸν, ἕνα Κύριον ὁμολογοῦμεν.

(3) Ibid. Κατὰ ταύτην τῆς ἀσυγχύτου ἑνώσεως ἔννοιαν, ὁμολογοῦμεν τὴν ἁγίαν Παρθένον θεοτόκον· διὰ τὸ τὸν Θεὸν Λόγον σαρκωθῆναι, καὶ ἐνανθρωπῆσαι.

habeantur. Imprimis enim naturas Christi duas perfectas esse Cyrillus existimavit [1]. Non essent autem ambæ perfectæ, si unam aliquam naturam per se, proprieque componerent : ut jam sæpius ostendimus lateque disputat auctor Expositionis fidei, quæ Justini nomen habet inscriptum [2]. Secundum argumentum inde ducitur, quod Cyrillus [3] Christum asserit tam Deo Patri, quam hominibus ὁμοούσιον esse. Atqui nulla est natura consubstantialis alteri, nisi tota sit ejusdem cum ea substantiæ, uti supra docuimus [4]. Quare si ex duabus dissimilibus partibus Christi substantia componitur, neutri erit ὁμοούσιος : non Patri, quia Pater homo non est : non hominibus ceteris, quia dii non sunt.

Tertium ex eo petitur, quod Cyrillus naturarum ambarum ejusmodi unitionem constituit, ut alterutrius proprietates cum altera communicarentur : necnon vocabula ipsa singularum propria. Nam et Deus homo, et homo nominatur Deus : et Deus genitus, passus, mortuusque dicitur ; et homo de cœlo venisse : de quibus in quarto libro pluribus dixi [5].

Quis autem ferat, animam hominis dici mortuam, quando corpus moritur, aut corpus immortale, quoniam anima mortis est expers ? Quis item carnem spiritum, vel spiritum carnem vocet, nisi qui hominis spiritu careat, et in carnem sit, pecudemve conversus ? Non est igitur Christi natura ulla ex Deo et homine composita ; quemadmodum ex anima et corpore hominis natura conflatur.

CAPUT SEPTIMUM.

Anonymi argumenta ex Cyrilli locis petita dissolvi incipiunt. — 1. Ac primum caput argumentationis proponitur. — 2. Explicantur quædam universe ad propositum necessaria de mente et scopo Nestorii, qui naturas dividere instituit ; — 3. tum Cyrilli, qui in contrarium obnixus est. Quo pertineat illa ejus sententia, una natura Verbi incarnata. — 4. Ostenditur hac ipsa sententia Nestorii blasphemiam maxime convinci. — 5. Expenduntur, et vindicantur ab anonymi calumnia loca Cyrilli, ex quibus ille colligit unam ab hoc naturam in Christo constitutam.

I. Postquam de Nestorio, et Cyrillo quæ opus erant universe disseruimus, reliquum est, ut anonymi sigillatim argumenta diluamus ; quæ variis ex Cyrilli petita locis in hoc unum contulit, ut hunc Apollinaris, et Monophysitarum imbutum hæresis uisse monstraret ; ac similiter atque ipsos, unam in Christo naturam statuisse ex humana, divinaque contextam, quemadmodum ex anima et corpore una hominis natura componitur.

Primum caput argumentationis [6] iis locis instruitur, in quibus Cyrillus diserte asserere videtur, unam esse naturam in Christo. Cujus generis locos affert octo numero ; quorum in plerisque non una simpliciter natura dicitur : sed *una natura Verbi incarnata*, sive *Verbi incarnati*. Antequam vero singulas Cyrilli collectas ab illo sententias expendam, doceamque quam in iis ipsis tractandis cæcus, atque hebes fuerit : cum ad duas adstruendas naturas, et illius convincendam calumniam nihil iisdem locis aptius adhiberi possit : nonnulla de iis generatim observanda sunt, vel repetenda potius ex quarto libro, ubi de hujusmodi Cyrillianis dictis latissime disserui. Neque tamen eadem omnino referam hoc loco, quæ illic exposita sunt : sed alia inferam, quibus et priora illustrentur, ac firmentur, et quanta materiæ huic subjecta copia sit, conjectura præbeatur.

II. Cyrillum igitur ostendimus, quæ de Incarnationis sacramento scriptis prodidit, omnia fere ad oppugnandam Nestorii hæresim retulisse, ut contraria nefandi erroris capita contrariis, et ex adverso positis decretis retelleret. Quid autem Nestorio propositum fuerit, et cujusmodi divinæ, humanæque substantiæ nexum, ac vinculum invexerit, dixi alibi pluribus [7]. Nunc idipsum brevius complectar, primum ex epistola Cyrilli octava ad

[1] Vide l. 5. supra c. 11. § 8. et hoc cap. § 6. et 8. — [2] Just. p. 300. — [3] Sup. § 8. — [4] Lib. 5. c. 11. § 10.

[5] Cap. 14. et 15. — [6] Anon. p. 71. — [7] Lib. 3. c. 3. et hoc ipso lib. c. 2. § 6. et 7. et c. 5.

clericos Constantinopolitanos. « (1) Quoniam, *inquit*, hic illis propositus est scopus, duos Christos, totidemque filios adstruere : nimirum hominem privatim ac seorsim, et seorsim Deum : ac deinde solarum personarum unitionem constituunt ; ideo versute agunt, et excusationes fingunt in peccatis, ut Scriptura loquitur. » Tum in secundo libro contra Nestorium subtilius, et enucleatius mentem illius, fraudemque detegens, « (2) At iste recentioris, *ait*, impietatis inventor, quamvis unum se Christum profiteri simulet, ubique tamen naturas dividit, et utramque separatam statuit, affirmans, non eas vere inter se copulatas esse ; sed [1] excusans excusationes in peccatis, ut scriptum est, quemdam conjunctionis modum excogitavit, qui in sola, ut dixi, dignitatis æqualitate consistit. » Quod ex illius verbis probat, quibus voces illas, quæ in Evangeliis de Christo pronuntiantur, ita dividit, ut alias soli Verbo seorsim attribuat, alias privatim illi, qui ex muliere natus est. Sequitur ergo ex Nestorii sententia, non unum esse, id est unam personam, sive unum subsistentem, qui diversa illa prædicata capiat.

Ac tametsi Nestorius divinitatem ab humanitate non se dividere, neque Christum, aut Filium in duos partiri identidem diceret, re tamen illud ipsum, quod negabat, impigre faciebat ; uti supra demonstravi. Atque ut cetera modo prætercam, nonne mentem illius satis impiæ istæ voces aperiunt, quas ab eo jactatas esse testis est locuples Theodoretus : « (3) Non peperit, *inquit*, o bone vir ! Maria Deum : sed peperit hominem divinitatis instrumentum. » Item : « Non est culpandus gentilis, qui diis matrem inducit. » Profecto enim qui sic loquebatur, Deum prorsus disjungebat ab homine, nec unum putabat esse Deum simul et hominem : ut supra capite quinto latius edisserui, et Theodoretus illic argumentatur.

III. Cum hac igitur erroris impietate decertans Cyrillus, quod erat consentaneum disputando persecutus est, ut duas illas naturas inter se apprime conjunctas, et unum per se facientes exhiberet : qui « nec naturarum copulatione confusus, nec naturarum distinctione geminatus esset, » ut Etherius, ac Beatus loquuntur [2]. Propterea totus fuit in commendanda naturarum ἑνώσει, id est unitione : ob quam « indifferenter, atque promiscue et quæ Dei sunt propria tribuuntur homini, et quæ carnis propria adscribuntur Deo, » ait Vincentius Lirinensis. Hanc ἕνωσιν sæpe ἀδιάστατον, ἀδιόριστον, ἀδιάσπαστον, ἀδιαίρετον vocat, id est *individuam*, et *indivulsam*. Nonnunquam et κρᾶσιν, vel σύγκρασιν appellat [3], id est *temperationem*, et *mistionem* : atque hoc ubique studet, ut copulatio ista naturalis, et καθ' ὑπόστασιν, id est vera, proprie dicta, et solida, non *moralis*, ut vocant, et σχετική, hoc est solius affectus, vel relationis habeatur.

Et quoniam id potissimum affectabat Nestorius, ut naturas duas quam maxime discerneret ; ac non solum proprietatibus, et naturalibus conditionibus, sed etiam existendi, ac subsistendi modo distingueret ; easdem vicissim arctare, et in unum, id est in unam personam cogere studuit Cyrillus ; ut etsi duæ essent numero, non tamen divisæ, ac seorsim positæ ; nec alterutra segregata, ac per se considerata cogitationi nostræ sese objiceret : multo minus ab eo, quod alteri conveniret, aut accideret, aliena putaretur altera ; sed ut esset mutua proprietatum, prædicatorumque communicatio, ex qua et Deus ipse genitus, et Virgo Dei genitrix censeretur : non ut profanus hæreticus asserebat, Verbum ipsum Deumque minime esse genitum, sed hominem merum, quo cum Deus per matris transisset uterum. Quam impiam, ac nefariam opinionem ut excluderet, everteretque Cyrillus, illum loquendi modum aptissimum judicavit, ut duas quidem naturas convenisse diceret : sed unitione facta, ex duabus unum extitisse Dei filium ; hoc est, *unam Dei, ac Verbi naturam incarnatam*. Hac enim locutione duas omnino significavit esse naturas : cum tantumdem valeat, *natura Verbi incarnata*, ac natura Verbi et carnis, vel cum carne con-

(1) Cyrill. tom. 5. par. 2. pag. 33. D. Ἀλλ' ἐπειδὴ σκοπὸς ἐκείνοις, δύο λέγειν Χριστοὺς, καὶ δύο υἱούς· καὶ τὸν μὲν ἄνθρωπον ἰδικῶς, τὸν δὲ Θεὸν ἰδικῶς· εἶτα μόνων τῶν προσώπων ποιοῦσι τὴν ἕνωσιν· διὰ τοῦτο ποικίλλονται, καὶ προφάσεις πλάττονται ἐν ἁμαρτίαις, καθὰ γέγραπται.

(2) Id. 2. contra Nest. tom. 6. pag. 31. Ὁ δέ γε τῆς νεωτάτης ἡμῖν ἀσεβείας εὑρετὴς, καίτοι Χριστὸν ἕνα λέγειν προσποιούμενος, διαιρεῖ μὲν πανταχοῦ τὰς φύσεις, καὶ ἀνὰ μέρος ἵστησιν ἑκατέραν, οὐκ ἀληθῶς ἀλλήλαις συμβῆναι λέγον αὐτάς· προφασιζόμενος δὲ προφάσεις ἐν ἁμαρτίαις, κατὰ τὸ γεγραμμένον, ἐπινοεῖ τινα συναφείας τρόπον, τὸν κατὰ μόνην, ὡς ἔφην, τὴν ἰσότητα τῆς ἀξίας.

(3) Theodor. lib. 5. cont. hær. cap. 12. Οὐκ ἔτεκεν, ὦ βέλτιστε, Μαρία Θεόν. Ἀλλ' ἔτεκεν ἄνθρωπον θεότητος ὄργανον. Καὶ ἐν ἑτέροις δὲ πάλιν φληνάφοις· ἀνέγκλητος ἕλλην μητέρα θεοῖς ἐπεισάγων.

[1] Ps. 140. 4. — [2] Tom. 4. par. 2. Bibl. PP. 493.

[3] Vide supra l. 3. c. 2.

juncta. Quemadmodum anima corporata, sive carne inclusa, idem est atque anima cum carne copulata, qua ratione scriptum sic est ab Arnobio libro secundo contra Gentes[1] : « Quid enim sumus homines, nisi animæ corporibus clausæ ? » Et Hugo Victorinus[2] : « Quid enim est homo, nisi anima habens corpus? » Quippe vox *incarnata*, sive *incarnati*, (1) naturam humanam, ac totam mysterii illius rationem complectitur, ut Cyrillus ait in secunda epistola ad Successum.

IV. Quamobrem eo loquendi formula ista pertinet, ut adversus Nestorii διαίρεσιν, id est *divisionem*, ac *disjunctionem* naturarum, ἡ ἕνωσις, hoc est unitio vera, et substantiva statuatur, et unus ex ambabus Christus intelligatur existere. Imprimis autem ejusdem hæretici blasphemia compescitur : qui negabat Deum ipsum in utero Virginis esse genitum, nec alias partes mandabat illi hac in tota Incarnationis administratione, quam artificis opus suum fabricantis extra se, nec ad substantiam suam ullo modo pertinens, hoc est nullo intimo, et substantivo, vel naturali secum nexu cohærens : velut cum architectus templum, aut prætorium aliquod molitur, non vere, proprieque cum eo conjungitur, nec in unitatem substantiæ suæ opus istud assumit, sed extrinsecus habet, ac tanquam rem alienam, et extrariam, quam nonnisi σχετικῶς respicit, ea habitudine, qua opifex ad affectum artis suæ comparatur. Qui quidem in ea, vel cum ea domo quæ struitur, produci, vel fieri non dicitur. At Verbum ita corpus, humanamque sibi naturam in matris utero finxit, ut non efficiens tantummodo causa istius actionis cum personis aliis duabus esset, verum etiam terminus, et effectus, non simpliciter qua Verbum, aut Dei filius, sed qua *Verbum caro factum*, sive *incarnatum*. Merito itaque Cyrillus post *unitionem*, et ex *unitione*, *unam* dicit *existere naturam Verbi incarnatam*, aut *unam Verbi incarnati naturam* : ut et unum in duabus naturis genitum Dei filium profiteretur, et principalem generationis illius, ut dixi, terminum eumdem significaret esse Dei filium, ad quem humanæ naturæ fieret accessio, sic tanquam puncti ad lineam, vel accidentis ad substantiam.

Hinc ad Valerianum scribens idem Cyrillus, Nestorianos reprehendit ita loquentes : « (2) Deum et hominem simul convenientes unum constituisse Christum, salva videlicet hypostasi utriusque citra confusionem, sed ratione divisa, etc. Non enim, ut illi dicunt, Deus et homo simul convenientes unum effecere Christum ; verum, ut jam dixi, Verbum, quod est Deus, perinde ac nos particeps fuit sanguinis, et carnis ; ut Deus homo esse factus intelligatur, et carnem accepisse nostram, eamque sibi propriam fecisse. » Quod et subinde latius explicat, asserens, Verbum non assumpsisse hominem, atque ita processisse, sed hominem esse factum.

Non minus contra venena cetera Nestorianæ hæresis, et execrandas illius voces præsentissimum inest remedium in Cyrilliano illo dicto. Sic enim aiebat Nestorius : hominem in Christo nihil nisi divinitatis esse templum, ac domicilium, nec aliter cum Deo copulatum, quam cum domino ædes, aut res aliqua possessa conjungitur. Hinc hominem eumdem θεοφόρον, id est *deiferum* ; et θεοδόχον, id est *Dei conceptaculum*, potius quam Deum, appellandum putabat. Quæ quidem, et horum similia commode una illa sententia rescindit, cum dicimus, *unam* in Christo esse *Verbi naturam incarnatam*, hoc est *incarnatam divinitatem*, ut Paulinus Aquileiensis in Libello sacrosyllabo loquitur[3]. Sic enim naturæ, ut jam dixi, duæ significantur ; eædemque naturali, et substantiva junctione colligatæ, non accidente, et σχετικῇ, vel *morali*, nec una separatim ab alia cohærens et subsistens : tum, quod caput est, Verbum ipsum præcipuas in Incarnationis sacramento habere partes ostenditur, ipsumque de Maria genitum, quod Joannis illa vox, ars et firmamentum catholicæ professionis, exprimit : *Verbum caro factum est*. Siquidem *carnem fieri*, sive *incarnari* nihil aliud est, quam gigni, hoc est secunda generatione hominem fieri.

V. Hactenus de genere ipso locutionis, quo usus est Cyrillus, ut unam esse naturam dice-

(1) CYRILL. 2. ad Succ. ep. tom. 5. par. 2. p. 142. C. Εἰ δὲ ἐν τῷ σεσαρκωμένην εἰπεῖν, σύμπας ὁ λόγος τῆς μετὰ σαρκὸς οἰκονομίας εἰσφέρεται.

(2) CYRILL. tom. 5. par. 2. pag. 160. C. Ἐὰν δὲ λέγωσιν, ὅτι Θεὸς, καὶ ἄνθρωπος συνελθόντες κατὰ ταὐτὸν, ἀπετέλεσαν ἕνα Χριστὸν, φυλαττομένης δηλονότι τῆς ὑποστάσεως ἑκατέρου ἀσυγχύτως, τῷ δὲ λόγῳ διαιρουμένης, etc. οὐ γὰρ καθά φασι, Θεὸς, καὶ ἄνθρωπος συνελθόντες, ἀπετέλεσαν ἕνα Χριστὸν, ἀλλ', ὡς ἔφην ἤδη, Θεὸς ὢν ὁ Λόγος παραπλησίως ἡμῖν μετέσχεν αἵματος, καὶ σαρκὸς, ἵνα Θεὸς ἐνανθρωπήσας νοῆται, καὶ τὴν ἡμετέραν σάρκα λαβὼν, καὶ ἰδίαν αὐτὴν ποιησάμενος.

[1] Pag. 65. — [2] Sum. Sent. Tract. 1. c. 15. tom. 3. F. 193.

[3] In Conc. Francof. tom. 6. p. 168. F. 1.

ret; nunc singula illius loca percurrenda sunt, quæ ad unius invidiam naturæ trahit anonymus, cum ea contrarium potius demonstrent, si quis ad illa intentum, et eruditum ingenium afferat, et iis præsertim cautionibus præparatum, quas superioribus capitibus exposuimus.

Primus Cyrilli locus [1] ex epistola sumptus est posteriore ad Successum, ubi adversariorum hanc calumniam depellit [2] : Si post unitionem natura est una incarnata, sequi Verbum ipsum in sua natura esse passum. Huic ita Cyrillus occurrit, ut responsione ipsa testetur, nullo modo unam a se naturam ex duabus compositam, sed duas omnino distinctas, non tamen separatas constitui. Etenim vocabulum ipsum *incarnatæ*, quod ad naturam Verbi additum est, naturam designat alteram, in qua pati potuit, et revera passum est. Ex quo ita concludit Cyrillus : « (1) Quænam ergo necessitas cogit dicere, ipsum propria in natura esse passum, cum post unitionem natura una Filii incarnata ponitur ? » Quæ verba insulse anonymus objicit, tanquam ex iis confecta res sit de natura una composita. Atqui et duas potius, quam unam, subjicit *incarnatæ* vox, et paulo ante non dubiam significationem ejusdem rei Cyrillus dedit, cum scripsit sic : « (2) Mansit quod erat, hoc est natura Deus : sed hoc assumpto, ut præterea esset homo, hoc est, ut ex muliere secundum carnem perinde ac nos gigneretur, rursus unus perseveravit esse Filius, etc. Unum porro confitemur Filium, et Christum, et Dominum ; eo quod Verbum caro factum est; quod cum dicimus, hominem significamus. » Igitur cum ex Verbo, et homine coagmentatus Christus, et Verbum et homo sit, non autem λογωθεὶς, vel ἀποθεωθεὶς, et ἀνθρωπωθεὶς dicatur ; hoc est *verbificatus*, aut *deificatus*, aut *humanatus* . vel hujusmodi quippiam simplicibus deflexum nominibus; sicut ex anima et corpore compositus homo, id est forma et materia, non est anima et corpus, sed animatus et corporeus : hinc apparet, inquam, non ex duabus unam compositam esse naturam Christi, sed duas sola personæ unitate conjunctas.

VI. Secundus Cyrilli locus [3] eamdem continet unius incarnatæ naturæ mentionem : sed hoc amplius, quod ex duabus naturis unam in Christo naturam incarnatam fieri dicit, sicut ex anima et corpore una existit anima. « (3) Non enim in his solis, quæ natura simplicia sunt, vere usurpatur unum, sed etiam in his, quæ compositione coalescunt : cujusmodi res est homo, qui ex anima et corpore constat. Hæc enim diversæ sunt speciei, nec sibi mutuo consubstantialia; sed copulata, unam efficiunt hominis naturam. » De hac Christi ex naturis duabus compositi cum homine ex anima et corpore conflato similitudine antiquis usitata, jam in libro tertio, capite decimo diximus, et postea nonnulla repetemus. Unum hic excipimus, non eamdem utrobique esse rationem, sed hoc solo metiendam, quod, ut ex anima et corpore una fit natura, quæ homo vocatur, sic ex Deo Verbo, et homine, utroque perfecto, unus Christus existit, id est una persona. Quæ si esset una natura composita, neutrum seorsim in recto casu diceretur; puta homo vel Deus ; nec unum componentium alterius nomen reciperet: sicut homo non dicitur anima, vel corpus: neque vel corpus anima vocatur, vel anima corpus. Quare ille ipse Cyrilli locus ad dedocendum anonymum sufficit, in quo Verbum processisse homo legitur. Num enim similiter anima, corpus ; aut corpus, anima processisse dicetur ? Sic in eodem loco, quod scribit Cyrillus, « (4) Unum a nobis appellari unigenitum filium Dei incarnatum et humanatum, » idipsum interpretans, ait « (5) unam esse Filii naturam, sed incarnatam. » Itaque nihilo magis hoc posterius male suspicacem de Cyrilli ὀρθοδοξίᾳ facere debuit anonymum, quam prius illud, *Unigenitum filium Dei incarnatum* ; cujus eadem vis est, atque ejus, quod Joannes scripsit, *Verbum caro factum est* ; ut nugari desinat ὁ δυσώνυμος, et Cyrillum

(1) CYRILL. epist. 2. ad Succ. pag. 142. B. Ποία τοίνυν παθεῖν αὐτὸν ἀνάγκη εἰς ἰδίαν φύσιν, εἰ λέγοιτο μετὰ ἕνωσιν, μία φύσις Υἱοῦ σεσαρκωμένη ;

(2) CYRILL. tom. 5. par. 2. pag. 142. A. Μεμένηκε γὰρ ὅπερ ἦν· τοῦτ' ἔστι, φύσει Θεός. Προσλαβὼν δὲ καὶ τὸ εἶναι ἄνθρωπος, ἤτοι γενέσθαι καθ' ἡμᾶς ἐκ γυναικὸς κατὰ σάρκα πάλιν εἷς μεμένηκεν Υἱὸς, etc. ἕνα γε μὴν ὁμολογοῦμεν Υἱὸν, καὶ Χριστὸν, καὶ Κύριον, ὡς γεγονότος σαρκὸς τοῦ Λόγου· τὸ δὲ σαρκὸς ὅταν εἴπωμεν, ἄνθρωπόν φαμεν.

(3) CYRILL. ibid. pag. 143. B. Οὐ γὰρ ἐπὶ μόνον τῶν ἁπλῶν κατὰ φύσιν, τὸ ἓν ἀληθῶς λέγεται, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῶν κατὰ σύνθησιν συνηγμένων· ὁποῖόν τι χρῆμά ἐστιν ὁ ἄνθρωπος, ὁ ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος. Ἑτεροειδῆ μὲν γὰρ τὰ τοιαῦτα, καὶ ἀλλήλοις οὐχ ὁμοούσια, ἑνωθέντα γε μὴν μίαν ἀνθρώπου φύσιν ἀπετέλεσαν.

(4) CYRILL. ibid. A. Εἰ γὰρ καὶ εἷς λέγοιτο πρὸς ἡμῶν ὁ μονογενὴς Υἱὸς τοῦ Θεοῦ σεσαρκωμένος, καὶ ἐνανθρωπήσας.

(5) Ibid. Μίαν ἡμῖν ἔδειξεν Υἱοῦ φύσιν· πλὴν, ὡς ἔφην, σεσαρκωμένην.

[1] Anon. p. 72. — [2] Cyr. tom. 5. par. 2. p. 141.

[3] Anon. 73. ex Cyr. ead. ep. p. 142.

allatrare, tanquam illa edita sententia inexpiabilem sibi maculam Eutychianæ hæresis inusserit.

VII. Tertius locus Cyrilli [1] nihil habet præcipuæ difficultatis, et ex supra dictis explicatur. Nihil ibi contendit aliud Cyrillus, nisi duas naturas subsistentes, ac seorsim positas, penitusque divisas post unitionem, non inesse Christo : quod Nestoriani pugnabant. Ideo diligenter cavet, ne duæ simpliciter naturæ dicantur, hoc est diremptæ ac solutæ ; nec proprie, ac per se in unum redactæ: quemadmodum, etsi anima et corpus naturæ duæ sint, postquam inter se consociatæ sunt, non sunt amplius divisæ, ac disjunctæ ; sed ex iis unum animal existit. Quare non duas absolute naturas esse negat : verum eo sensu, quo Nestoriani duas existimabant, nempe per se cohærentes, sine mutuo nexu et naturali, veraque junctione.

Sic ille locus [2] ex epistola ad Acacium idem præ se fert, « Duas esse naturas unitas, sed post unitionem, sublata divisione, nonnisi unam esse naturam inhumanati incarnatique Verbi : » quod, ut dixi, ad divisionem, ac disjunctionem excludendam pertinet. In epistola quoque, sive commonitorio ad Eulogium [3], et in reliquis deinceps locis, quæ sigillatim percensere non est opus, nihil novi commemorat Cyrillus : sed hoc constanter obtinet, ut ambæ naturæ arctissime inter se conjunctæ, ac prorsus indivisæ sint, præterquam ratione, cogitationeque nostra : tum ut unus existat inde Christus, sicut ex anima et corpore unus homo conficitur ; ac demum ut naturalis sit divinitatis, humanitatisque conjunctio. Quorum omnium partim ratio est in superioribus reddita, partim in sequenti capite iterum constabit : ubi nonnulla generatim ab anonymo super istis Cyrillianis sententiis animadversa complectar, in quibus singulorum locorum vis inclusa continetur.

CAPUT OCTAVUM.

1. Quatuor ab anonymo in Cyrilli sententiis observata proponuntur. — 2. Primum excutitur, quod est, *φύσιν* apud Cyrillum pro natura, non autem persona accipi. Hoc non omni ex parte verum est ; sed significatur natura, qua in uno aliquo individuo reipsa extat, et suppositum confuse, et indeterminate connotat. — 3. Quod illustratur, et uberius exponitur. — 4. Ita conciliantur inter se Patres, qui de *φύσεως* notione in illo Cyrilli dicto dissentire videntur.— 5. Quarta observatio anonymi in disquisitionem adducitur, quæ ex usitata Cyrillo comparatione sumitur Christi cum homine ex anima et corpore composito. Unde ille colligit, Cyrillum unam naturam compositam putasse ex Verbo et humanitate fieri : maxime cum dicit unam esse naturam Verbi incarnatam. — 6. Hoc vero accurate refellitur, ex eo præsertim, quod Cyrillus illam ipsam naturam, quam dicit unam, diserte esse Dei, aut Verbi asserit. — 8. Examinatur, et a calumnia purgatur Cyrilli locus quidam intentatus ab anonymo. — 9. Alia ab eodem objecta retunduntur.

I. Institutam contra Cyrillum hæresis actionem persequens anonymus, post aliquot ex eo collecta loca, quibus unam e duabus naturam Christi compositam affirmare videtur, circa eadem illa, quatuor observanda proponit. Primum est [4], φύσιν, quam unam existere post unitionem ait Cyrillus, non *personam* significare, sed *naturam*. Alterum [5], voces istas διαιρεῖν, διατέμνειν, et similes, quibus utitur Cyrillus; cum de naturis duabus agit, quas vetat διαιρεῖν; idem esse ac *distinguere*, non autem *dividere*, ac *separare :* ut inde conficiat, Cyrillum cum naturas διαιρεῖσθαι negat, eas nolle distingui. Tertium est [6], Cyrillum sæpe illud usurpare, *Verbum unitum esse carni* κατὰ φύσιν, id est *secundum naturam* : quod sic exponit anonymus, ut sit, naturam unam ex ambobus effici. Quartum denique [7], unitatem illam naturæ, quam in Christo fieri Cyrillus, interpretante anonymo, censet, talem ab eodem Cyrillo describi, qualis ex anima et corpore fieri in homine dicitur, nempe compositione. In his quatuor tota vis est sita primæ argumentationis, quam ex illis locis Cyrilli colligit anonymus, in quibus unam post unitionem esse naturam diserte scribit. De illis itaque paulo accuratius disputandum nobis est, quod summam fere controversiæ, ac Cyrillianæ causæ contineant. Et quamvis in superioribus libris, hujus etiam antecedentibus capitibus, quamplurima de hoc

[1] Anon. p. 74. et 75. — [2] Anon. p. 76. — [3] Anon. p. 78.

[4] Anon. p. 82.— [5] Ib. p. 93.— [6] Ib. p. 99.— [7] Ib. p. 100.

argumento scripserim, quæ ad propulsandam hanc ab Cyrillo suspicionem hæresis idonea sunt, non pauca tamen vel nova, vel pressius enucleata illustrataque suppetunt ad dicendum, quæ desiderari hoc in opere, atque in tanti momenti quæstione non patiar.

II. Quod ad primam ἐπίστασιν attinet, etsi prima specie non male sentire videtur anonymus, cum φύσιν in illis locis negat pro persona accipi; (hoc enim et nos ipsi docuimus, cum Cyrilli sententiam illam exponeremus[1], *unam Verbi naturam incarnatam*;) non tamen φύσεως usum et notionem, ac Cyrilli adeo sententiam penitus est assecutus. De qua idcirco nonnulla hic expromenda videntur: ne temere tot illos eruditos gravesque damnemus Patres, qui φύσιν pro persona in illo Cyrilli dicto usurpari sentiunt, ut alibi meminimus[2] : quos adeo commodam ad sententiam revocari posse, et cum aliis conciliari, qui naturam, non personam intellexerunt, ex subjectis intelligetur. Hoc enim illic prætermissum a nobis, suppleri hoc loco, materiæ nostræ, ac propositi interest. Ut hoc ipsum sero renatæ isti hæresi debeamus, quod apertius, et explanatius tanti mysterii arcana retegantur : dum ad inimici erroris cavendas, ac declinandas insidias acrius se catholici ingenii acies intendit. Hoc enim verum est in ista, quod universe de omnibus hæresibus affirmat Augustinus[3], « Singulas quasque intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentius defenderetur Scriptura divina, quam si nulla talis necessitas cogeret. »

Quod igitur dicere cœperam, non parum deceptus est anonymus, dum φύσιν absolute, ac penitus exclusa personæ notione, pro natura sola, vel essentia putat ab Cyrillo accipi. Etenim tametsi φύσιν antiqui sæpe pro natura ipsa, sive οὐσίᾳ, id est *essentia*, usurpaverint : quod est τὸ τί ἦν εἶναι, vel ut in scholis vocant, *quidditas* rei : nempe natura ipsa ab omni extantia, vel existendi modo ratione sejuncta et abstracta : qualis est rei definitio per se, infiniteque considerata : nihilominus interdum naturam significat, qua in uno aliquo est individuo, et in eo existit, aut etiam subsistit ; prorsus eodem modo, quo ὑπόστασιν capite primo demonstravimus ab nonnullis Patribus, tam ante, quam post Nicænum concilium, sic acceptam fuisse, ut suppositum, ac personam non definite, ac determinate significaret; sed οὐσίαν, vel φύσιν, *actu* et *reipsa* quocumque tandem modo existentem in rerum natura, hoc est vel sola existendi, vel etiam subsistendi proprietate præditam. Ad hunc modum φύσις nonnunquam in usum est adhibita, ut idem plane esset, quod ὑπόστασις ea, quam dixi, notione sumpta. Certe φύσιν aliquando pro ὑποστάσει ab antiquis acceptam fuisse, persuadent exempla, quæ alibi retulimus[4]. Quo pertinet illud Alexandrini Clementis, qui φύσιν τοῦ Υἱοῦ pro *hypostasi Filii*, ac *persona* posuit, ut in primo de Trinitate, initio capitis quarti notavimus : tum etiam Gregorius Nazianzenus φύσιν Filii *æqualem esse genitori* dixit[5].

Sic Chrysostomus φύσεις angelorum pro *individuis* accepit, ut in homilia 26. tomi quinti, quæ est de Seraphimis : ubi « (1) naturarum illarum summam esse pulchritudinem » dicit; tum etiam « (2) celeritatem. » Augustinus quoque in libro 14. de Civitate capite 11. « malam voluntatem *ait* vitium esse in ea natura, quam creavit ex nihilo, non quam genuit Creator de semetipso ; sicut genuit Verbum per quod facta sunt omnia. » Naturam ibi pro hypostasi posuit.

III. Quamobrem Cyrillus in plerisque locis, ubi de Incarnationis mysterio, ac naturis, præsertim de divina loquitur, φύσιν non quidem pro persona, vel natura ultimo subsistendi modo completa sumpsit, ut quidam opinati sunt; verum pro natura ipsa particulari, et re, actuque, ut vocant, existente, quocumque tandem modo cohæreat : ac sive tantummodo existat, sive perfecte subsistat. Quemadmodum cum *hunc hominem*, vel *hunc equum* dicimus, intelligimus individuum aliquod utriusque speciei existens reipsa, et, nisi aliquid obstet, etiam proprio modo subsistens : subsistendi tamen modum ipsum non proprie, nec explicate significare volumus, sed extantiam duntaxat. Itaque tam Judæi, qui Christum non noverant, nec cujusquemodi homo esset, quem ceterorum similem putabant, tam vere hunc *hominem* appellabant, quam apostoli, aut ipsemet de se loquens Christus, cum dixit[6]: *Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum.* Quippe *hic homo* determinatam habet hujus naturæ humanæ et individuæ, et existentis reipsa significantiam : atque etiam quoquo modo subsistentis, hoc est sive proprio, sive alieno.

Sic ergo Cyrillus de duabus Christi naturis

(1) Chrys. tom. 5. pag. 157. edit. Savil. ver. 5. Καὶ ὅτι τοῦτο τῶν φύσεων ἐκείνων τὸ κάλλος.

(2) Ibid. ver. 18. Καὶ τὸ ταχὺ ἐκείνων τῶν φύσεων.

[1] Cap. 6. et 7. — [2] Ibid. et 4. de Trin. c. 1. — [3] Aug. lib. 1. de dono Persev. cap. 20. — [4] Lib. 4. de Trin. c. 2. § 3. — [5] Ib. § 4. — [6] Joan. 8. 40.

sermonem instituens, singulares quidem, et re actuque ambas existentes proprie intellexit: subsistentes autem hoc vel illo modo, non definite, nec directe repræsentare voluit; sed pro captu, et ratione cujusque. Ut cum naturas duas convenisse diceret, atque inter se copulatas, quid cuique proprium esset prudenter discerneres : sciresque divinam suo, non alieno modo subsistere, humanam non suo : utramque tamen rem esse aliquam, hoc est individuam, et singularem *actu* existentem : quæ notio proxime et explicate harum φύσεων appellationi subjicitur. Cum autem de sola divinitate loquebatur, tametsi proprie ac distincte, et, ut scholæ nominant, *formaliter*, individuam naturam in una Trinitatis persona reipsa existentem exprimeret ; ex consequenti tamen, et pro conditione subjectæ rei, eamdem assignificabat, in se, ac per se, non alieno adminiculo subsistentem, adeoque personam, præsertim cum adderet τοῦ Λόγου, id est *Verbi;* tunc enim disertius personalem ipsam proprietatem indicat.

IV. Atque hoc sane modo conciliari inter se diversæ super illo Cyrilli dicto veterum sententiæ poterunt : quorum alii, ut libro quarto docuimus [1], φύσιν μίαν *incarnatam*, aut *incarnati Verbi,* de persona ipsa ; alii de natura potius interpretati sunt. Nam utrique suo, et quidem probabili sensu locuti sunt, nec inter se pugnant. Siquidem propria, et, ut vocant, *formali* notione, natura ipsa divina, quæ in Verbo inest, tanquam ἀτόμῳ aliquo, et individuo, significatur : præsertim cum ista propositio, *Post unitionem manet una natura incarnata Verbi*, vel *incarnati Verbi* ; σχέσει quadam, et comparatione cum illa priore confertur : *In unitione duæ naturæ concurrunt.* In hac enim, *naturæ* vocabulo subjecta significatio est ejus, quod in ambabus, divina et humana, cernitur. Hoc autem non est proprietas personalis ; sed natura ipsa, qua singularis est, existitque reipsa, et est hypostasis ; prout hypostasim ab Cyrillo, aliisque sumptam esse supra capite secundo demonstravimus. Quare ut in altera propositione, vox eadem τῆς φύσεως συνωνύμως capiatur, non ambigue et æquivoce, naturam itidem, et ὑπόστασιν significare debet. Porro quatenus ad unam propriamque Verbi naturam quodammodo determinatur, cum dicimus, *Unam esse naturam Verbi incarnatam :* nihil obstat quin secundaria potestate implicetur in eo φύσεως vocabulo, quod peculiare habet in Verbo ; nempe subsistendi proprietas, et persona.

Quod ut exemplo aliquo declaretur, assumamus illud, quod ad divinæ humanæque naturæ conjunctionem propius pertinere ex S. Thoma non semel ostendimus. Si quis ejus, quod *album* dicitur, compositionem explicare volens, ita dixerit : Ad album constituendum duo entia, sive naturæ duæ convenerunt ; tum ita pertexat : Postquam vero conjunctæ intelliguntur, jam non duo sunt entia, naturæve duæ, quæ videlicet separatæ divisæque cogitentur, sed est unum ens, unaque natura parietis dealbati. Hic utrobique *entis*, aut *naturæ* vox neque substantiam, neque accidens proprie, ac diserte, vel formaliter significat, sed rem aliquam individuam et existentem. At in secunda enuntiatione, adjecto parietis nomine, quodammodo modificatur generalis et infinita entis, ac naturæ notio, ut subsistentem naturam, et subjectum secundo loco, et quasi ex abundanti significet.

Hæc animadversio, nisi nostra nobis inventa nimium placent, quantivis esse mihi videtur ad id, quod in præsenti agimus ; et ad Cyrilli celeberrimam illam, ac tanta contentione agitatam explicandam sententiam : necnon ad veterum de illa contrarias, ut videntur, opiniones in concordiam revocandas. Denique, ut quod nostra modo interest, attingamus ; tanquam everriculum est malitiarum omnium et calumniarum anonymi ; quibus Cyrilli existimationem, quod ad hoc naturæ unius caput attinet, violare conatus est, quod ex sequentibus perspicuum erit.

V. Reliqua sunt tria de quatuor observatis ab anonymo : ex quibus postremo et quarto loco positum ante cetera dispiciemus. Id enim disputationis consequentia postulare videtur. Considerare hoc jubet anonymus [2] ; Cyrillum in locis illis, quæ ex eo attulit, naturæ unitatem in Christo declarare sic : « Scilicet non fieri per confusionem, commixtionem, aut conversionem : sed per compositionem ; qualis est unitas naturæ humanæ compositæ ex corpore et anima. » Hanc enim similitudinem passim Cyrillus inculcat, maxime in epistola secunda ad Successum illis verbis, quæ græce latineque descripta capite antecedenti, hic tantum latine referam. Ibi postquam dixit, «Unam esse naturam Filii incarnatam,» mox illud addit : « Non enim in iis tantum, quæ natura simplicia sunt, unum revera dicitur : sed etiam in

[1] Cap. 6.

[2] Pag. 100.

iis quæ compositione coaluerunt : cujusmodi est homo ex anima et corpore constans. Quippe res hujusmodi, cum specie diversæ sint, nec ejusdem inter se substantiæ, unitæ tamen, unam efficiunt hominis naturam. » Ad quæ ita disserit anonymus : « Idem esse, ac si dixisset : Christus constat ex Verbo et humanitate, quæ unam naturam Filii incarnatam constituunt, sicut homo constat corpore et anima, quæ unam naturam hominis absolvunt. »

Atqui si vel judicii, imo communis sensus, paululum adhibuisset ad illa Cyrilli verba, et ad id, quod inde ratiocinando conficit, anonymus, profecto vidisset ἀσύστατα hæc esse, et a Cyrilli sensu, ac mente penitus abhorrere. Nego igitur præcise, verum illud esse, quod ex memorabili illa Cyrilli sententia, qua *secundum unitionem* asserit *unam esse Filii naturam incarnatam*, colligit anonymus, unam ab illo constitutam esse naturam Christi, ex Verbo et humanitate compositam : sicut ex anima et corpore una hominis natura conflatur. Duo hic nobis explicanda sunt : primum, quam vocat Cyrillus *unam naturam incarnatam*, non esse Christi naturam ex Verbo et humanitate compositam : deinde, quamvis similem esse dicat illam, quæ fit in Christo, naturarum duarum junctionem ei, quæ in homine cernitur, animæ atque corporis ; non tamen ex eo sequi, parem omnino utrobique rationem esse, aut similiter atque hic evenit, illic etiam naturam aliquam ex ambabus unam existere compositam. Horum duorum prius hoc in capite, posterius ad quartam anonymi argumentationem, ubi de hac re agit ex professo, postea disputabimus.

VI. Non posse naturam unam compositam ex Verbo et humanitate in illo Cyrilli dicto intelligi, primum ex iis ipsis verbis ostenditur. Nos in quarto libro capite quinto præcipua loca percensuimus, in quibus Cyrillus eam sententiam usurpat. Ibi post unitionem *unam* ait *esse naturam Dei Verbi incarnatam ;* aut *Filii*, aut simpliciter *Dei*, nec unquam absolute, quod meminerim, unam dixit incarnatam naturam. Atqui si unam illam naturam intellexisset ex Verbo, et humana natura compositam, non addidisset Dei, neque Verbi, neque Filii vocabula. Siquidem natura ista, quæ ex Verbo, vel potius ex natura Verbi, (non enim Verbum, sed naturam Verbi Cyrillus illic nominat,) et humana coalescere utcumque fingitur, non est natura Dei, vel Filii, aut Verbi : sed natura Christi. Quippe natura Dei, sive Verbi, quæ non alia quam divina est, nullo modo componitur. Quid autem est ineptius, quidve ab omni ratione, ac Cyrilli mente longius abhorrens, quam hæc ex anonymi interpretatione confecta propositio : « Ante unitionem duæ sunt naturæ, una divina, altera humana ; post unitionem vero una tantum est natura divina composita, et caro facta. » Etenim *incarnari* cum de hoc mysterio dicitur, est *carnem fieri* ; sicut *inhumanari*, quod ἐνανθρωπῆσαι vocant græci theologi, nihil aliud est quam *hominem fieri.* Nec enim aliunde repetenda est vocum istarum, et similium, vel origo, vel vis ac potestas, quam ex illo Joannis effato [1], καὶ ὁ Λόγος σάρξ ἐγένετο, *Verbum caro factum est,* quo uno tota de Incarnatione recte sentiendi, ac loquendi regula, et disciplina continetur.

VII. Quare duo hæc absurdissima in anonymi opinione versantur ; uti Cyrillus post unitionem statuat, non amplius naturas esse duas, quot ante unitionem erant, divinam et humanam ; sed solam divinam compositam : tum eamdem carnem esse factam. Atqui Cyrillus ubique contrarium docet [2] ; cum utramque naturam ἀσύγχυτον, καὶ ἄτρεπτον mansisse scribit, hoc est neutram confusam, aut in alteram esse conversam ; neque mutatam, ab sua proprietate descivisse. Quod sane falsissimum est, si natura divina, cui potissimum duo ista convenire debent, ex simplici facta composita est, et in carnem est mutata. Nam naturam quampiam cum fieri aliquid dicimus, nihil aliud animo concipere possumus, quam eamdem id quod erat esse desinere, et incipere esse quod non erat. Imo, ut scribit Augustinus [3], « Secundum loquendi modum, consuetudinemque celebriorem, quidquid fit quod non erat, desinit esse quod erat. » Quod etsi universe, absoluteque verum non est, tamen cum de natura nominatim exprimitur, verissime dicitur. Nihil enim naturæ vocabulo subest aliud, quam *essentia*, et τὸ τί ἦν εἶναι, sive *quidditas* rei : nec est modus aliquis adjunctus, ut in Verbo, vel persona, qui citra essentiæ, adeoque ipsius rei commutationem, adventitiæ naturæ accessionem, ac junctionem sustineat. Itaque si natura Verbi, vel Dei, hoc est divina, composita est, et caro facta, non est amplius natura Dei, nec Verbi ; sed tota caro est, id est humana, vel homo : contra quam Cyrillus sciscit, qui unam Dei, ac Verbi

[1] Joan. 1. 14. — [2] Vide sup. lib. 3. c. 5. § 9.

[3] August. lib. 83. qu. 80. to. 4. p. 261. A.

naturam manere dixit. Denique hoc quod dicitur, *incarnatam esse naturam*, nonnisi *unitione* duarum esse factum vel anonymus ipse consentit. At *unitio* non in natura ipsa divina præcise est facta, sed in persona, et subsistendi modo. Alioqui tota Trinitas carnem suscepisset. Proinde *naturæ* nomen, cum ita scribit Cyrillus, *unam incarnatam esse Dei naturam*, non excludit personæ, personalisve modi significantiam : sed sic intelligenda est, et ad eam normam exigenda, quam paulo ante proposui [1]. Qua sublata, et anonymi opinione, ac sensu Cyrilliani dicti potius adscito, nihil obstabit, quin divinitatem ipsam esse compositam fateamur. Ut enim personam Verbi compositam esse, cum gravissimis theologis, et omni Christiana vetustate merito dicimus, eo ipso, quod persona illius incarnata est, et caro facta, præeunte ad hoc Evangelio, quod *Verbum carnem esse factum* asserit : ita si natura ipsa Dei incarnata ponitur, necesse est divinitatem ipsam esse compositam. At ex alio capite ne ipsa quidem esse composita, aut esse amplius divinitas ostenditur. Siquidem et esse simplex debet natura, sive essentia Dei, idque ei est οὐσιῶδες : ut eo subtracto, quod admissa compositione accidit, funditus intereat, ac divinitas esse desinat : et cum eadem caro sit facta, hoc est in carnem conversa, perinde rem ac nomen divinitatis admittit. Missa facio argumenta cetera, et quidquid ratione, auctoritateque collectum est adversus compositam tam Dei, quam Christi naturam; illam quidem, in tomo primo [2], ubi de Dei simplicitate dixi : hanc vero tomi hujus libro tertio [3].

VIII. Ut autem Cyrilli integritas, et imperiti criminatoris stupiditas illustriore nota deprehendantur, quemdam locum illius attendamus, in quo potissimum insistit, et gradum figit adversarius [4]. Is ex dialogo Cyrilli depromptus est, qui *de uno Christo* inscribitur. Ibi postquam Cyrillus docuit, divinitatem et humanitatem ab se mutuo differre, non tamen dividi sic, ut a se invicem disjunctæ sint, et separatim positæ : objiciente mox altero, qui cum loquentem se facit, sequi ex eo confusas esse naturas, et ambas unam naturam esse factas : respondet ita Cyrillus : « (1) Ecquis vero sic attonitus, et imperitus sit, ut existimet, vel divinam Verbi naturam in id, quod non erat, esse conversam, vel carnem ipsam quadam mutatione, in ipsius Verbi transiisse naturam ? Hoc enim fieri omnino non potest. Verum unum Filium, et unam ipsius naturam esse dicimus; tametsi carnem assumpserit, intelligente anima præditam. » Quibus positis, hæc anonymus attexit : « Cyrillum negare quidem confusionem, aut mutationem naturarum, sed unam naturam ex duabus effectam esse confiteri : quam vocat unam naturam Filii, qui assumpsit carnem anima intelligente præditam, sicut in epistola secunda ad Successum eam vocaverat, unam naturam Filii incarnati, et unam naturam Verbi incarnatam. »

Sed argumentationem hanc anonymi verba ipsa, quæ ex Cyrillo descripsit, luculentissime refellunt. Primum quoniam, ut paulo ante dixi, una ista Filii, seu Verbi natura, non est alia, quam Dei natura : quæ quidem composita non est. Deinde hanc eamdem naturam unam ait assumpsisse carnem, anima intelligente præditam, hoc est integram et perfectam hominis naturam. Stultum est autem dicere naturam compositam ex divina et humana natura assumpsisse naturam humanam. Sicut nemo quid loquatur utcumque sciens dixerit, compositam naturam ex materia et forma assumere formam : cum ne esse quidem natura, neque composita possit, nisi utramque partem habeat, ex qua componitur. Siquidem forma, ut et causa quælibet, natura saltem effectam a se rem, aut compositam antecedit. Quis autem loqui sic audeat, hominem ex anima et corpore concretum animam assumere ? Etenim assumere naturam hoc in genere, idem est atque uniri copularique cum illa, ut Cyrillus ipse, ceterique omnes asserunt. Hoc vero vel cogitare ridiculum est; naturam humanam adjungere sibi, et unire rationalem animam : quam nisi jam unitam haberet, et adjunctam, natura non esset humana. Simili argumento Nestorianum hæreticum verberat Maxentius [5], asserentem « naturam humanitatis, quam vere, ac proprie esse volebat ex Virgine, esse naturam

(1) [illegible] τοῦ Λόγου; ἀμήχανον γάρ. Ἕνα γε μὴν Υἱὸν, καὶ μίαν αὐτοῦ φύσιν εἶναί φαμεν, κἂν εἰ ἐν προσλήψει γενέσθαι σαρκὸς, ψυχὴν [illegible].

[1] [illegible] — [2] [illegible] — [3] [illegible] — [4] [illegible]

[5] Maxent. Dial. 1. tom. 4. Bib. 466. B. C.

Domini Christi. » Ita ergo refellit, « Christum quid esse definis? » inquit. Respondet Nestorianus, « Deum et hominem. » Tum sic ille : « Et quomodo non est absurdum credere, Deum et hominem ex Virgine naturam assumpsisse humanam? Quod si Deus et homo ex Virgine creditur juxta vos naturam assumpsisse humanam, unde antequam Deus assumeret ex Virgine naturam humanam, factus homo credendus est, ut sic Deus et homo credatur assumpsisse ex Virgine naturam humanam? »

Satis igitur hoc argumenti est, illam, quam Cyrillus appellat unam Filii, aut Verbi naturam, non esse compositam ex Verbo et humana natura, sed divinitatem ipsam in Verbo proprie subsistentem. Hujusmodi, inquam, naturam intelligit, quæ ante Incarnationem, et unitionem extitit : nec aliam, quam ipsummet Verbum. Quod ex alio Cyrilli loco perspicuum est, quem capite antecedenti retuli [1]. Ibi enim illud explicans, quod adversariis displicuerat, *naturam unam Verbi incarnatam esse post unitionem;* hanc ipsam naturam significat esse Verbum, quod carnem suscepit, « et mansit quod erat, nimirum natura Deus. Verum assumpto eo, ut homo esset, rursus unus perseveravit esse Filius. » Respondeat anonymus, an natura ex Verbo et humanitate composita, et *essentialiter* ab utravis distincta, sit illa ipsa natura divina, quæ æternitate tota Incarnationem antecessit, et naturam in tempore assumpsit humanam. Hoc si absurdum, ut est, revera judicat; qua fronte Cyrillo, non utique rudi et imperito theologo, tam fatuam affingit ineptamque sententiam, quam illius verba repudiant?

Nam quod Cyrillum eumdem ait anonymus, « unam ex duabus naturam effectam esse confiteri; » non dicit *effectam esse*, sed *mansisse.* Hoc autem, quod ex illo descripsit anonymus; « Confusæ itaque sunt naturæ, et una e duabus effecta, » non est Cyrilli; sed hæreticorum vox, quam is, quocum colloquitur, refert, et opponit.

IX. Hinc ad alia in idem argumentum ab anonymo congesta [2] paratum habes quod respondeas. « Orientales, *inquit,* per duas naturas non intellexerunt duas personas, sed duas essentias, scilicet divinitatem, et humanitatem; et per unam personam, intellexerunt Christum. » Cum igitur « Successo, Acacio et Eulogio, qui ipsum culpaverant, quod confessioni Orientalium duas naturas in una persona nominanti subscripsisset, » respondet Cyrillus, « duas naturas unitas esse : post unitionem vero, sublata jam in duas distinctione, unam esse naturam Filii incarnati; » manifestum est eum, per naturas, et naturam, non intellexisse personas, et personam.

Omitto ἀπροσεξίαν, et ἀνεστορησίαν, quod ab illis tribus culpatum ait esse Cyrillum, quod Orientalium professioni subscripsisset. Nam quod ad Successum attinet, is ab illo tantum petiit, ut de Christi incarnatione quid sentiret exponeret : tum quæ ab obtrectatoribus contra ipsum objici didicerat, retulit, et ut illis occurreret, rogavit. Quod non est *culpare,* vel reprehendere. De Eulogio vero longe gravius errat. Fuit enim iste Cyrilli apocrisiarius, et ab eo Constantinopolim missus : ad quem commonitorium scripsit, quo illum docuit, quemadmodum concordiæ cum Orientalibus a se initæ rationem posset reddere, et offensioni mederi, quam ex illa nonnulli ceperant. Sed leve sit hoc παρόραμα. De re ipsa uti potius agamus; jam constare arbitror ex superioribus, Orientales hæreticos, et Nestorio deditos, nullum inter naturam et personam discrimen agnovisse. Hanc enim errandi causam habuisse Nestorium, testificatione veterum ostendimus. At qui ex Orientalibus catholici erant, de duabus naturis non aliter sentiebant, ac Cyrillum existimasse supra demonstravimus [3]. Duas illi naturas singulares intelligebant : sed unam earum, divinam etiam in propria subsistentia cohærentem, ut illic exposuimus. Cum his optime conveniebat Cyrillo; cum Nestorio vero fuit utrisque summa dissensio; quod iste naturas verbo conjungebat; reipsa separabat : contra Cyrillus naturas φύσει, et οὐσιωδῶς inter se committens, unum per se, id est unam personam facere dicebat : sicut anima et corpus unum hominem. Hoc enim utrobique respexit, quod ex duobus unum per se fit naturale, ac substantivum : salva interim ea differentia, quod in homine natura una; in Christo persona duntaxat existit una.

Eutychis porro ac Dioscori, et si qui alii in eadem hæresi versati sunt, causa fuit dissimilis. Nam isti naturam revera unam ex Deo et homine coalescere finxerunt; et quod ab Cyrillo de una Filii, ac Verbi natura recte pronuntiatum erat, ut supra docui, hoc ad alteram nescio quam ex utraque coagmentatam retulerunt; quod simili stupore, sed majori improbitate tuetur anonymus. Cujus proinde

[1] § 5. ex ep. 3. ad Succ. p. 142. A.

[2] Pag. 90. — [3] § 2. 3. 4.

contra Cyrillum præscriptio [1], et hujus cum hæreticis illis comparatio, nullam neque vim, neque rationem habet; atque ex antecedentibus manifesti erroris arguitur.

CAPUT NONUM.

De secunda observatione anonymi, qua docet, Cyrillum διαίρεσιν, et διάστασιν, ac similia vocabula, pro simplici differentia usurpare. — 1. Id ex synonymis vocibus, quibus ille uti solet, refellitur. — 2. Tum ex iis Cyrilli locis, quæ citat anonymus. — 3. Διάστασις vox apud Cyrillum. — 4. Anonymi fucus, et mala fides in quadam usurpanda Cyrilli sententia. — 5. Emendatur locus ille Cyrilli : et nova temeritas anonymi castigatur. — 6. Item alia ejusdem hallucinatio. — 7. Duo præterea loca male ab eodem tractata Cyrilli. — 8. Referuntur alia loca Cyrilli, in quibus pro separatione, non pro differentia sumpsit ; — 9. tum aliorum Patrum, velut Theodoreti. — 12. Anonymi præcipuum argumentum proponitur : ejusdem notatur inscitia. — 13. Quo sensu Cyrillus ratione, vel cogitatione sola differre naturas asserat in Christo. Explicatur ratio differentiæ, quæ est τῷ λόγῳ apud Patres. — 15. Occurritur alteri calumniæ anonymi. — 16. De unione καθ' ὑπόστασιν ex sententia Cyrilli. — 17. Anonymi impostura. — 18. Cyrilli locus ab illo non intellectus exponitur.

I. Secunda est ἐπίστασις anonymi [2], de verbis aliquot, quibus frequenter usus est Cyrillus ad Nestorii flagitium explicandum; qui Verbum, et humanam naturam, sive duas naturas in uno Christo maligne consociabat, ut reipsa divideret eas potius, ac separaret. Quam ad rem significandam tria ab Cyrillo usurpata verba commemorat anonymus, διαιρέω, διατέμνω, et διΐστημι. Tum ea docet ex lexicis græcis, non solum significare *divido*, *partior*, et *separo*; sed etiam *distinguo*, aut *differentias constituo*. « Sæpius autem, *ait*, veteres Ecclesiæ doctores ista vocabula usurpasse ad significandam distinctionem, aut differentiam rerum, certissimum est. » Magnum vero iste fecit, quod e lexico græco nos docuit, verbum διαιρέω, et similia non solum *divisionem* significare, sed etiam *differentiam*. Quis hoc ignorat, qui utcumque græce legere sciat? Verum quod ex eo molitur, ac struit, ut, cum Cyrillum audimus naturas in Christo negantem oportere διαιρεῖν, id est *dividere*, ac *separare*, credamus potius has illum nolle *distingui*, ac *differre*; non vulgaris est specimen temeritatis, et oscitantiæ. Primum si per lexica licet nobis utramvis sortiri notionem vocabulorum istorum, cur hanc illi præferemus, si sanum, et catholicum sapimus? Deinde omnibus in locis, quibus Nestorii διαίρεσιν exponit, oppugnatque Cyrillus; tum ex totius orationis nexu, ac sententia; tum ex aliis locutionibus, quas explicandi addit gratia, satis intelligitur, non illum sustulisse naturarum differentiam; sed, ea salva divisioni, ac separationi duntaxat intercessisse. Certe quæcumque tandem voces, loquendique genera excogitari possunt, quibus res aliquas duas nulla substantiva et naturali, proprieque dicta unitione junctas esse declaremus, sed a se invicem re distractas, et separatas; illis est usus omnibus Cyrillus, cum ex sensu et opinione Nestorii naturarum duarum in Christo conjunctionem, et habitudinem expressit. Queritur ipsum naturas istas non modo διαιρεῖν, sed etiam τέμνειν, hoc est *secare*; διατέμνειν, *dissecare*; διακόπτειν, *discindere*; μερίζειν, *partiri*; ἀνὰ μέρος τιθέναι, *seorsim, et separatim ponere ac collocare*; ἰδίᾳ vel ἰδικῶς, *privatim, et proprie, per seque*, hoc est *unam sine alia constituere*; ἄλλον καὶ ἄλλον, item ἕτερον καὶ ἕτερον, hoc est in Christo *alium, atque alium*; sive *alterum, et alterum* statuere. Quæ loquendi formulæ, ceteræque, quarum magna pars in subjectis locis extabit, non meram naturarum differentiam; sed divisionem, et perfectam divulsionem, ac sejunctionem veræ, ac proprie dictæ unitioni contrariam sapiunt.

II. Experiamur hoc in iis primum sententiis Cyrilli, quas, ut omnium ad causam suam accommodatissimas, selegit anonymus. In illis enim perspicuum id erit, quod dixi; ac multo apparebit clarius criminatoris istius stupor ac cæcitas; qui quod ad purgandum Cyrillum maxime valebat, hoc ad ejus augendam invidiam potissimum adduxerit.

Primus est Cyrilli locus, in quo διΐστασθαι naturas, non esse *separari*, sed *differre*, putat

[1] Anon. pag. 91. et 92.

[2] Anon. p. 93.

anonymus, ex libro primo contra Nestorium. Ibi Nestorii opinionem redarguit, qui θεοτόκον dici Mariam non probabat; et qua ratione adductus ita sentiret, exponit sic : « (1) Dirimunt, *inquit*, particulatim, secantes in filios duos unum illum Dominum Jesum Christum. Removent etiam a Deo Verbo carnis passiones. Quanquam illum in propria natura, qua Deus intelligitur, esse passum, ne nos quidem ipsi diximus : sed ei potius, una cum carne, passiones eas, quæ carni acciderunt, attribuimus : ut ipsum quoque Salvatorem confiteamur. » Hic vero διϊστάναι, non est *distinguere*, sed *dirimere*, ut nos vertimus; quod et optimum glossarium habet, διϊστῶ, *dirimo*. Sic Homerus Iliados primo de Agamemnonis et Achillis dissidio ita loquitur :

(2) Tempore ab hoc, primum exorta quo lite, dirempti,
Rex hominum Atrides, nec non divinus Achilles.

Quem ad locum vetus scholiastes διαστήτην interpretatur διεχωρίσθησαν, id est *disjuncti sunt*. Eustathius vero, (3) *alium alio converti;* et alibi, (4) *separatim consistere, dum alter hic, alter ibi stat.* Quin etiam addit alia Cyrillus, quæ quamlibet hebetem ac tardum vellicent, ut non aliud, præterquam *divisionem* ac *diremptionem* naturarum, illic possit agnoscere : dum *unum Jesum Christum in duos filios secari* ait ab Nestorio : ex quo fiat, ut quæ caro patitur, Deo Verbo minime tribuantur, sed in propria natura hæreant, ut nulla sit proprietatum communio : quo nullum majus esse potest divisionis, ac personalis disjunctionis argumentum.

III. Est tamen ubi διάστασιν Cyrillus pro διαφορᾷ sumpsisse videtur, hoc est simplici *differentia*, ut in secundo libro adversus Nestorium[1] : quem locum citat anonymus, in quo dicit, summam esse humanitatis, divinitatisque *differentiam*, sive διάστασιν, hoc est *distantiam*. Verum illud advertendum est, in isto ipso loco, ubi διάστασιν pro differentia usurpari ab Cyrillo objicit anonymus, eamque διάστασιν post unitionem sublatam esse dici ab eodem; alia esse vocabula, formulasque loquendi, quæ rectam, et sinceram de re ipsa Cyrilli mentem fuisse persuadent; ut manente differentia, solam divisionem ac separationem excludere voluerit alterius ab altera naturæ. Nam et Nestorii conjunctionem castigat[2], quod cum verbo tenus διαίρεσιν, id est *partitionem* in duos Christos et filios rejiceret[3], revera tamen illam admitteret : propterea quod naturalem ac veram, et unum efficientem per sese unitionem non agnocens, solam constituebat σχετικὴν, et *moralem*. At contra catholica unitio facit, « (5) ut non sit alter et alter, non filius, et filius, non alius, et alius, primus et secundus : sed unus videlicet ante carnem, et post carnem. » Eodem subinde sensu negat Christum esse διπλοῦν, hoc est *duplicem* : nimirum quem in animo Nestorius habebat; ut alibi dixi. Demum ista subjicit, in quibus post unitionem, nullam esse διαφορὰν, ἤτοι διάστασιν affirmat : quem locum retulimus, et exposuimus in quarto libro, capite tertio[4]. Solam itaque partitionem, ac separationem naturarum in Christo sustulit Cyrillus; differentiam post unitionem retinuit. Et commodum isto ipso in loco, (6) ab unitis naturis removet τὴν διαίρεσιν, servat τὴν διαφοράν. Dixine hanc anonymi calumniatoris esse cæcitatem et oscitantiam, ut ex Cyrilli locis ea seligat ad invidiam hæresis illi faciendam, quæ contrarium maxime, si quis ea legat, probent, ac persuadeant? Vere hoc dixisse me iste imprimis locus arguit, in quo διαφορὰν et διαίρεσιν tam aperte Cyrillus distinguit.

Est apud eumdem Cyrillum egregius alius locus, illi par et similis : qui germanam ejus sententiam aperit, et illustrat. Quippe Nestorianam συνάφειαν, quæ sola σχέσει, et dignitatis, appellationisque communione constabat, refellens, observat, plures in communi hominum esse vita, « (7) qui in æquali dignitatis gradu

(1) Cyrill. 1. contra Nest. tom. 6. pag. 6. B. Διϊστᾶσι δὲ ἀνὰ μέρος τέμνοντες εἰς υἱοὺς δύο τὸν ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστόν· ἀποφέρουσι δὲ καὶ τοῦ Θεοῦ Λόγου τὰ τῆς σαρκὸς πάθη. Καί τοι παθεῖν αὐτὸν εἰς ἰδίαν φύσιν, καθὸ νοεῖται Θεὸς, οὐδὲ ἡμῶν εἰρηκότων· ἀνατιθέντων δὲ μᾶλλον αὐτῷ μετὰ τῆς σαρκὸς, καὶ τὰ τῇ σαρκὶ συμβεβηκότα πάθη· ἵνα καὶ αὐτὸς ὁμολογῆται Σωτήρ.

(2) Homer.

Ἐξ οὗ δὴ τὰ πρῶτα διαστήτην ἐρίσαντε,
Ἀτρείδης τε ἄναξ ἀνδρῶν, καὶ δίος Ἀχιλλεύς.

(3) Eust. Ἄλλῃ ἄλλον τραπέσθαι.

(4) Id. ad Il. ρ. p. 4. ver. 47. Ἀντὶ τοῦ διαχωρισθέντες, καὶ ὧδε καὶ ἐκεῖ στάντες.

(5) Cyrill. 2. contra Nestor. pag. 45. B. Οὐ γάρ ἐστιν ἕτερος, καὶ ἕτερος· οὔτε μὴν Υἱὸς, καὶ Υἱὸς, ἄλλος καὶ ἄλλος, πρῶτος, καὶ δεύτερος· ἀλλ' εἷς δηλονότι καὶ πρὸ σαρκὸς, καὶ μετὰ σάρκα.

(6) Cyril. ibid. E. Ὁ τῆς ἑνώσεως λόγος, οὐκ ἀγνοεῖ μὲν τὴν διαφορὰν, ἐξίστησι δὲ τὴν διαίρεσιν.

(7) Cyrill. ibid. pag. 34. E. Ἀλλ' ἐν ἴσοις ὄντες ἀξιώμασιν ἐσθ', ὅτε διεστήκασιν ἀλλήλων ὑπάρξει τε τῇ καθ'

[1] Cyril. p. 45. E. — [2] Cyr. ib. B. C.

[3] Ib. Nest. p. 44. D. — [4] § 4.

constituti, nihilominus a se invicem distent tum singulari extantia, tum quod eadem sentire nolint, et facere. Quod si vinculum aliquod necessarium ad illos in unitatem colligendos esset ille dignitatis modus ; cujusmodi est utique naturalis conjunctio ; nunquam in honorum, vel dignitatis æqualitate positi, hypostasibus, et animi sententia privatim a se mutuo eousque disjungerentur, ut alter hic esset, ille alter. » Vides quemadmodum Cyrillus διάστασιν hujusmodi post naturarum copulationem suspectam habuerit, non qua illæ essentia, et definitione differunt, sed qua sine ullo naturali nexu separatim consistunt : ita ut alterum et alterum faciat, adeoque filios duos atque Christos.

IV. Sic in alio loco ejusdem secundi libri adversus Nestorium, etsi verbum διεστηκέναι pro διαφορᾷ sumpsit, eidem tamen τὸ διαιρεῖν opposuit, quo verbo divisionem, ac separationem intellexit. « (1) Nam alterum quiddam, et alterum esse divinam et humanam naturam, *ait*, scire quidem convenit ; imo necesse est prudentibus viris. Distant enim a se mutuo incomparabili differentia. Verum in omnium nostrum Salvatore Jesu Christo, illas ipsas in unitionem veram, et secundum hypostasim cogens, divisionem caveto. » Manifeste naturas illic a se mutuo distinctas in unitione manere significat, et aliud atque aliud esse : sed non dirimi ac dividi. Nam τὸ διαιρεῖν opponit, ut dixi, τῷ διεστηκέναι, et τῇ διαφορᾷ. Non ergo pro hac usurpavit, ut contendit anonymus.

In illis porro Cyrilli locis observabis, uti Verbum et humana natura non sint ἕτερος, καὶ ἕτερος, sint tamen ἕτερον καὶ ἕτερον, hoc est non dicantur *alter* et *alter*, verum *alterum*, et *alterum*. Siquidem voces istæ in masculino genere personam, in neutro essentiam significant, ut in Trinitatis mysterio usuvenit [1] : quod alibi notavimus, et vel tirones harum litterarum intelligunt.

In quo mira est anonymi inscitia, qui in eo pueriliter hallucinatus, novam inde calumniam Cyrillo struit. Adnotabat hic ad illa Joannis verba [2], *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam ;* dixisse Christum : *et ego resuscitabo eum ;* non autem, *resuscitabit eum corpus meum :* nec ex eo colligendum, alterum hunc a sua esse carne. « (2) Non quasi alter sit, *inquit*, a sua carne ; et non prorsus natura. Etenim in filiorum binarium secari se post unitionem non patitur. » Unde anonymus ita disputat [3] : « Si autem Verbum non sit natura diversum a sua carne, clarum est Verbum et carnem constituere unam naturam. » Atqui in græco nominativus est masculini generis, ἕτερος, ut Λόγος non sit *alter* a sua carne, hoc est *altera persona* : cum tamen sit ἕτερον, id est *alterum*, sive *alterius naturæ*, et *essentiæ*. Itaque duplex est fucus calumniatoris anonymi. Nam et ita locum illum habuit, tanquam esset ἕτερον in neutro genere, et non ἕτερος : tum in Verbi et Λόγου diverso genere sophistice lusit. Quippe Λόγος ἕτερος græce masculino genere dicitur, et significat *diversam Verbi personam*. Latine autem *Verbum diversum*, in neutro, *rem diversam* exprimit. Quam ambiguitatem ineptus cavillator aucupatus est, et Cyrillum sic loquentem induxit : *non esse Verbum diversum a sua carne*, hoc est *rem naturamque diversam ;* cum ita potius dicat : Λόγος non est *diversus a sua carne*. Non enim persona diversa est, cum sit *diversum aliquid*.

V. Nec illud prætermittendum, mendi aliquid subesse videri verbis illis Cyrilli, καὶ οὐ πάντως τῇ φύσει, ac nonnihil deesse. Quare nos abruptam, et mutilam sententiam in latina nostra interpretatione consulto reddidimus. At anonymus vertit, *et natura diversus*, quasi esset, καὶ τῇ φύσει διάφορος, aut ejusmodi aliquid, quod naturæ diversitatem tolleret. Cui quidem reclamat negativa particula   : tum cetera minime cohærent. In editione græcolatina scriptum est, *ac non idem natura* : quod sensu congruit cum anonymi παραχαράξει. Nam legi in græco deberet, καὶ οὐ πάντως ὁ αὐτὸς τῇ φύσει, vel καὶ οὐχ αὐτὸς τῇ φύσει. Quod si esset, tamen ex aliis Cyrilli locis, et cetera illius doctrina, quam supra patefecimus, facilis interpretatio

ἕνα φημὶ, καὶ τῷ μὴ τὸ βούλεσθαι τὰ αὐτὰ φρονεῖν τε, καὶ δρᾷν· ἀλλ' εἴπερ ἦν τις δεσμὸς ἀναγκαῖος εἰς ἑνότητα συλλέγων αὐτοὺς τῆς ἀξίας ὁ τρόπος, καθάπερ ἀμέλει καὶ σύμβασις φυσικὴ, οὐκ ἂν ἐν ἰσότητι γερῶν, ἤτοι τῆς ἀξίας ὑπάρχοντες, ὑποστάσεσί τε, καὶ γνώμῃ, εἰς τὸ ἕτερος εἶναι, καὶ ἕτερος, ἰδικῶς ἀλλήλων ἀπενοσφίζοντο.

(1) CYRILL. 2. contra Nest. pag. 50. A. Ὅτι μὲν γὰρ ἕτερόν τι, καὶ ἕτερόν ἐστι ἥ τε θεία, καὶ ἡ ἀνθρώπου φύσις πρέποι ἂν εἰδέναι, καὶ ἀναγκαῖον εἶναί φημι τοῖς ἀρτίφροσι. Διεστήκασι γὰρ ἀλλήλων, καὶ ἀσυγκρίτοις διαφοραῖς. Ἐπὶ δὲ τοῦ πάντων ἡμῶν Σωτῆρος Χριστοῦ συνεισενεγκὼν εἰς ἕνωσιν τὴν ἀληθῆ τε, καὶ καθ' ὑπόστασιν, παραιτοῦ τὴν διαίρεσιν.

(2) CYRILL. lib. 4. in Joan. pag. 363. C. Οὐχ ὡς ἕτερος ὢν παρὰ τὴν ἰδίαν σάρκα, καὶ οὐ πάντως τῇ φύσει. Διατέμνεσθαι γὰρ εἰς υἱῶν δυάδα μετὰ τὴν ἕνωσιν οὐκ ἀνέχεται.

[1] Vide lib. 8. de Trin. c. 9. § 12.

[2] Joan. 6. 55. — [3] Pag. 82.

foret; unum cum carne sua Verbum, neque diversum *natura* dici, hoc est *vere*. Nam φύσει idem quod *revera* esse, non semel Cyrillus exposuit. Verum contra atque isti putarunt, significasse arbitror Cyrillum, natura diversum ab sua esse carne, ut iste sit sensus, quasi interposita parenthesi : *Non quasi alter sit a sua carne*, (*quod de natura omnino non dico.*) Ac fieri potest, ut non ad Λόγον, sed ad Χριστὸν referatur nominativus ἕτερος, et alter negetur Christus a sua carne, non Verbum : quod et sequentia suadent, cum ait, *non secari in duos filios*. Hic enim Christus intelligendus est. Quanquam eodem pæne sententia recidit; nec nimium hæc minute resecanda sunt. Non debet tamen omitti latinum interpretem in editione latina, ad mentem nostram vertisse sic [1] : « Non enim alius ipse est, quam caro sua : non id dico, quia natura non sit alius : sed quia post Incarnationem in duos se dividi filios minime patitur. »

Postremo ridenda, et castiganda est anonymi singularis ἀλογιστία, qui ex illis verbis Cyrilli, quibus ait libro quarto in Joannem, « non esse Λόγον alterum, a sua carne, et natura diversum, » (ut quidem exponit,) concludit, « clarum esse Verbum et carnem constituere unam naturam. » Quænam est ista consequentia rationis ? Imo vero contrarium potius efficitur; si non est natura Verbi ac carnis, id est hominis, natura diversa post ambarum copulationem, non constitui unam ex illis naturam compositam; sed alterutra perempta, unam superesse victricem, et extinctricem alterius. Certe quæcumque tandem est superstes illa natura, non sic habet ut humana, ex anima et corpore conflata; quod anonymo placet. Nam anima diversa est a sua carne, nec eadem natura, etiam in ipsa compositione. Quod si eadem natura foret, jam non essent naturæ duæ, nec ex ambabus integris et manentibus fieret una composita : quippe vel anima, vel caro id quod erant esse desiissent, ac vel una duntaxat earum, vel neutra, sed tertia quædam, sublatis illis, natura consurgeret. Mirifica est igitur anonymi sophistæ cæcitas, et argumentandi imperitia.

VI. Sequitur alius Cyrilli locus ab anonymo productus, in quo διϊστάναι pro eo, quod est *distinguere naturas*, non *dividere* positum arbitratur, ex secundo libro contra Nestorium. Sed nullus magis et Cyrilli ὀρθοδοξίᾳ suffragatur, et accusatoris sycophantiam convincit. Nestorii Cyrillus verba proponit [2], quibus manifeste duos in Christo discernit; et illum qui dixit, *Deus Deus meus, quare me dereliquisti*, quique spinis coronatus est, ab altero separat. Non enim sic locutum illum esse [3], *Quid me quæritis interficere Deum, qui vera dixi vobis* : sed *hominem*. Addebat et istud Nestorius; adorare se cum divinitate illum quoque, qui divinæ esset auctoritatis particeps. Manifestum est, Nestorium hoc in loco Christum in duos partiri, hoc est in personas duas; et quæ uni conveniunt, sine ulla communione alterius, illi tribuere. Ea re offensus Cyrillus, hæreticum refellit; ac perspicue διΐστησιν, inquit, id est, *dividit*, et ab ea unitione rejicit, ex qua unus aliquis existat, in quem utriusvis propria conveniant. « (1) Itaque una, *inquit*, adoratione nos Emmanuelem colere consuevimus; non dirimentes a Verbo corpus illud, quod unitum est ipsi secundum hypostasim. » Quanta hæc ergo dementia est, persuadere velle, Cyrillum ibi διϊστάναι pro simplici usurpare differentia naturarum, non pro separatione ac diremptione; tanquam unitione facta, nihil jam abs sese invicem differre crediderit, Deum, et hominem? Atqui paulo ante contrarium diserte docuit; cum neque nudum hominem, neque Verbum solum, esse Christum, *sed hominem simul, ac Deum* ostendit : « (2) Verum ea ratione, ut non ἀνὰ μέρος, id est seorsim utervis consisteret : sed ut idem agnosceretur et ante inhumanationem Filius, et Deus, ac Λόγος Patris : qui homo postea nostri similis factus sit, et incarnatus. » Vide quæ paucis interjectis de eadem Nestorii separatione disserit Cyrillus [4] : ac mirare vel nullam anonymi, vel ferream frontem : qui illum locum adhibere est ausus ad negotium suum; cum tamen ibi Cyrillus tam claris et expressis verbis, ac sententiis differentiam quidem naturarum asserat, disjunctionem vero, unius ab altera refutet, ac rejiciat. « (3) Tu vero, *inquit*, dirimis penitus, et

(1) Cyrill. contra Nest. pag. 53. A. Ἡμεῖς δὲ μιᾷ προσκυνήσει τιμᾷν εἰθίσμεθα τὸν Ἐμμανουὴλ, οὐ διϊστάντες τοῦ Λόγου τὸ ἑνωθὲν αὐτῷ καθ' ὑπόστασιν σῶμα.

(2) Idem Cyrill. pag. 52. D. Ἡμεῖς δὲ, ὦ βέλτιστε, φαίην ἂν ἔγωγε, κἂν λέγωμεν αὐτὸν ἄνθρωπόν τε, καὶ Θεὸν, οὐκ ἀνὰ μέρος τιθέντες τὰ τοιάδε φαμέν. Τὸν αὐτὸν δὲ μᾶλλον εἰδότες καὶ πρὸ τῆς ἐνανθρωπήσεως Υἱὸν, καὶ Θεὸν, καὶ Λόγον τοῦ Πατρὸς· ἄνθρωπον δὲ μετὰ τοῦτο καθ' ἡμᾶς γεγονότα, καὶ σεσαρκωμένον.

(3) Cyrill. ibid. pag. 57. D. Σὺ δὲ δὴ πάλιν διϊστᾷς ὁλοτρόπως, καὶ κατασοφίζῃ τὸ ἀληθὲς, τὰς μὲν φύσεις χωρίζων, ἑνῶν δὲ, ὡς φὴς, τὴν προσκύνησιν.

[1] Cyrill. 4. in Joan. c. 15. — [2] Lib. 2. cont. Nest. p. 52.

[3] Joan. 7. — [4] Cyrill. ib. pag. 57.

veritatem sophisticis tuis cavillationibus eludis; dum naturas separas, et solam, ut ais, adorationem conjungis. »

VII. Non dissimilis impudentia reliquis in Cyrilli duobus locis est anonymi; quorum prior est in defensione tertii anathematismi adversus Orientales. Ibi Cyrillus « (1) diversam esse » dicit, « ex naturæ propriæ ratione, carnem a Verbo, quod ex Deo Patre natum est: diversum item ex propriæ naturæ conditione Unigenitum. Sed hoc admittere, non esse naturas partiri post unitionem. » Hic μερίζειν *distinguere* vertit anonymus. Inepte, quatenus *differentiam* naturarum ab Cyrillo sublatam intelligit. Legeret proxime saltem sequentia; in quibus et naturarum discrimen egregie Cyrillus asseverat: et *divisionem*, ac *separationem* reprehendit. Ibi inter alia, « (2) Quamvis, *inquit*, diversæ naturæ sit corpus a Verbo, unus tamen est Christus, et Filius, et Deus, et Dominus, etsi caro factus est: nec sine dispendio est, veræ unitionis modum dissolvere, ut in duos filios diducamus hypostases, easque constituamus a se invicem distractas; ita ut cum privatim separatimque cohæreant, solam habeant externam copulationem, quæ in honoris genere consistat. »

Alter ab anonymo Cyrilli locus objectus [1], ex defensione anathematismi quarti contra Orientales, *post unitionem* διαιρεῖν prohibet *naturas*; quod ille *distinguere* vertit; sed malitiose, et, ut verum dicam, imperite, et insulse. Profecto enim si aut totam illam defensionem legisset, aut judicii aliquid in eam rem contulisset, sciret non aliud ibi, quam sectionem ac divisionem naturarum ab Cyrillo repudiari, qualem Nestoriana συνάφεια re, ut sæpe dixi, statuebat; etsi verbo negaret. Illam ergo διαίρεσιν appellat τομὴν, et μερίζειν, διϊστάναι, διορίζειν, et ejusmodi alia ἐκ παραλλήλου adjicit. Vide quæ in libro quarto, capite tertio [2] de illo Cyrilli loco diximus, quo in capite plura de διαιρέσει naturarum ex Cyrilli sententia disputavimus.

VIII. Hæc fere sunt ab anonymo Cyrilli allata loca, ut ostenderet iis vocabulis, quibus *separationem* ac *divisionem* significat, solam ab illo distinctionem intelligi naturarum duarum: quod sane falsissimum esse demonstravimus. Nec aliter profecto sentiet, qui in Cyrillo legendo aliquid studii posuerit: quod equidem fecisse me profiteor. Cum autem innumera sint illius loca, quæ ad idem probandum afferre possem: propterea quod assidue contra Nestorium scribens repetit istud, et inculcat: nolo in commemorandis illis nimius, et odiosus esse lectori. Itaque præter superiora, nonnulla, et præcipua ad marginem notabo [3], in quibus διαίρεσιν naturarum perspicuum est pro divisione ac disjunctione sumi: ut quia Nestorius Christum subdole profitebatur esse ἀδιαίρετον, hoc est *minime divisum* in duos Christos, aut filios; sed unum duntaxat asserebat: verum σχετικῇ, et *morali* quadam conjunctione, non naturali, substantiva, vera, et propria unitione, quæ unum per se, hoc est unam personalem substantiam efficeret: ex adverso pugnans Cyrillus doceret, nullam esse unitioni huic oppositam divisionem naturarum, nec eas separatim, ac sine substantivo nexu privatim, seorsimque consistere.

Huic διαιρέσεως et similium notioni suffragantur et alii græci, latinique Patres: velut Athanasius in Expositione fidei, qui negat in Deo « (3) tres esse hypostases per semetipsas partitas, uti corporeo modo in hominibus usuvenit. »

Sic Orientales in oppugnatione anathematismi decimi Cyrilliani, « (4) Non duos, *inquiunt*, filios asserimus; unum, qui passus est; alterum, qui passionis expers remansit. Non enim separatim, ac seorsim ab divinitate nominatur is, qui ex Davidis semine natus est Filius. » Atqui Orientales naturarum differentiam acerrime tuebantur, ut vel anonymus

(1) CYRILL. tom. 6. pag. 166. E. Ἑτέρα μὲν ἔστι κατὰ φύσιν ἰδίαν ἡ σάρξ, παρά γε τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς φύντα Λόγον· ἕτερος δὲ αὖ κατά γε τὸν τῆς ἰδίας φύσεως λόγον ὁ μονογενής. Ἀλλ' οὐ τὸ εἰδέναι ταῦτα, μερίζειν ἐστὶ τὰς φύσεις μετὰ τὴν ἕνωσιν.

(2) Ibid. pag. 167. A. Ἀλλ' εἰ καὶ ἔστιν ἑτεροφυὲς τὸ σῶμα παρά γε τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγον, ἀλλ' οὖν εἷς Χριστὸς, καὶ Υἱὸς, καὶ Θεὸς, καὶ Κύριος, καὶ εἰ γέγονε σάρξ. Καὶ τὸν τῆς ἀληθοῦς ἑνώσεως τρόπον παραλύειν, οὐκ ἀζήμιον, διϊστάντας εἰς υἱοὺς δύο τὰς ὑποστάσεις, ἀποφοιτώσας μὲν ἀλλήλων, εἰς τὸ ἰδίᾳ τε εἶναι, καὶ ἀνὰ μέρος, ἐχούσας δὲ μόνην συνάφειαν τὴν ἔξωθέν τε, καὶ ὡς ἐν τάξει τιμῆς.

(3) ATHAN. tom. 1. pag. 395. Οὔτε τρεῖς ὑποστάσεις μεμερισμένας καθ' ἑαυτὰς, ὥσπερ σωματοφυῶς ἐπ' ἀνθρώπων ἐστὶ λογίσασθαι.

(4) Orient. tom. 6. Cyr. pag. 186. A. Οὐ γὰρ δύο υἱούς φαμεν, τόν τε παθόντα, καὶ τὸν ἀπαθῆ μείναντα. Οὐ γὰρ κεχωρισμένως καὶ ἰδιαζόντως τῆς θεότητος ὁ ἐκ σπέρματος Δαβὶδ Υἱὸς ὠνόμασται.

[1] Anon. pag. 96. — [2] § 58. — [3] Vide Cyr. lib. 1. cont. Nest. p. 9. l. 2. p. 36. 37. 40. 44. 47. 48. 49. Ad anath. 2. p. 148. ad anath. 4. p. 150. 151. ad anath. 8. p. 179. Ep. ad Mon. p. 8. 9. Ep. 8. p. 33. ad Acac. pag. 115. 116. 117. Ad Val. pag. 160. Dial. 2. de Tr. pag. 447.

agnoscit ipse. Ita Gregorius Nazianzenus in epistola priore ad Cledonium : « (1) Non enim, *ait*, hominem secernimus a divinitate : sed unum, eumdemque profitemur. »

IX. Basilius quoque quid intersit inter διαφορὰν, sive διάκρισιν, et διαίρεσιν, hoc est *differentiam* inter et *divisionem* fuse, ac perspicue demonstrat; multumque lucis affert ad id quod modo agitur, hoc est ad vindicandam ab anonymi falsa criminatione, Cyrilli et aliorum ὀρθοδοξίαν. Sic enim ille in epistola 43. de Trinitate loquens, et personarum individua conjunctione : « (2) Non potest, *inquit*, ullo modo cogitari sectio, nec divisio ; ita ut vel separatim a Patre intelligatur Filius, vel Spiritus sanctus divellatur a Filio. Verum ineffabilis, et incomprehensa quædam in istis et communio, et distinctio deprehenditur : ut nec hypostaseon differentia naturæ continuationem distrahat, neque communio, quæ est secundum substantiam, notionum proprietatem confundat. Porro non mireris quod idem et conjunctum, et discretum esse dicimus; ac nonnullam constituamus sic tanquam in ænigmate, novam, et inopinatam tum conjunctam distinctionem, tum distinctam conjunctionem. » Hæc Basilius de personarum divinarum admirabili inter se tum unitione, tum discrimine, quod ejusmodi est, ut ne personarum quidem differentia, et oppositio divisionem inducat ullam. Quod quidem suo modo, et ἀντιστρόφως ad Incarnationis sacramentum accommodari debet ; ut naturarum integra sit differentia, sine διαιρέσει, vel διασπασμῷ, hoc est *divisione*, *distractioneque* : et in una persona arctissimo nexu copulentur.

Sic etiam Orientales adversus Cyrilli anathematismum decimum disputantes, naturas duas ita fatentur ἡνωμένας, id est *unitas* esse, ut κεχωρισμένας, id est *divisas*, et *separatas* negent ; unde « (3) hominem ex muliere neutiquam seorsim ab Verbo Dei Patris divisum, ac separatum esse » dicunt.

Rursus Maximus martyr in tractatu de Voluntatibus gnomicis apud Euthymium præclare significat quid inter διαφορὰν ac διαίρεσιν intersit, dum Nestorii, et Severi contraria inter se decreta contendit ; cujus verba digna sunt quæ hic adscribantur ; præsertim cum nondum editum sit hoc opusculum. « (4) Unus, *inquit*, Nestorio, ac Severo propositus fuit impietatis scopus, tametsi diversus modus fuerit. Nam ille vitandæ confusionis gratia, unitionem secundum hypostasim detrectans, substantivam differentiam pro personali divisione accipit. Iste autem, dum cavet divisionem, substantivam tollens differentiam, unitionem secundum hypostasim naturarum confusionem facit : cum neque confusionem in Christo, neque divisionem oporteat admittere, sed unitionem differentium secundum substantiam, et unitorum secundum hypostasim differentiam profiteri. »

Ex his Maximi verbis manifestissime constat, quid inter διαφορὰν, et διαίρεσιν intersit, ac licet alias promiscue soleant accipi, sæpius tamen, et in hoc præsertim mysterio a Patribus discerni.

X. Theodoretus item, qui in Nestorium fuerat ante propensior, et cum Cyrillo simultates exercuerat, in dialogo secundo, inter alios sanctos, et catholicos doctores, quorum testimonia profert adversus hæreticos Apollinaristas, et Eutychianos, unius in Christo naturæ vindices, Cyrilli quamplurima describit, in quibus illa eadem de διαιρέσει ab hoc mysterio segreganda, salva interim διαφορᾷ, diserte scribit, quæ calumniatur anonymus. Est autem Theodoreti judicium in hac nostra controversia, propter illa quæ dixi, singulare, et incredibilis adversus anonymi calumnias momenti ac ponderis. Non enim accusari potest ille eo crimine, quod impingitur Cyrillo ; cum longe ab Monophysitarum hæresi abhorruerit, ac post Eutychem, ejusque damnationem vixerit, et scripserit : imo hanc ipsam hæresim una cum aliis Patribus, in Chalcedonensi concilio damnaverit. Cum igitur in illis, quæ ex Cyrillo citat, eadem plane contra naturarum διαίρεσιν,

(1) NAZ. pag. 738. C. Οὐδὲ γὰρ τὸν ἄνθρωπον χωρίζομεν τῆς θεότητος· ἀλλ' ἕνα, καὶ τὸν αὐτὸν δογματίζομεν.

(2) BASIL. tom. 2. pag. 810. B. Οὐ γάρ ἐστιν ἐπινοῆσαι τομὴν, ἢ διαίρεσιν κατ' οὐδένα τρόπον· ὡς ἢ Υἱὸν χωρὶς Πατρὸς νοηθῆναι, ἢ τὸ Πνεῦμα τοῦ Υἱοῦ διαζευχθῆναι· ἀλλά τις ἄῤῥητος, καὶ ἀκατανόητος ἐν τούτοις καταλαμβάνεται καὶ ἡ κοινωνία, καὶ ἡ διάκρισις, οὔτε τῆς τῶν ὑποστάσεων διαφορᾶς τὸ τῆς φύσεως συνεχὲς διασπώσης, οὔτε τῆς κατὰ τὴν οὐσίαν κοινόνητος τὸ ἰδιάζον τῶν γνωρισμάτων ἀναχεούσης. Μὴ θαυμάσῃς δὲ, εἰ τὸ αὐτὸ καὶ συνημμένον, καὶ διακεκριμένον εἶναί φαμεν· καί τινα ἐπινοοῦμεν, ὥσπερ ἐν αἰνίγματι, καινὴν, καὶ παράδοξόν διάκρισίν τε συνημμένην, καὶ διακεκριμένην συνάφειαν.

(3) Tom. 6. Cyrill. pag. 176. B. Οὐ κεχωρισμένον μέν τοι ἰδικῶς ἄνθρωπον ἐκ γυναικὸς τοῦ Θεοῦ Πατρὸς Λόγου.

(4) Apud Euth. Panop. tit. 18. Εἷς οὖν Νεστορίῳ, τε, καὶ Σευήρῳ περὶ τοῦ δυσσεβεῖν ὑπάρχει σκοπὸς, κἂν ὁ τρόπος διάφορος. Ὁ μὲν γὰρ, διὰ τὴν σύγχυσιν, φεύγων τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν, τὴν οὐσιώδη διαφορὰν προσωπικὴν ποιεῖται διαίρεσιν. Ὁ δὲ, διὰ τὴν διαίρεσιν, τὴν οὐσιώδη μή λέγων διαφορὰν, τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν φυσικὴν ἐργάζεται σύγχυσιν· δέον μήτε σύγχυσιν ἐπὶ Χριστοῦ, μήτε διαίρεσιν, ἀλλ' ἕνωσιν τῶν κατ' οὐσίαν διαφερόντων, καὶ διαφορὰν τῶν καθ' ὑπόστασιν ἡνωμένων ὁμολογεῖν.

et pro earum διαφορᾷ contineantur, quæ in crimen vocat anonymus; apparet, tum obtrectatorem istum nebulonem turpissime, insulsissimeque esse mentitum, tum Cyrillum ea recte quæ infamat iste, catholiceque scripsisse.

Libet unam ex illis Cyrilli sententiis in medium adducere, quæ ceteris disertior videtur, ex capite Scholiorum decimo tertio, « (1) Unus, *inquit*, est, et qui ante inhumanationem erat Deus verus, et qui in humanitate mansit id quod erat, et est, et erit. Non igitur dividendus est unus Dominus Jesus Christus in hominem seorsim, et Deum seorsim. Sed nos unum, eumdemque dicimus esse Christum Jesum, scientes interim naturarum differentiam, et eas inter se servantes nulla confusione permistas. » Est igitur ex opinione Cyrilli, aliud ἡ διαφορὰ, id est *differentia* naturarum; aliud ἡ διαίρεσις, hoc est divisio : quarum illam salvam, et integram manere ait post unitionem, hanc vero penitus excludit.

XI. Ita Damasus in epistola synodica ad Paulinum, anathema dicit ei, « (2) qui divinitatem partitur; adeo ut Deum Patrem separatim dicat, et Deum Filium, et Deum Spiritum sanctum, eosque dici deos, non Deum affirmat. » Hæc vera est, propriaque notio ejus, quod ἀνὰ μέρος dicitur ab Cyrillo, quodque tantopere ab Incarnatione segregat : nimirum ut quæ seorsim posita sunt, substantiva nulla in unum junctione conveniant, sed « (3) sint personæ duæ partitione, ac divisione sejunctæ, » ut Chalcedonensis synodus in Definitione fidei loquitur; cui ex adverso « unum » opponit, « eumdemque Filium, et unigenitum, Deum Verbum, Dominum Jesum Christum. » Quod Græci aliter explicare solent, affirmantes non esse carnem Christi ἰδιοσύστατον, hoc est *per se, ac proprie subsistentem*, uti Joannes Damascenus loquitur : qui personam Verbi esse dicit *ambarum naturarum hypostasim, indivise, et sine separatione*, etc. « (4) Non enim per se proprieque consistens Dei Verbi caro subsistit, neque diversa facta est hypostasis ab hypostasi Dei Verbi : sed in ipsa subsistens, potius ἐνυπόστατος, id est subsistens in Verbo fuit, et non per se, ac proprio modo cohærens. » Ex iis perspicue lucet divisionis Nestorianæ, et Cyrillianæ unitionis proprietas, nullis infuscata præstigiis, neque calumniis improbæ, ac subdolæ interpretationis ab vero declinata sensu.

Ad hunc modum Leo papa citatus ab Hildephonso Toletano in libro de perpetua virginitate sanctæ Mariæ [1]; « In nullo dividentes, *ait*, visibilem ab invisibili, corporeum ab incorporeo, etc. »

Fulgentius item libro de Incarnatione, capite undecimo, « Doctor, *ait*, et largitor humanæ salutis hanc ideo formam sancti baptismatis dedit, ne quis in eodem Filio naturas dividens, mortifero illaquearetur errore. » Sic apud Arnobium in disputatione cum Serapione [2], cum hic ita dixisset : « Hanc reverentiam Deo dare debemus, ut seorsum quæ Dei sunt, soli Deo demus; et seorsum quæ sunt hominis, homini; » Arnobius « impiam hanc esse credulitatem » asserit, « quæ quartam admittit in divina Trinitate personam. Duo enim Christi, duo erunt filii : aut certe unus Christus erit, non tamen filius Dei. » Sed testium abunde est, et plusquam satis. Non enim est obscurum, *dividendi* vocabulum, et similia, sæpius apud græcos, latinosque veteres theologos, plenam, ac perfectam significare disjunctionem, ac separationem naturarum a se mutuo; quamvis interdum pro simplici differentia sumi, non equidem negaverim : idque alibi a nobis observatum est [3]. Sed ex aliis adjunctis, et in oratione cohærentibus, prudenter æstimandum est, quæ notio vocibus illis subjecta sit; ut ex superioribus exemplis arbitror esse perspectum.

XII. Sed unum est, in quo multum se effert anonymus, et secunda quadam aura provehi videtur. Nam Cyrillus *sola mentis contempla-*

(1) CYRILL. apud Theodor. dial. 2. tom. 4. p. 111. B. Εἷς οὖν ἄρα ἐστὶ καὶ πρὸ τῆς ἐνανθρωπήσεως Θεὸς ἀληθινὸς, καὶ ἐν ἀνθρωπότητι μεμενηκὼς ὥσπερ ἦν, καὶ ἐστὶ, καὶ ἔσται· οὐ διαιρετέον οὖν ἄρα τὸν ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν εἰς ἄνθρωπον ἰδικῶς, καὶ εἰς Θεὸν ἰδικῶς· ἀλλ' ἕνα καὶ τὸ αὐτὸν Χριστὸν Ἰησοῦν εἶναί φαμεν, τὴν τῶν φύσεων εἰδότες διαφορὰν, καὶ ἀσυγχύτους ἀλλήλαις διατηροῦντες αὐτάς.

(2) DAMAS. apud Theodoret. lib. 5. Hist. cap. 10. Εἴ τις δὲ μερίσει θεότητα, Θεὸν τὸν Πατέρα λέγων ἀνὰ μέρος, καὶ Θεὸν τὸν Υἱὸν, καὶ Θεὸν τὸ ἅγιον Πνεῦμα, καὶ διϊσχυρίσαιτο θεοὺς λέγεσθαι, καὶ οὐ Θεὸν etc. ἀνάθεμα ἔστω.

(3) Chalced. syn. act. 5. pag. 340. D. Οὐκ εἰς δύο πρόσωπα μεριζόμενον, ἢ διαιρούμενον· ἀλλ' ἕνα, καὶ τὸν αὐτὸν, Υἱὸν, καὶ μονογενῆ, Θεὸν Λόγον, Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν.

(4) DAMASC. lib. 3. cap. 9. Ἀλλ' ἀεὶ ἀμφοτέρων ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίστως ὑπάρχει ὑπόστασις, etc. οὐ γὰρ ἰδιοσυστάτως ὑπέστη ἡ τοῦ Θεοῦ Λόγου σὰρξ, οὐδὲ ἑτέρα ὑπόστασις γέγονε παρὰ τὴν τοῦ Θεοῦ Λόγου ὑπόστασιν· ἀλλ' ἐν αὐτῇ ὑποστᾶσα, ἐνυπόστατος μᾶλλον, καὶ οὐ κατ' αὐτὴν ἰδιοσύστατος.

[1] Tom. 9. Bibl. 130. E — [2] Pag. 544.

[3] Lib. 4. cap. 5. § 12.

tione naturas duas in Christo discerni non semel asseruit. Ut in dialogo de uno Christo; ubi similem esse dicit conjunctionem naturarum illarum Christi ei, qua in unum hominem corpus et anima coalescunt. Harum vero « (1) differentiam sola consideratione » definit. Tum in epistola secunda ad Successum, ubi ait, quæcumque non dividuntur sola consideratione, ea prorsus a seipsis discedere, ac separata constitui : quem locum in libro quarto commemoravimus [1] : eumque præ ceteris anonymus objicit [2]. Verum quod græce scriptum est a Cyrillo : ὅσα μὴ κατὰ μόνην τὴν θεωρίαν διαιρεῖσθαι φιλεῖ, hoc est, *quæcumque non dividuntur sola consideratione*, latine sic reddit, *quæcumque non distinguuntur*, quod non est necesse. Neque tamen plurimum ad rem pertinet. Nam et in altero illo loco, qui est e dialogo de uno Christo, διαφορὰν posuit, non διαίρεσιν, cujus rationem exposui in capite illo tertio libri quarti : ubi Cyrillum ostendi nihil spectasse aliud, quam ut naturarum discrimen ita statueretur, nihil ut divisionis ac separationis in illud incurreret : quod ex iis modo plenius arbitror constare, quæ hactenus de divisione naturarum ex Cyrillo docui. Sic Agatho papa in epistola synodica, quæ est in actione quarta Synodi sextæ, « Differentiam, *ait*, adunatarum in eo naturarum sola contemplatione discernimus. »

Cum autem ex illis Cyrilli sententiis, et similibus, quas in eodem capite tertio libri quarti proposuimus, duo quædam ab hæreticis colligantur : alterum, naturas duas post unitionem non amplius differre, sed confusas et permistas esse sic, ut una supersit; quod nonnisi alterutra potest extincta fieri; vel certe duabus ipsis, quarum ex interitu tertia quæpiam existat, in qua priores illæ non sint re, et *actu* diversæ, sed δυνάμει solum ; ut in mistis corporibus a plerisque philosophis inesse quatuor elementa creduntur : alterum, naturas illas ita tertiam componere, quomodo anima et corpus unum hominem constituunt. Ex ambobus istis, prius multo magis consequi videtur quam posterius : imo hoc nulla ratione concludi potest. Non enim anima et corpus sola ratione distinguuntur ; quatenus ei, quæ *realis* dicitur, *rationis* est opposita differentia. Ex quo anonymi ἀλογιστίαν supra castigavimus [3]; qui, cum ab Cyrillo unam naturam ita coagmentari putet in Christo, uti ex anima et corpore unus homo conflatur, ea tamen ejusdem afferat testimonia, quæ alterum suadeant potius, a quo ille interim abhorret.

XIII. Verum utrumque calumniæ genus, quo una natura, duabus non manentibus, obtruditur, tum per se refutatum satis est, et ab catholica professione rejectum : tum ab ejus suspicione purgatus est Cyrillus toto fere libro tertio, nihil ut hac de re dici hoc loco necesse sit. Perpauca tamen addam propter anonymum, quæ vel illic omissa, vel hic necessario repetenda sunt. « Cyrillus innumeris in locis (ait anonymus [4] ad illum Cyrilli locum ex epistola secunda ad Successum) docet naturam divinam Verbi, et humanam non segregari in Christo. Ergo Cyrillus existimavit naturam divinam Verbi et humanam sola ratione, aut consideratione distingui. Quæcumque autem sola ratione distinguuntur, non distinguuntur realiter ; et quæ realiter non distinguuntur, sunt unum et idem realiter; et per consequens natura divina Verbi, et humana in Christo sunt unum et idem realiter secundum Cyrillum, etc. » « Et hæc, *inquit* [5], videntur insinuare Cyrillum agnovisse duntaxat in Christo unam naturam realiter simplicem, et ratione sola, aut virtualiter compositam. »

Hoc inscitiæ plenum ac perfidiæ commentum ex omnibus Cyrilli locis discutitur, quæ in capitibus superioribus allata et expensa sunt. Differentia illa, quam sola θεωρίᾳ metitur, non ad naturale discrimen, et essentiam referri debet. Hanc enim in duabus naturis plane esse diversam, ac dissimilem, et sæpe, et luculenter Cyrillus testatus est, ut ea res nemini dubia videri possit, qui hunc auctorem non cursim et oscitanter, uti fecit anonymus, sed cum attentione, et judicio legerit : verum divisionis, ut sæpe repetere cogimur, et rei ab re distractionis notionem continet. Itaque non, ut putat anonymus, ei distinctioni, quam *realem* vocant, Græci πραγματικὴν, velut opposita respondet hæc, de qua nunc agimus, ἡ κατὰ θεωρίαν, quæ eadem et κατ' ἐπίνοιαν, vel etiam λόγῳ nominatur a græcis theologis. De qua fusissime disseruimus in libro primo de Deo, capite decimo, ac multa illic explicavimus, huic, quam modo pertractamus, quæstioni apprime necessaria. Ex quibus breve illud tenendum est, differre illa κατ' ἐπίνοιαν, hoc est *cogitatione*

(1) Cyrill. tom. 5. par. 2. dial. de uno Christo, p. 736. Ἤδει καὶ ᾔδει σαφῶς τὰ ἐξ ὧν ὁ εἷς ἐστι, καὶ θεωρίᾳ μονῃ ληπτὴν ποιεῖται τὴν διαφοράν.

[1] Cap. 3. § 14. — [2] Pag. 75. et 89. — [3] Cap. 18. § 7. — [4] P. 89. — [5] Anon. p. 90.

intelligentiaque nostra, quæ in eadem re, et circa eamdem cohærent, nec separatim consistunt, sive alioqui re differant a se mutuo, sive sola ratione. Sic enim color, figura, ceteræque qualitates, et accidentia, in eodem corpore, cum reipsa discrepent a se invicem et a subjecto, dicuntur tamen sola ἐπινοίᾳ differre; quia seorsim, et a seipsis dirempta non existunt. Sic etiam personæ tres in Deo τῇ ἐπινοίᾳ, et *cognitione*, *vel intellectione*, ac θεωρίᾳ differunt, cum tamen re maxime distent. Sic in accensa face flammam a materia λόγῳ, id est *ratione* discerni, Gregorius Nyssenus ait in libro Catechetico capite 10. reipsa vero minime separari, quia flamma neutiquam ab materia seorsim existit. Unde plures nos ibidem τῆς κατ' ἐπίνοιας distinctionis gradus esse monstravimus, ac species majores alias aliis, quæ omnes in eo conveniunt, quod ad mentis cognitionem referuntur; quæ quidem ea, quæ in subjecto copulata, et indivisa nobis occurrunt, ac sensus nostros pulsant, et afficiunt, postea contemplando minutatim secat, et discernit. Ex quo perspicuum est, differentiam illam, quæ est κατ' ἐπίνοιαν, vel θεωρίαν, oppositam illi esse, quæ est κατ' αἴσθησιν, sicut νοῦς, id est mens, sensibus opponitur, cum de cognitione agimus.

XIV. Sic apud Aristotelem differentia universe dividitur in eam, quæ est τῷ λόγῳ, et eam quæ est τῷ ὑποκειμένῳ : quarum prior de iis dicitur, quæ simul, et in eodem subjecto, vel quasi subjecto posita, sola ratione separantur : posterior ea continet, quæ extra se invicem consistunt. Ut autem diversæ res alioqui idem sint τῷ ὑποκειμένῳ, ac sola ἐπινοίᾳ, vel λόγῳ differre censeantur; necesse est, ut nexu aliquo, et conjunctione naturali, ac proprie dicta in unum aliquid coalescant : cujusmodi est formæ cum materia, vel accidentis cum subjecto, vel partis cum toto, alterave parte, aut similis aliqua copulatio, qua unum, quod vocant *physicum*, e pluribus existit : quo etiam pertinet modi cum re modificata unitas.

Quam nostram cumprimis utilem, imo necessariam, animadversionem ad intelligendos Patres, et ad plerasque componendas controversias, mirifice confirmat Cyrillus, qui veram, et quam φυσικὴν, aut καθ' ὑπόστασιν vocant unitionem, hoc est naturalem, solidam, non fictione, vel arte, aut adscititio aliquo modo, externoque conciliatam, opponit semper ei distinctioni, ac differentiæ, qua res ἰδικῶς, vel ἰδίᾳ, vel ἀνὰ μέρος, hoc est seorsim, separatim, altrinsecus, ac diversa in parte collocantur. Tum etiam verba illa quasi ex adverso ponit, διατεμεῖν, διαιρεῖν, διορίζειν, διϊστάναι, χωρίζειν, quæ *separare, divellere, dissecare, unum ab altero disjungere, ac divisim statuere* significant : de quibus multum ac sæpe his in libris verba fecimus.

Apparet autem, si quis non plane obtuso, ac plumbeo sit ingenio, qui ad ista legenda se confert, nostram illam de discrimine, quod est θεωρίᾳ, vel ἐπινοίᾳ ex mente veterum observationem, securis instar esse ad omnes obtrectatoris anonymi succidendas, evertendasque cavillationes, ut ludibrium deinceps et contemptum, pro illa, quam ex ista novitate aucupatus est, gloriola merito suo consequatur.

XV. Atenim instat anonymus [1], et Cyrilli verba [2] nobis objicit, quibus ait, « naturas duas unitas esse; post unitionem vero, sublata jam in duas divisione, unam esse Filii naturam, sed incarnati : » quem locum alibi descripsi [3]. Hinc autem argumentatur sic anonymus : Cum Cyrillus dicat, *sublata jam divisione, unam esse naturam*, necessarium esse, ut ante Incarnationem humanitas aliquando separata fuerit a divinitate Verbi : « Non enim potest tolli divisio, seu separatio, nisi fuerit antea. » Tunc igitur separatim existens humana illa natura, suppositum erat humanum, humanave persona.

Sed huic calumniæ jam occurrimus in libro quarto, capite nono, et decimo : ubi ostendimus, Cyrillum nusquam scripsisse naturas *ante unitionem* fuisse duas, quod Eutychiani perperam usurparunt, tanquam ab illo dictum; verum hoc unum asseruisse : naturas duas, uti quidem notione, intelligentiaque capimus, unitas fuisse; hoc est, nos sic illas adumbrare cogitando, velut divisas, et postea convenientes in unam personam. Non tamen significavit uspiam, duas illas ipsas divisas a se invicem aliquando fuisse. Minime autem est consequens ex eo, quod prius natura, vel ratione, et cogitatione nostra unum altero dicitur, idipsum in re esse quod in nostra consideratione versatur; ac duas affirmare personas, et supposita a se mutuo separata, pro eo quod unam naturam separatim ab altera intellectione nostra delineamus. Hoc enim existimare, est ratione, communique sensu destitutum esse. Nam sexcenta id genus quotidie philosophorum, ac theologorum in scho-

[1] Anon. p. 97. — [2] Cyr. ep. ad Acac. p. 115. D.

[3] Lib. 4. c. 9. § 2.

lis audiuntur : velut cum Patrem priorem cogitamus Filio, et hunc utrumque Spiritu sancto : aut divinas proprietates ab essentia, et a se invicem cogitando dividimus. Sed vide capita illa duo nostra, ubi quod hic necesse dictu erat antevertimus.

XVI. Tertia nunc anonymi superest ἐπίστασις [1], qui considerari jubet, « Cyrillum reprehendere Nestorianos, quod solam unitionem secundum personam agnoscerent, unitionem vero secundum naturam rejicerent; ut patet ex libro de recta fide ad Reginas [2] : Cyrillum vero eodem libro [3] statuere, Verbum carni unitum esse secundum naturam, et Christum Jesum assumptum esse in unam Deitatis naturam. Ex quibus manifeste liquet, Cyrillum credidisse, Verbum, et humanitatem unita esse non tantum in unitatem personæ, sed etiam in unitatem naturæ. »

Hæc anonymi ratiocinatio futilis, et irrita esse convincitur ex iis, quæ supra capite secundo, de hypostasi, et unitione *secundum hypostasim*, ex Cyrilli mente proposuimus, itemque de unitione secundum naturam : quibus si adjungas ea, quæ de unitione secundum personam ex Nestorii opinione diximus libro tertio, capite tertio [4], nihil erit in eo, quod objectum est ab anonymo, non explicatu facile. Meminerit tantum eruditus lector, ἕνωσιν τὴν κατὰ φύσιν, et καθ' ὑπόστασιν, non esse qualem iste somniat, qua una fit ex duabus natura, sed veram, solidam, et naturalem, qua fit unum aliquid per se, proprieque dictum, non σχέσει sola, et habitudine *morali*. Etenim naturale id appellatur, non solum quod ad rei essentiam, et τὸ τί ἦν εἶναι, sive *quidditatem* pertinet, sed etiam quidquid ex interioribus naturæ principiis, causisque proficiscitur : ut sunt accidentia quædam propria, tum existendi modi, et alia, quæ licet extra *notionem*, et, ut vocant, *conceptum essentiæ* cujusque rei sint, ex hac tamen profluunt, et eam comitantur, afficiunt, ac modificant. Sic existendi proprietas, quem τρόπον τῆς ὑπάρξεως Græci nominant, Latini *subsistentiam*, et *hypostaticam*, aut *personalem proprietatem*, naturale est aliquid substantiæ. Ideo Verbi et humanitatis conjunctio καθ' ὑπόστασιν facta eadem et κατὰ φύσιν vocatur; non modo cum ὑπόστασις pro natura reipsa existente sumitur, ut ab Cyrillo usurpatam esse illic ostendimus, sed etiam cum personam significat : quippe τὴν κατὰ φύσιν, id est *naturalem* unitionem intelligimus, non quæ in naturis fit ipsis, et quæ unam ex ambabus naturam efficit, sed quæ in naturali proprietate fit; hoc est in modo subsistendi Verbi proprio, qui re idem est cum essentia, a qua ἐπινοίᾳ sola distinguitur. Hinc Alcimus Avitus Epistola secunda [5], « assumptum hominem in divinitatis naturam transiisse » dicit.

Quamobrem, etsi vox ὑπόστασις, si ad vivum ista resecemus, et, ut scholæ loquuntur, *formaliter*, paululum diversa significatione accepta sit ab Cyrillo, quam ab reliquis deinceps græcis, latinisque theologis; quod ille naturam, ut dixi, reipsa cohærentem, et existentem ita nuncuparit; hi vero, personam, et naturam, qua ultimo complemento est affecta : nihilominus utraque ratio in idem recidit, et utrobique *unus* duntaxat ex illa conjunctione, non *unum*, extare conceditur, hoc est una persona, et subsistentia, non natura una, vel essentia.

XVII. Nec est prætereunda anonymi impostoris hallucinatio [6], qui hoc ab Cyrillo scriptum objicit, « Christum Jesum assumptum esse in unam deitatis naturam : » unde conclusionem ita nectit [7] : « Sicut in definitione concilii Chalcedonensis, hæc verba, *Utraque natura, scilicet divina et humana, concurrunt in unam personam et hypostasim*, sic explicantur ab omnibus : Natura divina Verbi, et humana constituunt tantum unam personam, et hypostasim; ita etiam hæc verba Cyrilli, *Christus Jesus est assumptus in unam deitatis naturam*, sic debent explicari : Humanitas Christi assumpta a Verbo, et Verbum ipsum, constituunt unam naturam deitatis; atque adeo humanitas assumpta est, juxta Cyrillum, non tantum in unitatem personæ, sed etiam in unitatem naturæ deitatis. »

Antequam de errore dico, et falsa Cyrilliani loci illius interpretatione; paululum stupiditatem hominis, et attonitæ mentis vertiginem admirari libet, qui eum sensum Cyrilli verbis subjicit, quem nulla humana ratio potest consequi, et hanc illi affingit opinionem, quæ seipsam collidit, et evertit. Cyrillus, inquit, asserit, *Jesum assumptum esse in unam deitatis naturam*. Hoc est, *humanitatem Christi, et Verbum ipsum constituere unam naturam deitatis*. Primum, Jesus Christus non est assumptus a Verbo : quod tamen necessarium est, ut cum Verbo naturam unam deitatis efficiat. Etenim nihil in deitate fieri, aut in-

[1] Anon. p. 99. — [2] P. 63. et 66. to. 5. Par. 52. — [3] P. 52. — [4] § 14.

[5] Avit. p. 12. — [6] Ibid. p. 99. — [7] Ibid. p. 100.

novari potuit, nisi per assumptionem. Atqui Jesus Christus non solam humanam naturam significat, sed Verbum ipsum cum ea copulatum, et utramque simul naturam exprimit. Falso igitur, et insulse Jesum Christum assumptum esse dicit in unitatem naturæ, ita ut ex assumpto Christo, et natura divina una sit natura facta. Nam Christus perinde divinam, atque humanam complectitur. Itaque sic anonymi enuntiatum illud habet, ac si diceret, *divinam et humanam naturam assumptam esse in unitatem divinæ naturæ* : quæ βαττολογία est ineptissima.

Deinde perabsurda est ista collectio : *Humanitas Christi, et Verbum ipsum constituunt unam naturam deitatis.* Siquidem natura deitatis simplicissima est et compositionis expers, nec humanitatem habet admistam : alioqui non minus Pater, et Spiritus sanctus incarnati, et homines facti essent, quam Verbum ipsum : quoniam tribus est ex æquo communis deitas. Sed neque vel deitas, vel humanitas potest illa natura censeri, quæ humanitatis assumptione, accessioneque degeneravit in tertiam ab utraque diversam : quemadmodum natura hominis ex anima constans et corpore, neutrum est, si proprie loqui volumus, sed tertium quiddam. Neque corpus ex elementis quatuor compositum ignis est, aut eamdem cum eo naturam habet.

Quænam igitur est Cyrillianæ illius opinionis ratio ex anonymi interpretatione? aut quomodo consequens est ex eo, quod illum dixisse fingit, *humanitatem Christi assumptam a Verbo fuisse*, ut una ex utraque deitatis natura constituta sit? Atqui alibi, ut jam vidimus, et dicturi sumus postea, sic ille Cyrillum exponebat, ut ex duarum concursu naturarum unam aliquam tertiam fieri dissimilem ambarum adstrueret : quod omnino necesse est fieri, si est una natura Christi ex duabus composita, ut nugatur anonymus.

XVIII. Nunc Cyrilli locum expediamus, quem ab isto minime intellectum diximus. Ibi, prout totius libri est argumentum, probare studet Cyrillus, Christum Dominum non esse nudum hominem, sed Deum : atque hoc ex illis Apostoli verbis adstruit [1] : *Nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.* Hic enim Christus una cum Deo Patre in unam divinitatis appellationem, ac naturam assumitur : ex quo, conclusa ratione, Deus esse monstratur. Verba Cyrilli : « (1) Si solum unus est Deus, *inquit*, non est alter præter ipsum ; assumitur autem in unam illam deitatis naturam unus Christus Jesus per quem omnia ; consequens est, hunc esse Deum, qui consubstantialis Patri secundum divinitatem intelligitur, etiam quando appellatus est Jesus Christus ; cum videlicet ex muliere genitus est. Observandum est porro, Apostolum, cum nominasset Jesum Christum, statim dixisse, omnia per ipsum facta esse, ut ostenderet, unum duntaxat esse Filium, secundum dispensatoriam unitionem. » Hinc evidens est, quod Cyrillus dixit, *Jesum Christum assumptum esse in unam divinitatis naturam*, hunc habere sensum, annumeratum esse Christum Deo Patri, ac perinde Deum esse nominatum, et ei attributam divinitatis naturam ; quod idem valet, atque usitatum illud postea, *unum esse Christum de Trinitate, vel unam personam :* ac turpissime hallucinatum fuisse anonymum, qui assumptionem istam putavit esse unitionem humanæ naturæ cum Deo.

Et hactenus quidem prima discussa est anonymi ratio, qua Cyrillum Apollinaristam, et Eutychianæ auctorem hæresis fuisse, probare studuit. Reliquæ sunt quinque ; quarum nonnullæ jam in antecedentibus explicatæ, dissolutæque sunt. Referemus tamen deinceps universas, et de singulis quod necesse videbitur exponemus.

(2) Cyrill. de Recta fide tom. 5. par. 2. p. 63. B. Εἰ μόνος εἷς ἐστι Θεὸς, καὶ ἕτερος παρ' αὐτὸν οὐδείς· συμπαραλαμβάνεται δὲ εἰς τὴν μίαν τῆς θεότητος φύσιν ὁ εἷς Χριστὸς Ἰησοῦς, δι' οὗ τὰ πάντα· Θεὸς οὖν ἄρα ἐστὶν ἐν ὁμοουσιότητι τοῦ Πατρὸς, νοούμενος θεϊκῶς, καὶ ὅτε κεχρημάτικεν Ἰησοῦς Χριστὸς, γενόμενος ἐκ γυναικός. Ἐπιτηρῆσαι δὲ χρὴ, ὅτι Χριστὸν Ἰησοῦν ὀνομάσας, δι' αὐτοῦ τὰ πάντα γενέσθαι φησὶν, ὡς ἑνὸς ὄντος Υἱοῦ καθ' ἕνωσιν οἰκονομικὴν,

[1] 1. Cor. 8. 6.

CAPUT DECIMUM.

Reliquæ anonymi contra Cyrillum rationes examinantur. — 1. Imprimis quarta, quod Cyrillus ex Verbo et humanitate unam naturam incarnatam fieri dixit, similiter atque ex anima et corpore una hominis natura coalescit. — 2. Similitudines non omni ex parte congruere. — 3. Quid in illa comparatione, qua cum homine composito Christus confertur, antiqui spectaverint, variis ex eorum sententiis ostenditur; nimirum non unam naturam in Christo; sed unam personam, vel unum Christum in duabus naturis existere. Reliquæ anonymi duæ rationes refelluntur.

I. Secunda anonymi ratio [1] ex locis illis Cyrilli petitur, in quibus unam hypostasim Christi asserit, et naturas καθ' ὑπόστασιν unitas esse. Hypostasim porro ab Cyrillo pro natura sumi multis ex eo depromptis sententiis affirmat. Verum de hac re uberrime hucusque disputatum est, et Cyrilli mens ususque vocabuli istius explicatus, capite præsertim secundo; quo minus hic attinet in iisdem repetendis tempus consumere.

Tertia vero ratio [2] ludicra est, neque nostram operam meretur. Cyrillus, ait anonymus, Verbum et humanitatem ait εἰς ἕν, id est *in unum* concurrisse. Atqui sicut ὁ εἷς, id est, *unus*, unam personam: sic τὸ ἕν id est *unum*, naturam significat. Respondemus, interdum τὸ ἕν in neutro genere qualemcumque tandem unitatem exprimere; et universe accipi: ut εἰς ἕν τι συνδρομὴ sit conventio, et concursus ad unum aliquid constituendum. Est autem una persona unum aliquid. Itaque stolidum est in istis tricari, et otio ac patientia lectoris abuti.

Quarta porro argumentatio [3], qua Cyrillum Eutychianæ probat auctorem hæresis fuisse, ex iis locis texitur, quibus asserit, *ex Verbo et humanitate factam fuisse unam naturam Filii incarnati, sicut ex corpore et anima una fit natura humana.* Cujusmodi loca quamplurima colligit anonymus; quorum major pars sparsim, uti res ferebat, in superioribus libris et capitibus est descripta. Ut autem illa minime repetam, et quæ de hac Christi ex Verbo et humana natura compositi cum homine comparatione pluribus in tertio libro dicta sunt [4]: unum illud imprimis adversus anonymum præscribam, vel potius contra Severum impurissimum hæresiarcham, a quo hanc ille calumniam didicit, ut ex iisdem Cyrilli testimoniis concluderet, unam Christi naturam esse compositam, sicut est hominis una natura ex anima et corpore conflata: ut refert Anastasius Sinaita [5]. Hoc igitur adversus utrumque ex æquo detestabilem opponam; pessime ab istis colligi ex Cyrilli sententiis omnibus, quas afferunt, talem hujus opinionem extitisse. Etenim si quam naturam intellexisset effici ex duabus illis, tanquam partibus componentibus, tertiam et compositam; non illam Cyrillus appellaret *naturam Verbi incarnati*, vel *incarnatam*, ut capite octavo libri hujus observavimus [6]: sed naturam Christi vocaret. Quemadmodum natura hominis ex anima et carne composita non dicitur natura animæ incarnata, id est *caro facta:* neque *natura animæ incarnatæ*, sive *carnis factæ.* Quippe animæ natura sive in carne, sive extra carnem eadem est, ac prorsus immutabilis; neque componitur ex carne et seipsa.

Atqui Cyrillus, ut ait Leontius « (1) non dixit naturam unam Christi incarnatam, sed naturam unam Dei Verbi incarnatam : » et hac posteriori voce, naturam expressit alteram, ut ambas in Christo naturas significaret, easdemque perfectas, ut alibi dictum est [7]. Sed neque naturam unam ex Verbo, et humana natura vel effectam, vel compositam dixit alicubi Cyrillus : cum ita passim de homine loqui consueverint, ex anima et corpore unam effici et componi naturam hominis perinde atque personam.

II. Non est ergo eadem utrobique compositionis ratio; nec ex omni parte similitudo ista convenit : quod in omni comparatione, et assimilatione rerum quarumlibet usuvenit : et hoc suus cuique communis sensus, ac diligens singularum contemplatio persuadere potest. Ac profecto, ut est anonymi, et similium nebulonum ratiocinandi vis et institutum, nullum Christianæ fidei dogma, neque divinarum rerum ulla jam explicari, aut illustrari simi-

(1) Leont. de Sect. cap. 8. tom. 11. bib. p. 525. C. Οὐ γὰρ εἶπε τοῦ Χριστοῦ μίαν φύσιν σεσαρκωμένην· ἀλλὰ μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένην.

1 Anon. p. 101. — 2 Ibid. p. 113. — 3 Ibid. p. 116. — 4 Cap. 9. et 10. — 5 Anastas. in ὁδηγῷ cap. 18. p. 308. — 6 § 6. et seq. — 7 Lib. 4. c. 7.

litudine aliqua poterit, quin eadem ac Cyrillo, importari calumnia possit. Imo latius diffundetur hæc pernicies, ut humano jam sermone declarari res nulla queat, cum hoc sine aliarum rerum similium collatione vix fiat. Docet istud ipsum pluribus Joannes Chrysostomus, (1) et exempla, similitudinesque de rebus petitas sic accipi vetat, tanquam per omnia quadrent, et paria faciant : alioqui quamplurima secutura stulta et absurda probat. Idem et Gregorius Nyssenus observat in libro Catechetico ; ubi exemplo ignis ligno, vel alteri materiæ adhærentis explicat divinæ naturæ cum humana conjunctionem ; (2) ac ne quis ex eo, quod ignis corpus illud, in quo inest, consumit, ac depascitur, simile aliquid in suscepta carne fieri a Verbo suspicetur, admonet, ab illa comparatione detrahendum esse quidquid est disconvenientis, et absurdi, et id solum arripiendum quod decens et consentaneum est.

Sic Theorianus in legatione Armeniaca [1], cum Catholicus Armeniæ Monophysitarum hæresim propugnans, idem, quod illius sectæ homines consueverant, opponeret exemplum unius hominis naturæ, ex anima et carne coagmentatæ, idque passim a sanctis commemorari solere diceret; nec pateretur ex illa similitudine decerpi aliquid, quod conducere videretur ; aliud omitti : ita, inquam, instanti hæretico, uti nunc facit anonymus, respondet Theorianus, morem hunc esse Scripturæ, ut non omnes similitudinum partes ad propositum accommodare curet : quod si quis instituat, tum innumera sequi ridicula, et absona.

Non aliter quoque Anastasius Sinaita in libro, qui Ὁδηγὸς inscribitur, Severum hæreticum ex eodem argumentantem hominis exemplo silere jubet : « (3) Non enim exempla cum rebus exæquari ; ut cum Christus vermis, leo, aut ovis appellatur, etc. quarum tamen similitudo secundum naturam ac substantiam minime constat. »

Hoc adeo tum in ceteris, ut dixi, fidei nostræ mysteriis res ipsa demonstrat, tum maxime in omnium præstantissimo, et abstrusissimo Trinitatis dogmate : ad quod explicandum quam multa diversis ex rebus non solum spiritalibus, sed etiam corporeis, et plerumque vilissimis, exempla ducuntur? quæ si quis ad vivum resecare velit, et omni ex parte comparare, in quamplurima revolvetur impia, et infanda. Ita quippe Sabellii perfidiam in usitato illo triplicis in anima rationali exemplo facultatis corroboratam inveniet ; ut perinde una esse dicatur persona Dei, sicut animæ una est hypostasis.

Vide Epiphanium [2], qui Apollinaristarum cavillationes ex eadem regula coercet ; nec similitudines quadrare penitus, Scripturis testibus affirmat. Sic etiam Basilius Epistola 43. [3] cum iridis similitudinem adhibet ad Trinitatis explicandum mysterium, simili cautione est usus.

III. Quod igitur in illa similitudine hominis ex anima, et corpore constituti quærendum esse, et cujus assumi eam causa solere consentiunt antiqui omnes Patres, istud est potissimum, ut unum aliquid proprie, vereque, ac substantivum, et naturale sciremus ex Dei, et hominis copulatione fieri ; non extrinsecus duntaxat applicata, et adhærente natura hominis, quasi veste quadam, aut domo : sed ad interiorem unitionem assumpta : ut ex utroque constet unus Christus, Dei et hominis filius, ideoque Deus et homo verus, et ejusdem cum Deo Patre, ac matre fœmina substantiæ. Quod cum in unica, quamlibet ex partibus integris manentibus composita natura, neque fieri possit, neque mente percipi, ut antea demonstravimus : hoc solum reliquum est, ut existat ex ambobus substantive copulatis unus ille Christus, hoc est una persona in duabus naturis subsistens.

Hunc similitudinis illius usum indicant, approbantque græci, latinique Patres omnes, quos in plerisque libris operis hujus, auctores citavimus : e quibus paucos hic referemus. Gregorius Nazianzenus in priore ad Cledonium epistola eadem usus comparatione cum homine, asserit non existere filios duos. « (4)

(1) Chrysost. hom. 26. in 1. ad Cor. pag. 409. v. 25. Μὴ τοίνυν κατὰ πάντων δέχου τὰ παραδείγματα. Ἐπεὶ καὶ ἀλλαχοῦ πολλὰ ἐντεῦθεν ἀπαντήσει χαλεπὰ ἁμαρτήματα.

(2) Greg. Nyss. lib. Cat. c. 10. tom. 2. pag. 498. Καὶ μηδεὶς τὸ φθαρτικὸν τοῦ πυρὸς συμπαραλαμβανέτω τῷ ὑποδείγματι· ἀλλ' ὅσον εὐπρεπές ἐστι μόνον ἐν τῇ εἰκόνι δεξάμενος, ὃ ἀνοίκειον, καὶ ἀπεμφαῖνον ἀποποιείσθω.

(3) Anast. cap. 18. pag. 310. Ὅτι οὐκ ἐξομοιοῦνται τοῖς παραδείγμασι τὰ πράγματα. Ἐπεὶ καὶ σκώληξ εἴρηται ἐν τῇ γραφῇ τύπος τοῦ Χριστοῦ εἶναι, καὶ λέων, καὶ πρόβατον, καὶ ἀρνίον, καὶ φοίνιξ, καὶ μῆλον, καὶ κρίνον. Ἀλλὰ μὴν οὐδὲν τούτων κατ' οὐσίαν ἐξομοιοῦται φυσικῶς. Vide et cap. 19.

(4) Naz. or. 51. pag. 729. A. Φύσεις μὲν γὰρ δύο Θεὸς, καὶ ἄνθρωπος· ἐπεὶ καὶ ψυχὴ, καὶ σῶμα. Υἱοὶ δὲ, οὐ δύο, οὐδὲ θεοί. Οὐδὲ γὰρ ἐνταῦθα δύο ἄνθρωποι.

[1] Tom. 11. Bibl. p. 458.

[2] Hær. 77. § 33. — [3] Basil. tom. 2. p. 810.

Naturæ quippe duæ sunt, Deus et homo : quandoquidem anima etiam et corpus totidem sunt naturæ : at non filii duo, neque dii sunt duo. Non enim illic homines sunt duo. » Eadem omnino Cyrillus, ac frequenter usurpat. Velut in tertio libro contra Nestorium, cum ejus συνάφειαν, et fucatam conjunctionis speciem redarguens, « (1) Quid tu, *inquit*, o bone vir, facis? Prorsus unus est homo, qui rerum potitur, etsi ex duobus compositus esse videatur : anima, inquam, et corpore. Cur igitur frustra nugaris ; gestantem, et gestatum, latentem, et apparentem nominans, et tanquam alterum cum altero simul adorare te confitens ; et unitionis modum dedecorans, cum divinæ litteræ unum nobis prædicent Christum, et Dominum, Verbum scilicet a Patre genitum, cum propria carne? »

IV. Eodem respexit Gelasius papa in libro adversus Eutychem et Nestorium [1] : « Numquidnam cum homo ex anima constet, et corpore, *inquit*, quorum duas naturas esse non dubium est, non adunatione naturali una persona, et unus est homo? Amplius dicimus; certe et interiorem hominem, et exteriorem Scripturæ divinæ sæpe testatur auctoritas : et tamen non ideo duo homines in uno, sed una persona, et unus est homo, etc. Quanto magis in illa ineffabili adunatione indivisibili, nunquamque solvenda, sicut salva proprietate utriusque naturæ, ex quibus hoc mysterium constare non dubium est, et sine quibus constare non posse manifestum est; sicut una eademque persona est Domini nostri Jesu Christi ; sic integer, sic unus, sic verus Christus est. » Ecce tibi Gelasius papa contra Monophysitas unius compositæ naturæ defensores, pro duabus disputans, *unitionem* earum in Christo *naturalem* non dubitavit dicere. Qua fronte igitur ad calumniandum Cyrillum illud anonymus profert, quod ἕνωσιν φυσικὴν eamdem conjunctionem vocavit? cujus appellationis rationem supra reddidimus. Quam et Ecclesiæ Illyricianæ synodica epistola ad Symmachum [2], ex Leonis papæ, et Chalcedonensis concilii decretis explicat, cum illam « duarum substantiarum, aut naturarum unitatem » vocat « in una eademque persona, et unius substantiarum magni Dei, et salvatoris nostri Jesu Christi. » Hinc enim liquet, *naturalem unitionem* dici, non quod unam ex ambabus naturam facit, sed quod naturarum duarum in unam eamdemque personam, sive in unum Christum, Deique filium nexus est, ac vinculum. Quare nihil aliud vel Cyrillus ipse, vel alii Patres in exemplo illo persecuti sunt, quam ut adversus Nestorianam hæresim docerent, quod eadem Synodica pertexit, « Unam scire personam, et substantiarum inseparabilem unitatem, ex duabus substantiis, et naturis, et in duabus substantiis, et naturis. » Vide Eulogium Alexandrinum apud Photium codice 230. [3] qui ad hoc tantum adhibitam hanc esse similitudinem ait ab Cyrillo, ut τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν ostenderet. Vide et S. Thomam in opusculo tertio contra Græcos, capite sexto. Hunc Cyrilli consensum cum synodo Chalcedonensi, « in unum ex ambabus naturis Christum et Filium, non evacuata, aut sublata diversitate naturarum per conjunctionem, » accurate Vigilius exponit in calce libri quinti et ultimi contra Eutychem : et ab utrisque traditum, ac defensum esse dicit, « Utrasque naturas in una persona convenisse : nec in duas personas divisum, sed unum eumdemque esse Christum. » *Unum*, inquam, *ex ambobus, scilicet naturis, Christum filium.* Denique, « Divinitatem et humanitatem simul nobis effecisse unum Dominum Christum et Filium. »

V. Quin idem Vigilius in illo ipso quinto libro, similitudinem hominis ex anima et carne compositi purgat ab æmulorum, obtrectatorumque calumniis, et quid in illa spectandum sit docet [4]. « Siquidem negari non potest, *ait*, ut superius dixi, hominem ex duabus constare naturis, animæ scilicet, et carnis. Nemo tamen nisi insipiens, et totius rationis expers, recte hominem dixerit duas habere personas : aut quia rursus una est hominis persona, recte opinatus sit unam esse carnis, animæque naturam. Non esse autem unius naturæ corpus et animam, Salvator in Evangelio docuit, dicens : Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Quid ergo inauditum, quid a

(1) Cyrill. lib. 3. con. Nest. tom. 6. pag. 57. B. Τί δρᾷς, ὦ οὗτος, λέγων ; εἷς ποῦ πάντως ἄνθρωπός ἐστιν ὁ κρατῶν, κἂν ἐκ δυῶν ὁρῷτο συγκείμενος, ψυχῆς δὴ λέγω, καὶ σώματος. Τί τοίνυν ἡμῖν εἰκῆ βατταρίζεις, φοροῦντα, καὶ φορούμενον, κεκρυμμένον, καὶ φαινόμενον ὀνομάζων, καὶ ὡς ἕτερον ἑτέρῳ συμπροσκυνεῖν ὁμολογῶν, καὶ τὸν τῆς ἑνώσεως ἀτιμάζων τρόπον· ἕνα Χριστὸν, καὶ Κύριον ἀποφαινούσης ἡμῖν τῆς θεοπνεύστου γραφῆς, τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγον, μετὰ τοῦ ἰδίου σώματος;

[1] Gelas. tom. 4. Bibl. 422. C. — [2] Tom. 3. Bib. 141.

[3] Phot. p. 446. — [4] Vigil. tom. 4. Bibl. 524. D.

scripturis canonicis alienum, et peregrinum, ut sicut credimus, et experimur, unum esse hominem animam rationabilem, et carnem, ita credamus unum esse Christum Deum, et hominem, sicut apostoli docuerunt, et sicut nobis viri apostolici tradiderunt? » Theorianus in legatione ad Armenos diserte accurateque rationem similitudinis illius exposuit ex Cyrilli sententia. « (1) Exemplum, *inquit*, istud nostræ compositionis ad hoc solum B. Cyrillus assumpsit, ut ostenderet, fieri posse, ut ex duabus, ac differentibus naturis una fiat hypostasis : quemadmodum ex anima et corpore Petrus, exempli causa, vel Paulus. Cum enim adversus Nestorium contenderet, qui impossibile esse dicebat ex differentibus naturis unam hypostasim confici; ideoque in duos Christos, et duos filios, unum Christum, et individuum stulte partiebatur, illud exemplum hominis in medium adduxit, ut monstraret, sicut ex anima et corpore unus existit homo, sic ex divinitate, et humanitate unum esse Christum. »

Idipsum et quinta Synodus canone octavo præscripsit, decrevitque, unum ex duabus naturis Christum, non unam naturam existere, ex Patrum sententia.

Hæc fuit itaque causa cur Cyrillus similitudinem illam hominis tam sæpe contra Nestorium opposuit, ne divisi a se invicem crederentur Deus et homo; sed ut unus per se proprieque Christus, unusque Dei filius adversus profanam illius separationem haberetur, de quo vide iterum Cyrillum libro secundo contra Nestorium [1], et Etherium ac Beatum adversus Elipandum [2].

Quod si hæreticus eo nomine censendus est Cyrillus, quod ejusmodi exemplo ad explicandam tanti mysterii proprietatem usus est, nihil jam causæ sit, quin eadem damnatione plerique omnes veterum implicentur, qui similitudinem istam adhibuerunt : ut Gregorius Nazianzenus [3], Theodoretus [4], Hilarius [5], Augustinus [6], Leo papa [7], Vigilius [8], Vincentius Lirinensis, Bernardus [9], Anastasius Sinaita [10] : Theorianus [11], Etherius ac Beatus [12], et innumerabiles alii. Ipse adeo Nestorius [13], quem anonymus sacrilega temeritate Cyrillo, et Ephesino concilio, totique adeo anteponit Catholico nomini, idem usurpavit exemplum.

VI. Quintum genus argumentationis, quo Cyrillum hæresis auctorem Eutychianæ fuisse probat anonymus, ex mutua proprietatum, et attributorum communicatione petitur : nominatim vero iis illum sententiis oppugnat, in quibus carni, hoc est humanæ naturæ, quæ sunt divinitatis propria tribuere videtur : cujusmodi sunt, ubique esse; omnium habere scientiam; eadem, quæ divinitati adhibetur, adoratione affici; easdem quoque cum divinitate operationes habere : quæ singula fere proprias et separatas disputationes requirunt, quas suis locis reddemus. Nam quod ad proprietatum communionem universe attinet, ea libro quarto copiose pertractata est. Nunc unum, aut alterum argumentum anonymi contra istam proprietatum mutuam participationem ex Cyrilli collectum sententiis paucis diluendum est.

Imprimis ergo [14] Cyrillum ait in plerisque illis locis, quos attulit, « statuere disertis verbis communionem illam proprietatum inter naturas etiam in abstracto : quod est hæreticum. » Ut cum dicit « facta esse Verbi propria quæ sunt humanitatis; rursumque humanitatis propria quæ sunt ipsius, Verbi. » Sed perfacilis est responsio ex illis regulis, quas communioni idiomatum exprimendæ libro quarto præfiximus, sexta videlicet, et septima : quarum prior communionem illam non *secundum formam*, sive *in sensu formali* fieri statuit; sed *secundum materiam*, sive *in sensu materiali* : ut cum *homo Deus*, vel *Deus homo*, sive *Verbum caro factum* dicitur, non sic intelligi debeat, tanquam natura hominis ipsa Verbi naturam acceperit : aut vicissim hæc illam : sed ut de eodem supposito utcumque prædicetur. Posterior vero regula communionem proprietatum enuntiari vetat iis vocabulis, quæ naturam præcise significant;

(1) THEOR. tom. 11. bibl. pag. 456. B. Τὸ παράδειγμα τῆς καθ' ἡμᾶς συνθέσεως εἰς τοῦτο μόνον ἐλήφθη τῷ ἁγίῳ Κυρίλλῳ, εἰς τὸ δεῖξαι, ὅτι δυνατόν ἐστι, ἐκ δύο καὶ διαφόρων φύσεων μίαν γενέσθαι ὑπόστασιν· ὥσπερ ἐκ ψυχῆς, καὶ σώματος ὁ Πέτρος τυχόν, ἢ ὁ Παῦλος. Τῷ γὰρ Νεστορίῳ μαχομένος ἀδύνατον λέγοντι ἐκ διαφόρων φύσεων μίαν γενέσθαι ὑπόστασιν, καὶ διὰ τοῦτο εἰς δύο Χριστοὺς καὶ δύο υἱοὺς τὸν ἕνα Χριστὸν, καὶ ἀμέριστον ἀφρόνως καταμερίζοντι, ἤγαγε τὸ παράδειγμα τοῦ ἀνθρώπου εἰς τὸ δεῖξαι, ὅτι ὥσπερ ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος ἄνθρωπος εἷς, οὕτως ἐκ θεότητος, καὶ ἀνθρωπότητος εἷς Χριστός.

[1] Tom. 6. p. 58. D. — [2] Lib. 1. tom. 4. Bibl. col. 494. B. C. — [3] Naz. Or. 5. p. 739. — [4] Theod. Dial. 2. pag. 97. — [5] Hil. l. 10. p. 70. H. — [6] Aug. de fide cont. Man. c. 26. et Enchir. cap. 36. — [7] Leo ep. 11. [8] Vig. l. 5. — [9] Ber. l. 5. Cons. c. 9. — [10] Anastas. in ὁδηγῷ, cap. 19. — [11] Theod. pag. 458. — [12] Tom. 4. Bibl. 481. et 494. — [13] Nest. apud Cyr. Tom. 6. pag. 141. A. B. — [14] Anon. pag. 138.

quæ quidem *abstracta* nuncupantur. Quibus ex regulis hoc colligitur : naturarum quidem propria, hoc est quæ naturis insunt, de se mutuo prædicari, non tamen *abstractis* vocibus, sed *concretis*, si proprie et exacte loquimur. Itaque cum proprium sit humanitatis esse rationis particeps, esse morti obnoxium, esse corporeum ; recte dicimus Deum esse rationalem, esse corporatum, esse mortalem, esse loco circumscriptum ; vicissim quoque hominem hunc, qui Christus vocatur, asserimus esse Dei filium, esse æqualem Patri, esse sempiternum ; quæ omnia ratione subjecti, non formæ intelligenda sunt, ut sexta regula præcipit.

Ac nonnunquam Patres populari quodam usu loquendi, pro *concretis*, *abstracta*, contraque pro his illa solent accipere : ut *hominem* pro *humanitate* : *divinitatem* pro *Deo* ; ac vicissim Deum, et hominem pro naturis ipsis : quæ prout orationis series ipsa postulat, prudenter scilicet, exponenda sunt, non calumnianda temere, nec ad hæresis crimen vocanda.

VII. Rursus instat anonymus [1], et « Quæ habent, *inquit*, easdem proprietates, eadem attributa, et easdem operationes, illa sunt unum et idem, si non in esse rei, saltem in esse naturæ ; atque adeo unam naturam constituunt. Sed Verbum, et humanitas in Christo, juxta Cyrillum, habent easdem proprietates, et eadem attributa, et easdem operationes. Ergo Verbum et humanitas in Christo, juxta Cyrillum, sunt unum et idem, saltem in esse naturæ, atque adeo constituunt unam naturam. » Hæc de Cyrillo anonymi ratiocinatio ex iis illius testimoniis deducitur, quæ mutuam proprietatum communicationem inter naturas duas indicant. Itaque jam ad istam ibi, ubi de illa disputavimus, satis est responsum. Quæ eadem habent omnia illa, *ratione formæ*, ut paulo ante dixi, natura sunt idem ; quibus autem eadem conveniunt *ratione subjecti*, vel suppositi, neque natura sunt idem, nec unam naturam necessario constituunt. Atqui hoc posteriore modo se habent proprietates, operationesque naturarum, ex quibus constat Christus : ut cum diversæ sint, pro naturarum discrimine, quæ sunt illarum formæ, ac principia, uni eidemque subjecto κατ' ἀντίδοσιν tribuantur. Nam quod ad operationes attinet, olim adversus Monothelitarum hæresim catholica sancivit Ecclesia, non unam et eamdem esse naturarum ἐνέργειαν, sed duplicem : atque ut ex naturarum differentia operationum diversitas oritur, sic ex harum discrimine, illarum quoque sequi differentiam : de quo pluribus postea.

CAPUT UNDECIMUM.

Anonymi contra Cyrillum argumentatio ex Ibæ epistola, et Orientalium adversus illum testimoniis refellitur. — 1. De Iba nonnulla declarantur. — 2. Ejus epistola non est probata a Chalcedonensi synodo, tanquam catholica. Cur Facundus probatam asserat. — 3. De Orientalium simultate cum Cyrillo : ex quo anonymi ἀλογιστία redarguitur, præsertim cum iidem Cyrillum postea amplexi sint : maxime Theodoretus. — 4. Theodoreti locus insignis, et judicium de Cyrillo. — 5. Etiamsi capitula sua nunquam retractaverit ; sed exposuerit tantum. — 6. De Iba, et Facundo Hermianensi oppositis ab anonymo : qui ex illis iisdem confutatur. — 7. Duplex Ibæ error a Facundo notatus : primus, quod Cyrillum idem cum Apollinari sentire putaverit : alter quod capitula sua damnasse illum dixerit. De quo et sententiam mutavit.

I. In sexta, eademque postrema contra Cyrillum argumentatione scriptoris anonymi [2], specimen habes crassæ, et illiberalis inscitiæ, dum « Cyrillum probare » contendit « auctorem fuisse hæresis Entychianæ ex veteribus Ecclesiæ doctoribus fide dignissimis. » Sunt autem auctores illi Ibas Edessenus, Gennadius Constantinopolitanus, Joannes Antiochenus, cum Orientalibus suis amplius quadraginta ; et Theodoretus. De quibus pauca sigillatim attingenda sunt, quæ frontem et ὑωδίαν verberent insulsi criminatoris.

De Iba nonnihil dixi in libro primo [3], ubi de tribus Capitulis actum est ; fuit enim de tribus

[1] Anon. p. 141. — [2] Anon. p. 169.

[3] Cap. 18. § 7.

unum istud; quod Ibas Edessenus episcopus, post concordiam initam inter Cyrillum et Joannem Antiochenum, Orientalesque ceteros, epistolam scripserat ad Marim Persam; in qua Cyrillo, ejusque capitulis duodecim Apollinaristarum notam hæresis inusserat: tametsi de pace redintegrata, et mutato Cyrilli animo, veraque tandem ab eo suscepta fide gratulabatur. Quæ cum Ibæ objecta esset ab adversariis epistola in concilio Chalcedonensi, de Patrum sententia, post damnatam Nestorii hæresim, necnon Eutychianam, in integrum restitutus est. Legitur hæc epistola græce una cum Ibæ historia in actione decima Chalcedonensis synodi[1], et in quinta Synodo latine, collatione sexta[2]: necnon apud Facundum libro sexto, capite tertio[3]. Ex hoc anonymus ea, quæ contra Cyrillum impotentius sunt scripta, colligit ad illius dehonestandam famam: et, quod caput est, eamdem epistolam « approbatam, et orthodoxam esse judicatam *ait* in concilio Chalcedonensi. »

II. Verum de epistola quod asserit, eam in synodo Chalcedonensi tanquam catholicam probatam, id falsum est. Pauci quidam, ac duo, tresve de Patribus, qui secundum Ibam sententiam dixerunt, catholicam illius epistolam pronuntiarunt; ut Maximus Antiochenus, et si quis alius. Ceteri non epistolæ, sed personæ suffragati sunt, ea lata conditione, ut Nestorium, cujus hæresis suspectus erat, anathemate damnaret. Maxime vero ab iis criminibus, quorum in aliis synodis postulatus, et absolutus jam fuerat, quæque in Chalcedonensi rursus instaurata erant ab æmulis, illius decreto synodi vindicatus est: ut ex actis ipsis apparet, tum ex collatione sexta quintæ Synodi. Quæ quidem[4] redarguit illos, « qui epistolam Ibæ a sancto Chalcedonensi concilio susceptam fuisse dicebant, verbis usi unius, vel duorum religiosissimorum episcoporum, qui in eodem sancto concilio convenerunt, quasi pro eadem epistola dictis, cum alii omnes non ejusdem facti sint voluntatis. »

Atenim Facundus[5] illam ipsam epistolam ab synodo Chalcedonensi susceptam, et orthodoxam, ac catholicam esse judicatam affirmat. Addat et Liberatum diaconum in Breviarii capite decimotertio. Sed quæ ambobus illis ita sentiendi causa fuerit, vel turpiter nescivit anonymus, vel flagitiose dissimulavit. Etenim uterque Africanus cum esset, et trium Capitulorum propugnator vehemens, hæc eadem capitula quam maxime aliena videri voluit ab omni labe, ac reprehensione: eaque sacrosancta Synodi generalis auctoritate, ac patrocinio tueri studuit. Verum, cum in oculis sint acta illius synodi, major his habenda fides est, quam suspectis istis auctoribus, quos pro testimonio falsa dixisse indidem, unde illi sumpserunt, ostendimus.

De Gennadio Constantinopolitano episcopo, qui Anatolio successit, nihil habeo quod dicam. Hujus enim non extat liber ille contra Cyrillum, ejusque capitula duodecim; ac Facundo merito diffidimus, qui in libris illis, quos pro capitulis tribus edidit, in laudandis auctoribus non semel hallucinatus est. Cujus rei tum suspicionem auget, tum culpam minuit, quod in præfatione causatur, *de mendositate codicum*, et *incuria translatorum*, unde illa testimonia transtulit. Hinc sæpius est factum, ut alienis nominibus libros quosdam inscriberet, ut non semel in superioribus animadvertimus.

III. Jam quod Joannem Antiochenum, et orientale apud Ephesum conciliabulum episcoporum quadraginta, imprimisque Theodoretum, adversus Cyrillum citat anonymus; nescio risum magis an stomachum moveat erudito lectori, qui illorum temporum historiam attigerit, ac vel illa saltem delibarit, quæ de gestis Ephesinæ synodi capite octavo libri primi compendio perstrinximus. Quid enim stultius, quam contra Cyrillum testes producere Cyrilli tum, cum illa scribebant, quæ affert anonymus, infensissimos, et implacabiles inimicos? Ubi judicium erat, vel communis potius sensus hominis, dum Orientalium istorum, qui ab Cyrillo, et legitima synodo pro suis meritis, et propter inauditam superbiam, et contumaciam, justa sententia perculsi, et exauctorati fuerant, falsas et virulentas calumnias, contra illos ipsos a quibus damnati fuerant, in medium afferebat? Satin' putidum, ac ridiculum est, velle adversus Cyrillum, et œcumenicam totam synodum, imo contra universam Ecclesiam valere, quæ pauci schismatici in tumultuario ac furtivo suo conventiculo nefarie gesserunt, ac scripserunt: potius quam quæ Cyrillus, cum catholicis episcopis, hoc est cum œcumenico concilio vicissim adversus illos egit, ac scripsit? Præsertim cum Christianorum deinceps

[1] Epist. Ibæ tom. 3. Conc. p. 389. — [2] Tom. 4. Conc. p. 260. — [3] Pag. 235.

[4] Syn. 5. tom. 4. Concil. p. 260. — [5] Initio libri 5. et in 6. cap. 1. et seq.

omnium, et ipsorum adeo, qui dissenserant, Joannis, Theodoreti et Orientalium catholicorum assensu et judicio, tum rata illa fuerint habita, et probata, quæ isti prius oppugnaverant, Ephesinæ acta synodi; tum horum conciliabulum, et in eo gesta et decreta, revocata penitus, et antiquata sint, nec ullam apud posteros vim, auctoritatemque consecuta. Atqui extant Joannis istius epistolæ ad Cyrillum, et hujus ad illum vicissim, amanter et honorifice post concordiam initam scriptæ : quibus sincere catholicæ fidei invicem sibi testimonium præbent. Theodoreti quoque ac Cyrilli mutuæ post illam procellam benevolentiæ, ac familiaritatis illustria monimenta relicta sunt in Theodoreti præsertim libris. Nam et adversus hæreticos, inter aliorum Patrum sententias, quas ad illos refellendos in dialogos suos congessit, Cyrilli non paucas descripsit : et in epistola quadam ad Dioscorum Alexandrinum, plura de se, et eodem Cyrillo memoriæ prodidit, quibus tum illa quæ dixi, mutui in se amoris signa, officiaque commemorat; tum de Cyrilli integritate fidei nullis hæresis aspersæ maculis luculentissimum testimonium perhibet. Visum est igitur, ad propulsandam anonymi calumniam, quædam ex illa Theodoreti epistola referre, quæ ad Cyrillum proprie spectant.

Cum enim a malevolis quibusdam sparsus de Theodoreto [1] rumor esset, Jesum Christum in duos ab illo dividi filios; idque Dioscorus Alexandrinus episcopus Domno Antiocheno significasset; Theodoretus ad Dioscorum purgandi sui causa scripsit : ac post fidei catholicæ professionem editam testatur se quæ de Incarnatione sentit, cum a Scriptura sacra, tum ab sanctissimis Ecclesiæ magistris, Alexandro ejusque successore Athanasio, Basilio, Gregorio, ceterisque didicisse, necnon ab Theophilo, et Cyrillo; quorum scriptis usum se ait ad convincendos hæreticos. « (1) Siquidem eos omnes, *inquit*, qui Dominicæ carnis, et divinitatis differentiam negant, (Apollinaristas autem intelligit,) ac nonnunquam divinam naturam asserunt in carnem esse conversam, alias vero carnem in divinitatis transiisse naturam, eximiorum istorum Patrum medicamentis curare studemus. Illi enim aperte tum naturarum duarum discrimen nos docent, tum divinæ immutabilitatem prædicant, ac Dominicam quidem carnem, divinam nominant, quoniam Dei Verbi caro facta est; hanc ipsam vero in divinitatis naturam conversam putare, tanquam impium respuunt. Quod ad beatæ porro memoriæ Cyrillum attinet, hunc litteras ad me sæpe scripsisse, credo non ignotum esse Sanctitati tuæ. Quin idem libros suos adversus Julianum mittens Antiochiam, et alteram de Emissario lucubrationem, petiit ab Joanne Antiocheno tunc episcopo, ut illa sua scripta cum præstantibus communicaret orientalis Ecclesiæ magistris. Quibus litteris impulsus beatus Joannes libros istos ad me misit, quos cum legissem, admiratus sum, atque ad beatæ memoriæ Cyrillum litteras scripsi, et vicissim ille rescripsit, ac diligentiam, et affectum in se meum commendavit, et apud nos adhuc istæ litteræ servantur. »

V. Hic Theodoretus, qui cum Orientalibus suis ab Cyrillo ante dissenserat, et in Ephesino conciliabulo sententiam in eum tulerat, ac pars magna gestorum illic fuerat; ut qui omnes antecederet sacrarum litterarum scientia; simultate posita, reique comperta veritate, Cyrillum eumdem mirificis præconiis attollit; eumque summis Ecclesiæ magistris, ac doctoribus annumerare non dubitat : hujus auctoritate, ac testimonio adversus Apollinaristas, quorum illi hæresim anonymus impingit, utitur : ejusdem libellum ad Acacium episcopum *de capro emissario* collaudat. Quo quidem in libro prorsus eadem de Incarnatione, deque unius Christi, et duarum ab se mutuo differentium naturarum dogmate perscribit, quæ in libris contra Nestorium, et in defensione anathematismorum, ac reliquis antehac editis commentariis tradiderat. Neque vero cum

(1) Theodor. ep. 83. pag. 959. Τοὺς γὰρ τῆς δεσποτικῆς σαρκὸς, καὶ τῆς θεότητος τὴν διαφορὰν ἀρνουμένους, καὶ ποτὲ μὲν τὴν θείαν φύσιν εἰς σάρκα τετράφθαι λέγοντας, ποτὲ δὲ τὴν σάρκα εἰς θεότητος μεταβεβλῆσθαι φύσιν, τοῖς τῶν θαυμασίων τούτων ἀνδρῶν φαρμάκοις θεραπεύειν σπουδάζομεν. Σαφῶς γὰρ καὶ δύο φύσεων ἡμᾶς τὴν διαφορὰν ἐκπαιδεύουσι, καὶ τὸ ἄτρεπτον τῆς θείας κηρύττουσι φύσεως· καὶ τὴν δεσποτικὴν σάρκα θείαν μὲν ἀποκαλοῦσιν, ὡς τοῦ Θεοῦ Λόγου σάρκα γεγενημένην, τὸ δὲ εἰς θεότητος αὐτὴν μεταβεβλῆσθαι φύσιν, ὡς ἀσεβὲς ἀπεκήρυξαν. Ὅτι δὲ καὶ ὁ τῆς μακαρίας μνήμης Κύριλλος πολλάκις ἡμῖν ἐπέστειλεν, οἶμαι καὶ τὴν σὴν εἰδέναι σαφῶς ἁγιότητα, καὶ ἡνίκα δὲ τὰ κατὰ Ἰουλιανοῦ συγγράμματα εἰς Ἀντιόχειαν πέπομφεν· ὡσαύτως δὲ καὶ τὰ εἰς τὸν ἀποπομπαῖον γραφέντα, τὸν μακάριον ᾔτησεν Ἰωάννην τὸν τῆς Ἀντιοχείας ἐπίσκοπον, ἐπιδεῖξαι αὐτὰ τοῖς κατὰ τὴν ἑῴαν διαπρέπουσι διδασκάλοις, καὶ δὴ τοῖς γράμμασιν εἴξας ὁ μακάριος Ἰωάννης πέπομφεν ἡμῖν τὰς βίβλους. Καὶ ἀναγνόντες ἐθαυμάσαμεν, καὶ ἐπεστείλαμεν τῷ τῆς μακαρίας μνήμης Κυρίλλῳ, καὶ ἀντέγραφε πάλιν ἡμῖν, καὶ ἀκρίβειαν ἡμῖν, καὶ διάθεσιν μαρτυρῶν. Καὶ σώζεται παρ' ἡμῖν ταῦτα τὰ γράμματα.

[1] Theodoret. epist. 83. tom. 3. pag. 597.

de Cyrillo Theodoretus ista scribebat, aut cum Joannes Antiochenus, Orientalesque cum eo ceteri pacem et amicitiam cum illo sanciebant, ac fidem ipsius approbabant, anathematismos suos, aliave scripta, quorum causa ab ejus se communione sejunxerant, retractarat, aut damnaverat Cyrillus : quod fieri profecto necesse fuit; nec alia conditione sarciri cum eo concordia debuit; si hæresi contaminati essent libri; multoque magis auctor illorum : et utrobique Apollinaris dogma lateret : ut stulte imperiteque jactat anonymus. At illud uti faceret nunquam adduci potuit Cyrillus; idque, Paulo Emeseno sequestre pacis et Orientalium internuntio multum instante, præcise ac constater negavit; certus illorum communioni renuntiare potius, quam catholicam istis libris mandatam a se fidem abdicare.

Ridicula est igitur imperiti anonymi temeritas, et ἀκρισία, qui Joannis Antiocheni, Theodoreti, et Orientalium testimoniis contra Cyrillum abutitur; quem eosdem illos postea constat, re accuratius perspecta, et animorum sedata perturbatione, sine ulla priorum dogmatum retractatione, atque in eadem, quam præ se semper tulerat, fide, in communionem accepisse; tum, quod caput est, et vivum deinceps coluisse perpetuo, et mortui memoriam suis scriptis celebrasse.

VI. Et quoniam Ibam inter alios, orientalem et ipsum episcopum, ejusque ex Facundo Hermianensi epistolam adversus Cyrillum in medium protulit, libet amborum auctoritate, hoc est domesticis ipsius anonymi testibus, ejusdem vecordiam et impudentem calumniam refellere.

Libro quinto Facundus [1] ex actis œcumenicæ synodi Chalcedonensis refert, Ibam, accusantibus adversariis, quod Cyrillum hæreticum appellasset, et anathema ei dixisset, respondisse : « (1) Ego, postquam sua capitula interpretatus est, tantum abstineo ab anathemate viri; quia et litteras ab eo suscepi, et litteras ei direxi, et communicavit mihi, et communicavi ei. » Quæ interpretatio Facundi paululum obscura, sic ex græco reddenda est : « Ego vero tantum absum ab eo anathematizando, postquam sua capitula enarravit, ut et litteras ab illo acceperim, et ad eum vicissim miserim, etc. » Itaque Facundus hæc subjicit : « Non ergo negavit Ibas, quod hæreticum eum aliquando fuisse putaverit, sed hoc dixit, quia post unitatem factam abstinuerit ab anathemate viri. » Fatetur ergo se Cyrilli communionem et amicitiam amplexum esse, postquam ille capitulorum suorum sensum, ac mentem suam interpretatus est.

Rursus Facundus idem in sexto libro, duplicem Ibæ notat errorem ex ejus epistola, quorum priorem his verbis explicat [2] : « In primis sane fatendum est, hanc epistolam satis ostendere, quod reverendissimus Ibas, quemadmodum dictum est, cum orientalibus, aliarumque provinciarum episcopis, intentionem dictorum B. Cyrilli minus intelligens, et suspicatus quod negaret in Christo differentiam naturarum, consequens judicavit, quia in Apollinaris dogma incidisset, qui non assumptione humanæ naturæ Deum Verbum credebat hominem factum, sed partem substantiæ ipsius Dei Verbi putabat in carnem esse conversam. Ob hoc igitur ibi subjecit, atque ait : Conscripsit enim et ipse similiter illi, id est Apollinari, quia ipse Deus Verbum factus est homo, tanquam non sit differentia inter templum, et inhabitantem in eo. »

VII. Ac subinde Facundus falsam illam Ibæ, et Orientalium ceterorum fuisse suspicionem docet; et ab ea Cyrillum accuratissime defendit, eodem prorsus modo, quo hactenus nos illi patrocinati sumus adversus anonymum. « Si autem venerabilis Ibas, *inquit* [3], alia ejusdem beati Cyrilli dicta legisset, aut sicut oportuit attendisset, invenisset procul dubio, quod ipse quoque contra Apollinarem, intentione, qua diximus, negaverit Deum Verbum hominem factum, et differentiam naturarum docuerit. Sed Nestorio respondens, qui unum Christum in duos filios dividebat, necesse non habuit de duabus naturis adversus eum evidentius atque expressius disputare. Quinimo, ne quam daret occasionem ejus erroris, parcius de naturarum discretione locutus est : ne cum ipse naturas distingueret, ille duas personas induceret. Audiebant itaque, vel relegebant verba dicentis orientales Patres, neque animadvertebant ejus intentionem, secundum quam de verbis est judicandum : quia non magis quid dicatur attendendum est, quam cur quidque dicatur. »

(1) In Chalc. syn. act. 10. pag. 388. F. Ἐγὼ τοσοῦτον ἀπέχω τοῦ, μετὰ τὸ ἑρμηνευσθῆναι αὐτοῦ τὰ κεφάλαια, ἀναθεματίσαι τὸν ἄνδρα, ὅτι καὶ τὰ γράμματα παρ' αὐτοῦ ἐδεξάμην, καὶ γράμματα αὐτῷ ἔπεμψα, καὶ κοινωνικόν με ἔσχε, καὶ κοινωνικὸν αὐτὸν ἔσχον.

[1] Fac. lib. 5. p. 386.

[2] Fac. lib. 6. p. 242. — [3] Ibid. p. 243.

Alterum Ibæ errorem Facundus observat, quod crediderit, Cyrillum, quando missam ad se ab Joanne Antiocheno, et Orientalibus formulam fidei per Paulum Emesenum episcopum accepit, et in gratiam cum illo rediit, capitula sua damnasse, et errorem pristinum emendasse : quod Ibas in epistola sua significat. « Putaverat autem reverendissimus Ibas episcopus, ait Facundus [1], quod idem B. Cyrillus, directa sibi ab Orientalibus confessione, non communem fidem in ea cognoverit; sed proprium errorem correxit. Quod neque nos, neque sancta Chalcedonensis synodus approbavit. » Est autem diligenter animadvertendum, Ibam paulo aliter in epistola sua, quam anno post Ephesinam synodum, constituta jam pace, scripsit ad Maren, de anathematismis Cyrilli locutum esse; aliter decimo nono post anno in Chalcedonensi concilio, cum ad judicum interrogata respondens, objecta sibi crimina dilueret. Nam in epistola diserte ait, orientales episcopos, « (1) cum Ephesum venissent, biduo post damnatum Nestorium, ac didicissent, in deponendo Nestorio, duodecim Cyrilli capitula, quæ veræ fidei erant adversa (paulo antea hæresi Apollinaris infecta esse dixerat) palam statuisse, ac comprobasse, iisque assensos esse tanquam veræ fidei consentaneis; universos Orientis episcopos Cyrillum ipsum deposuisse; ceteros autem episcopos, qui capitula probarent, communione privasse. » Hic aperte Cyrilli capitula hæretica, et damnanda judicat. At vero (2) in Chalcedonensi synodo accusatori crimen istud objicienti, quod beatæ memoriæ Cyrillum hæreticum appellasset, respondet, non se recordari sic illum nominasse; quod si forte tum hoc dixisset, quando orientale concilium pro hæretico illum anathemati subjecit, primatem se suum secutum. Sed instante Mara accusatore, hoc ab eo jactatum esse : « Nisi capitulis suis anathema dixisset ipse, non eum recepissemus; » negavit sic se locutum ; verum ita potius : « Nisi se ipse esset interpretatus, et orientalis eum synodus recepisset, ego cum primate meo, et orientali synodo illum abnegarem. »

Negat se post Cyrilli mortem ita de eo, ejusque capitulis locutum, quomodo asserebant adversarii, ut diceret, Cyrillum anathema dixisse capitulis suis. Hoc enim esset capitula ipsa pro hæreticis, et damnatione dignis habere. Sed illud fassus est dixisse se, *nisi interpretatus esset capitula*, quod non est hæretica illa judicantis, sed eo sensu, quo eadem Cyrillus exposuerat, approbantis. Hæc ex actis Chalcedonensis concilii, et ex Facundo paulo fusius explanavimus, ut ne anonymus, imperitiam juxta, et temerariam de iis quæ nescit asseverandi licentiam suam, impune ferret.

CAPUT DUODECIMUM.

Propugnatur Ephesinum concilium, et ab anonymi falsa criminatione defenditur. — 1. Anathematismos Cyrilli puros esse ab omni labe hæresis. — 2. Futile argumentum anonymi ex defectione quorumdam in Ephesino latrocinio ad Eutychianam partem. — 3. Theodotus Ancyranus catholicus episcopus in hæresis crimen falso vocatus defenditur. Cujus sententiæ quædam explicantur. — 5. Maxime similitudines ab eo allatæ.

I. Qui Cyrillum Apollinaristarum hæresis affinem esse decreverat [2], non poterat non eadem implicare sententia Ephesinam synodum : cui non interfuerat solum, sed etiam

(1) Ibas in act. 10. con. Chalcedon. tom. 3. Conc. pag. 390. E. Μετὰ δὲ δύο ἡμέρας τῆς τούτου καθαιρέσεως ἤλθομεν εἰς Ἔφεσον. Καὶ μαθόντων ἡμῶν, ὅτι ἐν τῇ καθαιρέσει Νεστορίου, τῇ γενομένῃ παρ' αὐτῶν, τὰ δώδεκα κεφάλαια τὰ συγγραφέντα παρὰ Κυρίλλου, ἐναντία ὄντα τῇ πίστει τῇ ἀληθινῇ, ἀνέθηκαν, καὶ ἐβεβαίωσαν, καὶ συνέθεντο αὐτοῖς, ὡς τῇ ἀληθινῇ πίστει συμφωνοῦσι, πάντες οἱ τῆς ἀνατολῆς ἐπίσκοποι αὐτὸν Κύριλλον καθεῖλον, καὶ κατὰ τῶν ἄλλων ἐπισκόπων τῶν συνθεμένων τοῖς κεφαλαίοις ἀκοινωνησίαν ὥρισαν.

(2) Ibid. pag. 388. C. Μάρας εἶπε· τὸν μακάριον Κύριλλον οὐκ ἐκάλεσας αἱρετικόν; ὁ θεοσεβέστατος ἐπίσκπος Ἴβας εἶπεν, ἐπ' ἀληθείας λέγω οὐ μέμνημαι. Εἰ δὲ καὶ ἐκάλεσα αὐτὸν, ὅτε ἡ ἀνατολικὴ σύνοδος ὡς αἱρετικὸν ἀναθεμάτισεν, ἐξηκολούθησα τῷ ἐξάρχῳ μου. Μάρας εἶπεν· οὐκ εἶπας, ὅτι εἰ μὴ ἀναθεμάτισε τὰ κεφάλαια αὐτοῦ, οὐκ ἐδεξάμεθα αὐτόν ; ὁ θεοσεβέστατος ἐπίσκοπος Ἴβας εἶπεν· εἶπον ὅτι εἰ μὴ αὐτὸς ἑαυτὸν ἡρμήνευσε, καὶ ἐδέξατο αὐτὸν ἡ ἀνατολικὴ σύνοδος, κἀγὼ μετὰ τοῦ ἐξάρχου μου, καὶ τῆς ἀνατολικῆς συνόδου, ἀπηρνούμην αὐτόν.

[1] Ibidem pag. 227.

[2] Anon. p. 172.

præfuerat Cyrillus, præter suam, principali quoque Romani Pontificis auctoritate ad id instructus : cujus vices illi ab Cœlestino mandatas fuisse, testis est synodus ipsa in relatione ad Imperatores per Eutychem diaconum missa [1]. Ergo concilium ipsum œcumenicum hæreticum vocat, et fuisse contendit ὁ Δυσώνυμος. At quibus rationibus? Quarum vel mediocriter imbutos his litteris pudeat; adeo futiles sunt, et ineptæ.

Prima ex anathematismis Cyrilli petitur : qui cum Eutychianam perfidiam redoleant, ab Ephesino tamen concilio approbati, confirmatique sunt. Ita quidem fungus iste. Sed anathematismos una cum ceteris ejusdemmodi scriptis Cyrilli, prout res ferebat, in superioribus libris, et hoc præsertim ipso, satis superque purgavimus ab hac falsa et stolida criminatione. Nec inesse quidquam ostendimus in illis sententiis, quæ malevolorum importunitate ad invidiam traductæ sunt hæreticæ opinionis, quod non recte, et catholice conceptum fuerit. Atque etiam postea de illis ex professo disputabimus. Nunc anonymi vanam et irritam argumentationem, tanquam abunde fractam hactenus et profligatam, missam facimus.

II. Nec est pluris altera pendenda ratio [2], imo hebes magis est, et stupida, quam ex eo conficit, quod Juvenalis Hierosolymitanus, aliique complures episcopi, qui in Ephesina synodo primas post Cyrillum tenuerant, postea in Ephesina secunda Eutychianam stabilierunt hæresim. Potestne minore cum judicio quisquam ratiocinando aliquid colligere? Nam si quid inest roboris in hac argumentatione, eodem profecto jure concludi poterit Athanasium hæreticum fuisse; quod plerique, qui Nicæno concilio, et τῷ ὁμοουσίῳ, cujus ille, quoad vixit, acerrimus defensor fuit, assensi erant, et subscripserant; postmodum contrariæ partis, et hæresis patrocinium resumpserunt, Eusebius Cæsariensis, et alter Nicomediensis aliique plurimi : qui et Athanasium ipsum in Tyria, Antiochena, Constantinopolitana, aliisque synodis damnarunt, ac dignitate privarunt. Poterit et qui sic disputat, Sardicensem Catholicorum synodum hæreticam judicare; quoniam eodem, quo est celebrata tempore, aliam Ariani episcopi coegerunt, quam et Sardicensem nominarunt; in qua Athanasium, et ceteros, qui in catholica altera restituti sunt in integrum, iterum condemnarunt, et illius acta resciderunt; ut Hilarius refert [3], qui et synodicam illorum describit in Africam missam, et septuaginta trium Arianorum episcoporum subscriptione firmatam. Potest et argumentatione simili catholicum de Trinitate dogma, et omnium de eo Conciliorum ac Patrum elevare, ac pessundare decreta, quod Ariminensis synodus Arianam perfidiam tot episcoporum suffragiis corroboratam ac sancitam stupenti orbi propemodum universo, ut ait Hieronymus, invexit. Denique Jesum ipsum Dominum nostrum simili rationis acumine probabit anonymus, non esse Christum, Deique filium, quod Petrus, qui tam insigni præconio, velut ex totius apostolici collegii, imo Ecclesiæ persona, Christum illum ac Dei vivi filium professus erat, hunc ipsum postea negavit; ut de Juda proditore taceam, et apostolis reliquis, ac discipulis, qui magistro relicto huc illucque dispersi sunt, et in suscepta fide titubarunt.

Hæc si sunt absurda, et infanda, quæ ex eadem, atque illa de Cyrillo est anonymi, vi argumentationis inferuntur; potest eruditus lector inde conjicere, qui cum homine, quamque acuto, ac metuendo res sit nobis Cyrilli pariter et catholicæ partis inimico. Sed nihil hoc est, nisi et illius cetera videamus.

III. Pergit enim ex Theodoto Ancyrano Cyrillum criminari hæresis Eutychianæ [4]. Nam fuit iste Theodotus, ait, « unus ex primariis episcopis concilii Ephesini primi, qui bis concionatus est coram toto concilio, et a Cyrillo tanquam vir pius, et doctus laudatur. » Hunc igitur, juxta ac Cyrillum, Apollinaris et Eutychis errorem in quadam de natali Salvatoris homilia prædicasse, objicit anonymus; qui et ex ea non pauca describit, indidemque certa capita seligit, ad Cyrillum hæresis accusandum. Nam primum, « Divinitatem, et humanitatem in Christo unam naturam constituere *ait* confiteri » Theodotum. In quo mentitur impostor. Non enim hoc dicit Theodotus : sed *unum et eumdem* effici, non *unam naturam*. Græca nonnihil mendosa sunt, et vero defecta : quæ sic habent, « (1) Factus est, *inquit*, id quod ego sum, ut naturam nostram

(1) THEOD. in 3. par. syn. Eph. pag. 533. A. Γέγονε γὰρ ὅπερ ἐγὼ, ἵνα τὴν ἡμετέραν ἀναβιβάσῃ φύσιν πρὸς τὴν ἰδίαν ἀξίαν. Ἡ γὰρ ἕνωσις τοῦτο ποιεῖ, ἑκατέρῳ τὰ τοῦ ἑτέρου συνάπτουσα. Διὰ τοῦτο οὖν Θεὸς ὢν, ἄνθρωπος γέγονεν, ἵνα καὶ ἄνθρωπος γένηται Θεὸς, τῇ συναφείᾳ ταύτῃ πρὸς θεϊκὴν δόξαν ἀναγόμενος, ὡς ἕνα, καὶ τὸν αὐτὸν εἶναι θεϊκῶς τε δοξαζόμενον,

[1] Eph. Syn. p. 2. Act. 3. p. 334. A. — [2] Anon. p. 173.

[3] In fragment. p. 137. — [4] Anon. p. 173.

ad suam dignitatem attolleret. Hoc enim facit unitio, utrique quæ sunt alterius conjungens. Propterea itaque, Deus cum esset, homo factus est, ut et homo fieret Deus, ac ipsa copulatione ad divinam gloriam provectus; adeo ut unus idemque sit, et divinum in modum glorificatus, et humana perpessus. Atque hæc una confessi sunt, qui divinitatem, et humanitatem confitentur. Nam quod unitum est, non jam duo, sed unum nominatur. » In his verbis nusquam dicitur, *unam naturam ex divinitate, et humanitate fieri*. In græco deesse aliquid dixi, quæ sic interpres reddidit : *Confitentes unitatem divinitatis, et humanitatis*, tanquam ita scriptum extaret, ὁμολογοῦντες ἑνότητα θεότητός τε, καὶ ἀνθρωπότητος : quod non est; et si esset, non illud significaret, quod somniat anonymus, *unam esse naturam divinitatis, et humanitatis*; sive *ex divinitate et humanitate compositam* : sicut ex anima et corpere fit una natura; quam Cyrilli fuisse hæresim vult anonymus. At *unitas divinitatis et humanitatis* idem est atque *unitio*, ut mos est Patribus loqui ; id quod superius observavimus. Porro *unitas* vel *unitio* illa non in unam naturam fit, sed in illud, quod paulo ante declaravit, *in unum et eumdem*, hoc est in unam personam. Quod si vitilitigare ac nodum in scirpo quærere pergat anonymus, *unitas divinitatis et humanitatis* confusionem utriusque, et alterius in alteram conversionem magis repræsentat, quam sine alterutrius mutatione conjunctionem in tertiam aliquam. Quare nihil hic illum locus adjuvat.

IV. Rursus [1] talem unitatem utriusque naturæ statui ab Theodoto anonymus objicit, « ut ne mente quidem distinguere liceat. » Verba Theodoti : « (1) Ceterum si cogitationes iterum dividis, et unumquodque separatim consideras, nempe solvis unitionem. Impossibile est enim, simul et unitionem servare, et utrumque seorsim considerare. Sed quod unitum est, indissolute factum est unum; nec amplius fiunt duo. At cogitatione sola, inquit, separo. Igitur eadem cogitatione et unitionem solvis. Nam eo ipso, quod alterum ab altero distrahis, etiam copulationem discindis. » Neminem adeo hebetem legere hæc arbitror, qui non statim agnoscat, verba ista non *distinctionem* ac *differentiam* naturarum tollere, sed divisionem ac separationem; quæ sola *unitioni* repugnat : non autem *differentia*. Imo hæc adeo cum *unitione* non pugnat, ut ad eam necessario requiratur. Nulla enim, nisi distinctarum, ac differentium rerum, fieri potest conjunctio, ut alias dixi. Deinde quorsum anonymus contendit ex illis verbis Theodotum, et cum eo conspirantem in eamdem hæresim Cyrillum naturarum differentiam usque eo perimere, ut ne mente ac cogitatione quidem amplius distinctæ sint? Hoc enim non tam erit naturarum discrimen ipsum tollere, quam naturas ipsas extinguere : non eo conjunctionis genere copulare, quod integras partes, et incolumes conservat. Vide quæ de hac re fuse contra anonymum supra disserui, præsertim 9. capite.

Ex quibus etiam illud ejusdem refellitur, quod scribit : quæ in illo Theodoti loco dicta sunt, ut ne cogitatione quidem naturæ distinguantur unitæ, « intelligenda esse ratione principii; non autem ratione operationum, quas diversas esse, et ab eadem entitate et natura procedere postea ostendit. » Hoc, inquam, falsissimum est; et ut ab Cyrillo refutatum esse, supra ex eo demonstravimus : ita nunc ex Theodoto ipso paucis ostendemus. Quem quidem naturas ipsas a se mutuo differentes intellexisse, constat ex tota illa oratione. Siquidem ambas in sese manere ait, et in proprietate sua, sine conversione ulla, vel confusione. « (2) Ob id, inquit de Deo loquens, et ipsum manere dicimus quod erat, et factum esse quod non erat. Manens quippe substantia id quod erat, passiones suscepit, semetipsum conjungens cum natura patibili. » Et paulo post ille subjicit, quæ proxime ante posui : *Factus est id quod ego sum*, etc. Atqui nisi homo verus esset reipsa, non hoc esset, quod ego. Cum igitur et Deus sine ulla divinitatis mutatione permaneat; et homo sit nihilominus nostri similis : utramque naturam salvam esse conse-

καὶ πάσχοντα τὰ ἀνθρώπινα. Καὶ ταῦτα μὲν συνωμολόγησαν, ὁμολογοῦντες θεότητά τε, καὶ ἀνθρωπότητα. Τὸ γὰρ ἑνωθὲν, οὐκέτι δύο, ἀλλ' ἓν ὀνομάζεται.

(1) Ibidem B. Τῇ δὲ ἐννοίᾳ πάλιν εἰ διαιρεῖς, καὶ ἕκαστον κατ' ἰδίαν σκοπεῖς, οὐκοῦν λύεις τὴν ἕνωσιν. Ἀδύνατον γὰρ ἅμα καὶ φυλάττειν τὴν ἕνωσιν, καὶ ἑκάτερον κατ' ἰδίαν σκοπεῖν. Ἀλλὰ τὸ ἑνωθὲν ἀλύτως ἓν γέγονε, καὶ οὐκέτι γίνεται δύο. Ἀλλ' ἐπινοίᾳ μόνῃ χωρίζω, φησίν. Οὐκοῦν τῇ αὐτῇ ἐπινοίᾳ καὶ τὴν ἕνωσιν ἔλυσας. Ὧ γὰρ διΐστᾷς τοῦ ἑτέρου τὸ ἕτερον, τούτῳ καὶ τὴν συνάφειαν ἔτεμες.

(2) THEODOT. pag. 532. D. Διὰ τοῦτο λέγομεν, καὶ μένειν αὐτὸν ὃ ἦν, καὶ γεγονέναι ὅπερ οὐκ ἦν. Τῇ γὰρ οὐσίᾳ μένων ὃ ἦν, ἐδέξατο πάθη, ἑαυτὸν ἑνώσας τῇ φύσει τῇ παθητῇ.

[1] Anon. p. 176.

quens est, adeoque differentem. Nisi enim differentes sint, naturæ esse desinant; eo quod id omne quod est, et *ens* vocatur, *unum* sit oportet : quod autem est *unum*, ab alio debet esse distinctum, quod non est ipsum.

Quocirca non naturas post unitionem differre negat Theodotus, uti nec Cyrillus : sed separatas esse, vel seorsim positas, et divisas unam ab altera existimari reipsa, aut vero mente quasi separatas considerari vetat : non quod una sine altera cogitari non possit, sed ut ne animo fingamus alteram ab altera dissociatam, ac separatim existentem, quando perfectam, et integram Christi notionem informare volumus.

V. Inepta vero est anonymi μικρολογία [1], qui ex quarumdam rerum similitudinibus ad explicandum Incarnationis mysterium assumptis a Theodoto, auget Eutychianæ de eo hæresis opinionem. Sed frustra est. Non enim paria facere credidit, quæ quadamtenus similia videri voluit. Ac superius [2] eamdem malignitatem in mente Cyrilli perperam interpretanda notavimus. Quod igitur Theodotus naturarum in Christo duarum arctam et substantivam junctionem in unius Christi constitutionem explicare cupiens, eam cum flamma Babylonicæ fornacis, in quam tres projecti sunt pueri, comparavit; non eo pertinet, ut in omnibus similitudo constet. Hoc enim præcipue spectavit, ut uno allato miraculo, fidem et auctoritatem conciliaret alteri. Etenim contra Nestorianos dixerat, « (1) Deum hominem ita esse factum, ut maneret Deus et Verbum. » Quibus verbis anonymi calumniam refutavit. Non enim partium duarum, quæ in unius coeunt naturæ compositionem, una fieri altera dicitur : puta spiritus hominis, corpus, aut corporeus, vel corpus spiritus, aut spiritale, ut jam supra monuimus [3]. Quare non fit ex Verbo et humanitate una quæpiam natura; quandoquidem et Deus homo, et homo Deus appellatur. Cum hæc ergo, et ejusdemmodi alia de incarnatione Verbi dixisset Theodotus; Nestorianos, ut moris est hæreticis, quinam ista possent fieri sciscitantes, divinæ omnipotentiæ, ac similium miraculorum commemoratione reprimit : « (2) Quomodo, inquis, et qua ratione? Non sicut cogitando assequi tu potes, sed ut ille ad miracula facienda est idoneus. Nam cum miraculum dico tibi, omitte rationes. Etenim miracula et prodigia fide in Deum confirmantur, non rationibus inquiruntur. Siquidem nullum aliud miraculum secundum rationem nostram evenit. » Exinde miracula quædam recenset, in quibus factum ipsum sine effectionis ratione constat, ut quod Ægypti fluvius Mosis imperio in cruorem conversus est; quod cum lux esset Israelitis, idipsum nox fuit Ægyptiis : quod fornacis Babylonicæ flamma ros est facta pueris tribus. Quæ, ut dixi, in eum finem potissimum adducit, ut illos stulte curiosos compescat, ac doceat non eorum, quæ gesta sunt, rationem scrutari; sed rei notitia ipsius esse contentos. « (3) Atenim, ait ille, quomodo Unigenitus servus est factus, manens id quod erat, et quod non erat effectus? Si hoc vis discere, disce esse factum : quomodo vero factum sit, solus novit artifex miraculi. »

VI. Nec tamen similitudinis modum aliquem, qui inest iis in rebus, omittit; velut quod unum et idem manens, duo quædam visum est esse sine ulla sui mutatione, uti fluvius idem aqua manens sanguis fuit Ægyptiis; flamma eadem manens, et Babylonios ministros urens, ros fuit Hebræis tribus pueris. Ad hoc enim valet ista comparatio, ut ne sensibus nostris plus habeamus fidei, quam potentiæ, ac testificationi Dei : et ut perinde unum et eumdem Deum pariter et hominem extitisse non dubitemus. Ceterum, quod una et eadem natura flammæ, vel aquæ fuerit, ac solius discrimen efficientiæ, nihilo plus ad rem pertinet, quam quod inanimæ, et ratione carentes eædem fuerint, ad hoc debet accommodari, ut ambas Christi naturas ratione ac sensu destitutas fuisse probemus.

Quocirca similitudinum istarum ratio eatenus Theodoto constat, quod ut in fluvio, etsi oculis ac sensibus res una subjiceretur, dispar tamen ac dissimilis ejusdem rei qualitas et

(1) Theodot. in Eph. syn. pag. 532. D. Γέγονεν ἄνθρωπος μείνας Θεός τε, καὶ Λόγος.

(2) Ibid. Πῶς, καὶ τίνα τρόπον; οὐχ ὡς λογίζεσθαι δύνασαι, ἀλλ' ὡς ἐκεῖνος θαυματουργεῖν ἐστιν ἱκανός. Ὅταν γὰρ θαυμά σοι λέγω, καταλειπε λογισμούς. Σημεῖα γὰρ, καὶ τεράστια τῇ τοῦ Θεοῦ πίστει κρατύνεται, καὶ οὐχ ἐρευνᾶται τοῖς λόγοις. Οὐδὲ γὰρ ἄλλο τι τῶν θαυμάτων κατὰ λόγον ἐστὶ τὸν ἡμέτερον·

(3) Ibid. pag. 533. Ἀλλὰ πῶς, φησὶν, ὁ μονογενὴς δοῦλος γεγένηται, μείνας ὃ ἦν, καὶ γενόμενος ὃ οὐκ ἦν; εἰ βούλει τοῦτο μαθεῖν, μάθε ὅτι γέγονε. Τὸ δὲ πῶς γέγονεν, ὁ θαυματουργήσας ἐπίσταται μόνος.

[1] Anon. p. 177. — [2] Cap. 10. § 2.

[3] Vide sup. c. 7. § 6.

efficentia est animadversa, adeo ut δυνάμει esset multiplex : ita persona Christi una eademque cum in oculos intuentium incurreret, duarum tamen in se naturarum vim et proprietatem continebat. Ut igitur in Ægyptio flumine fallebatur aspectus, et mirifica Dei potentia cernebatur, quæ contrariarum inter se rerum vires et efficientias in re una apparente jungebat : sic in uno Christo perinde sensus errabant, qui hunc hominem simplicem esse judicabant ; cum tamen duo inessent longe a se invicem disjuncta, Deus et homo : quæ effectis, et ratione, intelligentiaque discerni sola poterant.

VII. Neque vero, ut adamussim, ac per omnes partes convenire demus oportere similitudines, quæ ad rerum explicationem adhibentur ; quamvis communis hoc usus minime patiatur : sed ut contentionis, quam veritatis amantiori sophistæ anonymo concedamus istud, et in illis, de quibus agitur, similitudinibus experiri jubeamus ; nihil minus auferet, quam quod cupit. Nec enim obtinebit, unam a Theodoto naturam ex duabus compositam in illis miraculis extitisse : ut, exempli causa, tertiam quamdam naturam ex aqua et sanguine, vel ex rore atque flamma, vel, quod magis ridiculum est, et ἀναισθησίαν imperiti disputatoris ostendit, ex luce ac tenebris ; quas in unam coisse substantiam quomodo intelligat, velim nobis explicet, si potest : quod certe facere debet, si quid contra Theodotum, ac Cyrillum curat efficere. Nusquam itaque Theodotus duas ibi naturas unam composuisse tertiam affirmat, uti nec Cyrillus. Sed ille « (1) ignem *ait* mansisse ignem, et rorem esse factum : non res duas, non duas naturas fuisse : verum unum fuisse quod videbatur, et quod erat flamma, idipsum factum esse rorem. » Atqui si una itidem tertia natura ex igne ac rore facta esset ; ut ex anima et corpore unus homo : et ex Verbo, et humanitate tertia nescio quæ natura Christi, quam Patribus istis affingit anonymus ; non negaret duas esse naturas ; uti nemo negat, animam et corpus duas a se mutuo distinctas esse naturas ; neque id quod erat flamma, rorem esse factum diceret : quemadmodum dici non potest, id quod anima erat, factum esse corpus ; aut vicissim, quod erat corpus, animam esse factum. Apparet itaque vel cæco, nihil ex illo Theodoti loco de Apollinaris, vel Eutychetis errore posse concludi, qualem præfixit anonymus ; ut ex duabus una quædam existat composita tertia.

VIII. At etiam [1] stipiti isti præclarum visum est adversus Ephesinam synodum argumentum, ex Joannis Antiocheni episcopi, et Orientalium testimoniis petitum ; qui in Ephesino conciliabulo contra Cyrillum, aliosque catholicæ partis antistites contumeliose bacchati sunt. Sic enim Orientalium calumniam in Acacium Melitinensem virum integerrimum profert, qua hunc velut Theopaschitam traducunt. Tum quæ Joannes ad Imperatores contra Cyrillum, et Ægyptios, atque Asiaticos episcopos, ceterosque Cyrilli fautores mendacissime scripsit. Item illud affert in medium, quod Dioscorus Alexandrinus, ac ceteri Eutychianarum partium hæretici in latrocinali apud Ephesum synodo, et alias passim, Cyrillum auctorem præ se ferentes, unam tantummodo Christi naturam asseverarunt. Quæ quidem futilia, et communis vacua judicii ac sensus anonymi impostoris argumenta, tum ex historica notitia temporum, et actorum illorum facile diluuntur, tum ex iis, quæ supra de illis attigimus, liquido constat ; calumniatorem istum nec ingenio, ac doctrina, nec eorum, de quibus disputabat, scientia satis instructum, obvia quæque, nec explorata sibi, et expensa temere congessisse : quod multo etiam amplius ex sequentibus intelligetur.

(1) Theodor. ibid. pag. 534. A. Εἶδες πῶς τὸ πῦρ ἔμεινε πῦρ, καὶ δρόσος ἐγένετο οὐ δύο πράγματα, οὐδὲ δύο φύσεις· ἀλλ᾽ ἓν ἦν τὸ ὁρώμενον· ὅπερ ἦν φλὸξ, τοῦτο γέγονε δρόσος.

[1] Anon. p. 179.

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

Anonymi calumniæ in Cyrillum, aliosque temere conjectæ discutiuntur. — 1. Ridiculum ejus factum, qui pro catholicis, hæreticos obtrusit. — 2. De Vigilio papa, et Honorio. — 3. Cyrillus propugnatur; cujus ex libro de Trinitate, qui est supposititius, sententiæ quædam expensæ : eumdem librum, farraginem esse ex Joanne Damasceno corrogatam. — 4. Anonymi oscitantia, et stupor. — 5. Librum Thesaurorum non esse Cyrilli falso putat anonymus. — 6. Nec repugnant ceteræ ejusdem doctrinæ quæ inde proferuntur. Quomodo major Filio dicatur Pater. — 8. Fœda hallucinatio ejusdem anonymi in explicando Cyrillo. — 9. Refelluntur cetera, quæ contra Cyrillum præscribit idem.

I. Hoc nempe restabat unum ad extremam tenebricosi, et impuri scriptoris infamiam, ut Ecclesiæ toti Christianæ, omnibusque veteribus, ac recentioribus doctoribus, et conciliis ab Ephesino deinceps ad nostra usque tempora celebratis inimicum se palam, aperteque profiteretur. Fecit hoc una illa denuntiatione, qua Cyrillianos, hoc est Catholicum nomen omne damnavit, ac proscripsit anonymus : « Concilium, *inquit* [1], Ephesinum primum approbavit Cœlestinus papa Romanus: qui antea convocato concilio doctrinam Nestorii damnaverat, et hæretica Cyrilli dogmata confirmarat; ut patet ex actis concilii Ephesini primi. Nec ipsi duntaxat : sed et omnes veteres, et recentiores Ecclesiæ doctores, et omnia concilia subsequentia per mille ducentos annos. » Subjicit « insignes viros quamplurimos, qui post concilia Ephesina, et Chalcedonense, hæresim Cyrillianam, et Eutychianam amplexi sunt. » At quinam isti porro sunt? Vide nebulonis ineptiam ad durandam hominum patientiam facti. Insignes illi viri, uno alterove excepto, sunt hæretici famosi, Eutychianorum, Monotheletarumque duces, et antistites, Anthimus ex Trapezuntino Constantinopolitanus factus episcopus ab Theodora Justiniani imperatoris conjuge hæretica fœmina, et ob hæresim ab Agapeto Romano pontifice depositus : Themistius Agnoetarum signifer; Severus, Theodorus Pharanites, Macarius Antiochenus, Cyrus Alexandrinus, aliique Monotheletæ. Præter quos Vigilium et Honorium, Romanos pontifices, recenset. De his omnibus pauca quædam expromenda sunt; neque enim pluribus ad tantam impudentiam ac vecordiam profligandam opus est.

II. Primus in medium citatur Romanus papa Vigilius : quem Liberatus scribit in Breviario [2], abdicatis duabus naturis, unam duntaxat in Christo statuisse, ac verba refert illius ex epistola, quam ad hæreticos misit, Silverio adhuc superstite; cujus sedem, ac dignitatem, ex pacto cum Theodora imperatrice inito, profitendæ ac sanciendæ hæresis illius mercede meruerat. Verum partim supposititia est, partim nihil ad rem actiio sta pertinet. Vigilius, cum ista scriberet, nondum legitimus erat pontifex; sed intrusus in alienam sedem, oppresso Silverio optimo et innocentissimo papa, per vim ac tyrannidem grassabatur ; quam ob causam Silverii ejusdem sententia damnatus est. Quod quidem pluribus in Annalibus exponit Baronius [3]. Qui et merito Vigilii nomine insignitam illam ab Liberato diacono epistolam falsi suspectam habet, cujusmodi et alias quasdam eidem inscriptas Monotheletæ protulerunt in sexta Synodo [4]; quæ ab legatis Romanæ Sedis falsitatis convictæ, consensuque omnium rejectæ sunt. Quocirca præter omnem modum ridicula est, planeque κτηνώδης anonymi stupiditas, qui ex illo ipso sextæ Synodi loco Vigilii epistolam ad Justinianum proferre non erubuit, ubi pro spuria falsaque repudiatur.

De Honorio Romano item pontifice dixi quantum erat satis in primo libro, capite 21. ubi de Monotheletarum hæresi, et ejus auctoribus, ac principibus egimus; quæ qui legerit, et cum anonymi loco illo, et argumentatione contulerit, miretur omnino, sub humano vultu, ac specie, bruti adeo similem, dissimillimam vero hominis indolem latere.

III. Secundum hæc ad Cyrillum revertitur anonymus [5]: quem ut hæreticum, et Apollinari consentientem fuisse vincat, quædam objicit sibi, quæ in illius defensionem adduci queant; ubi naturarum duarum est expressa facta mentio. In quo ludum hominis, et artificium non valde acutum, sed hebes, et insulsum oppido notare primum oportet. Nam ex ingenti Cyrillianarum lucubrationum copia duas om-

[1] Anon. p. 181. — [2] Cap. 22. — [3] Ad annum 538. a § 14.

[4] Sexta Synod. Act. 3. tom. 5. Conc. p. 27. et seq. — [5] Anon. p. 187.

nino delegit, quarum alteram noverat, alteram suspicabatur Cyrilli non esse. Hinc ergo selectis pro arbitrio locis quibusdam totam respondendi vim in eo consumpsit, ut illos libros probaret non esse scriptos ab Cyrillo. Cetera perfunctorie, et oscitanter injecit, atque in illis tractandis ubique, velut Phineiæ mensæ assuetæ illæ volucres, contactu omnia fœdavit immundo, et vestigia tetra reliquit.

Primus liber est, qui de sacrosancta Trinitate inscriptus legitur [1], quem ψευδεπίγραφον esse variis argumentis adstruit [2]. Atqui non erat, quod in eo probando laboraret. Perspicuum est enim opus illud ex Joannis Damasceni libris excerptum fuisse : ejusque capita prima duodecim, esse quatuordecim capita libri primi Damasceni. Sed quod addit anonymus, partim contraria illic veri Cyrilli doctrinæ esse nonnulla, « partim ab aliquo Cyrilliano, et hæretico videri esse compositum ; » in utroque mentitur.

Tria loca libri illius de Trinitate, hoc est Joannis Damasceni profert, quæ cum Cyrillo pugnare asserit. Primus est, quod « personas divinas sola ratione distinctas asseverat, cum tamen Cyrillus libro tertio adversus Nestorium, pagina 91. dicat differre naturis ; et dialogo secundo de Trinitate, pag. 447. dicat Filium æternum habere existentiam diversam a Patre. » Locus ille Damasceni sumptus est ex capite undecimo libri primi de Fide, quem in quarto de Trinitate, capite decimo tertio jam expendimus [3]. In eo porro nihil est aut ab Cyrillo discrepans, aut catholicæ professioni contrarium. Nam aliter in Deo constare dicit naturam communem, et hypostases tres, atque in creaturis : propterea quod in his hypostaseon divisio reipsa consideratur : est enim Petrus a Paulo re diversus. Communio vero, et copulatio, et quod unum dicitur, ratione, et intelligentia constat; cujusmodi est natura communis, quam universalem nominant. At vero in sacrosancta Trinitate, quod commune est, re est unum; quod autem divisum est, ut sunt hypostases tres, sola ratione, ac cogitatione consistit. Non igitur personas tres divinas ratione duntaxat esse *distinctas* ait ; sed *divisas*, διῃρημένας, ut est in græco. Vide quæ supra nono capite fusissime de hac re disputavimus.

Quod autem spectat ad illas Cyrilli sententias duas, quas tanquam priori isti ex libro de Trinitate contrarias opponit, de his actum est alibi : ac de prima quidem supra capite tertio diximus [4] : alteram vero in quarto libro de Trinitate discussimus [5], ubi ὕπαρξιν ostensum est sæpe pro ὑποστάσει ab Cyrillo, aliisque Patribus accipi.

IV. Sequitur conflictus alter auctoris libri de Trinitate cum Cyrillo : « Quod ille dicit unam, et eamdem esse voluntatem trium personarum divinarum ; cum tamen Cyrillus commentariorum in Joannem libro quarto, capite primo pag. 334. disertis verbis ponat tres voluntates in Trinitate. » Hæc anonymus ; quem, cum ista commentaretur, nemo rationis fuisse compotem existimet, qui locos illos inter se contenderit. Unam trium personarum esse *voluntatem*, sive *volitionem*, ut vocant, affirmat auctor libri de Trinitate [6]; sive Joannes Damascenus [7]. Idem et Cyrillus apertissime sentit illo ipso in loco, quem citat anonymus, hoc est in quarto libro commentariorum in Joannem, ubi hæc scribit : « (1) Non enim a seipsa dissidere sanctam, et consubstantialem Trinitatem intelligemus unquam : sed nec in discrepantes dividi sententias ; aut quodammodo distrahi in privatos sensus Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum : sed in omnibus consentire ; ac tanquam ex una deitate, unam semper omnino voluntatem in tota sancta Trinitate constare. » Quæ verba non modo consensu et concordia unam esse voluntatem indicant ; sed natura etiam, et substantia ; quandoquidem unitatis illius causam refert in unam eamdemque divinitatem.

Porro quod idem anonymus paulo post *tres voluntates in Trinitate poni* ab Cyrillo asserit, pro suo more facit, ut mentiatur. Non enim *tres voluntates* inesse Trinitati ait, sed *volitiones*, ut sic loquar, sive *actiones volendi* plurali nec definito numero. Plurimum autem a se invicem ista discrepant, nominare Dei, vel Trinitatis voluntates absolute, et tres illas dicere. Siquidem prius illud in Scriptura nonnunquam exprimitur. Ut in Actis [8], *Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum,*

(1) Cyr. 4. in Joan. pag. 333. B. Οὐ γὰρ στασιάζουσάν ποτε καθ' ἑαυτῆς τὴν ἁγίαν τε καὶ ὁμοούσιον Τριάδα νοήσομεν, ἀλλ' οὐδὲ εἰς διαφόρους κατασχίζεσθαι γνώμας, ἢ καὶ καταμερίζεσθαί πως εἰς τὸ ἰδίᾳ δοκοῦν, ἢ τὸν Πατέρα τυχὸν, ἢ τὸν Υἱὸν, ἢ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀλλὰ συμφέρεσθαι μὲν ἐφ' ἅπασιν, ὡς ἐκ μίας δὲ δῆλον ὅτι θεότητος ἓν ἀεὶ πάντως καὶ τὸ αὐτὸ θέλημα, ἐν ὅλῃ τῇ ἁγίᾳ κεῖσθαι Τριάδι.

[1] Tom. 6. Cyr. — [2] Anon. p. 188. — [3] Cap. 13. § 19. — [4] § 10. — [5] Cap. 2. § 12. — [6] Tom. 6. Cyr. pag. 15. — [7] Lib. 1. c. 11. pag. 41. — [8] Act. 13. 22.

qui faciet omnes voluntates meas. At posterius inauditum est, neque usurpatum est ab Cyrillo. Qui in pagina illa, quam designat anonymus, id unum ait, « (1) Concurrere sanctæ Trinitatis voluntates semper in unam voluntatem, ac sententiam. » Ubi *voluntates* dixit, hoc est *volitiones*, sive actiones, et efficientias in opus prodeuntes, et externa quapiam molitione testatas, et cognitas. Sic paulo ante scripserat, « (2) Filium cum Patris consentire voluntatibus. » Et subinde, « (3) proprias Filii voluntates » appellat : a quibus « (4) et ipsum recessisse » dicit, « ut paterna impleret. » Ergo *voluntates* pro *voluntate*, sive ejusdem effectis, et actionibus voluntatis usurpat. Non enim adeo desipiet anonymus, ut ejusdem Patris plures esse voluntates, itidem uti Trinitatis, Cyrillum affirmare sentiat.

Tertia pugna ambos inter Cyrillum et Damascenum ab anonymo conficta, ejusdem est oscitantiæ. Auctorem libri de Trinitate naturas in Christo duas agnoscere ait, Cyrillum vero, unam duntaxat naturam Filii incarnati. Hæc inter se nullo modo contraria sunt, si cujusmodi naturam unicam Cyrillus definiat attente consideremus. Non enim Christi naturam intelligit, sed Verbi, ac Filii ipsius, de quo supra capite octavo copiose diximus. Nam et Joannes ipse Damascenus, ex quo liber ille de Trinitate sumptus est, eamdem illam Cyrilli sententiam, quam imperitus criminatur anonymus, approbat, et explicat : ut supra meminimus [1].

Quæ autem in illo de Trinitate libro idem anonymus accusat [2], tanquam impia, et hæretica; « quæ videlicet unitatem naturæ nomine tenus negare, sed realiter statuere videntur, » de iis locus erit disputandi. Pertinent enim ad θεανδρικὴν ἐνέργειαν, et quam vocant, *ubiquitatem* : de quibus postea.

V. Post hæc adversus loca Cyrilli ex Thesauris allata ad naturarum Christi duarum asseverandam fidem, multiplici ratione contendit anonymus. Primum [3], valde esse probabile putat, opus illud non esse Cyrilli, vanis et futilibus conjecturis adductus. Antiqui certe Cyrilli Thesauros esse non dubitarunt, et pro germanis adhibuerunt. Sic Ephræmius Antiochenus patriarcha [4], qui centum post Cyrillum annis floruit, hoc est initio imperii Justiniani, illorum testimonio est usus : necnon Synodus sexta, actione decima [5] : et Agatho papa in epistola Synodica [6] : Constantinus item Pogonatus in edicto, quod est in actione 18. sextæ Synodi. Tum Martinus papa in Lateranensi synodo secretario primo [7]. Nec eorum minuit fidem, quod ab nonnullis aliqua citantur ex Cyrilli Thesauris, quæ in vulgatis non comparent. Fuit enim opus illud a Cyrillo in eum finem, ut apparet, elucubratum, ut esset velut promptuarium quoddam argumentorum, ac disputationum adversus hæreticos, præsertim Arianos, et Eunomianos. Ideo tum stilo, tum dispositione ac διασκευῇ, reliquorum est liber ille dissimilis ; atque ut in locis communibus et χρηστομαθείαις usuvenit, cujusmodi opus istud est : multa identidem ab Cyrillo vel addita, vel detracta fuisse verisimile est : unde est exemplarium exorta varietas. Ex quo illud etiam accidit, ut aliqua sint in illo libro paululum ab iis discrepantia, quæ alibi Cyrillus idem docuit : quod etiam in aliis, de quibus nemo quin germana sint dubitat, ejusdem inter se comparatis operibus animadvertimus : ut non eodem sensu Scripturæ loca quædam interpretatus sit. Exemplo sit locus ille Joannis capite primo; (5) *Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat.* Quem in primo commentariorum in Joannem Cyrillus explicat sic [8], ut *ante me factus est,* significet dignitatis, famæ, et nominis antecessionem. At in dialogo de Incarnatione [9], hanc interpretationem adulterinam, et imperitam nominat, ac de temporis, sive æternitatis, et originis prærogativa potius accipit.

Pessime itaque ratiocinatur anonymus, qui ex istiusmodi varietate enarrandarum Scripturarum, contra operis illius Cyrilliani statum præscribit : ut de ceteris argumentis ejusdem sigillatim mentionem non faciam, quæ leviter perstringere satis habui.

(1) CYRIL. ibid. pag. 334. Ὅτι συντρέχει τῆς ἁγίας Τριάδος, εἰς μίαν βουλήν τε, καὶ γνώμην ἀεὶ τὰ θελήματα.

(2) Ibid. pag. 333. C. Τὸ συμφέρεσθαι τοῖς θελήμασι τοῦ Πατρὸς τὸν Υἱόν.

(3) Ibid. E. Μὴ πάντως τῶν οἰκείων ἔχεσθαι θελημάτων ὁ Υἱὸς διαχωρίσατο.

(4) Ibid. pag. 334. A. Τῶν μὲν οἰκείων ἀπέστη θελημάτων· ἀποπληροῖ δὲ τὸ τοῦ Πατρός.

(5) JOAN. 1. 15. Ὁ ὀπίσω μοῦ ἐρχόμενος, ἔμπροσθέν μου γέγονεν· ὅτι πρῶτός μου ἦν.

[1] Vide supra l. b. 4. c. 6. et seq. — [2] Anon. p. 189. — [3] Anon. p. 193. — [4] Apud Phot. cod. 230. p. 446. et cod. 229. p. 423. et 429. — [5] Tom. 5. Conc. p. 134. et 140.

[6] Agatho Act. 4. ejusdem Syn. p. 49. Et Const. Imp. p. 292. F. — [7] Tom. 4. Conc. p. 667. — [8] Cyr. p. 98. — [9] Idem tom. 5. par. 2. p. 710. et 711.

VI. Quanquam illa, quam causatur iste, diversitas, ac repugnantia in exponendis Scripturis, nulla est revera iis quidem quæ citavit in locis. Sed sola nebulonis istius hallucinatio fucum iis obduxit, inanemque speciem, quam aperta veritatis luce discutiemus. Cyrillum ait in Assertione, vel libro Thesaurorum 28. hæc habere; « (1) Cum proficere dicitur Jesus, non sapientia in se profecit, qua sapientia est; sed humanitas in sapientia profecit, paulatim per ipsam resplendens, atque apparens. » Cum hac sententia pugnare dicit quod Cyrillus in Homilia decima septima, nempe paschali, prodidit; non oportere dicere, profectum illum de humana intelligi natura. Verum nimis cursim, ac præpropere Cyrilli posteriorem hunc percurrit locum, aut temere ab alio sibi notatum arripuit anonymus. Nam profecto idem in paschali ista homilia, qui in Thesauri libro 28. sensus est dicti illius evangelici : ut ex ipsis homiliæ verbis constabit, quæ sunt hujusmodi : « (2) Neque vero rursus illud stulte audeas dicere, hoc ipsum, proficere ætate, et sapientia, et gratia, homini esse tribuendum. Hoc enim nihil, opinor, aliud est, nisi unum in duo Christum dividere. Verum, uti proxime dixi, qui ante secula Filius extitit, eumdem postremis seculi temporibus in Dei filium fuisse destinatum; adeo ut carnis suæ generationem ex dispensatione propriam faceret sibi : ita qui genitoris est sapientia, tametsi omnino perfectus est, utpote Deus, quæ sunt humanitatis propria merito in semeptipsum, propter summam unitionem, assumpsit. » Hoc vero perspicue profectum illum humanæ naturæ tribuit; ac Deo duntaxat eatenus, quod quæ suæ carnis erant propria, tanquam sua recepit : quam proprietatum communionem nominant, cui sunt consentanea quæ in libro Thesaurorum docuit. Verum id unum cavet, uti consuevit Cyrillus, ne *profectum* istum, ut et ceteras imbécillitates carnis proprias, sic assignemus homini, tanquam diviso ac separato, ut a Deo penitus abjudicemus : quemadmodum Nestorius opinabatur. Illud, inquam, sentire hoc loco Cyrillum evidens est; ac mire occæcatum et temerarium anonymum fuisse, qui ex eo Thesauros non esse Cyrilli probare voluit, quod contraria doctrina esset horum alteri, quam in homilia paschali tradidit. Quæ si idonea visa est illi ratio, profecto, cum jam eamdem utrobique esse didicerit, mutabit sententiam, et unius opus utrumque scriptoris esse non dubitabit.

VII. Rursus [1], « Assertione, *inquit*, undecima, postquam posuisset in divinis naturam generantem, et naturam genitam, hæc addit : (3) Scriptura tribuit Patri quod major sit, ut gignentis et ex eo geniti dualitas significetur. Quod paulo inferius explicat his verbis : Æqualis itaque ratione essentiæ (nimirum specificæ) existens cum Patre Filius, similisque per omnia, majorem illum vocat Scriptura, tanquam principio carentem : cum ipse Filius principium habeat, quatenus est ex Patre. At Cyrillus passim docet dialogis de Trinitate, et alibi, Filium esse æqualem Patri. » Hæc anonymus; locus vero ille Cyrilli in undecimo libro Thesaurorum sub initium occurrit. In quo sane nihil est ab cetera Cyrilli, et catholica professione discrepans; si quis paululum antiquioris Theologiæ degustarit, in qua anonymus rudis adhuc est et tyro.

Majorem non esse Patrem Filio natura, vel essentia, vel perfectiorem re ulla; sed æqualem penitus : imo eumdem in iis omnibus, quæ *attributa* vulgo, et *perfectiones* in Scholis appellantur, catholicæ est dogma fidei; a quo nullus dissentit, nisi Arianus, et hæreticus. At vero si personalem proprietatem et relationem consideres; complures antiquorum Patrum, Patrem, qua Pater, non qua Deus est, majorem concesserunt esse Filio. Ita Græci pæne omnes : Alexander cognominis urbis episcopus, et ejus successor Athanasius, Basilius, Gregorii ambo,

(1) CYRILL. 28. Thes. pag. 253. E. Οὐκοῦν ὅταν προκόπτειν λέγηται, οὐχ ἡ σοφία καθ' ἑαυτὴν προέκοπτεν, ᾗ σοφία ἐστίν· ἀλλ' ἐν σοφίᾳ τὸ ἀνθρώπινον, καταβραχὺ διαλάμπον καὶ φαινόμενον δι' αὐτῆς.

(2) CYRIL. tom. 5. par. 2. p. 230. A. Μὴ δ' αὖ ἐκεῖνο φληνάφως τολμήσῃς εἰπεῖν, ὅτι τὸ προκόπτειν ἐν ἡλικίᾳ τε, καὶ σοφίᾳ, καὶ χάριτι τῷ ἀνθρώπῳ προσάψομεν. Τοῦτο γὰρ οἶμαί ἐστιν ἕτερον οὐδὲν, ἢ διελεῖν εἰς δύο τὸν ἕνα Χριστόν. Ἀλλ' ὥσπερ ἔφην ἀρτίως, προαιώνιος ὢν ὁ Υἱὸς, ἐν ἐσχάτοις τοῦ αἰῶνος καιροῖς εἰς Υἱὸν ὡρίσθαι λέγεται Θεοῦ, τῆς ἰδίας σαρκὸς τὴν γέννησιν οἰκειούμενος οἰκονομικῶς. Οὕτω καὶ ὑπάρχων σοφία τοῦ γεγεννηκότος, προκόπτειν ἐν σοφίᾳ λέγεται, καί τοι παντέλειος ὢν ὡς Θεὸς, τὰ τῆς ἀνθρωπότητος ἴδια, διὰ τὴν εἰς ἄκρον ἕνωσιν, εἰς ἑαυτὸν εἰκότως ἀναλαβών.

(3) CYRILL. lib. 11. Thesaur. tom. 5. par. 1. p. 85. E. Ἀκολουθοῦσα δὲ πάλιν τῇ καθ' ἡμᾶς συνηθείᾳ τὸ μείζονα ἀποδίδωσι τῷ Πατρὶ, ἵνα πανταχόθεν ἡ δυὰς καὶ τὸ ἐξ οὗ σημαίνηται· προσμαρτυρεῖ δὲ τὸ ἶσον, ἵνα μή τις περὶ τὴν οὐσίαν ἀνομοιότης νοῆται Πατρὸς, καὶ Υἱοῦ· ἶσος τοιγαροῦν κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον ὑπάρχων ὁ Υἱὸς τῷ Πατρὶ, καὶ ὅμοιος κατὰ πάντα, μείζονα αὐτὸν φησιν ὡς ἄναρχον, ἔχων ἀρχὴν κατὰ μόνον τὸ ἐξ οὗ.

[1] Anon. p. 193.

Nazianzenus et Nyssenus, Chrysostomus, Isidorus Pelusiota, Cyrillus Alexandrinus, Joannes Damascenus, et alii; tum vero Latini, ut Novatianus, Hilarius, Phœbadius, Marius Victorinus, Faustinus, Augustinus, quorum testimonia legi possunt in secundo nostro de Trinitate libro, in quo quæstionem illam accurate pertractavimus. Omnes, inquam, illi Patre minorem se profiteri Filium idcirco putant, quod a Patre genitus sit, non Pater ab ipso; vel quatenus Pater ille est, hic Filius. Ex quo tamen nihil ad causam suam proficere possunt Ariani; cum nihilo majorem, aut perfectiorem, uti dixi, vel natura, vel qualitate ulla, absolutave proprietate Filio esse Patrem, iidem illi fateantur : sed salvam per omnia personarum æqualitatem esse. Quemadmodum etsi pater homo filio major sit, qua est pater, ejusdem tamen est cum filio substantiæ; nec ob eam perfectior, aut major; cum eadem sit in utraque species hominis. In sanctissima vero Trinitate multo id magis accidit, in qua non est personarum specie, sed numero una, et individua natura.

Hæc si intellexisset anonymus, non se deridendum hac animadversione sua præbuisset, ut quod in Thesauris est Cyrilli de majore Patre, ac minore Filio secundum personales proprietates, cum absoluta, et simplici æqualitate pugnare crederet.

VIII. Sed nec illud momenti est ullius, quod idem objicit [1]; in Thesauris asseri, voces illas, quæ de Christo dicuntur, dividi pro diversitate naturarum : in Anathematismis vero Cyrillum easdem voces nolle dividi. Etenim quod voces illas dividi Cyrillus vetat, id eo pertinet, ut non quasi diversis, et seorsim consistentibus naturis, hoc est nulla substantiva copulatione junctis separatim tribuantur, sed uni eidemque Christo, hoc est personæ et hypostasi uni, quæ in duabus naturis subsistit, ac sua facit, sibique vindicat quæ sunt alterutrius propria : quam Cyrilli esse mentem accurate hucusque demonstravimus.

Antequam vero ab hoc loco recedam, notanda est in anonymo hæretico *impiæ*, ut cum Hilario loquar [2], *hebetudinis stultitia*, qui Cyrilli locum, in quo *æqualem essentia* scribit *esse Patrem Filio*, fœda interpretatione corrupit, obiter interjectis vocibus duabus (*nimirum specificæ*) quasi æqualitas illa *ratione essentiæ specificæ* sit in Deo : nec unam numero, individuamque naturam trium personarum Cyrillus agnoverit. Quam nos falsissimam esse calumniam supra, capite tertio demonstravimus [3]; ac nominatim ex illo ipso libro Thesauri undecimo : in quo diserte « (1) unitatem divinitatis, et identitatem naturalem » exprimit.

IX. Verum [4] ad illa omnia Cyrilli loca, ex quibus demonstrari posset, *duas ab ipso naturas diversas in Christo* statui, generatim respondet anonymus, idque variis modis. Primum, naturas vel considerari ante unitionem, vel post eam : priori modo, duas fateri Cyrillum naturas reipsa diversas; posteriori, *unam tantummodo naturam Filii incarnati*. Quæ responsio jam a nobis extorta est, et explosa [5] : ac duo præ oculis habenda semper exposuimus : alterum, Cyrillum nunquam scripsisse, *ante unitionem duas esse naturas, post unitionem duntaxat unam*, sed *duas in unitione convenisse: post unitionem vero, nonnisi unam esse*. Secundum est, naturam illam, quam post unitionem nonnisi unam esse refert, non esse compositam, neque ex duabus coaluisse : sed ipsammet esse Verbi naturam, quæ carnem suscepit. Itaque vacat illa compositæ naturæ suspicio ex illis Cyrilli verbis temere conflata.

Rursus alterum responsionis genus adhibet anonymus [6] : ut Cyrillus naturas duas post unitionem non reipsa, sed ratione, cogitationeque sola distinguat. Quod in capite nono potissimum refellimus [7]. Non enim de distinctione, hoc est discrimine, ac differentia, quam *essentialem* vocant, loquitur Cyrillus; sed de διαιρέσει, hoc est divisione, ac separatione, quam sola ratione, et ἐπινοίᾳ constare non solus Cyrillus docuit, sed complures etiam veterum. Basilius certe in libro quarto adversus Eunomium, locum illum pertractans, *Dominus creavit me*, asserit, *generandi* verbum ad Dei filium referendum esse : *creandi* vero ad eum, qui servi formam accepit. Tum addit : « (2) In omnibus autem istis non duos dicimus, Deum separatim, et hominem separatim. Sed cogitatione naturam cujusque consideramus. » Quibus accurate consonat Cyrillus omnibus in locis,

(1) CYRILL. pag. 85. Ἑνότητα δὲ θεότητος διὰ ταὐτότητος φυσικῆς, etc.

(2) BASIL. 4. cont. Eun. pag. 105. Ἐν πᾶσι δὲ τούτοις οὐ δύο λέγομεν, Θεὸν ἰδίᾳ, καὶ ἄνθρωπον ἰδίᾳ· εἷς γὰρ ἦν· ἀλλὰ κατ' ἐπίνοιαν τὴν ἑκάστου φύσιν λογιζόμενοι.

[1] Anon. pag. 194. — [2] Lib. 12. pag. 93. H. — [3] § 7. — [4] Anon. pag. 194.

[5] Vide c. 7. 8. et seq. et cap. 9. § 14. — [6] Pag. 195. — [7] § 11. et seq.

quæ ad ejus criminationem adducuntur ab hæreticis : idque adeo in Paschali homilia octava præclara quadam, et luculenta sententia declarat : quam hic describere satius esse arbitror. Ibi rationem reddit, cur Dei filius quæ sunt hominis propria sibi tribuit, et assumit in sese; ut cum ait [1] *filium hominis eo ascendere ubi erat prius* : atque ita disserit. « (1) Quod enim inest ipsi secundum naturam, propriæ carni tribuit, tanquam non diversus ab ea, quantum ad unitatem, quæ est ex Incarnatione, pertinet. Neque tamen quæ natura dissimilia sunt, eo ipso, quod arctissime copulamus, idcirco tollimus; aut negamus, propria ratione illum esse splendorem Patris : et alia ratione, carnem esse ortam ex terra; sive perfectum hominem. Verum licet ista se habere sic agnoscimus, ac singularem rationem sola cogitatione dividimus, indivisa nihilominus unitate rursus illa inter se colligabimus. »

Aptissime quoque ad eamdem mentem et sententiam Proclus in epistola ad Armenos, Joannem ait, cum dixit, *Verbum caro factum est*, vocabulo isto γενέσθαι « (2) individuam summæ unitionis expressisse proprietatem. Ut enim monas in duas monades dividi non potest : quæ enim ita dividitur, monas non est, sed binarius : sic unum unitione summa, non potest in duo dividi. »

Igitur quod Cyrillus passim scribit, naturas sola cogitatione dividi, non autem reipsa, hoc ipsum est quod Basilius, et Proclus, ceterique omnes asserunt, non in re illarum esse separationem; ita ut duo seorsim cohærentia, et consistentia dici queant : sed in sola mentis cogitatione versari.

X. « Atenim si Cyrillus alicubi ponat differentiam realem naturarum, ait anonymus [2], tunc intelligit naturas differre in esse rei, aut entis, non tamen in esse naturæ; id est, divinitatem, et humanitatem in Christo esse quidem duas entitates, sed concurrentes ad constitutionem unius naturæ, et unius principii formalis operationum; eo modo quo anima, et corpus sunt duæ concurrentes ad constitutionem unius naturæ humanæ. »

Hæc spurce, putideque concepta sententia falsam habet Cyrilli criminationem. Naturas integras, perfectasque duas Cyrillus attribuit Christo ad unam concurrentes personam constituendam, unumve Christum : ut supra hoc ipso in libro, et superiore demonstravimus. Quid sibi vult autem, hac barbarie sua, *naturas differre in esse rei, aut entis, non in esse naturæ ?* Annon naturæ ipsæ res sunt, et sub entis genere censentur? Certe anima et corpus, et res, et entia sunt, et naturæ : sed non usquequaque perfectæ. Ideo in unius perfectæ compositionem veniunt : quod idem in humana, divinaque natura non accidit. Sunt enim ambæ perfectæ, nec alterius partes ex sese; ob idque nulla ex iis componi per se natura potest; ut superius ostendimus.

(1) Cyrill. tom. 5. pag. 102. Τὸ γὰρ ἐνὸν αὐτῷ κατὰ φύσιν τῇ ἰδίᾳ σαρκὶ περιτίθησιν, ὡς οὐκ ὢν ἕτερος παρ' αὐτὴν, ὅσον εἰς ἑνότητα τὴν ἐκ τῆς οἰκονομίας· καὶ οὐκ ἀναιρήσομεν διὰ τὸ εἰς ἄκρον ἑνοῦν τὰ ἀνόμοια κατὰ τὴν φύσιν, τὸ ὑπάρχειν μέντοι κατ' ἴδιον λόγον τὸ ἀπαύγασμα τοῦ Πατρὸς, ἕτερον δὲ πάλιν τὸ ἀπὸ γῆς σαρκίον, ἤτοι τελείως τὸν ἄνθρωπον. Ἀλλὰ καὶ οὕτω ταῦτα διεγνωκότες, καὶ μόναις διελόντες ταῖς ἐννοίαις τὸν ἐφ' ἑκάστῳ λόγον, ἀδιαστάτῳ πάλιν ἑνότητι περισφίγξομεν.

(2) Procl. pag. 613. Διὰ μὲν γὰρ τοῦ ἐγένετο, τὸ ἀδιαίρετον τῆς ἄκρας ἑνώσεως ὁ Εὐαγγελιστὴς ὑπαινίττεται. Ὥσπερ γὰρ ἡ μονὰς οὐκ ἂν τμηθείη εἰς μονάδας δύο· ἡ γὰρ εἰς ταῦτα διαιρουμένη οὐκ ἂν εἴη μονὰς, ἀλλὰ δυάς· οὕτω τὸ ἓν κατὰ τὴν ἄκραν ἕνωσιν οὐκ ἂν διαιρεθείη εἰς δύο.

[1] Joan. 6. 62.

[2] Anon. pag. 196.

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

Pergitur in Cyrilli et Athanasii defensione. — 1. Futilis objectio pro Cyrillo ab anonymo proposita. Apollinaris inconstantia. — 2. In Athanasium conjectæ calumniæ ex pseudepigraphis illius libris refutantur. — 3. De fragmentis ejusdem. — 4. Apollinaris, et Eutychis hæresis falso Athanasio impingitur ab anonymo, ex supposititiis illius libris, — 5. tum ex veris, et germanis. — 6. Ostenditur Athanasii recta, et catholica de Incarnatione sententia, prolatis quibusdam ex eo testimoniis. — 8. Tritheitarum hæresis falso itidem Athanasio tributa repellitur. — 9. Dialogos de Trinitate a Beza primum editos sub Athanasii nomine, non ejus esse, sed Maximi græcos asserere, ex quibus nomine Athanasii citatis refellitur anonymus.

I. Quo longius in disputando progreditur anonymus, eo et insania majore, insolentiaque præceps agitur; et futilioribus, atque imbecillioribus machinis pro scelere, ac mendacio contra veritatem obnititur. Tria sunt reliqua pro Cyrillo, quæ sibi opponit argumenta, quasi ab Catholicis allata; in quibus diluendis insigniter se impium, ineptumque demonstrat.

Objicere ait [1] Cyrilli defensores, non hunc posse dici Apollinaristam, vel Eutychianæ auctorem hæresis, eo quod ambo isti Christum putarunt unius naturæ fuisse simplicis; Cyrillus vero « unam esse naturam arbitratus est compositam ex Verbo et humanitate, æquivalentem uni personæ ex duabus personis compositæ. » Itane defensor hoc Cyrilli quisquam sanus homo, et catholicus dixit, aut pecudi isti dissolvendum opposuit? Adeone perfrictæ frontis erat cum illa scriberet, aut similes sui putabat mortales reliquos, ut id vel non intellecturos, vel dissimulaturos crederet, quod pro certa, et confessa Cyrilli sententia tam falso, quam imperite tanquam aliud agens obtrusit: Cyrillum unam Christo affinxisse naturam compositam ex Verbo et humanitate? Quis hoc illi concesserit? Certe pluribus et invictis argumentis, ac testimoniis ejusdem Cyrilli calumniosum hoc mendacium elisimus capite præsertim sexto libri hujus, et alibi sæpius. Ecquod vero portentum istud est, *naturam illam compositam æquivalentem uni personæ* ex Cyrilli opinione constitutam fuisse? Undenam tale commentum, aut quibus ex Cyrilli verbis probabili iste ratione confecit? Quid est autem, *naturam compositam æquivalere uni personæ?* Doceat nos, si potest.

Ceterum quod ad Apollinarem, ejusque multiplicem, ac minime sibi constantem hæresim attinet, non hic agam pluribus. Nihil enim ad ea possum addere, quæ in primo libro, capite sexto de eo diximus. Ex quibus intelliges omnia illa, quæ sensisse ipsum temere inficiatur anonymus, revera docuisse, dum alias alia, et cum prioribus posteriora pugnantia tueretur. Ita et unam Christi naturam, ac simplicem posuit; cum videlicet divinitatem ipsam in carnem transisse diceret; aut specie sola carnem circumtulisse Dominum; et Incarnationem reipsa tolleret, larva quadam ejus, et imagine contentus. Interdum naturam eamdem unam compositam asserebat ex Deo, et carne sola. Quippe animam primo, deinde solam humanæ naturæ mentem abstulit: quantumvis id neget anonymus. Cujus [2] impudentem ac ridiculam confidentiam quis non miretur? Nam et Gregorium ipsum Nazianzenum Apollinari ait imposuisse, hoc est falso calumniatum esse, ut eum assereret patibilem Verbi divinitatem esse voluisse. De quo, ut et ceteris, quæ ad hæresim illius spectant, relege quæ ibi copiose disseruimus.

II. Mox vero in Athanasium sacrilegi stili sui pus ac venenum convertit. Etenim [3] *objectionem tertiam*, quam ab Cyrilli patronis intentari ait, hunc in modum exponit: « Cyrillus passim profitetur se velle sequi doctrinam Athanasii decessoris sui, et varia loca ex ejus scriptis citat ad confirmationem suorum dogmatum. Athanasium autem fuisse orthodoxum in articulo de Incarnatione nemo hactenus dubitavit. » Hinc igitur consequens est, Cyrillum quoque ab suspicione hæresis illius alienum esse. Jam ut Athanasium de Incarnatione probet non male sensisse, meras profert argumentorum nugas, et quisquilias: ut ex eorum, quæ pro illo dicuntur, infirmitate, et videlicet respondendi ad ea facilitate Athanasii causa labefactetur. Quod illepidum, et puerile non vafri hominis artificium habet quædam aspersa semina virulentæ criminationis; propter quæ non omnino, ut alioqui merebatur, prætermittendum videtur. Athanasium itaque de Incarnatione ut Catholico

[1] Anon. pag. 199.

[2] Anon. p. 205. — [3] Anon. p. 207.

dignum erat existimasse, videri ait ex opusculis quibusdam illius inscriptis nomine, quæ inter rejicula tomi secundi edita leguntur. Sed ea non esse Athanasii, verum Theodoreti, postea confirmat [1]; idque se didicisse ait ab nescio quo simili sui, et impuro, ac nefario perinde homine, « qui primus, *inquit*, innocentiam Nestorii, et fabulam Cyrilli detexit, et historiam hac de re propediem in lucem edendam composuit. » Profecto quisquis ille est, non magni pretii homo est, nec valde pertimescendus, si non magis, quam anteambulo, et laternarius iste illius anonymus, ab eruditione ac judicio paratus ad hanc causam accesserit.

Nam quid hoc sycophanta fieri potest ineptius? Athanasii rectam sinceramque fidem ut ex eorum persona, quibuscum ludicrum et joculare sibi prælium fingit, approbet, eos illius libros affert in medium, quos subinde Athanasii non esse germanos asseverat. Quorsum igitur ex illis testimonia repetebat? cur alios omittebat certos et indubitatos ejusdem auctoris libros; in quibus longe sunt firmiora, et expressiora duarum in Christo naturarum vestigia? Non enim quæ citavit ille, ab Athanasii defensoribus vel omnino prolata, vel sola ad catholicam hujus adstruendam fidem commemorata, objectaque sibi loca proposuit: sed de industria, solidioribus ac certioribus dissimulatis, (si quem tamen usum doctrinæ istius habet,) ea sola retulit, quæ se statim prompta, et plausibili exceptione posse sciret eludere.

III. Verum ut has insulsi capitis delicias brevi sermone discutiam : non nego Athanasii nequaquam esse opuscula ista, quæ in tomo secundo operum illius edita sunt [2], quæque Theodoreto Photius adscribit; ut jamdudum docti homines animadverterunt, antequam iste prodiret; et vel tacentibus omnibus, stilus ipse satis arguit. At vero quod Athanasium eumdem videri potius personas duas cum naturis totidem agnovisse, quam naturam unicam, tanquam ab adversariis objectum, opponit sibi, hoc et vanissimum est, et ejusdemmodi, quibus prius illud, argumentis, hoc est levibus, et languidis innititur. Epistola, quæ Athanasii nomen præfert [3], ad Liberium inter spurias lucubrationes recenseri debet; uti et Liberii ad Athanasium, quod recte Bellarminus animadvertit. Qui et de Expositione fidei ejusdem dubitavit [4] : de qua libro sequente capite duodecimo dicendum erit. Fragmenta porro illa ex epistola Athanasii ad Antiochenos, ab Facundo descripta [5], utrum germana sint, non temere dixerim. Certe quæ extat illius ad Antiochenos epistola synodica, de qua nemo dubitat quin genuina sit, ea fragmenta non habet. Neque vero, cujuscumque tandem ea sint, excusari non possunt, commodeque sic accipi, ut ab omni vacent hæresis suspicione. Nam personæ nomen interdum aliud significat, quam quod vulgo illi subjicitur. Non enim pro eo sumitur, quod *suppositum*, et *subsistentiam*, ac subinde ὑπόστασιν appellarunt, qua ratione personæ tres divinæ numerantur, et unusquisque homo, vel angelus persona dicitur. Sed nonnunquam certam potius substantiæ conditionem, et qualitatem indicat; vel qualitatum potius complexionem, et quasi collectam summam : quæ in una hypostasi potest esse multiplex : ideoque personæ plures in eodem supposito inesse possunt. Ut cum idem homo personas sapientis, aut regis, aut servi agere, ac sustinere dicitur. Sic et Christus ex persona hominis, vel Dei facere quippiam vel loqui. De quibus vide quæ in quarto de Trinitate ex antiquis adnotavi [6]. Talia sunt illa, quæ ex Athanasio Facundus refert, ubi « duas personas de Domino inveniri *ait*, et duas personas in Christo significari; » quemadmodum et Ambrosius locutus est in secundo libro de Fide, capite quarto.

IV. Sequitur apud anonymum [7] callidum magis, atque audax facinus; et in Athanasium impotens, et inconsultus furor. Hunc enim, perinde ac Cyrillum, in Apollinaris, et Eutychis hæresim compellit : ut similiter atque iste, naturam unicam, et, ut Monotheletæ, operationem unam in Christo statuerit. Quod utique crimen, quia παράδοξον, et incredibile est de tanto viro, nisi invictis rationibus, et manifestissimis testimoniis approbetur, extremæ stoliditatis, et attonitæ cujusdam vecordiæ accusatori affert infamiam. Atqui sunt ejusmodi Athanasii loca illa, ut partim de spuriis, et nomen illius ementitis libris petita sint : partim nihil ad rem faciant : partim denique naturarum duarum in Christo discrimen affirment : nedum, quod anonymus imperite credit, uni ac singulari faveant. Quod si demonstrari potest, quid aliud, quam risu,

[1] Ibid. pag. 209. — [2] Tom. 2. Ath. pag. 245. — [3] Tom. 1. Ath. p. 397.

[4] Ibid. pag. 394. — [5] Lib. 11. cap. 2. — [6] Cap. 4. — [7] Anon. p. 212.

et contemptu languorem ac veternum impudentissimi calumniatoris ulciscemur? Primus, ac secundus locus, quem ex Athanasii libris depromit, non est hujus proprius, ac germanus. Siquidem ille ex fragmento quodam sumptus est [1], quod etsi Athanasio tribuitur, non tamen ipsius est. Quo in fragmento sententia illa continetur ab Cyrillo usurpata sæpius, et tantis clamoribus, ac contentionibus excepta : in qua naturam esse unam asserit post unitionem, incarnati Dei verbi : de qua in libro quarto fuse disseruimus [2]; et ostendimus [3], ex antiquorum consensu, Apollinaris esse, non Athanasii fragmentum istud. Idem de posteriore loco judicium est, et de epistola ad Jovianum [4], unde est excerptus : quam non esse Athanasii perspicuum est. Porro sententia illa, quæ utrobique continetur, de una Verbi incarnata natura, ob quam reum facit anonymus Athanasium Apollinaristarum hæresis, nihil habet reprehensione, vel tali suspicione dignum : ut in eodem quarto libro, et alibi sæpe demonstravimus : neque Dioscorus, aut Eutyches ob eam damnati sunt in Chalcedonensi concilio. Sed quod naturam illam unicam, Christi esse dicerent, ex ambabus confusam, aut compositam, non autem divinam ipsius Verbi, cum adjuncta sibi humana, sine alterutrius jactura, vel imminutione, in una personæ proprietate cohærentem.

V. Cetera veri Athanasii testimonia, quæ ad unam convincendam naturam ex mente Athanasii profert anonymus, uniusmodi fere sunt : et hoc ipsum docent, quod Ecclesia catholica, ex œcumenicorum decretis Conciliorum, et græcorum latinorumque Patrum conspirantibus sententiis constanter profitetur; ita naturas duas in Christo inter se esse conjunctas, ut unus ex illis efficiatur Deus et homo Christus; ac quæ propria sunt unius, alteri tribuantur, propter *communicationem*, quam vocant, *proprietatum :* tum ut communes perinde sint ambarum operationes, et affectiones. Ex quibus alia jam in superioribus libris exposita sunt; alia postmodum explicabuntur; maxime de operatione, quam θεανδρικὴν appellant. Quare tota illa scriptoris anonymi querela de Athanasio ex inscitia, et hæretica perfidia manavit, quæ hoc ei persuasit, falsam esse damnandamque tum naturarum in se invicem commeationem, ac περιχώρησιν, tum ἰδιωμάτων κοινωνίαν, et alia ejus generis : de quibus nonnulla hoc etiam in libro dicenda nobis erunt postea.

At vero iisdem illis ex locis naturarum duarum differentiam adstrui, non autem singularem aliquam, et compositam, ut temere, inconsiderateque jactat anonymus, perspicue cognoscet, si quis omnia singillatim notare, et excutere voluerit. Quippe Verbum ipsum, et assumptam carnem a se mutuo distinguunt. Ut cum in Oratione quarta « (1) Deum » asserit « proprium quoddam sumpsisse corpus, idque tanquam instrumentum adhibuisse. » Et paulo post, « (2) Nisi enim opera deitatis Verbi per corpus facta essent, nunquam homo deificatus esset. Ac rursus, nisi quæ sunt propria carnis, Verbi esse dicerentur, nunquam omnino liberatus ab illis esset homo. » Hæc, et hujus generis reliqua, quæ ex Athanasio descripsit anonymus, non obscure naturarum duarum in Christo differentiam arguunt. Nisi enim differrent, non esset una instrumentum alterius. Tum quod unius opera imputari describit alteri, tantumdem adstruit. Non enim sic intelligenda est operationum illa communio, ut sit una tantum ambarum operatio ; sed ut propter ἰδιωμάτων ἀντίδοσιν, quæ privatim unius sunt, et secundum eam, vel ex ea geruntur, etiam alteri tribuantur : quod suo loco declarabitur. Quamobrem supervacanea, et inutili opera tot illa congessit anonymus Athanasii loca, ut ex eo, quod mutuam proprietatum, et operationum communionem utrique naturæ in illis asseruit, colligeret, unam ab Athanasio naturam in Christo fuisse constitutam. Atqui ut est anonymi de sanctissimo illo Patre falsa suspicio, non esset consequens unam tantummodo esse duarum naturarum actionem, si ex utraque composita una natura fieret, quemadmodum ex anima et corpore una existit hominis natura. Nam et anima proprias habet actiones, quas separatim exercet a corpore : nec tamen idcirco non est una quædam hominis ex ambabus conflata natura. Itaque si quid recte concludere vellet anonymus, oporteret non ex duabus in substantia, proprietateque sua manentibus unam com-

(1) ATH. pag. 274. C. Θεὸς ὢν ἴδιον ἔσχε σῶμα, καὶ τούτῳ χρώμενος ὀργάνῳ ἄνθρωπος γέγονε δι' ἡμᾶς.

(2) Ibid. pag. 275. D. Εἰ γὰρ τὰ τῆς θεότητος τοῦ Λόγου ἔργα μὴ διὰ τοῦ σώματος ἐγίνετο, οὐκ ἂν ἐθεοποιήθη ὁ ἄνθρωπος. Καὶ πάλιν εἰ τὰ ἴδια τῆς σαρκὸς οὐκ ἐλέγετο τοῦ Λόγου, οὐκ ἂν ἠλευθερώθη παντελῶς ἀπὸ τούτων ἄνθρωπος.

[1] Tom. 2. Athan. pag. 36. — [2] Cap. 5. et seq. — [3] Ibid. c. 5. § 7. — [4] Athan. tom. 2. pag. 40.

poni; sed ambas inter se, pereunte alterutra, vel neutra remanente sed in tertiam aliquam degenerante, misceri, atque confundi. Sed hæc suo, uti dixi, loco reservanda sunt.

VI. Nunc ad purgandum, et ab anonymi calumnia liberandum Athanasium nonnulla ex eo testimonia proferam, quibus appareat, Christum revera ex duabus constantem naturis pie ac catholice illum agnoscere, nec affinem esse illi hæresi, quam ei temere, et immerito anonymus affingit.

Inter has Athanasii sententias, primo loco memorandæ sunt illæ, in quibus Christum Dominum affirmat Deum esse verum, ac verum pariter hominem. Ut in libro de Incarnatione scribit, ideo Verbum hominem esse factum, « (1) ut homines ipsum intuentes, ex admirabilibus ejus operibus persuaderent sibi non eum esse duntaxat hominem, sed etiam Deum, et veri Dei verbum, ac sapientiam. » Et postea : « (2) Quemadmodum, *inquit*, qua minime aspectabilis est, ex creationis operibus cognoscitur : sic homo factus, et in corpus receptus, ex operibus dignosci potest, Dei esse virtus, et Verbum, non homo (simplex) qui hæc operetur. » Idem etiam in Oratione quarta, « (3) ex iis, quæ Verbum per instrumentum corporis sui divine gessit, aut dixit, cognoscere nos *ait*, ipsum, cum Deus sit, talia facere; ac rursus, cum viderimus eumdem humano more loqui, ac pati, non eum nescituros nos carne suscepta hominem esse factum. » Hoc ipsum passim Athanasius significat. Est autem hic locus ad demonstrandam naturarum differentiam, et unius compositæ naturæ amovendam suspicionem apprime notandus. Nam, ut supra non semel animadvertimus, quando ex duabus naturis una quædam tertia componitur, neque partes inter se propria nomina communicant, neque totum appellationem capit singularum partium. Non enim anima corpus, vel corpus anima dicitur : nec homo proprie vocatur corpus, vel anima [1].

Deinde (4) *Christum* alibi dicit *utrumque intelligi*, Deum videlicet, et hominem : ac Verbum carni esse copulatum : neque, ut Samosateni discipuli nugantur, a se invicem duo illa separari, Verbum et hominem. Quod ipsum subinde repetit; (5) *Christum*, inquam, *pie intelligi utrumque* : quamvis ab alterutro nonnunquam Scriptura nomen illi tribuat, ut cum hominem eum vocat; ac vicissim ab divina natura nuncupet, et hujus ei propria duntaxat accommodet : quod non sic est accipiendum, « (6) tanquam hypostasim divini Verbi ab homine disjungat, qui ex Maria sumpsit initium. »

VII. Ad hæc in epistola ad Antiochenses, quam ex Alexandrina synodo scripsit; « (7) Cum revera Dei esset filius, *inquit*, factus est etiam hominis filius : et cum unigenitus esset Dei filius, idem et primogenitus factus est in multis fratribus. Ideo non alter quidem erat, qui ante Abrahamum fuit Dei filius; alter vero, qui post Abrahamum extitit : nec alter ille, qui Lazarum excitavit; alter, qui de illo sciscitatus est : sed idem plane erat, humano quidem more dicens : Ubi Lazarus jacet ? divino autem, hunc a morte suscitans. » Quis non istis in verbis naturam utramque perfectam, hoc est Deum simul, et hominem animadvertit ? Hoc vero posito, ruit illud anonymi figmentum, ac somnium naturæ unius compositæ.

Sic in perbrevi tractatu de incarnatione Verbi Dei, ex illis Christi sermonibus, quibus humana de se, ac divina pariter enuntiat, « (8) significari *ait* divinitatem ipsius; ita ut minime hoc evertat, assumptam ab illo fuisse

(1) ATHAN. pag. 49. Καὶ λοιπὸν ἐκείνους ὡς ἄνθρωπον αὐτὸν ὁρῶντας, δι' ὧν ἐργάζεται ἔργον, πείσῃ μὴ εἶναι ἑαυτὸν ἄνθρωπον μόνον, ἀλλὰ καὶ Θεὸν, καὶ Θεοῦ ἀληθινοῦ Λόγον καὶ σοφιαν.

(2) Ibid. pag. 50. E. Ὡς γὰρ ἀόρατος ὢν, ἀπὸ τῶν τῆς κτίσεως ἔργων γινώσκεται. Οὕτως ἄνθρωπος γενόμενος, καὶ ἐν σώματι χωρούμενος, ἐκ τῶν ἔργων ἂν γνωσθείη, ὅτι οὐκ ἄνθρωπος, ἀλλὰ Θεοῦ δύναμις, καὶ Λόγος ἐστὶν ὁ ταῦτα ἐργαζόμενος.

(3) ATH. or. 4. pag. 277. B. Ταῦτα ἀναγκαίως προεζητήσαμεν, ἵνα ἐὰν ἴδωμεν αὐτὸν δι' ὀργάνου τοῦ ἰδίου σώματος θεϊκῶς πράττοντά τι, ἢ λέγοντα, γινώσκωμεν, ὅτι Θεὸς ὢν, ταῦτα ἐργάζεται· καὶ πάλιν ἐὰν ἴδωμεν αὐτὸν ἀνθρωπίνως λαλοῦντα, ἢ πάσχοντα, μὴ ἀγνοῶμεν ὅτι σάρκα φορῶν γέγονεν ἄνθρωπος.

(4) ATHAN. or. 5. pag. 321. D. Χριστὸς γὰρ τὸ συναμφότερον νοεῖται.

(5) Id. pag. 323. C. Χριστὸς τοιγαροῦν τὸ συναμφότερον εὐσεβῶς νοείσθω.

(6) Ibid. D. Οὐ τὴν ὑπόστασιν χωρίζων τοῦ Θεοῦ Λόγου ἀπὸ τοῦ ἐν Μαρίας ἀνθρώπου.

(7) ATHAN. pag. 450. E. Υἱός τε ὢν ἀληθῶς τοῦ Θεοῦ, γέγονε καὶ Υἱὸς ἀνθρώπου, καὶ μονογενὴς ὢν Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, γέγονεν ὁ αὐτὸς καὶ πρωτότοκος ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς· διὸ οὐθ' ἕτερος μὲν ἦν ὁ πρὸ τοῦ Ἀβραὰμ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ἕτερος δὲ ὁ μετ' Ἀβραὰμ οὐδ' ἕτερος ἦν τὸν Λάζαρον ἐγείρας, ἕτερος δὲ ὁ πυνθανόμενος περὶ αὐτοῦ, ἀλλ' ὁ αὐτὸς ἦν ἀνθρωπίνως μὲν λέγων, ποῦ Λάζαρος κεῖται; θεϊκῶς δὲ τοῦτον ἀνεγείρων.

(8) Idem pag. 462. A. Σαφῶς διὰ τούτων ἐκδιδάσκων

[1] Vide hoc ipso libro c. 6. § 3.

carnem; sed ut constet potius, eum carni fuisse copulatum. » Mox illud Apostoli[1], *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*, enarrat sic : « Ut quemadmodum homo una est persona, et unum animal e spiritu et carne : sic instar illius Christus sit unus, et una persona. » Non naturam dicit unam esse Christum : quod profecto diceret, si ita sentiret. Erat enim opportunissimus iste illius dicendi locus. Cum autem personam unam esse scripserit, ostendit quatenus similitudinis ratio constet inter Christum et hominem, utrumque totum, et compositum : sed illum ejusmodi, ut ex duabus naturis persona una, non natura coalescat : hunc vero talem, ut natura simul et persona una ex ambabus existat. Quæ Athanasii sententia falsam illam anonymi rationem prorsus elidit[2]; qui ex trita illa, et vulgata comparatione hominis ex anima et corpore conflati, cum Christo ex Verbo et humana natura composito, Cyrillum calumniose traduxit antea, ut nunc Athanasium criminatur; tanquam naturam unam in Christo compositam inesse putent. Vide ejusdem Athanasii sermonem de salutari adventu Jesu Christi : cujus initio naturarum duarum proprietates integras manere post conjunctionem docet, et eumdem Christum utrasque capere, et ab illis denominari. Hoc autem de una composita natura dici non potest; uti sæpe demonstravimus. Sic in libro de incarnatione Christi[3] naturas duas neque διαιρεῖν, id est dividere, ac separare permittit, et tamen distinctas esse defendit, dum sua cuique tribuit, carni passionem, divinitati τὸ ἀπαθὲς, καὶ ἄτρεπτον.

VIII. Neque vero Apollinaris tantum hæresim Athanasio affingit anonymus[4], sed etiam Tritheitarum; tanquam naturas tres, sive substantias singulares in Trinitate posuerit. Quid fanatico isto, ac lucumone facias, qui Athanasium Arianæ perfidiæ, aut non multum dissimilis insimulare est ausus? An quisquam veterum ab ista peste alienior unquam extitit præstante illo viro, et Magni, quod consensu omnium est assecutus, cognomento dignissimo? Quibus autem argumentis tam enormem tamque incredibilem sycophantiam vel sibi persuasit, vel Christiano orbi probare se posse confidit? Prorsus auctoris indoli, et ingenio consentaneis : hoc est ineptis, et ridiculis. « Cum, *inquit*, Athanasius ponat in Trinitate tres hypostases, ponere etiam videtur tres naturas, seu substantias singulares. » Ubinam autem tres hypostases posuit? In symbolo, ait, quod Athanasii dicitur. Ibi enim ita scriptum est : Unum esse Christum, *non confusione substantiæ, sed unitate personarum*. Ita enim græce scriptum est, ἀλλ' ἑνότητι ὑποστάσεων. Ubi ὑπόστασιν pro natura sumitur; ut solet Athanasius, Alexandrinorum more. Quare cum aliam esse hypostasim Patris, aliam Filii, aliam Spiritus sancti esse dixerit paulo antea, intelligendæ sunt ex ejus mente, naturæ tres in Trinitate. Verum symbolum illud, quod latine primum ab auctore scriptum esse certissimum est, non hypostases habet, sed personas. Quam vocem quisquis ille est, qui græce illud reddidit, in ὑπόστασιν convertit, eam vocabuli hujus significantiam persecutus, non quæ Athanasio, et antiquioribus usitata fuerat, sed quæ post Basilium deinceps consuetudine recepta fuit, ut personam exprimeret. Quod autem de Christo subjecit, unum esse *unitate hypostaseon*, mendosum est, et ex latino castigandum, quod habet *personæ*. Id autem græce sit oportet τῆς ὑποστάσεως. Ex quo plumbeus apparet anonymi stupor : qui non animadvertit primum latine fuisse conceptum illud symbolum, deinde ὑποστάσεις ibi pro persona sumi. Siquidem initio dixerat; *neque confundendas esse personas; neque substantiam separandam*. Græce *pro personis*, πρόσωπα : pro *substantia*, sive natura aut essentia, οὐσία legitur. Unde duo colliguntur : alterum, interpretem græcum personas, sive πρόσωπα, et ὑποστάσεις promiscue accepisse. Quippe quod scripserat, non esse confundenda πρόσωπα, id statim explicans, ait: aliam esse ὑπόστασιν Patris, aliam Filii, etc. Alterum, οὐσίαν non significare hypostasim, sed naturam, vel substantiam; hoc est divinitatem. Siquidem paulo post quod οὐσίαν dividi vetuerat exponit sic : *Sed Patris, et Filii, et Spiritus sancti una est divinitas;* cum tres hypostases esse dixisset, hoc est *aliam Patris, aliam Filii, aliam Spiritus Sancti*. Non igitur ὑπόστασιν pro οὐσίᾳ græce loquens Symbolum usurpavit.

IX. Par anonymi est ἀκρισία, dum Athanasio invidiam facit hæresis nefandæ, ex dialogis de Trinitate, qui a Theodoro Beza primum editi sunt sub illius nomine. Sed Athanasii

ἡμᾶς τὴν θεότητα τὴν ἑαυτοῦ, οὐκ ἀναιρῶν τὸ κατὰ σάρκα προσειληφέναι· ἀλλ' ἑνῶν ἑαυτὸν πρὸς τὴν σάρκα. Ἐπειδὴ κατὰ Παῦλον, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γέγονε, καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος· ὁ δὲ ἄνθρωπος ἓν πρόσωπον, καὶ ζῶον ἕν, ἀπό τε πνεύματος, καὶ σαρκός. Κατὰ δὲ τὸ ὁμοίωμα αὐτοῦ νοητέον τὸν Χριστὸν ἕνα, καὶ οὐ δύο πρόσωπα.

[1] Phil. 2. 7. — [2] Vide supra c. 8. § 5. et seq.

[3] Ath. de Incarnat. p. 486. — [4] Pag. 218.

non esse nemo dubitet qui et illos legerit, et in hoc ipsum doctrinæ paululum, ac judicii contulerit. Græci plerique Maximo monacho et martyri tribuunt, ut alias observavimus [1]. At Beza « nihil habere » putat « Athanasii nomine vel indignum, vel temporibus non congruens. » Sed fallitur : ac vel eo ipso convinci potest, de quo hic agitur ; quod de ὑποστάσει et οὐσίᾳ non veri Athanasii more sentit, ac loquitur.

In quo mirus est anonymi veternus, et acrioribus, quam verba nostra sunt, remediis excitandus. Qui [2] ex dialogo primo pseudepigrapho Athanasii idipsum, quod instituerat, *clarius demonstrare* volens, sanctissimum hunc virum naturas tres, ut et personas, imputare Deo, ea loca protulit, in quibus tres esse hypostases affirmat : quas ille naturas interpretatur. Igitur Athanasium in illo dialogo, quia tres personarum totidem hypostases esse scripsit, naturas tres constituisse anonymus existimat. Atqui illo ipso in loco cum sæpius, tum diserte, et expresse, nemo ut sui compos ignorare possit, ὑπόστασιν discernit a φύσει, et hanc unam in tribus esse personis, illam esse triplicem affirmat. Tum vero φύσιν istam θεότητα, id est *divinitatem*, vocat, necnon οὐσίαν. Sic enim sub initium dialogi primi, postquam τὸ ἀγέννητον, quæ est personalis Patris proprietas, docuit non esse Dei οὐσίαν, hoc est substantiam, vel divinitatem, interroganti hæretico, « (1) An unam diceret inesse divinitatem in Deo, et hypostases tres, » ita respondentem introducit orthodoxum : « (2) Aliud est hypostasis, et aliud divinitas : non tanquam alia res, et alia : sed quod aliud quiddam significet hypostasis, aliud divinitas. Etenim hypostasis hoc quod est esse denotat, divinitas vero quidnam sit. *An.* Cujusmodi vero istud est ? *Orth.* Ut sunt Petri, et Pauli, et Timothei tres hypostases, et una humanitas. *An.* Igitur tres sunt dii. *Orth.* Absit ut hoc dicam. » Hinc apparet ὑπόστασιν non esse φύσιν, et οὐσίαν. Nam et paulo post, « (3) nullam esse differentiam *ait* Patris, et Filii, et Spiritus sancti in natura, aut in voluntate, sed in eo quod unus gignit, alter gignitur, alius emittitur. » Item eodem dialogo aliud esse οὐσίαν ait, aliud ὑπόστασιν, et hoc discrimen eodem prorsus modo declarat, quo illud inter φύσιν, et ὑπόστασιν proxime ante positum. Hunc vero locum descripsimus, et explicavimus in secundo libro de Deo [3].

Nam quod ita se habere divinam naturam ad personas tres in illo dialogo dicitur, sicut humana Petro, Paulo, ac Timotheo communis est ; id jam a nobis expositum est in quarto de Trinitate, capite nono [4]; ubi causas attulimus, cur sanctissimi, eruditissimique Patres plusculum interdum usi sint ea comparatione : quam ad vivum resecare, et omni ex parte adæquare velle, ut anonymus instituit, importuni est sophistæ, ac quid prudens ratio, et communis sensus ferat, plane nescientis.

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

1. Anonymi ludicra cavillatio, et falsa de synodo Chalcedonensi assertio, tanquam Cyrilli opinionem damnaverit. — 2. Ejusdem concilii fidei formula defensa, et ab anonymi vindicata calumniis. — 3. Nestorium frustra pro catholico ab eodem propugnari.

I. Mos est improbis, et garrulis malæ causæ defensoribus idem, qui ducibus cum copioso, sed invalido exercitu, contra fortiorem hostem dimicare cupientibus. Nam ut isti, quorum virtuti pares esse nequeunt, eorum impetus, objecta telis, ac cædi gregariorum multitudine

(1) Athan. tom. 2. pag. 139. AN. Μίαν λέγεις θεότητα, καὶ τρεῖς ὑποστάσεις ;

(2) Ibid. Ἄλλο ἐστὶν ὑπόστασις, καὶ ἄλλο θεότης, οὐχ ὡς ἄλλο πρᾶγμα, καὶ ἄλλο, ἀλλ' ὡς ἄλλο τι σημαινούσης τῆς ὑποστάσεως, καὶ ἄλλο τῆς θεότητος. Ἡ μὲν γὰρ ὑπόστασις τὸ εἶναι σημαίνει· ἡ δὲ θεότης, τὸ τί εἶναι. AN. Οἷον ὡς τί; ΟΡΘ. ὡς Πέτρου, καὶ Παύλου, καὶ Τιμοθέου τρεῖς ὑποστάσεις, καὶ μία ἀνθρωπότης. AN. Οὐκοῦν τρεῖς θεοί. ΟΡΘ. μὴ γένοιτο εἰπεῖν.

(3) Ibid. pag. 140. C. AN. Οὐκ ἔστιν οὖν διαφορὰ Πατρὸς, καὶ Υἱοῦ, καὶ ἁγίου Πνεύματος; ΟΡΘ. ἐν τῇ φύσει, οὔ· ἐν τῷ θελήματι, οὔ· ἐν τῷ γεννᾷν, καὶ γεννᾶσθαι, καὶ ἐκπέμπειν, καὶ ἐκπορεύεσθαι, ναί.

[1] Vide tom. 1. lib. 2. c. 3. § 2. — [2] Anon. p. 218.

[3] To. 1. lib. 2. c. 3. § 2. — [4] § 6. et seq.

frangere, ac fatigare conantur : sic illi crebris, et minutis argumentatiunculis incursare, molestique esse student. Hujusmodi est anonymi hæretici propositum, et libri illius indoles, ut quam potest plurima coacervare nitatur, et opponere, partim falsa, et ludicra ; partim nihil ad rem pertinentia ; partim vulgaria, et cantata, explicataque sæpius : ut vel ab imperitis lectoribus ex qualicumque copia laudem et admirationem exprimat : vel iis, qui contra disputare volent, multiplicibus excutiendis rationibus, ac dissolvendis moras, et quasi compedes injiciat. Quod ut in superioribus omnibus capitibus experti hactenus sumus, sic in reliquis deinceps, quam brevissime tamen fieri poterit, cogemur animadvertere.

Horum illud occurrit primum, quod in objectione quarta de Chalcedonensi concilio nugatur [1]. Cum enim pro Cyrillo sibi hoc objecisset, « ejus doctrinam de incarnatione Verbi secutum fuisse concilium illud ; » respondet primo : « Concilium Chalcedonense in sua definitione condemnasse potius doctrinam Cyrilli de Incarnatione, quam confirmasse. » Ad hoc demonstrandum Concilii verba citat, quibus anathemati subjicit eos, « (1) qui duas ante unitionem naturas Domini fabulantur, unam vero post unitionem confingunt. » Quam eamdem esse Cyrilli sententiam asserit traditam ab ipso in epistolis ad Successum, et Acacium. Atqui ementitum illud est, fictumque crimen Cyrilli ; quod abunde in superioribus ab eo propulsavimus, ex quibus constat, nunquam illum dixisse, ante unitionem duas fuisse naturas ; et mentem ejusdem in adstruenda una post unitionem natura declaravimus. De Ibæ quoque, quod subinde objicit, epistola, capite undecimo purgavimus : necnon de Theodoreto, et utroque in Chalcedonensi synodo recepto ac probato, quod non minus ex historia Concilii, et actorum illius patet, quam in primo libro accurate descripsimus [2]. Quid quod eadem œcumenica Synodus in decreto fidei, beati Cyrilli (2) *synodicas epistolas ad Nestorium, et ad Orientales scriptas* auctoritate sua comprobavit ?

II. Non minus inepte [3], impudenterque de Chalcedonensis concilii formula fidei mentiri est ausus, et ejus sensum subdole interpretari. Ait enim, concilium istud « in duas factiones fuisse divisum, Eutychianorum, sive Cyrillianorum, et orthodoxorum : qui Nestorii quidem doctrinam retinebant, sed eum, utpote imperatrici Pulcheriæ exosum, condemnabant. » Tum definitionem fidei ex utriusque partis consensu conditam fuisse *valde ambiguam, et utrique parti faventem.* Deinde ὑπόστασιν pro natura sumpsisse, cum in illa scripsit, *utramque naturam in unam personam et unam hypostasim concurrisse.* Quæ omnia falsissima, et sine ullo pudore temere conficta sunt. Historiam synodi istius exhibebit caput decimum tertium libri primi hujus operis. In illa vero approbatam fuisse Nestorii hæresim ab orthodoxis, satanicum est commentum. Sicut et *hypostasim* in decreto fidei pro natura usurpatam esse : quod mendacium prorsus (3) Nestoriani hominis *vesania* dignum est, ut eam formula eadem appellat. Siquidem naturas duas aperte pronuntiat, « (4) quarum differentiam neutiquam unitione sublatam esse » asserit : « quin potius salvam esse proprietatem utriusque, et in unam personam, atque unam hypostasim concurrere. » Cum igitur ἑκατέραν φύσιν nominarit, hoc est *naturam* : quid absurdius est, quam eamdem putare synodum ὑπόστασιν vocasse *naturam*, cum dixit in unam personam et eamdem hypostasim convenisse naturas ? Nonne potius diceret, in *unam personam et naturam* ? Certe non longe ante Eutychianam hæresim damnarat [4] ; *fabulose confingentem duas ante unitionem esse naturas Domini* : post unitionem *vero unam duntaxat* : nec adjecit ὑπόστασιν. Nullum ergo dubium est, quin Chalcedonense concilium in fidei decreto πρόσωπον et ὑπόστασιν pro eodem sumpserit : sicut e contrario Nicænum ὑπόστασιν et οὐσίαν pro eodem accepit, ut alibi demonstratum est [5].

III. Jam quod Nestorium anonymus ab hæresis infamia purgare nititur [6], ad idque sententias illius quasdam commemorat, quæ rectæ ac sinceræ fidei speciem præ se ferunt ; non hic

(1) Chalc. conc. act. 5. pag. 340. Καὶ τοὺς δύο μὲν πρὸ τῆς ἑνώσεως φύσεις τοῦ Κυρίου μυθεύοντας, μίαν δὲ μετὰ τὴν ἕνωσιν ἀναπλάττοντας ἀναθεματίζει.

(2) Ibid. pag. 339. Τὰς τοῦ μακαρίου Κυρίλλου τοῦ τῆς Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας γενομένου ποιμένος συνοδικὰς ἐπιστολὰς πρός τε Νεστόριον, καὶ πρὸς τοὺς τῆς ἀνατολῆς ἁρμοδίους οὔσας ἐδέξατο.

(3) Chalc. syn. pag. 339. Τῆς Νεστορίου φρενοβλαβείας.

(4) Ibid. pag. 340. D. Οὐδαμοῦ τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης διὰ τὴν ἕνωσιν, σωζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως, καὶ εἰς ἓν πρόσωπον, καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης.

[1] Anon. p. 222. — [2] Cap. 13. — [3] Anon. p. 223. et seq. — [4] Vide supra § 1.

[5] Lib. 4. de Trinit. c. 1. § 6. — [6] Anon. p. 274.

necesse est in illis refutandis commorari diutius. Etenim præter illa, quæ de Nestorio, et ejus hæresi in primo libro sunt exposita; nominatim hæreticum hunc fuisse, supra capite quinto libri hujus evidentissime demonstravimus : ejusque κρύψιν, et in tegenda, ac dissimulanda impietate sua callidam ac veteratoriam artem patefecimus : cum aut ambiguis vocibus, aut secus ac communis ferebat usus Catholicorum, usurpatis, et intellectis, suam declararet sententiam. Nam et unam asserebat Christi, ac Dei et hominis esse personam : et unum dicebat esse Filium : et summam prædicabat utriusque naturæ, arctissimamque societatem. Verum non sic perfidiæ suæ venenum occultare poterat, ut non interdum manifesta illius indicia præberet ; quæ nos illis in locis, et alias hoc in opere sparsim adnotavimus, accurateque perpendimus : uti nihil attineat supervacaneam modo in illis Nestorii locis, quæ anonymus congessit, explicandis, ac diluendis operam consumere.

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

De Cyrilli anathematismis, propter quos hæresis Apollinaris suspectus fuit. — 1. Anonymi in Cyrillum conjecta calumnia ex illis potissimum ab ipso probata. — 2. De tribus epistolis, quas Cyrillus ad Nestorium scripsit : quarum tertiæ anathematismos subjecit. — 3. An hæc epistola, cum anathematismis in Ephesina synodo, et postea in Chalcedonensi approbata fuerit. — 4. Non videri lectam esse in Chalcedonensi, et qua de causa. — 5. Recepta tamen fuit, et ab sequentibus synodis ascita.

I. Qui viventis adhuc nomini Cyrilli Apollinaristarum hæresim aspergere conati sunt ; quos fuisse quamplurimos, et eos Orientales, accepimus : ii duodecim præsertim illis anathematismis usi sunt ; ex quibus istius et objiciendi, et probandi criminis argumenta sumpserunt. Quorum imitatus exemplum anonymus sycophanta non Cyrillum modo, sed Ephesinam etiam synodum eadem hæresis infamia complexus est ; quod et ille capitula duodecim hæretica scripserit, et hæc ab eo scripta judicio, et auctoritate sua comprobarit. « Non tantum Cyrillum Alexandrinum, inquit ille [1], fuisse auctorem hæresis Eutychianæ, sed et reliquos omnes episcopos, qui interfuerunt concilio œcumenico Ephesino primo, probamus ; quia concilium Ephesinum primum approbavit, et confirmavit duodecim capitula, sive anathematismos Cyrilli contra Nestorium, etc. » Quinetiam pluribus in locis anathematismos eosdem profert ad Cyrilli pariter, et Ephesini concilii probrum, ac ludibrium. Quam quidem ob causam nec ingratum, uti spero, Theologiæ melioris cupidis ; nec alienum a proposito nostro ; utile certe consilium cepisse mihi videor ; ut qui propugnandum adversus obtrectatores Cyrillum hoc in libro susceperim, particulam ejus aliquam in illius anathematismos vel illustrandos, vel ab calumnia vindicandos insumerem.

Sed antequam ad rem aggredior, nonnulla de Cyrilli ad Nestorium, et hujus ad illum mutuis epistolis ac scriptis proponenda videntur, deque synodali de iisdem judicio, tum de anathematismorum impugnatione, ac defensione : ex quibus quæ postmodum explicanda erunt facilius intelligentur. Cetera porro, quæ ad accuratiorem rei in Synodo gestæ notitiam spectant, ex libro primo, capite septimo repeti poterunt. Hic enim illa tantummodo complectemur, quæ ad anathematismos proprie spectantia brevius illic exposita, et in hunc locum dilata fuerunt.

II. Postquam Nestorius hæresim suam palam efferre cœpit, ter ad illum Cyrillus omnino scripsit. Prima epistola [2] purgationem continet ejus, quam ad Ægyptios monachos bene longam miserat ; ut eos in recta, et catholica Incarnationis fide confirmaret : propterea quod, disseminatis per Ægypti monasteria impiis Nestorii scriptis, ingentes illic turbæ concitatæ fuerant ; ac nonnulli contagione novitatis istius afflati, plerique perculsi ac titubantes in summum discrimen venerant. Huic epistolæ perbrevi alia respondit Nestorius [3] :

[1] Anon. p. 172. Vide et p. 77. et 101. ac seq.

[2] In Par. 1. Eph. Syn. c. 6. to. 2. Concil. p. 161. Vide Liberat. Brev. c. 4. — [3] Ibid. c. 7.

neutra vero dogmatica est, nec habet quidquam præter mutuas querelas, et offensi animi significationes.

Secundam postea Cyrillus ad eumdem exaravit [1], in qua veram incarnati Verbi professionem ex Nicæni symboli formula latius exposuit, et contrarios Nestorii confutavit errores. Cui subinde rescripsit Nestorius, datis longioribus, sed stomachi, et hæretici veneni plenis litteris [2]. Utraque coram Ephesinis Patribus in concilio lecta est epistola : quarum prior Cyrilli omnium suffragiis approbata est [3], altera vero Nestorii tanquam impia, et hæretica damnata [4].

Post hæc Cyrillus [5] ad Cœlestinum papam scripsit, eumque de tota re certiorem reddidit, a quo et mutuas litteras accepit, quibus Nestorii impietatem vehementer arguit, damnandumque censuit : ut in libro primo narravimus [6]. Dedit etiam ad Nestorium alias idem denuntiantes litteras. Cyrillus his ad se perlatis litteris, quibus et vices ipsi suas Pontifex mandabat, et decem non amplius dies ad resipiscendum Nestorio præfiniebat, synodum diœcesis suæ coegit; ex qua tertiam ad Nestorium scripsit epistolam omnium longissimam [7] : in eaque tum illius castigavit hæresim, tum plenius Incarnationis fidem docuit, ac demum quæ Cœlestinus sibi mandarat aperuit. Subjecit huic epistolæ capitula duodecim, quibus totidem hæreticæ Nestorii doctrinæ capita anathemate notavit, qui propterea anathematismi vulgo dicuntur. Ambæ illæ, Cœlestini ad Nestorium, et Cyrilli, lectæ sunt in actione prima Ephesini concilii [8] ; ibidemque testati sunt episcopi, qui eas ab synodo Alexandrina perferendas ad Nestorium acceperant, huic ipsi reddidisse; nec se ad condictam diem in patriarchium venientes admissos, neque responso aliquo dignatos fuisse. Scripsit tamen Nestorius duodecim anathematismos Cyrillianis illis oppositos [9].

III. Porro quod Ephesinæ synodi judicium de illa Cyrilli epistola tertia, deque subjectis anathematismis extiterit, non referunt acta : quæ nec alioquin ad nos integra pervenerunt. Verum receptam, et approbatam in Ephesino concilio illam fuisse tertiam epistolam non est dubium, quod et Catholici contra Acephalos disputantes significant in collatione Constantinopoli habita [10] Justiniano imperante, anno Christi 532. In qua memorabile quiddam de hac epistola, et ejus anathematismis proditum est ; quod ad negotium nostrum attinet, atque adeo non videtur omittendum. Ibi ergo Contradicentes, hoc est Acephali, Chalcedonensis oppugnatores synodi, adversus hanc tale quiddam objiciunt [11] : « Duodecim capitulorum, (inquiunt, epistolam intelligentes,) quæ inserta est in Ephesino sancto concilio, quam neque vos potestis denegare synodicam esse, cur non recepit Chalcedonense concilium ? » Quorsum vero istud opponant, et unde colligant Chalcedonense concilium non recepisse tertiam illam Cyrilli ad Nestorium epistolam, cui subjuncti sunt anathematismi, in causa id esse videtur. In Chalcedonensi concilio actione secunda [12], recitata sunt antecedentium decreta synodorum Nicænæ, et Constantinopolitanæ primæ, tum Patrum quorumdam testimonia ; ut hanc sibi velut regulam proponerent, quam in condenda fidei formula sequerentur. Inter Patrum lucubrationes in tantam auctoritatis excellentiam assumptas, nominarunt Cyrilli Alexandrini epistolas duas [13], alteram ad Nestorium, alteram ad Joannem Antiochenum episcopum, quæ et ibidem recitatæ sunt. Harum prior est Cyrilli secunda, cujus initium est, Καταφλυαροῦσι μὲν, ὡς ἀκούω, τινὲς. Posterior est illa [14], quam redintegrata pace, et Ecclesiarum concordia, per Paulum Emisenum Cyrillus idem misit ad Joannem; cujus exordium est, Εὐφραινέσθωσαν οἱ οὐρανοί. Hæc tum solæ Cyrilli epistolæ ab Aetio archidiacono publice in synodo recitatæ sunt. Actorum verba de his epistolis interest hic adscribi. Post lectum utrumque symbolum Nicænum, et Constantinopolitanum, Aetius ita locutus legitur : « (1) Est et epistola ab sanctissimo, et beatæ memoriæ Cyrillo, Alexandriæ magnæ civitatis olim episcopo, ad Nestorium scripta, quæ ab omnibus sanctis episcopis, qui prius Ephesum convenerunt ad eumdem depo-

(1) In tom. 3. Concil. pag. 213. E. Ἔστι καὶ ἡ ἐπιστολὴ ἡ γραφεῖσα παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου καὶ ἐν ὁσίοις Κυρίλλου, τοῦ γενομένου ἐπισκόπου τῆς μεγαλοπόλεως Ἀλεξανδρείας πρὸς Νεστόριον· ἥ τις παρὰ πάντων τῶν ἁγίων ἐπισκόπων τῶν ἐν Ἐφέσω πρότερον συνελθόντων ἐπὶ καθαιρέσει τοῦ αὐτοῦ Νεστορίου, καὶ ἐνεκρίθη, καὶ δι' ὑπογραφῆς πάντων ἐβεβαιώθη. Ἔστι δὲ καὶ ἡ ἐπιστολὴ τοῦ αὐτοῦ ἐν ἁγίοις Κυρίλλου ἡ γραφεῖσα πρὸς τὸν τῆς ὁσίας μνήμης Ἰωάννην τὸν γενόμενον τῆς Ἀντιοχείας μεγαλοπόλεως ἐπίσκοπον, ἥ τις ὁμοίως ἐβεβαιώθη· καὶ εἰ παρίσταται, ἀναγνώσομαι αὐτήν.

[1] Ibid. c 8 p. 163. — [2] Ibid. c. 9. — [3] Eph. Act. 1. p. 240. et seq. — [4] Ibid. p. 258. — [5] Ib. Par. 1. cap. 14. p. 176. — [6] Lib. 1. c. 7. § 7. epistola Cyrilli extat. — [7] Par. 1. Eph. Syn. p. 206. — [8] Pag. 263.

[9] Extant in Par. 1. Eph. Syn. p. 218. — [10] Extat tom. 3. Conc. p. 853. — [11] Ibid. p. 855. E. — [12] Act. 2. tom. 3. Conc. p. 212. et seq. — [13] Ibid. p. 213. E. — [14] Extat in 3. Part. Eph. Syn. q. 594.

nendum Nestorium, et approbata est, et subscriptione omnium confirmata. Est autem et altera, quam scripsit idem Cyrillus ad beatæ memoriæ Joannem, Antiochiæ magnæ civitatis olim episcopum; quæ similiter confirmata est: et, si placuerit, eam recitabo. » Mox[1] utraque perlecta est, et omnium acclamatione laudata, et recepta. De tertia epistola Cyrilli nulla ibi facta mentio est.

IV. In actione porro quinta synodi ejusdem Chalcedonensis, in fidei definitione[2], post eadem descripta symbola conciliorum duum priorum, Cyrilli quoque synodicas epistolas ad Nestorium, et ad Orientales recipere se Patres profitentur. Ubi *synodicarum* nomine maxime tertiam par esset intelligi; quæ revera ex Alexandrina synodo missa est, et *synodica* vulgo nuncupatur, ut a Dionysio exiguo in præfatione, quam eidem epistolæ latine a se redditæ præfixit. Verum prior ille locus ex actione secunda magis hoc suadet, synodicam primam epistolam, quæ ad Nestorium scripta dicitur, eam esse, quam secundo ad hæreticum istum edidit. Ita tertia ab Chalcedonensis concilii Patribus præterita fuerit. Quod minus miretur, qui hoc animadverterit, nullam in eadem fidei definitione mentionem Ephesinæ synodi ante annos viginti habitæ fieri. Cur autem epistola tertia Cyrilli ad Nestorium a Chalcedonensi synodo commemorata non fuerit, causam ita Catholici afferunt in collatione cum Acephalis Constantinopoli celebrata[3]: « Si omnes formas, et definitiones fidei in Epheso adversus Nestorium facti concilii suscepit, et confirmavit Chalcedonense concilium, quemadmodum hanc habuit refellere? Sed quia adversus Nestorii blasphemias, quæ duas naturas in duas personas, et duas subsistentias dividunt, unam personam, et unam subsistentiam volebant definire; illa autem epistola duarum subsistentiarum intulit mentionem; propterea proprie ea nominare distulerunt, ut non invenirentur aut illi, aut sibi esse contrarii; sed magis illam alteram epistolam ejus præposuerunt, quæ super consensu symboli Nicæni concilii laudata est, et eam, quæ ad Orientales scripta est. »

In allocutione Chalcedonensis concilii ad Marcianum imperatorem[4], in qua fidei summam, ac formulam Patres exposuerunt, quædam veterum subjecta sunt illi consentanea testimonia; et inter ceteros, Cyrilli duo ex epistola ad Nestorium; totidem ex altera ad Joannem Antiochenum, ac prius quidem illorum, quæ ex epistola sumpta sunt ad Nestorium, in secunda reperitur[5]: alterum autem, in epistola prima ad Successum legitur[6], non ad Nestorium; ut vel ab librariis, vel aliunde iste error obrepserit.

V. Nemini porro Catholico dubitare fas est, quin epistola illa Cyrilli tertia, et ejus anathematismi in auctoritatem adsciti sint. Quinta certe Synodus[7] non alia de causa Theodoreti scripta quædam, tanquam impia, anathemate notavit, nisi quod duodecim Cyrilli capitula impugnasset, eademque sententia Ibæ Edesseni epistolam comprehendit[8], quod duodecim illa capitula damnasset. Nec aliter insequentes omnes synodi judicarunt; quæ superiorum, et inter has Quintæ acta comprobarunt. Quod antequam ab ecclesiastica auctoritate fixum, constitutumque esset, complures alioqui catholici Cyrillo, et ejus scriptis, præsertim capitulis illis duodecim refragati sunt, et adversus illa certamen acerrimum susceperunt, duce et hortatore Joanne Antiocheno; de quo ita Liberatus in Breviario scribit[9]: « Cujus exemplare epistolæ, ait de Cyrilli tertia loquens, perveniens ad Joannem Antiochenum, offensus est in ipsis Cyrilli capitulis. Putavit enim eum, dum immoderate occurreret Nestorio, in sectam Apollinaris incidisse. Mandavit ergo Andreæ, et Theodoreto episcopis concilii sui, ut scripto responderent contra ipsa duodecim capitula, tanquam Apollinaris dogma instaurantia. » Extant utriusque lucubrationes, quarum prior, quæ est Andreæ, nomine Orientalium inscribitur. Utramque vero luculenter confutavit Cyrillus, qui et ipse capitulorum suorum explanationem edidit hortatu Synodi, et coram Patribus recitavit, ut habet illius titulus[10].

De his ergo Cyrilli capitulis, vel anathematismis accuratius deinceps agere, ac duo quædam in his præstare statuimus: ut et verum, ac proprium illorum sensum aperiamus ex mente Cyrilli; et quæ contra eos objecta sunt ab adversariis, cujusmodi sint, sincero judicio perpendamus. Quod ut melius exsequamur, ad singulos anathematismos græce, ac latine ex Dionysii exigui versione descriptos Nestorii contrarios totidem apponemus: tum de unoquoque quod dicendum videbitur adnotabimus. Quantus autem operæ istius, ac disputationis fructus esse debeat, res ipsa demonstrabit.

[1] Chalc. Syn. p. 214. — [2] Ibid. p. 339. — [3] Tom. 3. Concil. pag. 855. E. — [4] Chalc. Concil. Par. 3. pag. 472. — [5] Tom. 2. Conc. p. 164. D. E.

[6] Tom. 5. Par. 2. oper. Cyr. in epist. p. 137. C. — [7] Syn. 5. Coll. 8. in Anathe. 13. tom. 4. Concil. pag. 293. — [8] Ibid. Anath. 14. — [9] Cap. 4. tom. 4. Conc. p. 382. — [10] Tom. 2. Conc. p. 431.

CAPUT SEPTIMUMDECIMUM.

Anathematismi Cyrilli duodecim singillatim examinantur, et cum Nestorianis contenduntur.

ANATHEMATISMUS PRIMUS

NESTORII.

Si quis eum, qui est Emmanuel, Deum verum esse dixerit, et non potius nobiscum Deum, hoc est inhabitasse eam, quæ secundum nos est, naturam, per id quod unitus est nostræ, quam de Maria virgine suscepit; matrem etiam Dei Verbi, et non potius ejus, qui Emmanuel est, nuncupaverit; ipsumque Dei Verbum in carnem versum esse, quam accepit ad ostentationem deitatis suæ, ut habitu inveniretur ut homo; anathema sit.

CYRILLI.

(Ex interpretatione Dionysii exigui.)

(1) Si quis non confitetur Deum esse veraciter Emmanuel, et propter hoc ipsum, Dei genitricem sanctam Virginem. Peperit enim carnaliter Verbum, quod ex Deo est secundum quod scriptum est: Et Verbum caro factum est; anathema sit.

In hoc anathematismo quædam in exemplari græco Dionysii inerant, quæ in vulgatis desiderantur: nempe ista, *secundum quod scriptum est, Et Verbum caro factum est:* nisi ea de suo Dionysius suppleverit. Nam et in Lateranensi synodo sub Martino primus iste anathematismus sine appendice illa citatus legitur [1].

Hic porro anathematismus Nestorianæ impietatis præcipuum robur elidit. Nam duo decernit: alterum, Deum esse Emmanuelem, hoc est illum qui ex fœmina genitus est, et nobiscum habitavit: alternm, *Dei genitricem* esse Mariam, quæ talem genuerit. Deum esse Christum ex Nicæno symbolo probat in Ἐπιλύσει quod eumdem primo Dei filium esse, deinde carnem suscepisse, et ex Maria genitum esse decernit, sine ulla sui mutatione, vel confusione naturarum. Vide quæ de θεοτόκῳ in libro quinto diximus [2].

His duobus Christianæ fidei fundamentis totidem impietatis suæ venena Nestorius opponit. Siquidem *Emmanuelem*, hoc est Christum Dominum, sive Verbum incarnatum negat esse Deum verum: sed hunc duntaxat inhabitasse naturam ex Maria virgine susceptam asserit: ut alius sit habitator Deus, alius in quo habitatur homo. Ex quo altera consequens est blasphemia, sanctissimam Virginem non esse θεοτόκον, id est *Dei genitricem*, sed Christi tantummodo. Et ut invidiam Cyrillo faceret, adjecit hoc, ut eum anathemate feriret, qui *ipsum Dei Verbum in carnem versum esse* diceret: quasi id ex eo sequeretur, quod Cyrillus posuit; *Emmanuelem* esse Deum, ac B. Virginem Deum genuisse.

Orientalium contradictio, et Cyrilli responsio.

Adversus primum illud capitulum opponit Andreas, primum, haud recte loqui Cyrillum, cum ait B. Virginem carnaliter genuisse Verbum incarnatum. Quippe *carnaliter* sic accepit, ut sit ceterarum more fœminarum, et usitato gignendi, pariendique ordine. Hoc refellit ex eo, quod omnia in illo partu singularia, et admirabilia contigerunt, quæ non σαρκικὴν, sed θεοπρεπῆ, id est *Deo congruentem*, nativitatem indicant. Tum ex illa voce Cyrillum suspectum facit Apollinaristarum hæresis, quod dum Scripturæ verba nimium præcise, ac dilute intelligit, conversionem divinitatis in carnem invehit. Non sic autem interpretanda esse probat simili Apostoli sententia, dicentis [3], *Christum pro nobis factum esse peccatum, et maledictum:* ex quo sequetur, in peccatum, et execrationem transisse Dei filium. Itaque quod legimus, *Verbum carnem esse factum,* recte illud ad *habitationem in carnem* revocari. Hæc Orientalium μικρολογία jejuna est, ac futilis, et in stulta vocabuli calumnia sophistice tricatur.

Cyrillus itaque facile istos summovet. Quod enim scripsit σαρκικῶς, id est *carnaliter*, genuisse B. Virginem filium Dei, ac suum, id est *Emmanuelem*, tum ex illis Joannis affirmat, quibus *Verbum* ait *carnem esse factum*: tum ex Nicæni concilii auctoritate, quod Deum verum docet σαρκωθῆναι, καὶ ἐνανθρωπῆσαι, id est (2) *in-*

(1) Anath. 1. Cyr. tom. 2. Conc. pag. 213. Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ Θεὸν εἶναι κατὰ ἀλήθειαν τὸν Ἐμμανουὴλ, καὶ διὰ τοῦτο θεοτόκον τὴν ἁγίαν παρθένον· γεγέννηκε γὰρ σαρκικῶς σάρκα γεγονότα τὸν ἐκ Θεοῦ Λόγον· ἀνάθεμα ἔστω.

(2) Cyril. tom. 2. Eph. conc. pag. 443. A. Σαρκωθῆναί τε, καὶ ἐνανθρωπῆσαι· τουτέστιν ἑνωθῆναι σαρκὶ ψυχὴν ἐχούσῃ τὴν λογικὴν, καὶ ἄνθρωπον γενέσθαι μετὰ τοῦ καὶ ἀπομεῖναι Θεόν. Vide et epist. 2. ejusdem ad Nest. ibid. pag. 164. ver. ult.

[1] Consult. 2. p. 691. tom. 4. Conc. — [2] Cap. 14. et seq.

[3] 2. Cor. 5. 21. et Gal. 3. 13.

carnatum, et hominem esse factum: « quod est unitum esse carni anima præditæ rationali, et hominem se fecisse, cum eo ut perseveraret esse Deus. »

Porro *carnaliter genuisse B. Virginem Deum Verbum,* nihil aliud esse, nisi κατὰ σάρκα, hoc est *secundum carnem.* Quod ad evertendam Nestorii perfidiam necesse fuit apponere; ut sciremus, sanctissimam illam virginem non simplicem, ac nudum hominem, sed Deum Verbum, non qua Deus est, sed qua carnem habet, genuisse. Nam Deus Pater eumdem filium θεϊκῶς ex seipso genuit, quem mater σαρκικῶς. Quod vocabulum geniluræ illius et partus admirabilitatem nulla re minuit: verum carnem esse non simulatam aut adumbratam, sed veram, ac nostræ similem ostendit. Ita σαρκικῶς nihil aliud esse, quam ἀνθρωπίκως, hoc est, ut homo hominem potest gignere, quatenus verum, veraque constantem carne verus homo generat. Proinde salvam esse B. Virgini appellationem τῆς θεοτόκου, quam isti perperam respuunt, cum tamen θεοπρεπῶς, id est ut Deum decet, genitum Dei filium a B. Maria fateantur. Neque vero parem esse rationem ejus, quod ex Apostolo proferunt, *factum pro nobis esse peccatum, aut maledictum.* Non enim hæc ipsa permansit, utcumque factus illa dicatur. Hunc in modum Cyrillus importunos illos vitilitigatores depellit. Nec eo contentus, veterum aliquot testimonia subjicit, quæ carnem Dei filii ex Maria esse genitam affirmant, eoque ipso illum eumdem dici genitum, et Mariæ filium. Imprimis autem observandus est Amphilochii locus, et ad frangendam adversariorum pervicaciam maxime idoneus. Nam diserte vocem σαρκικῶς expressit. « (1) Nisi, *inquit,* ille genitus esset carnaliter, nunquam tu natus esses spiritualiter. » Idem Amphilochius in oratione de Christi natali, « (2) Virgo, *inquit,* incorrupta gignet corporaliter incorruptam lucernam. » Vide quæ nos in libro quinto, capite 14. de carnali Verbi generatione scripsimus.

Sane, ut illorum imperita cavillatio magis appareat, non est prætermittendum, Athanasium vocabulum σαρκικῶς usurpasse eodem sensu, quem Cyrillus adhibuit, nempe pro κατὰ σάρκα, et ei θεϊκῶς opposuisse. Locus est in Oratione quarta: « (3) De die, *inquit,* et hora noluit secundum deitatem dicere se scire: verum carnaliter, propter carnem nescientem, ut jam monui, nescire se dixit. »

Eximius est et ille Gregorii Nazianzeni locus in epistola priore ad Cledonium: « (4) Si quis, *inquit,* tanquam per canalem, ita per Virginem decurrisse; non autem in ipsa formatum esse divino simul, et humano modo sentit: divino quidem modo, quoniam sine viri consortio: humano vero, quoniam juxta fœturæ consuetudinem; non minus est atheus. » Ergo ut θεϊκῶς idem est, ac *divino modo,* vel extraordinaria quadam ratione: sic ἀνθρωπικῶς erit humana, et usitata ratione: quod ipsum significat et vocabulum σαρκικῶς, id est *carnaliter.*

Theodoreti contradictio, et Cyrilli adversus hunc defensio.

De hac oppugnatione Theodoreti, memorandum illud ex Agobardo Lugdunensi episcopo in libro contra dogma Felicis Urgelitani, merito præfabimur: « Cum ergo utrumque, id est Nestorium et Eutychen, veritas fidei abjiciat, quæ medium inter eos tenet locum, beatus Cyrillus ejusdem veritatis defensor, Alexandrinus antistes, dum vellet corrigere pravitatem Nestorii, propter obscuritatem verborum, utpote subtilissimæ rei, offendit beatum Joannem præsulem Antiochenæ ecclesiæ, et eos qui cum illo erant: factaque est divisio inter Antiochenam, et Alexandrinam ecclesiam; rogatus est autem ab Antiochenis Theodoretus Cyri episcopus ut ageret adversus beatum Cyrillum; et mirum in modum, dum utrique essent catholici, id est et Antiocheni, et Alexandrini, beatus Cyrillus, dum putatur esse hæreticus, quod non erat, inventus est a Theodoreto inter Nestorium hæreticum, et Cyrillum catholicum medius locus: unde idem Theodoretus pugnans pro veritate, ageret contra veritatem, qui dum istis Catholicis placeret, illis displiceret. »

Theodoretus igitur illud primum in anathematismo redarguit, quod Cyrillum intellexisse falso credidit, Verbum ita carnem esse factum, ut in eam demutatum sit, cum tamen immutabile illud esse Scripturæ omnes prædicent. « (5) Quare forma Dei non est in servi mutata formam: sed manens quod erat, servi formam

(1) AMPHIL. cit. a Cyrillo ibid. pag. 446. Εἰ μὴ γὰρ ἐκεῖνος ἐγεννήθη σαρκικῶς, οὐκ ἂν σὺ ἐγεννήθης πνευματικῶς.

(2) AMPHIL. pag. 4. Παρθένος γὰρ ἄφθαρτος ἀποκυήσει σωματικῶς τὸν λύχνον τὸν ἄφθαρτον.

(3) ATHAN. pag. 286. C. Περὶ δὲ τῆς ἡμέρας, καὶ τῆς ὥρας, οὐκ ἠθέλησε θεϊκῶς εἰπεῖν, οὐκ οἶδα· ἀλλὰ σαρκικῶς διὰ τὴν σάρκα τὴν ἀγνοοῦσαν, καθὰ προεῖπον, εἶπεν ὅτι οὐκ οἶδα.

(4) NAZIANZ. orat. 51. pag. 738. D. Εἴ τις, ὡς διὰ σωλῆνος, τῆς παρθένου δραμεῖν· ἀλλὰ μὴ ἐν αὐτῇ διαπεπλᾶσθαι λέγοι θεϊκῶς ἅμα, καὶ ἀνθρωπικῶς· θεϊκῶς μὲν, ὅτι χωρὶς ἀνδρὸς· ἀνθρωπικῶς δὲ, ὅτι νόμῳ κυήσεως· ὁμοίως ἄθεος·

(5) THEODORET. in Eph. conc. par. 3. pag. 478.

suscepit, » ait Theodoretus. « (1) Et cum sibi templum in utero Virginis finxisset, cum eodem ficto, genitoque versabatur. Ex quo θεοτόκον, id est Dei genitricem, sanctissimam illam Virginem appellamus; non quod Deum natura genuerit; sed quod hominem illi, qui se formavit, copulatum Deo. » Rursus quod Cyrillus scripsit, Deum Verbum genitum ab Virgine; carpit hoc Theodoretus: quod inde sequitur, Deum Verbum opus esse Spiritus sancti. *Quod enim in ea natum est,* ait Angelus[1], *de Spiritu sancto est.* Quocirca sola servi forma in utero Virginis elaborata est, et concepta: quæ, quia divinitati est unita, idcirco Deus est, et Dei genitrix appellatur quæ in lucem illum edidit.

At Cyrillus, merito totam illam accusationem insulsam esse calumniam docet: nec se vel littera significasse, Verbum carnem esse factum, eo modo quem fingit adversarius; nempe uti divinitatis intervenerit ulla conversio. Frustra ergo conflictari, et cum larvis præliari Theodoretum. Porro quod idem opponit, solam formam servi conjunctam esse formæ Dei, non sic illum interpretari posse, uti formæ istæ ὑποστάσει careant, hoc est non sint res aliquæ extantes, et solidæ; velut umbræ quædam, et spectra, vel *non subsistentes similitudines.* Cum igitur substantivæ sint, necesse est vere genitum esse hominem quempiam, eumdemque Deum. De hoc loco, et significatione τῆς ὑποστάσεως apud Cyrillum, vide quæ supra capite secundo dixi[2]. Hinc enim evidens est, ὑπόστασιν non de *persona*, vel *supposito* accipi, sed de re solida, et revera cohærente. Postremo Theodoretum ait perperam agere, qui cum eadem fere cum anathematismi sententia profiteri se demonstret, et ambas inter se vere copulatas in Christo naturas asseveret, nihilominus adversari ac temere rixari non dubitaverit.

ANATHEMATISMUS SECUNDUS

NESTORII.	CYRILLI.
Si quis in Verbi Dei conjunctione, quæ ad carnem facta est, de loco in locum mutationem divina sententia dixerit esse factam, ejusque naturæ carnem capacem esse dixerit, ac partialiter unitam carni, aut iterum in infinitum incircumscriptæ naturæ, cum extenderent carnem, accipiendum Deum, eumdemque ipsum natura et Deum dicat et hominem; anathema sit.	(2) Si quis non confitetur carne substantialiter unum esse Verbum Patris; unum quoque esse Christum cum propria carne et eumdem ipsum sine dubio Deum simul et hominem; anathema sit.

Cyrillus *unitum esse* καθ' ὑπόστασιν cum carne sua Verbum hoc in capitulo declarat. Hoc ἡνῶσθαι significat: pro quo *unum esse* Dionysius vertit, sicut et καθ' ὑπόστασιν, *substantialiter;* recte quidem. Nam ὑπόστασις hic non *personam*, aut *naturam subsistentem* significat, ut vulgo creditur[3]: sed *veram*, *solidam*, et reipsa extans quippiam. Quare ἡνῶσθαι καθ' ὑπόστασιν opponitur ei, quod est σχετικῶς, quod *moraliter* in scholis dicitur; ut supra demonstravimus, et quia minus vulgo notum est, sæpius repeti necesse est. Hoc modo Verbum cum carne conjunctum habet propriam sibi hanc, non alienam, aut extrinsecus appositam; quam τὴν κατὰ παράθεσιν ἕνωσιν appellant Græci[4]. Tum Nestoriana unitio rejicitur, de qua alibi pluribus[5]. Hac autem unitione constituta sequitur, Christum, sive Emmanuelem qui ex ea consurgit, unum per sese quippiam existere καθ' ὑπόστασιν, hoc est non solum vere, et *substantialiter*; sed etiam *personaliter*, pro utraque τῆς ὑποστάσεως significatione; quod Nestorius improbabat. Cujus callidam, et malignam versutiam licet animadvertere in eo, quem Cyrilliano opposuit, anathematismo. Qui quidem valde est obscurus, nec alioqui mendo caret. Suspicor Nestorium Cyrilli anathematismum interpretatione subdola, et captiosa sic accepisse; tanquam duorum alterum existimaverit, et utrumvis Apollinaris, quam illi impingebat, hæresi consentaneum. Cum enim Verbum carni unitum esse καθ' ὑπόστασιν, hoc est *vere*, et *substantive*, credi Cyrillus juberet, duplici hoc ratione fieri posse illius ex sententia colligit. Aut enim Verbum ipsum, ut cum exigua, et angusto circumscripta spatio natura hominis

B. Δῆλον τοίνυν ἐκ τῶν εἰρημένων, ὡς ἡ τοῦ Θεοῦ μορφὴ οὐκ τράπη εἰς δούλου μορφὴν, ἀλλὰ μένουσα ὃ ἦν, ἔλαβε τὴν τοῦ δούλου μορφήν.

(1) Ibid. Ἀλλ' ἑαυτῷ ναὸν ἐν τῇ παρθενικῇ γαστρὶ διαπλάσας συνῆν τῷ πλασθέντι, καὶ γεννηθέντι. Οὗ χάριν καὶ τὴν ἁγίαν ἐκείνην παρθένον θεοτόκον προσαγορεύομεν, οὐχ ὡς Θεὸν φύσει γεννήσασαν· ἀλλ' ὡς ἄνθρωπον τῷ διαπλάσαντι αὐτὸν ἡνωμένον Θεῷ.

(2) Cyril. Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ σαρκὶ καθ' ὑπόστασιν ἡνῶσθαι τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγον, ἕνα τε εἶναι Χριστὸν μετὰ τῆς ἰδίας σαρκὸς, τὸν αὐτὸν δηλονότι Θεόν τε ὁμοῦ, καὶ ἄνθρωπον, ἀνάθεμα ἔστω.

[1] Matt. 1. 20. — [2] § 2. — [3] Vide sup. c. 2.

[4] Vide l. 5. c. 1. § 5. — [5] Ibid. cap. 3.

in unum coalesceret, contraxisse se, et ad carnis susceptæ modulum accommodasse, atque ita de loco in locum migrasse, ut *partialiter uniri* cum carne posset. Aut certe carnem ipsam, uti cum infinite porrecta, neque circumscripta finibus ullis Dei natura in unam substantiam conveniret, adæquari cum illa debuisse, et in immensam molem excrescere. Cujusmodi Brentii, et eorum quos Ubiquistas vocant, delirus et stolidus est error : contra quem suo loco disputabimus.

Nestorii porro verba, quæ nonnisi latine extant, libenter ita conceperim, paucis immutatis, ac græce quoque sic verterim :

Nestorii anathematismus græce a nobis redditus.	*Idem latine paululum castigatus.*
Εἴ τις ἐν τῇ τοῦ Θεοῦ Λόγου συναφείᾳ τῇ πρὸς τὴν σάρκα, τὴν ἐκ τόπου εἰς τόπον μετάστασιν τῆς θείας οὐσίας γενέσθαι φησὶν, καὶ ταύτης τῆς θείας φύσεως τὴν σάρκα δεκτικὴν λέγει, κἀκείνην μερικῶς ἡνῶσθαι σαρκί· ἢ πάλιν εἰς ἄπειρον τῇ ἀπεριγράπτῳ φύσει συμπαρεκτείνει σάρκα, εἰς τὸ δέχεσθαι τὸν Θεὸν· καὶ τὸν αὐτὸν φύσει καὶ Θεὸν εἴποι, καὶ ἄνθρωπον, ἀνάθεμα ἔστω.	Si quis in Verbi Dei conjunctione, quæ ad carnem facta est, de loco in locum mutationem divinæ substantiæ factam esse dixerit : ejusque divinæ naturæ carnem capacem dixerit : ac partialiter illam unitam carni : aut iterum in infinitum incircumscriptæ naturæ coextenderit carnem ad accipiendum Deum : eumdemque ipsum natura, et Deum dicat, et hominem ; anathema sit.

Hic pauca quædam immutavimus ; quorum primum est, *divina sententia*, quod esset θείᾳ γνώμῃ : sed exprimi debuit, cujus illa diceretur esse mutatio. Alterum est, *cum extenderent*, quod esset συμπαρεκτεινόντων. Sed aptius videtur quod ex conjectura illius loco posuimus. Omnino tamen duplex illa, quam dixi, calumnia Cyrillianæ sententiæ in illo anathematismo Nestorii apparet.

Theodoreti contra Cyrilli anathematismum secundum disputatio, et Cyrilli defensio.

Orientalium contra hunc anathematismum velitatio non extat. Theodoretus vero id potissimum arripit, quod Cyrillus *unitionem secundum hypostasim* vocat ; quam esse *prorsus ignotam, ac peregrinam* asserit, *nec in sacris litteris, aut earum enarratoribus uspiam occurrere*. Quod si unitio illa secundum hypostasim, utriusque naturæ mistionem, et confusionem significet, id vero minime esse tolerandum. Hanc Theodoreti ludicram et sophisticam criminationem validissime propulsat Cyrillus, negans tale quid sibi in mentem venisse : verum unitionem καθ' ὑπόστασιν appellare se, veram conjunctionem naturæ, sive hypostasis Verbi cum carne. De hoc amborum conflictu diximus in libro tertio [1].

ANATHEMATISMUS TERTIUS

NESTORII.	CYRILLI.
Si quis non secundum conjunctionem unum dixerit Christum, qui est etiam Emmanuel secundum naturam ; ex utraque etiam substantia, tam Dei Verbi, quam etiam ab eo hominis suscepti, in una Filii connexione, quam etiam nunc inconfuse servamus, minime confitetur ; anathema sit.	(1) Si quis in uno Christo dividit substantias post unitionem, sola eas societate conjungens ea, quæ secundum dignitatem est, vel etiam auctoritatem, aut potestatem ; et non magis conventu ad unitatem naturalem ; anathema sit.

Propositum Cyrillo fuit hoc in capitulo, naturarum in Christo veram et proprie dictam unitionem adstruere ; quæ tunc intelligitur, cum unum per sese aliquid existit naturali, et substantiva junctione coagmentatum : non ejusmodi, quæ ex hominum voluntate, usuque ponitur, quam idcirco θετικὴν, et σχετικὴν vocant ; ut est ea, qua duo inter se amici copulantur, et unum fiunt. De hac unitione multa passim diximus ; ut in libro tertio, capite quarto ; ubi hunc Cyrilli anathematismum illustravimus : et cur φυσικὴ, id est *naturalis*, unitio ista nominetur, uberrime docuimus. Cum autem ex naturali et substantiva unitione, una, uti dixi, substantia, hoc est subsistentia, et hypostasis fieri debeat ; unum autem ei, quod divisum est ac multiplex, opponatur ; idcirco diligenter cavet Cyrillus, ne substantiæ illæ, quæ inter se conveniunt, et concurrunt, atque unitione connectuntur, divisæ habeantur, ac disjunctæ. Quod reipsa contingeret, si sola σχέσει, id est *habitudine*, et more in usum hominum recepto, quam *moralem* propterea vocant *unitionem*, committi dicerentur : qualem cum Nestorius inveheret, plenis tamen buccis, ac magnificis, et exquisitis eam verbis, ac sententiis prædicabat, ut solent hæretici. Verum quod ex humana, non naturali conjunctione, ac consortio unum existit, id reipsa multiplex est. Quare Cyrillus acritercontendit, ut vero, et naturali nexu, non ex instituto, et usu hominum petito, naturæ Christi duæ constrictæ inter se, non revera se-

(1) CYRILL. anath. 3. Εἴ τις ἐπὶ τοῦ ἑνὸς Χριστοῦ διαιρεῖ τὰς ὑποστάσεις μετὰ τὴν ἕνωσιν, μόνῃ συνάπτων αὐτὰς συναφείᾳ τῇ κατὰ τὴν ἀξίαν, ἤγουν αὐθεντίαν, ἢ δυναστείαν, καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον σύνοδον τὴν καθ' ἕνωσιν φυσικὴν, ἀνάθεμα ἔστω.

[1] Cap. 4.

paratæ putentur. Frustra autem imperitus, et insulsus anonymus διαίρεσιν illic a Cyrillo pro *distinctione* ac *differentia* voluit accipi ; ut ex eo calumniam, et infamiam struat sanctissimo et eruditissimo viro, tanquam naturarum post unitionem discrimen omne sustulerit, contra quem supra capite nono depugnavimus. Certe ipsemet Cyrillus in ἐπιλύσει istius anathematismi nullam dubitationem residere patitur, quam in partem διαιρέσεως vocabulum accipi velit. Nam eo consilio testatur se divisionem illam naturarum damnasse, quod eam Nestoriana hæresis induceret. Cujusmodi vero hic illam asseveraverit, his verbis explicat : « (1) Qui igitur hypostases post unitionem dividunt, et separatim ponunt singulas, hominem videlicet, ac Deum, talemque comminiscuntur inter ambos consociationem, quæ in sola dignitatis communione consistit, duos omnino filios constituunt. » Non potuit clarioribus verbis explicare Cyrillus, divisionem se duntaxat illam ab sacramento Dominicæ incarnationis excludere, quæ duas hypostases, aut etiam naturas separatim existentes, ac disjunctas, dicis causa, et perfunctorie conjungeret, atque unum ex illis faceret : quale est id, quod ex consortio ejusdem dignitatis, et auctoritatis inter duos existit : utputa conjuges duo, vel amici eorumdem honorum participes et socii, sola hominum æstimatione, non naturali et substantiva connexione sunt unum. Nam nihilominus separati, et divisi interim consistunt ; certe non ita cohærent mutuo sibi, uti brachium, aut aliud membrum cum corpore, quo cum naturali, et οὐσιώδει vinculo committitur. Jam quo sensu *hypostases* appellet naturas in Christo duas Cyrillus, ostendimus supra [1], neque hoc loco repeti necesse est.

Nestorius porro anathematismum suum ita concepit, ut naturas easdem, quæ conjunctæ sunt, post conjunctionem duas manere, neque confusas et in unam redactas esse monstraret : quasi Cyrillus contrariam in suo anathematismo tradidisset.

Orientalium cum Cyrillo conflictio.

Duo ab Orientalibus in Cyrilli capitulo notata sunt. Unum , quod ὑποστάσεις, hoc est *substantias*, dividi vetat post unitionem. Alterum , quod *naturalem* appellet *unitionem* istam. Quod ad prius attinet, Cyrilli mentem mala fide calumnioseque sic explicant, ut distinctas esse naturas non putet, sed confusas : quemadmodum et anonymus impostor videri voluit. In secundo , similiter æquitatem , et candorem merito in illis requiras : dum φυσικὴν, id est *naturalem* conjunctionem, eam in partem accipiunt, ut non voluntaria, id est libera, et gratuita, sed naturali quadam extorta necessitate sit illa Redemptoris humanitas et beneficentia. Tum illud nescio quid ad invidiæ cumulum adjiciunt, ex necessaria illa naturæ lege, et ordinatione sequi, ut certis intervallis, et circuitionibus temporum eadem velut in orbem recurrat, et repræsentetur incarnatio Verbi ; quod in constituenda millenarii intervalli fabula Apollinarem invexisse narrant. Sed est maligna, et infuscata livore atque odio illa vocis interpretatio.

Quocirca veris ac solidis rationibus hanc illorum licentiam castigat Cyrillus, asserens in id unum intento se animo fuisse, ut Nestorii impietatem refelleret ; qui naturas duas, post unitionem, reipsa divulsas, minimeque conjunctas in eamdem personam esse profiteretur ; nec se hypostases eo modo separari passum esse. Naturalem porro unitionem appellasse, veram, non fictitiam, et imaginariam. Sed hæc pluribus alibi jam exposita sunt [2] ; ubi et de significatione vocabuli τῆς ὑποστάσεως apud Cyrillum egimus.

Theodoreti, ac Cyrilli de eodem capitulo contentio.

Non minus quam Orientalium , imo aliquanto magis odiosa est, jejuna Theodoreti criminatio. Primum illud redarguit , quod συναφείας nomen respuit Cyrillus, et σύνοδον usurpare malit, cum hæc ab illa vox nihil admodum discrepet. Atqui etsi συνάφεια prorsus illi displicuisset, non esset reprehendendus. Siquidem hac voce frequenter , ac libentius , quam alia qualibet, uti solitus Nestorius, eam quodammodo veneno sui erroris resperserat, ac suspectam reddiderat : id quod plerisque in hæresibus contigit : ut quibus earum architecti vocabulis sæpe usi sunt, eæ pro damnatis habeantur. Sed de hac voce libro tertio diximus [3]. Jam vero non συνάφειαν simpliciter proscribit Cyrillus in anathematismo suo , sed

(1) Cyrill. in explan. anath. 3. Οἱ διαιροῦντες τοίνυν τὰς ὑποστάσεις μετὰ τὴν ἕνωσιν, καὶ ἀνὰ μέρος τιθέντες ἑκατέραν· τουτέστιν ἄνθρωπον, καὶ Θεόν. Ἐπινοοῦντες καὶ συνάφειαν αὐτοῖς τὴν κατά γε μόνην τὴν ἀξίαν, δύο που πάντως ἱστῶσιν υἱούς.

[1] Cap. 2. § 3.

[2] Lib. 3. c. 4. et supra c. 2. — [3] Cap. 2. § 7.

συνάφειαν τὴν κατ' ἀξίαν, etc. cujusmodi Nestorius asserebat, hoc est *conjunctionem solius dignitatis*, vel *auctoritatis*. Pro qua itidem non simpliciter τὴν σύνοδον usurpari jubet, sed σύνοδον τὴν καθ' ἕνωσιν φυσικὴν, hoc est *conventionem secundum unitatem naturalem*. Utrique porro si ea detraheres, quæ annexa, et adjuncta sunt, promiscua et est, et Cyrillo videri potuit utriusvis usurpatio.

Nam quod φυσικὴν appellavit ἕνωσιν illam, et idipsum sectatur Theodoretus, ejusdemmodi est, ac paulo ante querelam illam fuisse diximus Orientalium. Eadem enim cavillatione anathematismum ambo sunt aggressi : ut de hoc nihil disputationi nostræ præcipuum restet. Vide Maximi Aquileiensis episcopi disputationem in Lateranensi synodo sub Martino papa [1] : ubi late hæreticorum tergiversationem hanc elidit, qui naturalem nullam in Christo voluntatem inesse probabant, falso illo argumento freti, quod quidquid naturale est, id esse necessarium oportet.

ANATHEMATISMUS QUARTUS

NESTORII.

Si quis eas voces quæ tam in Evangeliis, quam in epistolis apostolicis de Christo, qui est ex utraque, scriptæ sunt, accipiat tanquam de una natura; ipsique Dei Verb tentat passiones tribuere tam secundum carnem, quam etiam deitatem; anathema sit.

CYRILLI.

(1) Si quis duabus personis, vel subsistentiis decernat eas voces, quæ tam in evangelicis, quam apostolicis litteris continentur : vel etiam eas quæ de Christo a sanctis dicuntur, vel ab ipso Christo de seipso; et aliquas quidem ex his tanquam homini præter Dei Verbum specialiter intelligat, (for. *intellecto*) applicandas tradiderit; aliquas vero tanquam Deo dignas soli Verbo Dei Patris deputaverit; anathema sit.

Nestorius duas Christi naturas ita consociatas esse dicebat, ut unum per se neutiquam ex illis existeret, sed tantum σχετικῶς, et ex usu hominum : reipsa vero duas asserebat, non modo naturas, sed etiam personas, (idem autem putabat esse naturam quamlibet singularem, quod personam); neque patiebatur, ea quæ humano modo gessit, aut perpessus est Christus, imputari Deo Verbo, neque vicissim divina communicari homini : verum seorsim sua cuique, sine alterius consortio tribuebat. Huic errori obviam ire voluit Cyrillus anathematismo quarto : in quo etsi fatetur naturas esse distinctas, et suis proprietatibus integre constantes ; unum tamen, eumdemque declarat esse, qui in utraque subsistit, et ea recipit in se, quæ in alterutram conveniunt : ita ut alias quæ Dei propria sunt, alias quæ sunt hominis, loquendo, vel agendo usurparet, in seque transferret : nec propterea in duos est partiendus, hoc est in personas duas, sive hypostases, naturasve separatim cohærentes ; quod in declaratione sua Cyrillus exponit, qui quo sensu *hypostases* istic acceperit, docuimus supra capite secundo [2] : ubi anathematismum istum enarravimus. At Nestorius Cyrilli mentem sic expressit, quasi naturarum penitus discrimen tolleret, et Verbum ipsum humanis affectionibus subjiceret.

Orientalium cum Cyrillo contentio de anathematismo quarto.

Tumultuantur hic Orientales, et in Cyrillum involant, usitatum illud, et tralatitium intentantes, naturarum ab illo perimi differentiam, cum tamen alibi proprietatibus eas distinxerit suis. Neque vero voces omnes, quibus de Christo Scripturæ aliquid significant, promiscue sic habendas, ut cuivis naturæ conveniant. Ita vides *hypostaseon* vocabulum pro *naturis* illos accepisse. Atqui non *hypostases* solum, sed etiam *personas* posuerat Cyrillus, ut calumniatoribus occurreret ; et hoc omnes intelligerent, non se naturas permiscere, sed vetare disjungi, ac separatim constitui. Uno itaque verbo Cyrillum liberare ab hac calumnia possumus, si voces Christo in Scripturis attributas, non *dividi*, hoc est seorsim tanquam divulsis et distractis naturis assignari dicamus : distingui tamen, et suas cuique cum alterius communione vindicari.

Hoc fere Cyrillus genere responsionis adversus illos utitur, qui μερίζεσθαι, id est *dispertiri*, ac *dividi* vocabula prohibere se ait, quæ de Christo dicuntur. Et notandæ sunt synonymæ voces, quas ad illam divisionem declarandam adhibet, ut intelligas, non differentiam simplicem discrimenve naturarum eripi, sed solam earum a se mutuo separationem, qualem Nestorii inducebat hæresis. « (2) Si igitur qui separant ac dirimunt in hominem privatim

(1) CYRILL. anath. 4. Εἴ τις προσώποις δυσὶν, ἤγουν ὑποστάσεσι, τάς τε ἐν τοῖς Εὐαγγελικοῖς καὶ Ἀποστολικοῖς συγγράμμασι διανέμει φωνάς· ἢ ἐπὶ Χριστῷ παρὰ τῶν ἁγίων λεγομένας, ἢ παρ' αὐτοῦ περὶ ἑαυτοῦ· καὶ τὰς μὲν ὡς ἀνθρώπῳ παρὰ τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγον ἰδικῶς νοουμένῳ προσάπτει· τὰς δὲ ὡς θεοπρεπεῖς μόνῳ τῷ ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγῳ, ἀνάθεμα ἔστω.

(2) CYRILL. in defens. anath. 4. contra Orient.

[1] Tom. 4. Conc. p. 729.

[2] § 3.

ac seorsim positum, et in Deum Verbum privatim ac seorsim constitutum, non partiuntur unum Christum, neque duos asseverant filios, succenseant nobis homines criminandi cupidi. » De hac Nestoriana divisione relege quæ capite nono hujus libri contra anonymum disputavimus. Cyrillus porro huic Orientalium falsæ criminationi Patrum aliquot sententias opponit; quæ unum, eumdemque docent in utriusque naturæ proprietatibus esse Filium.

Theodoreti et Cyrilli de eodem anathematismo velitatio.

Non dissentit ab Orientalibus suis in Cyrilli reprehensione Theodoretus, sed iisdem lineis insistit. Arii itaque, et Eunomii partibus illum adscribit; qui Verbo ipsi non veriti sunt attribuere quæcumque de Christo vilia et imbecilla in Scripturis leguntur ut dissimilis naturæ illud esse monstrarent, nec ejusdem cum Patre substantiæ. Omnino itaque discernendas esse voces, quas de Christo diversas, et dispares pronuntiari videmus, ne κρᾶσιν, id est confusionem, et permistionem naturarum introducamus: quod Cyrillum facere queritur.

Hoc vero Cyrillus impense negat; sed se, confusione rejecta, ita diversas proprietates, et earum indices voces agnoscere ait, ut uni tamen, et eidem omnes imputandæ sint; atque aliæ secundum divinitatem, aliæ secundum humanitatem conveniant, cum idem videlicet homo sit et Deus. Theodoretum porro reprehendit, quod duos filios induxerit: quatenus alterum fuisse dixit, qui mortem deprecatus est; alterum, qui eam tolerandam esse non ignoravit: cum uni, eidemque tribui oporteat utrumque; ac Verbum ipsum se exinanisse dicatur. Atqui facile est ambos illos inter se conciliare, si hoc observes; Theodoretum ad naturarum discrimen respectum habuisse, Cyrillum ad personæ loquentis, et agentis unitatem.

ANATHEMATISMUS QUINTUS

CYRILLI.	NESTORII.
(1) Si quis audet dicere Christum hominem *θεοφόρον*, id est hominem Deo (for. *Deum*) utentem se asportantem, et non Deum esse veraciter dixerit, tanquam unicum Filium per naturam, secundum quod Verbum caro factum est, et participaverit nobis similiter carne, et sanguine; anathema sit.	Si quis unum esse post assumptionem hominis naturaliter Dei filium audet dicere, cum sit Emmanuel; anathema sit.

Manifestum est hunc anathematismum adversus Nestorii comparari putidam, et execrandam blasphemiam, qua Christum aiebat ita Emmanuelem esse, id est hominem cum Deo sociatum et unitum, quemadmodum cum prophetis, ac sanctis viris Deus fuisse conjunctus dicitur, et in illis resedisse; ut θεοφόροι propterea nominati sint, quasi Deum in se circumferentes: non autem unum per se ex ambobus esse factum. Quippe solius dignitatis communione devinctum hominem Dominicum, et cum Deo copulatum existimabat.

Hunc Nestorius arcanum hæresis suæ sensum aperuit in anathematismo, cum dixit; unum non esse Dei filium post assumptionem hominis. Proculdubio enim duos esse censuit, qui unum inficiatus est.

Theodoreti, et Cyrilli altercatio de anathematismo quinto.

Contra hunc anathematismum duo præscribit Theodoretus, quorum prius litigandi, et contradicendi majus, quam veri inquirendi studium sapit: alterum nonnullam probabilitatem habet. Imprimis ergo participem fuisse carnis et sanguinis una cum anima Deum Verbum fuisse concedit. Sed carnem esse factum conversione sui aliqua idem Verbum negat. Quod nihil necesse fuit excipere. Non enim Cyrillus ejusmodi quippiam asseruit. Sed invidiam illi facere Theodoretus voluit hæresis Apollinaristarum. Alterum, quod Theodoretus opponit, est de θεοφόρου nomine, quod Cyrillus damnasse videtur in anathematismo; cum tamen complures veterum eo sint usi, ut inter alios Basilius. De quo agetur in libro sequenti [1]. Interim hoc unum admonemus, non absolute *Deiferi* vocem ab Cyrillo reje-

tom. 2. Conc. pag. 451. F. Εἴ μὲν οὖν οἱ διϊστάντες, καὶ διορίζοντες εἰς ἄνθρωπον ἰδικῶς τε, καὶ ἀνὰ μέρος, καὶ εἰς Θεὸν Λόγον ἰδικῶς τε, καὶ ἀνὰ μέρος, οὐ μερίζουσι τὸν ἕνα Χριστὸν, καὶ δύο λέγουσιν υἱοὺς, ἀγανακτείτωσαν καθ' ἡμῶν οἱ φιλεγκλήμονες.

[1] Lib. 7. c. 12.

(1) CYRILL. Εἴ τις τολμᾷ λέγειν θεοφόρον ἄνθρωπον τὸν Χριστὸν, καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον Θεὸν εἶναι κατὰ ἀλήθειαν, ὡς Υἱὸν ἕνα, καὶ φύσει, καθὸ γέγονε σὰρξ ὁ Λόγος, καὶ κεκοινώνηκε παραπλησίως ἡμῖν αἵματος, καὶ σαρκὸς, ἀνάθεμα ἔστω.

ctam; sed eatenus, si ad Nestorii mentem accommodetur, vera unitione naturarum abdicata, et sola σχετικῇ, ac *morali* constituta. Est autem in usu communi hominum sua quædam tempestivitas vocum; quæ pro temporum, et aliarum rerum opportunitatibus, caute ac prudenter est moderanda. Ante Nestorii exortam hæresim, nihil erat in istius modi vocabulo periculi. Postquam illa est conflata, præsertim sub ejus initium, quo latius et validius grassabatur, jure suspectum fuit, et ab consuetudine illud removere tutius interim est visum.

ANATHEMATISMUS SEXTUS

NESTORII.

Si quis post incarnationem Deum Verbum alterum quempiam præter Christum nominaverit; servi sane formam initium non habere cum Deo Verbo, et increatam, ut ipse est, dicere tentaverit, et non magis ab ipso creatam confiteatur, quam natura Dominum, et creatorem et Deum, quam et suscitare propria virtute promisit, *Solvite*, dicens [1], *templum hoc, et in triduo suscitabo illud*; anathema sit.

CYRILLI.

(1) Si quis dicit Deum vel dominum esse Christi Dei Patris Verbum, et non magis eumdem ipsum confitetur Deum et hominem simul; propter quod Verbum caro factum est, secundum Scripturas; anathema sit.

Cum Nestorius reipsa duos inesse Christos, hoc est personas duas utcumque copulatas crederet; consentaneum erat, ut Verbum Deus esset ac dominus alterius, hoc est hominis. Huic contradicit Cyrillus; et, quoniam non duos, sed unum ex duabus naturis, id est unam personam, vel suppositum extitisse censet, ideo negat Deum vel dominum esse hominis Verbum, cum nemo sui ipsius dominus appellari debeat. Hanc controversiam libro sequente plenius enodabimus [2].

Theodoreti et Cyrilli conflictus.

Tergiversatur more suo Theodoretus: ac primum affirmat, id, quod a Verbo est assumptum, fuisse [3] *servi formam*, ut loquitur Apostolus: ceterum post unitionem non amplius locum habere nomen servitutis. Nihilominus tamen ab Isaia propheta servum nominari Christum adnotat, propter susceptam servi formam. Sed occurrit Cyrillus, et quamvis Christus, qua homo est, servus appelletur Patris sui, utpote persona ab illo distinctus; eumdem tamen negat sui esse dominum, aut servum, ne personæ discrimen introducatur. Sed de hoc pluribus in septimo, ut dixi, libro.

ANATHEMATISMUS SEPTIMUS

NESTORII.

Si quis hominem, qui in Virgine creatus est, hunc esse Unigenitum dixerit, qui ex utero Patris ante Luciferum natus est; et non magis propter unionem, eum, qui est naturaliter unigenitus, Patris ingeniti appellatione confitetur participem factum, Jesum quoque alterum quempiam præter Emmanuel dicat; anathema sit.

CYRILLI.

(2) Si quis dicit tanquam in hominem Jesum, Deum Verbum fuisse operatum, et unigeniti dignitatem, tanquam alteri præter ipsum existenti tribuit; anathema sit.

Ne duo filii, vel Christi, vel quocumque tandem nomine, separati, ac per se subsistentes, in Emmanuele cogitentur; quoniam humana in eo natura sanctitate, et gratia, et admirabilium operum efficientia plenissime cumulata est, modum hunc in anathematismo constituit, quo hæc ipsa communicata est divinæ largitatis opulentia. Non enim quasi adventitia, et extrinsecus affluens, a Verbo manavit in hominem; sed tanquam hujus propria, et nativa, mox ut in eamdem personam est acceptus, in illius censu numerari cœpit. Idcirco negat Cyrillus, Dei Verbum sic in homine assumpto operatum fuisse, quemadmodum in prophetis, qui alieni erant, nec intima cum ipso unitione conjuncti, sed nec eamdem personam, pro naturarum discrimine, vim, et sanctitatem illam, quasi peculiarem possessionem, tribuisse pariter, et accepisse. De sanctitate Christi agemus postea, necnon de ἐνεργείᾳ, cujus in octavo libro explicandæ locus erit.

Orientalium, et Cyrilli contentio.

Hic Orientales insurgunt; et primo quidem fatentur, non sic operatione sancti Spiritus afflatum, et instinctum fuisse Christum, ut olim prophetæ, et post eos apostoli. Deinde graviter incusant Cyrillum, quod vocabulum istud ἐνεργεῖσθαι damnaverit non solum imperite, sed etiam cum blasphemia: utpote quod in sacris litteris Christo tribuitur. Sic enim Apo-

(1) Cyrill. Εἴ τις Θεὸν, ἢ δεσπότην εἶναι λέγει τοῦ Χριστοῦ τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγον, καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον τὸν αὐτὸν ὁμολογεῖ ὁμοῦ τε Θεὸν, καὶ ἄνθρωπον, ὡς γεγονότος σαρκὸς τοῦ Λόγου, κατὰ τὰς γραφὰς, ἀνάθεμα ἔστω.

(2) Cyril. Εἴ τίς φησιν, ὡς ἄνθρωπον, ἐνηργῆσθαι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ Λόγου τὸν Ἰησοῦν, καὶ τὴν τοῦ μονογενοῦς εὐδοξίαν περιῆφθαι, ὡς ἑτέρῳ παρ' αὐτὸν ὑπάρχοντι, ἀνάθεμα ἔστω.

[1] Joan. 2. — [2] Cap. 7. 8. et 9.

[3] Phil. 2.

stolus : (1) *Secundum operationem*, inquit, *potentiæ virtutis ejus; quam operatus est in Christo suscitans eum a mortuis.* Et in Actis: (2) *Dextera Dei exaltatus ;* et iis similia, quæ effectum aliquid in Christo fuisse demonstrant.

Verum his occurrit Cyrillus, non inficiari se, quin et Pater in Christo, et in assumpta natura Verbum ipsum operatum esse dicatur : sed hoc unum cavisse, ne tanquam in altero, et a seipso disjuncto Verbum egisse aliquid putetur; cum unus sit cum eo quod assumpsit. Itaque Nestorium recta illo anathematismo peti, qui sic loqui ausus est: « (3) Communes sunt Trinitatis operationes, et solis hypostasibus discriminantur. Proinde Unigeniti gloria interdum Patri accommodatur, alias Spiritui, nonnunquam Christi potentiæ. » Quibus verbis significabat non solum a Patre, et a Spiritu sancto, utpote personis distinctis, ἐνεργεῖσθαι, hoc est *operatione communicari* gloriam, sive gloriæ plena, et admimiranda quædam opera Unigenito filio homini Christo : verumetiam ab ipsomet Christo, qua Verbum ac Deus est; tanquam perinde ab homine sit persona discretus, quomodo Pater, et Spiritus sanctus. Idcirco necesse fuit admonere, non sic a Verbo concessum illud esse naturæ, quam assumpsit, velut a seipso divisæ.

Quin illud etiam imperite ab Nestorio dictum animadvertimus, operationes Trinitatis proprietatibus et hypostasibus dirimi. Nihilo quippe magis distrahuntur operationes, quam essentia ipsa, quæ una et indivisa subest relativis tribus proprietatibus.

Theodoreti et Cyrilli pugna.

Non dissimili ratione Cyrillum Theodoretus aggreditur, dum hoc unum conatur efficere, Deum Verbum aliquid in assumpta natura hominis operatum fuisse; ut cum illi ab morte suscitatæ vitam, et gloriam impertiit. Nam si mortalis cum esset natura, conditioneque sua, ex conjunctione cum Verbo immortalitatem consecuta est : quod minime habebat accepit. Quare operatum est in ea aliquid Verbum. Respondet Cyrillus, Verbum unum esse cum carne sua, vel homine, quem suscepit; et per carnem suam, velut per organum, mira, et divina opera quædam executum esse : non quemadmodum per apostolos eadem illa perfecit, qui diversi, ac divisi erant ab auctore gestarum rerum, et effectore primario. Quocirca « (4) Ἐνηργῆσθαι, id est, impressa efficientia motos esse per Christum in Spiritu, *inquit*, dicimus homines sanctos, tanquam alios et diversos ab ipso : sed non eodem modo Jesum a Verbo in spiritu, data efficientia motum esse, quasi alius sit Filius, præter Dei Unigenitum. » Nihil igitur contra Cyrillum promovet Theodoretus, quippe cum non simpliciter negaverit, operatum esse aliquid in carne, sive homine, Verbum; sed in eo, tanquam alio et diverso, illud effecisse.

ANATHEMATISMUS OCTAVUS

CYRILLI.	NESTORII.
(5) Si quis audet dicere, assumptum hominem coadorari cum Deo Verbo oportere, et conglorificari, ac connominari, tanquam alterum cum altero, (nam particula, cum, addita hoc cogit intelligi,) et non magis una reverentia veneratur Emmanuel, unamque ei glorificationem dependit; juxta quod Verbum caro factum est; anathema sit.	Si quis servi formam pro seipso, hoc est secundum propriæ naturæ rationem, colendam dixerit, et non omnium dominam : et non potius per societatem, qua beatæ, et ex se naturaliter domini Unigeniti naturæ conjuncta est, veneratur; anathema sit.

Latina Dionysii exigui necessario paululum immutavimus; imo supplevimus quod illis decrat; nam perspicue mendosa erant. Jam quod ad capituli sententiam attinet; cum, ut fidei symbolum habet, unus sit Filius Dominus noster Jesus Christus, hoc est *incarnatum*, et *inhumanatum Dei Verbum :* unum ipsum adorandum esse didicimus, non alterum cum altero. Neque enim alter est et alter. Itaque una est unius in duabus naturis subsistentis adoratio. Hæc autem unius adorationis, et indivisæ professio, Nestorianam perfidiam elidit :

(1) Eph. 1. 19. Κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ· ἣν ἐνήργησεν ἐν τῷ Χριστῷ, ἐγείρας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν.

(2) Act. 2. 33. Τῇ δεξιᾷ οὖν τοῦ Θεοῦ ὑψωθείς.

(3) NESTOR. apud Cyrill. in def. anath. 7. cont. Orient. in Eph. syn. pag. 455. Κοιναὶ γὰρ αἱ τῆς Τριάδος ἐνέργειαι, καὶ μόναις ὑποστάσεσι τὴν διαίρεσιν ἔχουσαι. Ἤγουν τοῦ μονογενοῦς ἡ εὐδοξία ποτὲ μὲν τῷ Πατρὶ περιῆπται ποτὲ δὲ τῷ Πνεύματι, ποτὲ δὲ τῇ τοῦ Χριστοῦ δυναστείᾳ.

(4) CYRILL. contra Theod. ad anath. 7. Ἐνηργῆσθαι μὲν γὰρ διὰ Χριστοῦ ἐν Πνεύματι τοὺς ἁγίους φαμέν. Ὡς ἑτέρους ὄντας παρ' αὐτόν. Οὐ μὴν οὕτω κατὰ τὸν ἴσον τρόπον, καὶ αὐτὸν ἐνηργῆσθαι τὸν Ἰησοῦν παρὰ τοῦ Λόγου ἐν Πνεύματι, ὡς ἕτερον ὄντα Υἱὸν παρά γε τὸν ἐκ Θεοῦ μονογενῆ.

(5) CYR. Εἴ τις τολμᾷ λέγειν, τὸν ἀναληφθέντα ἄνθρωπον συμπροσκυνεῖσθαι δεῖν τῷ Θεῷ Λόγῳ, καὶ συνδοξάζεσθαι, καὶ συγχρηματίζειν Θεὸν, ὡς ἕτερον ἑτέρῳ. Τὸ γὰρ σὺν ἀεὶ προστιθέμενον τοῦτο νοεῖν ἀναγκάσει. Καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον μιᾷ προσκυνήσει τιμᾷ τὸν Ἐμμανουὴλ, καὶ μίαν αὐτῷ τὴν ὁμολογίαν συνάπτει, καθὸ γέγονε σὰρξ ὁ Λόγος, ἀνάθεμα ἔστω.

qui sæpius ista jactabat [1], *se gestantis causa eum qui gestatur colere* : item, non *se hominem adorare, ne sit* ἀνθρωπολάτρης : *non infantem bimestrem, et trimestrem ;* et hujusmodi alia, quibus evertendis anathematismus ille ab Cyrillo est adhibitus.

At Nestorius maligne, captioseque sic illum interpretatus est, quasi servi formam, secundum propriam rationem, adorandam, hoc est divino cultu afficiendam decerneret. Quod nefarium est dictu, et ab Cyrilli mente plurimum abhorret. Siquidem eatenus solum, quod humana natura unum est cum divina Christi suppositum, uni et individuæ adorationi utramque objici statuit; ne si duplex, et dissimilis utrique cultus tribuatur, in duos adorandos filios, et Christos, uniusmodi persona dividatur : quod in superioribus testantem Cyrillum sæpius audivimus.

Orientalium et Theodoreti cum Cyrillo dimicatio.

Assentiri se Cyrillo dicunt Orientales, in eo, quod cum Deo Verbo adorari, vel glorificari assumptum hominem non probat, tanquam alium ab illo, et non eumdem persona. Verum quod particulam σὺν, id est *cum*, eam habere potestatem ait, ut distinctam personam designet, hoc vero ridiculum putant: ac Cyrillum illum suopte testimonio refellunt, qui in primo tomo scripserit, assidere Verbum Patri suo etiam μετὰ σαρκὸς, id est *cum carne,* et sic adorari. Atqui μετὰ idem est ac σὺν. Quare si μετὰ σαρκὸς assidet Patri, et adoratur; cur non et συμπροσκυνεῖσθαι dici poterit?

Ad ea Cyrillus longiori oratione respondet : ac primum unica probat adoratione colendum esse Deum et hominem Christum, idque Athanasii testimonio confirmat ; de quo in libro quarto, capite quinto, et sequentibus egimus; et ex veterum auctoritate demonstravimus [2], laciniam illam, quæ sub Athanasii nomine est edita, Apollinaris esse fœtum, et ab Eutychianis insertam esse Cyrilli commentariis, atque hunc primum omnium loqui sic instituisse, ut *post unitionem unam* affirmaret *esse Verbi naturam incarnatam.* Nihilominus tamen verum est illud, quod de unica Christi veneratione disputat Cyrillus: deque eo nos dicemus postea. Nestorius porro sic adorari conjunctim cum Verbo asserebat hominem, ut nonnisi σχετικῶς, itidem ut unitum hunc esse credebat, cultus esset istius particeps : quamvis re ab illo divisus, personam quoque distinctam faceret. Quare necessariam fuisse contendit Cyrillus anathematismi illius cautionem : quæ non alio sensu concipitur, quam si tanquam alius cum alio adorari dicatur. Proinde nugari ait Orientales, qui συνεδρεύειν illud, et μετὰ τῆς σαρκὸς opponunt. Nam aliud esse simpliciter, et bona fide usurpare similes loquendi formulas : velut animam hominis cum suo corpore honore affici : vel, animam cum corpore unum animal esse. Hic enim ex modo loquendi satis animadvertitur nullum intercedere personæ discrimen. At si nonnulla ante pronuntiata sint, quæ personarum differentiam aliquam significent; aut voces ipsæmet adjunctæ talem notionem offerant; tunc particulas istas σὺν, aut μετὰ, eamdem præ se ferre personarum divisionem : ut si dicam, Petrus et Paulus cognominantur homines; vel, Petrus cum Paulo ascendit in templum : ex ipsa proprietate nominum intelligitur personas esse diversas. Jam vero Nestorius de Christo passim sic locutus est, ut hominem a Verbo separatum reipsa esse monstraret, quantumvis id verbis negaret. Unde merito quando adorari dixit hominem duntaxat cum Verbo; utrumque persona discretum videri voluit, et in anathematismi damnationem incurrit.

Theodoretus non valde pugnaciter adversus Cyrillum hoc loco nititur, nec aliud præter usitatam cantilenam occinit : non sic una veneratione colendum esse Christum, naturasque jungendas, ut ambarum proprietates inter se confundantur. Quod nemo catholicus ignorat, et Cyrillus in Responsione latius exponit, arctissimam illarum conjunctionem ita commendans, ut non assumptam a Verbo carnem, sed Verbum carnem factum esse dicat. Nimirum prius illud eo sensu repudiat, quem Nestorius amplectebatur, ut alius ab alio in honoris, et dignitatis, nominisque communionem, non in personæ sit ascitus unitatem.

[1] Vide l. 1. c. 9. § 2. et lib. 6. c. 5. § 6.

[2] Vide lib. 4. c. 5. § 5.

ANATHEMATISMUS NONUS

CYRILLI.	NESTORII.
(1) Si quis unum Dominum Jesum Christum glorificatum dicit a Spiritu sancto, tanquam ab aliena virtute, qua per eum uteretur, et ab eo acceperit efficaciam contra immundos spiritus, et per eum implesse divina signa; et non magis ejus proprium spiritum dicat, sicut et Patris, per quem signa operatus est; anathema sit.	Si quis formam servi consubstantialem esse dixerit Spiritui sancto, et non potius per illius mediationem, quæ est ad Deum Verbum, et ex ipsa conceptione habuisse dixerit conjunctionem, per quas communes nonnunquam in homines miranda curatione exercuit; et ex hoc curandorum spirituum eveniebat esse potestatem; anathema sit.

In græco Cyrilli quædam fuisse videtur lectionis varietas. Nam Dionysius in suo codice habuit, ὡς ἀλλοτρίᾳ δυνάμει τῇ δι' αὐτοῦ χρώμενον, non τῇ ἰδίᾳ, et veriorem illam arbitror Dionysii.

Est autem anathematismi scopus ostendere Dei Verbum, assumpta carne, in eo, quod erat, manentem, nec ulla re carentem, quæ inest Patri, excepta paternitate, proprium habere Spiritum sanctum, qui ex ipso est, et ipsi substantive insitus est: adeo ut per illum, tanquam per propriam, et non alienam, nec adventitiam vim, et efficacitatem, admiranda opera fecerit, ac dæmones ejecerit: non autem, velut beneficii loco, ut olim prophetæ, et postea discipuli, spiritum illum, ejusque virtutem excepisse. Ita fere Cyrillus in anathematismi declaratione.

Orientalium cum Cyrillo certamen.

Objiciunt imprimis, a seipso dissentire Cyrillum; qui cum in primo tomo dixerit, Christum in Spiritu sancto miracula fecisse, necnon mortuum ipsum vivificatum esse Spiritu; in anathematismo suo negat eumdem illum in spiritu Dei ejecisse dæmones, ac cetera mirifica opera gessisse. Sed hanc putidam, et ineptam esse calumniam tum res ipsa demonstrat, tum Cyrillus acri, et vegeta oratione declarat. Non enim asseverasse se, Christum per Spiritum, vel in Spiritu non egisse quæcumque stupenda, et miranda fecit: sed non ita per eum fecisse, tanquam per alienam, et impertitam aliunde sibi vim, sed suam potius ac propriam, sibique cum Patre communem. Ceterum totum anathematismi hujus aculeum adversus Nestorii impietatem distringi docet, qui hominem in Christo dividebat a Verbo, atque ab hoc illi communicatam esse putabat virtutem illam Spiritus sancti, utpote peregrinam, et collatitiam, ac solius divinitatis propriam, a qua hominem distrahebat.

Theodoreti cum Cyrillo dimicatio.

Nihilo quam Orientales sui felicius anathematismum aggreditur Theodoretus, et perinde futilibus, ac supervacaneis molitionibus lacessere studet. Hoc enim probat, quod ad rem nihil attinet; Christum de Spiritu, hoc est vi, et efficientia Spiritus sancti, de muliere conceptum, et in eodem spiritu multa gessisse. Cui, similiter atque Orientalibus, silentium indicit Cyrillus; non se id inficiari asserens, quin per Spiritum effecta, et administrata illa sint omnia: sed non eo modo, quo ab sanctis viris facta leguntur; utpote Spiritum sanctum, ejusque virtutem gratiæ, ac beneficii loco sortitis: cum Christus in censu, ac professione sua illum habuerit, et eo tanquam proprio quæcumque voluit opera perfecerit.

Celeberrimus est hic anathematismus, et e eo utriusque contentio, propter insigne testimonium processionis a Filio, perinde atque a Patre Spiritus sancti cui hodierni Græculi obstrepunt, Cyrillus vero patrocinatur. Primum in anathematismo, cum Spiritum sanctum proprium ait esse Filii: quod omnino processionem designat personæ unius ab altera, uti suo loco demonstravimus [1]. Deinde in anathematismi ejusdem expositione rogatu Concilii œcumenici facta, in qua vocem illam *proprii* sic explicat, quod sit ἐξ αὐτοῦ, *ex ipso*. At Theodoretus ultra modum excandescit, et impium ac blasphemum esse contendit, affirmare Spiritum sanctum *ex Filio*, vel *per Filium extantiam habere*. In quo turpissime labitur. Sed de hac amborum controversia vide quæ in septimo de Trinitate fusissime disseruimus [2]: ubi et illud purgavimus, quod Cyrillus Theodoreti cavillationi respondens, istam ipsam de processione sancti Spiritus criminationem illius silentio presserit.

Quod ad Nestorii anathematismum pertinet, nihil hoc falsius, ac futilius esse potest. Nam de hoc tricatur uno; non esse Christi naturam humanam consubstantialem Spiritui sancto quasi

(1) Cyr. Εἴ τις φησὶ τὸν ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Κριστὸν δοξάζεσθαι παρὰ τοῦ Πνεύματος ὡς ἀλλοτρίᾳ δυνάμει τῇ ἰδίᾳ αὐτοῦ χρώμενον, καὶ παρ' αὐτοῦ λαβόντα τὸ ἐνεργεῖν δύνασθαι κατὰ πνευμάτων ἀκαθάρτων, καὶ τὸ πληροῦν εἰς ἀνθρώπους τὰς θεοσημείας, καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον ἴδιον αὐτοῦ τὸ Πνεῦμά φησι δι' οὗ καὶ ἐνήργησε τὰς θεοσημείας, ἀνάθεμα ἔστω.

[1] Lib. 7. de Trin. c. 4. § 8.

[2] Cap. 17. § 10.

hoc Cyrillus confirmet. Verum ut hanc de eo suspicionem injiceret, in causa fuit hæresis, quam penitus combiberat; hominem in Christo ab divinitate plane disjunctum esse, nec ullo vero ac substantivo cum ea vinculo colligandum: quem quidem hominem merum appellari censebat Jesum Christum. At Cyrillus eamdem Dei et hominis personam eo significari vocabulo credebat, cujus gratia proprium illi, qua Deus est, aiebat esse, non autem alienum Spiritum sanctum Nestorius vero hominis nudi proprium, adeoque similiter atque hunc, hominem, eique consubstantialem poni ab Cyrillo sumebat in fœneo suo anathematismo.

ANATHEMATISMUS DECIMUS

NESTORII.	CYRILLI.
Si quis illum in principio Verbum pontificem et apostolum confessionis nostræ factum esse, seque ipsum obtulisse pro nobis dicat, et non Emmanuelis esse apostolum dixerit; oblationemque secundum eamdem rationem ei tribuat, qui univit si quis unitus ad unam communitatem Filii; hoc est Deo quæ Dei, et homini quæ sunt hominis; anathema sit.	(1) Pontificem et apostolum confessionis nostræ factum esse Christum, divina Scriptura commemorat. Obtulit enim semetipsum pro nobis Deo Patri in odorem suavitatis. Si quis ergo pontificem, et apostolum nostrum alium dixerit esse factum, præterquam ipsum Deum Dei verbum, quando factum est caro, et secundum nos homo: sed quasi alterum præter ipsum specialiter hominem, ex muliere: et si quis dicit, quia pro se obtulit seipsum oblatione, et non magis pro nobis solis; non enim indiguit oblatione, qui peccatum nescivit; anathema sit.

Pontificem, et apostolum confessionis nostræ Jesum Christum nominat Paulus in epistola ad Hebræos [1], hoc est fidei nostræ ac religionis et antistitem, et præconem. Hanc dignitatem Nestorius soli homini assumpto tribuebat; non Deo Verbo. Cui Cyrillus opponit hunc anathematismum, qui propter summam in eadem persona conjunctionem et unitatem utriusque naturæ, Verbo idipsum assignandum esse decernit; quod ut homo factum est, ita quæ homini conveniunt ea sibi propria fecit, in seque transtulit. Non enim alter est Deus Verbum; alter homo; sed unus et idem utrumque. Huic repugnat anathematismus Nestorii, solum Emmanuelem asserens esse apostolum, et pontificem, et unientem ab unito, Deum ab homine penitus abjungens; ut separatim quæ sunt cuique propria singuli habeant. Manifestius autem alibi idem hæreticus insanit, cujus verba in Ephesina synodo recitata sunt [2]; in quibus Christum ait ad pontificiam illam dignitatem paulatim esse provectum, ac preces et oblationes obtulisse pro semetipso.

Orientalium et Cyrilli conflictio.

Absurdum illi esse contendunt Deum Verbum pontificem facere, idque indignum tanta majestate, quæ nec tentari potest, nec a Deo vocari sicut Aaron, neque cetera pati aut agere, quæ Pontifici summo Testamenti novi Apostolus attribuit [3]. Itaque carni assumptæ potius convenire censent illa pontificis, et apostoli partes. Addunt tamen, non se propterea duos in uno Christo filios agnoscere, sed eamdem naturis ambabus filietatem competere. Sed neque conjunctum Deo hominem pro seipso carnem suam obtulisse Patri, sed pro nobis duntaxat.

Contra quos capitulum suum propugnans Cyrillus, demonstrat Verbum ipsum carnem factum, summum ex consequenti factum esse sacerdotem; et qui istud negant, veram illius incarnationem inficiari: cum perinde consentaneum sit Deum Verbum, eo ipso quod cum homine illo, quem summum et Sacerdotem et Apostolum fuisse putant, unus est factus, sacerdotem quoque esse factum et apostolum; ac verum illis et consequens videtur, eumdem Deum carnem esse factum, et cetera, quæ carni, hoc est assumptæ hominis naturæ insita sunt et propria: velut mortalem, mortuum, crucifixum, et id genus alia. Præsertim cum iidem duos filios esse negent, ex quo facile est colligere, non divisim singulis, sed conjunctim naturis ambabus accommodari debere, quæ cujusque propria censentur.

Cyrilli et Theodoreti pugna.

Theodoretus iisdem quibus Orientales argumentis contra anathematismum obluctatur. Quæ enim de summo sacerdote dicta leguntur ab Apostolo, ea negat in Verbum cadere, cum humana, et imbecilla sint: ideo in assumptum ab illo hominem convenire potius, qui cum Deo conjunctus est. In quo plusculum videtur

(1) CYR. Ἀρχιερέα καὶ Ἀπόστολον τῆς ὁμολογίας ἡμῶν γεγένῆσθαι Χριστὸν ἡ θεία λέγει γραφή. Προσκεκομικέναι δὲ ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν εἰς ὀσμὴν εὐωδίας τῷ Θεῷ, καὶ Πατρί. Εἴ τις τοίνυν ἀρχιερέα, καὶ Ἀπόστολον ἡμῶν γεγενῆσθαί φησιν οὐκ αὐτὸν τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγον, ὅτε γέγονε σάρξ, καὶ καθ' ἡμᾶς ἄνθρωπος, ἀλλ' ὡς ἕτερον παρ' αὐτὸν ἰδικῶς ἄνθρωπον ἐκ γυναικός· ἢ εἴ τις λέγει ὑπὲρ ἑαυτοῦ προσενεγκεῖν αὐτὸν τὴν προσφορὰν, καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον ὑπερ μόνων ἡμῶν· οὐ γὰρ ἂν ἐδεήθη προσφορᾶς, ὁ μὴ εἰδὼς ἁμαρτίαν· ἀνάθεμα ἔστω.

[1] Heb. 3. 1.

[2] Act. 1. p. 277. E. — [3] Heb. 5.

indulgere Nestorio Theodoretus : nec satis attendere ad illam proprietatum et affectionum mutuam communicationem utriusque naturæ. Profecto enim idem ille, qui *in forma Dei* , hoc est Deus erat, humiliavit semetipsum, et formam servi suscepit, et homo factus est; ac consequenter obediens, et in crucem actus. Quæ quidem, ut et alia pleraque, quamlibet abjecta et indigna divina majestate, tum fuisse, tum sustinuisse non solum humana natura , sive assumptus homo; sed ipse quoque Deus Verbum ex usu sacrarum litterarum, ac sanctorum Patrum dicitur. Certe Deum genuisse, peperisseque beatam Virginem Catholici omnes fatentur, et θεοτόκον idcirco nominant , ex quo conceptus in utero Deus, et genitus, ac partu editus eodem jure prædicatur. Qui minus ergo fas erit, illum eumdem Deum asserere Patri suo preces, et sacrificium obtulisse pro humani salute generis, hoc est crucis supplicium ac mortem ? Nec enim adeo quisquam desipit, ut hæc passum esse Deum affirmet, neget tamen obtulisse Deum, vel cetera, quæ sunt novæ legis pontifici propria, gessisse. Atqui Theodoretus ipse sanctissimam Mariam θεοτόκον esse ad anathematismum primum dicenti Cyrillo est assensus. Et idem postea [1] positis simultatibus, ac meliori mente suscepta, idipsum plenius professus est, et Nestorii blasphemiam execratus; qui in concione ausus erat dicere, « Mariam non peperisse Deum, sed hominem divinitatis instrumentum. » Item , « Culpa vacare gentilem, qui diis matrem attribuit. » Sunt autem quæ contra Cyrillum ad hunc anathematismum disputat Theodoretus, Nestorianorum istorum non multum dissimilia. Sed ea, uti diximus, emendavit postea, et Cyrilli etiam adversus hæreticos testimonio usus est, illo præsertim, quo in Scholiis docuit, « Unum esse tam ante Incarnationem Deum verum, quam qui in humanitate mansit quod erat, et est, et erit : neque dividendum unum Dominum Jesum Christum in hominem seorsim, et in Deum seorsim; sed unum eumdemque esse Jesum Christum : ita tamen ut naturarum differentiam non ignoremus, easque neutiquam inter se confusas retineamus. » Quem locum supra capite nono græce descriptum, hic latine saltem necessario reddidimus; ut appareat Theodoretum, Orientalesque reliquos perperam ad anathematismum istum decimum Cyrillum redarguere : atque hunc jure commotiorem in illa refellenda Theodoreti falsa criminatione, longiorem explicasse disputationem, cujus summa hic a nobis est expressa. De Christi porro sacerdotio, ac reliquis, quæ ad hunc locum, et hanc anathematismi controversiam spectant, uberius suo loco prosequemur.

ANATHEMATISMUS UNDECIMUS

NESTORII.

Si qu unitam carnem ex naturæ propriæ possibilitate vivificatricem esse dixerit, ipso Domino, et Deo pronuntiante [2], *Spiritus est qui vivificat; caro nihil prodest;* anathema sit. Spiritus est Deus, ac non pronuntiatum est. Si quis ergo Deum Verbum carnaliter secundum substantiam carnem factum esse dicat : hoc autem modo et specialiter custodit, et maxime in Domino Christo post resurrectionem suam discipulis suis dicente [3] : *Palpate, et videte, quia spiritus ossa, et carnem non habet, sicut me videtis habere ;* anathema sit.

CYRILLI.

(1) Si quis non confitetur carnem Domini vivificatricem esse , tanquam propriam ipsius Dei Verbi; sed quasi alterius cujuspiam præter ipsum , conjuncti quidem secundum dignitatem, aut secundum quod solam divinam inhabitationem habuerit : et non potius, ut diximus vivificatricem esse , quia facta est propria Verbi Dei, cui omnia vivificare possibile est; anathema sit.

Ex vera, et οὐσιώδει conjunctione naturæ hominis cum Deo fit, ut caro, hoc est assumpta ipsa natura, propria sit Dei Verbi, et una cum eo persona , non autem alienum quiddam , et separatum : quemadmodum domus ab eo, qui habitat, res est omnino divisa ; neque quod incolenti convenit, id domui tribuitur. Quamobrem cum Verbum ipsum sit ζωοποιὸν, id est *vivificum*, habet hoc etiam caro Christi, quia caro Dei est, ut sit *vivifica*. Quod ex incruento, et vivifico sacrificio corporis, et sanguinis Dominici probat in expositione anathematismi Cyrillus. Non enim communis caro, et alia, quam divina, hac efficientia prædita est. Negabat istud Nestorius, et eodem argumento utebatur, ac Scripturæ testimonio, quo hæretici hodierni, *Caro non prodest quidquam.* Sed alius istius est loci sensus, de quo hic disputare non est necesse. Hoc interim animadvertere oportet, quem auctorem habeant impietatis suæ Sacramentarii, et quonam ex fonte sacrilegi erroris ac detestandi illorum argumentatio

(1) CYRILL. Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ τὴν τοῦ Κυρίου σάρκα ζωοποιὸν εἶναι, καὶ ἰδίαν αὐτοῦ τοῦ ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγου, ἀλλ' ὡς ἑτέρου τινὸς παρ' αὐτὸν, συνημμένου μὲν αὐτῷ κατὰ τὴν ἀξίαν, ἤγουν ὡς μόνην ἐνοίκησιν ἐσχηκότος, καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον ζωοποιὸν, ὅτι γέγονεν ἰδία τοῦ Λόγου τοῦ τὰ πάντα ζωοποιεῖν ἰσχύοντος, ἀνάθεμα ἔστω.

[1] Lib. 4. contra hær. c. 12. to. 4. pag. 246. Vide et epist. ad Sporac. pag. 699.

[2] Joan. 6. 63. — [3] Luc. 24.

derivata sit. Nempe ex eo, quod carnem Christi non esse Dei carnem, neque cum Verbo substantivo cohærentem nexu, et unam cum ipso personam esse non putaret Nestorius : idcirco vim illi impertiendæ vitæ, ac sanctitatis ademit : *quod imitantur qui sunt ex ejus parte*. Ceterum idem Nestorius in anathematismo suo, sophistica fraude Cyrilli sententiam pervertit, sic in eum agens, tanquam carnem, ex naturæ suæ vi et proprietate, ejusmodi vim ac dotem obtinere crederet. Quæ calumnia consequens est ex Apollinaris dogmate, cujus illum onerabat infamia. Hic enim divinitatis substantiam in carnem demutatam esse aliquando docuit. Sed ab hac suspicione Cyrillus accurate seipsum purgavit, et nos adversus anonymum eumdem supra defendimus. Est autem anathematismus Nestorii mendosus, et mutilus.

Orientalium contra Cyrillum disputatio.

Meras adversus Cyrillum calumnias Orientales objiciunt, et hoc unum insectantur, quod carnem Dei Verbi propriam esse, nec alterius cujuspiam, adeo enixe, assidueque doceat, tanquam id sit obscurum, et dubium : quod in ceteris omnibus evenit. Nam caro cujuslibet hominis, velut Pauli, propria est ejus, nec alterius est. Itaque suspectam hanc faciunt tam diligentem, ac tam enucleatam inculcationem locutionis illius, *propria caro, et non alterius*; et maligne sic interpretantur, ut hoc ipso tacite significarit, carnem illam non esse similem nostræ, hoc est ejusdem cum ea naturæ ; sed aliunde delibatam, utputa ex transformatione divinæ substantiæ. Verum perspicue nugantur, et cavillantur isti sophistæ. Nam vox ἑτέρου non excludit aliam carnis substantiam, a qua sumpta, et propagata sit Dominica illa caro : cujusmodi materna fuit. Sed alteram negat esse personam a Deo Verbo illam ipsam carnis substantiam, quam Deus assumpsit, ut reipsa sentiebat Nestorius. Ita pessima fide Cyrilli mentem contentiosi isti disputatores depravare, ac detorquere student : et Apollinaris illi σύγχυσιν, ac divinæ naturæ corruptelam impingere.

Quos quidem strenue propulsat Cyrillus, et hoc ipsum, quod dixi, adversus eos præscribit, se unum illud in animo habuisse, Christi corpus, sive assumptam a Verbo naturam hominis, illius esse propriam : nec ab eo separatam ac disjunctam ; ita ut hominem unum per se subsistentem, et qui ἕτερος, id est *alter* a Verbo censeri possit, efficiat. Sicut propria cujusque hominis est caro, nec alterius quam ipsius, hoc est non alteram facit ab eo, vel ab ejus anima personam ; tametsi ab altero decerpta sit, ac generatione producta. Nestorium porro sic existimasse, ut carnem Christi non esse Verbi propriam diceret; adeoque necessarium fuisse adversus illius hæresim anathematismum istum, ex ejusdem verbis approbat Cyrillus, quibus in concione quadam usus est; cum propositis illis Domini verbis [1], *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem*, observari sedulo jussit, non dixisse Christum : Qui manducat, aut bibit divinitatem meam. Qua cautione illud assequi voluit, ut ad Verbum ipsum, id est personam ejus nihil pertinere caro illa putaretur, sed aliena esse penitus, ac divisa.

Theodoreti, et Cyrilli certamen.

Nusquam minori cum ratione, majore autem impotentia contra Cyrillum Theodoretus invectus est. Quem levissimis argumentis convincere vult hæresis Apollinaristarum; quod nec animæ, vel animatæ carnis mentionem faciat, sed carnis unius, quasi huic instar animæ divinitas attributa sit; quæ fuit Apollinaristarum opinio. Deinde quod ἰδίαν, id est *propriam* divini Verbi, et non alterius, carnem illam esse dicit, ex eo suspectum facit τῆς κράσεως, hoc est *confusionis*, et *permistionis* naturarum duarum. De vivifica tamen carne Cyrillo consentit, et ita propriam esse Verbi fatetur, ut hoc in illam minime conversum fuerit.

Verum justissima est de tam aperta Theodoreti calumnia Cyrilli conquestio. Qui hoc illi vicissim objicit; eodem modo tum Joannem evangelistam, tum Christum ipsum, appellari posse nefandæ illius hæresis auctores : quorum ille scripsit *Verbum carnem esse factum*; hic [2], *Qui manducat*, inquit, *meam carnem, et bibit meum sanguinem*, etc. Sane nullum fere scriptum extat Cyrilli contra Nestorium, epistola nulla dogmatica, vel alia quæpiam lucubratio, in qua nominatim istud, ac diserte non caverit, quoties Verbum carni copulatum, aut hanc ab illo assumptam ait, nonnisi anima rationali præditam, hoc est hominem perfectum, intelligi velle. Quamobrem irati potius, et Joanni Antiocheno plus æquo gratificantis Theodoreti, quam ratione ac judicio suo utentis, est tota hæc anathematismi illius impugnatio.

[1] Joan. 6.

[2] Joan. 1.

ANATHEMATISMUS DUODECIMUS

CYRILLI.	NESTORII.
(1) Si quis non confitetur, Deum Verbum carne passum esse, et carne crucifixum, et mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis, secundum quod est et vita, et vivificator ut Deus; anathema sit.	Si quis confitens passiones carnis, eas quoque tanquam Verbo Dei tribuit, quas etiam carni, in qua factus est, adhibuerit, non discernens dignitatem naturarum; anathema sit.

Non est obscura ratio anathematismi istius. Nestorius ita carnem, id est, hominem assumptum, ab assumente Verbo dirimebat, ut quæ propria cujusque erant, communicari non pateretur : ut, exempli causa, quod ex matre Virgine natus est, quod infans primo, tum per ætatis incrementa provectus, quod passus, et sepultus est; hæc, inquam, et similia, aliena esse ab Verbo, ejusque persona docebat, ut ex illius dictis, quæ in primo libro, et aliis passim retulimus, apparet. Idcirco Cyrillus Verbum quidem per se, et ex propriæ substantiæ conditione expers omnis perpessionis, ac temporariæ affectionis esse pronuntiat. Sed quoniam sic humanam naturam assumpsit, conjunxitque secum, ut unus cum illa et idem fieret, eamque propriam haberet, et suam; propterea quidquid ei accidit, id sibimetipsi imputat, et passus atque expertus Deus ipse dicitur : quod quidem latius in superioribus libris exposuimus; præsertim in quarto, capite 14. ubi de communicatione proprietatum egimus. Retineatur illa Cyrilli in expositione anathematismi sententia, quæ ad omnes Nestorii, et hujus fautorum obstruendas ac diluendas calumnias, et obtrectationes valet. « (2) Non enim, *inquit*, communis erat homo; neque seorsim, et per se intelligitur a Dei Patris Verbo disjunctus ille, qui venerandam pro nobis crucem sustinuit, mortemque degustavit. Sed ipsemet Dominus gloriæ carne passus est, secundum Scripturas. »

Nestorii huic oppositus anathematismus eamdem tacite notam inurit Cyrillo Apollinaristarum hæresis; cum id tanquam ab illo sancitum execratur.

Orientalium expostulatio cum Cyrillo, et hujus responsio.

Eadem fide Cyrilli mentem, qua Nestorius, interpretantur Orientales. Nam passibilem ab illo divinam substantiam constitutam esse clamitant : in eoque sibi contradicere, qui alibi divinitatem scripserat permisisse carni, ut paulum passionem ac mortem experiretur, modo autem Deum carne passum esse dicit. Quod ipsum maligne in eum sensum deflectunt, ut idem valeat, ac si diceret, *cum carne esse passum*. Ex quo delapsi sunt ad hoc fusius approbandum, neque naturaliter, neque præter naturam Deum pati quippiam potuisse.

Sed istos frustra in eo demonstrando laborare, quod nemo in dubium vocat, ostendit Cyrillus, et eorum inurbanam, ac malevolam calumniam arguit. Tum validissimis argumentis e sacris litteris, ac veterum Patrum sententiis probat, Deum Verbum ea pati, ac gessisse dici, quæ illius caro, et humana passa est, gessitque natura. De quo in libro quarto copiose disseruimus [1].

Theodoreti et Cyrilli contentio.

Non secus in Cyrillum Theodoretus, atque Orientales, commovetur : quod τὰ πάθη Verbo ipsi tribuat, cum sint ea τοῦ παθητοῦ propria, hoc est carnis, quæ sola patitur, quia sola patibilis est. Quod Isaiæ testimonio confirmat, qui de Christo loquens [2], eum appellat, *virum dolorum, et scientem infirmitatem;* et ipse Christus de se Joannis octavo, *Quid me quæritis interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum?* Occiditur autem non vita ipsa, sed qui mortalis est conditionis. Verum nullo negotio crimen istud propulsat Cyrillus, asserens Deum quidem in natura sua, per seque, extra patiendi affectum esse : in assumpta tamen natura, propriaque facta, pati voluisse; quod in alia non poterat. Quod ut perfacile est, et in superioribus liquido ac sæpius expositum; ita breviorem a nobis hoc loco disputandi moram requirit.

Quare hoc unum adversus omnes adversariorum impetus, et assultus in promptu Cyrillus habet; unum, et eumdem esse, qui homo sit ac Deus, et utriusque proprias affectiones in sese recipiat : qui mortuus passusque dicatur, et idem mortis et passionis nihilominus sit expers. Quanquam utriusque naturæ interim observanda differentia est, ut quid cujusque proprium sit prudenter intelligatur. Siquidem

(1) CYRILL. Εἴ τις οὐχ ὁμολογεῖ τὸν τοῦ Θεοῦ Λόγον παθόντα σαρκὶ, καὶ θανάτου γευσάμενον σαρκὶ, γεγονότα τε πρωτότοκον ἐκ νεκρῶν, καθὸ ζωή ἐστι, καὶ ζωοποιὸς, ἀνάθεμα ἔστω.

(2) CYRIL. Οὐ γὰρ ἄνθρωπος ἦ κοινὸς, ἰδίᾳ τε, καὶ ἀνὰ μέρος νοούμενος παρὰ τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγον ὁ δι' ἡμᾶς τὸν τίμιον ὑπομείνας σταυρὸν, καὶ θανάτου γευσάμενος· ἀλλ' αὐτὸς ὁ τῆς δόξης Κύριος σαρκὶ πέπονθε κατὰ τὰς γραφάς.

[1] Cap. 14. et 15.

[2] Isa. 53. 3.

ut unus omnia contraria inter se, vel dissimilia perpessus fuerit, non tamen ejusdem naturæ ratione. Cujus rei significandæ gratia, Scriptura plerumque quid in qua sorte ac natura sit expertus, consuevit exprimere. Ut initio epistolæ ab Romanos Apostolus ait filium Dei *factum esse ex semine David secundum carnem, et prædestinatum esse filium Dei in virtute*. Quod ad divinitatem posterius esse referendum alibi diximus. Hanc suam cum catholica professione consentientem adamussim, exactamque sententiam in defensione anathematismi illius postremi Cyrillus approbat antiquorum quorumdam Patrum auctoritate, Athanasii, Basilii, et Gregorii Nysseni, quos Orientalium criminationi objicit.

Hactenus itaque de Cyrilli anathematismis dictum sit. Qua ex oratione puto satis intellectum esse nihil in iis non sincerum, et catholicæ regulæ consentaneum ab illo fuisse proditum : nec obtrectatores ejus, et adversarios aliter, quam cavillando, et inepte calumniando, partes adversus illos suas egisse. Qua ratione nihil tam pie ac religiose, prudenterque dictum, scriptumve extat, quod non ab improbis, et contentiosis infuscari, et in crimen adduci possit : præsertim iis declarandis in rebus, quæ quo sunt abstrusæ magis, atque ab usu hominum, et captu remotæ, eo minus consuetis, et communibus verbis ac sententiis explicantur.

LIBER SEPTIMUS.

IN QUO DE EO GENERE DIGNITATIS, ET ORNAMENTI AGITUR, QUOD ABSOLUTUM ET οὐσιῶδες, ID EST *SUBSTANTIVUM*, IN HUMANAM CHRISTI NATURAM FLUXIT EX DIVINÆ CONJUNCTIONE.

CAPUT PRIMUM.

1. Libri hujus argumentum, et disputationis series. Hæretici qui Christum adoptivum Dei filium dixerunt. — 2. Filiorum discrimen : alii natura, alii adoptione ; hi θέσει dicti : cujus vocis explicata ratio. — 4. Quid requirat adoptio : et status controversiæ. — 5. Probatur ex Scripturis, unum esse Dei filium verum, ac proprium in duabus naturis : unde adoptivi suspicio discutitur. — 8. Idem ex symbolis, et synodalibus decretis ostenditur.

I. Ex illa librorum, argumentique partitione, quam in præfatione tomi hujus instituimus ; ad ea tandem delapsi sumus humanæ decora, et ornamenta naturæ, quæ in ipsam ex potioris, ac divinæ consortio redundarunt. Quorum illa primo loco tractanda sunt, quæ iis de causis, quas illic exposuimus, et absoluta, et substantiva nominantur : nimirum, ut hic paucis repetam, quæ sunt hujusmodi, ut neque σχετικῶς dicantur, aut actionem respiciant ; et in ipsa substantia potius, quam in facultate, et potentia ejus aliqua spectentur. Quo in genere prima se nobis offert dignitas *Filii Dei*, ad quam eodem ipso, quo cœpit esse, momento hominis est in Christo natura provecta. Cum autem filiorum alii sint naturales, proprieque dicti, alii adoptivi [1] ; illud in quæstionem venit, an sit homo Christus verus ac naturalis Dei filius, ut in utraque natura uniusmodi sit ratio filii. Nam de Verbo ipso, quin ut Deus, ita Dei filius naturaliter, proprieque censeatur, nulla inter Catholicos ipsos est, quæ fuit horum cum Arianis olim summa, et diuturna contentio. Sed de *homine*, ut dixi, *Dominico* (sic enim ab nonnullis veterum appellatur, recte an secus postmodum viderimus) tota est hujus loci controversia : utrum natura, an adoptione sit filius : ut sit idem Christus naturalis Dei filius, qua Deus est, a Deo Patre, deque ejus substantia genitus : et adoptivus, quatenus idem non de Dei, sed de matris substantia in veri hominis naturam, appellationemque prodiit, unde et se hominem sæpius, et hominis filium nuncupare solitum illum accepimus.

[1] Lib. 1. Inst. Tit. 11. de Ad.

Qua in quæstione, digna sane in quam operæ a nobis aliquid insumatur, duplex in vera propugnanda sententia, cum totidem adversariis, certamen erit capiendum : quorum alii pro hæreticis judicati sunt : alii ceteroqui Catholici, et in scholis theologorum veteri et illustri hodieque memoria celebrantur.

Inter hæreticos, omissis antiquioribus illis, qui Christum nudum esse hominem finxerunt ; ut Paulus Samosatenus, Photinus, Nestorius ; aut qui Deum voce tenus, et aliunde, quam ex substantia Dei Patris editum arbitrati sunt : ut Ariani, et si qui alii, de quibus omnibus tum in primo libro, tum in sequentibus passim egimus : reliqui sunt Hispani aliquot præsules, qui hoc uno capite erroris insigniti, Romanorum Pontificum sententias, ac synodalia contra se decreta concitarunt. Horum principes fuere, Felix Orgellitanus episcopus, et Elipandus Toletanus : qui Christum, qua homo est, non proprium, sed adoptivum esse Dei filium arbitrati sunt : quæ Feliciana hæresis appellata est : ejusque nos historiam in primo libro digessimus capite 22. Ac videtur Gilbertus Porretanus Pictaviensis episcopus eamdem de Christo secundum hominem adoptivo filio secutus opinionem, ut ex Gaufredi Claravallensis monachi epistola colligitur, quam de Gilberti causa scripsit ad cardinalem Albanensem : uti pluribus agam in libro 15. cum de adoratione Christi disputabitur. Nunc de sententia ipsa, et adversus ipsam ordine ac via disputabimus : qua opera perfuncti, pauca de catholicis Scholæ doctoribus, eorumque sententia dicemus.

II. Atque ut propositæ controversiæ ratio

plenius constet, de filii vocabulo, et notione pauca sunt prius explicanda. Filiorum, ut jurisconsulti tradunt [1], alii sunt *naturales*, alii *adscititii*, sive *adoptivi*; priores sunt, qui a parentibus sati, et propagati sunt; posteriores, qui ab alio geniti, ab alio electi, et adsciti, (hoc enim *optandi* vox significat,) propriorum instar habentur. Græci prioris generis filios, φύσει υἱοὺς nominant; posterioris, θέσει, et χάριτι. Interdum pro φύσει, ἀληθείᾳ, id est *veritate*, et revera filium appellant. Sed vox θέσις imprimis est notanda, ejus enim multiplex est usus, ac nonnunquam pro re ficta, nec extante revera sumitur. Sic Athanasius in epistola ad Epictetum, cum dixisset Christi corpus cum Verbo arctissime conjunctum fuisse, et hoc in semetipso habuisse; adeo ut quæcumque patiebatur humana natura, ea in se Verbum ipsum reciperet; mox addit: « (1) Neque vero fictione ista fiebant, absit, ut quidam opinati sunt: sed vere, ac reipsa Salvatore homine facto, totius procurata est hominis salus. Nam si θέσει inerat Verbum in corpore, ut illis placet; quod autem θέσει dicitur, idem est, ac quod sola extat imaginatione; eo res adducitur, ut et salus, et resurrectio, quæ dicitur, hominum, sola esse opinione dicatur: quæ fuit impiissimi Manichæi sententia. » Hic θέσει dicitur esse, quod non est vere, sed sola hominum opinione, et imaginatione, cui opponitur ἀλήθεια: qua etiam significatione censetur φύσις, et ὑπόστασις, ut supra meminimus. Sumuntur enim ambo hæc posteriora nomina pro eo, quod in re est, quodque veram, ac solidam habet extantiam. Ita sub ejusdem initium epistolæ vehementer hæreticos illos exagitat, qui asserebant « (2) Dominum θέσει, et non φύσει, gestasse corpus. » Sunt autem isti Apollinaristæ. Contra quos in libro de Incarnatione Christi disputans, (3) ostendit ipsum non ficte, ac simulate hominis naturam habuisse; ut cum dixit [2]: *Nunc anima mea turbata est, et tristis est.* « (4) Non enim id quod non erat, tanquam præsens esset, monstrabat: quasi specie tenus quæ fiebant asseveraret. Quippe natura et ex rei veritate cuncta fiebant. Quocirca cum natura, et non positione, Dominus homo sit factus, etc. » Nos θέσει latine interpretati sumus *positione*, Gaudentium Brixianum secuti; qui in tractatu secundo ei, qui *natura* Deus est, opponit illum ex adverso, qui *positione* Deus est. « Nam et homo, *inquit* [3], ad imaginem Dei factus est, nec tamen idcirco Deus est. Tametsi ea ratione, qua imago Dei dicitur, dicatur et Deus: quomodo natura unus est Deus, positione plures. » Eustathius episcopus Antiochenus contra Arianos disputans, ac Filium docens esse naturalem Patris imaginem, duplex genus imaginum explicat: et « (5) alias esse » dicit « positione, quæ manu formantur; alias natura, et similitudine expressas. »

III. Ammonius eruditus et elegans Aristotelis interpres in commentario ad librum Categoriarum, capite de Relatis, quæstionem illam pertractans, utrum *relationes* sint aliquid revera extans; refert quosdam existimare, nihil illas esse natura, sed figmentum potius intelligentiæ nostræ: « (6) Ita non natura constare quod ad aliud dicitur; sed positione: » quemadmodum id quod dextrum modo est, subinde fit sinistrum, et filius fit etiam pater, « (7) et servus positione servus est. Nemo enim natura servus est. » In hoc Ammonii loco observandum est θέσεως nomen usurpari de eo, quod hominum voluntate, et operatione, non natura fit, et in rebus inesse suo modo dicitur. Ita servus aliquis non natura, sed jure gentium, hoc est humana æstimatione, ac voluntate fieri dicitur. Quod autem in exemplum affert id quod dextrum, et sinistrum vocatur: id aliam nobis τοῦ θέσει notionem, et originem indicat. Nam eadem res non natura, sed *positione*, id est *situ*, nunc dextra est, nunc sinistra. Quam rationem explicat Aristoteles in quarto

(1) ATHAN. tom. 1. pag. 457. C. Οὐ θέσει δὲ ταῦτα ἐγίνετο· μὴ γένοιτο· ὥς τινες πάλιν ὑπέλαβον· ἀλλ' ὄντως ἀληθείᾳ ἀνθρώπου γενομένου τοῦ Σωτῆρος, ὅλου τοῦ ἀνθρώπου σωτηρία ἐγένετο· εἰ γὰρ θέσει ἦν ἐν τῷ σώματι ὁ Λόγος κατ' ἐκείνους· τὸ δὲ θέσει λεγόμενον φαντασία ἐστιν· εὑρίσκεται δοκήσει καὶ ἡ σωτηρία, καὶ ἡ ἀνάστασις τῶν ἀνθρώπων λεγομένη κατὰ τὸν ἀσεβέστατον Μανιχαῖον.

(2) ATH. 16. pag. 454. Ὅτι θέσει, καὶ οὐ φύσει σῶμα πεφόρηκεν ὁ Κύριος.

(3) Idem pag. 490. D. Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ ὁ Κύριος ἔλεγε· νῦν ἡ ψυχή μου τετάρακται, καὶ κατώδυνός ἐστι.

(4) ATHAN. ibid. Οὐ γὰρ τὸ μὴ ὄν, ὡς παρὸν ὠνόμαζεν, ὡς δοκήσει λεγομένων τῶν γινομένων. Φύσει γὰρ, καὶ ἀληθείᾳ τὰ πάντα ἐγένετο. Φύσει οὖν, καὶ οὐ θέσει τοῦ Κυρίου ἀνθρώπου γενόμενου, etc.

(5) THEODORET. dial. 2. pag. 90. C. Καὶ τὰς μὲν εἶναι θέσει χειροτεύκτους· τὰς δὲ φύσει, καὶ ὁμοιότητι γεγεννημένας.

(6) AMMON. Περὶ τῆς ὑποστάσεως αὐτῶν ταῦτά φαμεν· τινὲς δέ φασι μηδὲν εἶναι τῶν πρός τι φύσει. Ἀλλὰ ἀνάπλασμα εἶναι ταῦτα τῆς ἡμετέρας διανοίας, λέγοντες ὅτι οὕτως οὐκ ἔστι φύσει τὰ πρός τι, ἀλλὰ θέσει.

(7) Ibid. Καὶ ὁ δοῦλος, θέσει δοῦλος. Οὐδεὶς γάρ ἐστι φύσει δοῦλος.

[1] Lib. 1. Inst. Tit. 11. — [2] Joan. 12 27. et Mat. 26. 38.

[3] Tom. 2. Bibl. PP. col. 14.

Physicorum [1]; ubi de loci differentiis agit, et ait quædam sinistra, dextrave, item supra, et infra sola positione, non natura censeri: alia vero etiam natura. Sed ibi θέσις non fictionem mentis; verum situm, ut dixi, ac loci positum significat. At in prioribus locis, θέσις illud exprimit quod ex hominum instituto, ac voluntate pendet; qualia sunt ea, quæ *moralia*, vel *moraliter* esse dicuntur.

Hinc θέσις *adoptionem* significat, et θετὸς est *adoptivus*, ut est in glossario veteri. Et Cyrilli, atque Hesychii vocabularia θετὸν interpretantur (1) *adoptivum*, vel *adscititium*, *minimeque legitimum*, id est *naturalem filium*. Sic Epiphanius in Ancorato, (2) *naturali* filio θετόν opponit, et (3) filium θέσει, ei filio, qui est ἀληθείᾳ. Athanasius oratione tertia contra Arianos [2] υἱὸν φύσει componit cum υἱῷ, qui est θέσει, καὶ κατὰ χάριν, hoc est *positione*, *sive adoptione*, *et gratia*. Et alibi, « (4) Deum *ait* esse Christi patrem, natura: nostrum vero gratia. » Cyrillus item in dialogo de Incarnatione, nos homines ait « (5) in Christo, et propter Christum filios esse Dei tam naturaliter, quam gratia; naturaliter quidem tanquam in ipso et solo: participatione autem, et gratia nos per ipsum in Spiritu sancto. » Nam quia Dei natura filius naturam in se nostram recepit, ac nos ipsos quodammodo una cum illa sibi copulavit, idcirco Dei naturales filii, sed in Christo, dicimur: proprie vero gratia, et adoptione: ut idem Cyrillus affirmat in dialogo de uno Christo [3].

Sic Justinianus imperator in Confessione fidei contra tria capitula [4], Christum esse natura Dei filium, nos vero gratia dicit. Et Hadrianus papa [5] *gratiam adoptionis* opponit *propriæ filii dignitati*.

Bene autem hæc adoptio θέσις a Græcis nominatur, tanquam *positio*, quia non natura, et hujus quasi necessitate constat, sed voluntate, et libera electione assumentis, et hujusmodi propinquitatem sibi constituentis et imponentis. Quo illa inter Peripateticos, et Stoicos controversia pertinet, de qua Origenes libro primo contra Celsum meminit; « (6) utrum, quod Aristoteles putat, nomina positione conveniant; an, ut Stoicis placet, natura; quatenus scilicet primæ voces res ipsas imitantur, quibus indita sunt nomina. »

IV. Quocirca illud primum in adoptione requiritur, ut voluntate libera fiat; quæ necessitati est opposita. Hinc Jacobus apostolus de divina loquens adoptione [6]: *Voluntarie*, inquit, *genuit nos verbo veritatis*; ubi causa velut efficiens adoptionis, et υἱότητος illius exprimitur: quod est Verbum Dei, sive *Verbum vitæ*, quo *sanctificatam, et mundatam esse Ecclesiam* ait Paulus apostolus [7], ut et *lavacro aquæ*. Nimirum per fidem et charitatem spiritualis illa fit adoptio, sive communicationem Spiritus sancti, velut formam quamdam, qua Deo similes efficimur, id est spiritales, et justi, atque sancti. « In interiore enim homine, ait Francofordiensis synodus [8], ista similitudo est [9], *qui renovatur in agnitione Dei, secundum imaginem ejus, qui creavit eum:* et tanto efficimur similiores illi, quanto magis in ejus agnitione, et charitate proficimus. »

His ad eum modum constitutis, jam controversiæ status intelligitur; qui in eo situs est, utrum Christus, qua homo est, et sanctitate ac gratia, sive communicatione Spiritus sancti ab eo, quo in matris utero genitus est, momento præditus, ea ratione sit dicendus adoptivus Dei filius; ut dupliciter eo filii titulo sit afficiendus, prout duplici natura constat, et tam naturalis sit, quam gratia, et adoptione filius.

Ac primum secernendos esse constat ab hac nostra disputatione omnes illos hæreticos, qui Christum vere, proprieque esse Deum inficiati sunt; ut Ariani et similes alii, duas utcumque naturas in Christo contituentes. Nam illi naturalem Dei filium neutra parte censebant; cum ex ipsa Patris substantia minime esse productum, hoc est nullo modo esse genitum crederent, quem dicis causa nominabant Deum. Non est autem vere generatio, nisi ex gignentis substantia: neque proprie dictus filius, nisi et genitus, et ex ipsa substantia propagatus.

(1) CYRILL. et HES. Θετὸς, εἰσποιητὸς, οὐ γνήσιος.

(2) EPIPH. ANC. § 6. Φυσικὸς υἱὸς, οὐ θετός.

(3) Ibid. Θέσει θέλοντες εἶναι τὸν υἱὸν, καὶ οὐκ ἀληθείᾳ. Vide et § 3.

(4) ATHAN. lib. de Hum. nat. susc. pag. 468. Πατὴρ γὰρ αὐτοῦ ἐστιν ὁ Θεὸς, ὡς προεῖπον, κατὰ φύσιν, ἡμῶν δὲ κατὰ χάριν.

(5) CYRILL. tom. 15. pag. 700. A. Ἵνα καὶ ἡμεῖς ὦμεν ἐν αὐτῷ τε, καὶ δι' αὐτὸν υἱοὶ Θεοῦ φυσικῶς τε, καὶ κατὰ χάριν· φυσικῶς μὲν, ὡς ἐν αὐτῷ τε καὶ μόνῳ· μεθεκτῶς δὲ, καὶ κατὰ χάριν ἡμεῖς δι' αὐτοῦ ἐν Πνεύματι.

(6) ORIG. 1. con. Cel. pag. 18. Πότερον, ὡς οἴεται Ἀριστοτέλης, θέσει εἰσὶ τὰ ὀνόματα· ἢ, ὡς νομίζουσιν οἱ ἀπὸ τῆς στοᾶς, φύσει, μιμουμένων τῶν πρώτων φωνῶν τὰ πράγματα.

[1] Cap. 1. Text. 5. — [2] Pag. 234. — [3] Tom. 5. p. 738. E. — In 5. Synod. pag. 346. — [5] In Synodo Francof. p. 347. B.

[6] Jacob. 1. 18. — [7] Eph. 5. 26. — [8] Tom. 6. Conc. p. 174. A. 2 — [9] Col. 3. 10.

Quare qui filium Dei negabant ὁμοούσιον, vereque genitum, aut natura similem, prorsus naturalem tollebant filium ; nec nisi adoptivum putabant, communi cum hominibus ceteris, quamlibet sub eodem genere, potiori, et insigniori honestatum titulo.

Sequuntur hæretici illi, qui de Christi divinitate nullam litem moventes, duas in eo non naturas solum, sed hypostases, ac personas etiam agnoverunt : ut Nestorius et ante hunc Diodorus, ac Theodorus Mopsuestenus, de quibus in primo libro egimus [1]. Hos vero perspicuum est totidem induxisse filios, quot in Christo naturas profitebantur ; alterum Dei naturalem ; alterum hominis proprium, sed adoptione, Dei filium. Atque illi quidem ab hac nostra contentione non prorsus alieni sunt. Nam et ipsos omnibus, quæ deinceps in hanc quæstionem conferemus, argumentis oppugnabimus. Verum non illos proprie, ac primario respicimus ; quorum error in filii constituendo discrimine non est æstimandus ex sese ; sed ex principio, unde consequens istud nectitur. Illo enim concesso, ac duabus personis in Christo positis, de altero recusare non possumus, quin alius sit naturalis, alius adoptivus Dei filius.

Cum iis ergo præcipue nobis est suscepta contentio, qui ceteroqui catholicæ regulæ consentientes, sola hominis natura adoptivi, quem invehunt, proprietatem filii metiuntur. Cujusmodi non solum Felix et Elipandus, et alii Hispanienses episcopi fuerunt: sed etiam theologi quidam de Schola, qui partim aperte, partim subobscure illorum opinioni patrocinantur.

V. Contra quos omnes Scripturarum imprimis auctoritatem, tum synodalium decretorum, ac Patrum antiquorum suffragiis more nostro pugnabimus : horum præscripto, ac vestigiis insistentes ; qui hunc hominem Christum Dei esse filium eo ipso testificari sacras litteras asserunt, quod non duos filios, sed unum eumdemque Deum simul et hominem passim prædicant. Ea vero argumentandi ratio plane huic affinis est, qua Christum simpliciter in utraque natura subsistentem, Deum esse adversus Arianos, et Samosatenos, ac Photinianos iidem veteres demonstrarunt, et hodieque Catholici facere perseverant, ac nos suo loco impigre præstitimus. Ut enim ibi, salva naturarum proprietate, ac differentia, totum Christum esse Deum, inde probari putant, quod unus in duabus naturis Deus ex iisdem litteris ostenditur : ita cum unus in ambabus naturis Dei filius indidem demonstratus fuerit ; excludetur alterius, quam veri, proprieque dicti filii Dei, hoc est adoptivi, falsa suspicio.

Ex illis porro litterarum sacrarum testimoniis expressissima sunt ista, quæ in appellando Dei filio non unam tantummodo divinitatem indicant, sed etiam humanam naturam, quam hujus propria aliqua nota designant. Sic Apostolus ad Romanos scribens [2] ; *Qui proprio filio suo non pepercit*, inquit, *sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit ?* Proprium hic appellat filium, qui pro nobis morti traditus est. Num alius est, quam qui mori potuit et pati, qua homo, Christus Jesus ? « Scimus, inquit Hadrianus papa [3], quia non est traditus secundum divinitatem, sed secundum id quod homo verus erat. Illum nimirum, qui traditus est, id est hominem, ipsum Apostolus proprium Dei filium protestatur. » Angelus item Gabriel Virginem alloquens [4] : *Hic erit*, inquit, *magnus, et filius Altissimi vocabitur ;* ac subinde : *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum*, ait, *vocabitur filius Dei.* Nam vocari apud Hebræos idem est atque esse. Ut cum Isaias propheta dicit [5], *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel ;* et alia ejusdemmodi complura. « Non ait, adoptivus vocabitur filius Dei, (inquit Paulinus Aquileiensis in sacrosyllabo libello, qui insertus est concilio Francofordiensi [6],) sed absolute filius Dei, et filius Altissimi. Denique non de sola excellentia majestatis ejus tunc loquebatur Angelus, sed potius de incarnata divinitate ; » quod ex sequentibus affirmat, ubi dicit : *Dabit ei Dominus Deus sedem David patris ejus.* « Secundum carnem videlicet David filius dictus est, non secundum divinitatem. » Vide omnino, quæ de illo Lucæ loco alibi scripsimus [7].

VI. Rursus Joannes Evangelii sui capite primo, perspicue filium unicum esse declarat ; ut Paulus Emesenus ostendit in homilia quadam, quam Alexandriæ coram Cyrillo, eoque probante, dixit. *Verbum*, ait Joannes, *caro factum est, et habitavit in nobis.* Quibus verbis (1) naturas affirmari duas, et unum filium, Paulus observat ; tum illud insuper ; post ista, subjecisse Joannem, *vidimus gloriam ejus, gloriam quasi*

(1) PAULUS Emesen. par. 3. Eph. syn. pag. 592. F. Ὅρα καὶ τὸν Ἰωάννην δύο φύσεις κηρύττοντα, καὶ ἕνα Υἱόν.

[1] C. 10. et 11. — [2] Rom. 8. 32. — [3] Concil. Francof. to. 7. Concil. p. 164. — [4] Luc. 1. 32. — [5] Isa. 7. 14. — [6] Tom. 6. Conc. p. 168. — [7] Tom. 2. lib. 3. de Trin. c. 6.

Unigeniti a Patre. Non scripsit duorum filiorum, vel genitorum, sed unigeniti. Itaque unus est filius Dei in utraque natura.

Sic apud Joannem Christus ipse de se loquitur [1]: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Quem ad locum Albinus Flaccus [2]: « Quis autem datus est, *inquit*, pro mundi salute? Ille utique, qui torcular calcavit solus, et sanguinis effusione rubicunda habuit vestimenta, etc. »

Quinetiam Pater ipse cœlestis semel, iterumque hominem illum, quem coram mortales intuebantur, filium suum esse testatus est [3]; *Hic est filius*, inquit, *meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Nimirum « hæc vox paterna ad hoc in baptismo super filium hominis facta est, ut agnosceretur, et crederetur verus esse filius Dei, homo, qui ex substantia beatæ Virginis creatus est, » ait Albinus [4], qui et antea [5] Bedæ testimonio usus est, qui libro quinto in Cantica canticorum [6], « Ex omni genere humano, *inquit*, unus mediator Dei et hominum, per quem mundus reconciliatus, assumptus est, a Deo solus mortalium de cœlo audire dignus fuit, Hic est filius meus, etc. » Cyrillus item Alexandrinus in libris de recta fide ad Reginas, eodem allato loco, adnotat: « (1) Neque nudum nobis ostendisse proprium Verbum, sed carni copulatum: nec dixisse, In hoc est filius meus; sed, Hic qui cum carne est. » Qui locus memorabilis est. Nam eadem argumentatione probat, non in eo, qui coram apparebat, homine Dei fuisse filium, sed ipsummet, quem cernebant filium extitisse, qua et adversus Lutheranos ostendimus, ex iis verbis, *Hoc est corpus meum*, colligi, non in eo, quod tunc discipulis porrigebat, fuisse verum Christi corpus, sed ipsummet corpus fuisse. Est enim prorsus eadem consecutionis ratio.

VII. Ad hæc, « Ipso tempore passionis suæ, ait idem Albinus [7], adjuratus a pontifice, filium Dei se esse confessus est: » non utique communi cum sanctis ceteris modo; sed exquisito, et ex quo consequens illud esset, cujus gratia lapidibus illum obruere antea conati fuerant, quod [8] *cum patrem suum diceret Deum, æqualem se faceret Deo.* Hoc, inquam, sensu de filio Dei sciscitatus est Caiphas pontifex [9]: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei.* Non enim de alio, quam vero, et germano filio, percontati sunt, ut reum affectatæ divinitatis apud Pilatum facere possent; quod et reipsa præstiterunt: *Nos habemus*, inquiunt [10], *legem, et secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit.* Ridiculum enim istud esset, si eodem, quo homines ceteri, jure illum esse Dei filium, ac talem profiteri se intellexissent, cum interrogantibus respondit, *Ego sum;* usurpatæ divinitatis ei crimen objicere: cum eo nomine populum Judæorum universum, vel saltem eximios in illo numero, ac præstanti sanctitate præditos passim Scripturas afficere meminissent.

Petrus item [11] interroganti Christo, quem se esse crederent, utique cum ipsis ambulantem, et pro homine se gerentem, ex cœlestis Patris instinctu respondit communi omnium nomine; *Tu es Christus Filius Dei vivi:* et ob eam confessionem illius, quem prædicarat, ore laudatus, ac præmio donatus est.

Est etiam in capite primo epistolæ ad Hebræos non vulgare testimonium quo Christi filii Dei singularis dignitas adstruitur: quod Francofordiensis synodus expendit in epistola synodica. Hunc enim, quem misit in mundum, *per quem novissime locutus est, quem constituit hæredem universorum*, hunc, inquam, eumdem non alium esse profitetur, quam *qui fecit secula*, et qui *splendor est gloriæ* Patris, *et figura substantiæ ejus.* Quæ verum et æqualem Patri demonstrant Deum. Ac statim de hoc ipso pergit loqui sic Apostolus: *Tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit.* Hoc vero nomen declarat mox: *Cui enim dixit aliquando angelorum*, inquit, *Filius meus es tu; ego hodie genui te?* « Hæc autem testimonia, ait Francofordiensis synodica, non servum, non adoptivum dicunt Dominum nostrum Jesum Christum; sed filium, et hæredem universorum. » Itaque peculiari quadam ratione, et majori, quam pro captu servilis, creatæque conditionis, filium Dei necesse est haberi Christum hominem. Alioqui nihil præstantius illi tribuetur, quam angelis, ut de hominibus ceteris taceam.

Hunc ipsum Joannes evangelista *filium Dei*, sæpius appellat; et *verum filium* ac *Deum. Scimus*, inquit [12], *quoniam Filius Dei venit.*

(1) Cyr. tom. 5. par. 2. lib. de Recta fide. Ἀλλ' οὐ γυμνὸν ἡμῖν παρέδειξε τὸν ἴδιον Λόγον, ἀλλὰ ἑνωθέντα σαρκί. Καὶ οὐκ εἴρηκεν ὅτι ἐν τούτῳ ἐστὶ ὁ Υἱός μου. Ἀλλ' οὗτός ἐστιν ὁ μετὰ σαρκός.

[1] Jo. 3. 16. — [2] Lib. 2. contra Felic. 796. — [3] Matt. 3. 17. et Luc. 9. 35. — [4] Ib. 800. — [5] Col. 794. — [6] Beda to. 4. 787.

[7] In epist. ad Elipan. 907. — [8] Joan. 5. 18. — [9] Mat. 26. 63. et Mar. 14. 61. — [10] Joan. 19. 7. — [11] Mat. 16. — [12] 1. Joan. 5. 20.

et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero filio ejus. Hic est verus Deus, et vita æterna. Hunc igitur *verum Deum*, *verumque Dei filium* affirmat esse, quem initio epistolæ *vidisse se oculis suis, et perspexisse, et manibus contrectasse* dicit, *Verbum vitæ* scilicet, et *vitam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis, Filium Dei Jesum Christum.* « (1) Atqui divinitas contrectari non potest, ait Cyrillus. Verum contrectabile factum est Verbum, tanquam per propriam carnem. Invisibile erat natura, sed per corpus fuit aspectabile. »

Luculentum quoque illud est apud Joannem [1] in historia curati hominis illius, qui a nativitate sua cæcus fuerat : quando hunc in templo sibi obvium interrogavit, *Tu credis in Filium Dei ?* et respondente illo, *Quis est, Domine, ut credam in eum ? Dixit ei Jesus : Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait : Credo Domine. Et procidens adoravit eum.* Quem locum ibidem Cyrillus objicit Nestorio cum hac ἐπιστάσει : « (2) Vides quemadmodum Christus non eum, qui gestat ostendit, non interius latentem : sed semetipsum potius, velut unum cum carne. »

VIII. His, aliisque Scripturæ testimoniis, quæ missa facimus, ne in longum oratio nostra procedat, publica primum Ecclesiæ vox consonat, legitimis professionis testata formulis, quæ *Symbola* vocantur ; ac Synodorum decretis. Nam symbola omnia tam vetustissima, quam quæ in Nicæno, ceterisque deinde conciliis, tum generalibus, tum minoribus edita, probataque sunt, *unum esse Dei filium* prædicant *unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum : qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis : et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, et homo factus est, crucifixus, passus et sepultus.* Ita Nicænum, et Constantinopolitanum, cui Ephesina, Chalcedonensis, ac reliquæ omnes œcumenicæ synodi subscripserunt. Nominatim vero Chalcedonensis superiorum decreta comprobans, de uno eodemque Filio cavit his verbis, quæ ad propositam quæstionem expressa, et illustria sunt, « (3) Sequentes igitur, ait in Definitione fidei, sanctos Patres, unum et eumdem profiteri Filium, Dominum nostrum Jesum Christum communi omnes concensu docemus, » etc. quæ alibi jam descripsimus [2]. Vide Leonem papam in epistola decima ad Flavianum, capite quinto.

His annumeranda est Francofordiensis synodus ex variis provinciis collecta, contra Felicis, et Elipandi hæresim ; cui Hadriani papæ legati interfuerunt, nec non aliæ sub idem tempus congregatæ synodi, de quibus actum est in libro primo. Et ante hanc Hispalensis secunda [3], et Toletana quarta, quæ sic decernit [4] : « Naturæ in illo duæ, Deus, et homo ; non autem duo filii, Deus, et homo ; » quæ ex Gregorio Nazianzeno synodus utraque mutuata est : ut et Hadrianus papa in epistola ad Elipandum [5].

CAPUT SECUNDUM.

Demonstratur ex Patrum auctoritate, ac testimonio, Christum non esse filium adoptivum Dei, sed verum, et naturalem : — 2. primum græcorum, — 5. tum latinorum, et imprimis Romanorum Pontificum, — 7. deinde Patrum ceterorum.

I. Egregium ac seculorum omnium memoria dignum est magni Caroli dictum in Francofordiensi synodo, cum adversus hanc, quam impugnamus modo, Elipandi hæresim dispu-

(1) Cyrill. lib. 3. contra Nestor. tom. 6. pag. 57. D. Καί τοι τὸ θεῖόν ἐστιν ἀναφὲς· ἀλλὰ γέγονεν ἁπτὸς ὁ Λόγος, ὡς διὰ τῆς ἰδίας σαρκός· ἀόρατος κατὰ φύσιν, ἀλλ' ἦν ἐμφανὴς διὰ σώματος.

(2) Cyrill. ibid. D. Ὁρᾷς ὅπως οὐ τὸν φοροῦντα δέδειχεν, οὐ τὸν ἔσω κεκρυμμένον, ἀλλ' ὡς ἕνα μᾶλλον ἑαυτὸν μετὰ τῆς σαρκός.

(3) Chalced. synod. act. 5. pag. 340. B. Ἑπόμενοι τοίνυν τοῖς ἁγίοις πατράσιν, ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν ὁμολογεῖν Υἱὸν τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, συμφώνως ἅπαντες ἐκδιδάσκομεν.

[1] Joan. 9. 36. — [2] Lib. 2. c. 2. — [3] Tom. 4. Conc. p. 567. D. [4] Ibid. p. 581. F. — [5] In Conc. Francof. tom. 6. Conc. p. 164.

taret: « Me apostolicæ Sedi, *inquit* [1], et antiquis ab initio nascentis Ecclesiæ, et catholicis traditionibus tota mentis intentione, tota cordis alacritate conjungo : quidquid in illorum legitur libris, qui divino spiritu afflati, toti orbi a Deo Christo dati sunt doctores, indubitanter teneo : hoc ad salutem animæ meæ sufficere credens, quod sacratissima evangelicæ veritatis pandit historia, quod apostolica in suis epistolis confirmat auctoritas, quod eximii sacræ Scripturæ tractatores, et præcipui Christianæ fidei doctores ad perpetuam posteris scriptum reliquerunt memoriam. » Quibus verbis, qualem Christianissimum principem decebat, in disceptandis fidei quæstionibus regulam præscripsit : ut *et divinæ legis auctoritatem*, et *deinde Ecclesiæ catholicæ traditionem* ducem sequamur ; ut ait Vincentius Lirinensis. Quam quidem traditionem ex antiquorum Patrum scriptis repetendam esse, tum illi duo testantur, tum Francofordienses antistites in Synodica sua epistola his verbis admonent [2] : « Tenete vos intra terminos sanctorum Patrum, et nolite novas versare quæstiunculas ; ad nihilum enim valent, nisi ad subversionem audientium. Sufficit enim vobis sanctorum Patrum vestigia sequi, et illorum dicta firma tenere fide. Illi enim in Domino nostri extiterunt doctores in fide, et ductores ad vitam. » Horum præceptis obtemperantes, quod constanter hactenus fecimus ; id in ea præstamus nunc, quam cum istis communem habemus, de adoptivo filio explicanda controversia : ac post præcipua momenta, quæ ex Scripturis, et Conciliis attulimus, auctoritatis sacrosanctæ ; veterum Ecclesiæ doctorum, Patrumque testimonia proferemus hoc capite : quæ, dum in utraque natura, unicum, eumdemque verum esse Dei filium asserunt Christum, nullum in eo locum *adoptivo*, minimeque naturali reliquum faciunt ; quædam etiam *adoptivum* nominatim dici, haberique prohibent.

II. Primus erit Irenæus qui in libro tertio, capite vicesimo, cum dixisset, « (1) unum esse Christum, et hunc solum, qui et passus est, et sepultus est, et resurrexit, qui et natus est, quem et hominem Paulus dixit ; » qui videlicet « filius Dei existens semper apud Patrem, incarnatus, et homo factus est; » mox hæreticos refutat, qui *Christum impassibilem* asserebant *descendisse in Jesum* ; quos contra sic disserit : « Sed ipse Jesus Christus cum esset, passus est pro nobis, qui decubuit, et resurrexit : qui descendit, et ascendit filius Dei filius hominis factus. » Mox : « Cum interrogasset discipulos, *ait*, Quem me homines dicunt esse filium hominis ? Petrus tum respondit, Tu es Christus filius Dei vivi ; et cum laudatus esset ab eo, quoniam caro, et sanguis non revelavit ei, sed Pater, qui est in cœlis ; manifestum fecit, quoniam filius hominis, hic est Christus Filius Dei vivi. » Deinde : « Verbum enim Dei, quod nobis dixit, Diligite inimicos vestros, et orate pro eis, qui vos oderunt ipse hoc fecit in cruce. » Unus ergo, idemque Dei Filius, ac Verbum, filius hominis factus est, et in cruce suspensus.

Dionysius Alexandrinus in epistola synodica ad Paulum Samosatenum ; « (2) Ejectus itaque es revera, qui nec duos Christos, nec duos filios Dei potes dicere. »

Athanasius in libro de incarnatione Christi contra Apollinarem ; « (3) Filius, *inquit*, unus est. Ideo falluntur qui dicunt alium esse filium, qui passus est, et alium, qui non est passus. Non enim alter est, quam filius Dei, qui mortem, et passionem suscepit ; sed idem est impatibile, et incorporeum Verbum, quod generationem carnis humanæ sustinuit. »

Et in epistola ad Epictetum, « (4) Propterea taceant, *inquit*, qui aliquando dixerunt eum, qui ex Maria processit, non ipsum esse Christum, et Dominum, et Deum. Nisi enim Deus esset, quinam statim atque ex Maria prodiit vocatus est Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus ? » Subjicit aliquot deinde Scripturæ loca, quibus confirmat, eum qui ex

(1) IRENÆUS apud Theodor. dial. 3. pag. 155. Φανερὸν οὖν ὅτι Παῦλος ἄλλον Χριστὸν οὐκ οἶδεν, ἀλλ' ἢ τοῦτον τὸν καὶ παθόντα, καὶ ταφέντα, καὶ ἀναστάντα, καὶ γεννηθέντα, ὃν καὶ ἄνθρωπον λέγει.

(2) DION. tom. 11. bib. pag. 275. D. Ἐκβέβλησαι οὖν τῷ ὄντι, μήτε δύο Χριστοὺς, μήτε δύο υἱοὺς τοῦ Θεοῦ δυνάμενος λέγειν.

(3) ATHAN. tom. 1. pag. 486. D. Ὁ δὲ Υἱὸς εἷς ἐστι· διὸ πλανῶνται καὶ οἱ λέγοντες, ὅτι ἄλλος ἐστὶν ὁ παθὼν Υἱὸς, καὶ ἄλλος ὁ μὴ παθών. Οὐ γὰρ ἕτερός ἐστι παρὰ τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ὁ τὸν θάνατον, καὶ τὸ πάθος ἀναδεδεγμένος. Ἀλλ' αὐτὸς ὁ ἀπαθὴς, καὶ ἀσώματος Λόγος γενέσεως σαρκὸς ἀνθρωπίνης ἀνασχόμενος.

(4) Id. pag. 459. C. Ἐκ δὴ τούτου σιωπήσωσι λοιπὸν καὶ οἱ ποτὲ εἰπόντες τὸν ἐκ Μαρίας προελθόντα μὴ εἶναι αὐτὸν τὸν Χριστὸν, καὶ Κύριον, καὶ Θεόν. Εἰ γὰρ μὴ Θεὸς ἦν ἐν τῷ σώματι, πῶς εὐθὺς προελθὼν ἐκ Μαρίας, ἐκλήθη Ἐμμανουὴλ, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός ;

[1] Car. ep. ad Elipa. tom. 6. Conc. p. 180. C. 2.

[2] Ibid. p. 178. D. 2.

Maria natus, et passus est, verum fuisse Deum, ac Dei filium. Ac præsertim illo utitur [1], in quo de Christo ad Jordanem et in monte testatus est Pater; *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Tum hoc addit: « (1) Hunc Ariani negaverunt; nos autem agnoscentes adoramus; non dividentes Filium, et Verbum: sed ipsum Verbum scientes esse Filium, per quem omnia facta sunt, et nos redempti sumus. »

Epiphanius Hæresi 77. « (2) perfectam hominis naturam suscepisse Verbum *ait*, neque tamen propterea Christos esse duos, aut duos reges filios Dei: sed eumdem Deum, et eumdem hominem. »

III. Gregorius Nazianzenus diserte duos filios esse negat in priore ad Cledonium epistola. « (3) Si quis, *inquit*, duos induxerit filios; alterum ex Deo et Patre; alterum ex matre; non autem unum et eumdem; is ab ea filiorum adoptione excidat, quæ recte credentibus est promissa. Naturæ quippe duæ sunt, Deus et homo; quemadmodum etiam anima, et corpus: non tamen duo filii, neque dii; quemadmodum neque hic homines duo. »

Idem etiam in Carmine de vita sua, de Apollinaristis agens, scribit eos non minus errare cum naturam humanam dimidiatam Christo tribuunt, quam illos, qui duos filios invehunt.

> (4) Ex æquo, *inquit*, aberrant contraria tamen ratione
> Cum his, qui inconsiderate duos inducunt filios,
> Alterum ex Deo, alterum ex Virgine.

Quod autem Apollinaristas non minus aberrare dicit, quam qui duos filios inducunt, ex Gregorio Nysseno pulcherrime declaratur; cujus singularem, et illustrem locum hic præterire nullo modo debeo, ex libello contra Apollinarem ad Theophilum. « (5) Qui Apollinaris patrocinantur dogmatibus, *inquit*, eo ipso, quod nos redarguunt, res suas stabilire conantur, asserentes et carnale esse Verbum, et seculorum opificem hominis esse filium, et divinitatem esse mortalem. Objiciunt enim, quosdam ex Ecclesia catholica duos in suo dogmate filios agnoscere; alterum naturalem; alterum, qui adoptione postmodum accessit. Quod nescio a quonam audierint, aut cum qua persona luctentur. Nam hactenus neminem novi, qui talia perperam effutiret. Verumtamen, quoniam hoc prætextu contra nos utentes, per speciem adeo absurdæ opinionis impugnandæ, decreta sua corroborant, » etc. Hic duo nos Gregorius docet: alterum, Apollinarem hoc jactare solitum, ideo se carnem solam sine anima Christo concedere, ne si perfectus esset homo, duo inessent filii. Alterum, hunc ipsum secundum filium, ab iis, qui eum adstruebant, adoptivum esse constitutum, nempe hominem adoptatum a Deo: quæ proprie Felicis et Elipandi fuit hæresis, quam potissimum aggredimur.

Hanc vero deinceps de duobus filiis hæreticam opinionem abstergit, evertitque Gregorius; negans tale dogma versari inter Christianos aut vero prædicari. « (6) Quomodo, *inquit*, nos cogit quispiam, propter adventum illius in carne, filiorum appellare binarium? tanquam alter sit anterior omnibus seculis filius; alter filius, qui per carnem a Deo sit genitus. »

IV. Cyrillus Alexandrinus multis in locis, eamdem castigat, et ab catholica professione

(1) Ibid. pag. 460. C. Τοῦτον οἱ μὲν Ἀρειανοὶ ἠρνήσαντο. Ἡμεῖς δὲ ἐπιγινώσκοντες προσκυνοῦμεν, οὐ διαιροῦντες τὸν Υἱὸν, καὶ τὸν Λόγον· ἀλλ' αὐτὸν τὸν Λόγον εἰδότες εἶναι τὸν Υἱὸν, δι' οὗ τὰ πάντα γέγονε, καὶ ἡμεῖς ἐλυτρώθημεν.

(2) EPIPH. hær. 77. num. 29. pag. 1023. C. Καὶ ὅτι μὲν τελείως ἐνηνθρώπησεν ἐλθὼν ὁ Λόγος, τοῦτο δῆλον. Καὶ ἐὰν εἴπωμεν τελείως, οὐ δύο Χριστοὺς ἔχομεν, οὐ δύο βασιλέας υἱοὺς Θεοῦ· ἀλλὰ τὸν αὐτὸν Θεὸν, τὸν αὐτὸν ἄνθρωπον.

(3) NAZIANZ. orat. 51. pag. 739. A. Εἴ τις εἰσάγει δύο υἱοὺς, ἕνα μὲν τὸν ἐκ Θεοῦ, καὶ Πατρὸς, δεύτερον δὲ τὸν ἐκ τῆς μητρὸς, ἀλλ' οὐχὶ ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν, καὶ τῆς υἱοθεσίας ἐκπέσοι τῆς ἐπηγγελμένης τοῖς ὀρθῶς πιστεύουσι. Φύσεις μὲν γὰρ δύο Θεὸς, καὶ ἄνθρωπος. Ἐπεὶ καὶ ψυχὴ, καὶ σῶμα. Υἱοὶ δὲ, οὐ δύο, οὐδὲ θεοί. Οὐδὲ γὰρ ἐνταῦθα δύο ἄνθρωποι.

(4) Id. carm. pag. 10. D.

> Ἴσον τι γὰρ πταίουσιν ἐξ ἐναντίας
> Τοῖς εἰσάγουσιν ἀσκόπως υἱοὺς δύο,
> Τὸν ἐκ Θεοῦ τε, καὶ τὸν ἐκ τῆς παρθένου.

(5) GREG. Nyss. tom. 2. pag. 693. et 694. Οἱ τοῖς τοῦ Ἀπολλιναρίου δόγμασι συνιστάμενοι, διὰ τῆς καθ' ἡμῶν μέμψεως κρατύνειν ἐπιχειροῦσι τὰ ἴδια σάρκικον τὸν Λόγον, καὶ δημιουργὸν τῶν αἰώνων τὸν τοῦ ἀνθρώπου Υἱὸν, καὶ θνητὴν τοῦ Υἱοῦ κατασκευάζοντες τὴν θεότητα. Προσφέρουσι γὰρ ὡς τινῶν τῶν κατὰ τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν δύο πρεσβευόντων υἱοὺς ἐν τῷ δόγματι, τὸν μὲν κατὰ φύσιν ὄντα· τὸν δὲ, κατὰ θέσιν ὕστερον προσγενόμενον. Οὐκ οἶδα παρ' ὅτου τὸ τοιοῦτον ἀκηκοότες, καὶ πρὸς ποῖον διαπληκτιζόμενοι πρόσωπον. Οὔπω γὰρ ἔγνων τὸν ταῦτα παραφθεγξάμενον. Πλὴν ἐπειδὴ ταύτην προστησάμενοι καθ' ἡμῶν τὴν ὑπόθεσιν, διὰ τοῦ δοκεῖν τῇ ἀτοπίᾳ ταύτῃ συμπλέκεσθαι, τὰς ἑαυτῶν ὑπολήψεις κρατύνουσι·

(6) Ibid. pag. 696. D. Πῶς τις ἡμᾶς ἀναγκάζει τὴν διὰ σαρκὸς γενομένην αὐτοῦ ἐπιφάνειαν υἱῶν δυάδα κατονομάζειν· ὡς τοῦ μὲν προαιωνίου ὄντος Υἱοῦ· τοῦ δὲ διὰ σαρκὸς τῷ Θεῷ γεννηθέντος, ἄλλου Υἱοῦ;

[1] Ibid. p. 460.

procul ablegat : ex quibus pauca describam. In homilia Paschali octava, ex istis Apostoli verbis [1], *Christus heri, et hodie, idem et in secula ;* argumentatur sic : « (1) Vides quemadmodum in filiorum binarium non dividat Emmanuelem : neque nudo, et existenti per sese Verbo, quod ex Deo et Patre promicuit, illud attribuat, ut eodem modo semper habeat : sed filium unum, solumque secundum carnem agnoscens eum, qui homo factus est, Christum, ac Jesum nominet. »

Tum postea in illos invehitur, qui secus sentiant, et tanquam heterodoxos eos notat. « (2) Libenter, *inquit*, de illis sciscitarer, qui imprudenter contrarium dogma ausi sunt adstruere : quique separant, ut alicubi [2] Salvator ipse dicit, quæ Deus conjunxit : ac duos esse Christos, et duos filios arbitrantur, etc. »

Quam quidem Nestorii hæresim fuisse passim testatur : ut in epistola ad Acacium ; in qua Orientalium fidem ab calumnia defendens, ait « (3) ipsos non alterum affirmare esse filium, et Christum, ac Dominum, nempe Verbum a Deo Patre genitum : alterum vero separatim, ac per sese filium, et Christum, ac Dominum, qui de sancta Virgine ortus est. » Quod in Anathematismis sæpe repetit[3].

Et in dialogo de uno Christo vehementer deplorat hujusmodi filiorum binarium, quem nonnulli perperam introducunt. « (4) Binarius, *inquit*, filiorum inæqualis naturæ nobis exoritur : ac divina gloria servus ornatur : et spurius quidam filius pari ac naturalis, verusque, honoris excellentia decoratur. Etenim quomodo non diversus ille ac separatus est ab naturali, et vero Filio, qui nuda solaque affinitate honoratus est, et ministri loco assumptus, et filii dignitate donatus, quemadmodum et nos ipsi ? »

Et in libro undecimo in Joannem, mediatorem Christum appellat *naturalem, verumque filium*. « (5) Consummati sumus, *inquit*, in unitatem cum Deo, et Patre per mediatorem Christum. Siquidem illum ipsum qui natura, vereque filius est, et substantivam cum illo unitionem habet, in nobis accipientes, corporaliter et spiritaliter, uti modo dicebam, supremæ illius naturæ participes et consortes facti, glorificati sumus. » Egregius profecto Cyrilli locus : qui et utraque natura constantem Christum mediatorem, unicum affirmat esse filium, eumque *naturalem, verum, et substantivum* : cujus communicatione *corporea pariter ac spiritali*, nos quoque pro modulo nostro, divinitatis ejusdem paternæ consortes efficimur [4]. De qua Cyrilli ratiocinatione postea. Nec plura ex eo describi attinet : ne infinita sit oratio. Quippe passim istud in omnibus contra Nestorium exaratis lucubrationibus inculcat ; unum esse filium, non duos ; nec alium naturalem, alium adscititium. Vide inter alia librum de recta fide ad Theodosium [5] : ubi hanc sibi quæstionem movet, quomodo idem ille, qui ante omnia secula Dei filius est, prædestinatus dicitur Dei filius, et de Davidis stirpe prognatus. Tum respondet, illos qui naturas duas disjungunt, ac separatim statuunt, vix, ac nevix quidem tali inquisitioni posse satisfacere. At eos, qui unum ex ambabus Emmanuelem fieri confitentur, nullo negotio expedire sese. Quippe sempiternum, et coæternum Deo Patri Filium ad humanam naturam delapsum, non amisisse id quod erat Deus, et ex semine Davidis procreatum dici ; quia non alienum ab eo est quod assumpsit, sed ejus revera proprium, et unum cum illo censetur. « (6) Unus enim

(1) CYRILL. tom. 5. par. 2. pag. 101. Ὁρᾷς πῶς οὐκ εἰς υἱῶν δυάδα κατατεμὼν εὑρίσκεται τὸν Ἐμμανουὴλ, οὐδὲ γυμνῷ καθ' ἑαυτὸν ὄντι τυχὸν, τῷ ἐκ Θεοῦ καὶ Πατρὸς ἀπαστράψαντι Λόγῳ, τῷ ὡσαύτως ἔχειν διαπαντὸς ἀπονέμει· ἀλλ' Υἱὸν ἕνα, καὶ μόνον κατὰ φύσιν εἰδὼς τὸν ἐνανθρωπήσαντα καὶ Χριστὸν ὀνομάζει, καὶ Ἰησοῦν.

(2) Ibid. pag. 103. B. Πυθοίμην ἂν ἔγωγε, καί λίαν ἡδέως τῶν ἑτεροδοξεῖν ἀσυνέτως τετολμηκότων, καὶ χωριζόντων μεν, ὡς αὐτός ποῦ φησιν ὁ Σωτὴρ, ἃ συνέζευξεν ὁ Θεός· δύο δὲ εἶναι Υἱὸν Χριστοὺς, καὶ δύο υἱοὺς οἰομένων.

(3) Id. in epist. pag. 114. C. Ὅτι γὰρ οὐχ ἕτερόν φασιν εἶναι τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγον, ἕτερον δὲ πάλιν τὸν ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου.

(4) CYRILL. tom. 5. par. 1. dial. de vero Christo pag. 735. A. Δυὰς γὰρ ἡμῖν Υἱὸν ἀνισοφυὴς ἀναφαίνεται καὶ δόξῃ θεοπρεπεῖ στεφανοῦται τὸ δοῦλον, καὶ ἰσομέτροις ὑπεροχαῖς ἐκλαμπρύνεται νόθος τις Υἱὸς τῷ κατὰ φύσιν, καὶ ἀληθῶς. Καί τοι Θεοῦ λέγοντος ἐναργῶς, τὴν δόξαν μου ἑτέρῳ οὐ δώσω, πῶς γὰρ οὐχ ἕτερος ἰδικῶς παρὰ τὸν φύσει τε, καὶ ἀληθῶς Υἱὸν, ὁ ψιλῇ τε, καὶ μόνῃ συναφείᾳ τετιμημένος, καὶ ἐν ὑπηρέτου τάξει ληφθεὶς, καὶ ἀξιωθεὶς υἱότητος, κατὰ καὶ ἡμεῖς αὐτοί;

(5) CYRILL. lib. 11. in Joan. tom. 4. pag. 1002. B. Τετελειώμεθα τοιγαροῦν εἰς ἑνότητα τὴν ὡς πρὸς Θεὸν, καὶ Πατέρα διὰ μεσίτου Χριστοῦ. Τὸν γὰρ φύσει τε, καὶ ἀληθῶς Υἱὸν, οὐσιώδη πρὸς αὐτὸν ἔχοντα τὴν ἕνωσιν λαβόντες ἐν ἑαυτοῖς καὶ σωματικῶς, καὶ πνευματικῶς, καθάπερ ἔλεγον ἀρτίως, τῆς ὑπὲρ πάντα φύσεως μέτοχοι, καὶ κοινωνοὶ γεγονότες δεδοξάσμεθα.

(6) CYRILL. de Recta fide, pag. 23. Εἷς γὰρ Υἱὸς, καὶ εἷς Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, καὶ πρὸ σαρκὸς, καὶ ὅτε πέφηνεν ἄνθρωπος.

[1] Heb. 13. 8. — [2] Mat. 19. 6. — [3] Ut ad 3. 4. 7.

[4] Vide ibid. p. 1001. E. — [5] Cyr. to. 5. part. 2. p. 22. D.

Filius est, *inquit*, et unus Dominus Jesus Christus, et ante carnem, et quando apparuit homo. »

Proclus ex Cyziceno Constantinopolitanus factus episcopus, in epistola ad Armenos, eidem suffragatur dogmati, et « (1) unum esse Filium, unum Dominum » prædicat, ac subinde, « (2) Duos filios, *ait*, natura divina non agnoscit. »

Paulus item Emisenus episcopus pacis et concordiæ inter Joannem Antiochenum, et Cyrillum Alexandrinum sequester et interpres, in homilia, quam Alexandriæ coram Cyrillo, eoque applaudente dixit, insigni testimonio eidem subscribit, et duos asseverantes filios tanquam hæreticos devovet. « (3) Anathema dicimus, *inquit*, iis, qui duos filios asserunt, et sacris Ecclesiæ septis ejicimus. Neque ergo duos filios profitemur, neque nudum hominem Emmanuelem, qui ex Dei genitrice natus est. » Quam Filii unitatem ex eodem Scripturæ loco demonstrat, quo superiori capite probavimus; cum videlicet sciscitanti Christo, quem dicerent homines esse filium hominis, respondit Petrus : *Tu es Christus Filius Dei vivi.* « (4) Nec dixit, *inquit*, Filii : sed, Filius Dei viventis. Agnovit singularem personam. »

V. Nunc latinos Patres adhibeamus catholici ejusdem decreti vindices, ab Romanis orsi Pontificibus. Ex iis primus occurrit Julius primus; qui Athanasii vixit tempore. Cujus locus insignis in Ephesina synodo œcumenica recitatus est ex epistola ad Docium, vel Docimum. Quanquam nonnulli adulterinam hanc epistolam fuisse putarunt, ut alibi dixi [1]. Verum quoniam in acta tantæ Synodi relatum est illud Julii testimonium, merito ratio illius est habenda : ac tam græce, quam latine ex Facundo hic illud reddemus [2], qui quidem eum, ad quem scripta est epistola Julii, vocat Prosdocium. « (5) Prædicatur vero (verba sunt epistolæ) ad supplementum fidei, et incarnatus ex Maria virgine Filius, et habitans in hominibus, non in homine operatus. Hoc enim in prophetis fuerat, et apostolis. Perfectus Deus in carne, et homo perfectus in spiritu, non duo filii, unus quidem proprius filius assumens hominem, alter vero mortalis susceptus a Deo ; sed unus unigenitus in cœlo ; unigenitus Dei in terra. »

Damasus primus, qui Liberio successit, in epistola quam ad Paulinum Antiochenum episcopum Thessalonicam scripsit : « (6) Anathematizamus etiam eos, *inquit*, qui duos filios esse profitentur : unum ante secula, et alium post carnis assumptionem ex Virgine. » Ita Damasus ex Epiphanii scholastici Tripartitæ libro nono, capite 16. Quem anathematismum Damasi refert Arnobius in conflictu cum Serapione ; et alterum huic similem subjungit ex alia epistola ad Paulinum, qui est hujusmodi : « Anathematizamus eos, qui duos in Salvatore filios confitentur ; unum ante Incarnationem, et alium post assumptam carnem ex Virgine ; et non eumdem Dei filium et antea, et postea, ipsum esse Christum verum Dei filium, qui natus est ex Virgine, confitentur. »

Leo magnus in celebri ad Flavianum epistola, capite quinto, ideo dixisse Dominum ait [3], *Videte manus meas et pedes, quia ego sum :* et, *Palpate, et videte ; quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* : « ut agnosceretur in eo proprietas divinæ humanæque naturæ individua permanere ; et ita sciremus, Verbum hoc non esse, quod carnem : et ut unum Dei Filium et Verbum confiteremur et carnem. »

Et capite quarto ejusdem epistolæ, « Unus enim, idemque est, *ait*, quod sæpe dicendum est, vere Dei filius, et vere hominis filius. » Sed et Ephræmius Antiochenus patriarcha testis est, Leonem in epistolis ad Flavianum, et ad Leonem Augustum affirmare, « (7) eum-

(1) Procl. epist. 2. pag. 614. Εἷς τοίνυν ἐστὶν Υἱὸς, εἷς Κύριος.

(2) Ibid. Δύο γὰρ υἱοὺς ἡ θεία φύσις οὐκ οἶδεν.

(3) Paulus in Ephes. syn. par. 3. cap. 31. p. 590. C. Ἀναθεματίζομεν δὲ τοὺς λέγοντας δύο υἱοὺς, καὶ τῶν ἱερῶν τῆς ἐκκλησίας ἐκβάλλομεν περιβόλων. Οὔτε οὖν δύο υἱοὺς λέγομεν, οὔτε ψιλὸν ἄνθρωπον τὸν Ἐμμανουὴλ, τὸν ἐκ τῆς θεοτόκου γεννηθέντα.

(4) Ibid. Καὶ οὐκ εἶπεν, οἱ υἱοὶ, ἀλλ' ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος. Ἐπέγνω καὶ τὸ μοναδικὸν πρόσωπον.

(5) Eph. syn. par. 2. act. 1. pag. 268. C. Κηρύσσεται δὲ εἰς συμπλήρωσιν τῆς πίστεως καὶ σαρκωθεὶς ἐκ παρθένου Μαρίας, ὁ τοῦ Θεοῦ Υἱός. Καὶ σκηνώσας ἐν ἀνθρώποις, οὐκ ἐν ἀνθρώπῳ ἐνεργήσας. Τοῦτο γὰρ ἐπὶ προφητῶν ἐστι, καὶ Ἀποστόλων. Τέλειος Θεὸς ἐν σαρκὶ, καὶ ἄνθρωπος τέλειος ἐν Πνεύματι. Οὐ δύο υἱοὶ, εἷς μὲν γνήσιος Υἱὸς ἀναλαβὼν ἄνθρωπον. Ἕτερος δὲ θνητὸς ἄνθρωπος, ἀναληφθεὶς ὑπὸ Θεοῦ. Ἀλλ' εἷς μονογενὴς ἐν οὐρανῷ, μονογενὴς ἐπὶ γῆς, Θεός.

(6) Damasc. apud Theodoret. lib. 5. cap. 10. Ἀναθεματίζομεν καὶ τοὺς δύο εἶναι υἱοὺς διϊσχυριζομένους, ἕνα πρὸ τῶν αἰώνων, καὶ ἄλλον μετὰ τὴν τῆς σαρκὸς ἐκ Μαρίας ἀνάληψιν.

(7) Ephræm. apud Phot. cod. 228. pag. 404. Ὅτι τὸν αὐτὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ ἀληθῶς Υἱὸν ἀνθρώπου γενέσθαι μεγαλοφώνως ἀνακηρύττει.

[1] Lib. 4. c. 5. § 11.

[2] Fac. lib. 1. p. 40. — [3] Luc. 24.

dem esse filium Dei, et filium hominis. »

Gregorius M. libro 18. Moralium, capite 27 [1], Christum, qua homo est, negat gratia, vel adoptione esse Dei filium, et in eo plurimum ceteris distare hominibus, et antecellere docet. « Aliud est enim natos homines gratiam adoptionis accipere; aliud unum singulariter per divinitatis potentiam Deum ex ipso conceptu prodiisse. » Et in primo ejusdem operis capite sexto [2], « Omnes, inquit de Christo loquens, qui in fide Deo nascuntur, superat; quia non ut ceteros adoptio, sed natura illum divinitatis exaltat; qui etsi humanitate ceteris apparuit similis, divinitate tamen mansit super omnia singularis. » Quem locum citat Hadrianus papa in epistola ad episcopos Hispaniæ [3].

VI. Sed ante Gregorium pene mihi elapsi duo commemorandi sunt, qui idem de uno Filio pronuntiarunt. Horum prior est Gelasius; qui in libro de Duabus naturis, hoc acerrime contendit, ambas sic in Christo convenisse naturas, ut nec inter se confusæ sint, et unus ex illis existat Deus pariter et homo, ac Dei hominisque filius. « Sic hominis filium, *ait* [4], a dextris stantem Dei, beato Stephano martyre testificante conspectum : sic in cœlestibus constitutum beato Paulo prædicante monstrari, cum ait, In quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter : sic inde veraciter Deum hominis filium sedentem in nubibus cœli, venturum ad judicandos vivos et mortuos. Quibus omnibus testimoniis manifestissime declaratur, in utrisque naturis, ex quibus, vel in quibus conceptus, editus, nutritus, et conversatus in mundo est, et elevatus ad cœlum, unum, atque eumdem manere Dominum Jesum Christum, qui in utroque unus atque idem veraciter Deus homo, et homo Deus manere non possit, nisi utraque natura, in qua id permanet, veraciter permaneret : ut iisdem naturis veraciter permanentibus, ex quibus, vel in quibus unus, atque idem verus homo Deus, et Deus homo verus existit, idem semper homo Deus verus, et Deus homo verus ipse permaneat.»

Alter est Pelagius primus in epistola 16. ad Childebertum Francorum regem, in qua fidei suæ professionem edidit. « Est ergo unus, *inquit*, atque idem Christus verus filius Dei, et idem ipse verus filius hominis, perfectus in deitate, et idem ipse perfectus in humanitate, etc. Ac propterea (sicut sæpe diximus) unum, eumdemque Christum esse verum filium Dei, et eumdem ipsum verum filium hominis confitemur. »

His annumerandus est Hadrianus papa, cujus legati concilio Francofordiensi interfuerunt; extatque illius epistola *ad episcopos Galliciæ, et Hispaniarum de errore Elipandi Toletani episcopi* [5], in qua opinionem illam de adoptivo filio Dei, qua homo est Christus, tanquam impiam et hæreticam condemnat : ac nisi ea retractetur, excommunicationem minatur.

VII. His latinos aliquot Patres adjungam. Ex his primus erit Hilarius, qui in tertio libro Christum probat, etiam in hominis natura, Dei esse filium, ex illius verbis, quibus cum hominis proprium aliquid facturum, passurumve se esse significaret, filium tamen se Dei proprium esse monstravit. Ut in postremo illo sermone, quem ad discipulos suos moriturus habuit [6]. *Pater*, inquit, *venit hora : clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te : sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, etc. Ego te clarificavi super terram : opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam. Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te.* Manifestum est, eum, qui sic loquitur, Christum esse, qua homo est. Et is tamen filium se Dei, et quidem naturalem, non adoptivum, profitetur : ut docet Hilarius [7]. « Non solum, *inquit*, nomine contestatus est esse se filium, sed et proprietate, qua dicitur tuum. Multi enim nos filii Dei : sed non talis hic filius est. Hic enim et verus, et proprius est filius, origine, non adoptione : veritate, non nuncupatione : nativitate, non creatione. » Et postea [8], « Dei filius homo nascitur, sed Dei in partu Virginis virtus est. Dei filius homo cernitur, sed Deus in operibus hominis existit. Dei filius crucifigitur, sed in cruce hominis mortem Deus vincit. Christus Dei filius moritur, sed omnis caro vivificatur in Christo. Dei filius in inferis est, sed homo refertur ad cœlum. »

Idem porro in libro decimo, de sacramento corporis Christi loquens : « Hujus igitur, *ait*, corporis homo Jesus Christus, et Dei filius, et hominis est filius, et ex forma Dei se exinaniens formam servi accepit. Non alius filius hominis, quam qui filius Dei est, neque alius in forma Dei, quam qui in forma servi perfectus homo natus est. » Et quibusdam inter-

[1] Col. 481. E. F. — [2] In fine c. — [3] Tom. 6. Concil. p. 165. A. B. — [4] Gelas. tom. 4. Bibl. 419. E.

[5] Tom. 6. Concil. p. 167. — [6] Joan. 17. — [7] Hil. lib. 3 p. 13. D. — [8] Ib. H.

jectis [1], clarissime adoptivi filii suspicionem elidit his verbis : « Et cum ipse ille filius hominis ipse sit, qui et filius Dei ; quia totus hominis filius totus Dei filius sit ; quam ridicule præter Dei filium, qui Verbum caro factum est, alium nescio quem, tanquam prophetam, Verbum Dei animatum prædicemus ; cum Dominus Jesus Christus et hominis filius, et Dei filius sit. »

Sed in sexto libro [2] plenissime naturalis et proprii filii conditionem Jesu Christo tribuit, adoptivi detrahit, ex illo Patris æterni testimonio, *Hic est Filius meus dilectus*. Ubi primum vim pronominis expendit, *quod obtinet nominis virtutem*. Itaque pronomen *hic* designat eum, qui præsens erat, quem coram intuebantur : hominem utique foris apparentem, et interius Deum : et utrumque Dei filium. « Proprietatis autem significatio est, addit Hilarius, ubi et hic est, dictum esse auditur et meus est. Et intellige quæ sit veritas, et ratio dictorum. Legeras, filios genui et exaltavi ; sed non legeras, filios meos. Genuerat enim eos sibi per divisionem gentium, et plebem hæreditatis in filios. Ne igitur per communionem adoptivæ hæreditatis cognomentum Filii unigenito Deo adderetur, naturæ veritas per significationem proprietatis ostensa est. Assignetur sane hoc communionis in Christo nomen, et filius sit, si de quoquam dictum reperietur : Hic est Filius meus. Sin vero proprium ac singulare ei est, hic est filius meus, quid calumniam Deo Patri professæ de Filio proprietatis afferimus ? An ne tibi in eo, quod dicitur, hic est, non hoc significare videtur, alios quidem ab eo cognominatos in filios, sed hic Filius meus est ? Donavi adoptionis plurimis nomen : sed iste mihi filius est. Ne quæras alium, ne non hunc esse credas. Hunc ego tanquam indice digito, ac verbi significatione contingo ; quia dico et meus est, et hic est, et Filius est. »

Idem postea docet [3], « Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum ab apostolis traditum, non ex nuncupatione, sed ex natura ; neque ex adoptione, sed ex nativitate. » Quod subinde variis Scripturæ locis confirmat. Præsertim vero [4] illum expendit apostoli Pauli ex octavo ad Romanos capite : *Qui proprio filio non pepercit*. « Et quamvis, *inquit*, multi codices per translatorum simplicem intelligentiam in hoc loco pro proprio, suo filio conscriptum habeant : tamen græcitas, qua lingua Apostolus est locutus, proprium nunc magis, quam suum nuncupat, etc. Ut qui superius filios plures per spiritum adoptionis demonstrasset, nunc unigenitum Deum filium proprietatis ostenderet. »

Atque hæc fere Hilarii loca de libro sexto, synodus Francofordiensis in epistola sua posuit [5].

VIII. Ambrosius libro quinto de Fide, capite tertio : « Sed ecclesiastica fide, *inquit*, et Dei Patris, et David idem, atque unus est filius. » Et in libro de Incarnatione, capite sexto sub initium [6] : « Et hos igitur qui in phantasmate venisse Jesum prædicant ; et illos condemnare debemus, qui adversa erroris linea, non unum, eumdemque filium Dei dicunt, sed alium esse, qui ex Deo Patre natus sit, alium qui sit generatus ex Virgine, cum Evangelista dicat : quia Verbum caro factum est, ut unum Dominum Jesum, non duos crederes. Nonnulli etiam aliud Dei Verbum ; alium verum Dei filium crediderunt, cum ipsum, qui in principio erat Verbum apud Deum Patrem, in sua propria venisse Evangelista testetur. »

Et in libro de obitu fratris sui Satyri : « Factus, *inquit*, ex matre, natus ex Patre : idem tamen et natus, et datus : non diversum, sed unum putes. Unus enim Dei Filius, et natus ex Patre, et ortus ex Virgine ; distanti ordine, sed in unum concurrente nomine. »

Citatur et ab Leontio in libro contra Nestorium [7] hic locus ex libris de fide ad Gratianum : « Servemus differentiam divinitatis, et carnis. Unus enim in utraque natura loquitur Filius Dei : siquidem in ipso est utraque natura. Etsi enim idem est qui loquitur ; tamen non semper uno modo, et more loquitur. » Et ex libro contra Apollinarium : « Unus est, *inquit*, in utroque, id est, in divinitate, et corpore. Non enim alius ex Patre, et alius ex Virgine : sed idem ipse. »

Hieronymus in caput ultimum Matthæi [8] : « Dominus noster, *inquit*, unus atque idem filius Dei, et filius hominis, juxta utramque naturam divinitatis, et carnis, nunc magnitudinis suæ, nunc humilitatis signa demonstrat, unde et in præsenti loco, quanquam homo sit, qui crucifixus est, qui sepultus est, qui clausus tumulo, quem lapis positus cohibet ; tamen quæ foris aguntur, ostendunt filium Dei : sol fugiens, tenebræ ingruentes, terra commota, velum scissum, saxa dirupta, mor-

[1] Ibid. p. 71. B. — [2] Ibid. p. 33. B. — [3] Ibid. p. 34. H. — [4] Ibid. 37. — [5] Tom. 6. Conc. p. 177.

[6] Tom. 4. col. 252. I. — [7] Tom. 4. Bib. par. 2. col. 977. — [8] Hier. tom. 3. col. 732. A.

tui suscitati, angelorum ministeria, quæ ab initio nativitatis ejus Deum probabant. »

Et in commentario ad caput quartum epistolæ ad Ephesios, ad illa verba [1], *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos*, hæc adnotat [2] : « Hic locus adversum Ebionem, et Photinum vel maxime facit. Si enim ipse est ascendens in cœlos, qui de cœlis ante descenderat, quomodo Dominus noster Jesus Christus non ante Mariam est, sed post Mariam ? necnon et contra eos, qui duos filios insano errore confingunt, filium videlicet Dei, et filium hominis. Ecce hic apertissime dicitur, quod ipse sit ascendens atque descendens. Nec statim ista dicentes, locum alteri hæresi damus, quæ dimidiatam Christi asserit dispensationem ; sed sic unum et Dei, et hominis filium confitemur, ne dispensationem assumpti hominis, qua salvati sumus, ex parte credentes, ex parte truncemus. »

Faustinus in libro contra Arianos, adoptivum non esse filium Dei Christum, sed verum uberrime demonstrat in capite secundo, maxime ex illa Patris voce, *Hic est filius meus*, et ceteris, in quibus filius Dei nominatur. « Certe Moyses, et Elias pariter, *inquit* [3], videbantur cum eo loquentes, quos utique de adoptione factos esse filios Dei negare non potes. Et quomodo de solo Christo vox divina testatur dicens ; Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite ? Si enim et Christus de adoptione filius est, cum staret inter duos filios adoptivos, dixisset utique, et hic filius meus est, ne Christus solus filius esse crederetur. At cum dixit, Hic est filius meus dilectus, adoptionis filios separavit, ut proprietas veræ nativitatis in Christo solo filio crederetur. Sed non sufficit, ut Christum tantummodo filium suum esse profiteretur : addidit etiam quod vero filio debebatur, dicens, Ipsum audite : magnam, imo et parem sibi auctoritatem ostendit in Filio, cum ita audiendus est Filius, ut audiendus et Pater est. »

IX. Sequitur Augustinus : cujus aliquot de eadem re seligendæ sunt sententiæ. In Enchiridio, cap. 35. « Unus, *inquit*, Dei filius, idemque hominis filius : unus hominis filius, idemque Dei filius. Non duo filii Dei, Deus, et homo ; sed unus Dei filius. » Et tractatu 7. in Joannem [4] : « Oportebat ergo, *inquit*, ut ille baptizaret, qui est filius Dei unicus, non adoptatus. Adoptati filii, ministri sunt unici. Unicus habet potestatem, adoptati ministerium. » Item ad Psalmum 108. in expositione secunda [5] : « Nullis, *inquit*, operum meritis præcedentibus in tantam celsitudinem subvecta est humana natura, ut totum simul, Verbum et caro, hoc est Deus et homo, unigenitus Dei filius diceretur. » Vide similia ejusdem Augustini loca in libro 4. capite 10. [6] in quibus eodem momento, quo homo esse cœpit, unicum Dei filium fuisse confirmat. Citantur et aliqua ipsius testimonia ab Alcuino in secundo contra Felicem [7], et a concilio Francofordiensi in epistola synodica [8] : necnon ab Agobardo, libro adversus Felicem [9].

Gaudentius Brixianus [10] : « Ex quo enim carnem, *inquit*, nostræ fragilitatis assumpsit, idem filius est hominis, qui et Dei ; quia non alius ex Maria natus est, quam qui per maternas illapsus aures uterum Virginis opplevit. »

Leporius in libello Emendationis [11], cui Africani episcopi, et inter hos Augustinus subscripserunt ; « In hoc maxime fides, *inquit*, nostra consistit, ut credamus unicum Filium Dei non adoptivum, sed proprium, non phantasticum, sed verum, non temporarium, sed æternum, pro nobis omnia secundum carnem fuisse perpessum. » Et ante hæc [12], « Nascitur ergo nobis, ait idem, proprie de Spiritu sancto, et Maria semper virgine, Deus homo, Jesus Christus filius Dei, ac sic in alterutrum unum fit Verbum, et caro, ut manente in sua perfectione naturaliter utraque substantia, sine sui præjudicio, et humanitati divina communicent, et divinitati humana participent : nec alter Deus, alter homo ; sed idem ipse Deus, qui et homo ; et vicissim homo, qui et Deus Jesus Christus, unus Dei filius et nuncupetur, et vere sit. » Hæc Leporii verba, ut et alia pleraque descripsit Cassianus in primo libro de Incarnatione, capite quinto. Quem proinde testem ejusdem de uno filio Dei sententiæ licet appellare ; quod illius dicta probavit, et contra Nestorianam hæresim opposuit. Verum præter ista, passim in totis illis septem de Incarnatione libris eidem dogmati suffragatur. Maxime in secundo libro [13], in quo θεοτόκον, id est *genitricem Dei*, beatam esse Mariam fuse approbat. Tum ita Nestorium aggreditur [14] : « Primum ergo illud a te requiro : Dominum nostrum Jesum Christum, qui ex Maria virgine natus est, hominis tantum filium, an etiam Dei dicas esse filium. Nos enim, id est catholi-

[1] Eph. 4. 10. — [2] Hier. tom. 3. 993. B. — [3] Faust. tom. 4. Bib. 672. B. — [4] To. 9. p. 26. A. 2. — [5] To. 8. p. 20. D. 1. — [6] § 5. — [7] Col. 795. — [8] Tom. 6. Conc. p. 175.

[9] Tom. 9. Bib. PP. 1186. et seq. — [10] Tract. 13. de Nativ. Dom. to. 2. Bib. col. 49. — [11] Lepor. p. 25. in Opusc. dog. a Sirm. edit. — [12] Ib. p. 11. — [13] Cap. 2. et seq. — [14] Ib. c. 6.

corum omnium fides, nos, inquam, omnes utrumque hoc et credimus, et intelligimus, et scimus, et confitemur; quod et hominis est filius, quia ex homine natus est; et Dei filius, quia ex divinitate conceptus.» Et mox, qualem intelligat Dei filium, clarius explicans : « Dei ergo filius Jesus Christus, *inquit*, quia et a divinitate genitus, et a divinitate conceptus. Si ergo Dei filius, ergo indubitanter Deus, etc.» Philippus presbyter libro primo commentariorum in Job, « Ipse homo, *inquit*, jam assumptus in gloria per unitatem personæ in Trinitate unus est filius Dei. »

Gennadius in libro de Dogmatibus ecclesiasticis, capite secundo : « Dei ergo filius, *inquit*, factus et hominis filius; natus secundum veritatem naturæ ex Deo Dei filius, et secundum veritatem naturæ ex homine hominis filius : ut veritas geniti non adoptione, non appellatione; sed in utraque nativitate filii nomen nascendo haberet ; et esset verus Deus, et verus homo, unus Filius. Non ergo duos Christos, neque duos filios fatemur, sed Deum et hominem unum Filium. »

X. Fulgentius haud secus atque illi omnes de hac re statuit. In tertio libro ad Trasimundum, capite sexto ; « Unus igitur, *inquit*, idemque Christus Dei et hominis filius, qui et semetipsum exinanivit, et plenus gratiæ, veritatisque permansit.» Et in libro de Incarnatione, capite 2. « Unus et verus Dei, atque hominis filius, unus idemque de Patre sine initio Deus semper genitus; de matre vero Deus secundum carnem temporaliter conceptus, et natus.» Et capite sequenti : « Unus est igitur Christus Dei filius in natura divinitatis et carnis. » Et in ceteris capitibus, ac libris, sæpius unicum et eumdem in utraque natura Dei esse filium affirmat Christum Dominum. Vide librum de fide ad Petrum, capite 13. 14. 15. Idem Fulgentius in libro de baptismo Æthiopis : « Ideo Dei filius, *ait*, non solum secundum veram divinitatem, quam habet de natura Patris, sed etiam secundum carnem, quam veram naturaliter habet de corpore genitricis, Deus verus et creditur, et prædicatur a nobis ; quoniam æterna divinitas Filii cum plena humanitate sua, et eadem plena humanitas Filii cum æterna divinitate sua, una est in Trinitate persona : et ipse totus in divinitate, atque humanitate sua unigenitus Filius cum Patre, et Spiritu sancto unus est Deus. »

Faustus Rhegiensis in epistola tertia ad Gregorium diaconum [1], dum « beatam Mariam non tantum matrem fuisse hominis, sed etiam Dei » asserit ; ac « filium Dei Deum verum de Maria nuper natum pro nostra salute, » et hujus generis alia : non obscure unum et eumdem filium Dei in duabus esse naturis adstruit.

Sic Ferrandus diaconus in epistola ad Severum [2], ita Filium Dei « pro redemptione humani generis humanam naturam suscepisse » dicit, « ut ille, qui in Trinitate perfecta Deus unigenitus permanebat, hic ipse ex Maria fieret primogenitus in multis fratribus : et hunc eumdem, quem genuerat Deus Pater ante omnia tempora, ipsum generaret homo mater, postquam venit plenitudo temporum. Principaliter enim fides nostra Christum Dei filium sic prædicat hominis filium, ut unum dicat Dei, et hominis filium ; nec alterum in divinitate Christum veneretur, alterum in humanitate; sed quem in divinitate, ipsum in humanitate. Propterea enim Deus factus est homo, quia non est alius Deus, alius homo; sed omnino qui Deus, ipse homo : et propter hoc qui homo, ipse etiam Deus Jesus Christus Dominus noster. Manens enim Deus Filius una in Trinitate persona venit ad Virginem, nec sibi aliam personam de ea assumpsit, sed aliam sic unitatem personæ suæ suscepit, ut persona, quæ semper erat, naturam susciperet carnis ; haberetque duas una Christi persona naturas. »

XI. Sic Petrus diaconus libro de Incarnatione, capite quinto. « Non enim est alter Deus, *inquit*, alter homo, sed idem Deus, idem homo. Qui enim naturalis est filius Virginis, idem naturalis est filius Dei. » Non ergo adoptivus est Dei filius, natus homo de Virgine.

Vigilius etiam libro quinto contra Eutychem [3] strenue Chalcedonensis synodi, et S. Leonis hoc decretum adversus calumniantes hæreticos defendit : « Unus, atque idem est vere filius Dei, et vere hominis filius ; » utiturque testimoniis illis de se Christi Domini, quæ capite superiori proposui : ut cum cæco ab se curato dixit [4], *Tu credis in Filium Dei ?* Vide eumdem et in libro quinto, in quo uberrime unum esse in utraque natura probat Christum, et Dei filium [5] : « Unum inquam, eumdemque Christum Dominum, unigenitum in duabus naturis, etc. » Et mox, « Unum, eumdemque unigenitum Filium Deum Verbum Dominum Christum. » Tum ex Cyrilli epistola ad Nesto-

[1] Faust. tom. 3. Bib. PP. col. 46. E. — [2] Tom. 3. Bib. col. 336. B.

[3] Vigil. lib. 4. to. 4. Bib. PP. col. 513. C. — [4] Joan. 9. 36. — [5] Vig. lib. 5. 532. A.

rium ista ponit : « Unus ex ambabus Christus et Filius, non evacuata, aut sublata diversitate naturarum per conjunctionem : sed quia simul nobis effecerunt unum Dominum, et Christum, et Filium. » Nihilo itaque magis duo filii sunt, quam duo Domini, aut duo Christi.

Idipsum et Arnobius in conflictu cum Serapione [1] egregie confirmat ex Hilarii, et Damasi pontificis auctoritate : illius, ex libello ad Constantium, qui locus hodie non extat : hujus, ex epistola ad Paulinum, quem supra descripsi [2]. Facundus Hermianensis libro primo, postquam illa Joannis verba [3] retulit, quæ nos supra commemoravimus ; quibus *Jesum Christum verum Dei Filium* appellat ; ita disputat : « Si autem Joannes Christum, id est unicum, verum Dei Filium dicit, quem et venisse testatur ; venire autem, et ungi, quantum ad naturarum discretionem spectat, humanitati potius, quam divinitati conveniunt ; et si Paulus, quem proprium Dei vocat filium, ipsi Patrem non pepercisse docet ; sed eum pro nobis omnibus tradidisse, et omnia ei donasse : quæ similiter cum de naturis agitur distinguendis, deitati non possunt attribui, etc. » Mox Hilarium citat, qui libro tertio, Christum Dominum cruci affixum, verum, non adoptivum filium esse testatur : cujus verba supra posita sunt [4]. Ac deinde [5], « Si blasphemum, et absurdum est, *ait,* quod B. Maria vere, et proprie dicitur mater Dei ; sine ulla disceptatione blasphemum, et absurdum est, quod Deus Verbum vere, et proprie dicitur filius hominis. Si autem et hoc blasphemum, et absurdum videtur, ut Deus Verbum vere et proprie dicatur filius hominis : consequenter blasphemum videbitur, et absurdum, ut ipse mediator Dei et hominum homo Christus Jesus vere, et proprie dicatur filius Dei. »

Sic Maxentius in Professione fidei [6], et dialogo primo, ubi [7] B. Virginem revera Deum genuisse, ac Dei esse matrem approbat; unum perinde esse verum et proprium Dei filium confirmat [8], ac « duas in uno filio Dei Deo Verbo nativitates » confitetur.

Mansuetus Mediolanensis episcopus, et ceteri episcopi in epistola, quam ad Constantinum Pogonatum e synodo sua scripserunt [9] ; « Non in duobus, *inquiunt*, filiis divisus, sed unus et idem Dei et hominis filius, in veritate duarum naturarum, in una subsistentia, sive persona, divinitatis scilicet et humanitatis, unitione facta : ut ex duabus perfectis naturis non duo filii ; sed unus idem Dei et hominis filius, permanens quod erat, cœperit esse quod non erat ; dum sine initio æterni Patris filius factus est hominis filius. »

Sed nescio quo modo præteritus a nobis est unus, illorum plerisque, quos recensuimus, antiquior Alcimus Avitus, cujus disertissima de eadem re sententia inter operum ejus fragmenta legitur. Ubi proposita Patris æterni voce [10], qua Christum, et hunc hominem, filium suum esse testatus est, cujusmodi filius sit ita declarat [11] : « Omnes quidem, sicut ait Apostolus, filii Dei sumus, et in oratione clamare præsumimus, Pater noster qui es in cœlis. Sed aliter filius est, de quo clamatur, Hic est filius meus dilectus. Illum ut habeat Pater filium, non præcessit voluntas generationem : nos autem per quam efficimur filii, in lavacro accipimus nativitatem. Et ideo quicumque homo potest filius Dei esse, potest et non esse. Unde dicit Joannes evangelista, quod dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus : ut aut permaneat filius bene vivendo, aut certe per carnalem conversationem rejiciat paternitatem. Christus autem, quem Dei Patris filium non fecit gratia, sed natura, nullo modo potest non hoc esse, quod genitus est : adeo ut substantiæ illi, quæ ex Deo procedit, nec ipsa, quæ ex homine nata est, præjudicaret. »

Animadverte de illo ipso, qui in monte discipulis suis inusitato splendore coruscans apparuit, quippe appellatus est Christus, (quod nomen sic utrique naturæ convenit, ut in humanum magis proprie cadere videatur,) ita, inquam, de illo sentire Alcimum, nullo modo gratia hunc esse, sed natura filium. Quod isto quoque argumento probat, quia quisquis adoptione filius est, potest non esse, quia peccare potest, et hanc dignitatem abjicere. Cum ergo Christus omnino sit ἀναμάρτητος, ut postea demonstrabitur, ex Aviti mente *adoptivus* filius haberi non potest.

Post hunc in unius ac proprii filii testimonium procedet Hildephonsus Toletanus episcopus, qui in libro de perpetua Virginitate sic scribit [12] : « Ergo non illum, ut ceteros adoptio filios, Dei fecit filium : sed divinitatis natura illum in proprium Dei filium exaltavit; donavit et illi nomen, quod est super omne nomen : ut esset totus Dei filius, homo et Ver-

[1] Pag. 548. et 549. — [2] § 5. — [3] 1. Joan. 5. 20. — [4] § 7. — [5] Fac. ib. p. 29. — [6] Maxent. tom. 4. Bib. 438. — [7] Ib. 466. et seq.

[8] Ibid. anath. 8. col. 441. — [9] In Act. Syn. 6. pag. 16. — [10] Lucæ 10. 5. — [11] Alcim. p. 170. — [12] Hildeph. tom. 9. Bib. PP. col. 125. B.

bum : quia nunquam non fuit Dei filius qui sempiternus permanet unici genitoris unigenitus. Nunquam igitur ipse purus homo conceptus, nec natus, sicut ceteri nascuntur infantes, ut ei ex adoptionis gratia, aut ex molimento virtutum prærogativa filii præstaretur : sed Dei Verbum, quia caro factum est, assumpsit hominem in se sine persona hominis, ut totus esset Christus proprius Dei filius, non ex dono gratiæ renascendo, ut ceteri; sed salva proprietate utriusque naturæ. »

His adjungendus est Beda ; qui libro primo allegoriarum in Job, de humana Christi natura loquens [1], « ita sibi eam indissociabili connexione conjunxisse Dei filium *ait*, ut ipse homo jam assumptus in gloriam, per unitatem personæ in Trinitate, unus sit filius Dei. »

Sequuntur omnes illi, qui contra Felicem Urgelitanum, et Elipandum Toletanum, adoptionis in Christo propugnatores, ex professo scripserunt : inter quos primarii sunt Carolus magnus Francorum rex, Paulinus Aquileiensis, Agobardus Lugdunensis, Albinus Flaccus, Beatus, et Etherius : quorum sententias, ac verba commemorare superfluum est, cum integri extent illorum de hoc argumento libri.

CAPUT TERTIUM.

Argumenta quibus probatur, Christum non esse adoptivum filium. — 1. Primum, quod adoptivus nemo sit, quin alienus fuerit. — 2. Ex quo probatur unum esse filium. — 3. Eumque Dei pariter et Virginis. Nec adoptivum dici posse ratione gratiæ quodammodo illi naturalis. — 5. Alter locus argumentandi ex personæ singularitate ducitur. — 6. Tertius, quod totus sit Dei, et totus hominis filius. — 8. Postremum argumentum, quod nusquam adoptivus in Scripturis appellatur.

I. Quo sit ad usum aptior, et tractabilior ingens illa testium catholici dogmatis copia, quos superioribus duobus capitibus citavimus; quasdam illorum ex sententiis confectas, et conclusas rationes deinceps afferam, quibus adoptivum non esse Dei filium Christum Dominum, pressius ac pugnacius ostenditur.

Id autem primum omnium ex adoptionis natura ipsa, et proprietate colligi potest, quam Paulinus Aquileiensis in Libello sacrosyllabo [2], et Albinus Flaccus ita proponunt : ut nemo adoptivus dici possit, nisi qui prius alienus ab eo sit, a quo adoptari desiderat. « Filiorum namque (verba sunt Alcuini [3]) adoptivi alii sunt ; naturales alii ; hi quia geniti, ab initio filii semper, ac proprii sunt : illi primo alieni, post filii, cum per adoptionem in familiam videntur adscisci. » Cujus subinde testem citat Augustinum. « Quia, ut beatus Augustinus ait (pergit ibidem), ex alieno quodam adoptivus solet effici. » Agobardus in libro contra Felicem [4], integrum refert Augustini locum, qui est ille ipse, quem ex Alcuino descripsimus. Atqui ne momento quidem temporis Christus, etiam quatenus homo, fuit alienus. Quippe alienum a Deo nihil est, nisi quod non est Deus. Christus autem nunquam non Deus fuit ; neque prius homo ille vel puncto temporis extitit, quam esse Deus, uti superius probavimus [5]. Nullum itaque vacavit spatium adoptivo illi statui. Hoc argumento Paulinus utitur Aquileiensis tam in Libello sacrosyllabo, quam in primo contra Felicem [6], « Christus, *inquit*, qui nunquam non fuit Deus homo ; ex quo enim assumptus est a vero Deo in unitate personæ, semper permanet verus Deus et homo. Licet sit aliud per quod Deus, et aliud per quod homo, sed in utroque unus Deus, et homo. Nec fuit aliquando purus conceptus vel natus homo. Sed quia conceptus, vel natus est de Spiritu sancto, et virginea carne, ex ipsa conceptione, vel ineffabili nativitate Deus verus processit et homo. Quomodo ergo non semper vel totus verus est Deus, qui nunquam fuit sine vero Deo nec conceptus, nec natus? Nec accessit illi, ut Deus esset nuncupativus aliquando, qui homo verus in unitate nasci personæ meruit veri Dei : nec fuit unquam Christus alterius personæ, nisi semper veraciter Dei veri. »

[1] Beda in cap. 1. Job. tom. 4. col. 449. — [2] In Concord. Francof. to. 6. Conc. 166. et 170.

[3] Alch. lib. 1. contra Elip. col. 931. — [4] Agob. to. 9. Bib. 1184. — [5] Lib. 4. c. 10. — [6] Paulin. inter Alch. opera. 1807. A.

Hæc ratio ab Hilario in libro 12. de Trinitate ad Verbi Deique filii naturalem proprietatem adstruendam adversus Arianos accommodata est. Nam et nos adoptivos esse duntaxat filios, et Verbum naturalem esse, non adoptivum, hoc modo demonstrat. « Et quia omne quod fit, *inquit*, antequam fiat, non fuit : nos cum filii non fuissemus, ad id quod sumus efficimur. Ante enim filii non eramus; sed postquam meruimus hoc, sumus. Sumus autem non nati, sed facti : neque generati, sed acquisiti. » Et paucis interjectis, « Unigenitus autem Deus neque fuit aliquando non filius; neque fuit aliquid antequam filius; neque quidquam aliud ipse nisi filius. Atque ita qui semper est filius, non reliquit id de se intelligentiæ, ne aliquando non fuerit. » Quod de Christo propter divinitatem ab Hilario positum, potest et ad eumdem qua hic homo est tranferri. Siquidem ne puncto quidem temporis homo extitit, quo Deus non esset, ac proinde proprie dictus et naturalis filius.

II. Hic veluti fons est argumentationum omnium, quas Patres, et antiqui theologi contra Nestorianos, et Hispanos illos episcopos duos instruunt, et adversus hos, Christum nulla in natura filium esse Dei adoptivum probant, sed verum, proprium, ac naturalem.

Hinc enim consequens imprimis est, quod ab illis contenditur, et quo uno demonstrari quod propositum nobis est existimant : unum duntaxat esse filium, sive filii rationem, et, ut ita loquar, *filietatem* in Christo, « Christus Deus, ait Hildephonsus [1], qui nunquam non fuit, ex quo homo factus est, et assumptus, in unitate personæ semper mansit, et permanet verus Deus homo : non duo quidem, ut esset alter Deus, et alter homo ; sed unus, idemque Deus homo. Quamvis enim aliud, per quod Deus, et aliud, per quod homo : in utroque tamen unus Deus et homo, quia non fuit aliquando purus sine Deo conceptus vel natus homo. Sed quia conceptus est de Spiritu sancto ex virginea carne, et natus homo vere, mox ex ipsa conceptione ineffabili nativitate, Deus verus processit, et natus est homo. »

Et Paulinus Aquileiensis in Sacrosyllabo libello [2], « Dei ergo filius, *ait*, qua ratione credi potest adoptivus, qui inseparabiliter assumpto homine, in una persona coeunte utraque natura, non duo filii, alius Dei, et alius hominis, et (sicut illi errando æstimant) adoptivus sit hominis filius, et sine adoptione Dei filius : sed in una persona unus idemque Dei, et hominis filius, qui nunquam hominem, quem assumpsit, deseruit. »

Sic Petrus Damiani in Opusculo primo, capite septimo [3] : « Una igitur est in Christo substantia, vel persona, *inquit*, sed non una substantia, vel natura, ut quanquam aliud divina, aliud substantia sit humana, in Christo tamen nullo modo alius filius hominis, alius credatur esse filius Dei. Ab ipso quippe Dominicæ incarnationis exordio, et Deus in hominem transiit, et homo in Deum; ut et is, qui ex Deo Patre ante secula natus est, et vere sit hominis filius, et vere sit homo : et is, qui in fine seculorum de Virgine natus est, et vere sit Dei filius, et verus sit proculdubio Deus. »

Est igitur, quod et alibi [4] pluribus asseveravimus, Christus, etiam qua est hic homo, Dei filius, atque unus adeo; ut inter alios aperte testatur auctor ille, qui Titus Bostrensis nominari solet, ad illa Lucæ verba [5], *Ideo et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*, quæ sic enarrat : « (1) Ut homo ille quidem natura sit futurus; sed qui idem sit Dei filius, et unus. » Quamobrem cum Christus in solidum sit unus filius, tam ut homo est, quam ut est Deus, nec alius filius sit qua est hic homo, quam ut est hic Deus, profecto non erit adoptivus. Paulinum rursus audiamus in libro primo contra Felicem Urgelitanum [6]. « Aliter quippe, *ait*, ex Patre; quia ante omnia secula, et sine initio invisibilis, et incorporalis de coæterno natus est genitore. Aliter profecto ex matre, quia certo in tempore Verbum caro factum corporaliter natus est Deus homo. Et non alius, qui ante secula, et alius, qui in tempore, sed unus idemque ex utraque, et in utraque natura : remoto scilicet nuncupativo Dei, et adoptivo filii modis omnibus vocabulo, et ante partum, et post partum Virginis unus et verus Deus, verusque permanet filius Dei. Non enim potest unus dividi, et idcirco non tibi conceditur, ut ex parte verus, et ex parte non verus credatur; nec gemina naturarum discretio in una ineffabiliter coeunte separari valet persona. »

(1) Titus Bostr. in cap. 1. Lucæ tom. 13. bibl. PP. pag. 766. E. Ἀλλ' ὡς ἄνθρωπον κατὰ φύσιν, τὸν αὐτὸν ὑπάρχειν Υἱὸν Θεοῦ, καὶ ἕνα. Vide Isidorum Pelusiotam libro 1. epistola 303.

[1] Hildeph. to. 9. col. 124. D. Bibl. PP. — [2] Tom. 6. Conc. p. 170. A. 1. — [3] To. 3. p. 5.

[4] Ut lib. 5. c. 14. et seq. — [5] Luc. 1. — [6] In calce oper. Alch. 1804. B.

III. Etenim si esset adoptivus, non alia id illi ratione conveniret, nisi quatenus est homo. Atqui Christum, ut hic homo est, unum eumdemque esse filium unigenitum Dei Patris, perinde atque ut Deus est, asserunt antiqui Patres, tametsi divinitas ab humanitate distet. « Non alius filius hominis, quam qui filius Dei est, (ait Hilarius libro 10. [1]) neque alius in forma Dei, quam qui in forma servi perfectus homo natus est. » Quo fit ut θεοτόκον, hoc est vere proprieque *Dei genitricem* illius appellent matrem sanctissimam Virginem : ut suo loco disseruimus [2]. Hoc autem neque vere, neque proprie nominari posset, si non qua est hic homo, hoc est qua genitus est a beatissima Virgine, reipsa proprieque hic Deus esset. Non est autem aliud hic Deus, quam Dei Filius. Quare ut est hic homo, proprius et naturalis est Dei Filius, sed in altera natura, hoc est in humana subsistens. Quod si ut hic homo est, verus est, proprieque dictus Dei filius; nequaquam est alienus. Si alienus non est, nullo modo erit adoptivus. « Si igitur nuncupativum, ait recte Paulinus idem [3], et non verum Deum ex utero vera mater genuit, illum videlicet, eumdemque, qui ante Luciferum ex paterno utero, hoc est ex Patris essentia sine initio genitus, permanens id semper quod erat; quomodo vera Dei genitrix beata Virgo omnium Catholicorum verissimo confitebitur ore? Fateantur necesse est hæretici eam nuncupativam genitricem, si nuncupativæ ab eis putabitur genitrix prolis. Catholica vero, atque apostolica fides verum Deum, verumque, qui natus est, hominem, veramque, quæ genuit, Dei genitricem, non duos, sed unum, verum, propriumque Dei filium, nec duos, sed unum verumque Deum Jesum Christum Dominum nostrum et confessa est, et confitetur, et æterna confitebitur perpetuitate. »

Hinc illa perennis Christianorum omnium professio, etiam ante Nestorianam exortam hæresim in Ecclesia celebrata, unius filii, in naturis duabus, minimeque pro harum numero partiti in duos, ac distincti. Quam Ephesina synodus plenius, apertiusque concepit, ac pluribus antiquorum testimoniis approbavit. E quibus duo non amplius hic referam. Unum est Julii papæ in epistola ad Docium, qui sic loquitur : « (1) Non duo filii, unus quidem germanus filius, qui hominem assumpsit, alter vero mortalis homo, assumptus a Deo : verum unus unigenitus in cœlo, unigenitus in terra, Deus. » Alterum est Felicis papæ et martyris, ex epistola ad Maximum episcopum, et clerum Alexandrinum : « (2) De incarnatione, *ait*, Verbi, et fide, credimus in Dominum nostrum Jesum Christum, qui ex virgine Maria genitus est; atque hunc ipsum Dei esse filium, æternum Verbum, et non hominem a Deo assumptum, ut diversus sit ab illo. Non enim hominem assumpsit Dei filius, ut sit ab ipso diversus : sed Deus perfectus factus est simul homo perfectus, incarnatus ex Virgine. »

IV. Quapropter merito gravissimi illi theologi, qui tam adversus Nestorium, quam contra Felicem, et Elipandum, singularem esse Dei filium probare instituerunt, in illo loco, ac genere argumentationis habitarunt, ut unum tantummodo demonstrarent esse filium Dei Christum Dominum, et quidem verum, naturalem, et proprie dictum. Hoc enim confecto, necessario sequi viderunt, non posse dici, ac censeri adoptivum, ac nuncupativum filium, cum utramque naturam veri, et germani proprietas occuparit. Quo uno argumento fere Paulinus toto in primo libro contra Felicem utitur.

Dicat aliquis, eo pertinere omnia illa testimonia, ut fateri cogamur, hunc hominem Christum esse hunc Deum, id est Verbum, verumque Dei filium : quod non negabat Felix, nec Elipandus; sed nihilominus eumdem hominem, propter unitatem personæ, naturalem esse filium; quatenus autem anima illius gratia, et charitate imbuta est, adoptivum censeri. Verum excludunt sese ista mutuo, nec in eumdem cadere possunt, ut sit alienus pariter, et naturalis filius. Atqui Patres omnes uno ore prædicant non esse duos in Christo filios, sed unum duntaxat; ut pro naturarum numero, filii ratio, et appellatio multiplicari non debeat.

(1) Julius in act. 1. conc. Eph. pag. 268. Οὐ δύο υἱοὶ, εἷς μὲν γνήσιος Υἱὸς ἀναλαβὼν ἄνθρωπον· ἕτερος δὲ θνητὸς ἄνθρωπος, ἀναληφθεὶς ὑπὸ Θεοῦ. Ἀλλ' εἷς μονογένὴς ἐν οὐρανῷ, μονογενὴς ἐπὶ γῆς, Θεός.

(2) Felix ibid. Περὶ δὲ σαρκώσεως τοῦ Λόγου, καὶ τῆς πίστεως πιστεύομεν εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν ἐκ τῆς παρθένου Μαρίας γεννηθέντα· ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ τοῦ Θεοῦ Υἱὸς, ἀΐδιος Λόγος, καὶ οὐκ ἄνθρωπος ὑπὸ Θεοῦ ἀναληφθεὶς, ἵν' ἕτερος ᾖ πάρ' ἐκεῖνον. Οὐδὲ γὰρ ἄνθρωπον ἀνέλαβεν ὁ τοῦ Θεοῦ Υἱὸς, ἵνα ᾖ ἕτερος παρ' αὐτόν· ἀλλὰ Θεὸς ὢν τέλειος, γέγονεν ἅμα καὶ τέλειος ἄνθρωπος, σαρκωθεὶς ἐκ παρθένου.

[1] Hilar. lib. 10. p. 70. H. — [2] Lib. 5. c. 14. et seq.

[3] Apud Alch. col. 1782.

Sane qui adversus unius naturæ defensores, quos *Monophysitas* vocant, catholicum dogma propugnarunt, cum plerique Christum ex duabus naturis, et in duabus esse contenderent [1], atque ita compositum, et duplicem in naturis constituerent [2]; non sic intellexerunt, ut duas inesse subsistentias, vel personas putarent : sed esse formas duas, divinam, et humanam, propter quas διπλοῦς esset, arbitrati sunt. Quocirca si perinde *filietates*, ut sic loquar, tanquam formæ duæ sunt in Christo; oportuit duplicem quoque filium, id est διπλοῦν υἱὸν eosdem illos agnoscere, ac palam confiteri. Quod ipsum tamen constanter omnes inficiati sunt, unum et eumdem prædicantes esse Dei hominisque filium, et utriusve verum, proprium, ac naturalem; nusquam Dei filium duplicem : neque triplicem adeo, quod indidem efficitur, titulum filii. Siquidem præter adoptivum unum Dei, naturalis filii ratio bifariam scinditur, ut et Deum, et hominem respiciat.

Præterea cum naturæ creatæ, id est humanæ, proprietas, quamvis a Dei natura et proprietate tanto intervallo distet, non impediat, quin Christus etiam in ista ipsa natura, et ut homo est, eamdem, quam ex divino censu habuit, veri et naturalis filii conditionem retineat, ac sit proprie dictus Dei filius; nec ob eamdem illam imparem, inferioremque naturam, adoptivus censeatur : certe *gratia* ipsa *sanctificans*, et justitia, qua illius anima perfusa est, cum ad divinitatem participatione quadam propius accedat, quam natura simplex, et substantia, non obsistet veri, propriique filii dignitati, neque novum, et ab naturali diversum *filietatis*, ut sic loquar, genus inducet.

V. Alter locus, ex quo demonstrari potest adoptivum Dei filium non esse Christum, ex personæ unitate ducitur. Etenim filii ratio, sive *filietas*, ex persona ipsa, et ex personali proprietate, non ex natura præcise considerata sequitur. Hoc argumento utitur Paulus Emesenus in conciuncula quadam, quam Alexandriæ coram Cyrillo habuit, in qua verba illa Petri apostoli declarans, *Tu es Christus Filius Dei vivi,* ita loquitur : « (1) Non dixit, filii; sed, Filius Dei vivi. Agnovit singularem personam. » Sic Arelatense sextum tempore Caroli M. habitum, anno 813. capite primo. « Non enim duo filii, et dii duo, sed idem una persona in utraque natura. » Et Fulgentius in libro de baptismo Æthiopis, capite tertio, « Æterna divinitas, *inquit*, Filii cum plena humanitate sua, et eadem plena humanitas Filii cum æterna divinitate sua, una est in Trinitate persona : et ipse totus in divinitate, atque humanitate sua unigenitus filius cum Patre, et Spiritu sancto unus est. »

Recte Paulinus Aquileiensis duo illa supra dicta confirmat; neque proprietatem filii ex natura ipsa consequi; ut pro eo earum numero multiplicanda sit; et unitatem personæ unum genus admittere *filietatis*, adoptivi et adscititii respuere. Etenim Felici respondens, qui quod in eadem Christi persona ungens et unctum differant, hoc ad filii adoptivi defensionem assumebat; « Verus, *inquit* [3], Deus unctus a vero Deo; non sicut tu anili fatuaque consuevisti obscurius fauce delirare, nuncupativus Deus a vero Deo unctus sit; sed verus Deus unctus a vero Deo, in forma proculdubio creditur servi. Deus igitur verus Christus Jesus habuit alterius generis formam, in qua ungi possit a Deo vero. Non tamen habuit alterius filii personam : per quam se duplicare possit in alterum. Quoniam non persona unigeniti, sed naturarum diversitas tantummodo in hoc Incarnationis sacramento recipit discretionem. Nam semper verus, et unigenitus Filius, semperque verus, et super omnia Deus benedictus in secula. »

Eamdem vim habet illa ratio, quæ ex Christi singularitate sumitur : quam crebro Cyrillus contra Nestorium adhibet, duos, ut sæpe dixi, revera Christos filiosque confitentem, natura videlicet ac substantia, id est hypostasi diversos; etsi fraudulenter unum suo more sensuque diceret. Adversus hunc enim Cyrillus tum in libris, quos nominatim in eum scripsit, tum in Anathematismorum defensione, necnon in epistolis ad Successum, et in aliis passim opusculis, id unum contendit; ex unitione, et post eam nonnisi unam esse naturam incarnatam Dei Verbi : hoc est non duos cogitandos divisos a se invicem, ac sejunctos; sed unum plane Verbum, ac Dei filium, qui in utraque natura, verus proprieque dictus existit filius Dei. De quo vide quæ in quinto libro, et sexto disputavimus. Etenim ex eo, quod naturæ ipsæ post unitionem spectatæ ita differant, ut non sint divisæ, nec duos efficiant; sed unus sit Christus, et Dei filius, in

(1) PAUL. Emes. in Eph. conc. par. 3. pag. 590. E. Καὶ οὐχ εἶπεν, οἱ υἱοί, ἀλλ' ὁ Υἱὸς τοῦ ζῶντος. Ἐπέγνω καὶ τὸ μοναδικὸν πρόσωπον.

[1] Vide sup. lib. 3. cap. 5. — [2] Ibid. c. 14. et seq. — [3] Paul. in calce operum Alch. 1818. E.

quem singularum naturarum propria confluant, et ei proprie, ac vere tribuantur, (quod adversus Nestorium et Orientales omnes pertinacissime tuetur Cyrillus,) plane hoc necesse est, non esse, dicive posse Dei filium adoptivum unum illum, eumdemque Dei filium : ne Verbum ea ipsa ratione sit adoptivus, qua est naturalis, Dei filius, hoc est persona, et hypostatica proprietate ; quæ hunc hominem, perinde atque hunc Deum, constituit ac determinat.

Huc spectat Hildephonsi locus ille ex libro de virginitate sanctæ Mariæ, capite 6. [1] « Horum itaque vaticiniorum omnium ad hoc summa porrecta est, ut de Spiritu sancto, et Maria semper virgine fieret hoc Verbum caro, fieret Deus homo, fieret humanum, quod erat divinum ; non diminutione deitatis, non interitu æternitatis, non commutatione incommutabilis veritatis ; sed assumptione carnis, sed participatione hominis, sed societate humanitatis. Sicque in unione personæ idem sit Verbum, qui caro ; idem sit homo, qui Deus ; idem sit et qui divinitas, et qui humanitas est. Ac per hoc juxta Jeremiam, ipse unus Christus sit Deus, qui invenit omnem viam prudentiæ, qui et cum hominibus conversatus est homo. »

Sic Isidorus Hispalensis [2], « Mediator, *ait*, Dei et hominum homo Christus Jesus nequaquam alter in humanitate, alter in deitate est : sed in utraque natura idem unus est. Nec purus homo conceptus est, nec purus homo editus est, nec postea meritum ut Deus esset accepit. » Et paulo post : « Mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus, quamvis aliud ex Patre, aliud ex Virgine ; non tamen alius ex Patre, alius ex Virgine ; sed ipse æternus ex Patre, ipse temporalis ex matre. » Paulinus item Aquileiensis [3], « Permansit verus, et omnipotens Deus, *inquit*, in utraque natura unus Dei filius, idemque hominis filius, nihil enim humana nativitas divinæ præjudicat nativitati. Assumpsit quod non erat, permansit in id essentialiter quod erat, non commixtionem passus, neque divisionem : sed in una persona Christi Deus et homo permanet verus : non duo filii Deus et homo : sed unus filius Deus et homo : non alius filius hominis, et alius Dei, sed unus idemque Dei hominisque filius. »

VI. Tertius argumentandi locus inde arcessitur, quod pro indiviso filii ratio et proprietas ita Christo in utraque natura convenit, ut totus sit filius Dei, et totus filius hominis, naturalis utrobique, non adscititius. « Quamvis enim unus atque idem sit, ait Gelasius papa [4], Dominus Jesus Christus, et totus Deus homo, et totus homo Deus, et quidquid est humanitatis, Deus homo suum faciat ; et quidquid est Dei, homo Deus habeat ; tamen ut hoc permaneat sacramentum, nec possit ex aliqua parte dissolvi, sic totus homo permanet esse quod est Deus, ut totus Deus permaneat esse quidquid homo est. »

Pelagius quoque primus in professione fidei ad Childebertum Francorum regem [5], « Est ergo unus, *ait*, atque idem Christus verus filius Dei, et idem ipse verus filius hominis, perfectus in deitate, et idem ipse perfectus in humanitate ; utpote totus in suis, et idem ipse totus in nostris. » Quod ex Leonis primi epistola decima ad Flavianum mutuatus est [6] : quemadmodum et Maximus martyr in disputatione cum Pyrrho, « (1) Ipse totus, *inquit*, erat Deus cum humanitate, et totus ipse homo cum divinitate. » Joannes etiam Damascenus hypostasim, sive personam divinam ait, « (2) non esse aliquando naturæ illius, aliquando istius. Sed utriusque semper indivise, et inseparabiliter hypostasis existit ; non partita, vel divisa, ita ut partem sui naturæ huic, partem illi tribuat. Sed tota hujus, et tota illius, indivisibiliter, et in solidum existens. »

Symmachus papa ad Anastasium imperatorem ab Agobardo Lugdunensi episcopo citatus [7], « Christus, *inquit*, Deus veraciter totus, et totus homo est. » Ex quo ita disputat Agobardus : « Ecce beatus papa Symmachus totum Christum dicit veraciter Deum esse, et totum hominem. Si ergo totus veraciter Deus, totus utique verus Deus, et proprius filius Dei, quia tota generatio dedit nomen filii, non medio, ut vult Felix, quanquam nec humanitas sit de substantia Patris, nec divinitas de substantia matris. Sed quia Verbum Dei unius cum Patre substantiæ in unitate personæ suæ

(1) Maxim. Ἐπειδὴ ὁ αὐτὸς ὅλος ἦν Θεὸς μετὰ τῆς ἀνθρωπότητος, καὶ ὅλος ὁ αὐτὸς ἄνθρωπος μετὰ τῆς θεότητος.

(2) Joan. Damasc. lib. 3. cap. 9. Οὐδὲ ποτὲ μὲν τῆσδε, ποτὲ δὲ ἐκείνης· ἀλλ' ἀεὶ ἀμφοτέρων ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίστως ὑπάρχει ὑπόστασις, οὐ μεριζομένη, καὶ διαιρουμένη, καὶ μέρος μὲν ἑαυτῆς τῇδε, μέρος δὲ τῇδε διανέμουσα· ἀλλὰ πᾶσα ταύτης, καὶ πᾶσα ἐκείνης ἀμερῶς, καὶ ὁλοσχερῶς ὑπάρχουσα.

[1] Hildeph. to. 9. Bibl. 102. C. — [2] Lib. 1. sent. 16. — [3] In lib. Sacros. to. 6. Conc. p. 169. F.

[4] Tom. 4. Bibl. col. 417. C. — [5] To. 4. Conc. 409. D. 2. — [6] Leo ad Flavian. c. 3. — [7] Agob. to. 9. Bibl. 1186. A.

suscepit nostram substantiam, non erit alio modo filius post humanitatis assumptionem, nisi quo erat et ante Incarnationem. »

Præclare itidem Alchuvinus in secundo contra Felicem : ubi etiam illa confirmat, quæ contra filium adoptivum supra disserui [1], ex naturarum diversitate : « Nam si necesse est adoptivum esse Christum, *ait* [2], Dei Patris, propter quod ex substantia sua natus non est secundum carnem, quomodo non est adoptivus filius Virginis ille, qui natus est ex Deo, quia de ejusdem virginis substantia creatus non est? Ergo si necesse est hominem ex Virgine natum Virginisque filium adoptive esse filium Dei : ipso modo necessarium est, Deum Dei filium adoptive esse filium Virginis, quia alia substantia est Dei Patris, de qua essentialiter natus est Dei Filius; alia Virginis, de qua corporaliter natus est Christus. Aut si hoc non audetis dicere (quia Christianum nomen habetis) ut B. Virgo non sit proprie Dei genitrix, sed per adoptionem : æquum est, ut non audeatis affirmare, filium Virginis adoptivum esse Dei Patris filium. Quid igitur restat, nisi ut utriusque parentis verus, et perfectus in duabus substantiis Jesus Christus sit filius totus Dei Patris proprius, totus Virginis matris proprius : ut sit unus Christus, unus Filius, et unus Deus? »

VII. Atque hoc argumenti genere Orientales in oppugnatione anathematismi decimi Cyrilliani, unum in duabus naturis esse Filium probant : « (1) Non enim duos, *inquiunt*, filios asserimus, unum qui passus est, alterum qui passionis expers mansit. Non enim separatim, ac seorsim a divinitate is, qui ex semine est Davidis, filius nominatus est; quemadmodum neque divinitas post unitionem sine carne adspectabili filius appellatus est. Quippe filietas post unitionem una est ambabus naturis minime a se mutuo separatis. Non enim post unitionem separatio incidit; manet enim unitio sempiterna. »

Qui locus valde est observandus. Nam præclaram rationem subjicit, ob quam duæ *filietates* in Christo inesse nequeunt; quod neutra sine altera natura filii appellationem sustinet.

Ad hunc eumdem locum referendum est tritum illud apud Cyrillum, aliosque veteres, ad summam, et arctissimam naturarum duarum in Christo significandam junctionem; quod caro sit ἰδία, id est *propria* Verbi, non aliena. Ideo quidquid in carnem, id est humanitatem cadit, imputatur Verbo; et vicissim homini tribuitur quidquid proprium est Verbi. De quo cum jam alibi dictum sit, iterum in sequentibus agetur. Ex eo vero sequitur, non posse vocari Christum adoptivum Dei filium propter humanam ipsius naturam; ne eadem appellatio, et proprietas in ipsum retorqueatur, ac redundet Verbum, et Deum : quod fieri non posse supra docuimus.

VIII. Postremum genus argumenti ex eo conficitur, quod nusquam in Scripturis *adoptivus* Dei filius appellatur Christus Dominus, cum verus et proprius non raro nominetur. Atque hoc telo nascentem Felicianam hæresim Francofordiensis synodus conficit in epistola synodica ad Hispanos episcopos [3]. « Tu vero quisquis es, qui Christum prædicas adoptivum, *inquit*, unde tibi iste sensus venisset, voluissem scire : ubi hoc nomen didicisses, ostende. Patriarchæ nescierunt, prophetæ non dixerunt, apostoli non prædicaverunt, sancti tractatores hoc nomen tacuerunt, doctores fidei nostræ non docuerunt. Forte in tertium cœlum raptus fuisti, et ibi audisti arcana verba, quæ hucusque sanctæ Dei Ecclesiæ ignota essent, si tu in tertium cœlum raptus non esses. Aut super pectus Domini recubuisti, et ibi audivisti, quæ B. Joannes audire non meruit. Aut te per choros angelorum agnus ducens, hoc tibi nomen ostendit. Aut tibi leo de tribu Juda librum septem sigillis clausum aperuit, unde hæc mysteria intelligeres, et nomina proferres; quæ quatuor animalibus incognita mansissent, imo toti mundo inaudita, nisi tu novus doctor ad declarandum tuum nomen venisses. Dices enim, Cur times adoptivum Christum Dominum nominare? Dico tibi, quia nec apostoli eum sic nominarunt, nec sancta Dei, et catholica Ecclesia consuetudinem habuit eum sic appellare : sed proprium filium, juxta præcedentia apostolorum testimonia, et sanctorum doctorum dogmata. »

Idem et adversus Elipandum objicit Alchuvinus initio libri primi contra hæreticum

(1) Orient. apud Cyr. tom. 6. pag. 186. A. Οὐ γὰρ δύο υἱούς φαμεν, τόν τε παθόντα, καὶ τὸν ἀπαθῆ μείναντα. Οὐ γὰρ κεχωρισμένως, καὶ ἰδιαζόντως τῆς θεότητος ὁ ἐκ σπέρματος Δαβὶδ Υἱὸς ὠνόμασται. Ὡς οὐδὲ ἡ θεότης μετὰ τὴν ἕνωσιν ἄνευ τῆς φαινομένης σαρκὸς προσηγόρευται. Τὸ γὰρ τῆς υἱότητος μετὰ τὴν ἕνωσιν ἑκατέραις ταῖς φύσεσιν ἕν, οὐ κεχωρισμέναις ἀλλήλων· οὐ γὰρ μετὰ τὴν ἕνωσιν χωρισμὸς ἐπεγένετο. Μένει γὰρ αἰώνιος ἡ ἕνωσις.

[1] § 4. — [2] Alchuvin. lib. 1. col. 795. A.

[3] Francof. Syn. tom. 6. Conc p. 177. F. 1.

istum : et Paulinus Aquileiensis in primo itidem libro contra Felicem [1].

Nec leve ducendum est illud argumentum, quod ex sacrarum litterarum, et sanctissimorum Ecclesiæ doctorum, ac magistrorum silentio petitur. Nihil enim nos in tanti momenti re, nisi ex præscripta regula, non modo sentire, sed ne verbo quidem proferre licet. Est autem loquendi norma ista vel expressa Scripturæ sententia; vel tacite comprehensa, et Ecclesiæ decreto, sanctorumve Patrum auctoritate probata, et in usum recepta. Quorum neutro præsidio nititur adoptivi illa filii proprietas, et appellatio; cum e contrario, non obscuris præjudiciis, atque etiam disertis illorum sententiis damnata, repudiataque sit, ut hactenus ostendimus. Quod si qua sunt apud veteres loca, quæ illi suffragari videantur, ea nos in sequenti capite, una cum Felicis et Elipandi præcipuis illius hæresis firmamentis, accurate pertractabimus.

CAPUT QUARTUM.

Expenduntur loca quædam veterum, quæ adoptivum esse Dei filium Christum affirmare videntur, — 1. ut Irenæi, — 2. Marii Victorini, Eusebii Cæsariensis, — 3. Cyrilli. — 4. Plerique tamen explicari commode possunt, velut qui duos filios nominarunt. — 5. Primum argumentum, quo probari posse videtur, adoptivum filium esse Christum. — 6. Sed dissolvitur certa ratione, quæ ad Patres superius citatos explicandos pertinet. — 7. Secundum, et tertium argumentum perinde refellitur : — 8. tum quartum. — 9. Item quintum, — 10. et sextum. — 11. Non esse adoptivum filium Christum, videtur ad fidem pertinere.

I. Non est bonæ causæ confidentis hominis id consulto præterire, ac dissimulare, quod objectum ex parte contraria fuisse, vel objici posse cognoverit. Itaque post constitutam, corroboratamque catholicam de vero Dei filio professionem, ea nos in medium adducemus, quibus adoptivi in Christo filii opinio utcumque fulciri videtur. Est autem genus illorum duplex : nam et auctoritate, et ratione contra disputatur. Sed quod ad prius spectat; qui adoptivum putarunt dici filium posse Christum, perpaucis, nec ad rem valde pertinentibus usi sunt antiquorum testimoniis, præter unum. Nos plura hic afferemus, et quoad licet enodabimus.

Primus adoptivi testis filii citatur Irenæus in libro tertio, capite 21. sed mirum est eruditos theologos illius verba de Christo potius explicari passos esse, quam de hominum genere, qui Christi beneficio potestatem nacti sunt, ut filii Dei fieri possent. Irenæi locum habes ad eam sententiam accommodatum supra, capite octavo libri secundi [2]. In quo animadvertes, veterem Irenæi interpretem locum illi suspicioni dedisse : qui nonnulla prætermisit, quæ in græco apud Theodoretum leguntur [3]. Sed etsi hunc ipsum credamus ea, quæ in latinis desunt, adjecisse de suo explicandi gratia : nihilominus ex iis quæ proxime præcedunt, et quibus hominum causa Verbum Dei factum esse hominem scribit Irenæus, evidens est, quod subinde pertexit, ad eosdem homines referri. Tum quod statim sequitur : « Non enim poteramus aliter incorruptelam, et immortalitatem accipere, nisi adjuncti fuissemus incorruptelæ, et immortalitati ; » causam proxime antecedentis sententiæ continet, et hanc de hominibus ceteris potius, quam de Christo intelligendam arguit.

II. Marius Victorinus [4] meliori ab iisdem theologis jure in illam sententiam adducitur. Hic enim adoptionem quamdam Christo tribuit ita scribens : « Non sic, *inquit*, filius, quemadmodum nos. Nos enim adoptione filii, ille natura. Etiam quadam adoptione filius et Christus ; sed secundum carnem : Ego genui te. » Hilarius in secundo libro de Adoptione nescio quid injicit [5] : « Ita potestatis, *ait*, dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur. » Hunc locum tanquam ex adversa parte opponit sibi S. Thomas [6], et respondet, impropriam

[1] In calce oper. Alch. 1806. B. — [2] § 2. — [3] Dial. 1. p. 35.

[4] Tom. 4. Bib. 187. A. — [5] Lib. 2. p. 10. F. — [6] In 3. Par. qu. 23. ar. 4. ad 1.

hanc esse locutionem; nec aliud adoptionis nomine Hilarium intellexisse, nisi *unionem hypostaticam*. Alii[1] pro *adoptatur*, scribendum censent *adoratur* : quod non puto sine idonea veterum codicum auctoritate reponendum. Quanquam Hincmarus Remensis in præfatione libri de Prædestinatione contra Gothescalcum, ita Hilarium scripsisse confirmet, et alteram lectionem Felicis Orgellitani fraude irrepsisse putet, his verbis, quæ hic legi digna videntur. « Et sicut ipsorum, *inquit*, qui interfuerunt Concilio, relatione didicimus, quando divæ memoriæ domnus Carolus Felicem, infelicem Orgellitanæ civitatis episcopum, synodali decreto hæreticum comprobatum, atque damnatum comperit, etiam revictum invenit, quia corrupto muneribus juniore bibliothecario Aquensis palatii, librum beati Hilarii rasit, et ubi scriptum erat, quia in Dei filio carnis humilitas adoratur, immisit, carnis humilitas adoptatur. » Sed utcumque iste Felix egerit, certe de germana Hilarii lectione non temere assentiendum Hincmaro arbitror. Et minus profecto cohæret cum antecedentibus verbum *adoratur*, quam *adoptatur*. Siquidem antithesis in eo loco est Hilarii, qua cum divinitatis ornamentis, quæ propria sunt humanæ naturæ, hoc est vilia, et infirma comparantur. « Aliud intelligitur, *ait*, aliud videtur : aliud oculis, aliud animo conspicitur. Parit Virgo, partus a Deo est; infans vagit, laudantes angeli audiuntur : panni sordent, Deus adoratur. » Quibus illa subjungit, quæ proxime ante commemoravimus. In quibus si *adorandi* vox repetatur, minus apta videtur oratio. Retinendum itaque verbum est *adoptatur :* et *humilitatem adoptari*, idem erit atque assisci, et assumi. Ita non Deus tantum, ac Verbum, sed etiam Christus, qua homo, sponte sua, et nulla necessitate constrictus, «communionem humanarum subiit infirmitatum, » ut loquitur sanctus Leo[2]; et[3] « quidquid Domino illusionis et contumeliæ, quidquid vexationis, et pœnæ intulit furor impiorum : non de necessitate toleratum, sed de voluntate susceptum est. » Quod ipsum de paupertate, fame, nuditate, cunarum, et stabuli sordibus Hilarius in illo loco testatur, ubi *humilitatem carnis* libere assumptam, et adhibitam ab Christo, hoc est *adoptatam* ait.

Eusebius item Cæsariensis in libro primo de ecclesiastica Theologia contra Marcellum Ancyranum, capite decimo sexto, videtur Christum, ut hominem, sola θέσει, id est *adoptione*, confiteri esse filium. Cum enim Marcellum ibi reprehenderet, quod Λόγου vocabulum identidem usurparet, nec *filium Dei* nominaret potius, quo se Christus ipse sæpius in Evangeliis appellat : ad majorem illi concitandam invidiam, ejus verba profert, quibus asserebat « (1) Christum non se Dei filium nominare, sed ubique filium hominis. » Quod ea mente scripsisse Marcellum ait, « ut ista professione adstruat, hominem adoptione filium Dei, propter communionem, quam cum illo habuit, esse factum. » Quod igitur ex Marcelli verbis concludi asserit Eusebius, videtur ipse sensisse, qua filius hominis est, nonnisi adoptione Dei esse filium, ac σχέσει quadam, et propter communionem, quam cum Dei filio habuit : quæ fuit Nestorii postmodum hæresis.

III. Sed ab Eusebio fortasse minus negotii catholicæ causæ, ac contentionis impendet : fuit enim Arianarum partium, nec satis pie, ac sincere de Christo Domino sentiens. De Cyrillo major, et operosior est quæstio; qui duobus in locis *adoptivo filio* suffragari videtur. Primus est in Dialogo tertio, ubi contra Arianos disputans, « (2) qui Filium negabant verum esse Deum, sed hujusmodi nomen de voluntate Patris, beneficii illi loco concessum putabant; » post longum de hac re institutum sermonem, ita demum colligit : « (3) Constat igitur, id quod recte se habere tute ipse confiteris, consentaneum esse, ut tunc datum existimemus fuisse Filio nomen illud, quod est super omne nomen, quando et formam nostri similem subiens, tanquam unus ex nobis in filium adscriptus est Dei, adoptatus nobiscum et propter nos ille verus, ac germanus, ut et

(1) EUSEB. 1. de eccl. Theol. cap. 16. pag. 77. Καὶ διὰ τοῦτο οὐχ Υἱὸν Θεοῦ ἑαυτὸν ὀνομάζει, ἀλλὰ πανταχοῦ Υἱὸν ἀνθρώπου, ἵνα διὰ τῆς πρὸς αὐτὸν κοινωνίας Υἱὸν Θεοῦ γενέσθαι παρασκευάσῃ.

(2) CYRILL. dial. 3. tom. 5. par. 1. pag. 484. D. Πλὴν εἰ λέγοιτο Θεὸς ἀληθινὸς ὁ Υἱὸς, διαγελῶσιν εὐθὺς, καί φασιν οὐκ εἶναι Θεὸν μὲν ὄντως ἀληθινὸν, κεχαρίσθαι δὲ αὐτῷ τοὔνομα κατα θέλησιν τοῦ Πατρὸς.

(3) Ibid. pag. 486. A. Ἄραρεν οὖν ὅτι κατά γε τὸ ὀρθῶς ἔχειν καὶ αὐτῷ σοι δοκοῦν πρέποι ἂν δὴ τότε δεδόσθαι νομίζεις τὸ ὄνομα τῷ Υἱῷ τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα, ὅτε καὶ σχῆμα τὸ καθ' ἡμᾶς ὑποδὺς, ὡς εἷς ἐξ ἡμῶν, εἰς Υἱὸν ἐγράφετο Θεοῦ, θετὸς μεθ' ἡμῶν, καὶ δι' ἡμᾶς ὁ γνήσιος, ἵνα καὶ ἡμεῖς δι' αὐτὸν υἱοὶ, τῆς ὑπὲρ φύσιν εὐκλείας ἐπιδραττόμενοι, καὶ κοινωνοὶ.

[1] Ut Vasq. tom. 1. in 3. part. Disp. 89. cap. 15.

[2] Leo epist. 10. cap. 13. — [3] Id. Serm. 3. de Pass.

nos propter ipsum filii simus, gloriæ illius, quæ naturam superat, comprehensores, ac participes. » Hic videtur Cyrillus Christum arbitrari, qua Deus est germanum, ac naturalem esse Dei filium: eumdem vero, ut est homo, nostra causa se adoptivum fecisse.

Alter locus est in libro undecimo in Joannem, capite 12. cujus argumentum hoc est, explicare « (1) quemadmodum secundum naturam unum sit cum suo Patre Deo filius, etsi veluti gratiæ loco id se accepisse dicat, ut sit unum cum Patre. » Cui quidem inquisitioni ita satisfacit [1], ut hoc ratione carnis contigisse dicat; quæ accepta sanctitate per Spiritum sanctum, ad consortium est provecta filii Dei, σχετικῶς καὶ οὐ φυσικῶς, hoc est *habitudine quadam, non naturaliter*. Verba Cyrilli, quibus hoc explicat, reddemus postea; cum de naturæ humanæ in Christo dignitate, et cum divina conjunctione accuratius dicemus. Plurimum quippe momenti in illis est positum.

Hic adjungi debet Euthymii locus ille, quem supra posuimus [2]; in quo hominem ait esse θέσει factum Deum, id est *positione, vel gratia :* quod *adoptionem* vulgo significat. De quo loco plenius postea.

Œcumenius ad priorem epistolam ad Timotheum, verba illa declarans [3], *Deus manifestatus est in carne, justificatus est in spiritu*, ita scribit : « (2) Hoc sibi vult, *inquit*, etsi legales implebat justitias, non tamen ex servitutis spiritu; (Qui enim id faceret ille, qui alios libertate donabat?) verum Spiritu sancto, qui adoptionis dicitur; quem secundum id quod homo erat accepit, nobis donum hoc concilians germanus filius, ac Spiritui sancto consubstantialis, non autem sibimetipsi. »

Sic auctor disputationis Athanasii cum Ario, quæ inter Athanasii opera legitur, Ario illud objicienti de Filio, quod judicii diem ignoret, occurrit ita, ut filios distinguat duos, unum verum, qui est Verbum; alterum adoptivum. « (3) Arius dixit, *inquit,* utrumnam alius est filius? Athanasius respondit : Filius quidem verus Dei unus est, Verbum, et Deus. Est autem et tanquam alius filius adoptatus per templum corporis ipsius Domini nostri Jesu Christi. »

IV. Hæc fere loca apud antiquos observavimus, quæ hominem in Christo adoptivum esse Dei filium affirmare videntur. Ex quibus tamen pleraque commoda interpretatione meliorem in partem non ægre adducta sequentur : ut postea constabit [4]. Erant et alia nonnulla, quæ Felix et Elipandus pro sua opinione corraserunt : verum hæc ab illis adulterata, et corrupta fuisse Francofordienses Patres in epistola sua synodica fusius ostendunt : necnon Albinus Flaccus in secundo libro contra Elipandum.

Neque vero inter fautores illius hæresis numerandi sunt Patres aliqui, qui duos filios nominatim appellare videntur. Velut Maximus Taurinensis, qui in sermone secundo de Pentecoste ita scribit : « Quodam enim mysterio, dum filius Dei filium hominis sustulit ad cœlum, ipsa captivitas portatur et portat. » Et Avitus Viennensis Epistola secunda : « Unus est ergo Deus, *inquit*, et homo, qui sibi mundum ipse commendet; qui pro seculi vita sibi Patris filio supplicet filius matris. » Ita Nicolaus Cusanus in libro nono Excitationum [5] : « Unita est, *inquit*, humanitas filio Dei; seu unitus est filius mortalis ex Adam, unigenito filio Dei. »

Hæc enim et similia verba non duos filios significant, sed ejusdem filii σχέσεις et habitudines diversas, sive formas, ut Apostolus loquitur, duas, hominis ac Dei. « Idem enim filius hominis est, et filius Dei est : filius Dei propter formam Dei, filius hominis propter formam servi, » ait Augustinus [6]. Quare *filius hominis* idem est apud illos, ac natura ipsa hominis cum Verbo copulata.

Ut autem nos auctoritate primum, deinde argumentis veram et catholicam unius veri filii Dei, nec adoptivi professionem adstruximus : sic in contraria labefactanda, et convincenda hæresi, utriusque est habenda ratio, ut quæ pro illa testimonia, vel ex Scripturis, vel aliunde prolata sunt, tum vero argumenta, explicando, ac diluendo repellamus. In quo quidem non longi erimus, ne odiosi ac molesti

(1) CYRILL. 11. in Joan. pag. 1000. D. Ὅτι κατὰ φύσιν ἕν ἐστὶν ὁ Υἱὸς πρὸς τὸν ἑαυτοῦ Πατέρα Θεὸν, κἂν ὡς ἐν χάριτος μέρει δέξασθαι λέγῃ τὸ ἓν εἶναι πρὸς τὸν Πατέρα.

(2) ŒCUM. in 1. ad Tim. tom. 2. pag. 228. Λέγει οὖν εἰ καὶ τὰς νομικὰς ἐπλήρου δικαιοσύνας, ἀλλ' οὐ τῷ τῆς δουλείας Πνεύματι (πῶς γὰρ ὁ καὶ τοὺς ἄλλους ἐλευθερῶν;) ἀλλὰ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι τῷ τῆς υἱοθεσίας, ὅπερ ἔλαβε κατὰ τὸ ἀνθρώπινον, ἡμῖν τὸ δῶρον προξενῶν ὁ γνήσιος Υἱὸς καὶ ὁμοούσιος τῷ Πνεύματι, καὶ οὐχ ἑαυτῷ.

(3) ATHAN. tom. 1. pag. 97. D. Ἄρειος εἶπεν, μὴ ἄλλος ἐστὶν ὁ Υἱός; Ἀθανάσιος εἶπεν· Υἱὸς μὲν ἀληθινὸς τοῦ Θεοῦ εἷς τυγχάνει ὁ Λόγος, καὶ Θεός. Ἔστι δὲ καὶ ὡς ἄλλος Υἱὸς υἱοποιηθεὶς διὰ τοῦ ναοῦ τοῦ σώματος αὐτοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

[1] Cyrill. p. 1001. D. l. 11. in Joan. — [2] Lib. 4. c. 8. § 5. — [3] 1. Tim. 3. 16. — [4] § 6. — [5] P. 627. fine. — [6] In Ps. 63.

simus. Sunt enim illorum pleraque levia; quibus omissis, præcipua, et validiora seligenda sunt argumenta, quæ partim ex auctoritate, partim ratiocinando confecta sunt; hæc enim non separatim, sed in unum contracta poni satius est.

V. Ex illis vero omnibus unum est primo loco commemorandum; quod Augustini, ac ceterorum Patrum, omniumque theologorum communi sententia nititur : cujus etiam nobis explicatio tum ad pleniorem superiorum intelligentiam, tum ad mysterii hujus, et quæstionis constituendam rationem apprime conferet. Est autem ejusmodi : Cum idem sit, ut initio libri hujus diximus, *adoptione*, vel θέσει esse filium, atque esse χάριτι, id est *gratia*; Christus autem qua homo, sive hic homo, gratia sit Dei filius; adoptivus quoque merito censendus videtur. Gratia porro filium esse Dei, ex Augustino probari potest, qui libro de Prædestinatione sanctorum, capite 15. « in mediatore Dei et hominum homine Christo Jesu, ut hoc esset, nullis suis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis, naturam humanam, quæ in illo est, comparasse » scribit. Et, « Ea gratia fit, *inquit*, ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus. » Ibidem etiam, « Prædestinatum esse Jesum *ait*, uti qui futurus erat secundum carnem filius David, esset tamen in virtute filius Dei. » Quam esse dicit *prædestinationem sanctorum*, et exemplum ac specimen singulare gratiæ, quæ in capite ipso præsertim enituit.

Hunc locum insigniter, et copiose Facundus sub finem noni libri tractavit. Ibique primum asserit [1], « Christum posse dici adoptionem filiorum suscepisse, quia sacramentum adoptionis suscipere dignatus est, et quando circumcisus est, et quando baptizatus est, et potest sacramentum adoptionis adoptio nuncupari. » Deinde [2], « Sicut ergo, quamvis adhuc secundum Apostolum exspectemus adoptionem, et redemptionem, et salutem; tamen quia jam sacramentum adoptionis, et redemptionis, et salutis accipimus; et filii Dei, et redempti, et salvati recte vocamur. Ita Christus quoque sacramentum adoptionis, non ad utilitatem suam, sed ad ipsius sacramenti confirmationem, in circumcisione, et baptismo suscipiens, sicut Apostolus ait : Dico enim Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum, potuit ab antiquis Ecclesiæ doctoribus recte dici, quod adoptionem susceperit filiorum. »

Idem etiam paulo post [3] : « Illud autem quis ferat, quod aliqui dicentes credere se nobiscum duas Christi esse naturas, et Deum illum, atque hominem non negantes, si audierint quod gratia sit filius Dei, sic detestantur hoc Verbum, tanquam si de illo dicatur, qui Deus tantum, non etiam homo sit? Sicut autem et natura est filius hominis propter veram humanitatem, et dignatione filius est hominis, propter veram deitatem; ita etiam et natura filius Dei est, propter veram deitatem, et gratia filius Dei est propter veram humanitatem. Si vero et secundum humanitatem natura filius Dei dicatur, in illud Apollinaris inciditur, quod credidit Deum Verbum ex parte suæ substantiæ, quæ tota ubique est, et partiri non potest, carnem sibi fecisse. Quod si veraciter duas dicunt ejus naturas, et ambæ divinæ esse non possunt, quia humanitatis una natura est; proculdubio non quemadmodum secundum divinitatem natura filius Dei est, ita etiam secundum humanitatem natura filius Dei est. Si autem secundum humanitatem non est natura filius Dei, necessario sequitur, ut aut meritis, aut gratia sit filius Dei, qui ex quo esse cœpit, non fuit aliud quam filius Dei. Restat ergo, ut secundum humanitatem gratia sit filius Dei. »

VI. Hæc Augustini, ex eoque Facundi ratio, suadere posset, Christum, qua homo est, uti gratia est, sic adoptione esse Dei filium. Verum si in ista, quod necesse est, subtilius inquiramus, perspicue constabit, quemadmodum etsi gratia est id quod est, non tamen adoptione censeri Dei filius, appellarique debeat, proxime quidem, et ἀμέσως. Nam illo modo, quem Facundus propugnat, longinquo ac remoto, gratia utique filius est. Quod ut capi facilius possit, scire attinet, filii proprietatem quatenus hominibus convenit, natura esse posteriorem origine, ac generatione, qua homo existit. Prius enim Socratem a patre Sophonisco productum intelligimus, quam ejus dicamus esse filium; tametsi eodem utrumque puncto temporis in rerum natura ponatur. Itaque Christus, qua homo, sive humanitas Christi, prius natura est, et extantiam habet, quam filii proprietatem, etiam naturalis, et veri. « Nuncupativus enim, et verus, proprius, et adoptivus, non naturalia, sed

[1] Fac. p. 404. — [2] Ibid. p. 405.

[3] Ibid. p. 407.

personalia nomina esse quis ambiget ? » ait Paulinus Aquileiensis [1].

Porro adoptiva *filietas*, ut sic loquar, posterior est naturali, et propria. Itaque Christum prius hunc esse, intelligique hominem oportet, adeoque naturalem Dei filium, quam qualiscumque tandem ei tribuatur adoptio. Atqui illa ipsa naturalis, quæ hunc hominem occupavit, *filietas* adoptivam excludit, et consequi vetat tanquam oppositam sibi formam. Non est igitur necesse gratia dici filium Dei Christum hominem, si propriam, et proximam rationem illius appellationis quærimus. Nam remotam, et quasi ex consequenti natam gratuitam filietatem nihil moramur; facileque patimur, id quod Augustinus et Facundus unum voluerunt, gratia dici filium Dei hominem in Christo; quia gratia provecta est ad hoc humana natura, ut in personæ cum Verbo consortium adhiberetur. Sed adoptivus idcirco filius appellari non potest, quoniam ad rationem, et quasi essentiam adoptivæ *filietatis* ex communi hominum usu pertinet, ut eam naturalis ex altero antecedat *filietas*; quæ autem homini Christo ab ipso puncto generationis obtigit, cum naturalis, eademque divina sit, adoptivi proprietatem intercludit; eo quod non potest cum eodem comparata simul utraque forma consistere. Id adeo recte Paulinus Aquileiensis observat in primo libro contra Felicem [2], « Nulla, inquam, tibi sophistica ratione, *ait*, duo relativa nomina unius filii ad personam unius patris referre conceditur. Animadverte quid dixerim, non poteris filium, et filium, quod est relativum ad aliquid, hoc est proprium, et adoptativum, uni adscribere genitori. Nam cum sit Deus omnipotens pater unus, unumque coæternum sibi genuerit omnipotentem filium : quo igitur pacto unus natus unius genitoris, et proprius, et adoptativus filius intelligatur, nullius unquam possibilitatis ordo permittit. »

Atque hoc modo non absurde forsitan explicari Patres illi poterunt, quos supra docentes audiebamus, Christum, qua est homo, Dei adoptivum esse filium. Nimirum ut ex consequenti duntaxat, et remota, non proxima, et propria id illi ratione tribuatur; quatenus gratia hoc homo consecutus est, sive humana Christi natura, ut in Deum assumeretur, ac fieret unus cum Verbo Deus, Deique filius; cum alioquin aliena, et adventitia, et, ut ita dicam, insititia per se sit illa natura : de qua re, necnon de sententiis Patrum illorum, agemus postmodum.

VII. Indidem et illa dissolvi potest quorumdam ratio, contra quos disputat Cæsarius : qui « (1) Christum electione, ac gratia factum esse Dei filium » asserebant ex illis Scripturæ locis, in quibus Deus Pater ita loquitur [3] : *Hic est filius meus dilectus*, non *quem genui*, sed *in quo mihi complacui* ; tum apud Isaiam [4] : *Ecce puer meus, quem elegi* ; et in Cantico canticorum [5], *electus* vocatur *ex millibus*. Ita Cæsarius, qui in responsione adstruit, non esse Christum Dei filium ex multis aliis electum, eo quod nemo uspiam [6] *illi similis sit inter filios Dei* : sed in sanctissimæ Virginis utero unum et eumdem genitum esse Dei hominisque filium. Quod igitur electus dicitur homo Christus, ad illum sensum accommodari potest, quem supra dixi ; ut in filii Dei consortium adscita, et ad id electa singulari beneficio sit humana ista natura. Sequitur alterum argumentum, quo præcipue innixum esse Felicem refert Albinus Flaccus [7] ; ut « ex hac radice totius infidelitatis ipsius spinas succrevisse » dicat : quod impossibile illi videretur, filium aliter posse esse proprium, nisi ex natura parentum totus nascatur. » Atqui Deus Pater hominem non genuit. Itaque non videtur Christus in utraque natura verus et proprius esse Dei filius. Ita Felix : quem erudite mox refellit Albinus idem hominis exemplo, cujus etsi animam non progenerent parentes, revera tamen horum proprie filius appellatur. Vide quæ ex Cyrillo adversus eamdem Nestorii argumentationem attulimus libro quinto [8].

Instabat præterea Felix, et [9] « qui adoptivum negat, secundum hominem, filium Dei, negare necesse esse » dicebat, « eum verum fuisse hominem, » tanquam homo nullus Dei filius aliter quam adoptione esse queat. Verum excipiendum esse singularem illum Dei filium, Paulinus contendit, Jesum Christum, « qui semper, ex quo conceptus de Spiritu sancto in utero Virginis secundum hominem cœpit esse, sempiternus permanet Deus et homo. »

VIII. Quartum ad Felicianam tuendam hæresim argumentum ponit ex eodem Felice Paulinus [10] : « Non posse quidquam membra

(1) Cæsar. tom. 11. bibl. 571. D. Καὶ πῶς τινές φασι, κατ' ἐκλογὴν καὶ χάριν τὸν Χριστὸν γενέσθαι Υἱὸν τοῦ Θεοῦ ;

[1] Paul. l. 1. cont. Fel. inter Alch. opera 1824. — [2] In calce oper. Alch. 1820. C. Vide et Alch. ipsum l. 2. contra Fel. 814. C. — [3] Matt. 3. 17. — [4] Isa. 42. 1. et 43. 10. — [5] Cant. 5. 10. — [6] Ps. 88. 7. — [7] Alch. l. 5. cont. Fel. 853. A. — [8] C. 19. § 1. et seq. — [9] Apud Paulin. in calce oper. Alchuv. 1793. C. — [10] Ibid. E.

habere, nisi hoc quod præcesserit in capite. » Cum igitur adoptionis spiritum, et adoptionem ipsam homines acceperint, eamdem in Christo fuisse capite dicebat. Sed nihil hoc necesse est. Ita enim quidquid in membra diffunditur, manat a capite, in eoque continetur; ut excellentiori modo insit ipsi, non eo, quo in membris est. Hoc Scholæ vocant, *eminenter contineri*, hoc est, adempto omni eo quod imperfectum est, et indignum majestate illius capitis. Nam nec redemptus, aut a peccatis liberatus est Christus; quamvis redempti, ac vindicati ab illa servitute sint homines. Ac sexcenta id genus opponi possunt, quibus frivola hæc, et ludicra cavillatio diluatur.

Paulo aliter hoc idem argumentum ex Felice proponit Albinus Flaccus [1], ex Apostoli verbis istis [2], *Omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris vir, caput autem Christi Deus.* Hinc Felix disputabat sic, « Necesse esse membra adoptiva adoptivum habere caput. » Sed instat Alchuvinus : « Ea ratione posse dici Deum, patrem esse adoptivum, qui caput est Christi. » Atqui ne istud quidem negaret Felix, quod ejus opinionis consectarium est, ut si Christus, qua homo, filius est adoptivus Dei, Deus etiam sit adoptivus Christi pater. Itaque prior illa nostra responsio expeditior est, ut non esse consequens dicamus, adoptivorum membrorum adoptivum esse caput, ea notione vocis *adoptivi*, ut significet eum qui et ipse sit adoptivus filius. Nam si *adoptivum caput* intelligas patrem adoptivum, non autem filium; non est dubitandum, quin Christus adoptivorum filiorum adoptivus sit pater. Nec enim naturalis est pater non naturalium filiorum. Atque hoc modo constat responsus mutuus inter duo illa relata, qui quidem ex Felicis instituto minime cohæret. Ut si quis naturalis filius quempiam adoptet, non sequitur, qualis hic filius dicitur, talem et illum esse patris filium, hoc est adoptivum. Sequitur autem, adoptivum esse patrem ejus, quem adoptavit, filii, cum illius a quo genitus est naturalis sit filius.

IX. Quintum sit argumentum Felicis, quod initio libri tertii Alchuvinus opponit sibi, « Non posse unum hominem duos patres habere naturales : sed unum posse naturalem habere, alterum adoptivum. » Atqui Christus *in forma humanitatis* filius est naturalis Davidis; erit ergo in eadem forma Dei filius non naturalis, sed adoptivus. Hic ego præscriptione non utar illa, quam Alchuvinus adhibet : Davidem non esse Christi patrem, id est genitorem. Nam etsi ab homine patre genitus esset Christus Dominus, unus tamen naturalis esse posset amborum filius propter unam et eamdem formam τῆς υἱότητος : quamvis naturarum diversitas diversum modum ejusdem filietatis efficeret. Sed Alchuvinum ipsum præstat audire [3] : Dicis itaque, ait ille, quod unus homo duos patres naturales non possit habere; unum vero possit naturalem habere, et alterum adoptivum. Dicam et ego quod nullus pater unum filium potest habere, utrumque et naturalem sibi, et adoptivum : quia ille unus filius non potest dividi, ut sit unus patris et naturalis, et adoptivus; vel quædam pars filii sit adoptiva, et altera naturalis in filii dignitate; velut si una manus sit adoptiva et altera propria, vel anima sit adoptiva, et caro in proprietate filii. Quamvis enim anima non sit ex patris semine, sicut est caro, tamen unus est filius patris anima et carne totus vel adoptivus vel proprius, prout conditio nominis vel naturæ sibi attulerit. Potest vero in una persona esse passibilis, et impassibilis, mortalis, et immortalis, veluti homo immortalis est anima, mortalis carne : sic etiam et Christus impassibilis divinitate, passibilis carne : tamen totus unus, idemque est Deus et homo; unus est Christus in forma Dei, et unus Christus in forma servi : et unus Christus æqualis Patri, et unus est Christus minor Patre, idem Deus, idem homo, unus filius Dei Patris totus proprius, et Virginis matris totus proprius. »

X. Sextum Felicis argumentum [4] : « Etsi adoptionis nomen in Christo Domino secundum carnem claro apertoque sermone in utroque Testamento reperire nequimus; cetera tamen omnia, quæ adoptionis verbo conveniunt, in divinis libris perspicue, atque manifeste multis modis reperiuntur. Nam quid, quæso, est cuilibet filio adoptio, nisi electio, nisi gratia, nisi voluntas, nisi assumptio, nisi susceptio, nisi placitum, seu applicatio? quæ universa nullo modo proprio, ac vero filio convenire queunt. » Huic occurrit Alchuvinus, « Omnia illa in proprio filio fieri posse. Quippe Salomonem proprium filium suum David rex majore gratia elegit successorem sibi regni, quam alios filios proprios quos habuit. » Sed nec assumptio omnis est adoptio, nec applicatio, et ejusdemmodi alia. Quid autem assumptionem,

[1] Lib. 2. cont. Fel. 815. C. — [2] 1. Cor. 11.

[3] Alchuv. l. 3. contra Fel. col. 823. A. — [4] Apud Alchuv. ib. 827. E.

et electionem humanæ Christi naturæ ab ratione adoptionis excludat, dixi supra [1], nec iterum repetere attinet. Vide Paulinum in libro primo contra eumdem Felicem [2].

Reliqua Felicis argumenta, quibus verum et naturalem filium oppugnabat, partim levia sunt, partim alibi ac propriis in locis disceptanda. Velut, quod ancillæ filius sit Christus, qua est homo ; ex ancilla vero nonnisi servus nascitur : minime liber, et proprie dictus filius. De quo post agemus hoc ipso libro. Item quod sit advocatus : quod pro se oravit. Quæ quidem, et his similia nihil germanitati filii obstrepere postea docebimus. Quamvis enim, ut hoc solum interim non taceam, naturaliter id consequens sit, quod adversus veri filii proprietatem ex illis deducitur; extraordinaria tamen, summaque Dei potentia, singulare quiddam factum est in admirabili illa susceptione hominis; quod nec in exemplum trahi, nec usitatis rerum similitudinibus labefactari debeat.

XI. Sed de naturali Dei filio Christo Domino satis hactenus. Quam equidem sententiam ad catholicam puto pertinere fidei regulam ; nec illos sequendos de Schola theologos, qui Christum, quocumque tandem modo, adoptivum posse dici filium arbitrati sunt. Refelluntur enim tum ex Francofordiensi concilio, cui hac in re Romani Pontifices assensi sunt, et Hadriani epistola, quam ad Hispanos episcopos de eodem argumento scripsit ; tum ex veterum Patrum consensione, qui in idem dogma conspirant; tum etiam, quod inauditum prorsus antiquis illis Ecclesiæ magistris *adoptivi* filii nomen extitit, si paucos excipias, qui vel auctoritatis non multum habent, uti Marius Victorinus, et si qui alii, vel alio modo istud intellexerunt, ut Cyrillus. His itaque de causis temerariam puto, et errori proximam, si non hæreticam omnino, contrariam opinionem, quæ adoptivum filium defendit esse Christum ; ac vel loquendi genere ipso damnandam : quamvis subtili, et arguta vocis interpretatione consequi hoc possit, ut quæ inest in nomine, nulla in re ipsa sit offensio. Tritum enim illud est, quod etiam in scholis percrebuit, atque in hoc ipso, de quo modo agimus, et in Trinitatis explicando mysterio potissimum valet [3], *Ex verbis inordinate prolatis incurri hæresim.* Quo illud etiam Augustini pertinet [4] : « Nobis ad certam regulam loqui fas esse ; ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionem. » Quocirca ne ex illo *adoptivi* nomine errandi cuipiam occasio præbeatur, ab eo temperare consultius est, cum impium nescio quid, et hæreticum sapiat. Postremo quæ ad infringendam, aut eludendam Francofordiensis synodi et Hadriani pontificis auctoritatem excogitata sunt ab quibusdam Scholæ theologis, ea modo prætermittimus, quod quæ dici contra illos poterant, ab aliis jam occupata sunt instituti ejusdem, hoc est Scholasticis : maxime autem ab Gabriele Vasquesio [5], qui plenissime de hac controversia disputavit.

CAPUT QUINTUM.

Ecquid Christus filius dici naturalis queat Spiritus sancti. — 1. Proponitur ex Augustino ista quæstio. — 2. Et respondetur non esse, quia non gignente, sed operante Spiritu sancto natus est. — 3. Cujusmodi sementiva virtus Spiritus sancti a quibusdam Patribus asseratur. — 5. Altera quæstio, quomodo Christus, ut homo, sit naturalis Dei filius. Duplici modo naturalem filium aliquem fieri, generatione, vel unitione. Posteriore itaque Christum censeri hujusmodi. — 6. Etiam generatione dici filium Christum, ut homo est, naturalem Dei, quatenus cum divinitate sempiterna illi generatio communicatur, sed unitione cum Verbo. — 7. Nova quorumdam expenditur opinio, quæ naturalem Dei filium interpretatur esse Christum, qua ex vi unitionis naturalem habet gratiam. Itaque formalis causa filietatis divinæ est relatio divina Filii, communicata naturæ hominis. — 8. Quod adversus recentiores theologos probatur, — 9. quorum argumenta solvuntur. — 13. Nova filii ratio ex gratia petita refellitur. — 14. Hadriani papæ locus, quo illi abutuntur, expositus.

I. Nulla hic amplius est de adoptivo Dei filio quæstio, quæ in superioribus capitibus sublata est penitus, et exhausta. Sed de naturali, proprieque dicto ; non qua Christus, ut Deus, Patrem respicit. Hanc enim suo loco disceptavimus, cum de Trinitate, ac personarum divinarum processionibus egimus.

[1] § 6. — [2] In calce operum Alchuv. 1789. B.

[3] Mag. sent in 4. Dis. 13. in fine ex Hieron. S. Thom. in 1. par. qu. 13. art. 2. — [4] Lib. 10. de Civit. Dei c. 23. — [5] Tom. 1. in 3. Part. Disp. 89.

verum tota hæc de Christo, qua homo est, disputatio suscipitur. In qua cum multiplex controversiæ sit caput, et alterum altero difficilius; ordiar ab eo, quod minus est perplexum; de homine Christo, quatenus cum Spiritu sancto comparatur. De hoc enim nonnulla dubitandi causa est; quam animadversione seria dignam judicavit Augustinus; et post eum complures alii; ac Magister ipse sententiarum hunc velut campum ad scholasticum certamen posteris dimensus est; quem et ipse leviore primum agitatione decurram, ut hoc aditu ad subtiliora deinceps, et minus explicata progrediar.

Inquirendi nobis itaque de hac prima parte occasionem præbet Evangelista, qui sic Angelum Josepho Virginis sponso locutum prodidit [1]: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Ex quo ita quæstionem movet Augustinus [2]: « Numquid ideo dicturi sumus, patrem hominis Christi esse Spiritum sanctum: ut Deus Pater Verbum genuerit; Spiritus sanctus hominem: ex qua utraque substantia Christus unus esset, et Dei Patris filius secundum Verbum, et Spiritus sancti filius secundum hominem: quod quasi eum Spiritus sanctus tanquam pater ejus de matre virgine genuisset? » Quam quæstionem subinde solvit, et « hoc ita esse *ait* absurdum, ut nullæ fideles aures id valeant sustinere. » « Proinde, sicut confitemur, *inquit*, Dominus noster Jesus Christus, qui de Deo Deus, homo autem natus est de Spiritu sancto, et Maria virgine, utraque substantia, divina scilicet, atque humana, filius est unicus Dei Patris omnipotentis, de quo procedit Spiritus sanctus. » Ita ergo primum Augustinus Christum in utraque natura filium esse docet unicum Dei Patris.

II. Deinde quærit, an ideo dicatur filius Spiritus sancti, quia hic illum fecit; quandoquidem *Christus, in quantum homo, factus est.* Verum non solus Spiritus sanctus, ait, sed tota Trinitas hominem illum fecit. Tum mundus ipse a Deo factus est: « Nec tamen dici eum fas est Dei filium, aut natum de Deo; sed factum, vel creatum, vel conditum, vel institutum ab illo, vel si quid hujusmodi recte possumus dicere. » « [3] Non igitur concedendum est, quidquid de aliqua re nascitur, continuo ejusdem filium nuncupandum. » Et omissis exemplis quibusdam, *quæ tantæ rei deformiter comparantur*: velut quod de homine nascitur capillus, aut lumbricus, *quorum nihil est filius*: « Certe qui nascuntur ex aqua et Spiritu sancto, non aquæ filios eos rite dixerit quispiam, sed plane dicuntur filii Dei Patris et matris Ecclesiæ. Sic ergo de Spiritu sancto natus est filius Dei Patris, non Spiritus sancti. » Quæ verbatim fere descripserunt Alchuvinus [4], Paschasius Radbertus [5], et Petrus Lombardus libro tertio, distinctione 4.

At idem Augustinus alibi observat, non dici Christum natum de Spiritu sancto, sed conceptum [6], « Conceptus, *inquit*, de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine. » Cujus mox rationem subjicit: « Christus enim non de substantia Spiritus sancti, sed de potentia: nec generatione, sed jussione, et benedictione conceptus est. » Quibus verbis illud indicat, idcirco non dici *natum de Spiritu sancto*, quia nihil ex alio proprie, ac naturaliter nasci dicitur, nisi quod de ejus substantia gignitur. Itaque nusquam legimus, Christum, ut homo est, natum esse de Spiritu sancto. Quod autem Matthæi primo scriptum est, et ab Augustino refertur, *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*, non sic intelligendum est, quasi de Spiritu sancto natum dicatur naturali quodam modo, sicut naturaliter de B. Virgine natum est. Sed eum videlicet sensum habet, ut de Spiritu, id est operante, non tamen gignente Spiritu sancto sit quod ex Maria virgine genitum est ac natum. Ea porro sancti Spiritus efficientia seminis instar fuit. Ideo de Spiritu sancto concepisse Virgo dicitur, secundum vulgatam istius verbi constructionem, ut cum de mare concipere fœmina dicitur, qua locutione principalis causa generationis, hoc est seminator, ac sator exprimitur.

III. Hilarius certe in libro secundo, *sementivam Spiritus efficaciam* appellat, Evangelistæ verba illa declarans [7]: *Spiritus sanctus desuper veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* « Spiritus sanctus desuper veniens, *inquit*, Virginis interiora sanctificavit: et in his spirans (quia ubi vult spiritus spirat) naturæ se humanæ carnis immiscuit, et id, quod alienum a se erat, vi sua, ac potestate præsumpsit. Atque ut ne quid per imbecillitatem humani corporis dissideret, virtus Altissimi Virginem obumbrat, infirmitatem ejus veluti

[1] Mat. 1. 20. — [2] August. Ench. c. 38. — [3] Ib. c. 39. — [4] Alch. 3. de Trinit. c. 1. et 3.

[5] Rabd. 2. in Matt. col. 102. — [6] Serm. 6. de Temp. qui est 2. in Nativ. Dom. tom. 10. p. 212. c. 2. — [7] Lucæ. 1.

per umbram circumfusam confirmans; ut ad sementivam ineuntis Spiritus efficaciam corporalem divinæ virtutis inumbratio temperaret. »

At Rupertus negat [1] « Spiritum sanctum pro semine fuisse : » et « huic Verbum Dei » asserit « cum sementiva substantiva virginei ventris obviasse. » Auctor vero operis imperfecti in Matthæum, *Spiritum sanctum* in illis verbis interpretatur *ipsum unigenitum Deum*. « Non enim Spiritus advocatus ingressus est Mariam, ut suscipiens corpus nascatur in mundum, sed ut sanctificaret Virginis vas, etc. Sic unigenito Deo Virginem ingressuro, Spiritus sanctus præcessit; ut præcedente Spiritu sancto, in sanctificatione nascatur Christus secundum corpus, divinitate ingrediente pro semine. »

Verum melius est, ut ipsammet efficientiam Spiritus sancti *sementivæ* instar *virtutis* fuisse cum Hilario putemus. Nec ideo tamen *sanctum Spiritum, matrem esse Jesu* dicturi sumus cum Mario Victorino [2] : quod et Evangelium Nazaræorum habuisse prodit Hieronymus [3].

IV. Redeamus ad Augustinum : qui tandem ita quæstionem terminat [4]: « Cum itaque de aliquo nascatur aliquid etiam non eo modo ut sit filius; nec rursus omnis, qui dicitur filius, de illo sit natus, cujus dicitur filius; profecto modus iste, quo natus est Christus de Spiritu sancto non sicut filius, et de Maria virgine sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis præcedentibus meritis, ipso exordio naturæ suæ, quo esse cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ unitatem, ut idem ipse esset filius Dei, qui filius hominis; et filius hominis, qui filius Dei : ac sic in naturæ humanæ susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum possit admittere. Quæ gratia propterea per Spiritum sanctum fuerat significanda, quia ipse proprie sic est Deus, ut dicatur etiam Dei donum. »

Hic quæ de gratia Augustinus asserit, ad eum sensum accommodanda sunt, quem antecedenti capite præfiximus [5]; ut non gratia, vel adoptione filius existimetur esse Christus; sed hoc ipsum quod est extitisse, homo in Deum assumptus.

V. Hac levi controversia perfunctos excipit nos altera, paulo illa quidem molestior, et tractanda subtilius : quinam Christus, ut homo est, naturalis possit esse, appellarive Dei filius. Etenim si filius nemo est cujuspiam, nisi de ejus substantia genitus, ac propterea Christus, ut ex Augustino paulo ante memoravi [6], non est filius Spiritus sancti; quia *non de substantia illius, sed de potentia conceptus est :* non videtur filius esse naturalis Dei Patris homo Christus, quoniam non de illius substantia, quatenus est homo, genitus est. Aut si naturalis quoquo modo filius est homo, quoniam cum naturali filio, ac naturaliter genito unus est Christus : cum hoc ipsum, quod unus est cum Verbo, *unitione* sit factum : hujus autem non solus Pater; sed cum eo Spiritus sanctus, atque ipse quoque Filius auctor effectorque sit; ut sunt opera Trinitatis inseparabilia : non magis Dei Patris, quam suimetipsius, ac totius Trinitatis Christus erit, quatenus homo est, filius.

Sed nimirum novi aliquid et inusitati novus ille homo nos docuit, quod humana nunquam consequi sapientia, ac ne suspicari quidem potuisset. Atque illud primo constituendum est, in *filii* notione duo quædam contineri, sine quibus intelligi non potest : alterum, ut sit aliqua communicatio substantiæ, naturæve, vera generatione facta : alterum est proprietas ipsa, sive forma relativa termini producti, qua originis principium respicit. Quo posito, duplicem ex Incarnationis mysterio didicimus esse viam, ac rationem, qua utrumque, hoc est et communicatio naturæ, et forma, sive proprietas relativa, quam *filietatem* vocant, obtinetur. Primus modus est, cum terminus ipse, qui filius dicitur, vera, et proprie dicta generatione communicatam sibi naturam illam accipit, a qua denominatur; ita ut *physice*, ut in Scholis loquuntur, et *formaliter* gigni, vel ut sit habere dicatur. Sic in Trinitate Verbum vera generatione communicatam accipit essentiam a Patre, qua est hic Deus; ac *formaliter* generatur : ideoque proprie dictus est filius, quod in omnibus etiam creatis filiis universe reperitur, ut in quinto de Trinitate pluribus exposuimus [7]. Posterior modus, cujus nobis Incarnationis fides notitiam attulit, per substantivam unitionem, et applicationem fit ad prioris generis terminum : cum peregrina alioqui natura, nec vera generatione transfusa, eo ipso filii proprietatem excipit, quod cum vero, et natu-

[1] Rupert. lib. 9. de glorificat. Trinit. et proc. Spir. S. cap. 6. — [2] Lib. 1. adv Arium to 4. Bibl. col. 215. C.

[3] Hier. in c. 16. Ezec. ver. 13. col. 760. D. — [4] Aug. Ench. c. 40. — [5] § 6. — [6] Sup. § 2. — [7] Vide c. 6. et 7.

rali filio, hoc est cum divina natura divinæ itidem *filietatis* modificata proprietate, naturaliter, et substantive conjungitur in unam personam, et unum adeo, eumdemque filium. Sic humana Christi natura non illa quidem generatione procedit, vel communicatur a Patre : neque Christus, qua homo est, gignitur a Deo : neque Dei similitudinem naturalem, aut imaginem habet; quod filii conditio postulat. Verum naturali copulatione cum Verbo conjuncta, eadem unitione communicatam sibi divinitatem obtinet, ac divinitatis modum, sive proprietatem, qua Verbum constat : quæ filietas dicitur. Ideo proprie dictus, et naturalis est Dei filius, non generatione; sed unitione, quatenus ut est homo spectatur.

VI. Cum autem persona divina Verbi, ut et alia quælibet, non sit relativa sola proprietas; sed maxime, ac præcipue natura ipsa, quæ relativa ista forma determinatur, ac modificatur : necesse est, ut humanitati Christi etiam divinitas communicetur : et quidem generatione; adeoque generatio ipsa. Est enim sempiterna, et nunquam interrupta Verbi generatio. Sed non eodem modo, quo Verbum, per generationem formaliter, ut sic dicam, divinam illam naturam accipit; sed per unitionem cum eodem Verbo, hoc est cum natura ejus, et proprietate personali, et ipsa quoque divina Verbi generatione. Nam et ista cum tota Verbi persona communicatur. Hinc de Christo homine usurpari potest : Hic homo Deus est, et Dei filius, ac Verbum, et a Patre procedit, ac gignitur. Quod postremum dici non posset, nisi et generationis, uti proprietatum ceterarum, fieret communio. Dixi hoc de Christo, ut hic homo est, enuntiari posse : non autem de Christo homine simpliciter, vel de Christo *secundum humanitatem;* ut nonnullos loqui theologos video. Quippe locutiones istæ solius naturæ præcisam significationem continent; nullam suppositi, vel unitionis; qui est fons, et radix in humana Christi natura divinæ *filietatis*.

VII. Hic vero nova quædam existit controversia; nec sane prætereunda, propter theologos quosdam, qui naturalem Christi, qua hic homo est, filietatem aliter interpretantur, quam veterum usus, et ratio ipsa ferre mihi videtur. Asserunt enim [1], « Christum secundum humanitatem non dici filium naturalem Dei ratione filiationis æternæ, quæ est proprietas secundæ personæ. Licet enim assumeret humanitatem Spiritus sanctus, diceretur eodem modo filius naturalis Dei secundum humanitatem, non adoptivus. Neque enim dici potest in eo casu fore, ut ille homo, quatenus homo, diceretur Spiritus sanctus; quemadmodum Christus, ut homo, dicitur filius naturalis Dei. » Idem de Patre sentit, « si humanitatem assumeret, non posse dici, hominem illum, quatenus homo est, Patrem Verbi, æterni denominatione derivata ab ipsa paternitate. » Hac igitur exclusa proprietate naturali filii Dei, quam Christus, ut est hic homo, vel in humana natura subsistens, habet, aliam nescio quam introducit ex gratia, et sanctitate petitam [2] : « non per generationem naturalem, qua communicatur natura; sed per generationem gratiæ. » Quoniam « gratia illi naturalis est; quia sanctificatur per naturam deitatis : non autem adoptivus; quia adoptio est per gratiam, quæ non conjungit reipsa, sed solo affectu. Sicut ergo Christus natura ipsa deitatis, et sanctitatis sanctus est : ita etiam naturalis filius Dei sanctificantis dici debet; eo quod sanctificatio per naturam, non per affectum, eum filium facit. »

Mihi vero Christus naturalis proprieque dictus esse Dei filius videtur, non ut homo est, vel *secundum humanitatem*; tanquam humanitas ipsa causa sit cur sit Dei filius : sed quatenus est hic homo, vel secundum hanc humanitatem; quæ videlicet non communi ceterorum modo, sed in Deo, et eadem cum eo personali proprietate subsistit. Hujus itaque radix et causa *filietatis*, quæ in assumptum hominem derivatur, est unitio humanæ naturæ cum Deo, hoc est cum divina natura in Verbo subsistente : forma, sive *causa formalis*, est proprietas ipsa personalis Verbi, per quam divinitas in illa humanitate subsistit. Fit enim admirabili quadam ratione, ut *filietas* ista, sive relatio filii, perinde humanam afficiat, formet, ac determinet naturam, et Dei filium hominem constituat; atque eadem proprietas divinam naturam afficit, et ad Filii Verbique personam applicat, ac definit.

VIII. Hinc illud refellitur, quod eruditi quidam theologi asserunt [3], Christum, « ut hominem, sive secundum humanitatem, non dici filium naturalem Dei ratione filiationis æternæ, quæ est proprietas secundæ personæ : » « [4] nec ad Deum hac filiatione referri. » Quæ cum dicunt, hoc utique sensu

[1] Ita Vasq. to. 1. in 3. par. Disp. 89. c. 14. § 83.

[2] Vasq. ibid. § 80.— [3] Vasq. ib. § 83.— [4] Suar. Disp. 49. sect. 1.

volunt accipi; ut dum filius naturalis Dei sit Christus, ut est hic homo, (hoc enim fatentur,) non sit ejusmodi per æternam filietatem. Ego vero illud ex adverso contendo, non alia ratione filium Dei naturalem esse Christum, ut est hic homo, quam illa ipsa divina proprietate filii : vel ut pressius insistam; nullam aliam esse rationem, vel *formalem causam*, quæ humanæ in Christo naturæ veri et naturalis Dei filii conditionem tribuat, quam divinam relationem, æternamve filietatem.

Quod quidem omnibus illis probatur Scripturæ locis, et Synodorum decretis, Patrumque sententiis, quibus nonnisi unum esse filium in utraque natura supra demonstravimus [1]. Hæc enim testimonia non tantum adoptivi filii rationem intercludunt, utpote ab naturali filii proprietate diversam, sed multo magis, ut opinor, naturalis filietatis speciem alteram ab æterna distinctam. Est enim tolerabilius, et a catholica professione minus alienum, duos filios ita statuere, ut alter propter divinitatem, et æternam generationem, naturalis sit Dei filius; alter ob communem cum ceteris hominibus naturam, et creatam sanctitatem, adoptivus habeatur; quam duos ponere naturales Dei filios, sua quemque ratione, ac forma naturali constantes. Quod si quis idcirco filios non esse duos naturales objicit, quod una utrumque persona sustineat, filii vero proprietas personam, non naturam sequatur; uti S. Thomas affirmat [2], nihil efficiet. Siquidem nec illi, qui Christum naturalem, simul et adoptivum Dei filium esse putarunt, tam Hispani episcopi in Francofordiensi synodo damnati, quam qui illos secuti sunt, Scholastici, duas in Christo personas inesse crediderunt. Et illos tamen Hadrianus, Paulinus Aquileiensis, Alchuvinus, ac tota ipsa Francofordiensis synodus, non alio genere argumentandi validius oppugnarunt, quam ut ex illorum opinione consequens esse monstrarent, duos in Christo inesse filios. Hoc autem non alio sensu interpretari voluerunt; nisi duas esse proprietates filii, sive *filietates*, quæ in eamdem personam caderent; quæ quidem complexo, sive, ut vocant, *concreto* etiam vocabulo *filii* usurpari possent. Ut enim passim antiqui *hominem* assumptum a Deo pro humanitate dicunt, et duo in Christo distinguenda, Deum, et hominem, ac similia quædam proferri solent : ita duos filios nominari non tantopere prohibuissent; nec huic locutioni intercessissent iidem illi veteres, alium esse Dei filium, alium hominis, et ab illo diversum, si ut illic formas duas, divinam, et humanam, ita hic *filietates* duas, sive formas relativas eidem Christo tribuendas putassent. Quæ res indicio est, unicam ab illis causam, filietatemque fuisse constitutam, qua Christus Dei filius haberetur; nec magis adoptivam illorum auctoritate damnatam, quam naturalem alteram, et ab æterna filii proprietate distinctam.

IX. Jam quod Vasquezius illius probandi gratia, quod refellimus, assumit, « licet humanitatem assumeret Spiritus sanctus, eodem modo filium Dei naturalem dictum iri secundum humanitatem, non adoptivum; nec tamen æterna filiatione, quam non habet; » idipsum perinde est falsum. Nam si Spiritus sanctus homo fieret, non aliam huic proprietatem, quam suam, communicaret; qua hic homo non Pater esset, non Filius, sed Spiritus sanctus. Similiter humana si a Patre natura in personæ communionem adhiberetur, non aliam huic, quam paternitatis proprietatem adderet, essetque homo ille Deus Pater. Ut enim candor quodcumque corpus afficit, candidum facit; et calor, calidum; et sanctitas, sanctum : ita paternitas cuicumque formæ instar convenit, nihil aliud nisi patrem facit; filietas item filium : non secus ac divinitas Deum. Hinc est quod Christus homo divinitate ipsa Deus est; et increata sanctitate sanctus : quod non alio modo fit, quam substantiva unitione. Cum igitur Dei Verbi naturales proprietates sic assumptæ naturæ communicentur, ut causæ sint suæ quæque complexionis, vel *concretionis*, ut sic loquar : hoc est concretæ ac complexæ denominationis; atque ab æterna sapientia, verbi gratia, sapiens; ab omnipotentia, omnipotens hic homo, qui est Christus, appelletur; cur non ab relativa proprietate, quæ est *filietas*, Dei filius hic homo dicatur? Quod si ab ea nomen accipit; consequens est, ut ab ea quoque constituatur. Nam ab eo denominatur quælibet res, per quod talis existit. Ac ne argumentatione sola, sed ut etiam auctoritate pugnemus, huc illa Patrum advocanda est ratio, quam in secundo libro proposuimus [3], cur solum Filium hominem fieri decuerit. Hanc enim complures illorum afferunt; ut qui Dei jam filius erat, hominis esset filius; nec filii appellatio multiplicaretur; dum alius esset Dei filius, nempe Verbum, alius hominis filius, non

[1] Sup. c. 1. et seq. — [2] In 3. par. qu. 23. art. 4.

[3] Cap. 5. § 2.

Dei : utputa Pater, aut Spiritus sanctus. Ita Fulgentius, Gennadius, Joannes Damascenus, Anselmus, Bernardus, Paulinus Aquileiensis, Hugo Victorinus, Magister sententiarum, ibidem laudati. Qui omnes eo tanquam certo firmamento nituntur; neque Patrem, neque Spiritum sanctum, si homines fierent, Dei filios futuros, idque esse peculiare Verbo. Cujus sane ratiocinationis, ubi ab divina Filii proprietate discesseris, nullam causam comminisci aliam poteris.

X. Hic nonnulla opponuntur ab eruditis theologis [1]; sed quibus facile respondeas, si eorum memineris, quæ paulo ante hoc capite docuimus. Objiciunt Christum, si, ut homo est, naturalis est filius solius Patris, « nonnisi analogice, et per extrinsecam denominationem a filiatione Verbi filium dici ; eo modo quo columma dicitur dextra dexteritate animalis. » Itane Verbi persona, ejusque *filietas* peregrinum aliquid est, et externum humanæ Christi naturæ subsistenti, sive huic homini ? Hoc enim prævidens, quod in istis vocibus calumniæ strui posset, supra monui, non *humanitatis* vel *hominis* vocabula simpliciter aut usurpari, aut intelligi debere; tanquam sola in se natura spectetur; sed *hujus hominis*, ut subsistentis naturæ sit aliqua significatio. Quam si adhibes, perspicuum est homini et catholico, et paululum divinarum rerum scienti, non esse filiationem Verbi, quæ est personalis ejus proprietas, externum aliquid homini assumpto, sed substantivum, et naturale. Etenim, ut sæpius ab Cyrillo repetitum est, et nos superioribus in libris diximus [2], cum pro catholica et substantiva unitione Verbi, contra Nestorianam συνάφειαν disputabamus; caro ipsa, sive humanitas non est aliena, sed ἰδία, id est *propria* Verbi, qua cum hoc unus Christus, et subsistens efficitur. Minime itaque *denominatio* illa est *extrinseca*, qua hic homo Dei filius ab æterna filii relatione nuncupatur : nec ejusmodi, qualis est columnæ, quæ dextra, vel sinistra dicitur ab externi positione corporis. Quod quidem Nestorianæ consentaneum est hæresi, talem utriusque naturæ junctionem asseveranti, quæ ambas inter se nullo substantivo nexu obliget, ac devinciat; sed externa duntaxat applicatione, ex qua σχέσις et habitudo disjunctarum alioqui rerum oritur, qualis est columnæ ad corpus, quo cum illa confertur. Cyrillus vero et Catholici omnes adeo non extrariam putant illam esse denominationem, ut vel intimam, et naturalem, et οὐσιώδη, id est *substantivam*, aut, ut complures loquuntur, *essentialem* vocent. Vide quæ in libro tertio de hac unitione [3], tum de Nestoriana scripsimus [4].

XI. Illud vero quale tandem est, quod subjicit? « Neque vero a filiatione, *ait*, denominaretur filius : sicut a deitate non denominatur Deus, quatenus homo : sed solum humanitas dicitur deificata : similem autem denominationem solum habere potest a filiatione; nempe ut dicatur terminata et sustentata a filio. » Hic ista vocabula, *homo*, et *humanitas*, non sic ab illo usurpantur, ut humanitatem in sese, et præcisam, ac separatam a divinitatis consortio significent : sed ut est cum Verbo conjuncta, et ab eo qualemcumque denominationem, ac communionem accipit, ob quam *deificata*, vel *sustentata*, et *terminata* dicitur. Atqui si isto modo spectetur, falsum est omnino, et ab Cyrilli, ac ceterorum Patrum decretis abhorret, quod eruditus theologus affirmat. Quid enim? Non denominatur Deus hominis natura, quatenus cum Verbo copulatur ; ut eam ab illo considerari, cum scribit ista, monstravimus? Aut vero *deificata* potius, quam *Deus* in illo statu natura hominis, vel, quod pro eodem accipit, homo assumptus vocabitur? Ecquid usu veterum contritum magis est, quam istud, ut et Deus homo, et homo Deus appelletur? Nam *deificatum* hominem, etsi bono, ac commodo sensu complures dixerunt; nonnulli tamen repudiarunt, uti copiose suo loco docuimus [5]. Recte igitur, et catholice, homo Deus a deitate nominatur : et a filietate Verbi, Filius. Quæ nos in libro præsertim tertio et quarto tanto pondere auctoritatis affirmavimus, ut vel de his levissime dubitare nulli theologo liceat.

XII. Atenim instat celeberrimus ille theologus, « Si filius proprie accipiatur pro eo, qui procedit per veram, et naturalem generationem, quæ dicatur origo viventis a vivente in similitudinem naturæ, non potest dici filius naturalis Patris Christus secundum humanam naturam; quia secundum illam ab ipso non procedit eo modo. » Sed jam argumento huic occurrimus [6], cum duplici modo verum, et naturalem fieri posse filium ostendimus : quorum prior est, cum qui filius dicitur, terminus est *formalis*, ut vocant, actionis illius, hoc

[1] Vas. Disp. 89. c. 14. § 84. — [2] Vide lib. 4. c. 14. § 8. — [3] Cap. 4.

[4] Cap. 3. — [5] Lib. 4 c. 9. § 3. et seq. tum § 4. Vide et cap. 14. — [6] § 5.

est generationis, qua producitur, et *esse* accipit : posterior vero, cum filius ille non generationis, sed unitionis substantivæ terminus est ; cujus vi tam naturæ, qua cum jungitur, quam omnium illius proprietatum fit particeps ; ita ut pro suis et propriis habeat illa, et ab eis veram et naturalem denominationem capiat. Hac secunda ratione, non prima, Christus homo, vel ut hic homo est, Deus, et Dei filius est, ac nominatur. Quæ autem in argumento ponuntur ab erudito theologo, ad eum filium pertinent, qui priore modo filius existit ; non ad eum, qui sola substantiva unitione id est consecutus. Quod si tricari nihilominus quispiam, ac pertinacius insistere in eo pergat, ut vel ratio filii naturalis idem esse debeat ac ratio geniti, ac sit filius fundamentum in actione aliqua positum, quæ sit generatio ; hoc si quis opponat, inquam, non multum repugnabimus, dum eo sensu accipi patiatur, ut sit princeps causa *filietati*, ut sic loquar, generatio, et quasi principium ultimum, ac remotum, in quod illa revocatur, vel, ut loquuntur dialectici, *resolvitur*. Hoc enim modo etiam filii ratio illa posterior, quæ ex unitione substantiva oritur, in generationem, tanquam primariam, sed non proximam causam recidit. Est enim uti Verbi, ac divinitatis accessio quædam, suscepta hominis natura ; sic *filietatis* ejus, quæ proxime ex generatione constat, ac Verbo ipsi convenit, altera *filietatis* ratio, quæ ex unitione redundat in hominem.

XIII. Quod vero spectat ad novam illam naturalis filii proprietatem, ab erudito theologo excogitatam, et invectam, non est ea meo judicio probabilis. Christus, inquit, homo naturalis est Dei filius « non per generationem naturalem, qua communicatur natura, sed per generationem gratiæ, etc. » Atqui non pauca ex hoc absurda consequuntur. Imprimis illud, ex duplici filietate naturali, duos in Christo constituendos esse naturales filios, ut paulo ante probavimus [1]. Cui quidem Christiana omnis reclamat antiquitas, quæ unum, et ejusdemmodi in utraque natura filium agnoscit, et utique naturalem ; cui tanquam ex adverso alterum opponit, qui χάριτι, id est *gratia*, filius dicitur. Nam φύσει filium, et eum qui est χάριτι, vel θέσει, a se mutuo distare, nec in eumdem cadere, ex consensu veterum, docuimus supra libri hujus initio [2]. Rursus non idem erit Dei, et Virginis filius ; neque θεοτόκος hæc erit, si quem peperit, non est a Deo genitus, nec ea ratione naturalis Dei filius, qua a Patre processit ; sed alia quadam, et æquivoce, improprieque sumpta, hoc est minime naturali. Ad hæc, Christus, ut est hic homo, si non proprietate ipsa sempiterni filii, quæ est velut forma relativa, qua Verbum cum Patre comparatur, Dei filius est ; sed ideo, quod gratiam ipsam velut naturalem possidet, indidemque jus habet æternæ potiundæ hæreditatis : nulla fingi ratio potest, cur Christus, ut hic homo est, non perinde Pater, aut Spiritus sanctus appelletur, ac Verbum, sive Filius. Etenim personarum discrimen, appellatioque non aliunde, quam ex relativa proprietate sumitur : qua remota, non magis una, quam alia dici persona potest. Quare si Christus, ut homo est, non constituitur filius per Verbi personalem proprietatem, sive relationem æternæ filietatis ; sed ejusmodi, ut ἀναλόγως, et ὁμωνύμως, id est *æquivoce, et improprie* naturalis sit dicendus filius ; profecto sub ea ratione non Filio potius, quam personæ alteri accensendus erit. Nec enim gratia illa, vel jus æternæ capiendæ felicitatis, unde illi naturalis filietas obvenit, ad Filii personam magis pertinet, quam Patris, vel Spiritus sancti.

XIV. Itaque Trinitatis ipsius naturalis erit filius hic homo, qui dicitur Christus : non autem Patris æterni. Quod etsi non gravate concesserint, qui illud genus filietatis induxerunt ; nullo modo tamen usurpandum videtur ; nec absolute, ut illi ipsi fatentur : nec vero cum hoc additamento, *in quantum homo* : quod idem existimant. Est enim Christianis inusitatum auribus, et insolens, *Christum in quantum hominem* (quod idem est ac si dicas, *ut hic homo*) *esse naturalem filium Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Quod mihi magis etiam absonum videtur, quam si adoptivum asseras illorum esse filium. Id enim solam externam, et in opus prodeuntem actionem significat, quæ Trinitati toti, non uni separatæ personæ tribuitur ; at *naturalis* vox ad *filium* addita, naturæ, ac substantiæ, non gratiæ, vel hæreditariæ possessionis communionem indicat. Nam quod Hadrianum papam iidem illi novæ filietatis auctores objiciunt, tanquam is totius filium Trinitatis appellari Christum putaverit, iis verbis [3], *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* ; dum hanc totius vocem esse Trinitatis affirmat : id vero falsum est, neque Hadrianus non soli Patri tribuendam illam esse uspiam asserit [4], sed

[1] § 8. — [2] Cap. 1. § 2. et 3. — [3] Matth. 3. 17.

[4] Vide Concil. Francof. tom. 6. Concil. p. 166. D.

perperam illius verba intellexerunt eruditi theologi. Hoc enim solum voluit, vocabulum istud *complacui*, a Deo Patre dictum, omnium personarum habere significationem; ac Patrem eo ipso demonstrare, sibi cum aliis duabus personis talem per omnia placuisse filium, non duarum, perinde ac suum, esse filium. Hanc Hadriani fuisse mentem facile, id quod mihi usuvenit, animadvertet, qui locum illum attentius legerit, non raptim cursimque peragraverit, ut solent aliis rebus occupati.

CAPUT SEXTUM.

1. An Christus sit creatura. — 2. Creatum dici, et creaturam probatur ex Patrum testimoniis, primum græcorum, — 4. deinde latinorum. — 7. Quinam e contrario negaverint utriusque gentis. — 10. Cur filius adoptivus non appelletur Christus, tamen ab nonnullis creatura vocetur. Duobus modis creaturæ nomen usurpatur. — 11. Inde ratio petitur, qua inter se conciliantur Patres, qui dissentire videntur.

I. Ex superiori controversia, in qua maxima theologorum veterum consensione statutum est, Christum, etsi verus sit, nec natura ceterorum hominum homo dissimilis, non tamen adoptivum censeri, appellarive filium; ad consequentes alias, ac minutas quæstiones gradus quidam, et aditus factus videtur; quæ eadem opera pertexendæ sunt. Ejusmodi autem sunt hæ præcipue: an creatus, vel creatura nominandus sit Christus Dominus: an servus: an templum, vel domicilium Dei, aut Verbi sit homo. Quorum eadem, ac filii adoptivi, ratio parum accurate considerantibus potest videri; ut iisdem de causis detrahi Christo posteriora ista debeant, ob quas adoptivum appellari non placuit. Verum ex adverso repugnat auctoritas græcorum latinorumque Patrum, eorumque velut in priore abjudicando, sic in asseverandis posterioribus incredibilis concordia; perpaucis demptis, ut in adoptivi quoque nomenclatura contigit. Quæ sentiendi varietas advertit animos nostros, et ut causam illius inquiramus, hortatur. Sed posteriora ista, quæ nobis disceptanda restant, singillatim ac per partes velut concisa ponamus.

De creatura itaque primum explorandum est, an usurpari de Christo debeat, et veterum aliquot proferendæ sunt, vel comparandæ inter se sententiæ, paucorum scilicet, qui illud inficiari videntur, cum multo pluribus, qui idipsum non sunt affirmare veriti.

II. E Græcis primo loco memorandus est Athanasius: qui id multis in locis ac passim deprædicat, Dei filium, quatenus homo factus est, dici creatum, ceterorum hominum more, qui et ipsi creari dicuntur. Cum enim ostendisset, ipsum, qua Deus est, esse creatorem, mox, « (1) quando factus est homo, et carnem gestavit, necessario creari, et fieri dici de eo cœpisse, ac cetera ejusmodi, quæ sunt propria carnis » asseverat. Sic in Oratione tertia, quod scriptum est Proverbiorum octavo ex Græcorum vulgata lectione, *Dominus creavit me*, non, ut Ariani putabant, de divina Filii natura, sed de assumpta humanitate intelligi oportere contendit: « (2) cujus est proprium creari. » Ut sit idem, *Dominus creavit me initio viarum suarum*, ac si diceret, « (3) Pater mihi corpus elaboravit, et in homines me creavit, pro hominum salute. » Et in epistola ad Serapionem de Spiritu sancto sub finem, « (4) Creandi, *inquit*, vocabulum humanam naturam significat; quoniam homo factus est, et creatus est. » Et in Expositione fidei, quæ tamen alterius auctoris, quam Athanasii, mihi videtur, « (5) creaturam *ait* esse, quod Christus gestavit corpus. »

(6) Gregorius Nazianzenus Oratione 36. « Quæ-

(1) ATHAN. orat. 1. pag. 129. Οὕτως ἄνθρωπος γεγονὼς, σάρκα φορέσας, ἐξ ἀνάγκης κτίζεσθαι λέγεται, καὶ ποιεῖσθαι, καὶ πάντα τὰ τῆς σαρκὸς ἴδια.

(2) Id. pag. 222. D. Καὶ λοιπὸν τὸ ἔκτισε μὴ κτίσμα ἀκούετε· ἀλλὰ τὸ περὶ αὐτὸν γενόμενον ἀνθρώπινον. Τούτου γὰρ ἴδιόν ἐστι καὶ τὸ κτίζεσθαι.

(3) Ibid. pag. 223. Ἴσον τῷ εἰπεῖν, ὁ Πατὴρ σῶμά μοι κατειργάσατο, καὶ εἰς ἀνθρώπους με ἔκτισεν, ὑπὲρ τῆς τῶν ἀνθρώπων σωτηρίας.

(4) Id. pag. 343. Καὶ γὰρ ὡς λέγων τὸ ἔκτισε, τὸ ἀνθρώπινον σημαίνει· ὅτι ἄνθρωπος γέγονε, καὶ ἐκτίσθη.

(5) Idem pag. 395. Ἔστι τοίνυν τὸ δι' ἡμᾶς φορέσαι σῶμα κτίσμα.

(6) NAZIANZ. orat 36. pag. 578. Τίς οὖν ἀντερεῖ λόγος

nam, *inquit*, obsistet ratio, quominus creatura vocetur sapientia secundum inferiorem generationem : at fœtus propter priorem generationem, et magis incomprehensam ? » (1) Et in Oratione 38. « eum qui increatus est, creatum fuisse » dicit. Quod luculentius explicat Gregorius alter Nyssenus in opusculo de Fide ad Simplicium, « (2) Quemadmodum, *ait*, cum Verbum sit, propter nos factus est caro, et qui Deus est, homo est factus : ita qui creator est, creatura propter nos factus est. Creata quippe est caro. » Et paucis interpositis : « (3) Quod æternum est, adscribimus divinitati : quod creatum est, humanitati naturæ tribuimus. »

III. Cyrillus Alexandrinus in priore ad Successum epistola, refellens id, quod falso sibi imputabant æmuli, tanquam corpus Christi in divinitatem mutatum esse diceret, ostendit nullo istud modo posse fieri. « (4) Non enim contingit, *ait*, ut in divinitatis substantiam, aut naturam creatarum rerum aliqua convertatur. Nam creatura est etiam caro. » Idem in Paschali homilia 17. « (5) Christum » asserit « superiorem esse creata natura, quatenus est Deus, etiamsi creatus intelligatur, qua homo est. »

Item in commentariis in Joannem : « (6) Creatus, *inquit*, est Christus, quatenus homo factus est; quamvis natura sit increatus, qua ex Deo prodiit. »

Ephræmius Antiochenus apud Photium, cum duas in Christo naturas, ac totidem operationes adstruit, hoc argumento utitur : « (7) Non enim utique unam esse concedemus naturalem operationem Dei, et opificii : ne et quod factum est, ad divinam provehamus substantiam : neque divinitatis excellentem dignitatem ad eum modum demittamus, qui creaturis convenit. » Maximus martyr in opusculo quodam ad Joannem cubicularium, in quo fidei formulam explicat, eumdem Christum « (8) secundum naturam, quam cum Patre communem habet, et substantiam, increatum esse » dicit : « at secundum carnis ipsius, et nostram naturam esse creatum. »

Sic Joannes Damascenus libro tertio, capite tertio, in illa naturarum duarum conjunctione servatas esse scribit utriusque proprietates, et naturales differentias : « (9) ut quod creatum est, creatum manserit, et quod increatum est, increatum. » Et in libello contra Acephalos, unam ab iis constitutam naturam hoc argumento refellit; « (10) Cum enim increata, et initio carens sit divinitas; creata vero, et initium habens humanitas : quanam ratione quod expers est initii, et quod initium habet, una poterunt esse natura ? » Et alibi, « (11) Non adoro, *inquit*, rem creatam præter creatorem ; sed adoro creatorem, qui creatus, meique similis est factus, et ad creaturam, sine abjectione ulla sui, vel dignitatis jactura descendit. »

IV. Latinorum Patrum idem testantium primus accedat Hilarius. Hic in duodecimo libro locum illum Proverbiorum, qui *creatam esse sapientiam* docet, adversus hæreticos enarrans, de Christi humana natura eum interpretatur, et illam sæpe creationem, vel creaturam nominat. « Beatam autem illam, et veram (ait inter alia[1]) conceptæ intra Virginem carnis nativitatem, qua tum creaturæ nostræ et natura, et species nascebatur, creaturam et facturam Apostolus nominavit, etc. Filius itaque suus est (nempe Dei) qui est in homine, et ex homine factura. Neque factura tantum, sed etiam creatura. » Ac paulo post :

κτίσμα μὲν λέγεσθαι τὴν σοφίαν κατὰ τὴν κάτω γέννησιν· γέννημα δὲ, κατὰ τὴν πρώτην, καὶ πλέον ἄληπτον.

(1) Id. pag. 620. Καὶ ὁ ἄκτιστος κτίζεται.

(2) NYSSEN. tom. 2. pag. 471. Ὥσπερ οὖν Λόγος ὢν, δι' ἡμᾶς ἐγένετο σάρξ, καὶ Θεὸς ὢν, ἄνθρωπος ἐγένετο· οὕτω καὶ κτίστης ὢν, δι' ἡμᾶς κτίσμα ἐγένετο· κτιστὴ γὰρ ἡ σάρξ.

(3) Ibid. Ἀκολούθως τὸ μὲν ἀΐδιον τῇ θεότητι προσμαρτυροῦμεν· τὸ δὲ κτιστὸν, τῇ ἀθρωπίνῃ λογιζόμεθα φύσει.

(4) CYRILL. tom. 5. par. 2. pag. 140. Οὐ γάρ ἐστι τῶν ἐφικτῶν εἰς θεότητος οὐσίαν, ἤτοι φύσιν μεταχωρῆσαί τι δύνασθαι τῶν κτισμάτων· κτίσμα δὲ καὶ ἡ σάρξ.

(5) CYRILL. tom. 5. par. 2. pag. 223. B. Ἀνωτέρω κτιστῆς νοοῖτο φύσεως ὡς Θεός· κἂν εἰ ἐκτίσθαι νοοῖτο διὰ τὸ ἀνθρώπινον.

(6) Idem lib. 11. in Joan. pag. 950. Γεντὸς δὲ καὶ ὁ Χριστὸς, καθὸ γέγονεν ἄνθρωπος, καί τοι φύσιν ἀγένητος ὢν καθὸ πέφηνεν ἐκ Θεοῦ.

(7) EPHRÆM. cod. 229. Phot. pag. 429. Οὐ γὰρ δήπου μίαν εἶναι φυσικὴν τὴν ἐνέργειαν δώσομεν Θεοῦ καὶ ποιήματος· ἵνα μήτε τὸ ποιηθὲν εἰς τὴν θείαν ἀναγάγωμεν οὐσίαν· μήτε μὴν τῆς θείας φύσεως τὸ ἐξαίρετον εἰς τὸν τοῖς γεννητοῖς πρέποντα καταγάγωμεν τρόπον.

(8) MAXIM. Καὶ κατὰ μὲν τὴν ἑαυτοῦ πρὸς Πατέρα φύσιν τε, καὶ οὐσίαν, ἄκτιστον, etc. κατὰ δὲ τὴν τῆς σαρκὸς αὐτοῦ φύσιν, καὶ ἡμετέραν, τὸν αὐτὸν κτιστόν.

(9) DAMASC. pag. 173. fine. Τὸ γὰρ κτιστὸν μεμένηκε κτιστὸν, καὶ ἄκτιστον, ἄκτιστον.

(10) Idem pag. 569. Εἰ ἄκτιστος, καὶ ἄναρχος ἡ θεότης, κτιστὴ δὲ, καὶ ἠργμένη ἡ ἀνθρωπότης, πῶς τὸ ἄναρχον, καὶ τὸ ἠργμένον μιᾶς ἔσται φύσεως ;

(11) Idem lib. 1. de Imag. pag. 701. et 3. p. 762. Οὐ προσκυνῶ τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα· ἀλλὰ προσκυνῶ τὸν κτιστὴν κτισθέντα τὸ κατ' ἐμὲ, καὶ εἰς κτίσιν ἀταπεινώτως, καὶ ἀκαθαιρέτως καταληλυθότα.

[1] Hilar. p. 92. F.

« Qui enim erat filius Dei, natus erat et filius hominis : quia non divinitatis erat nativitas ; sed creatura carnis significationem sui generis accepit. »

Ambrosius libro primo de Fide, capite sexto, Arianos Christum factum, et creatum asserentes, « considerare » jubet, « in quo creatum legerint, in quo factum, » etc. « Non enim Deus factus, sed Deus Dei filius natus est, postea autem secundum carnem homo factus ex Maria est. » Tum capite septimo, « In eo se creatum dicit, in quo et hominem testificatur. » Sic libro quarto, capite secundo, quod Apostolus ait [1], *caput esse Christi Deum*, ad assumptam *carnem* refert ; « quia divinitas, utpote creatrix, caput est creaturæ. »

Idem Ambrosius sermone 5. ad Psalmum 118. « Non vereor ne quis dicat : Creatum ergo Christum asseris ? Respondebo : Ita creatum dico, quemadmodum factum legi, hoc est factum ex muliere, factum sub lege : hoc est secundum susceptionem carnis creatum, secundum quod est natus ex Virgine. »

Hieronymus ad caput secundum epistolæ ad Ephesios, de creatione disputans, et illo Proverbiorum loco, *Dominus possedit me*, etc. reprehendit eos, qui Christum creaturam dicere verebantur : et libere proclamat « non esse periculum eum dicere creaturam. »

Augustinus vero crebro idipsum repetit : ut in epistola 57. [2] « Proinde quod ad Verbum attinet, creator est Christus : omnia enim per ipsum facta sunt. Quod vero ad hominem, creatura est Christus. Factus est enim ex semine David secundum carnem, et in similitudinem hominum factus. » Et in Enchiridio, capite 38. « Sed cum illam creaturam, *ait*, quam Virgo concepit, et peperit, quamvis ad solam personam Filii pertinentem tota Trinitas fecerit, etc. » Idem in sermone 48. de verbis Domini in Evangelio secundum Joannem : « Et Verbum Deus est, et anima hominis creatura est, et caro hominis creatura est, et caro mortalis Dei creatura est. »

Sic in libro de Fide et symbolo, capite quarto ; « Eadem, *inquit*, sapientia, quæ de Deo genita est, dignata est etiam in hominibus creari. » Tum in primo de Trinitate capite 12. « creaturam » appellat, « in qua humanis oculis apparuit. » Item in secundo libro contra Julianum capite 4. « Deus, qui genuit Filium sibi coæternum, quod in principio erat Verbum, per quod creavit omne quod non erat, etiam ipsum creavit hominem sine vitio, non ex semine hominis per Virginem natum. »

Sic in fragmento sermonum vicesimo sexto [3], ex Bedæ commentariis ad caput secundum epistolæ ad Philippenses [4]; « Videmus ergo Jesum Christum, *inquit*, et Deum, et hominem ; Christum et factorem rerum, et factum in rebus ; Christum et creatorem hominis, et creatum hominem. »

V. Leo papa primus in sermone secundo de Pentecoste ; « Si homo, *inquit*, ad imaginem et similitudinem Dei factus in suæ honore naturæ mansisset, etc. creator mundi creatura non fieret. »

Fulgentius item in responsione ad quæstionem secundam Ferrandi [5] : « Deus Filius, *ait*, ante Incarnationem, et ante assumptam creaturam unigenitus. » Ac Ferrandus ipse in epistola ad Severum [6] : « Habuit ergo, *inquit*, humana natura, ex quo est creata, personam, sed unam cum Deo, qui eam suscipiendo creatus est. » Igitur et creatura vere est humana Christi natura, et secundum eam Deus ipse creatus dicitur : quemadmodum ex eo, quod vere genita est eadem natura hominis ex Virgine, Deus ipse genitus dicitur.

Rursus idem Ferrandus [7] : « Si enim creator, *inquit*, factus est creatura, si Verbum factum est caro, si Deus habitu inventus est ut homo ; nec creator creari, nec Verbum caro fieri, nec Deus esse potuit homo sine alterius susceptione naturæ. »

Joannes secundus in epistola prima ad Valerium [8], « Paulus, *inquit*, apostolus non secundum deitatis naturam Christum creatum insinuat, sed secundum humanæ naturæ substantiam eumdem creatum affirmat. »

Vigilius libro quarto contra Eutychem [9] scribit, « unum eumdemque Christum utriusque esse naturæ, etc. creatum esse, et initium non habere, etc. Creatus est per naturam carnis suæ, et non est creatus per naturam divinitatis suæ. » Et libro quinto [10], « in Christo aliquid esse » dicit « creatum, et factum ; » ac paulo post, « creatum esse Christum secundum veritatem humanæ ejus naturæ ; et eumdem esse infectum, secundum proprietatem nihilominus divinæ ejus naturæ. » Tum paucis interjectis, postquam verba illa Salomonis posuit, *Dominus creavit me initio viarum suarum*, ita loquitur [11] ; « Cum ergo

[1] 1. Cor. 11. — [2] Pag. 104. A. 2. — [3] Tom. 10. p. 627. — [4] Tom. 6 col. 620. — [5] P. 218. D. 2. — [6] Tom. 3. col. 336.

[7] Ibid. col. 339. — [8] Tom. 3. Concil. pag. 845. — [9] Tom. 4. Bib. PP. col. 516. — [10] Ibid. 523. — [11] Ibid. 524.

clareat, Christum creatum, vel factum esse secundum id, quod homo dignatus est fieri; aut concedite hoc humanæ ejus naturæ; aut, si concedere non vultis, naturam divinitatis creatam esse adfirmabitis. »

Idem sentit et Maxentius de carne, sive humana Christi natura, tametsi Christum ipsum *creaturam* esse negat; cujus verba postea referam.

Petrus quoque Damiani homilia in Epiphania Domini, « Factor, *inquit*, Virginis factus est in Virgine factura sua. »

VI. Poteram et sigillatim plurium uti testimoniis; sed longum est; et satis ista sunt, quæ ex multis haud pauca delegi. Quibus, ut appellare nominatim singulos desinam, omnes illi annumerandi sunt veteres, qui Proverbiorum ex capite octavo locum illum vel enarrarunt, vel adversus Arianos utcumque tractarunt, *Dominus creavit me*, ut quidem in græcis exemplaribus legitur: ubi plerique *creandi* vocem, et proprietatem æterno Dei filio, propter assumptam humanam naturam, eamque creaturam, tribuendam arbitrati sunt; ut in secundo libro de Trinitate, capite secundo memoravimus. Ex quo illos omnes liquet creaturam factum esse Verbum existimasse.

Cujus quidem asseverandi auctores habuerunt illi Scripturas sacras, quæ factum esse Christum, hoc est in tempore creatum, non uno loco prædicant. Sic in Actis apostolorum Petrus, *Certissime sciat*, inquit [1], *omnis domus Israel, quia et Dominum eum, et Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis.* Paulus item ad Romanos [2], *De filio*, inquit, *suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Et ad Galatas [3]: *Misit Deus filium suum factum ex muliere.* Et ad Hebræos: *Considerate apostolum, et pontificem confessionis nostræ Jesum, qui fidelis est ei, qui fecit illum.* Et Isaias tanto ante ex persona Salvatoris [4]: *Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi.* Quem locum de Christo interpretandum esse nemo Christianus dubitat: idque tota ipsa series orationis arguit. Omitto locum illum Proverbiorum, quem proxime ante attigi, *Dominus creavit me*, quem de Christo, ut homo est, veteres intellexisse constat.

VII. Nunc illos recenseamus, qui Christum negasse videntur esse, appellarive creaturam oportere. Ambrosius in epistola ad Gratianum, quæ est præfixa libris de Fide, « Creaturam, *inquit*, Christum dicere, pro objectu contumeliæ est, non pro confessione reverentiæ. » Quod in primo de Fide libro, toto capite sexto, et septimo copiose prosequitur adversus Arianos. Sed indidem apparet, eo sensu negare creaturam, quo affirmabant hæretici, nempe qua Deus est, et secundum divinitatis substantiam: quippe capite septimo, illud Actorum secundi, *Et Dominum eum, et Christum fecit Deus*, de carne accipit. « Hoc utique fieri potuit, *inquit*, quod potuit crucifigi. Non ergo factura, Dei filius. » Sic illud, *Dominus creavit me*, « ob causam incorporationis » dici asserit, ut antea diximus.

Plenius et accuratius creaturam esse negat Faustinus in libro contra Arianos; ac primum [5] ex eo ducit argumentum, quod si creatura foret, minus ad amoris in homines sui faciendam fidem impendisset Deus, quam Abrahamus ad suum erga Deum testificandum affectum contulit. Hic enim verum et naturalem, proprieque dictum filium suum non dubitavit ad mortem offerre; Deus autem servum duntaxat, non proprium, et verum filium morti tradidit, si est creatura. Ac ne quis eodem modo, quo Ambrosium ostendimus, istum quoque putet explicandum; in eodem libro, capite sexto, Proverbiorum hunc locum, *Dominus creavit me initium viarum suarum*, ab Arianis objectum Faustinus idem declarans, fatetur quidem ad Incarnationem referri; sed non ita, ut ex ea quod creaturæ proprium est acceperit, ut inciperet esse. « Nam aliud est dicere, *inquit* [6], creari sapientiam, et aliud est dicere, quod sit creatura. Non enim omne quod creatum est, jam creatura dicendum est, licet omnis creatura creata sit: sicut nec omne quod factum est, jam factura adseveranda est, licet omnis factura facta sit. » Siquidem *Deus factus esse* dicitur [7] *susceptor, et refugium.* « [8] Similiter et sapientia si creata dicatur, non tamen creatura est, quæ semper est: sed cum existat semper, creatur ad aliquid, ut prosit; non ut creatura dicatur, quasi facta, quæ non fuit, etc. » Et mox [9]: « Non ergo factura est Verbum Dei, licet factum caro esse dicatur. »

VIII. Epiphanius in Arianorum hæresi, quæ est sexagesima nona [10], creatum non esse Dei filium latissime disputat adversus Arianos:

[1] Act. 2. 36. — [2] Rom. 1. 3. — [3] Gal. 4. 4. — [4] Isa. 49. 5. — [5] Faustin. tom. 4. Bib. 674. C.

[6] Faustin. 688. E. — [7] Ps. 58. — [8] Faustin. 689. — [9] Ibid. B. — [10] Epiph. hær. 69. a § 34.

et quamvis de eo, qua Deus est, potissimum contendat, tamen iis argumentis utitur, quæ latius patent, et ad Christum absolute, atque ex toto pertinere videntur. Primum hoc discrimen interesse ait inter κτίσμα, sive ποίημα, et γέννημα, hoc est inter *creaturam*, vel *opus*, *factitiumve* aliquid, est *id quod gignitur*, « (1) quod nulla creatura similis est genito, neque quod genitum est, creaturæ simile. » Ubi ad priorem, quam exposuimus, et communem sententiam videtur accedere, quæ Christum, quatenus homo est, creatum esse putat. Siquidem humana natura divinæ est dissimilis. Verum in sequentibus universe adstruit, nihil creati in Christo reperiri, etiam qua est homo. « (2) Ecquid, *ait*, prodesse nobis creatura posset ? aut quid ad salutem hominum conferret, vel ad divini Verbi incarnati gloriam divinitatemque perfectam ? Quid, inquam, nobis profuerit, si creaturam illum dixerimus ? quid est in quo creatum aliquid creaturis prodesse, aut utilitatis afferre possit? Ad hæc quomodo Deus Deum creavit, et adorandum proposuit, cum ipsemet dixerit, Non facies tibi similitudinem ullam, neque in terra, neque in cœlo, neque adorabis illam ? Quomodo igitur sibi filium creavit, adorarique jussit ? Præsertim cum Apostolus dicat, Et servierunt creaturæ potius, quam creatori, et stulti facti sunt. Stultum enim est creaturæ divinitatem tribuere, ac primum legis violare mandatum, Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Propterea sancta Dei Ecclesia creaturam non adorat, sed Filium genitum : Patrem in Filio, Filium in Patre, cum Spiritu sancto. »

Hic Epiphanius videtur admittere, nulla ratione filium Dei creaturam oportere dici, ne ut hominem quidem. Nam argumenta, quæ affert, generatim hoc probant : et *creaturæ* nomen alienum esse contendit ab incarnati Verbi gloria. Tum nihil *creaturam creaturis prodesse* dicit, aut *in iis operari*. Christus autem homo plurimum et contulit humano generi, et in eo est operatus. Adorari quoque creaturam dum negat, Christum hominem non esse creaturam indicat, quippe quem adorare fas sit pro indiviso Deum simul et hominem : ut suo loco dicturi sumus.

IX. Proclus item in oratione quinta perinde *creaturam* inficiari videtur, cum Virginem fructum ejusmodi peperisse ait, «(3)qui splendor esset paternæ gloriæ, non creatura ; et qui adoratur, non autem est creatus. » Ergo Christum, qua ex Maria virgine genitus est, creaturam esse negat ; eumdem, inquam, quem fœmina peperit, et qui ejus est filius. De quo mox ista subjicit : « (4) Et pariet, inquit, filium : quibus verbis et partum prædicavit, et habitudinem filii ad matrem non adulteravit. » Quo posteriore in loco mirum est tantopere æstuare viros doctos, quod in græco mendose legeretur ἐνώθευσε per ω : ex quo putarunt a verbo ἐνωθεύω derivari. Ideo *propulsare*, vel *auferre* verterunt ; sed portentum istud vocis ablegandum, et ἐνόθευσε per ο parvum omnino scribendum est. Duo enim in totidem vocibus Lucam significare Proclus affirmat. Prior enim, τέξεται, id est *pariet*, partum B. Virginis indicat : posterior, quæ est *filius*, declarat, illum ipsum, qui partu est editus, referri ad matrem, tanquam verum, propriumque filium : quod Nestoriana hæresis non sincere profitebatur, sed germanam filii notionem adulterabat.

At Maxentius in dialogo secundo[1], cum hoc Nestorianus objecisset : « Si omne, quod moritur, creatura est, ergo et Christum pro nostris peccatis mortuum, creaturam esse. Et quia nulla est creatura, quam non Trinitas operetur, profecto Christus, quem pro nostris peccatis mortuum credimus, a tota Trinitate creatus est, et resuscitatus a mortuis ; quia una est virtus, et operatio Trinitatis : » ex quo consequenter docet, « totam Trinitatem pariter in Christo inhabitare : » hæc igitur

(1) Epiph. hær. 69. § 34. Πᾶν γὰρ τὸ κτιζόμενον οὐχ ὅμοιον τυγχάνει τῷ γεγεννημένῳ· οὔτε τὸ γεννώμενον ὅμοιον τῷ κτιζομένῳ.

(2) Epiph. ibid. § 36. Τί οὖν τὸ κτίσμα ὠφελήσειεν, ἢ ποίαν χρῆσιν ποιεῖται πρὸς τὴν ἡμῶν σωτηρίαν, καὶ πρὸς τὴν τοῦ Θεοῦ Λόγου ἔνσαρκον δοξολογίαν, καὶ τελείαν θεότητα ; τί ὠφελεῖ ἡμᾶς τὸ λέγειν αὐτὸν κτίσμα ; τί κτίσμα ταῖς κτίσεσιν ἐργάζεται ; τί κτίσμα ὠφελεῖ τὰς κτίσεις ; πῶς δὲ ἔκτισεν ὁ Θεὸς Θεὸν εἰς προσκύνησιν διδοὺς, ὁπότε λέγει· μὴ ποιήσῃς σεαυτῷ πᾶν ὁμοίωμα, μήτε ἐπὶ γῆς, μήτε ἐν οὐρανῷ, καὶ μὴ προσκυνήσεις αὐτῷ ; πῶς οὖν ἔκτισεν ἑαυτῷ Υἱὸν, καὶ ἐπέταξε προσκυνεῖσθαι, μάλιστα τοῦ Ἀποστόλου λέγοντος, καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, καὶ ἐμωράνθησαν ; μῶρον γὰρ τὸ κτίσιν θεολογεῖν, ἀθετεῖν δὲ πρώτην ἐντολὴν τὴν λέγουσαν, Κύριον τὸν Θεόν σου προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. Διὸ ἡ ἁγία τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία οὐ κτίσμα προσκυνεῖ, ἀλλὰ Υἱὸν γεννητὸν Πατέρα ἐν Υἱῷ, Υἱὸν ἐν Πατρὶ, σὺν ἁγίῳ Πνεύματι.

(3) Procl. pag. 181. Τὸ ἀπαύγασμα, οὐ τὸ κτίσμα, etc. ὁ προσκυνούμενος, οὐ τὸ κτισμα.

(4) Ibid. Καὶ τέξεται Υἱόν· ἐκήρυξε τὴν ὠδίνα, καὶ τὴν σχέσιν οὐκ ἐνόθευσε.

[1] Tom. 4. Bibl. col. 484. D.

opponenti Nestoriano Maxentius respondet sic: « Impia omnino, et sacrilega, atque Arianorum blasphemiis hæc affectio coæquanda est, quæ Christum non Deum prædicat, sed creaturam. Nec enim, ut impie argumentatus es, Christum pro nostris peccatis mortuum tota creat, et resuscitat Trinitas: cum Christus mortuus pro peccatis nostris, non extraneus, aut alienus, sed unus ex ipsa Trinitate sit. Creatur quidem, et resuscitatur a tota Trinitate, non Christus, sed caro sine dubio Christi : et quia caro non alterius, sed ipsius est Christi, creat, et resuscitat Christus semetipsum secundum carnem, cum Patre, et Spiritu sancto. Nam et Apostolus non a Trinitate, sed a Patre resuscitatum Christum ita testatur, dicens : Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis. »

Non itaque Christum creatum dici patitur Maxentius, sed carnem Christi : vel, quod idem est, Christum secundum carnem. Atque hæc vera demum, et certa decidendæ controversiæ ratio est, ut Christum affirmemus non absolute, et ex toto creaturam esse ; sed secundum humanam naturam : adeoque Verbum ipsum creatum eadem ratione fuisse, et creaturam esse factum.

X. Postremo, ut hanc absolvamus quæstionem, et, quod initio capitis proposuimus, rationem aliquam reddamus, cur cum adoptivus filius Dei secundum humanam naturam dici non debeat Christus, creatura tamen impune nominatur : hujus rei propriam, ac certissimam causam attulit S. Thomas [1], cum illam ipsam de adoptivo filio quæstionem disceptaret. Hoc enim tertio sibi loco objicit ; videri perinde filium adoptivum fas esse Christum vocare, ac servus appellatur. Cui sic respondet, ut disparem utriusque rationem esse dicat. Nam, « Esse creaturam, *ait*, et etiam servitus, vel subjectio ad Deum, non solum respicit personam, sed etiam naturam : quod non potest dici de filiatione. » Verum si servitutis, et creaturæ proprietas *non solum personam respicit, sed etiam naturam*, utrumque profecto respicit : et horum alterutro dempto, non potest creaturæ notio consistere. Atqui persona Christi divina est, et increata, quinam ergo creatura censebitur ?

Hic necessario duplex discernendus est modus, quo res aliqua, vel substantia, creatura dicitur : primus est, maximeque proprius, qui ab natura, vel essentia petitur. Est enim τοῦ ὄντος, vel etiam substantiæ, tanquam summorum generum, et γενικωτάτων, differentia, creatum esse ; ut cum utrumvis in creatum, et increatum dividitur. Ita species est una substantiæ, creata ; et increatæ, cujusmodi solus est Deus, ex adverso respondet. Cujus in eo posita ratio est, ut in rerum naturam prodire et extare nonnisi ex nihilo queat. Siquidem rerum essentia non ab ἐντελεχείᾳ ipsa, sive *actu*, ut vocant, existendi petitur ; sed ab δυνάμει, id est *potentia*, et, ut vocant, *aptitudine* ; sic videndi, audiendive sensus non ab ipsa functione, hoc est visione, vel auditione, suam essentiam, ac definitionem accipit, sed ab agendi potestate. Dicimus enim vivendi sensum, naturalem esse facultatem animalis, quæ quod est aspectabile percipere ac discernere potest, etsi ab omni visione cesset. Ita substantia prima definitur, quæ ad hoc apta est, ut per se, et non in alio subsistat. Quæ esssentiæ illius circumscriptio sive reipsa et actu sit in rerum natura, per seque consistat substantia, sive secus habeat ; eidem nihilominus convenit ; eo quod per sese, et ex naturalibus principiis istud obtinet, ut illo modo possit existere. Hinc natura humana Christi substantia est prima ; tametsi non per sese, id est proprio, et *connaturali*, ut vocant, modo subsistat, sed alieno, Verbique proprio. Quippe hujusmodi natura constat, ut suum propriumque modum existendi habere possit, nisi vis et potentia major antevertat, et adventitium, ejusque captu superiorem substituat. Eodem modo creatura dicitur secundum essentiam , quæ sic habet, ut ex nihilo produci possit, et producta simili ac congeneri existendi modo subsistere. Atque hoc pacto humana Christi natura *creatura* merito vocatur : quamvis non actu et reipsa sic existat, sed divino, increatoque modo. Creatura, inquam, dicitur secundum essentiam, naturæque proprietatem, non secundum ἐντελέχειαν subsistendi, quam *actualem subsistendi modum* Scholæ nuncupant.

XI. Ita concordare inter se conciliarique poterunt veteres illi, quos supra commemoravimus : quorum alii, et quidem plures, Christum esse creaturam asserunt : alii, et ii pauciores, præcise negant. Quippe priores ad essentiam ipsam, et naturam, ac τὸ τί ἦν εἶναι respectum habuerunt ; posteriores ad *actum* illum per sese subsistendi. Quocirca Basilius in epistola 41. ubi de Dionysio Alexandrino scribit, eumque de Spiritu sancto non satis caute pronuntiasse dicit, adeo ut inter crea-

[1] In 3. Part. qu. 23. art. 4. ad 3.

turas eum referret, ait Dionysium «(1)ab adoranda divinitate secrevisse Spiritum sanctum, et infra eam amandatum annumerasse creatæ, servilique naturæ.» Recte vocibus, quas *abstractas* vocant, usus est, ut naturam ipsam creatam, et administram vocaret. Joannes item Damascenus οὐσιώδη διαφορὰν appellat, id est *substantivam*, sive *essentialem differentiam*, esse *creatum*, vel *increatum*; ut supra meminimus [1]: quod nostram illam observationem ratam facit. Vix autem est, ut admoneri opus habeat paulum intelligens lector, cum substantiam aliquam creari, vel creaturam esse dicimus, non hanc velle nos proxime, et *immediate*, ut loqui solent, ea produci actione, quæ vera sit creatio, (nihil enim jam istiusmodi habet originem, præter hominum animas,) sed sufficere, ut ex rebus creatione propria conditis quacumque ratione propagata sit. Ita quilibet homo, etsi generatione nascatur, creari tamen dicitur, imo primus etiam homo, licet non proprie sit creatus. « [2] Quia etsi de terræ pulvere Deus finxit hominem, eadem terra, omnisque terrena materies omnino de nihilo est, animamque de nihilo factam dedit corpori, cum factus est homo. »

Redeo ad illud ex S. Thoma paulo superius allatum discrimen creaturæ, et adoptionis; quod hæc hypostasim ipsam, et subsistendi proprietatem sequitur, non essentiam. Hoc vero in Adamo perspicue cernitur, et ejus conjuge, qui ambo veri homines extiterunt, ac nulla naturæ communis propria dote caruerunt, non secus ac quos illi genuerunt, Sethus, et si qui alii deinceps propagati sunt; neque tamen cujusquam proprie dicti filii, nec vera generatione sati fuerunt.

CAPUT SEPTIMUM.

An Christus appellandus sit servus. — 1. De nomine, ac significatione servi. — 2. Christum esse, appellarique posse servum quinam græcorum Patrum existimaverint, — 4. deinde latinorum. — 6. Alii negarunt, præsertim Joannes Damascenus, et Theodoretus. — 8. Etiam Latini, — 9. maxime Hadrianus papa, et Francofordiense concilium.

I. Nihil in hac disceptanda quæstione prius faciendum est, quam ut, vera et propria vocabuli ratione constituta, quid in re controversiæ sit sine ulla ambiguitate capiamus. Dubitatur hic a nobis, an Christus proprie sit servus. Porro servitutem definit Justinianus [3], ut sit *constitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur*. Natura enim liberi omnes sumus, de quo agemus postea. Ita servus proprie dicitur, qui alieno dominio subjicitur, hoc est juri, ac potestati. « Servi autem, pergit Justinianus [4], ex eo appellati sunt, quod imperatores captivos vendere, ac per hoc servare, nec occidere solent; qui etiam mancipia dicta sunt, eo quod ab hostibus manu capiuntur. » Atque ita S. Augustinus [5], cujus postmodum meminerimus. Est autem servus oppositus libero. Is vero liber est, qui sui juris et arbitrii est, vel *suæ spontis*, ut Cornelius Celsus loquitur [6]: hoc est qui in nullius est mancipio, nec aliena potestate tenetur. Quæ vox *aliena*, pertinet ad excludendos a servili conditione filios, qui sub patria potestate sunt, nec tamen servi censentur, eo quod non est aliena potestas illa. Est enim filius veluti (2) *pars quædam patris*, ut ait Philosophus. Propterea neque justitia, aut injustitia inter illos intercedit proprie dicta: neque domini sunt filiorum patres. Hinc jocus ille Martialis [7] in eum, qui patrem appellans dominum, suspicionem dabat ex servo se esse genitum.

E servo scis te genitum, blandeque fateris,
Cum dicis dominum, Sosibiane, patrem.

(1) BASIL. tom. 2. pag. 803. Τῆς προσκυνουμένης αὐτὸ θεότητος ἐξορίζων, καὶ κάτω που τῇ κτιστῇ, καὶ λειτουργῷ φύσει συναριθμῶν.

(2) ARIST. 5. Nicom. cap. 10. Τὸ δὲ κτῆμα, καὶ τὸ τέκνον ἕως ἂν ᾖ πηλικὸν, καὶ μὴ χωρισθῇ, ὥσπερ μέρος αὐτοῦ.

[1] § 3. — [2] Aug. 14. de Civit. cap. 11. — [3] Inst. de Jure pers. l. 4. § 1. D. de statu hom.

[4] Sic l. 239. de verb. fig. — [5] Li. 19. de Civ. c. 15. et 1: qu. in Gen. qu. 153. — [6] L. 1. c. 1. — [7] Lib. 1. epist. 82.

Quocirca non is statim servus est judicandus, qui paret alteri, et ejus potestati, auctoritatique subjectus est : verum opus est præterea, ut non sit ingenuus ac liber, nec eadem cum eo, cui servire dicitur, conditione censeatur. Hoc animadverso, quod subinde latius exponendum erit, diversas in speciem antiquorum sententias referam ; quibus explicatis, facilior erit, pleniorque propositæ quæstionis enodatio.

II. Christum igitur servum posse nuncupari, docere videtur Athanasius libro primo contra Arianos, vel oratione prima. Ibi enim Arianos exagitans, qui Christum non ejusdem esse cum Patre substantiæ pugnabant ex illo Proverbiorum loco, quo *creata* fuisse *sapientia* dicitur, sic eos confutat. « (1) Imperiti, *inquit*, et mente attoniti : etiam servus in Scripturis appellatus est, et ancillæ filius, et agnus, et et ovis : tum fatigatus est, et sitivit, et vapulavit, et passus est. Sed facile constat illis omnibus legitima causa, et excusandi ratio. Quippe talia subinde iisdem in litteris exprimuntur; illum hominem, hominisque filium esse factum, cum servi formam, hoc est humanam carnem, assumpsisset. Etenim Verbum, inquit, caro factum est. Quod si homo factus est, non quemquam par est hujusmodi vocibus offendi, factum esse, formari, fatigari, mori, a mortuis resurgere. Atque ut, quatenus Verbum est, et sapientia Patris habet omnia quæ sunt Patris, videlicet æternitatem, immutabilitatem, omnimodam similitudinem : atque ut nec prius sit, nec posterius : sed ut cum Patre simul existat : et ipsa sit species divinitatis : tum ut rerum conditor sit, nec ipse creatus. Cum enim Patri substantia sit similis, non potest creatus esse, sed creator : ut ipse dixit [1] : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Sic homo factus, et carnem gestans, necessario creari dicitur, et fieri, et omnia quæ sunt carnis propria. » Hic Athanasius omnia, quæ carni proprie conveniunt, tam de humana Christi natura prædicari asserit, quam quæ Dei propria sunt, de ejusdem Christi divinitate. Non igitur tropice de Christo, ut homo est, usurpari credidit, esse creaturam, aut servum : quemadmodum cum leo, vel lapis, vel vitis nominatur in Scripturis, quæ proprie non dici perspicuum est. Quis enim dicere audeat, eodem modo de Christo, qua Deus est, affirmari, esse ipsum Patri similem, et coæternum, et increatum, quo, ut homo est, leo, lapis, ac vitis esse dicitur? Atqui inter alia, quæ propria carnis enumeravit, servum et creatum esse percensuit. Igitur etiam ista proprie, non figurate intelligenda sunt.

Idem Oratione tertia : « (2) Quatenus, *inquit*, in confesso est, illum hominem esse factum, nihil interest, si dicatur, ut et dictus est, sive esse factus, sive creatus, sive formatus, sive servus, sive filius ancillæ, sive filius hominis, sive constitutus esse, sive peregre abiisse, sive sponsus, sive patruelis, sive frater. Nam omnes eæ voculæ humanæ constitutionis propriæ sunt : et hujusmodi non Verbi substantiam, sed ipsum hominem factum esse significant. » Paulo vero ante dixerat : « (3) Quum Dominus esset, in forma servi erat ; serva quippe Verbi est omnis creatura, utpote per ipsum creata, et condita. »

III. Gregorius Nazianzenus non solum Oratione prima, (4) inter alia nomina, quæ Christo tribuuntur, *hominis, et servi* voces enumerat : sed etiam Oratione 36. postquam *creaturam* docuit *merito vocari sapientiam ob infe-*

(1) ATHAN. orat. 1. pag. 128. E. Ἀπαίδευτοι, καὶ τὰς φρένας ἐμβεβροντημένοι, καὶ δοῦλος ἐν ταῖς γραφαῖς ἐλέχθη, καὶ παιδίσκης Υἱὸς, καὶ ἀρνίον, καὶ πρόβατον, καὶ ὅτι κεκοπίακε καὶ ἐδίψησε, καὶ ἐτύφθη, καὶ πέπονθεν. Ἀλλ' ἔχει τὴν πρόφασιν, καὶ τὸ αἴτιον εὔκολον. Ἐγγὺς τὰ τοιαῦτα πάλιν ἐκ τῶν γραφῶν σημαινόμενά ἐστι, διότι ἄνθρωπος, καὶ Υἱὸς ἀνθρώπου γέγονε λαβὼν τὴν τοῦ δούλου μορφὴν, ἥτις ἦν ἡ ἀνθρωπίνη σάρξ. Ὁ γὰρ Λόγος, φησὶ, σὰρξ ἐγένετο. Εἰ δὲ ἄνθρωπος γέγονεν, οὐ δεῖ τινας ἐπὶ ταῖς τοιαύταις φωναῖς σκανδαλίζεσθαι, τῷ γενέσθαι, τῷ πλάττεσθαι, τῷ κοπιᾷν, τῷ ἀποθνήσκειν, τῷ ἐκ νεκρῶν ἐγείρασθαι. Καὶ ὥσπερ Λόγος ὢν καὶ σοφία τοῦ Πατρὸς ἔχει πάντα τὰ τοῦ Πατρὸς τὸ ἀΐδιον, τὸ ἄτρεπτον, τὸ κατὰ πάντα, καὶ ἐν πᾶσι ὅμοιον, τὸ μὴ πρότερον, καὶ ὕστερον, ἀλλὰ τὸ συνυπάρχειν τῷ Πατρὶ, καὶ αὐτὸ θεότητος εἶδος αὐτὸν εἶναι, καὶ τὸ δημιουργικὸν, καὶ τὸ μὴ κτίζεσθαι· ὅμοιος γὰρ ὢν κατὰ τὴν οὐσίαν τοῦ Πατρὸς, οὐκ ἂν εἴη κτιστὸς, ἀλλὰ καὶ κτιστὴς, ὡς αὐτὸς εἴρηκεν, ὁ Πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται, κἀγὼ ἐργάζομαι· οὕτως ἄνθρωπος γεγονὼς, σάρκα φορέσας, ἐξ ἀνάγκης κτίζεσθαι λέγεται, καὶ ποιεῖσθαι, καὶ πάντα τὰ τῆς σαρκὸς ἴδια.

(2) ATHAN. orat. 3. pag. 194. A. Ἕως γὰρ ὁμολογεῖται γενόμενος ἄνθρωπος, οὐδὲν διαφέρει λέγειν καθάπερ εἴρηται· εἴτε πεποίηται, εἴτε ἔκτισται, εἴτε πέπλασται, εἴτε δοῦλος, εἴτε Υἱὸς παιδίσκης, εἴτε Υἱὸς ἀνθρώπου, εἴτε κατεστάθη, εἴτε ἀπεδήμησεν, εἴτε νυμφίος, εἴτε ἀδελφιδοῦς, εἴτε ἀδελφος. Πάντα γὰρ ταῦτα τὰ λεξείδια, τῆς ἀνθρώπων συστάσεως ἴδια τυγχάνει ὄντα, καὶ τὰ τοιαῦτα οὐ την οὐσίαν τοῦ Λόγου, ἀλλὰ τὸ ἄνθρωπον αὐτὸν γεγενῆσθαι σημαίνει.

(3) Ibid. pag. 193. E. Καὶ Κύριος ὢν, ἐν τῇ μορφῇ τοῦ δούλου ἦν. Δούλη γὰρ τοῦ Λόγου πᾶσα ἡ κτίσις δι' αὐτοῦ γενομένη, καὶ ποιηθεῖσα.

(4) NAZIANZ. orat. 1. pag. 39. C. Τοῦ ἀνθρώπου, τοῦ δούλου.

[1] Joan. 5. 17.

riorem generationem, quæ verba illius capite superiori retuli, mox ita loquitur : « (1) Hujus porro velut consectarium est, ut et servus audiat, tanquam multis bene serviens; et ut magnum illi sit appellari puerum Dei. Nam revera servivit carni, et generationi, et passionibus nostris libertatis nostræ gratia. »

Gregorius Nyssenus in opusculo de fide ad Simplicium, itidem ut Nazianzenus, perinde servum, ac creaturam esse, appellarique dicit. Tum ita pergit : « (2) Igitur et qui in utero Virginis formatus est, ut Propheta dixit, servus est, non Dominus : hoc est is, qui secundum carnem homo est, in quo Deus manifestatus est. »

Theodotus Ancyranus homilia prima contra Nestorium habita, « (3) Factus est, *inquit*, conservus, ut dominus declareris, etc. Ubi est ille, qui Christum dividit; ubi qui mysterium nostrum ab homonymiam redigit ; et Christum unum dicens, duos reipsa constituit ; alterum servum, alterum dominum ; alterum qui patitur, alterum impatibilem? » Quæ postrema verba pugnare videntur cum proxime antecedentibus Gregorii Nysseni : qui in utero Virginis formatum dixit esse non Dominum, sed servum. Verum non sunt contraria. Nam Gregorius ad Apollinarem respexit, aliosque Theopaschitas, qui divinitatem confundebant cum homine. Itaque pressius, et, ut scholæ dicunt, *formaliter* locutus est.

Cyrillus Alexandrinus in responsione ad Theodoreti reprehensionem, ad Anathematismum sextum, asserit Christum, « (4) qui in Dei erat forma, et unigenitus Patris filius : quique per omnia æqualis erat genitori, et ex æquo gloriosus, ac liber, assumpta servi forma, fratrem eorum appellatum esse, qui servitutis jugo subjiciebantur. » Ideo census exactoribus didrachmum persolvisse. Mox, « (5) Docebat, *inquit*, discipulos suos, se et vere esse filium, et in forma servi, propter carnem, quamvis secundum propriam naturam liber esset, tanquam ex Deo, et Deus ; ita ut servi formam, velut propriam obtineret, propter exinanitionis modum : et ideo tributorum exactoribus, quod jussum erat pendebat. Quocirca si quis ipsum servum esse nominatum prophetarum voce dixerit, offendi neminem oportet. » Hic Cyrillus Christum existimat revera servum, quatenus homo est, extitisse, propterea quod eam naturam assumpsit, cui illud convenit. Ut igitur ab assumpta natura hominis hoc habet, ut vere frater sit nostrum omnium : sic ab eadem natura illud accipit, ut servus et sit, et esse dicatur.

IV. Ambrosius idipsum variis in locis, copioseque tradit. In libro quinto de Fide, capite tertio [1], « Nam et secundum generationem divinam, *ait*, Deo Patri æqualis est Filius : et secundum susceptionem corporis, Deo Patri servus est. Quia formam servi, inquit, accepit, unus tamen, atque idem est filius. Contra autem, sancto patriarchæ David secundum gloriam suam dominus est, secundum corporalis successionis seriem filius est, non deficiens a se, sed nostræ jus sibi adoptionis acquirens. Nec solum ex genere David servitutem suscepit in persona hominis, sed etiam ex nomine, sicut habes : Inveni David servum meum. Et alibi, Ecce ego mittam ad vos servum meum : Oriens nomen est ei. Et ipse Filius ait : Sic dicit Dominus, qui finxit me servum ex utero sibi, et dixit mihi : Magnum tibi est vocari puerum meum. Ecce posui te in testamentum generis mei, in lucem gentium, ut sis in salutem, usque ad extremum terræ. Cui hoc dicitur nisi Christo ? Qui cum in forma Dei esset, exinanivit se, et formam servi accepit. Quid est in Dei forma nisi in divinitatis plenitudine? Disce igitur quid sit, formam servi accepit, id est plenitudinem perfectionis humanæ, plenitudinem obedientiæ. Ideoque dicit in Psalmo : Statuisti in loco spatioso pe-

(1) Idem pag. 578. D. Τούτῳ δὲ ἕπεται καὶ τὸ δοῦλον ἀκούειν εὖ δουλεύοντα πολλοῖς, καὶ τὸ μέγα εἶναι αὐτῷ κληθῆναι παῖδα Θεοῦ. Τῷ ὄντι γὰρ ἐδούλευσε σαρκὶ, καὶ γενέσει, καὶ πάθεσι τοῖς ἡμετέροις διὰ τὴν ἡμετέραν ἐλευθερίαν.

(2) GREG. Nyss. tom. 2. pag. 471. Οὐκοῦν καὶ ὁ ἐν τῇ κοιλίᾳ πλασθεὶς, κατὰ τὸν Λόγον τοῦ Προφήτου, ὁ δοῦλός ἐστιν, οὐχ ὁ Κύριος· τουτέστιν ὁ κατὰ σάρκα ἄνθρωπος, ἐν ᾧ ὁ Θεὸς ἐφανερώθη.

(3) THEODOT. tom. 3. Conc. pag. 551. Γίνεται σύνδουλος, ἵνα ἀναδειχθῇς δεσπότης, etc. Ποῦ ὁ διαιρῶν τὸν Χριστον ; ποῦ ὁ τὸ μυστήριον ἡμῶν ὁμωνυμίαν ἐργασάμενος ; καὶ Χριστον μὲν ἕνα λέγων, δύο δὲ ὑποτιθέμενος, τὸν μὲν δοῦλον, τὸν δὲ δεσπότην· τὸν μὲν πάσχοντα, τὸν δὲ μὴ πάσχοντα ;

(4) CYRILL. tom. 6. pag. 223. A. Ὁ γὰρ ὑπάρχων ἐν μορφῇ τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς μονογενὴς Υἱὸς, ὁ κατὰ πᾶν ὁτιοῦν ἰσομέτρως ἔχων τῷ γεγεννηκότι, ὁ ἰσοκλεὴς, καὶ ἐλεύθερος, μορφὴν δούλου λαβὼν, κεχρημάτικεν ἀδελφὸς τῆς ὑπὸ ζυγὰ δουλείας.

(5) Ibid. B. Ἐδίδασκε δὲ τοὺς ἑαυτοῦ μαθητὰς, ὅτι καὶ Υἱός ἐστιν ἀληθῶς, καὶ ἐν μορφῇ δούλου διὰ τὴν σάρκα· καί τοι κατὰ φύσιν ἰδίαν ἐλεύθερος ὢν, ὡς ἐκ Θεοῦ καὶ Θεὸς· πλὴν ὡς ἰδίαν ἔχων τὴν τοῦ δούλου μορφὴν διὰ τὸ τῆς κενώσεως μέτρον, τοῖς τῶν τελῶν πράκτορσιν ὑπόφορος ἦν· ὥστε κἂν εἴ τις λέγῃ δοῦλον αὐτὸν ὠνομάσθαι διὰ φωνῆς τῶν ἁγίων προφητῶν, κατὰ οὐδένα τρόπον σκανδαλίζεσθαι πρέπει.

[1] Lib. 1. de fide c. 3. tom. 4.

des meos; super omnes inimicos meos factus sum opprobrium : illustra faciem tuam super servum tuum. Servus dictus est homo. in quo sanctificatus est. Servus homo, in quo unctus est. Servus homo, in quo factus sub lege, factus ex Virgine est. Et ut compendio dicam, servus dictus est, in quo matrem habet, sicut scriptum est : O Domine, ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ. »

Et capite sexto libri ejusdem, cum latissime de subjectione disputasset, qua Patri subjectus, et obediens dicitur, demum id secundum humanam naturam dici posse concedit : et [1], « Non igitur præjudicet, *inquit*, quod subjectus dicitur, cui non præjudicat, quod servus legitur, quod crucifixus asseritur, mortuus prædicatur. »

Verum in epistola octava ad Sabinum episcopum luculentissima oratione istud affirmat, et argumentis testimoniisque pluribus approbat, Christum, qua homo est, esse servum. Nam ibi levissimi cujusdam hominis ex Apollinaris hæresi Christum dici servum minime ferentis errorem castigat [2]. « At ubi, *inquit*, iste sermo ad aures pervenit meas, statim respondi, quod eum virus infecerit Apollinaris : qui non potest audire, quod Dominus noster Jesus pro nobis servitutem susceperit in istius corporis susceptione, cum Apostolus clamet [3], quod formam servi acceperit. » Item [4], « Servitus carnis, dominatus autem divinitatis est. » Ac subinde : « Eramus enim mortui : et ideo unus pro omnibus servus factus est. » Quod sic excusat Ambrosius, ne indecorum videatur; ut non minus ferendum sit, quam quod in Scriptura dicatur *agnus*, ac [5]*vermis, et non homo*. « Hæc omnia factus est, ut nostræ obtunderet mortis aculeum, nostram servitutem tolleret, maledicta, peccata, opprobria. » Tum ita scribit [6] : « Quid ei igitur obfuit servitus? Servus autem factus legitur, quia legitur factus ex Virgine, et creatus in carne. » Subjicit ad hoc demonstrandum nonnulla Scripturæ testimonia, de quibus postea. Ac demum ista pertexit [7] : « An infirmius putamus servitium esse, quam peccatum? quam maledictum? quam opprobrium? quam infirmitates, quas pro nobis suscepit, ut a nobis averterentur? Factus est enim hæc omnia, ut universa vacuaret. Sed hæc ideo non recipiunt, quod servus, opprobrium, peccatum, maledictum factus sit, quia Verbum, et carnem unius asserunt esse substantiæ, et dicunt, Ergo qui nos redemit, servus dictus est, et peccatum debuit dici : nec advertunt quod hæc Christi gloria sit, quia servitutem suscepit in corpore suo, ut libertatem omnibus redderet; peccata nostra portavit, ut mundi peccatum tolleret. Servus, peccatum, maledictum factus est, ut tu peccati servus esse desisteres, te divinæ sententiæ maledicto absolveret. »

Hic igitur plenissime Ambrosius Christum, ut homo est, esse servum asserit; tam proprie scilicet, quam est homo. Ad hunc porro eumdem Ambrosii locum respexisse mihi videtur Hadrianus papa in epistola ad episcopos Hispaniæ contra Elipandum, quæ Francofordiensi synodo præfixa est. Ubi [8] Ambrosium citat, in *quodam libro de Incarnatione Domini :* qui « prophetice, ac mystice nostri mediatoris designari personam » dixit propheticis quibusdam in locis : cujusmodi ab Ambrosio afferuntur illa in epistola : « Propter eos videlicet hæreticos, addit Hadrianus, qui phantasticum, aut etiam semiplenum Dominicum corpus sacrilego ore susurrant : » nimirum propter Apollinaristas, ut paulo ante ex Ambrosio meminimus.

V. Sic Augustinus in enarratione Psalmi centesimi octavi [9] : « Pater quippe adjuvat Filium, *inquit*, in quantum Deus hominem, propter formam servi : cui homini Deus, et cui formæ servi etiam dominus est Pater. » Manifeste ibi Patrem ait esse Deum, ac dominum Christi, ut est homo. Et in altercatione cum Pascentio Ariano [10], « Nam subjectionem Filii Patri debitam, *ait*, ex carnis infirmitate susceptam, etiam nos, quia justum est, verissime confitemur. In qua eum infirmitate non solum subditum, sed et servum evidentissime confitemur, ipso dicente in prophetia ad Patrem. O Domine! ego servus tuus, ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ. Patet ergo in quo sit æqualis Patri Filius; in quo sit non solum subditus, aut inferior, sed etiam humillimus servus. » Hilarius, quem imprudens omiseram, libro undecimo de Trinitate [11], servum esse Christum haud obscure tradit non longe ab initio libri. « Dispensatio, *inquit*, itaque magni et pii sacramenti nativitatis divinæ patrem insuper etiam conditionis assumptæ Deum fecit; dum qui in forma Dei erat, repertus est in forma servi. Servus enim non erat, cum esset secundum spiritum filius Dei : et

[1] Ambros. col. 199. M. — [2] Ambros. to. 5. col. 187. K. — [3] Phil. 2. — [4] Ib. 188. — [5] Psal. 21. — [6] Ambros. ad 189. A

[7] Ibid. D. — [8] Tom. 6. Concil. p. 165. A. — [9] Pag. 520. B. — [10] Ep. 178. August p. 305. A. — [11] Hilar. lib. 11. p. 81. B.

secundum commune judicium ubi non est servus, neque Dominus est. Deus quidem et pater nativitatis est unigeniti Dei. Sed ad id, quod servus est, non possumus nisi tunc ei Dominum deputare, cum servus est. Quia si cum ante per naturam non erat servus, et postea secundum naturam esse, quod non erat cœpit : non alia dominatus causa intelligenda est, quam quæ extitit servitutis, tunc habens ex naturæ dispensatione Dominum, cum præbuit ex hominis assumptione se servum. Manens igitur in forma servi, qui manebat ante in Dei forma homo Christus Jesus, locutus est : Ascendo ad Patrem meum, et patrem vestrum, ad Deum meum, et Deum vestrum. Si igitur hæc servus et ad servos locutus est, quomodo professio ista non servi sit, et ad eam magis naturam, quæ non in natura servi sit, transfertur, cui ei, qui in forma Dei manens formam servi assumpsit, quasi servo ad servos communio, nonnisi ex eo tantum possit esse, quod servus est? Pater igitur sibi, ita ut hominibus pater est : et Deus sibi, ut servis Deus est. Et cum hæc ad homines servos homo in servi forma Jesus Christus loquatur, non ambigitur quin pater sibi, ut ceteris, sit ex ea parte, qua homo est; et Deus sibi ut cunctis sit, ex ea natura, qua servus est. » Petrus item diaconus libro de Incarnatione, cap. sexto, « Qui cum esset Dominus, *ait*, utpote Deus, ut nos a servitute perpetua, et potestate diaboli liberaret, atque ad veram libertatem educeret, factus est servus, accipiens formam servi. » Sic Vigilius libro tertio contra Eutychem [1], « Illud, *ait*, sine dubio restat, ut caro ex corpore formata sit uteri virginalis, eaque secundum naturæ suæ veritatem divinitati in eamdem personam unita est; propter quam unionem personæ, cum sit Deus, servus factus est Patris. Unde ad eum dicit in Psalmo, O Domine, ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ. Et iterum, De ventre matris meæ, Deus meus es tu. » Item in libro quinto [2], cum Isaiæ verba protulisset, in quibus servus appellatur Christus, « Quis ita stolidus, *ait*, et mentis erit alienus, ut non videat, non intelligat, formari ex utero, et mereri servum fieri, et tempore opportuno exaudiri, atque auxilium spectare paternum, et confortari in Domino, et possessionem terrarum ex tempore accipere, ad naturam carnis Christi proprie pertinere? »

VI. Alii vero ex Patribus Christum negant servum extitisse. Ut Dionysius Alexandrinus in epistola ad Paulum Samosatenum, et Responsione ad quæstionem septimam ejusdem [3]. Quippe formam servi duntaxat induisse, ut ait Apostolus [4], hoc est speciem, et imaginem; quando se ad pedes discipulorum abluendos demisit : « (1) Neque vero forma servi servus est, *inquit*. Ut si famulum suum herus jubeat pellem ovis induere, vel in primo loco accumbere : neque propterea libertate donare illum velit; non eo quod ovillam gestavit pellem, ovem assumpsit; neque quod primo loco accubuit, eo ipso libertatem accepit. » Ac subinde negat Christum, « (2) qui natura dominus erat, fuisse natura servum. »

Joannes vero Damascenus copiosius, ac disertius, quam quisquam alius veterum, eam quæstionem disputans, ita sentit : non esse Christum, sive hominem in Verbo subsistentem, appellandum omnino servum; tametsi serva sit assumpta natura : « (3) Sciendum est, *inquit*, ignorantem, et servam illam naturam assumpsisse. Etenim serva est conditoris sui natura hominis; nec habet futurorum notitiam. Si igitur, secundum Gregorium theologum, quod videtur ab eo separes, quod intelligentia percipitur, serva dicitur, et ignorans caro. Verum propter hypostaseos identitatem, et inseparabilem unitionem, anima Domini futurorum cognitione locupletata est, uti et miraculorum facultate ceterorum, etc. » Ac subinde : « (4) Sciendum est, *inquit*, ne servum quidem posse nos illum nominare. Siquidem servitu-

(1) DION. tom. 11. bib. pag. 294. Μορφὴ δούλου οὐκ ἔστι δοῦλος. Εἰ γὰρ δοῦλον θελήσει ὁ Κύριος περιβάλλειν δορὰν προβάτου, ἢ ἀνακλίναι αὐτὸν ἐν τῇ πρωτοκλισίᾳ, καὶ μὴ θέλει αὐτὸν ἀπαλλάξαι τοῦ δουλεύειν αὐτῷ, οὐ παρὰ τὸ φορέσαι τὸ κώδιον πρόβατον ἔλαβεν· οὔτε διὰ τὴν πρωτοκλισίαν ἀνακλιθεὶς, ἐν τούτῳ ἔλαβεν ἐλευθερίαν.

(2) Ibid. Ὁ φύσει Κύριος, καὶ οὐχ ὁ φύσει δοῦλος, etc.

(3) DAMASC. lib. 3. de Fide, cap. 21. pag. 260. Δεῖ δὲ γινώσκειν, ὅτι τὴν μὲν ἀγνοοῦσαν, καὶ δούλην ἀνέλαβε φύσιν. Καὶ γὰρ δούλη ἐστὶν ἡ ἀνθρώπου φύσις τοῦ ποιησάντος αὐτὴν Θεοῦ, καὶ οὐκ ἔχει τὴν τῶν μελλόντων γνῶσιν. Ἐὰν οὖν (κατὰ τὸν θεολόγον Γρηγόριον) χωρίσῃς τὸ ὁρώμενον τοῦ νοουμένου, δούλου τε λέγεται, καὶ ἀγνοοῦσα ἡ σάρξ. Διὰ δὲ τὴν τῆς ὑποστάσεως ταυτοτητα, καὶ τὴν ἀδιάσπαστον ἕνωσιν, κατεπλούτησεν ἡ του Κυρίου ψυχὴ τὴν τῶν μελλόντων γνῶσιν, ὡς καὶ τὰς λοιπὰς θεοσημίας.

(4) Ibid. Ἰστέον δὲ, ὅτι οὐδὲ δοῦλον αὐτὸν λέγειν δυνάμεθα. Τὸ γὰρ τῆς δουλείας, καὶ τῆς δεσποτείας ὄνομα, οὐ φύσεως εἰσι γνωρίσματα, ἀλλὰ τῶν πρός τι, ὥσπερ τὸ τῆς πατρότητος, καὶ τὸ τῆς υἱότητος. Ταῦτα γὰρ οὐκ οὐσίας, ἀλλὰ σχέσεως εἰσί

[1] Vig. lib. 13. to. 4. Bibl. col. 505. E. — [2] Tom. 4. Bibl. col. 528. E.

[3] Tom. 11. Bibl. pag. 294. — [4] Phil. 2.

tis, et dominationis vocabula non naturæ sunt indicia, sed ex eorum genere, quæ sunt ad aliud, quemadmodum paternitatis, et filietatis nomina. Hæc enim non substantiam, sed habitudinem significant. Nam ut in ignoratione diximus, si subtilibus cogitationibus, sive minutis mentis imaginationibus creatum ab increato discernas, serva est caro, nisi Deo Verbo copulata sit. Sed ubi semel secundum hypostasim est conjuncta, quinam erit serva? Etenim cum unus sit Christus, non potest sui esse servus, et dominus. Quippe non ista sunt ex eorum genere, quæ simpliciter dicuntur : sed eorum potius, quæ referuntur ad alterum. Cujus ergo servus erit? An Patris? Igitur non omnia quæ Pater habet, sunt Filii, si est hic Patris servus, nullo vero modo sui ipsius. Quomodo item Apostolus de nobis ita loquitur : Itaque non amplius es servus, sed filius; de nobis, inquam, qui adoptati sumus, si ipsemet est servus? Quocirca appellative servus vocatur, cum id ipse minime sit. Sed propter nos servi formam suscepit, et servus nobiscum vocatus est. Nam cum impatibilis esset, propter nos passionibus est subjectus, et nostræ salutis administer factus est. Porro qui hunc dicunt esse servum, dividunt unum Christum in duos, ut Nestorius. » Idem quoque libro quarto, capite 19. eorum, quæ de Christo prædicantur, varia genera percensens, unum illud exponit, « (1) Quod divisionem illam, quæ mente fit, et cogitatione, sequitur. Nam si ratione separes, quæ reipsa inseparabilia sunt, nempe carnem a Verbo, dicitur (Christus) et servus, et ignarus ; quippe servæ, et ignorantis erat naturæ, ac nisi cum Deo Verbo caro jungeretur, serva esset, et ignara. Verum propter unitionem hypostaticam, qua cum Deo copulabatur, neque serva erat, neque ignorabat. » At paulo ante de verbis illis Apostoli [1] agens, *Quum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia* : ubi græcum verbum est ὑποταγήσεται, negat Joannes Damascenus [2] filium ὑποταγήσεσθαι, id est, subjectum iri per sese ; tum qua Deus est, tum qua est homo. Nam ut Deus est, Patri est æqualis, et non subjectus : quatenus vero est homo, non potest subjici, quoniam nunquam ejus voluntati contradixit. Ubi vocabulum ὑποτάσσεσθαι eo accipit sensu, quo significatur, ex rebelli, et refractario ad obsequium adigi, et subjungi alteri. Itaque de Christo usurpari ab Apostolo ista credit ex persona generis humani, quod divino se imperio subtraxerat, et a Christo restitutum est.

VII. Theodoretus in Dialogo secundo sub finem inter alia veterum testimonia, quibus naturas Christi duas sine ulla confusione inter se conjunctas approbat, Apollinarem citat, quem scribit, « (2) Corpus Christi nominasse stolam, et creaturam, et instrumentum : nec non vocasse servum : quod nullus nostrum antea ausus erat dicere. Item corpus illud dixisse consessu ad dexteram honoratum fuisse : tum alia quædam usurpasse, quæ ab Apollinaristarum secta rejiciuntur. »

Rursus in confutatione anathematismi 6. Cyrilliani, « (3) Paulum » refert « id, quod assumptum est a Deo Verbo, formam servi nominasse. Verum quoniam assumptio uni-

δηλωτικά. Ὥσπερ γὰρ ἐπὶ τῆς ἀγνοίας εἴπομεν, ὅτι ἐὰν ἰσχναῖς ἐπινοίαις ἤτοι νοῦ λεπταῖς φαντασίαις, διέλῃς τὸ κτιστὸν ἐκ τοῦ ἀκτίστου, δούλη ἐστὶν ἡ σάρξ, εἰ μὴ ἥνωτο τῷ Θεῷ Λόγῳ; ἅπαξ δὲ ἑνωθεῖσα καθ' ὑπόστασιν, πῶς ἔσται δούλη; εἷς γὰρ ὢν ὁ Χριστὸς οὐ δύναται δοῦλος ἑαυτοῦ εἶναι καὶ Κύριος. Ταῦτα γὰρ οὐ τῶν ἁπλῶς λεγομένων εἰσὶν, ἀλλὰ τῶν πρὸς ἕτερον. Τίνος οὖν ἔσται δοῦλος; τοῦ Πατρός; οὐκοῦν οὐ πάντα ὅσα ἔχει ὁ Πατὴρ, καὶ τοῦ Υἱοῦ εἰσιν, εἴπερ τοῦ Πατρός ἐστι δοῦλος, ἑαυτοῦ δὲ οὐδαμῶς; πῶς δὲ περὶ ἡμῶν λέγει ὁ Ἀπόστολος, ὥστε οὐκ ἔτι εἶ δοῦλος, ἀλλ' Υἱὸς, δι' αὐτοῦ υἱοθετηθέντων, εἴ περ αὐτὸς δοῦλός ἐστι; προσηγορικῶς οὖν λέγεται δοῦλος οὐκ αὐτὸς ὢν τοῦτο, δι' ἡμᾶς δὲ δούλου μορφὴν εἰληφὼς, καὶ δοῦλος μεθ' ἡμῶν κεκλημένος. Ἀπαθὴς γὰρ ὢν, δι' ἡμᾶς ἐδούλευσε πάθεσι, καὶ διάκονος τῆς ἡμῶν σωτηρίας γέγονεν. Οἱ δὲ λέγοντες αὐτὸν δοῦλον, διϊστῶσι τὸν ἕνα Χριστὸν εἰς δύο, καθάπερ Νεστόριος.

(1) Idem lib. 4. cap. 19. pag. 357. Τὰ δὲ διὰ τὴν κατ' ἐπίνοιαν διαίρεσιν. Ἐὰν γὰρ τῇ ἐπινοίᾳ διέλῃς τὰ τῇ ἀληθείᾳ ἀχώριστα, ἤ τοι τὴν σάρκα ἐκ τοῦ Λόγου, λέγεται καὶ δοῦλος, καὶ ἀγνοῶν. Καὶ γὰρ τῆς δούλης, καὶ ἀγνοούσης φύσεως ἦν. Καὶ εἰ μὴ ἥνωτο τῷ Θεῷ Λόγῳ ἡ σάρξ, δούλη ἦν, καὶ ἀγνοοῦσα. Ἀλλὰ διὰ τὴν πρὸς τὸν Θεὸν Λόγον καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν, οὔτε δούλη ἦν, οὔτε ἠγνόει.

(2) THEODORET. pag. 114. D. Οὗτος καὶ στολὴν τὸ σῶμα, καὶ κτίσμα, καὶ ὄργανον προσηγόρευσε. Καὶ μέντοι κα δοῦλον ὠνόμασεν. Ὅπερ οὐδεὶς ἡμῶν εἰπεῖν ἐτόλμησε πώποτε. Τοῦτο καὶ τῆς ἐκ δεξιῶν εἴρηκεν ἀξιωθῆναι καθέδρας· καὶ ἄλλα δὲ πλεῖστα παρὰ τῆς κενῆς ὑμῶν αἱρέσεως ἐκβαλλόμενα.

(3) Idem tom. 4. pag. 715. C. Ὁ μὲν μακάριος Παῦλος τὸ ληφθὲν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ Λόγου μορφὴν δούλου προσαγορεύει. Ἐπειδὴ δὲ πρὸ τῆς ἑνώσεως ἡ λῆψις, περὶ δὲ τῆς λήψεως ὁ μακάριος διαλεγόμενος Παῦλος μορφὴν δούλου τὴν ληφθεῖσαν προσηγόρευσε φύσιν, οὐκέτι χώραν ἔχει, τῆς ἑνώσεως γενομένης, τῆς δουλείας τὸ ὄνομα. Εἰ γὰρ τοῖς εἰς αὐτὸν πεπιστευκόσιν ὁ Ἀπόστολος γράφων ἔλεγεν· ὥστε οὐκ ἔτι εἶ δοῦλος, ἀλλὰ Υἱός. Καὶ ὁ Κύριος τοῖς μαθηταῖς· οὐκέτι καλέσω ὑμᾶς δούλους, ἀλλὰ φίλους, πολλῷ δὴ μᾶλλον ἡ ἀπαρχὴ τῆς ἡμετέρας φύσεως, δι' οὗ καὶ ἡμεῖς τοῦ τῆς υἱοθεσίας χαρίσματος ἠξιώθημεν, τῆς τοῦ δούλου προσηγορίας ἀπαλλαγείη ἄν. Θεὸν τοίνυν ὁμολογοῦμεν. Καὶ τὴν τοῦ δούλου μορφὴν, διὰ τὴν ἑνωθεῖσαν αὐτῇ τοῦ Θεοῦ μορφήν.

[1] 1. Cor. 15. 28.

[2] Damasc. ibid.

tionem antecedit, de assumptione vero disputans beatus Paulus, formam servi appellavit assumptam naturam; non jam locum habet, unitione facta, servitutis vocabulum. Etenim si ad eos scribens Apostolus qui in Christum crediderant, ita locutus est [1] : *Itaque jam non es servus, sed filius* : et Dominus alloquens discipulos [2], *Jam vos non dicam servos, sed amicos* : multo magis primitiæ naturæ nostræ, per quem et nos adoptionis gratiam meruimus, ab servi cognomine erunt immunes. Deum itaque confitemur illam etiam servi esse formam, propter eam, quæ cum ipsa est copulata, Dei formam. » Quod ex Isaia probat, qui eumdem parvulum vocat (1) *Emmanuelem, et Deum fortem*. Ac nihilominus illum ipsum prophetam [3] observat, « assumpti naturam post unitionem appellasse servum. » De quo Isaiæ loco agemus postea, ut etiam de loco isto Theodoreti.

VIII. Ex Latinis Faustinus [4], eum, qui passus est, ac morti destinatus a Patre, neque *adoptivum* esse *filium*, neque *creaturam* asserit. Porro non esse creaturam ex eo probat, quia non est servus. « Omnis, *inquit*, creatura servili conditione censetur. Si Christus creatura est, servus est : quomodo redemit ad libertatem, cum servus nullo jure possit conferre libertatem? Et tamen Abraham ut commendaret dilectionem, quam habebat ad Deum, proprium, et verum unigenitum, et dilectissimum filium obtulit in holocaustum. » Quo in loco sane Faustinus non Verbum solum intelligit, sed hominem ipsum a Deo assumptum, et in Deo subsistentem. Siquidem nominatim de eo se loqui significat, qui a Patre traditus est morti, et pro communi hominum salute passus.

Augustinus ab concilio Francofordiensi citatus in epistola synodica [5], idipsum diserte docuisse in Homilia 39. dicitur his verbis, « Dominus noster etiam in forma servi, non servus, sed in forma etiam servi dominus fuit. » Quin idem Augustinus tractatu tertio in Joannem [6], in eadem synodica laudatus [7], ad illa Joannis verba, *Lex per Moysem data est, etc.* « Per servum, *inquit*, lex data est, et reos fecit : per imperatorem indulgentia data est, et reos liberavit. Lex per Moysem data est. Non sibi aliquid amplius servus assignet, quam, quod per illum factum est. Electus ad magnum ministerium, tanquam fidelis in domo, sed tamen servus : agere secundum legem potest, solvere a reatu legis non potest. » Itaque Christum legis novæ latorem, et haud dubie hominem, servum dici non patitur Augustinus.

Etherius , ac Beatus, qui contra Elipandum scripserunt [8]; « Servus, *inquiunt*, dictus est Patris, quia semetipsum exinanivit, id est, semetipsum mundo visibilem ostendit; quia *formam servi accipiens*, inquit Apostolus [9], *in similitudinem hominum factus est, habitu inventus ut homo*. Et ideo Patris est servus, qui cum Patre est unus Dominus, et unus Deus.

IX. Omnium porro disertissime non esse servum Christum Dominum affirmare videtur Hadrianus papa in epistola, quam scripsit ad episcopos Hispaniarum contra hæresim Felicis, et Elipandi : nec non Francofordiensis synodus adversus eamdem hæresim coacta, in epistola sua synodica : tum Albinus Flaccus. Etenim uterque hæreticus Christum existimabat, qua homo est, non solum adoptivum esse filium, sed etiam servum. Ita Elipandus in Symbolo, quod ex ejus sententiis in unum collectis concinnavit Etherius [10] : ubi « sacram *ait* Scripturam testari pro salute humani generis, deitate exinanita, hominem factum, circumcisum, baptizatum, flagellatum, crucifixum, mortuum, sepultum, servum, captivum, peregrinum, leprosum, despectum, et quod est deterius, non solum ab angelis, sed etiam ab hominibus minoratum vermem esse dictum, etc. » Hadrianus itaque contra utrumque scribens ad Hispanos episcopos, tam illud de servo, quam quod de adoptivo filio profitebantur, acri, et vehementi epistola refellit. Et inter alia [11], « Adoptivum, *inquit*, eum filium quasi purum hominem, calamitati humanæ subjectum, et (quod pudet dicere) servum eum impii, et ingrati tantis beneficiis, liberatorem nostrum non pertimescitis venenosa fauce susurrare. Cur non veremini, queruli obtrectatores, Deo odibiles, illum servum nuncupare, qui vos de servitute diaboli liberavit? Cui servituti vos iterum nitimini perfidiæ sponte colla submittere? Porro cum essetis servi peccati, ipse vos liberavit gratuito munere per adoptionis gratiam in sortem filiorum Dei.

(1) Ibid. D. Ὅμως δὲ ὁ αὐτὸς προφήτης, καὶ μετὰ τὴν ἕνωσιν κηρύττων τοῦ ληφθέντος τὴν φύσιν, δοῦλον προσαγορεύει τὸν ἐκ τοῦ σπέρματος Ἀβραάμ.

[1] Gal. 4. — [2] Joan. 15. 15. — [3] Isa. 7. et 9. — [4] Faustin. tom. 4. Bibl. PP. 674. C. — [5] Tom. 6. Concil. 176. B. 2. — [6] Tom. 9. p. 12. C. — [7] Francof. epist. p. 175. B. — [8] Tom. 4. Par. 2. Bibl. PP. 472. D. — [9] Phil. 2. — [10] Elipand. apud Ether. to. 4. Par. 2. Bib. 485. B. — [11] Hadr. tom. 6. Concil. p. 165. D.

Numquid non sonat de vobis vox illa Domini dicentis, Ego honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me? Tales gratiarum actiones infelices ei refertis, ut qui vos honorifice liberos pretio sanguinis fecit, eum vos injuriose adoptivum, et servum caninis non confundamini linguis latrare? »

Addit et argumenta nonnulla de Scripturis petita, quibus non esse servum adstruit, quæ nos subinde referemus.

Sic Francofordiensis concilii synodica epistola servilem ab Christo conditionem, appellationemque rejicit [1]. « Si enim Deus verus est, *ait*, qui de Virgine natus est, quomodo tunc potest adoptivus esse, vel servus? Deum enim nequaquam audetis confiteri servum vel adoptivum. »

Albinus quoque Flaccus illud idem contra Felicem uberrime disputavit, præsertim in libro quinto [2].

Hactenus veterum Patrum in utramque partem sententias, ac testimonia reddidimus. Nunc et disceptanda nobis tota controversia est : et amborum firmamenta prius excutienda sunt : ut ex æquo librata, ac suis ponderibus æstimata veritas liquidior existat. Hoc autem quia paulo spissius, ac longioris operæ est negotium, alterum in caput committendum videtur.

CAPUT OCTAVUM.

Proponuntur utriusque firmamenta partis, tam quæ Christum putat esse servum, quam quæ negat. — 1. Isaiæ locus, in quo servus appellatur, expenditur, et varietas lectionis in græcis hebraicisque codicibus. — 2. Alter locus ejusdem Isaiæ aptior ad idem probandum. — 3. Apostoli locus ex epistolæ ad Philippenses capite secundo, ubi formam servi assumpsisse dicitur. — 4. Dionysii Alexandrini locus de illis Apostoli verbis observatione dignus proponitur, ac primum explicatur Pauli Samosateni hæresis. — 5. Ejusdem Pauli stropha diluitur. — 6. Dionysius paulo aliter, ac vulgo fit, Apostoli locum illum interpretatus est. — 7. Summa explicationis ejus. — 8. Et purgatur interim ab hæresis suspicione. — 9. Formam servi naturam ipsam significare. Chrysostomi expositio Dionysianam illam suggillans. — 10. Partis illius, quæ Christum negat esse servum, argumenta proponuntur. Primum ex epistola ad Hebræos. — 11. Tria alia loca et argumenta.

I. Christum, qua homo est, servum appellari posse non pauca, nec obscura suadent imprimis testimonia Scripturæ : quorum pleraque veterum illis sententiis comprehensa sunt, quas superiori capite descripsimus. Sed habent illorum aliqua nonnihil consideratione dignum, cujus gratia hic in unum collecta ponentur.

Primum Isaias propheta aliquot in locis servum nominat quem Messiam prædicit affuturum. Sed insigniter capite quadragesimo secundo : ubi Deum illius patrem loquentem sic inducit : *Ecce servus meus, suscipiam eum : electus meus, complacuit sibi in illo anima mea.* Ita ex hebræo noster interpres : et vox ipsa ejusdem linguæ, עבדי, *servum meum* significat. At Septuaginta seniores addiderunt Jacobi et Israelis nomina : (1) *Jacob puer meus, assumam eum. Israel electus meus : suscepit eum anima mea.* Ibi παῖς, id est *puer*, pro *servo* sumitur. At Jacobi, et Israelis vocabula nec in authentico reperiuntur, nec apud Matthæum [3], ubi locum illum Prophetæ refert : ut animadvertit Hieronymus [4], et ante hunc Eusebius in libro nono de Demonstratione evangelica, capite 15. Ibi enim observat, neque in hebræo ista legi nomina, neque apud alios interpretes græcos : et in contextu Septuaginta seniorum, obelo jugulatas esse voces istas; meritoque Matthæum, tanquam hebræum, illas omisisse : quod etiam ab Hieronymo notatum est, qui ad caput Isaiæ 42. « plenius in Matthæi commentariolis, et in libro, quem ad Algasiam nuper scripserat, disputatum » hac de re asserit. Quod vere dixit de posteriore hoc libro, sive epistola ad Aigasiam. At in Matthæi commentariis nihil de græcorum, et hebræorum discrimine codicum adnotavit. Itaque suspicor illis verbis non significare sanctum virum, se privatim de illo Isaiæ loco

(1) Isa. 42. Ἰακὼβ ὁ παῖς μου· ἀντιλήψομαι αὐτοῦ. Ἰσραὴλ ὁ ἐκλεκτός μου· προσεδέξατο αὐτὸν ἡ ψυχή μου.

[1] Ibid. p. 176. B. 2. — [2] Alchuv. col. 844. et seq. — [3] Mat. 12. 18. — [4] Hier. in c. 42. Isa. et ep. 151. ad Alg. qu. 2.

plenius in commentariis ad Matthæum scripsisse; sed adversus versionis suæ, et hebraicorum librorum suggillatores; quod aliquot in locis commentarii istius fecit.

Consentiunt autem in id omnes græci, latinique interpretes, locum illum Isaiæ de Christo intelligi, ut et Matthæus indicat; et vetustissimus auctor Justinus martyr docet in Dialogo [1]: qui et Christum appellari putat Jacobi et Israelis nominibus. Hieronymus vero [2] eumdem designari, et spiritum Dei Patris « poni super illum *ait*, non super Dei Verbum, et super unigenitum, qui de sinu processit Patris; sed super eum, de quo dictum est: Ecce puer meus. » Quibus in verbis notatione dignum est, sic eum loqui de Christo, ut *illum*, et *eum* in ipso distinguat, quod alii Patres respuunt. Sed dextre istud accipi oportet de naturarum differentia, non personarum.

II. Verum quoniam græca dictio, παῖς, non tantum servum, sed etiam filium significat, non tam expressa vis est illius loci apud græcos Patres de servi proprietate Christo vindicanda. Et videtur Cyrillus in commentario ad illa verba Isaiæ filium potius intellexisse, quam servum, ut et Procopius. At vero ejusdem prophetæ alius est apud græcos disertior, et ad idem probandum aptior locus ex capite 49. [3] *Et nunc, dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi, etc.* Et dixit [4], *Parum est, ut sis mihi servus, etc.* ubi eadem vox, quæ in superiore loco, עבד, græce reddita est nomine δοῦλος, id est *servus*. Ideo græci quoque Christum, qua est homo, servum appellari luculentius testantur. Certe Cyrillus ad hoc caput, manifeste servum esse fatetur. Cujus verba hic adscribenda sunt, ut ad superioris testimonia capitis etiam illud adjungatur, « (1) Ubi, *inquit*, non minus affirmamus esse ipsum Dominum Jesum Christum humanis ad illum modum vocibus utentem; etiamsi potissimum magnum pietatis mysterium, et modum exinanitionis aperiat. Vide enim quemadmodum illum, qui natura, et revera sui ipsius erat, formasse se dicat in servum sibi; verum ex utero. Non enim nudum, et carnis adhuc expers Verbum in servitutis formationem redactum se esse dicit, ex beneplacito Dei, et Patris: sed ex utero magis; hoc est, quando secundum carnem genitus est ex muliere. Tunc enim Deus natura, et liber tanquam ex Deo, et libero patre, servi formam, sive effictionem recipit. » Non enim quispiam mentis compos dixerit, id, quod natura servum est, in servitutem potius formari. Imo vero qui extra servitutem est et jugum, quique naturalis libertatis insignibus decoratus est, merito servi effictionem, sive formam capiat.

Ac nonnullis interpositis: « (2) Formatur igitur, *inquit*, is qui natura liber est in servum ex dispensatione, quando ex utero gignitur matris suæ secundum carnem. »

Sic etiam Theodoretus ad illum Isaiæ locum, servum esse Christum secundum humanam naturam asserit, nec non Procopius; qui illo ipso *formandi* verbo, quo usus est Propheta, designari ait naturam, ex qua servilem conditionem subiisse dicitur, et eadem compendio perstringit, quæ ex Cyrillo commemoravimus.

Proferuntur et alia quædam a Patribus veteris Testamenti loca, quibus servi nomen imputari Christo videtur; præsertim e Psalmis. Sed ea minus confessam habent de Christo mentionem.

His addendum est Apostoli de Christo testimonium ex epistola ad Philippenses [5]. *Qui cum in forma Dei esset*, inquit, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Quem locum pulchre Ambrosius enarrat in epistola octava. « Quid est, *inquit*, in Dei forma, nisi in plenitudine divinitatis, in illa perfectionis divinæ expressione? Ergo cum esset in plenitudine divinitatis, exinanivit se, et accepit plenitudinem naturæ, et perfectionis humanæ: sicut Deo nihil deerat, ita nec hominis consummationi, ut esset perfectus in

(1) CYRILL. lib. 4. in Isa. pag. 661. Οὐδὲν ἧττον ἐν τούτοις εἶναί φαμεν αὐτὸν τὸν Κύριον Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν τὸν οὕτως ἀνθρωποπρεπέσι κεχρημένον φωναῖς, εἰ καὶ ὅτι μάλιστα τὸ μέγα τῆς εὐσεβείας διατρανοῖ μυστήριον, καὶ τὸν τῆς κενώσεως τρόπον καθίστησιν ἐναργῆ· ἄθρει γὰρ ὅπως τὸν φύσει καὶ ἀληθῶς ἑαυτοῦ πλάσαι φύσιν αὐτὸν εἰς δοῦλον ἑαυτῷ, πλὴν ἐκ κοιλίας. Οὐ γάρ τοι γυμνὸν ὄντα, καὶ ἄσαρκον ἔτι Λόγον, εἰς τὴν τῆς δουλείας διάπλασιν ἐνεχθῆναί φησιν ἑαυτὸν εὐδοκήσαντος τοῦτο τοῦ Θεοῦ, καὶ Πατρός· ἐκ κοιλίας δὲ μᾶλλον, τοῦτ' ἔστιν ὅτε κατὰ σάρκα ἐγεννήθη ἐκ γυναικός. Τότε γὰρ Θεὸς φύσει, καὶ ἐλεύθερος, ὡς ἐκ Θεοῦ τε, καὶ ἐλευθέρου Πατρὸς, τὴν τοῦ δούλου δέχεται μορφὴν, ἤτοι πλάσιν.

(2) Ibid. pag. 662. A. Πλάττεται τοίνυν ὁ ἐλεύθερος κατὰ φύσιν εἰς δοῦλον οἰκονομικῶς, ὅτε καὶ ἐκ κοιλίας ἐγεννήθη τῆς κατὰ σάρκα μητρός.

[1] Just. p. 286. — [2] Hier. in Matt. 12. 18. [3] Isa. 49. 5. — [4] Ibid. com. 6. — [5] Phil. 2. 6.

utraque forma. » Ex quo Apollinaristas convincit, qui verum perfectumque Deum fatentes esse Christum, negabant verum esse hominem, sed similitudinem duntaxat hominis illi tribuebant. Quod minime convenire docet. Quippe cum forma Dei naturam Dei significet perfectam, et solidam : necesse est, ut forma servi « perfectionem naturæ, et conditionis humanæ » designet, « ut esset in hominum similitudine. » Unde colligi potest, ut naturæ humanæ, sic etiam servi perfectam conditionem in Christo duabus illis exprimi vocibus *forma servi*. Non aliter illum locum interpretati sunt Chrysostomus, Theodoretus, Œcumenius, Theophylactus. Sed et Tertullianus libro quinto contra Marcionem, capite vicesimo contra hæreticum probat, *formam servi* non similitudinem ejusmodi significare, quæ naturæ veritatem excludat, sed eam potius asseverare. Quem locum alibi propositum illustravimus [1]. Sed et Hilarius sub initium libri duodecimi : « Esse, *inquit*, in forma Dei, non alia intelligentia est, quam in Dei manere natura. »

IV. Dionysius Alexandrinus [2] in epistola contra Paulum Samosatenum pluribus illam Apostoli periocham enarrat, ac de forma servi dicit ea, quæ ad hoc nostrum argumentum magnopere spectant : et certe veriori de Christi servitute sententiæ, quam post explicabimus, ita suffragantur, ut cum Marcione, ceterisque φαντασιασταῖς commune nihil habeant. Itaque paulo accuratius in eam inquirendum existimavimus. Pauli Samosateni de Christo, et incarnatione nefariam hæresim exposui in libro primo operis hujus : quam nunc paucis complecti, ac repetere cogimur ab Theodoro Rhætuensi ita compendio traditam. « (1) Nudum ab illo constitutum *ait* fuisse Christum Dominum. In eo vero, tanquam in unoquoque prophetarum, Deum Verbum habitasse. Unde etiam naturas duas separatas, ac divisas, neque secum invicem communicantes penitus inesse Christo : ita ut alius sit Christus, alius qui habitat in ipso Deus Verbum. » Verum quod Deum Verbum in Christo homini simplici habitasse scribit ; non sic intelligendum est, quasi personam aliquam Verbi per se subsistentem, et a Patre distinctam esse crediderit. Quippe Judaico more, singularem putavit esse Dei personam, ut et naturam, cujus ἐνέργειαν, ac transeuntem operationem Verbum appellari noluit, cujusmodi fuit in homine Christo ; in quo ab Nestorio discrepabat. Siquidem Trinitatem explicabat sic, uti solus Deus per se subsistens esset Pater ; deinde Christus, nihil præter hominem habens in sese : tum Spiritus sanctus : quem ipsam esse gratiam aiebat, quæ in apostolos venisset. Ita Leontius libro de sectis, ut in libro primo memoravi. Itaque sublata penitus incarnatione divinæ cujuspiam personæ, et ad summum in transeuntis operationis infusam vim, et efficaciam redacta, Christum asserebat una constare tam natura, quam persona, et utraque creata. Cum autem Christiana, et catholica fides naturas duas inter se conjunctas, et unitas in eadem Verbi divina, increataque persona subsistere fateatur, Paulus ita illam interpretabatur, ut solam divinam naturam ἐνυπόστατον, hoc est per *se subsistentem*, ac solide vereque cohærentem affirmari in illa diceret : humanam vero naturam ἀνυπόστατον, id est *non subsistentem*, nec veram solidamque, sed apparentem, et evanidam substantiæ larvam, ac speciem. Sic enim τὸ ἀνυπόστατον usurpatum ab impio illo dedita opera fuisse credimus, quo majorem catholico dogmati conflaret invidiam.

V. Hoc itaque sensu catholicam de Christo professionem interpretatus, subdole percontatur quæstione septima apud Dionysium Alexandrinum, quinam intelligenda sit *servi forma*, quam accepisse dicit Apostolus Christum Jesum, *cum esset in forma Dei*, et utrum sit ἀνυπόστατος. Quod quidem mirum dictu, absurdumque sibi videri ait. Neque enim capere se, quomodo forma aliqua dici possit ἀνυπόστατος : quod sic usurpat, ut sit *reipsa non extans*, sed adumbratione, ac specie sola cohærens. « (2) Nam si minime subsistit, quid tandem rei est? » Et, « Quo pacto forma dicitur, quod non subsistit? » Hæc impius, ac vafer hæreticus. Non est difficile hanc argutam stropham diluere, si harum vocum, ὑποστάσεως, ἐνυποστάτου, et ἀνυποστάτου proprieta-

(1) THEODOR. tom. 11. bibl. pag. 320. D. Παῦλος Σαμοσατεὺς μὲν τὸ γένος, Ἀντιοχείας δὲ τῆς Συρίας πρόεδρος, ψιλὸν ἄνθρωπον εἶναι τὸν Χριστὸν ἐδυσφήμησεν. Ὥσπερ δὲ εἰς ἕκαστον τῶν Προφητῶν, οὕτω καὶ ἐν αὐτῷ γενέσθαι τοῦ Θεοῦ Λόγου τὴν οἴκησιν. Ἔνθεν καὶ δύο φύσεις διῃρημένως ἐχούσας, καὶ ἀκοινωνήτους πρὸς ἑαυτὰς εἶναι παντάπασιν ἐν τῷ Χριστῷ· ἄλλου ὄντος αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἄλλου τοῦ ἐν αὐτῷ κατοικοῦντος Θεοῦ Λόγου.

(2) PAUL. apud Dion. pag. 290. Εἰ μὴ γὰρ ὑποστῇ, τί ἐστι ; πῶς ἂν λέγοιτο μορφὴ τὸ μὴ ὑποστάν ;

[1] Tom. 2. lib. 5. de Trin. c. 5. § 8.

[2] Dionys. tom. 11. Bibl. pag. 291.

tes, et varias significationes animadvertimus, de quibus plenissime dixi in quarto libro de Trinitate [1]. Natura hominis in Christo non est ἐνυπόστατος, si hoc vocabulo significetur *per se subsistens*, et proprio existendi modo, personaque constans : est autem, si ἐνυπόστατον appellas, quod revera, sive per se, sive in alio, et aliena proprietate subsistit. At præstigiator ille in nominis ambiguitate laqueos erroris sui callide tendens, cum ὑπόστασιν pro eo, quod reipsa, et non fictione tantum extat, accipi sciret, tum etiam pro eo, quod per se subsistit, priorem notionem præ se tulit, Catholicos videri volens asserere, naturam humanam Christi vere non extantem esse, sed nihil præter umbram, et imaginem. Ipse autem ἐνυπόστατον eamdem esse naturam defendebat ita, ut per se, ac propria vi, non alieno modo subsistentem intelligeret. Talem enim esse Christum affirmabat, qui sola hominis natura constaret, quæ integra, et completa esset hypostasis, creata, et ceterorum hominum similis.

Huic resistens Dionysius acriter contendit, non esse ἐνυπόστατον δοῦλον, hoc est *formam servi*, quam assumpsit Verbum, non esse solidum quiddam, ac revera cohærens. « (1) Alioqui dicturum fuisse Apostolum, Exinanivit se servum hominem accipiens. » Hoc autem constituto, quærendum esse, quomodo Christus, utpote ex Samosateni Pauli sententia merus homo, ideoque servus, servum alterum hominem potuerit accipere.

Postea demonstrat μορφὴν δούλου non, ut volebat hæreticus, esse ἐνυπόστατον, hoc est rem aliquam veram, et solide manentem. Quippe cum in monte [2] coram apostolis *transfiguratus est*, sive *transformatus*, μετεμορφώθη, non utique rem et naturam aliquam convertit in aliam; sed figura tantum, specieque mutatus est : neque transformatio illa, sive figura, quæ in corpore, ac vestimentis extitit, habuit ὑπόστασιν, et fuit ἐνυπόστατος, id est solidum aliquid, et per se consistens; sed fluxum, ac transiens.

VI. Mox totum Apostoli locum enarrat sic [3]: *Qui cum in forma Dei esset*, hoc est in Patre, paternaque substantia, *non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*; id est, non, ut ceteri mortales, regnum Dei violenter rapere opus habuit; utpote qui nullo labore suo æqualitatem illam, et parem cum Deo Patre gradum ac dignitatem obtinuit : quoniam natura Deus erat, et ejusdem cum illo substantiæ. *Sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* : hoc est abjecit, humilemque se fecit, quando seipsum hostiam præbuit, in veterum, ac Judaicarum locum, et in Sacramento manducandum corpus suum, ac bibendum sanguinem exhibuit. Quocirca Dionysius hoc in loco, aliter ac vulgo interpretes faciunt, *formam servi* non ad naturam ipsam humanam refert; sed ad servilem functionem, et abjectionem sui, qua se eousque demisit, ut linteo præcinctus pedes discipulorum suis ipse manibus ablutos non dubitaret extergere. « (2) Forma, *inquit*, servi, non est servus. » Tum similitudine utitur servi cujuspiam, qui jussu heri ovinam pellem induat, aut in primo loco ad mensam accumbat, et in servitute nihilominus maneat. Non enim ovis erit, aut libertate propterea donabitur. Deinde Christum ait, « (3) postquam pedes apostolorum lavit, posuisse linteum, ac formam, et figuram servi. » Neque vero hæc illius enarratio in suspicionem adduci debet impiæ Marcionitarum, ac φαντασιαστῶν hæresis; tanquam humanam naturam, quam *servi formam* intelligat, non esse crediderit solidum aliquid, et subsistens, sed sola specie, figuraque definierit. Etenim in illa tota responsione verum hominem affirmat esse Christum, et [4] *Verbum carnem*, id est hominem *esse factum* : qua ratione neutiquam merum hominis spectrum, et effigiem sine re subesse monstravit; verum naturam ipsam et substantiam, solidam ac veram; servilem vero formam nonnisi apparentem : quoniam verus Deus, et homo, et neutra parte servus, sed liber, pro servo gerere se, ac servilem cultum et ministerium subire voluit. Ita non δοῦλος ἐνυπόστατος, id est *servus* re, et naturali quapiam servi proprietate fuit, cum esset homo ἐνυπόστατος. Sic enim Dionysius in responsione ad quæstionem octavam : « (4) Tu vero, *inquit*, Samosatensis deceptus es audiens formam servi, et hominem intellexisti servum vere subsistentem. » Ubi τὸ ἐνυπόστατον ad servum referri debet, non ad

(1) DION. ibid. pag. 290. E. et seq. Ἔδει, ὡς σὺ λέγεις, εἰπεῖν τὸ ἱερὸν τοῦ Χριστοῦ Ἀπόστολον, ὅτι ἑαυτὸν ἐκένωσε, δοῦλον ἄνθρωπον λαβών.

(2) DIONYS. Alex. epist. ad Paul. quæst. 7. t. 11. Bib. pag. 294. A. Μορφὴ δούλου οὐκ ἔστι δοῦλος.

(3) Ibid. C. Καὶ μετὰ τὸ νίψαι τοὺς πόδας τῶν Ἀποστόλων τίθησι τὸ λέντιον, καὶ τὸ σχῆμα τοῦ δούλου.

(4) DION. pag. 296. D. Σὺ δὲ ὁ Σαμοσατεὺς ἠπάτησαι, ἀκούων μορφὴν δούλου, καὶ δοῦλον ἐνόησας ἄνθρωπον ἐνυπόστατον.

[1] Cap. 2. § 8. et c. 8. § 10. — [2] Matt. 17. 2.

[3] Dion. ibid. p. 292. — [4] Ibid. p. 295. C.

hominem. Nam ἐνυπόστατον non pro eo accipit, quod per se, et sine alterius adminiculo subsistit, velut persona, et hypostasis proprie dicta : sed pro eo, quod vere, et non apparente sola specie consistit, atque hoc sensu subinde querelam repetit. « (1) Tu vero, *inquit*, per se subsistentem quæris, formam servi audiens. » Vide quæ de significatione τῆς ὑποστάσεως apud antiquos supra dixi, maxime in sexto libro, capite primo, et secundo. Id enim locum habet etiam in illo Dionysii ἐνυποστάτῳ.

VII. Ad summam, Dionysii fuit hæc Alexandrini sententia, Christum reipsa Deum, et hominem extitisse : servum autem non fuisse revera ; sed externa solum gestione, et usurpatione servilis officii, ac ministerii : quemadmodum si rex aliquis dignitatem suam apud se retinens, servilem ad tempus schemam, ut cum comico loquar, circumponat sibi, ac servorum functiones obeat ; non ille servus revera, et καθ' ὑπόστασιν, sive ἐνυπόστατος erit. (Rex enim manere ponitur ; cujus conditio cum servitute pugnat.) Sola itaque specie, et imagine, ac similitudine servus esse dicitur, quandiu pro servo se gerit. Non eadem de homine Christo mens fuit Dionysii ; nec imaginarium tantummodo fuisse hunc hominem existimavit, sed vere extantem, ac reipsa. Quod adeo persuasum habuit, ut in eo tuendo, et explicando modum etiam excessisse visus sit, et ab catholicæ fidei regula declinasse ad Arianorum, et Anomœorum hæresim ; quo nomine tam vivus in crimen vocatus est, et apud cognominem Romanum Pontificem accusatus, quam post mortem ab summis viris reprehensus, præsertim a Basilio magno : tametsi ab aliis illius est causa suscepta, ut a magno perinde Athanasio, qui Dionysii defensionem libro integro contra Arianos tali patrono abutentes exposuit : de quo plenius in primo libro de Trinitate [1].

VIII. Hæc eo necessario retuli, ne quis aliter ac decet Dionysii sententiam explicet, ac tam male de sanctissimi viri memoria mereri audeat ; ut eum non solum in Christi peccasse divinitatem existimet, (cujus apud aliquos suspectus olim erroris fuit,) sed etiam pessime de assumpta carne sensisse, ac velut monstrum quoddam dissimilibus, ac dissonis ex erroribus conflatum opinionis in sese nefariæ concepisse : vel potius germanam ejus perfidiam, quo cum acerrime dimicavit, Samosateni Pauli, cum Marcionis impietate junxisse. Longe ab illa peste Dionysius abfuit, nec de vera humanæ in Christo naturæ substantia dubitavit. Sed de servili conditione duntaxat ea docuit, quæ et plerisque hodie theologis placent, et, quod postea dicam, verissima mihi videntur, non illum fuisse revera, et proprie servum, sed serviles partes obiisse, et, ut Latini dicerent, personam sustinuisse servi. Sic enim [2] personæ nomen apud antiquos, etiam Christianos et Catholicos, acceptum est, non eo sensu, qui invaluit postea, et in usum hodie receptus est, pro natura subsistente, ac per sese cohærente : verum pro certa conditione, qualitate, affectioneque substantiæ : qua ratione unius et ejusdem subsistentiæ, vel hypostaseos potest esse persona multiplex : velut si quis personam gerat modo principis, modo captivi, alias docti, alias imperiti, cum sit unus idemque diversarum actor partium. Ad hunc modum Christus personam utramque Dei, et hominis egisse dicetur, hoc est pro utroque se gessisse. Multo vero magis personam obiisse servi dici poterit, quo minus est periculi ab Pauli Samosateni, aut Nestorii hæresi ; quandoquidem *servitutis* nomen non substantiæ significantiam illam habet, quam hominis vox statim audientibus objicit, sed conditionis, atque qualitatis.

IX. Verum seposito interim Dionysio, redeamus ad illum Apostoli locum, ac de ejus sententia quod reliquum est pertexamus. *Formam servi*, quæ græce μορφὴ dicitur, Apostolum vocare *naturam* ipsam hominis, plerique veteres, ac recentiores theologi, et interpretes consentiunt : eaque sine dubio verior est, et omnino amplectenda sententia ; vel ea præsertim de causa, quam superius attigi [3], quod eodem modo *forma servi*, quo *forma Dei* videtur accipi debere. Atqui *forma Dei*, substantiam, et naturam ipsam significat, ut res ipsa docet. Itaque Chrysostomus illam Dionysii expositionem, quam Marcioni tribuit, acriter redarguit. «(2) Formam, inquit de hæretico loquens, servi accepit, quando linteo præcinctus, lavit pedes discipulorum. Hæccine est forma servi ? Atqui non istud est forma servi, sed opus servi. Est autem aliud opus esse servi ; aliud, formam

(1) Ibid. Σὺ δὲ ἐνυπόστατον ζητεῖς, μορφὴν δούλου ἀκούσας.

(2) CHRYSOST. hom. 7. in ep. ad Philip. pag. 39. Μορφὴν δούλου, φησὶν, ἔλαβεν, ὅτε τὸ λέντιον περιζωσάμενος ἔνιψε τοὺς πόδας τῶν μαθητῶν. Τοῦτο μορφὴ δούλου ἐστίν; ἀλλ' οὐκ ἔστι τοῦτο μορφὴ δούλου, ἀλλ' ἔργον δούλου. Ἕτερον δέ ἐστιν ἔργον εἶναι δούλου, καὶ ἕτερον μορφὴ δούλου λαβεῖν. Διά τι γὰρ οὐκ εἶπεν ὅτι ἔργον ἐποίησε δούλου, ὃ σαφέστερον ἦν; Οὐδαμοῦ δὲ ἐν τῇ γραφῇ μορφὴ ἀντὶ ἔργου εἴρηται.

[1] Cap. 4. § 10. tom. 2.

[2] Vide l. 4. Trin. c. 4. § 2. — [3] § 3.

accipere servi. Cur enim non dixit illum opus fecisse servi, quod erat apertius? Porro nusquam in Scriptura forma pro opere sumitur.» Quæ postrema verba commentarii, qui Ambrosio tribuitur, auctorem feriunt[1]: qui eamdem fere cum Dionysio Alexandrino sententiam expressit: et, «Opera, *inquit*, formam significabant, ut quia opera ejus non utique hominis opera sunt, hic, qui in opere, vel forma Dei erat, Deus intelligeretur. Forma enim Dei quid est, nisi exemplum quo Deus apparet, dum mortuos excitat, surdis reddit auditum, leprosos mundat, et alia? Quod et Primasius secutus est.» Melius Hieronymi commentarius *formam servi naturam hominis* interpretatur. Et quidem *formæ* vocabulum *naturam* ipsam plerumque significat, ut alibi notavimus[2]. Nec aliter hic accipi debet; minimeque pro sola imagine, vel rei ipsius experte figura, et specie: quando nec vocabulum ipsum *similitudinis* alio sensu posuit, cum dixit, *In similitudinem hominum factus.* Non enim sola hic intelligenda est hominis species, qualem οἱ Δοκηταὶ fingebant. Sed idcirco ita locutus est, quod, cum Deus esset, homo factus est, ac ceterorum hominum similis. Tum vero ut Apollinaris, ac similium errori aditum præcluderet; qui *Verbum* ita *carnem esse factum* putabant, ut illius natura mutata esset in carnem. Ideo similem hominum factum esse Deum dicit: non ipsum natura hoc, et substantia fuisse. Ita Theodoretus explicandus est; cujus alioqui verba in Nestorii impiam hæresim ab catholica regula declinata videantur, cum ait: «(1) De Deo Verbo loqui Apostolum, quod cum esset Deus, non tamen Deus videretur, cum humanam naturam induisset. Huic ergo accommodandum istud est, ut homo. Siquidem assumpta natura revera hoc erat: ipsum autem Verbum hoc quidem non erat, sed hoc induerat.» Verbum negat fuisse hominem sive carnem, nempe κατ' οὐσίαν. Atque hoc modo complura veterum hoc loco interpretanda, quæ Nestorium olere visa sunt quibusdam. Ita quod apud Apostolum sequitur, *et habitu inventus ut homo.* Græce est σχήματι, hoc est *figura et imagine.* Qui enim vere est homo, is ceterorum hominum est similis, et eorum figuram, et habitum gerit. Quamobrem *forma servi* est natura ipsa hominis, cui convenit, ut serva sit. Et qui aliter exposuit Alexandrinus Dionysius, non in re, ac dogmate, sed in apostolici dicti interpretatione paululum a via deflexit; ut paulo post dicam.

X. Hactenus illius firmamenta partis, et Scripturæ pro ea testimonia retulimus, quæ servum revera esse, dicique Christum asserit. Nunc alterius momenta ponderanda sunt, quæ servum negat esse Christum. Quatuor sunt potissimum, quibus ea pars innititur, argumentandi capita. Primum, quod Scriptura Christum cum angelis, hominibusve comparans, in eo discrimen inter illos constituit, quod hi famuli sunt, ac servi, et servili apparitura, officioque funguntur: Christus vero, non servus est, sed filius. Paulus in ea, quæ est ad Hebræos, capite primo, cum angelis confert Christum Dominum, et huic tributam esse dicit excellentis prærogativam nominis, ac dignitatis, uti filius appelletur. *Tanto melior*, inquit[3], *angelis effectus, quanto differentius* (id est excellentius) *præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando angelorum: filius meus es tu, ego hodie genui te?* Ergo filii nomen soli attribuit Christo; angelorum vero nulli: sed omnes servos, et ministros vocat. *Et ad angelos quidem dicit*, ait postea[4], *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis.* Item de angelis loquens[5]: *Nonne omnes sunt administratorii*, inquit, *spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?* Rursus cum Mose Christum contendens Apostolus, multo hunc illo præstantiorem esse dicit, et amborum in eo sitam esse differentiam, quod Moses famulus sit, Christus filius. *Et Moses quidem*, ait[6], *fidelis erat in tota domo ejus, tanquam famulus, in testimonium eorum, quæ dicenda erunt: Christus vero tanquam filius in domo sua.* Quo ex loco duo ad negotium nostrum opportunissima colliguntur: primum est, pugnare servilem statum, et conditionem cum filii ratione; hæc enim inter se duo, velut opposita, comparat. Alterum est, Christum hominem, (de hoc enim loquitur Apostolus, non de eodem, qua

(1) THEODORET. ad cap. 2. ep. ad Phil. ver. 6. Περὶ τοῦ Θεοῦ Λόγου ταῦτά φησιν, ὅτι Θεὸς ὤν, οὐχ ἑωρᾶτο Θεὸς, τὴν ἀνθρωπείαν περικείμενος φύσιν. Αὐτῷ γὰρ τοίνυν ἁρμόττει τὸ, ὡς ἄνθρωπος. Ἡ γὰρ ἀναληφθεῖσα φύσις ἀληθῶς τοῦτο ἦν. Αὐτὸς δὲ τοῦτο μὲν οὐκ ἦν, τοῦτο δὲ περιέκειτο. Vide dial. ejusdem primum, pag. 28. ubi sic ait, ἦν δὲ Θεὸς ἀνθρωπείαν περικείμενος φύσιν, cum paulo ante dixisset, τὴν τοῦ Πατρὸς περικείμενος δόξαν. Quare verbum περικεῖσθαι nihil de proprietate substantiæ minuit.

[1] In cap. 2. ep. ad Philip. col. 522. F. — [2] Lib. 4. de Trin. c. 3. sub finem.

[3] Hebr. 1. 4. — [4] Ibid. ver. 2. — [5] Ibid. ver. 14. — [6] Hebr. 3. 5.

præcise Deus est, et Verbum, ut tota epistolæ series ostendit,) Christum, inquam, hominem factum, ac sponte se ad mortem usque summittentem, filium esse Dei, non famulum, aut ministrum, ut sunt angeli, et Moses cum viveret fuit.

XI. Alter locus argumentandi ex omnibus Scripturæ testimoniis constat, necnon rationibus iis, quibus Christum hominem esse revera Deum, et a B. Virgine talem esse genitum, ac reliqua huic ipsi consentanea, et connexa demonstravimus. Quo spectant omnia illa, quæ de unitione καθ' ὑπόστασιν in tertio libro, et quarto disputavimus : necnon quæ de uno ex Trinitate incarnato et mortuo diximus in quinto [1]. Tum de θεοτόκῳ, id est genitrice Dei virgine, quæ in quinto eodem exposuimus [2]. Non enim servituti minus esse Deum, quam filium, adversari videtur. Quare cum Christus homo, Deus sit, et Dei filius, repugnat omnino eumdem ipsum esse, appellarique servum.

Tertium caput ex eo petitur, quod eadem plane ratio sit adoptivi filii, atque servi, quod ad Deum pertinet. Hic enim non aliunde, quam ex servis adoptare in filios potest; hoc est e creaturis, quæ solæ, utpote alienæ ab naturali cum Deo propinquitate, in eam asciscì, adoptarique possunt. Vide quæ capite tertio hujus libri de ea re diximus. Cum igitur Christus nullo modo sit adoptivus Dei filius, ut ibidem ostendimus, non debet inter servos numerari. Atque hæc inter se colligata, et implicata esse secum invicem, patet ex Elipandi, ac Felicis hæresi, et actis contra hanc in Francofordiensi synodo, illiusque confutatione ab Hadriano, et Paulino Aquileiensi, ac synodi totius Patribus scriptis edita. Siquidem ut ambo illi in adoptivi appellatione filii, ac proprietate tuenda, velut ex consequenti, servitutis nomen adhibuerunt, ut Christum affirmarent esse servum ; quo concesso de adoptione recusare nemo posset. Sic Hadrianus, et reliqui in oppugnando adoptivo filio, eadem disputationis consequentia complecti servilem conditionem, et refellere sunt coacti, ut supra meminimus [3].

Quartus denique locus argumentandi hinc arcessitur, quod in novo Testamento, ubi plenior, et distinctior tradita est Christi Dei hominisque notitia, nusquam aut ille dominum suum vocat Deum Patrem, aut ab hoc servus appellatus legitur. Nam de veteri nihil hoc loco dicimus; in quo cur *servus* nominetur Christus, ratio ab Hadriano redditur, de qua postea. Enim vero, ait Hadrianus [4], « nusquam eum a Patre servum vocatum legimus, sed filium et dilectum, et suum : nec Filium dominum eum suum appellasse, sed patrem, etc. Nullus unquam evangelistarum, nemo apostolorum servum eum commemorat, sed Dominum, et salvatorem. »

CAPUT NONUM.

Conciliantur diversæ inter se de servitute Christi sententiæ. — 1. Duobus modis servum aliquem dici, vel secundum essentiam, et actum primum, vel propter actum secundum. — 2. Priore modo servus est Christus, non posteriore. — 3. Proponitur quæstio illa, num natura constituta sit servitus, an sit contra naturam. Jurisconsulti contra naturam esse putant, et Augustini testimonio id adstruitur. — 4. Aliorum Patrum idem probantia testimonia. — 6. Aristotelis de ea re locus expenditur. — 7. Servitutis a natura, ut et dominationis insita esse quædam semina. — 8. Augustini de hac re locus insignis. — 9. Tandem controversia deciditur duplici servitutis notata ratione, una generali, altera speciali. — 10. Priori Christum, qua homo est, esse servum. — 11. De conditionali servo, qui est posterioris generis, Leonis locus expensus. — 12. Approbatur opinio nostra, et Patres inter se conciliantur. — 13. Athanasii locus illustratur, ac propugnatur. — 14. Excluditur minus probabilis quorumdam ratio interpretandorum Patrum. — 15. Observata Patrum consuetudo in Christi nominibus recensendis. — 16. An Christus sui ipse servus dici debeat ; et negando respondetur. — 17. Causa hujus exponitur.

I. In hoc auctoritatis, argumentationisque conflictu media quædam aperiri via videtur, quæ ambas inter se partes ad pacem, et concordiam revocare poterit. Nam utraque verum profecto dicit, si alterius adjunctione altera temperetur. Ac similiter de *servo*, ut de *crea-*

[1] Lib. 5. cap. 2. et 3. — [2] Lib. 5. a c. 14.

[3] Cap. 7. § 9. — [4] Adria. tom. 6. Conc. p. 165. B. 2.

tura superius exposuimus [1], arbitror esse dicendum. Dupliciter enim *servitutis* proprietas convenire potest. Primum οὐσιωδῶς, ac spectata rei essentia : vel naturalibus principiis, ex quibus servilis, et obnoxia alteri conditio manat, et in *actum*, quem vocant *secundum*, profunditur, ita ut *primus* velut *actus* nativa illa sit origo servitutis : deinde propter istum ipsum, quem nominavimus, *actum secundum*; videlicet, cum reipsa proprietas inest conditioque servi. Etenim non omnia, cujusmodi naturalibus ex causis esse possunt, et ut sint apta sunt, ac quodammodo postulant, reipsa talia sunt, et in natura rerum existunt. Quis enim non videt aquam natura sua esse frigidam, ac, si relicta sibi, nec potentiore causæ alicujus efficientia prohibita fuerit, frigus ex sese proferre ? Sunt tamen complures aquæ calidæ, et quidem perennes : nec propterea, quia frigore carent, aquæ non sunt, aut non eadem, qua frigidæ, natura continentur. Sic etiam, ut illud attingam, quod propius ad rem nostram attinet; quælibet substantia Deo inferior, sic est naturaliter affecta, ut et reipsa creatura sit, et congruente sibi existendi modo, hoc est creato temporalique subsistat. Quod ne humana Christi natura reipsa habeat, cum habere posset, divina Verbi persona, et hypostasis obsistit: quæ eodem puncto temporis, quo cœpit existere, formatam in utero Virginis assumpsit, adjunxitque sibi naturam hominis, in ejusdem personæ communionem, et unitatem : ita ut divina illa hypostasis, qua nimirum divinitas in Verbo ipsa subsistit, fieret humanitatis hypostasis, eaque non proprio, neque naturali velut jure debito, sed adventitio, et præstantiori, quam pro ipsius captu, modo subsistens, divina prorsus esset, et increata persona.

II. Hoc qui animo perceperit (quis autem Christianus, et utcumque professionis intelligens suæ non facile capiat ?) facile hoc etiam nobis assentietur, quod et de creatura jam diximus, et de servitute deinceps explicare volumus. Est enim cum hoc ipso, quod creatum dicitur, conjuncta, et annexa servitutis illa proprietas. Siquidem, ut ait Athanasius de hoc ipso loquens, quod *in forma servi fuisse* Christus dicitur, « (1) serva Verbi est omnis caro, per illud facta, et condita. » Ideo δούλη φύσις, id est *serva natura*, quam Christus assumpsit, vocatur a Patribus, ut ab Joanne Damasceno [2]. Quocirca uti substantiæ genus ἀναλόγως in creatam, et increatam substantiam tribuitur, et utraque differentia generis amplitudinem ad suam quæque formam trahit, et accommodat : sic idem substantiæ genus duplici quadam differentia, servitutis, dominationisque naturalis dividitur. Ex quibus solus Deus tum liber est, et juris ac potestatis suæ; tum omnium dominus, non tamen reipsa semper, et *actu*, ut jam loqui cœpimus, *secundo*, sed *primo* duntaxat : ut adversus Origenis commenta libro tertio de Deo demonstravimus [3]. Hominis natura, quam Verbum sibi copulavit, cum Deus non sit, si essentiam spectes, Deo est inferior, adeoque nihil : ut qui ad eam sese demisit, in nihilum redactus, ac nihil factus esse dicatur, hoc est ἐξουδενωθεὶς, *nullificatus*, ut Tertullianus loquitur [4]. Proinde serva fuit eadem natura, et, hac assumpta, *servi formam*, id est servi propriam, et ei congruentem naturam Deus accepit. Ceterum divina Verbi persona, sive, ut ita dixerim, *personalitas*, humanæ creatæque loco substituta, pro servo, cujusmodi alioqui futurus erat, dominum, ac Deum fecit hominem, et servum reipsa esse vetuit, *actu*, quod dicunt, *secundo*. Etenim si quis bello captam, et servam ingenuus duceret, eo ipso libertate donabat ex lege Mosaica [5]. Quia *durum est libertatem liberam non habere, unde liberi procreantur*, ut ait Cassiodorus [6]. Ita factum est, ut neque creatura, neque servus, etiam quatenus homo, Christus esset.

Omnium hoc optime, eruditissimeque declarat Joannes Damascenus in illis locis, quæ capite septimo descripsimus [7], ubi propterea Christum negat esse servum, quia non prius homo esse, et existere, quam Deus esse cœpit; hoc est non solum liber, sed etiam omnium heres, ac dominus. Quod si, ut jurisconsultis placet [8], *Ingenuus est is, qui statim, ut natus est, liber est. Sufficit autem liberam fuisse matrem eo tempore, quo nascitur, licet ancilla conceperit :* profecto qui ab ipso conceptu liber ac dominus fuit, servus omnino esse non potuit.

III. Verum, ut in quæstionem hanc, et controversiam altius penetremus, imprimis illud expendendum videtur, de quo pridem in utramque partem disputarunt eruditi ac sapientes homines; sitne natura constituta quædam hominum servitus; an præter naturam, vitio

(1) ATHAN. orat. 3. pag. 193. E. Καὶ Κύριος ὢν, ἐν τῇ μορφῇ τοῦ δούλου ἦν. Δούλη γὰρ τοῦ Λόγου πᾶσα ἡ κτίσις, δι' αὐτοῦ γενομένη, καὶ ποιηθεῖσα.

[1] Cap. 6. § 10. — [2] Supra c. 7. § 6. — [3] Cap. 2. § 5. — [4] Lib. 4. contra Marc. c. 14. — [5] Deut. 21. 14. — [6] Lib. 7. ep. 40. — [7] § 6. — [8] Instit. de Ingenuis.

hominis, aut calamitate contigerit. Ac jurisconsultorum quidem hæc, uti capitis septimi initio dixi, sententia est, servitutem omnem contra naturam esse, ac jure gentium introductam fuisse. Quibus plerique Patrum assentiuntur, atque insuper ex peccato manasse volunt servilem conditionem. De quo præclare Augustinus in libro decimo nono de civitate Dei, capite 15. [1] « Rationalem, *inquit*, factum ad imaginem suam, noluit nisi irrationalibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori. Inde primi justi pastores pecorum magis, quam reges hominum constituti sunt : ut etiam sic insinuaret Deus, quid postulet ordo creaturarum, et quid exigat meritum peccatorum. Conditio quippe servitutis jure intelligitur imposita peccatori. Proinde nusquam Scripturarum legimus servum, antequam hoc vocabulo Noe justus peccatum filii vindicaret. Nomen itaque istud culpa meruit, non natura. Origo autem vocabuli servorum in latina lingua inde creditur ducta, quod hi, qui jure belli possent occidi, a victoribus cum servabantur, servi fiebant : a servando appellati, quod etiam ipsum sine peccati merito non est. Nam et cum justum geritur bellum, pro peccato et a contrario dimicatur : et omnis victoria, cum etiam malis provenit, divino judicio victos humiliat, vel emendans peccata, vel puniens. Testis est homo Dei Daniel, cum in captivitate positus peccata sua, et peccata populi sui confitetur Deo, et hanc esse causam illius captivitatis pio dolore testatur. Prima ergo servitutis causa peccatum est ; ut homo homini conditionis vinculo subderetur ; quod non fit nisi Deo judicante, apud quem non est iniquitas : et novit diversas pœnas meritis distribuere delinquentium. Sicut autem supremus Dominus dicit : Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. » Et paucis interpositis : « Nullus autem natura, *inquit*, in qua prius Deus hominem condidit, servus est hominis, aut peccati. Verum et pœnalis servitus ea lege ordinatur, quæ naturalem ordinem conservari jubet, perturbari vetat : quia si contra eam legem non esset factum, nihil esset peccati servitute coercendum. »

IV. Ita Basilius in libro de Spiritu sancto, « (1) Apud homines, *inquit*, natura nemo servus. Aut enim potentia oppressi sub jugum servitutis redacti sunt, ut in bello captis accidit ; aut propter inopiam in servitutem venerunt, ut Ægyptii Pharaoni : aut sapienti quadam, et occulta dispensatione, qui inter filios deteriores erant, parentum voce, sapientioribus et melioribus in servitium addicti sunt. »

Eleganter Gregorius Nazianzenus in Oratione decima sexta, « (2) Paupertas, *inquit*, et divitiæ : tum libertas, ut nos vocamus, et servitus, ac cetera ejusmodi nomina, postea in genus hominum irrepserunt, tanquam morbi aliqui, una cum vitio illapsa, et hujus inventa. Ab initio autem, inquit ille, non fuit sic : sed qui primum hominem formavit, liberum, et suæ potestatis illum reliquit, sola lege mandati coercitum. » Deinde per peccatum amissam hanc esse libertatem ait, et introductam servitutem, totamque illam conditionum inæqualitatem, et statuum.

Ita Chrysostomus homilia 29. in Genesim [2], ex peccato manasse servitutem asserit, et communem omnium extinctam esse libertatem. Hoc autem eo magis affirmat, quod imaginem Dei ab initio creationis suæ inditam, et impressam homini, in dominatu, et imperio constituit, quod in animantes omnes illi est divinitus attributum, ut alibi diximus [3]. Hoc autem uti servituti repugnat, ita cum libertate necessario conjungitur. Quare idem alio in loco [4], ubi latius disputavit de imaginis ratione in dominatione posita, demonstrat [5], servitutem illi contrariam per peccatum invectam fuisse, ex triplici, quod est in vita hominum, servitutis genere ; quorum primum est, quo uxor viro subjicitur. Hæc enim servitus Evæ in pœnam violatæ legis est inflicta [6]. Secundum genus est, quo servi herili potestati sunt obnoxii : quo post diluvium damnata Chami, et Chanaani posteritas legitur [7], propter patris contemptum, et ejus vulgatam igno-

(1) BASIL. lib. de Spiritu S. cap. 20. tom. 2. pag. 195. B. Παρὰ μὲν ἀνθρώποις τῇ φύσει δοῦλος οὐδείς· ἢ γὰρ καταδυναστευθέντες ὑπὸ ζυγὸν δουλείας ἠνέχθησαν, ὡς ἐν αἰχμαλωσίαις· ἢ διὰ πενίαν κατεδουλώθησαν, ὡς οἱ Αἰγύπτιοι τῷ φαραῷ· ἢ κατά τινα σοφὴν καὶ ἀπόῤῥητον οἰκονομίαν, οἱ χείρους τῶν παίδων ἐκ τῆς τῶν πατέρων φωνῆς τοῖς φρονιμωτέροις, καὶ βελτιόσι κατεδικάσθησαν.

(2) GREGOR. Nazianz. orat. 16. pag. 255. D. Ὅτι πενία, καὶ πλοῦτος, ἐλευθερία τε, ἥν φαμεν, καὶ δουλεία, καὶ τὰ τοιαῦτα τῶν ὀνομάτων ὕστερον ἐπεισῆλθεν τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων, ὥσπερ ἀῤῥωστήματά τινα τῇ κακίᾳ συνεισπεσόντα, κἀκείνης ὄντα ἐπινοήματα. Ἀπ' ἀρχῆς δὲ, φησὶν, οὐ γέγονεν οὕτως. Ἀλλ' ὁ πλάσας ἀπ' ἀρχῆς τὸν ἄνθρωπον, ἐλεύθερον ἀφῆκε, καὶ αὐτεξούσιον νόμῳ τῷ τῆς ἐντολῆς μόνῳ κράτουμενον.

[1] Tom. 5. p. 250. — [2] Tom. 1. p. 131. — [3] Tom. 3. l. 2. de Opif. c. 2.

[4] Tom. 5. hom. 2. et 3. — [5] Hom. 4. — [6] Gen. 3. 16. — [7] Gen. 9. 27.

miniam. Tertium genus est, quo principibus, ac magistratibus subjiciuntur ceteri, et iis parere coguntur severiori, quam duorum est priorum, obtemperandi lege, ac necessitate.

V. Ex hac triplici servitute, sola media proprium hoc sibi nomen usurpat. Nam duæ reliquæ non ex natura, institutioneque sua libertatem eripiunt, nec ei adversantur: sed ex vitio, et corruptela hominum, qui legem, ac disciplinam a Deo constitutam pravo usu, et ingenita cupiditate pervertunt. Quæ labes cum ex peccato concepta sit, verum est, servitutem omnem ex peccato initium, et originem accepisse. Ac de secunda, qua hero servus obtemperat, observavit Ambrosius [1], eam in Chami, propter ejus delictum, stirpe cœpisse, tum in Jacobi filio Esau confirmatam esse.

Tractat hoc ipsum argumenti genus copiose ac diserte Philo Judæus in libro, quo omnem probum esse liberum adstruit; improbum vero, et insipientem, esse servum: qui locus Stoicorum disputationibus multum illustratus est; cujus sectæ conditorem Zenonem laudat ibidem Philo [2], et ex Judæorum libris illum ista didicisse narrat.

Scripsit etiam de eodem argumento Dio Chrysostomus orationes duas, in quibus de libertate, ac servitute disserit, et utramque solo animorum affectu, et qualitate distinguit; hanc enim neque ex natalibus æstimandam, neque ex calamitate, vel emptione, aut reliquis istiusmodi, quæ libertati nihil incommodant; sed pro eo atque animus habitus est, ita servum esse vel liberum. Quæ quidem Dio eleganter et uberrime, ut solet, exponit: ac multa mihi videtur imitando ex illo libro Philonis expressisse, præsertim in oratione secunda.

Atqui Stoicæ istæ dissertationes magis ad pompam, et dicendi copiam, quam ad veram propriamque rerum naturam constituendam referri debent. Etenim cujusquemodi sint humanarum affectiones mentium, ac sive depravati sint vitiis, sive ornati virtutibus homines, constat, ex communi usu ac judicio, etiam sapientum, et ipsius adeo in Scripturis loquentis Dei, quemdam esse communem utrisque vitæ statum, sive libertatis, sive servitutis, quo alterutro tam boni quam mali censentur. Certe Paulus apostolus Christianis, hoc est sanctis, et justis præcepta scribens, duplicem illam vitæ conditionem complectitur, et quæ sint amborum partes, et officia præscribit. Imo [3] servos hortatur, ut in eo, in quo vocati sunt ad Christianam professionem, statu perseverare malint, quam libertatem persequi.

De hac igitur, qualicumque judicio dignanda sit, servitute quærimus hoc loco, an sit aliqua naturali jure inter homines æstimanda.

VI. Hanc quæstionem disputat in utramque partem primo Politicorum Aristoteles [4]; ac duplex genus servitutis, sive duplicem hujus originem discernit; naturam, et legem. Priorem ex eo probat, quod nonnulla sic natura comparata sunt, ut ad imperandum alia facta sint, alia ad obsequendum, et serviendum. Quemadmodum in animante corpus est et anima; quorum illud servitio, hæc imperio est aptior. Siquidem, ut ait Sallustius [5], « animi imperio, corporis servitio magis utimur. » Sic etiam muta pecora, et ratione carentia natura homini obedientia finxit: eaque servitus illis expedit. « (1) His omnibus, ait Philosophus, satius est hominis imperio subjici. Ita enim salutem assequuntur. » Ejusdemmodi est maris ac fœminæ discrimen. « Est enim natura præstantior ille, hæc deterior: illi imperare convenit, huic obsequi. » Quibus positis, de naturali inter homines servitute sic pronuntiat Aristoteles: « (2) Qui tantum inter se distant, quantum a corpore anima, et homo a bestia, hoc modo se habent. Porro illi, quorum opus in usu corporis positum est; quorumque hoc unum est, quod ab ipsis proficisci optimum potest: hi natura sunt servi, quibus melius est huic imperio subjici, quemadmodum est illis, quorum supra meminimus. Hic enim natura servus est, qui potest alterius esse, ideoque et alterius est, et qui eatenus

(1) ARIST. 1. Polit. cap. 5. Τούτοις δὲ πᾶσι βέλτιον ἄρχεσθαι ὑπ' ἀνθρώπου. Τυγχάνει γὰρ σωτηρίας οὕτως. Ἔτι δὲ τὸ ἄῤῥεν πρὸς τὸ θῆλυ φύσει τὸ μὲν κρεῖττον, τὸ δὲ χεῖρον· καὶ τὸ μὲν ἄρχον, τὸ δὲ ἀρχόμενον.

(2) Ibid. Ὅσοι μὲν οὖν τοσοῦτον διεστᾶσιν, ὅσον ψυχὴ σώματος, καὶ ἄνθρωπος θηρίου, διάκεινται τοῦτον τὸν τρόπον. Ὅσων δ' ἐστὶν ἔργον ἡ τοῦ σώματος χρῆσις, καὶ τοῦτ' ἔστιν ἀπ' αὐτῶν βέλτιστον, οὗτοι μέν εἰσι φύσει δοῦλοι, οἷς βέλτιόν ἐστιν ἄρχεσθαι ταύτην τὴν ἀρχὴν, εἴπερ καὶ τοῖς εἰρημένοις. Ἔστι γὰρ φύσει δοῦλος ὁ δυνάμενος ἄλλου εἶναι. Διὸ καὶ ἄλλου ἐστὶ· καὶ ὁ κοινωνῶν λόγου τοσοῦτον, ὅσον αἰσθάνεσθαι, ἀλλὰ μὴ ἔχειν. Τὰ γὰρ ἄλλα ζῶα οὐ λόγου αἰσθανόμενα, ἀλλὰ παθήμασιν ὑπηρετεῖ.

[1] Amb. in Ps. 104. tom. 2. col. 862. — [2] Philo. p. 873. — [3] 1. Cor. 7. 21.

[4] Cap. 5. et 6. — [5] Lib. de bel. Catil. init.

rationis est particeps, ut ejus sensum capiat, non eam tamen habeat. Nam cetera animantia, cum rationem minime sentiant, solis affectibus serviunt.» Addit præterea, naturam ipsam monstrare illud videri, cum liberorum, ac servorum corpora dissimilia inter se procreat. Horum enim ad usum necessarium robusta facit, et valida: illorum autem, erecta, et ad tales operas minus utilia, sed ad vitam civilem accommodata.

Lege autem introducta servitus est, « (1) quæ ex pacto quodam et consensu proficiscitur, quo ea, quæ bello capta sunt, eorum qui ceperunt esse dicuntur. »

VII. Insunt igitur in natura hominum quædam semina dominationis et servitutis: quoniam nonnulli ita vasto sunt, et agresti ingenio, ut nullo cultu, ac disciplina tractari, et mansuescere possint: alii e contrario hujusmodi, ut ad animi decus, et ingenuas, ac liberali indole dignas artes, atque ad virtutem, et sapientiam comparandam, ac denique ad summa quæque, et magnifica facti a natura esse videantur. Deteriores autem melioribus, et sapientibus insipientes quasi mancipio et nexu obligatos, et addictos natura ipsa tradidit; non tam eorum, qui præsint, commodo, quam eorum quos illis regendos velut manibus suis communis illa parens commisit. Egregie hoc Ambrosius in eo loco, quem paulo ante notavimus, iis verbis explanat, quæ hic omnino legi interest: ubi de Jacobo, et Esau loquitur.

« Denique pater pius, *inquit* [1], qui inter duos filios affectu certaret paterno; sed discreparet judicio, (affectus enim necessitudini defertur, meritis autem judicia formantur,) cum divideret alteri gratiam, alteri misericordiam: sapienti gratiam, insipienti misericordiam, quia ad virtutem se propriis viribus erigere non poterat, nec spontaneum gressum attollere; benedixit eum, ut serviret fratri suo, et esset ipsius servus; ostendens ita deteriorem esse insipientiam, ut remedio ei servitus sit, quia stultus regere se non potest, et nisi moderatorem habeat, præcipitatur propriis voluntatibus. Diligens ergo pater, et confidens, servum eum fratris sui fecit, ut ejus regeretur consilio. Ideo inconsultis populis sapientes quique adhibentur rectores, qui plebeiam insipientiam vigore proprio regant, ut potentiæ specie dominentur: quo vel invitos auctoritate potestatis subjiciant ad obediendum prudentioribus, et obsequendum legibus. Imposuit igitur insipienti velut indomito jugum, et cui in gladio suo vivendum dixerat, libertatem negavit, ne temeritate laberetur: præfecit ei fratrem, cujus auctoritate et moderatione subjectus proficeret ad conversionem.»

Idem fere Basilius habet in capite vicesimo libri de Spiritu sancto, et istius necessariæ servitutis causam his verbis explicat: « (2) Nam qui præ inopia bonæ mentis, et prudentiæ non hoc habet in se, quod natura imperat, hunc in alterius esse possessione magis expedit, ut dum imperantis ratione, et consilio regitur, similis sit currui, qui aurigam recepit, vel navi, quæ gubernatorem habet ad clavum sedentem. Propterea Jacob dominus Esau ex paterna benedictione fit, ut vel invitus a sapiente beneficium caperet insipiens, qui rectore, ac curatore proprio carebat, id est mente: et Chanaan filius servus est fratrum suorum, quoniam indocilis erat ad virtutem, eo quod imprudentem patrem sortitus erat Chamum.»

VIII. Sed hæc omnia, quæ de servitute hucusque diximus, pulchre Augustinus complexus est quæstione 153. in Genesim: quem locum non inutile sit hic adjungere. « Commendatur in patriarchis, *inquit* [2], quod pecorum nutritores erant a pueritia sua, et a parentibus suis. Et merito, nam hæc est sine ulla dubitatione justa servitus, et justa dominatio, cum pecora homini serviunt, et homo pecoribus dominatur. Sic enim dictum est, cum crearetur: Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram, et habeat potestatem piscium maris, et volatilium cœli, et omnium pecorum, quæ sunt super terram. Ubi insinuatur, rationem debere dominari irrationabili vitæ. Servum autem hominem

(1) Id. cap. 6. Ἐστὶ γάρ τις κατὰ νόμον δοῦλος, καὶ δουλεύων· ὁ γὰρ νόμος ὁμολογία τίς ἐστιν, ἐν ᾧ τὰ κατὰ πόλεμον κρατούμενα τῶν κρατούντων εἶναί φασι.

(2) BASIL. tom. 2. pag. 195. C. Τὸν γὰρ δι' ἔνδειαν τοῦ φρονεῖν οὐκ ἔχοντα ἐν ἑαυτῷ τὸ κατὰ φύσιν ἄρχον, τοῦτον ἑτέρου κτῆμα γενέσθαι λυσιτελέστερον, ἵνα τῷ τοῦ κρατοῦντος λογισμῷ διευθυνόμενος, ὅμοιος ᾖ ἅρματι ἡνίοχον ἀναλαβόντι, καὶ πλοίῳ κυβερνήτην ἔχοντι ἐπὶ οἰάκων καθήμενον. Διὰ τοῦτο Ἰακὼβ κύριος Ἠσαῦ ἐκ τῆς εὐλογίας τοῦ πατρὸς ἵνα καὶ μὴ βουλόμενος παρὰ τοῦ φρονίμου εὐεργετῆται ὁ ἄφρων, οὐκ ἔχων τὸν οἰκεῖον κηδεμόνα τὸν νοῦν. Καὶ Χαναὰν παῖς οἰκέτης ἐστὶ τοῖς ἀδελφοῖς αὐτοῦ, ἐπειδὴ ἀδίδακτος τῆς ἀρετῆς ἦν, ἀσύνετον ἔχων τὸν ἑαυτοῦ πατέρα τὸν Χάμ.

[1] Ambros. in Ps. 104. ad Simpl. tom. 2. col. 862.

[2] August. tom. 4. pag. 52. C.

homini vel iniquitas, vel adversitas dominari fecit. Iniquitas quidem, sicut dictum est: Maledictus Chanaan erit servus fratribus suis. Adversitas vero, sicut accidit ipsi Joseph, ut venditus a fratribus servus alienigenæ fieret. Itaque primos servos, quibus hoc nomen in latina lingua inditum est, bella fecerunt. Qui enim homo ab hominibus superatus jure belli posset occidi, quia servatus est, servus est appellatus: inde et mancipia, quia manu capta sunt. Est enim ordo naturalis in hominibus, ut serviant fœminæ viris, et filii parentibus: quia et illic justitia est hæc, ut infirmior ratio serviat fortiori. Hæc igitur in dominationibus, et servitutibus clara justitia est, ut qui excellant ratione, excellant dominatione: quod cum in hoc seculo per iniquitatem hominum perturbatur, vel per naturarum carnalium diversitatem, ferunt justi temporalem perversitatem, in finem habituri ordinatissimam, et sempiternam felicitatem. »

IX. Atque ut quæstioni illi tandem modus, ac terminus aliquis adhibeatur, mihi sic componenda res videtur, et de naturali ad serviendum obligatione in speciem contrariæ veterum ita conciliandæ sententiæ: ut sit *servitutis* duplex ratio, et significatio. Aut enim servum universe illum dicimus, qui alteri quoquo modo subjectus est, et ei parere, ac morem gerere debet, licet alioqui ingenuus sit. Sic enim filii parentibus obtemperare debent, et in horum jure, ac potestate sunt; et uxores in virorum. Imo « mulieres omnes propter infirmitatem consilii majores in tutorum potestate esse voluerunt, » ait Cicero [1]. Sic medico quodammodo serviunt ægroti, et vectores navis gubernatori: pædagogo item pueri, ac magistro discipuli. Aut eum vocamus servum, qui proprie, et communi hoc usu nomen meretur; hoc est, qui libero, et ingenuo est oppositus, et omnino juris est alieni, non ad tempus solum, sive ex accidenti, sed in perpetuum: adeo ut jus ad patrimonium, aut hæreditatem non habeat, nec eadem cum eo, cui subjectus est, conditione censeatur. Quem plerique *conditionalem* servum nominant, de quo postea dicam.

Horum duorum generum servitutis prius naturale nominari potest. Est enim naturæ, et humanæ rationi consentaneum, non solum uti parentibus filii honorem, et obsequium tribuant; (nam [2] *qui timet Dominum, honorat parentes*, ut ait Sapiens, *et quasi dominis serviet his, qui se genuerunt*;) verum etiam « uti parere animus bene a natura informatus velit præcipienti, aut docenti, aut utilitatis causa juste, et legitime imperanti, » ut scribit Cicero [3]. At vero posterius non videtur institutum a natura; sed ex hujus vitio, et corruptela, tanquam remedium, originem habuisse. De quo proinde jurisconsulti, ac Patres intelligendi sunt, quos supra docuimus servitutem existimare contra naturam esse, et quasi peccati pœnam.

X. Porro Christus Dominus primo illo de duobus modo servus fuit, quatenus homo erat. Nam veram, et perfectam habuit hominis naturam, et essentiam. Est autem natura sua homo creatura; sicut est substantia finita; nec a se habens, sed ab alio participatam extantiam. Quinetiam Patri suo subjectus fuit, eique obtemperavit in omnibus, ac se sponte sua ad infima, et servilia quælibet officia demisit. « Unde et recte dicitur servus Domini, ait Rupertus [4], quia propter nos servivit, et obediens fuit usque ad mortem, mortem autem crucis. » Hinc etiam propterea servum esse Christum Patres asseverant, quia *formam servi* suscepit, hoc est naturam, cui suapte hoc essentia convenit, ut serva sit. Natura itaque, non conditione servus est, sive *conditionalis*, qua voce Felix Urgelitanus libenter utebatur; « non intelligens, ait Albinus Flaccus [5], quod divinæ dispensationis sacramento servus nominaretur: scilicet non conditione debitæ servitutis, sed implendæ paternæ voluntatis in salute humana voluntaria obedientia. Nam in Christo quidquid gestum est, totum voluntatis fuit, non necessitatis, etc. Alia est namque voluntaria humilitas, alia servilis necessitas. Quædam enim de Christo per proprietatem naturæ dicuntur, ut est via, veritas et vita; quædam per significationem rerum per illum gerendarum a prophetis de eo prædicata sunt. Quo genere locutionis servum nominari a prophetis Christum credendum est. »

Mox Hieronymum laudat; qui in commentario ad Isaiam [6], Christum appellari servum adnotat, non communi aliorum more, sed peculiari quadam ratione: quoniam Deus Pater, postquam servum illum vocavit, statim addidit, *quia in te glorificabor*. « Ideo et Christus, ait Albinus, in Evangelio, Pater, inquit, glorifica nomen tuum. Et in Psalmo loquitur Pater ad Filium: Exsurge gloria mea,

[1] Cicer. Orat. pro Mur. — [2] Ecclesiastici 3. 8. — [3] Cicer. 1. Off.

[4] Rupert. in cap. 3. Zachar. tom. 1. pag. 938. col. 2. — [5] Lib. 5. con. Fel. col. 845. — [6] Hieron. in cap. 49. Isa. 334. B.

exurge Psalterium et cithara, id est omnium virtutum chorus. »

Hæc ubi ex Hieronymo citavit Alchuvinus, mox ista subjungit : « Hæc itaque præfatus pater Hieronymus Christum a conditionali nostræ necessitatis servitio separans ait : Ex quo intelligitur non communi humanæ conditionis more Christum servum nominari, sed altiori mysterio debere intelligi : » quasi sequentia ista sint Hieronymi, sed non sunt.

XI. Hujus conditionis servilis meminisse Leonem papam Francofordiensis concilii Patres asserunt in epistola synodica, ejusque verba ita describunt ex homilia secunda de nativitate Christi : « Assumpta est de matre Domini natura, non culpa : creata est forma servi, sine conditione servili. » Verum aliter hæc leguntur in vulgatis Leonis codicibus, qui sic habent [1] : « Assumpta est de matre hominis natura, non culpa : creata est forma servi, sine conditione virili. » Ubi conditio pro nuptiis, vel nuptiali consortio, et usu sumitur. Hoc enim *conditionis* vox inter alia significat, ut jurisconsulti, et latini grammatici adnotant.

Mirum est autem, eruditum theologum [2] in animum inducere potuisse, ita concipiendum illum esse Leonis locum, *Assumpta est de matre hominis Domini natura*; propterea quod Francofordienses Patres *de matre Domini* legerint : quod necesse putat illos *in aliquo codice probato* reperisse. Quoniam vero in vulgatis libris vocabulum inest *hominis*, idcirco duo se illa conjunxisse nomina profitetur. Sed nihil necesse fuit. Nam sæpissime veteres non solum in aliorum Patrum citandis testimoniis pleraque commutant, in sensum potius intenti, quam in vocabula ipsa : verum etiam in Scripturæ sacræ locis idem sibi permittunt. Cujus rei innumera, et obvia passim exempla suppetunt. Quin etiam canonici scriptores idipsum fecisse dicuntur auctore Hieronymo, qui sic scribit [3] : « In multis testimoniis, quæ evangelistæ, vel apostoli de libris veteribus assumpserunt, curiosius attendendum est, non eos verborum ordinem secutos esse, sed sensum. » Ac fieri potest, ut per librariorum errorem *Domini* vox, pro *hominis* irrepserit in Francofordiensem synodicam. Porro si *conditionem servilem* ibidem legas, multo aptior erit sententia, ut de peccati servitute loquatur Leo, sive de *culpa*, sine qua solam assumptam esse naturam proxime ante dixit. Quo cum convenit illud Eusebii falso cognominati Emiseni in homilia sexta de Paschate : « Nullum ergo habuit salvator noster originale peccatum, quia nullum est virilis generationis passus exordium. » Hæc est illa *conditio virilis*.

XII. Quocirca veteres illi, qui Christum esse servum arbitrati sunt, essentiæ, sive *formæ*, ut vocat Apostolus, rationem habuerunt, vel operæ, officiique servorum proprii. Qui autem e contrario servum dici noluerunt, de servili conditione locuti sunt, quæ et necessaria est ex sese, non voluntaria : et personam ipsam, non naturam consequitur : ac denique ex peccato et vitio, corruptelaque istius oritur. Neque vero, cur ab Christo segregetur, causa est idonea postrema illa ratio, quod servitus conditionalis ex peccato cepit originem. Nam et [4] *mors* eadem ex stirpe nata *in omnes homines pertransiit* : et huic se tamen Christus sponte subjecit. Itaque vera et germana ratio est, quod status ille servilis cum filii proprietate, ac naturali conditione pugnat, nec in eamdem personam cadit : quemadmodum de adoptivo filio supra diximus. Recte enim utrumque copulavit Francofordiensis synodica; et ut in naturali filio inesse negationem adoptivi; sic in servo, liberi et ingenui significavit. « Quid est aliud, *inquit* [5], dicere, eamdem virginem adoptivum, vel servum genuisse, nisi negare, Deum illam genuisse ? Si Deus generatus est, nequaquam adoptivus, sed filius : quia alia persona est proprii filii, alia adoptivi filii, vel servi. Et scimus unam esse personam in Christo Deo, Dei et hominis. »

Adjuvat nostram illam de duplici servitute sententiam Joannis Damasceni locus ille, quem superius adduximus [6], in quo asserit naturam hominis in Christo, si ratione et intelligentia disjungatur a Verbo, ejusque persona divina, servam et ignorantem esse; sin ut est modo cum illo juncta consideretur, hoc est ratione personæ, non esse servam. Quod qui dicit, nimirum ratione essentiæ servum esse Christum non dubitat. Siquidem essentia est id, quod rei ab re qualibet alia, quæ non est ipsa, præcisæ convenit. Tum quod adjicit, servitutem hujusmodi, quam Christo, ejusque naturæ humanæ detrahit, non essentiam, sed personam consequi : profecto servitutem illam posteriori modo sumptam indicat, quæ

[1] Leo Serm. 2. de Nativ. c. 3. — [2] Vas. in 3. Part. tomo 1. Disp. 80. cap. 6. — [3] Hieron. in Isa. c. 7. 14. col. 66.

[4] Rom. 5. 12. — [5] Franc. epist. Syn. to. 6. Concil. pag. 177. F. 2. — [6] Cap. 7. § 6.

naturæ est adventitia, et libertati, ingenuitatique repugnat. Nihil erat igitur, cur eruditus theologus [1] discrimen illud servitutis, ac cetera opinionis istius refelleret, cum ex Joannis Damasceni, quem ille sequitur, verbis certissime colligatur.

XIII. Sic inter alios Athanasii locus ille est explicandus, et ab omni reprehensione merito purgandus, ex Oratione tertia : ubi illa Christi apud Matthæum verba [2], contra Arianos exponens, *Confiteor tibi, Pater Domine cœli, ac terræ*, fatetur Christum Patrem suum appellare Dominum, seque generalibus *cœli et terræ* vocabulis comprehendere, quatenus homo est : ex quo idem fatetur, Christum, propter assumptam hominis naturam, esse servum, et Deum habere dominum. Hoc vero arguit vir eruditus [3] tanquam Hadriano papæ contrarium, qui in novo Testamento negat, Christum dominum suum appellasse Patrem, quod et nos superius observavimus. Verum etsi aliter atque Hadrianus, Christi illa verba interpretatus sit Athanasius, nihil tamen vero illius, et catholico dogmati contrarium sapit. Nam servitutem illam Christi hominis, et dominatum Dei Patris eodem accipit sensu, quo Joannes Damascenus, hoc est si utrobique essentia spectetur : quamvis, si personam intueamur, sublata sit omnino servilis conditio : quod non obscure tota illa in oratione demonstrat Athanasius.

XIV. Sed nec ejusdem illius theologi probamus istud [4], quod adversus antiquorum Patrum, tum etiam Scripturæ loca omnia, quibus servus nominatur homo Christus, præscriptionem hanc adhibet, *allegorice, ac tropice, figurateque* ita nuncupari ; sicut *leo, lapis, petra*, et ejusmodi cetera dicitur. Cujus responsionis auctorem laudat Hadrianum in epistola contra Elipandum, ad Hispanos episcopos [5]. Verum quamvis Hadrianus affirmet, « postquam cessavit umbra veritatis, et ipsa in promptu manifestata est veritas, quæ sub allegorica silva latebat, nusquam eum a Patre servum vocatum legi, sed filium, et dilectum, et suum : nec Filium dominum eum suum appellasse, sed patrem ; » non est tamen existimandum, illum putasse, ita tropice, et allegorice Christum appellatum esse servum, sicut *leo*, vel *lapis* dicitur. Sed hoc solum voluisse, in vetere Testamento, quod umbras, et figuras veritatis in novo retegendæ continebat, Christum obscure duntaxat nominatum esse filium, et Deum, servum autem potius, tanquam ceterorum similem, et nihil ab communi hominum ut natura, ita conditione distantem. In eo itaque tropus, et allegoria consistit, non quod servus universe absoluteque sit dictus, sed quod nullo ab reliquis adhibito discrimine, vel peculiari nota et proprietate vocis istius, servi nomen ei sit attributum : quod in novo temperatum est adjunctis Filii, et Patris vocabulis, tum expressioribus aliis divinitatis argumentis, quæ umbris illis lucem attulerunt.

XV. Solent autem veteres Patres complura vocabula, quæ de Christo in sacris litteris prædicantur, acervatim colligere, nulla addita significationis, proprietatisque differentia; cum tamen non eodem modo congruant, sed alia figurate duntaxat, et allegorice, alia proprie usurpentur. Ita Gregorius Nazianzenus in calce Orationis 36. ingentem nominum copiam affert [6], quæ utriusque naturæ ratione Christo competunt ; ut quod *unigenitus* vocatur, *Verbum, sapientia, lux, vita, justitia, redemptio, resurrectio :* quæ illi propter divinitatem conveniunt. Idem vero, qua homo est, appellatur *filius hominis, via, ostium, pastor, ovis, agnus, Pontifex*. Quæ vocabula perspicuum est non eadem ratione imputari Christo Domino : sed quædam nonnisi τροπικῶς dici, ut sunt, *ovis, agnus*, aut etiam *vitis :* alia proprie, ut est *homo, Pontifex*. In quibus intelligendum est, ut admonet Albinus Flaccus in epistola ad Elipandum [7], « alia nomina in Christo Deo propria esse, alia significativa : at discernendum esse quid cuique conveniat. Propria nomina sunt in Christo, unigenitus, primogenitus, Deus, Dei filius, et unus Jesus Christus. Significativa nomina sunt propter quasdam actiones, quæ completæ sunt in illo, leo, lapis, ovis, vitulus, vermis, et talia plurima, quæ ratione discernenda sunt. » Sic etiam perinde ac servus, dicitur *peccatum, maledictum, et opprobrium esse factus*; ut scribit Ambrosius [8], qui nihilominus *servi* nomen proprie Christo, qua homo est, attribui censet, ut supra docuimus [9]. Non igitur eamdem omnium nominum, tametsi hæc in unum redegerit, rationem esse credidit Ambrosius : uti nec alii Patres, qui plura in unum Christi vocabula cumularunt.

XVI. Ex his, quæ hucusque disputata sunt,

[1] Vasq. Disp. 80. cap. 4. — [2] Matt. 11. — [3] Vasq. ib. cap. 3. — [4] Ibid. § 25. et c. 9. § 50. — [5] In Concilio Francof. tomo 6. Concilio pag. 165.

[6] Naz. Orat. 36. p. 590. et seq. — [7] Albin. Flac. col. 909. — [8] Epist. 8. to. 5. col. 189. — [9] C. 7. § 4.

illud etiam colligitur, quid de eo sentiendum sit, utrum Christus suimetipsius appellari servus debeat; sive Verbum ipsum dominus ejus, quem assumpsit, hominis. Respondendum enim est, abstinendum prorsus esse ab hujusmodi locutionibus. Quas cum impius Nestorius usurpasset, Cyrillus in epistola synodica, quam ad eum ex Alexandrino concilio scripsit, vehementer redarguit, et in subjecto anathematismo sexto nominatim damnavit. Verba Cyrilli ab Dionysio exiguo latine reddita sic habent : « (1) Sed neque Deum, aut Dominum Christum verbum Dei Patris asserimus, ne iterum manifestius in duo dividamus unum Christum filium, et Dominum, et in crimen sacrilegii recidamus, Deum illi seipsum facientes, et dominum. Unitus quippe, sicut superius diximus, Deus Verbum carni secundum subsistentiam, Deus quidem est omnium, et dominatur universitati : verumtamen nec servus est sibi ipse, nec dominus; quia ineptum est, vel potius impium hoc sentire vel dicere. » In Anathematismo vero sexto damnat eum, « (2) qui dicit Deum, vel dominum esse Christi, Dei Patris Verbum. » Et in defensione anathematismi ejusdem contra Theodoretum, docet Nestorium impie, irreligiose dixisse, Verbum Christi esse Deum et eumdem infantem esse, et infantis dominum. Quod jure ex eo rejicit, quod nihil aliud sit ita loqui, quam Christum bifariam dividere in personas duas. « (3) Non igitur, *inquit*, dici potest suipsius Deus, et dominus Emmanuel : siquidem Deus, idem est, et homo. »

Sic Etherius, et Beatus in libro primo contra Elipandum, fuse istud explicant, solius esse Patris servum Christum Dominum, non suiipsius, quatenus formam servi suscepit. « Et ideo, *inquit*[1], Patris est servus, qui cum Patre est unus Dominus, et unus Deus : verumtamen ipse sibi nec dominus, nec servus est. Solius Patris est servus, qui facit voluntatem Patris, ut ipse de semetipso ait : Non veni voluntatem meam facere, sed ejus, qui misit me, Patris. Non hoc loco dixit voluntatem Dei facere, sed Patris. Quamvis enim Deum suum Patrem dixerit, cum Deus sit, etiam ipsa natura, et de illius essentia : tamen nullatenus ignoramus, quod manens[2] homo quoque factus sit, qui sub Deo juxta debitam legem naturæ humanitatis existeret. Ipse vero sibi quomodo vel Deus poterit esse, vel Dominus? Ergo solius Patris est servus, non sibi servus, non suus servus; non sibi dominus, non suus dominus. Sicut solius Patris est filius, non suus filius, non sibi filius : sicut ipso major, et minor. Et ideo in quo major sibi ipsi, æqualis est Patri ; in quo minor sibi ipsi, minor est Patre. In quo minor Patri, dominus omni creaturæ. In quo servus Patri, dominus cœli, et terræ, id est angelorum, et hominum. »

XVII. Veram hujus rei causam attigit Cyrillus, quod unus, idemque sit Deus, et homo Christus, hoc est hypostasis una. Hoc enim prohibet servum esse suum ; quoniam quisquis est servus, alterius est servus, cum manifeste pugnet, aliquem suiipsius esse dominum, et servum.

Cum autem *servi* proprie dicti ratio non essentiam, sed personam comitetur, ut supra ex Joanne Damasceno diximus[3]; ideoque servus non sit proprie Christus, vel homo, ut est in Christo, et in Verbo subsistit : palam est neque sui, neque Patris illum eumdem esse servum. Quod si de natura ipsa hominis per sese loquimur, et ut cogitatione mentis a Verbo separata consideratur; fatendum est, et ipsam appellari posse servam eo modo ac sensu, quem superius exposuimus[4], nempe natura, et essentia, ac velut *in actu primo* : et ea ratione totius Trinitatis servam appellari posse, non minus, quam creaturam. Par enim causa est utriusque : de quo vide, quæ in sexto capite disseruimus[5]. Ut igitur tota Trinitas *Incarnationem operata* vulgo dicitur, et humanam Christi naturam creasse, ex quo creatura factus esse Deus passim asseritur ab theologis : sic etiam serva ejusdem Trinitatis

(1) CYRILL. in ep. ad Nest. quæ est in Eph. conc. pag. 209. E. Ἀλλ' οὐδὲ Θεὸν, ἢ δεσπότην τοῦ Χριστοῦ τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγον ὀνομάζομεν, ἵνα μὴ πάλιν ἀναφανδὸν τέμνωμεν εἰς δύο τὸν ἕνα Χριστὸν τὸν Υἱὸν, καὶ Κύριον καὶ δυσφημίας ἐγκλήματι περιπέσωμεν, Θεὸν ἑαυτοῦ, καὶ δεσπότην ποιοῦντες αὐτόν· ἑνωθεὶς γὰρ, ὡς ἤδη προείπομεν, ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος σαρκὶ καθ' ὑπόστασιν Θεὸς μὲν ἔστι τῶν ὅλων, δεσπόζει δὲ τοῦ παντός· οὔτε δὲ αὐτὸς ἑαυτοῦ δοῦλός ἐστιν, οὔτε δεσπότης. Εὔηθες γὰρ, μᾶλλον δὲ ἤδη καὶ δυσσεβὲς τὸ οὕτω φρονεῖν, κα λέγειν.

(2) Anath. 6. Cyrill. Εἴ τις Θεὸν, ἢ δεσπότην εἶναι λέγει τοῦ Χριστοῦ τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγον.

(3) CYRILL. contra Theod. ad anath. 6. in Eph. syn. par. 3. pag. 493. Οὐκ ἂν οὖν λέγοιτο καὶ Θεὸς ἑαυτοῦ, καὶ δεσπότης ὁ Ἐμμανουὴλ, εἴ περ ἐστὶν ὁ αὐτὸς Θεός τε ὁμοῦ, καὶ ἄνθρωπος.

[1] Ether. et Beat. to. 4. Par. 2. Bibl. PP. col. 472. E. — [2] Forte deest vox *Deus*.

[3] C. 7. § 6. — [4] Hoc cap. § 1. et 2. et 9. — [5] § 9. et 10.

natura vocatur, ut ab Athanasio, et Joanne Damasceno. Verum si proprie loqui volumus, neque Christus, neque homo subsistens in Deo, servus nominari debet : quoniam *servi* vocabulum ex usu, et proprietate nominis ad personam refertur, et ad *actum* veluti *secundum*; quem in Christo removet, excluditque persona Verbi in creatæ, ac revera servæ vicem, locumque succedens.

CAPUT DECIMUM.

De vocabulis quibusdam ad Christi, qua homo est, dignitatem spectantibus, quæ personæ singularitati refragari videri possunt, et ideo ab nonnullis Patrum rejecta, ab aliis usurpata sunt : ut est imprimis templum, vel domus, et similia. — 1. Unde appellatio illa templi deducta sit. — 2. Auctoritate Patrum græcorum adstruitur, — 3. tum latinorum. — 4. Quidam Patrum illam improbasse videntur. — 5. Hæretici aliqui vocabulis ejusmodi sunt abusi ; ut Paulus Samosatenus. — 6. Item Theodorus Mopsuestenus, et Nestorius. — 7. Ideo catholici doctores cautionibus quibusdam usum illorum munierunt : primum explicata differentia inter Christi hominem, et sanctos alios, quod ille intime cum Deo, et substantive copulatus est. — 10. Tum alia cautio, quod Verbum carnem esse factum adjunxerunt ad hoc, quod templum diceretur facta esse caro. — 11. Alia cautio, quod propriam Verbi factam esse hanc eamdem carnem dixerunt : quod ex græcis Patribus affirmatur, — 12. necnon ex latinis. — 13. De Ibæ epistola ob usum minus sincerum illius vocis templi damnata.

I. Non mediocrem habet dignitatis pærogativam ex eo natura hominis in Christo, quod sedes ac domicilium sit divinitatis eximia quadam excellentique ratione. Certe Apostolus a Christo derivatam in hominum genus honoris præstantiam quum commendare vellet, quasi radium quemdam ab immenso illo justitiæ Sole communicatum; illud præ ceteris commemoravit, quod et nos ipsi [1] *templa sumus Spiritus sancti*; *et Spiritus Dei habitat in nobis. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos :* et [2] *membra nostra templum sunt Spiritus sancti.* Quod si illud ipsum, quod in nobis vilissimis homunculis agitur, rudis est imago ejus, et adumbratio, quod in Christo tanquam exemplari prius est gestum : profecto ut ad amplificandum decus, quod ex illo fonte hausimus, multum ille templi, ac domicilii Dei titulus confert : sic ad humanæ in Christo naturæ splendorem exaggerandum, tanto præstabilior, quæ in ipso est, ejusdem ornamenti ratio pertinebit. Quæ hoc habet præterea, ut ad mysterii illius, et catholici dogmatis illustrandam veritatem ; tum ad contrarios cavendos, et propulsandos errores, non parvas opportunitates suppeditet. Hæc nos commoda tum proponemus, et patefacere conabimur; cum de vario usu, et interpretatione nominum istorum necessaria quædam explicata fuerint.

[1] 1. Cor. 3. 16. — [2] 1. Cor. 6. 19.

Appellationis illius origo triplici ex Scripturæ loco sumpta videtur. Primus est Joannis capite secundo, in quo Christus corpus suum templum vocat. *Solvite templum hoc*, inquit [3], *et in tribus diebus excitabo illud*, quod mox Evangelista declarans, *Ille autem*, ait, *dicebat de templo corporis sui.* Alter est Proverbiorum capite nono [4] : *Sapientia ædificavit sibi domum.* Utrumque locum antiqui Patres ad Christi vel humanam naturam, vel corpus, sive carnem frequenter referunt. Tertius est in epistola ad Colossenses [5] : *Quia in ipso inhabitat*, inquit, *omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Scripserat autem paulo ante [6], *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* Hinc igitur occasione accepta, græci latinique Patres crebro vocabulis istis assumptam a Verbo naturam hominis affecerunt : quamvis aliqui abstinendum ab illis esse senserint, propter hæreticos, qui hæc perperam interpretantes, erroris sui latebram inde captabant : de quibus mox ; nunc auctores in utramque partem afferemus.

II. Humanam Christi naturam, domum, ac templum esse Verbi, et illa Verbum habitare, multis in locis scripsit Athanasius [7] : ac præsertim in oratione quinta eadem, quæ paulo ante notavimus, Scripturæ testimonia comme-

[3] Joan. 2. — [4] Prov. 9. 1. — [5] Col. 2. 9. — [6] Col. 1. 19. — [7] Ut in lib. de Incarn. p. 43. A. et C. p. 52. B. et lib. de hum. nat. susc. p. 465. C.

moravit : « (1) Igitur, *inquit*, utrumque nos intelligamus sub Christi nomine ; videlicet divinum Verbum unitum ei, qui ex Maria genitus est, in Maria. Etenim in hujus utero Verbum sibi domum conformavit, eodem modo, quo initio Adamum de terra, vel potius diviniori quadam ratione. De quo et Salomon dixit, haud ignarus Verbum appellari Sapientiam. Sic igitur aperte ait [1] : *Sapientia ædificavit sibi domum.* Quem et Apostolus interpretans dicit [2], *Cujus nos domus sumus.* Alibi quoque templum nominat. »

Gregorius Nyssenus in libro adversus Eunomium secundo a Theodoreto laudatus. « (2) Dicimus itaque, *ait*, cum superius asseruit sapientiam sibi domum ædificasse, carnis illum Domini structuram iis verbis significasse. Non enim in alieno domicilio habitavit vera sapientia, sed sibimetipsi domum ex virginali corpore fabricavit. »

Idem in libro contra Eunomium primo [3], templum ait Christo ab ipso nominatum esse non corpus solum, sed animam et corpus ; quamvis solius corporis Evangelista mentionem fecerit : quod ex eo probat, quoniam et nos ipsi, qui templum Dei vocamur, anima pariter et corpore templum sumus habitantis in nobis Dei.

Nec aliter Eustathius Antiochenus in sermone quodam ad illa verba, *Dominus creavit me initium viarum suarum*, ut habent Græcorum codices, illud ipsum *creandi* vocabulum ad humanam, quam ex *Virgine* sumpsit, ac sibi copulavit, naturam accommodans ; sic igitur scribit : « (3) Templum enim proprie purum, et immaculatum, est humanum tabernaculum Verbi, in quo palam diversatus habitavit Deus. » Quod ex vulgato illo Joannis loco confirmat : *Solvite templum hoc, etc.* Tabernaculum hic vocat, ut et Basilius τὸ σκήνωμα, homilia in Psalmum 47. ad hæc verba, *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* « (4) Forte, *inquit*, carnem ita vocat deiferam, sanctificatam ex conjunctione cum Deo. Quare tabernaculum Altissimi intelliges Dei per carnem adventum. » Sic Eusebius Cæsariensis in libro decimo de Demonstratione evangelica (5) σκήνωμα et σκῆνος nominat τὸ ἀνθρώπειον.

Cyrillus libro sexto in Joannem, vivificam esse carnem ait, « (6) eo quod viventis est Dei Verbi templum, et domicilium : » quod et aliis passim in locis repetit, quorum aliqua postea referam.

Idem in libro de Incarnatione apud Euthymium, Panopliæ titulo 13. [4] contra Apollinaristas demonstrat, templum illud, quod a Judæis solvendum esse dicebat, non fuisse nudam carnem, sed ex corpore simul et anima compositum aliquid : quem locum paulo post describam.

Leontius item in libro primo contra Nestorium et Eutychem [5] alia ejusdem Cyrilli testimonia citat, in quibus templum appellatur natura hominis assumpta.

Origenes homilia sexta in Exodum, sub finem, « Non enim manu hominum factum est, id est non opere humano templum carnis ædificatur in Virgine : sed, sicut prædixerat Daniel, Lapis sine manibus excisus crevit, et factus est mons magnus. »

III. Tertullianus ex Latinis [6], de Salomone agens, et ædificato ab eo templo, magis in Christum convenire ait, quæ de hujus ipsius structura templi a propheta Nathane prædicta fuerant [7], quam in Davidis filium Salomonem ; « cum et ædem Dei magis Christus ædificaturus esset, hominem scilicet sanctum, in quo potiore templo inhabitaret Dei filius,

(1) ATHAN. orat. 5. pag. 322. E. Τὸ τοίνυν συναμφότερον νοῶμεν Χριστὸν Λόγον τὸν θεῖον ἡνωμένον τῷ ἐκ Μαρίας, ἐν τῇ Μαρίᾳ· ἐν γάρ τῇ ταύτης νηδύϊ ὁ Λόγος ἑαυτῷ τὸν οἶκον διεπλάσατο, ὃν τρόπον ἐξ ἀρχῆς τὸν Ἀδὰμ ἐκ τῆς γῆς. Μᾶλλον δὲ θειοτέρως. Περὶ οὗ καὶ Σαλομῶν ἔφη, τὸν Λόγον εἰδὼς καὶ σοφίαν χρηματίζουσαν φανερῶς. Ἡ σοφία ᾠκοδόμησεν ἑαυτῇ οἶκον· ὃν καὶ Ἀπόστολος ἑρμηνεύων λέγει, οὗ οἶκοί ἐσμεν ἡμεῖς. Καί ἀλλαχοῦ δὲ ναὸν προσαγορεύει.

(2) GREG. Nyss. lib. 2. cont. Eunom. pag. 77. C. citat. a Theodoreto, dial. 1. pag. 42. C. Φαμὲν τοίνυν ὅτι ἐν μὲν τοῖς πρὸ τούτου λόγοις εἰπὼν τὴν σοφίαν ᾠκοδομηκέναι ἑαυτῇ οἶκον, τὴν τῆς σαρκὸς τοῦ Κυρίου κατασκευὴν τῷ Λόγῳ αἰνίσσεται. Οὐ γὰρ ἐν ἀλλοτρίῳ οἰκοδομήματι ἡ ἀληθινὴ σοφία κατῴκησεν, ἀλλ' ἑαυτῇ τὸ οἰκητήριον ἐκ τοῦ παρθενικοῦ σώματος ἐδομήσατο.

(3) EUSTAT. apud Theodoret. dial. 1. pag. 38. Ναὸς γὰρ κυρίως ὁ καθαρὸς, καὶ ἄχραντος, ἡ κατὰ τὸν ἄνθρωπόν ἐστι περὶ τὸν Λόγον σκηνὴ, ἔνθα προφανῶς σκηνώσας ᾤκησεν ὁ Θεὸς.

(4) BASIL. tom. 1. pag. 270. Τάχα τὴν σάρκα λέγει τὴν θεοφόρον, ἁγιασθεῖσαν διὰ τῆς πρὸς τὸν Θεὸν συναφείας. Ὥστε νοήσεις τὸ σκήνωμα τοῦ ὑψίστου, τὴν διὰ σαρκὸς ἐπιφάνειαν τοῦ Θεοῦ.

(5) EUSEB. in procem. lib. 10. pag. 287. et in cap. 1. p. 290. Εὐδόκησε Θεοῦ Λόγος ὢν μορφὴν δούλου λαβεῖν, καὶ τῷ κοινῷ πάντων σκηνώματι συναφθῆναι

(6) CYRIL. 6. in Joan. pag. 602. E. Ἐπείπερ ἐστὶ τοῦ ζῶντος Θεοῦ Λόγου ναός τε, καὶ ἐνδιαίτημα. Vide et lib. 10. de Ador. tom. 1. pag. 334.

1 Prov. 9. — 2 Heb. 3. 6. — 3 Gregor. Nyss. to. 2. p. 56.— 4 Pag. 532. ed. Lat.

5 To. 4. Bibl. PP. col. 983. — 6 Tert. lib. 3. contra Marc. c. 20. pag. 495. — 7 Lib. 2. Reg.

et in Dei filium magis Christus habendus esset, quam Salomon filius David. » Et alibi [1] : « Scitis corpora vestra membra Christi, quia et Christus Dei templum, Evertite templum hoc, et ego illud in triduo resuscitabo. »

Augustinus in enarratione Psalmi 65. [2] *carnem* vocat *templum latentis intus divinitatis.* « Unde Judæi templum foris videbant, numen intus habitans non videbant. » Et in sermone 13. de natali Domini, « Spiritus sanctus, *ait*, de Maria virgine Christum hominem figuravit, in quo Deus ad reparationem hominis habitaret. »

Leo item papa sermone 10. de Nativitate, capite tertio; « In nobis, *inquit*, habitavit, qui naturam nostri corporis suam fecit, ædificante sibi sapientia domum, non de quacumque materia, sed de substantia proprie nostra. »

Sic Fulgentius libro tertio ad Trasimundum, capite 17. « Quando, *inquit*, mortuo Christo, anima deseruit carnem, tunc solutum est illud templum, quod fuit ex anima, carneque constructum; et cum anima reverteretur ad carnem, tunc est illud templum die tertia suscitatum. »

Albinus Flaccus libro secundo contra Felicem [3], « Numquid non templum Dei, *inquit*, est corpus, quod ex Virgine sumpsit? »

Sunt et alii plerique tam græci, quam latini, qui Christi carnem, sive assumptam a Verbo naturam hominis inhabitari ab eo, et incoli, et illam templum, ac domum ipsius esse dictitant. Nonnulli Christum ipsum *templum Dei* non veriti sunt dicere : ut Tertullianus libro tertio contra Marcionem, proxime ante laudatus : sed pauca, quæ in specimen dedimus, testimonia sufficiunt.

IV. Nunc aliquot ex eadem vetustate proferemus, qui locutiones ejusmodi minus approbarunt, hæreticorum impietate commoti, qui illis ad catholicæ fidei perniciem abutebantur.

Imprimis Dionysius Alexandrinus contra Paulum Samosatenum disputans, qui Christum urbis instar esse, vel ædis asserebat; ut mox dicemus; in contrarium obnititur : « (1) Quippe urbs, *ait*, cum domino suo nunquam in unum numerum confertur : neque domus cum patre familias, qui illam fabricavit. Qui enim istud fieri posset? Siquidem urbs nunquam operatur cum rege; neque domus cum suo conditore : neque porro urbs regis unquam nomine vocabitur. » Sed quo sensu hoc usurpaverit, postea dicam. Nec absimili de causa illam Pauli Samosateni ἐνοίκησιν respuit Athanasius (2) in tractatu perbrevi de Incarnatione contra hæreticum istum. Tum in dialogo quinto, ille qui falso inscriptus est Athanasius, Apollinarista dicente, Deum in Jesu fuisse; vetat istud usurpari : quin potius ita loqui jubet, « (3) Ipse Deus vocatus est Jesus. »

Sic Epiphanius in hæresi 77. quæ est Dimœritarum, sive Apollinaristarum [4], illud improbat, quod ab nonnullis jactabatur, Dei filium habitasse in homine, cum dici potius debeat, hominem esse factum : quem locum exscribemus postea.

Leo quoque papa in sermone tertio de Nativitate, non videtur probare ex naturis duabus, unam *habitatorem*, alteram *habitaculum* dici, sed quo sensu dixerit, ut et ceteri Patres, postea videbimus. Potest et quinta Synodus annumerari, quæ epistolam Ibæ propterea damnavit in Anathematismo decimo quarto, quod hominem ex B. Maria genitum, templum appellasset; sed ea res in fine capitis pluribus explicanda veniet.

V. Igitur prout usus notioque variat illorum nominum, sic adhiberi, aut repudiari oportere veteres arbitrati sunt. Ac nonnullis hæreticis opportuna visa est earum vocum qualiscumque ambiguitas, ut incautis erroris sui venenum aspergerent : ut Paulo Samosateno, Photino, et Nestorio. De Paulo Samosateno paulo superius dixi, hunc templi et habitationis vocibus libenter uti solitum. Quod inter alios testatur Malchio Antiochenus presbyter, qui in synodo illa in urbe contra Paulum habita a Catholicis antistitibus productus est, ut cum hæretico isto palam disputaret. Quæ disputatio memoriæ prodita extabat Hieronymi tempore [5] : imo longe postea, Fulgentii, et Petri diaconi, qui ad Fulgentium scripsit librum de Incarnatione. Cujus in tertio capite,

(1) DION. Alex. in ep. ad Paulum Samos. tom. 11. Bib. pag. 275. C. Πόλις γὰρ μετὰ τοῦ δεσπότου οὐκ ἀριθμεῖται εἰς ἕνα ἀριθμόν· οὐδὲ οἶκος μετὰ τοῦ οἰκοδεσπότου κτίσαντος αὐτόν. Πῶς γάρ; οὐδέποτε πόλις συνεργάζεται τῷ βασιλεῖ· οὐδὲ οἶκος τῷ κτίσαντι· οὐδὲ πόλις ὁ βασιλεὺς κληθήσεταί ποτε, etc.

(2) ATHAN. lib. de Incarn. pag. 462. C. Εἰ γὰρ καὶ Θεὸν ἐνοικεῖν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ λέγομεν, μὴ παραδεχώμεθα.

(3) Tom. 2. Athan. pag. 212. Μὴ οὖν λέγε, Θεὸς ἦν ἐν Ἰησοῦ· ἀλλ', Αὐτὸς ὁ Θεὸς Ἰησοῦς ἐκλήθη.

[1] Tert. de Pudic. cap. 16. — [2] Pag. 275. — [3] Col. 807.

[4] § 29. — [5] Hier. lib. de Script. c. 81.

Malchionis hæc ad Paulum verba commemorat : « Tu vero videris mihi secundum hoc nolle compositionem fateri, ut non substantia sit in eo filius Dei, sed sapientia secundum participationem, etc. Et hoc etiam dicis, quod sapientia habitaret in eo. Habitamus et nos in domibus, ut alter in altero. Sed neque pars domorum nos sumus, nec nostra pars domus est. »

Idcirco Dionysius Alexandrinus adversus Paulum Samosatenum disserens, huic intercessit domus, habitationisque similitudini. Quinetiam [1] *templum*, de quo Christus Judæos alloquens mentionem fecit, apostolos ipsos interpretatur, qui instante Domini passione dissoluti sunt, et huc illucque fuga dispersi. Quæ interpretatio violenta est, neque cum Scriptura congruit. At idem cum adversus Sabellium certaret, qui contrariam Samosateno hæresim propugnabat, Filii personam cum Patre confundens, in aliud extremum parum probatæ opinionis abreptus fuerat : ut Christum instar esse navis, aut domus, aut operis cujuspiam asseveraret ab artifice fabricati, adeoque ab eo distincti : ut in primo de Trinitate notavimus [2]. Cujus haud satis catholici dicti postulatus apud Dionysium papam, apologetico se libro purgare opus habuit : ex eoque videtur cautior redditus in oppositam declinasse sententiam : et Paulum Samosatenum, qui subinde prodiens Artemonis instauravit errorem, istis domus et habitationis vocabulis utentem redarguisse, tanquam non unum Dei filium, unumque Christum, sed duos affirmaret ἐνυποστάτους, id est per se subsistentes, et a se mutuo separatos : quemadmodum domus ab habitatore, urbs a principe suo diversum quiddam est, ac disjunctum : quod initio epistolæ, quam ad illum scripsit ex Alexandrina synodo [3], Dionysius exponit.

VI. Postea Theodorus Mopsuestenus Nestorianæ auctor perfidiæ ἐνοίκησιν illam longe commendavit, inculcavitque diligentius, asserens Deum Verbum habitasse in homine Christo non substantia, nec ἐνεργείᾳ, sed εὐδοκίᾳ, id est *beneplacito*, ac *bona voluntate*. Cujus de hac re sententiæ aliquot in quinta Synodo selectæ leguntur [4], tum apud Leontium in libro tertio contra Nestorium et Eutychem [5], cujus nos verba descripsimus in libro octavo de Trinitate, capite sexto. Quamvis Facundus [6] Theodori suscepto patrocinio hujus criminationis invidiam emollire, et illum excusare conatur. Ab hoc, ut diximus, instructus, et subornatus Nestorius eodem sensu templi, et domicilii, atque habitationis nomina frequentavit. Cujus in istiusmodi vocibus insidias, et calumnias ignotas esse non patiuntur, quæ de illius hæretica impietate fusissime toto hoc in opere disputavimus. Sic enim habitasse Deum in homine fatebatur [7], ut non per se, nec substantive copularentur, nec unum ex ambobus proprie dictum existeret. Asserebat prodiisse Verbum ex Virgine una cum homine Christo ; et in eo, quasi in domicilio, sine ullo nexu, ac vinculo, ut in prophetis, sanctisque ceteris, quamvis multo excellentius, habitasse.

Hinc etiam Incarnationem, et inhumanationem, ut sic loquar, e medio tollebat. Negabat «eum, qui est Emmanuel, Deum verum esse :» sed potius nobiscum Deum asserebat, «hoc est inhabitasse eam, quæ secundum nos est, naturam :» ideoque matrem Emmanuelis hujus non esse Dei matrem, ut ipsemet in anathematismo primo suo scripsit [8]. Hinc Athanasius ; si tamen auctor is est orationis de uno Christo ; hæreticos Samosatenos, « (1) inhabitationem *ait* loco Incarnationis adstruere. » « (2) Non enim idem est hominem dicere factum esse Verbum, et Deum habitare in homine, » ait Cyrillus.

VII. Quocirca sancti Patres uti locutiones istas Scripturæ auctoritate comprobatas non prorsus rejicerent, ac ne interim veneno hæreticæ interpretationis infectæ fraudi essent Catholicis, multiplici eas cautione munierunt : nec nisi additis quibusdam explicandi gratia, fere illis usi sunt. Imprimis autem illud notarunt, dissimili ratione templum vocari corpus Christi, vel humanam ipsius naturam, ac ceteri homines, velut prophetæ, sanctique ceteri, templa Dei, vel sancti Spiritus appellantur [9]. Quippe templum ejusmodi, ac domicilium sanctus quilibet, ac justus Dei esse dicitur, ut

(1) ATHAN. pag. 519. A. Καὶ ἐνοίκησιν ἀντὶ σαρκώσεως κατεσκεύασαν.
(2) CYRIL. contra Theodoret. ad anath. 5. Ἐστὶ δὲ οὐ ταὐτὸν, ἄνθρωπον εἰπεῖν γενέσθαι τὸν Λόγον, καὶ Θεὸν ἐν ἀνθρώπῳ κατοικῆσαι νομίζειν·

[1] Dion. Alex. in Res. ad quæst. Pauli to. 11. Bib. p. 280. — [2] Cap. 4. § 10. — [3] To. 11. Bibl. p. 274. vide et 296. — Collat. 4. p. 223. et 224. — [5] To. 4. Bib. PP. col. 1012. et seq. — [6] Vide lib. 7. c. 7. [7] Vide Cyr. lib. 1. cont. Nest. to. 6. p. 12. 14. 17. 23. et lib. 3. pag. 70. et in epist. ad Nest. synodica, in Ephes. Conc. p. 209. — [8] Par. 1. Eph. Conc. p. 218. — [9] 1. Cor. 6. 19. et 2. Cor. 6. 16.

cum eo nullo proprie dicto, et naturali vinculo ac nexu copuletur; nec unus cum ipso sit, nisi σχετικῶς, et τροπικῶς, hoc est habitudine quadam externa, et figurate; quam moralem unitionem nominari antea diximus. At humana Christi natura unam cum Verbo subsistentem personam efficit. Siquidem arcta, intima, et substantiva cum eo junctione cohæret : ut fuse in superioribus libris exposuimus. Hanc utriusque domus, sive templi differentiam passim Cyrillus adversus Nestorium commendat, ut in libro primo contra ipsum : ubi Joannem evangelistam observat prius ita scripsisse, *Verbum caro factum est* : deinde subjecisse, *Et habitavit in nobis*; uti sacramentum assumptæ carnis plenius explicaret, doceretque, Verbum propria καθ' ὑπόστασιν unitione cum humana natura copulatum, habitare in ea dici. « (1) Habitare porro, ait Cyrillus, divinus Paulus in Christo dicit omnem plenitudinem divinitatis corporaliter : ne simplicem, vel habitudine sola constantem commorationem suspicetur aliquis; sed, ut modo dixi, veram et secundum hypostasim. »

VIII. Idem in epistola synodica, quam tertio ad Nestorium scripsit, negat in eo, qui ex Virgine natus est, tanquam in vulgari quopiam homine, habitasse Verbum. « (2) Nam etsi habitavit in nobis Verbum; ac dictum est, in Christo inhabitasse omnem plenitudinem divinitatis corporaliter : ita tamen animo percipimus, non ut in sanctis habitasse dicitur, eodem modo in illo habitationem dici esse factam : neque mutatum in carnem, habitationem hujusmodi peregisse; qualem habere anima dicitur in proprio corpore. »

Et in defensione anathematismi primi adversus Theodoretum idipsum uberrime declarat; non simili ratione, atque in sanctis hominibus, habitasse Verbum in homine Christo. « (3) Etenim unitam, *ait*, Deo Verbo vere ac reipsa carnem esse dicimus. » Ubi κατὰ ἀλήθειαν idem est, cum eo, quod alibi dixit, καθ' ὑπόστασιν, uti libro sexto docuimus, nempe ut vera, et non ratione sola, et habitudine constans illa sit unitio : quemadmodum subinde ibidem explicat, dum se libenter hoc de Theodoreto sciscitaturum ait, « (4) Utrum unitionem illam Verbi cum humana natura, hoc est cum sancto corpore intelligente anima prædito, ex rei veritate transactam existimet; an itidem ut alii, censeat conjunctione solius habitudinis copulatam esse servilem, et non subsistentem formam cum subsistente, divinaque forma; vel alio modo : ita ut æquivoce tantum filii nomen usurpetur, pro sola dignitatum æqualitate. »

Sic in defensione anathematismi quinti contra eumdem Theodoretum [1], habitationem illam in assumpta natura Verbi non esse σχετικὴν affirmat; ac similem ejus, qua spiritus, sive anima dicitur habitare in homine : quæ videlicet unum cum eo, in quo incolit, facere homine dicitur. Ita Virgilius habitare animam in corpore dixit Æneidos 11.

Nunquam animam talem dextra hac, absiste moveri,
Amittes; habitet tecum, et sit pectore in isto.

Vide ejusdem Cyrilli scholia de Incarnatione, cap. 13 [2].

IX. Basilius homilia 25. de humana Christi nativitate : « (5) Deus, *inquit*, in carne; non ex intervallo agens, ut in prophetis; sed coalescentem sibi humanitatem, et unitam possidens. » Eodem genere vocabli usus est Hippolytus in fragmento tertio, quod est in Anastasii bibliothecarii Collectaneis : « (6) Non enim,

(1) CYRIL. 1. contra Nest. pag. 27. et seq. Κατοικῆσαι δέ φησιν ὁ θεσπέσιος Παῦλος ἐν τῷ Χριστῷ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς, ἵνα μὴ ἁπλῆν, ἤγουν σχετικὴν τὴν κατοίκησιν ὑποτοπήσειέ τις· ἀλλ' ὅπερ ἔφην ἀρτίως, ἀληθινήν τε, καὶ καθ' ὑπόστασιν.

(2) CYRILL. tom. 5. par. 2. in ep. ad Nest. p. 70. D. Εἰ γὰρ καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν ὁ Λόγος· εἴρηται δὲ καὶ ἐν Χριστῷ κατοικῆσαι πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς· ἀλλ' οὐκ ἐννοοῦμεν, ὅτι γενόμενος σάρξ, οὐχ ὥσπερ ἐν τοῖς ἁγίοις κατοικῆσαι λέγεται, κατὰ τὸν ἴσον καὶ ἐν αὐτῷ τρόπον γενέσθαι διοριζόμεν κατοίκησιν. Ἀλλ' ἑνωθεὶς κατὰ φύσιν, καὶ οὐκ εἰς σάρκα τραπείς, τοιαύτην ἐποιήσατο τὴν κατοίκησιν, ἣν ἂν ἔχειν λέγοιτο καὶ ἡ τοῦ ἀνθρώπου ψυχὴ πρὸς τὸν ἴδιον ἑαυτῆς σῶμα.

(3) CYRIL. tom. 6. pag. 207. C. Ἡνῶσθαι γὰρ τῷ Θεῷ Λόγῳ κατὰ ἀλήθειαν τὴν σάρκα φαμ...

(4) Ibid. Ἐπυθόμην δ' ἂν ἡδέως αὐτοῦ, ποτέρα δὴ τὴν ἕνωσιν τοῦ Λόγου πρὸς τὸ ἀνθρώπινον, ἤγουν τὴν πρὸς τὸ ἅγιον σῶμα, τὸ καὶ ψυχωθὲν νοερῶς, πεπρᾶχθαι φησὶ κατὰ ἀλήθειαν, ἢ τοῖς ἄλλοις ὁμοῦ καὶ αὐτὸς κατὰ συνάφειαν σχετικὴν δουλοπρεποῦς, καὶ ἀνυποστάτου μορφῆς πρὸς ἐνυποστάτον, καὶ θείαν μορφὴν, ἢ καθ' ἕτερον τρόπον κατὰ μόνην τῆς υἱότητος τὴν ὁμωνυμίαν, καὶ κατὰ τὴν ἰσότητα τῶν ἀξιωμάτων.

(5) BASIL. tom. 2. pag. 586. Θεὸς ἐν σαρκί· οὐκ ἐκ διαλειμμάτων ἐνεργῶν, ὡς ἐν τοῖς Προφήταις, ἀλλὰ συμφυῆ ἑαυτῷ τὴν ἀνθρωπότητα, καὶ ἡνωμένην καταχτησάμενος.

(6) HIPPOL. in Collect. Anast. pag. 220. Οὐ γὰρ πέφυκε περιγράφεσθαι γεννητῇ φύσει τὸ κατὰ φύσιν ἀγέννητον, κἂν συνέφυ αὐτῷ κατὰ σύλληψιν πάντα περιγράφουσαν νοῦν.

[1] Cyr. to. 6. pag. 221.

[2] Tom. 5. Part. 1. pag. 768.

ait, circumscribi ab natura creata potest id, quod natura sua factitium non est; tametsi coaluit cum ipso in conceptu, qui mentem circumscribit omnem. »

Auctor præterea dialogi quinti, inter opera editus Athanasii, illud Joannis exponens, *Solvite templum hoc*, etc. asserit (1) nulli hominum id contigisse, quod Christo accidit, ut cum Deo copularetur, « essetque templum cum Deo Verbo compositum. »

Item qui sub Justini nomine Expositionem edidit fidei : « (2) Finxit sibi ipsi templum, *inquit*, hominem perfectum, parte aliqua sumpta de illius (Mariæ virginis) natura, et fingendo templo, in substantiam redacta. Quam induens summa unitione, filius Dei processit in utraque natura. Nam exinde Filius et Deus est, et homo. » Qui locus insignis est, et ad id, quod disputamus, aptissimus.

Est igitur templum istud « (3) cum Deo inexplicabili quadam ratione conjunctum, » ut ait auctor opusculorum illorum, quæ cum Athanasio vulgata sunt, qui putatur esse Theodoretus. Chrysostomus, et post eum Theophylactus ad illa Pauli verba capitis primi epistolæ ad Colossenses, *In ipso complacui omnem plenitudinem habitare* : « (4) Illic, *inquiunt*, habitavit non operatio aliqua, sed substantia. » Et Œcumenius : « (5) Non habitudine, *inquit*, sed substantive, sicut anima in corpore: non ut anima fuerit corpori ; sed in corpore animato, unitus eodem modo, quo unitur animæ corpus.

X. Ad eamdem templi, quod Christi humana substantia dicitur, et sanctorum ceterorum differentiam spectat, quod nonnulli Patres vocabulum ἐγένετο, hoc est *factum est*, cum altero *habitandi* conjunctum ab Evangelista fuisse notant, et ipsi studiose componunt. Non enim hoc de aliis, quam de Christo dici potest, ut et homo factus sit, et in homine, tanquam in domicilio quodam, habitaverit : quod posterius, si a priore præcidatur, non est admittendum. Hinc Cyrillus in homilia quadam Ephesi habita : « (6) Audi, *inquit*, rursus dicentem, Et Verbum caro factum est. Non in homine fuit : sed caro factum est, id est homo. »

Et in epistola ad Valerianum : « (7) Ceterum eo vesaniæ progressos esse nonnullos accepi, *ait*, ut illos non pudeat dicere, Deum Verbum in filio quodam habitasse ex Virgine nato. At istud, o boni! (dixerim ipsis) non est incarnatum esse, vel hominem esse factum Dei Verbum ; sed habitasse potius in homine, non aliter atque in uno aliquo sanctorum prophetarum. Verum ejus, quod ad nos pertinet, mysterii ratio, ut paulo superius monuimus, ipsummet Verbum a Deo Patre genitum docet carnem esse factum secundum Scripturas : non ut in carnem mutationem naturalem, sive conversionem, aut alterationem sustinuerit ; sed quod carnem intelligente anima vegetatam propriam fecerit. »

XI. Quæ postrema verba cautionem aliam indicant temperandæ, et ab hæreticis vindicandæ calumniis habitationis, templive notioni ab antiquis adhibitam ; ut carnem, vel humanam substantiam velut incolere dicentes Deum, adderent, ejus, a quo suscepta erat, propriam esse factam.

Athanasius in oratione quarta contra Arianos : « (8) Propter nos, *inquit*, homo factus est ; et corporaliter, ut loquitur Apostolus, habitavit in carne divinitas : quod idem est, ac si diceret : cum esset Deus, proprium habuit corpus; eoque utens instrumento, homo nostra causa factus est. Propterea quæ hujus carnis

(1) ATHAN. tom. 2. pag. 215. Ἐνταῦθα δὲ συντεθεὶς ναὸς Θεῷ Λόγῳ ἐγεννήθη Χριστὸς θεοπρεπῶς ἐκ παρθένου.

(2) JUST. pag. 299. ver. 22. Πλάττει ναὸν ἑαυτῷ τὸν τέλειον ἄνθρωπον, μέρος τι λαβὼν τῆς ἐκείνης φύσεως, καὶ εἰς τὴν τοῦ ναοῦ διάπλασιν οὐσιώσας, ἐνδὺς δὲ αὐτὸν κατ' ἄκραν ἕνωσιν, Υἱὸς Θεοῦ προῆλθεν (κατ') ἄμφω τὰς φύσεις. Ἐξ ἐκείνου γὰρ ὁ Υἱὸς καὶ Θεὸς, καὶ ἄνθρωπος.

(3) ATHAN. tom. 2. pag. 263. D. Ναὸς δὲ ζῶν ἄχραντος, ναὸς Θεῷ συνημμένος ἀῤῥήτως.

(4) CHRYS. Ἐκεῖ ᾤκησεν οὐκ ἐνέργειά τις, ἀλλ' οὐσία.

(5) ŒCUM. Οὐ σχετικῶς, ἀλλ' οὐσιωδῶς, ὡς ψυχὴ ἐν σώματι, οὐ ψυχὴ γενόμενος τῷ σώματι, ἀλλ' ἐν σώματι ἐμψυχωμένῳ ἑνωθεὶς, ὃν τρόπον ἑνοῦται ψυχὴ σώματι.

(6) CYRILL. tom. 5. par. 2. in hom. de Nativ. pag. 354. Ἄκουε πάλιν λέγοντος· καὶ ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο. Οὐκ ἐν ἀνθρώπῳ γέγονεν, ἀλλὰ σὰρξ γέγονε, τουτέστιν ἄνθρωπος.

(7) CYRILL. eod. tom. pag. 161. in epist. A. Ἥκειν γε μὴν εἰς τοῦτο ἀποπληξίας ἐπυθόμην τινὰς, ὡς μὴ καταιδεῖσθαι λέγειν, ὥς ἔν τινι υἱῷ τῷ ἐκ παρθένου τεχθέντι ἐνοικήσαντα τὸν Θεὸν Λόγον τοῦτον ἀποθεῶσαι. Ἀλλ' οὐ τοῦτό ἐστιν, ὦ βέλτιστοι, φαίην ἂν αὐτοῖς, τὸ σαρκωθῆναί τε, καὶ ἐνανθρωπῆσαι τὸν τοῦ Θεοῦ Λόγον, ἐγκατοικῆσαι δὲ μᾶλλον ἀνθρώπῳ, καθάπερ ἀμέλει καὶ ἑνὶ τῶν ἁγίων προφητῶν Ὁ δέ γε τοῦ καθ' ἡμᾶς μυστηρίου λόγος, ὡς καὶ ἐν τοῖς ἀνωτέροις βραχὺ προδεδήλωται, αὐτὸν βούλεται τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς γεννηθέντα Λόγον, σάρκα γενέσθαι κατὰ τὰς γραφὰς, οὐχ ὡς μετάστασιν φυσικὴν, ἤγουν τροπὴν, ἢ ἀλλοίωσιν ὑπομείναντα, τὴν εἰς σάρκα φημὶ, ἀλλ' ὅτι σάρκα ἐψυχωμένην νοερῶς ἰδίαν ἐποιήσατο.

(8) ATHAN. orat. 4. pag. 274. C. Ὕστερον καὶ δι' ἡμᾶς γέγονεν ἄνθρωπος· καὶ σωματικῶς, ὥς φησιν Ἀπόστολος, κατῴκησεν ἡ θεοτης ἐν τῇ σαρκὶ, ἶσον τῷ φάναι, Θεὸς ὢν ἴδιον ἔσχε σῶμα, καὶ τούτῳ χρώμενος ὀργάνῳ ἄνθρωπος γέγονε δι' ἡμᾶς. Καὶ διὰ τοῦτο τὰ μὲν ἴδια ταύτης αὐτοῦ λέγεται, ἐπειδὴ ἐν αὐτῇ ἦν· οἷά ἐστι τὸ πεινῆν, τὸ διψῆν, etc.

propria sunt, illius esse dicuntur; quandoquidem erat in ipsa : velut est esurire, sitire, etc. »

Gregorius Nyssenus a Theodoreto citatus in dialogo primo, cum illa Salomonis verba, *Sapientia ædificavit sibi domum*, de carnis Dominicæ structura intelligenda esse dixisset, ista subjicit : « (1) Non enim in alieno ædificio habitavit vera sapientia, sed sibi domicilium ex virginali corpore fabricavit. » Cyrillus item in libro ad Theodosium imperatorem ; « (2) Non peregrinum, *inquit*, amictum habens carnem e terra sumptam : sed proprium ipsam faciens templum, atque in ipsa, et cum ipsa cognitus, tanquam Deus, et Dominus. » Et in libro ad Imperatrices ; « (3) Credentes itaque, *ait*, Verbum carnem esse factum, non mutatione aliqua, vel conversione : sed eo potius, quod habitavit in nobis, et proprium templum fecit unitum ipsi revera corpus, rationali anima præditum, pium est dicere divinum Paulum Verbi habitationem in sancta carne, hoc est veram unitionem significantem, affirmare, in ipso omnem plenitudinem divinitatis habitasse, non participatione, vel habitudine, sive gratuita largitate ; sed corporaliter, hoc est substantive : quemadmodum si in homine dicatur habitare spiritus ipsius, cum non sit ab eo diversus. »

Sic illud Apostoli, *corporaliter*, Paulus Emesenus in quadam homilia Alexandriæ dicta est interpretatus. « (4) Hoc est, *inquit*, velut in proprio corpore. Nam corpus nostrum proprium sibi fecit. »

Idem habet et in primo libro contra Nestorium Cyrillus [1]. Et in libro undecimo in Joannem[2]: ubi οἰκεῖον ναὸν vocat, hoc est *peculiare templum*, sicut Joannes Chrysostomus a Theodoreto [3] laudatus, οἰκεῖον σκεῦος, *peculiare vas*.

XII. Bene hoc Gaudentius Brixianus expressit in tractatu decimotertio de natali Domini : ubi ait « Filium Dei sancto Spiritu ipsum formasse hominem suum. Siquidem sapientia ædificavit sibi domum. Habitaculum quippe corporis nostri jam suum, quo habitaculo indutus est, sine ullo damno integritatis maternæ egreditur. »

Verbum itaque humanam naturam, quam assumpsit, ita templi loco habuit, ut hoc secum arctissimo nexu ac vinculo copularet. Quam quidem Augustinus appellat *unitatem consortii* in enarratione Psalmi centesimi tricesimi [4], « qua templum Verbi unitum est cum Verbo. »

Leo item papa sermone tertio de natali Domini; « Nec sic natura, *inquit*, in societatem sui creatoris est assumpta, ut ille habitator et illa habitaculum esset, sed ita ut naturæ alteri altera misceretur. » Eleganter quoque Gregorius itidem papa [5]; « Ipse conditoris, *ait*, templum, ipse conditor templi : ipse auctor operis, ipse opus auctoris; manens unus in utraque, et ex utraque natura; nec naturarum copulatione confusus, nec naturarum distinctione geminatus. »

Fulgentius in libro de Incarnatione, capite sexto : « Non autem sic Deus Verbum, *ait*, carnem accepit, ut caro non fieret; cum Evangelista dicat, Verbum caro factum est. Neque naturam carnis ita Deus summus, atque universus assumpsit, ut tanquam in uno de patriarchis, aut prophetis, in illo quidem homine Deus esset, sed idem homo Deus non esset. »

Ad hæc Vigilius in libro quinto contra Eutychen [6] : « Quod autem Christus non tanquam alius in alio inhabitat, Apostolum audi dicentem de ipso [7] : *In quo inhabitat*, inquit, *omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Et iterum [8], *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*. Et iterum : *Solvit inimicitias in carne sua*. »

Hildephonsus Toletanus in sermone de assumptione B. Virginis [9], « Longe, *inquit*, aliter Christus templum Verbi, aliter beata Virgo : quia uterus Virginis ac si hospitium fuit, ex quo Christus Deus ad nos, quasi spon-

(1) THEODORET. dial. 1. pag. 42. Οὐ γὰρ ἐν ἀλλοτρίῳ οἰκοδομήματι ἡ ἀληθινὴ σοφία κατῴκησεν, ἀλλ' ἑαυτῇ τὸ οἰκητήριον ἐκ τοῦ παρθενικοῦ σώματος ἐδομήσατο.

(2) CYRIL. lib. de Recta fide tom. 5. par. 2. p. 40. C. Οὐκ ὀθνεῖον ἔχων περίβλημα τὴν ἀπὸ γῆς σάρκα, ἀλλ' ἴδιον αὐτὴν ποιησάμενος ναὸν, καὶ ἐν αὐτῇ, καὶ σὺν αὐτῇ γνωριζόμενος, ὡς Θεὸς, καὶ Κύριος.

(3) Idem pag. 144. C. Πιστεύοντες δὲ ὅτι γέγονε σὰρξ ὁ Λόγος, οὐ κατὰ μετάστασιν, ἢ τροπὴν, ἀλλ' ὅτι μᾶλλον ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, καὶ ναὸν ἴδιον ἐποιήσατο τὸ ἑνωθὲν αὐτῷ κατὰ ἀλήθειαν σῶμα, ψυχὴν ἔχον τὴν λογικὴν, εὐσεβὲς εἰπεῖν, ὅτι τὴν ἐν τῇ ἁγίᾳ σαρκὶ τοῦ Λόγου κατοίκησιν, ἤγουν ἕνωσιν ἀληθῆ κατασημαίνων ἡμῖν ὁ θεσπέσιος Παῦλος, ἐν αὐτῷ φησι κατοικῆσαι πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος, οὐ μεθεκτῶς μᾶλλον, ἢ σχετικῶς, ἤγουν ὡς ἐν δόσει χάριτος, ἀλλὰ σωματικῶς, ὅ ἐστιν οὐσιωδῶς, ὡς ἂν εἰ καὶ ἐν ἀνθρώπῳ λέγοιτο κατοικεῖν τὸ πνεῦμα αὐτοῦ, οὐκ ἕτερον ὂν παρ' αὐτόν.

(4) PAUL. Emes. tom. 2. Conc. pag. 590. Τουτέστιν ὡς ἐν ἰδίῳ σώματι· τὸ γὰρ ἡμέτερον, ἴδιον ἐποιήσατο σῶμα.

[1] Cyr. 1. cont. Nest p. 7. — [2] Pag. 998. — [3] Theodor. Dial. 1. p. 44. — [4] Aug. in Psal. 130. p. 622. D. 2.

[5] Lib. 18. Mor. c. 27. col. 482. B. — [6] Vig. to. 4. Bib. col. 514. — [7] Col. 2. — [8] 1. Cor. 5. — [9] Hild. to. 9. Bibl. col. 145.

sus de thalamo suo, potentia fortis ut gigas exiit. Porro Christus Deus, et homo, unus mediator Dei, et hominum fuit. Non alter Deus, alter homo, ut templum et Verbum duo essent; sed unus, idemque Christus Jesus. »

XIII. Manifestum est itaque omnibus ex illis, quæ hucusque dicta sunt, usum istiusmodi vocum in utramque partem deflecti solitum; ac prout illis utentis animus erat, ita probatas, aut repudiatas fuisse: adeo ut « secundum intentionem de verbis judicandum sit, quia non magis quid dicatur attendendum sit, quam cur quidque dicatur: » ut ait Facundus[1], cum de hac ipse re disputat, hoc est de Ibæ epistola, in qua luculentum ejus, de quo hic agimus, exemplum posteris relictum est. Etenim epistola ista, de qua in libro primo[2], et sexto[3] disseruimus, ab Justiniano primum imperatore, tum eo procurante, ab synodo Constantinopolitana quinta damnata est. Atque inter alia, quæ in ea notata sunt, et ad hæresis crimen adducta, hoc ipsum animadversum est, quod Christum hominem ex B. Maria genitum, templum appellasset[4]. Siquidem Ibas in epistola ad Marim Persam, quæ inter acta Chalcedonensis synodi legitur, Cyrillum incusaverat, ejusque duodecim anathematismos, tanquam Apollinaris ibi comprobasset hæresim, ac « (1) differentiam omnem inter templum, et habitantem in eo sustulisset. » Quo nomine, ut dixi, damnata fuit epistola illa in quinta Synodo: cujus anathematismus decimus quartus nominatim illud vitio vertit, « (2) quod nudum hominem eum asserat, qui ex B. Maria natus est, quem et templum vocat, ita quidem, ut alius sit Deus Verbum, et alius homo. »

At Facundus[5] ante quintam Synodum, tria capitula propugnans, et horum unum istud de epistola Ibæ, pluribus criminationem refellit illam. Verum etsi verba ipsa, si per se spectentur, excusari possint, ex aliis tamen adjunctis; maxime quod Cyrillum, ejusque capitula implacabili odio persequeretur, et in Theodoretum Mopsuestenum, ipsumque adeo Nestorium plus æquo videretur esse propensior; justam suspicionem Patribus in quinta congregatis Synodo præbuit, mala mente illa de templo pronuntiata fuisse, quæ alioquin innocenti, et minime suspecto ab homine citra labem, ac reprehensionem usurpari potuissent.

CAPUT UNDECIMUM.

1. De vocabulis templi, habitationis, et similibus. Quæ sit ratio templi. — 2. Barnabæ locus insignis de spiritali templo. — 3. Cur Christi caro, et humanitas eo nomine afficiatur. — 4. Quod præsertim ob sanctitatem fit. — 5. Quæ ex usu vocum illarum commoditas capiatur, deinceps exponitur. Sed ante de habitandi vocabulo agitur, et græco σκηνόω, cujus origo declaratur. — 6. Quomodo illud Joannis intelligendum sit, *Habitavit in nobis*. — 7. Præcipuus fructus illarum vocum est, quod Verbi immutabilitatem, et naturarum distinctionem designant: quod subinde ex Patribus probatur, primum græcis, — 9. tum ex latinis. — 10. Quomodo habitandi vox Incarnationem, et naturarum copulationem significet. — 11. Altera commoditas contra Pauli Samosateni hæresim, maxime addito vocabulo *corporaliter*. — 12. Item alia, quod divini Verbi prærogativa in illa naturarum unitione monstratur. — 13. Præterea contra Apollinaris hæresim, et Eutychis eadem vocabula conducunt.

I. Reliqua sunt adhuc de vocabulis istis, *templi*, *habitationisque* nonnulla, quibus illorum ratio, et ad mysterii totius vim explicandam opportunitas continetur. Horum alterum (sunt enim potissimum duo) in inquirenda causa situm est, cur ναὸς, id est, *templum*, humana Christi natura dicatur. Non dubium est, ex usu hominum, et instituto manasse

(1) IBAS act. 10. Chalc. pag. 390. B. Ὡς μὴ εἶναι διαφορὰν μεταξὺ τοῦ ναοῦ, καὶ τοῦ ἐνοικοῦντος ἐν αὐτῷ.

(2) Quinta Syn. anath. 14. Λεγούσην δὲ ψιλὸν ἄνθρωπον ἐξ αὐτῆς γεννηθῆναι, ὃν ναὸν ἀποκαλεῖ· ὡς ἄλλον εἶναι τὸν Θεὸν Λόγον, καὶ ἄλλον τὸν ἄνθρωπον.

1 Fac. lib. 6. p. 244. — 2 Cap. 18. — 3 Cap. 13. § 6. — 4 Just. in ep. de trib. c. et anath. 13. pag. 358. tom. 4. Conc. et in Syn. Quint. Coll. 8. anath. 14. p. 293.

5 Fac. li. 6. p. 243. et l. 7. p. 304. 305. et seq.

nominis illius originem: quod *templa* proprie vocantur *ædificia Deo consecrata*, ut ait Festus; et in quibus tum rite ac religiose colitur, tum peculiari quodam præsentiæ modo interesse, habitareque creditur. Unde et domus Dei apud Hebræos nominari solet. Ex quo fit, ut communi hominum consensu, instinctuque naturæ, tum exquisitiore opera, et sumptu fabricari illa soleant, tum elegantia, et ornatu majore perpoliri. Hinc justi homines, et sancti in Scripturis templa idcirco vocantur, quod cœleste, ac spiritale fidei in illis, ac virtutum ceterarum ædificium mirabili apparatu, ac decore consurgit: in quo divina majestas libentius, quam in manufactis, et auro ac pretioso lapide elaboratis basilicis habitat. Quam quidem templi, ac structuræ spiritalis fabricam luculentissima, et ad id, quod modo pertractamus, aptissima descriptione delineavit epistola Barnabæ; ex qua Clemens Alexandrinus in secundum Stromateon aliqua transtulit [1].

II. Sic igitur Barnabas (nam ejus verba hic omitti non debent) cum de templo utroque tum manufacto, tum vero præsertim spiritali disserit. « (1) Invenio esse templum. Quinam igitur ædificabitur in nomine Domini? Discite. Antequam nos Deo crederemus, cordis nostri domicilium corruptioni subjectum erat, et infirmum, ac vere templum manibus extructum, quoniam plena erat idololatria domus. Idololatria erat dæmonum domus: eo quod quæ sunt Deo adversa faceremus. Verum ædificabitur in nomine Domini. Attendite, et templum Domini magnificum extruatur. Quonam modo? Discite. Accepta remissione peccatorum, et in nomine Domini collocata spe, novi facti sumus, rursus de integro creati. Propterea in domicilio nostro revera Deus habitat in nobis. Qui tandem? fidei ipsius sermo; vocatio promissionis illius; sapientia justificationum; præcepta doctrinæ. Ipse in nobis prophetans, ipse in nobis habitans, sub mortis servitutem redactos, templi fores aperiens, quod est os, impertita nobis pœnitentia incorruptum introduxit in templum. »

Existit ergo templum Dei in hominibus, ac fide, et virtutibus ceteris excitatur; ut in eo, tanquam in prætorio, ac regia, divina majestas commoretur. Hoc vero multo excellentius homine in Christo agitur, qui *plenus gratiæ est, ac veritatis;* et [2] *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ Dei absconditi;* tum [3] *in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, hoc est οὐσιωδῶς. Nempe ipsa divinitas per se, ac substantive, non σχετικῶς, et externa solum habitudine, in illo residet, et cum eo copulatur. Ita templum Dei præstantissima quadam et singulari ratione dicitur, eo quod habitantem in sese Deum sic continet, ut hoc ipsum sit quod continet.

III. Quocirca Tertullianus ait, quæ de Salomone propheta Nathan David nuntiavit [4], deque templo ab illo fabricando, magis in Christum, quam in Salomonem convenire. « Quin et ædem Dei, *inquit* [5], magis Christus ædificaturus esset, hominem scilicet sanctum, in quo potiore templo inhabitaret Dei spiritus, et in Dei filium magis Christus habendus esset, quam Salomon filius David. »

Athanasius quoque humanam eamdem Christi naturam templum idcirco nuncupari asserit, « (2) Quoniam Deo congruit in templo habitare. Cujus imaginem ex lapidibus extruere veteribus præcepit per Salomonem. »

Sic Ambrosius [6] ad illa Davidis, *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui*, de Christi corpore hæc interpretatur; et omnes causas complectitur, ob quas *templi* appellatio merito illi tribuitur. « Vere templum, *inquit*, Dei corpus est Christi, in quo est nostrorum purificatio peccatorum. Vere templum Dei caro illa, in qua nullum peccati potuit esse contagium; sed ipsa pro delicto mundi totius fuit sacrificium. Vere templum Dei caro illa, in qua Dei imago fulgebat, et corporaliter plenitudo divinitatis habitabat; quo-

(1) BARN. epist. pag. 246. Εὑρίσκω οὖν ὅτι ἐστὶ ναός. Πῶς οὖν οἰκοδομηθήσεται ἐν ὀνόματι Κυρίου; μάθετε. Πρὸ τοῦ ἡμᾶς πιστεῦσαι τῷ Θεῷ, ἦν ἡμῶν τὸ κατοικητήριον τῆς καρδίας φθαρτὸν, καὶ ἀσθενὲς, ὡς ἀληθῶς οἰκοδομητὸς ναὸς διὰ χειρός· Ὅτι ἦν πλήρης μὲν εἰδωλολατρίας οἶκος. Εἰδωλολατρία ἦν οἶκος δαιμονίων, διὰ τὸ ποιεῖν ὅσα ἦν ἐναντία τῷ Θεῷ· οἰκοδομηθησέται δὲ ἐπὶ τῷ ὀνόματι Κυρίου. Προσέχετε ἵνα ὁ ναὸς Κυρίου ἔνδοξος οἰκοδομηθῇ. Πῶς; μάθετε. Λαβόντες τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν, καὶ ἐλπίσαντες ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου, ἐγενόμεθα καινοὶ πάλιν ἐξ ἀρχῆς κτιζόμενοι. Διὸ ἐν τῷ κατοικητηρίῳ ἡμῶν ἀληθῶς ὁ Θεὸς κατοικεῖ ἐν ἡμῖν. Πῶς; ὁ Λόγος αὐτοῦ τῆς πίστεως, ἡ κλῆσις αὐτοῦ τῆς ἐπαγγελίας, ἡ σόφια τῶν δικαιωμάτων, αἱ ἐντολαὶ τῆς διδαχῆς. Αὐτὸς ἐν ἡμῖν προφητεύων, αὐτὸς ἐν ἡμῖν κατοικῶν, τοὺς τῷ θανάτῳ δεδουλωμένους, ἀνοίγων ἡμῖν θύρας τοῦ ναοῦ, ὅ ἐστι στόμα, μετάνοιαν διδοὺς ἡμῖν εἰσήγαγε εἰς τὸν ἄφθαρτον ναόν.

(2) ATHAN. orat. 5. pag. 323. A. Καθότι πρέπον Θεῷ, ἐν ναῷ κατοικεῖν, οὗ καὶ εἰκόνα τὸν ἐκ λίθων τοῖς παλαιοῖς κτίζειν διὰ Σαλομῶντος προσέταξεν.

[1] Clemens 2. Strom. p. 300. — [2] Col. 2. 3. — [3] Ibid. ver. 9. — [4] 2. Reg. c. 7. 12.

[5] Tert. 3. contra Marc. c. 20. — [6] Ambr. ad Ps. 47. to. 2. col. 820. E.

niam ipse Christus est plenitudo, etc. Etenim si de sanctis viris Apostolus dixit, Templum Dei vos estis, et Spiritus sanctus habitat in vobis: quanto magis carnem Domini Jesu templum Dei dixerim; qui semper plenus Spiritu sancto legitur, etc? »

Templum itaque Dei Christus homo dicitur tum propter Dei præsentiam, et habitationem, qui in ipso per se incolit, et unus est cum eo: tum ob sanctitatem, et ab omni labe purissimam innocentiam: tum ob sacrificium, quod expiando humano generi, et abolendis mundi totius delictis in illo, ac per illum est oblatum. Hoc enim proprie in templo fit; et ad hunc usum sacrificandi, et propitiandi numinis, religiosa illa loca consecrata sunt.

IV. Ad sanctitatem refert appellationem templi Chrysostomus, quod per Christi humanitatem e cœlo arcessita, derivataque est in terras cœlestis vitæ forma. « (1) Illud vero, *inquit*, asseveramus, Deum Verbum postquam templum sibi ipsi sanctum molitus est, per illud in vitam nostram, quod in cœlo inerat, vivendi genus invexisse. » Imo et cœleste in eo regnum constituit; ut deinceps idem in ceteros homines decus transferret, ut intra se Dei regnum haberent. Philo certe Carpathius in Cantica canticorum: « Promptuarium regis, *inquit*, est ubi thesauri, et res omnes pretiosæ reponuntur. Sed hoc cœlestis regis illud primum apertissime demonstrat corpus, in quo sibi dŏmicilium fabricavit: deinde et cœlorum regnum. »

Rupertus quoque [1], « Spiritus sanctus, *ait*, domum istam non manufactam templum Dominici corporis sapienter per semetipsum ædificavit, decenter exornavit, gloriose, ac feliciter dedicavit. Ædificavit, inquam, in ipsa Verbi incarnatione, exornavit in illius veri hominis manifestatione, dedicavit in ejusdem sacrosancta resurrectione. » Et mox: « Sic corpus Christi secundum singularem nativitatem, et immunitatem a peccato fuit ædificatum: post resurrectionem vero secundum impassibilitatem, et immortalitatem, æterna gloria manet dedicatum. »

Idem Cyrillus libro decimo de Adoratione significat: « (2) Vide, *inquit*, tanquam in umbra, et figura, Verbum illud Deum, et a Deo Patre secundum naturam existens, tanquam in aurea, et incorrupta arca fuisse, hoc est in eo templo, quod ex Virgine sumptum est. Incorruptum enim est, et pretiosum Christi corpus. Atque hic tantum non occultabatur uti velamento quodam, quando carnem accepit. » Et in undecimo libro in Joannem, « (3) Ipse, *inquit*, proprio spiritu suum templum sanctificans. »

V. Nunc ex istis appellationibus quantum ad illustrandum Incarnationis sacramentum commodi capiatur, explicare volo. Sed ante vox eo spectans una declaranda est, quæ in græco Joannis Evangelio legitur: ubi post illa verba, *Et Verbum caro factum est*, statim subjicit, *Et habitavit in nobis*. Græce, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. Verbum σκηνοῦν, a nomine σκηνὴ deducitur, quod *tentorium et tabernaculum* significat; quasi temporarium aliquod domicilium. Nec tamen primitivam hanc notionem conservat verbum σκηνῶ, ut sit *tendere*, hoc est *tabernaculum collocare*. Sed interdum simpliciter est *habitare*, idemque quod οἰκεῖν, vel κατοικεῖν. Hinc σκήνωμα Hesychius interpretatur (4) *ædem, ac domum, et locum*, ac σκῆνος etiam *corpus*. Sic apud Stobæum sermone primo, Democritus; « (5) Tabernaculi (id est *corporis*) robur sine ratione animam nihilo meliorem facit. » Sæpe autem in Scripturis σκηνῶσαι *perennem habitationem* exprimit: et σκηνὴ, domicilium perpetuum: quod vel unum hoc exemplum demonstrat. Apocalypsis capite 21. de cœlesti, et sempiterna beatorum mansione, quam civitatem Hierusalem vocat, ita scribit Apostolus: (6) *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis*. Sed videlicet allusit ad Mosaicum tabernaculum, in quo commoratus est Deus, donec

(1) Chrys. apud Theodoretum dial. 1. pag. 44. C. Ἐκεῖνο δέ φαμεν, ὅτι ναὸν ἅγιον ἑαυτῷ κατασκευάσας ὁ Θεὸς Λόγος, δι' ἐκείνου τὴν ἐκ τῶν οὐρανῶν πολιτείαν εἰς τὸν βίον εἰσήγαγε τὸν ἡμέτερον.

(2) Cyrill. tom. 1. pag. 334. B. Ἄθρει δὴ οὖν, ὡς ἐν σκιαῖς καὶ αἰνίγμασιν, ὅτι Θεὸς ὢν, καὶ ἐκ Θεοῦ Πατρὸς κατὰ φύσιν ὁ Λόγος, ὡς ἐν χρυσῇ, καὶ ἀσήπτῳ γέγονε κιβωτῷ, τῷ ἐκ παρθένου ναῷ. Ἄσηπτον γὰρ καὶ τίμιον τὸ σῶμα Χριστοῦ. Μόνον οὐχὶ δὲ καὶ ἐκρύπτετο, καθάπερ ἐν τάξει καταπετάσματος τὴν σάρκα λαβών.

(3) Cyril. lib. 11. in Joan. pag. 998. C. Αὐτὸς τῷ ἰδίῳ Πνεύματι τὸν οἰκεῖον ἁγιάζων ναόν.

(4) Hesych. Σκήνωμα, οἴκημα, οἶκος, τόπος, et σκῆνος σῶμα.

(5) Democr. Σκήνεος ἰσχὺς ἄνευ λογισμοῦ ψυχὴν οὐδέν τι ἀμείνω τίθησι.

(6) Apoc. 21. 3. Ἰδοὺ ἡ σκηνὴ τοῦ Θεοῦ μετὰ τῶν ἀνθρώπων, καὶ σκηνώσει μεθ' αὐτῶν.

[1] Lib. 19. de glorif. S. Trin. c. 2. tom. 2. p. 200. Vide ejusdem l. 2. in Joan. pag. 229. col. 1.

templum illi constitutum est, quasi perpetuum domicilium. Sunt autem, qui eamdem habitationis temporariæ significationem ad Joannis locum capite primo Evangelii accommodant, ut Erasmus, et eum secuti alii: « quasi non tanquam indigena in patria sua, sed tanquam hospes, et peregrinus in aliena apud nos ad tempus tantum habitaverit. » Videtur σκηνὴ ab hebraico verbo שכן originem traxisse, quod est *habitare*. Ex quo nomen שכונה divinæ majestatis præsentiam significat, et gloriam; ut cum inter homines illustri aliquo signo conspicuum se præbet, ac præsentem se esse testatur. De qua voce legendus est R. Moses in prima parte More Nebochim, capite 25. Hanc Græci ἐπιφάνειαν appellare solent. Ego vero simpliciter arbitror usurpatum ab Evangelista vocabulum istud pro eo, quod est *commorari* et *habitare*.

VI. Sed majoris est momenti quæstio de constructione vocis ejusdem in Joannis illo loco: utrum habitasse Verbum in corpore assumpto, an inter homines tantummodo commoratum esse dicatur. Variant enim hac de re antiquorum sententiæ; ac plerique habitationem in carne, vel humanitate, divini Verbi malunt intelligi: et nonnulla ex eo deducunt velut consectaria, quibus mysterii illius proprietas magis elucescit: quod in hoc capite, ac tractatione potissimum quærimus. Alii duntaxat in nobis, id est *inter nos habitasse* dici Verbum existimant, non in assumpta carne, vel homine. Equidem ut illis non assentior, qui ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, id est *habitavit in nobis*, idipsum esse volunt, quod *in nostro corpore*, vel *nostri simili*. Melius enim ἐν ἡμῖν, *inter nos*, id est *homo inter homines* dici intelligitur, quam *in natura nostra*, quasi communi omnium hominum. Ut igitur non sic interpretor illud *in nobis*: ita τὸ ἐσκήνωσεν tantumdem puto vi, et tacita quadam notione significare: nempe sic habitasse Deum Verbum, uti corpus verum, ac solidum habuerit, in quo tanquam in templo et tabernaculo residens, inter homines horum similis incoluit. Nec tamen de hujus evangelici loci veriore sensu multum litigare velim, nam et altera interpretatio probabilis mihi videtur: hac igitur omissa contentione, quod hoc capite propositum mihi esse dixi, videamus modo, quid in illa vel *templi*, *domusve*, vel *habitandi* significatione veteres inesse commodi putaverint ad catholicam incarnati Verbi declarandam, et illustrandam professionem. Qua in disputatione implicata, et complexa necessario erunt illa, quæ ad evangelici istius dicti sententiam enucleandam pertinent; cum multa sint a Patribus universe de *templo* et *habitatione* Verbi, illius loci occasione scriptis prodita.

VII. Præcipuus ex illarum vocum accommodatione fructus iste apud antiquos habetur, quod inde colligimus. Verbum nulla sui mutatione facta, idipsum, quod erat antea, integrum, illibatumque mansisse, atque ita naturis duabus perfectis constare Christum a se invicem distinctis, sicut habitator a templo, vel domo natura diversus est. Docet hoc in commentario ad illum Joannis locum Chrysostomus, cujus verba in secundo libro posui, ut et Cyrilli [1].

His accedunt Flavianus Antiochenus, qui ista eadem Joannis exponens, ita scripsit: « (1) Habitavit, *inquit*, in nobis; non in carnem mutatum est, nec Deus esse destitit. Sed hoc quidem erat ex omni æternitate, illud vero ex dispensatione factum est. » Gelasius item Cæsareæ in Palæstina episcopus, « (2) Non ipse mutatus est, *inquit*, sed in nobis habitavit. Aliud est tabernaculum, aliud Verbum: aliud est templum, aliud qui in ipso habitat Deus. »

Cyrillus Alexandrinus variis in locis eamdem vim tribuit illis Evangelii verbis, *Et habitavit in nobis*: « (3) Ut non sinant intelligere, Verbum, quod ex Deo secundum naturam processit, in carnem, quæ de terra est, fuisse conversum. » Et interjectis aliquot paginis: « (4) Idem vero, *inquit*, cum est caro factum, non in carnis transiisse naturam; ita ut in id, quod non erat, verteretur: sed cum eo, quod nostri simile est factum, idipsum quod erat mansisse, rursus perspicue indicat, cum hæc,

(1) FLAVIAN. apud Theodoret. dial. 1. pag. 31. Ὁ Λόγος, φησὶ, σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. Οὐκ εἰς σάρκα μεταβέβληται, οὐδὲ ἀπέστη τοῦ εἶναι Θεός· ἀλλ' ἐκεῖνο μὲν ἦν ἀϊδίως, τοῦτο δὲ γέγονεν οἰκονομικῶς.

(2) GELASIUS apud eumd. Theodor. pag. 31. Οὐκ αὐτος μεταβληθεὶς, ἀλλ' ἐν ἡμῖν σκηνώσας. Ἕτερον σκηνὴ, καὶ ἕτερον ὁ Λόγος. Ἕτερον ὃ ναὸς, καὶ ἕτερον ὁ ἐνοικῶν αὐτῷ Θεός.

(3) CYRILL. tom. 6. pag. 4. D. Διὰ δὲ τοῦ καὶ ἐν ἡμῖν αὐτὸν σκηνῶσαι λέγειν, οὐκ ἐφίησι νοεῖν, εἰς σάρκα τὴν ἀπὸ γῆς τὸν ἐκ Θεοῦ κατὰ φύσιν μεταχωρῆσαι Λόγον. Vide cet. in E.

(4) Idem pag. 27. E. Ὅτι δὲ σὰρξ γεγονὼς, οὐκ εἰς τὴν τῆς σαρκὸς μεταχεχώρηκε φύσιν, τροπὴν ὑπομείνας τὴν εἰς ὅπερ οὐκ ἦν· ἀλλὰ μετὰ τοῦ γενέσθαι καθ' ἡμᾶς, μεμένηκεν ὅπερ ἦν, διατρανοῖ πάλιν τὸ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, τῷ πρώτῳ προστεθεικώς.

[1] C. 2. § 5.

Et habitavit in nobis, prioribus adjungit. »

Idem Cyrillus in Scholiis, capite 25. « (1) Intelligitur enim, *ait*, omnino tanquam alterum in altero, quod inhabitat, hoc est divina in humanitate natura, nullam perpessa commistionem, vel confusionem, aut conversionem in id, quod non erat. Quod enim habitare in altero dicitur, non ipsum fit tale, quale est id, in quo habitat : quin potius alterum intelligitur in altero. In natura porro Verbi, et humanitatis solam nobis differentiam designat naturarum diversitas. Unus enim ex ambobus Christus intelligitur. »

VIII. Hunc Cyrilli locum refert Leo papa in epistola 97. capite 11. necnon Theodoretus dialogo secundo[1] : atque ex parte, Ephræmius Antiochenus patriarcha apud Photium[2]. Qui quidem Ephræmius in eodem excerpto Photii[3], egregie huic interpretationi suffragatur : dum hæreticos quosdam refutat Chalcedonensis vituperatores synodi, qui evangelica illa, *Et habitavit in nobis*, eo sensu capiebant, quem plerosque dixi malle Catholicos ; ut sit idem, quod a Propheta dictum est[4], *In terra visus est, et cum hominibus conversatus est* : quemadmodum et de Lotho scriptum est[5], *eum in una urbe ex finitimis habitasse* : item[6], *Habitavit in Sodomis*. Qua rejecta sententia, asserit, « (2) illa verba, proxime antecedentibus declarandis esse subjuncta, Verbum caro factum est ; ad eos redarguendos, qui conversionem quamdam, et mutationem objicerent. Etenim cum dixisset Evangelista, Verbum caro factum est, statim adjunxit, Et habitavit in nobis, ut et concursum in eamdem hypostasim, et immutabilitatem utriusque naturæ utraque sententia significaret. »

Sic Paulus Emisenus episcopus in homilia quadam Alexandriæ dicta coram Cyrillo, de nativitate Salvatoris. In qua verba illa, *Habitavit in nobis*, superiorum interpretationem ait esse. « (3) Quid est enim habitavit in nobis ? Hoc est in natura nostra. Vide ut Joannes naturas duas prædicet, et unum filium. Aliud est habitaculum, aliud quod habitat : aliud est templum, aliud qui inhabitat Deus. » Quem locum Facundus laudat libro septimo[7]. Insignis est in eamdem sententiam Theophylacti locus in commentariis ad Evangelium Joannis. « (4) Cum superius dixisset, *inquit*, Verbum carnem esse factum; ne quis forte putaret, unam duntaxat naturam deinceps esse Christum, idcirco mox illud subjicit, Et habitavit in nobis, ut naturas ostenderet, nostram videlicet, ac Verbi. Ut enim alterius naturæ est habitaculum, alterius is qui in illo habitat : ita Verbum, quod in nobis habitare dicitur, hoc est in natura nostra, diversæ ab nostra naturæ esse debet. »

Auctor opusculorum, quæ falso Athanasio tribuuntur, et Theodoreti esse creduntur : « (5) Qui dixit, Verbum caro factum est, *inquit*, addidit etiam istud, Et habitavit in nobis, ut duplicia statim significata nosceremus ; nempe Verbum, et carnem ; id quod habitat, et quod habitatur ; ac neque conversionem, neque mutationem, nec ejusmodi quippiam intelligamus in natura illa mutationis experte. Nam alioqui diceret, Habitaculum factum est ; non autem, habitavit in nobis, si natura ipsa Verbi in carnis esset mutata naturam. »

IX. Omnium disertissime idem illud Ambrosius asseverat in libro de Incarnatione : ubi contra Apollinaris hæresim disputans, quæ Verbum *ossa et carnem factum esse* dicebat, et ideo in terram esse conversum, sic illam ag-

(1) CYRIL. Νοεῖται γὰρ πάντως ὡς ἕτερον ἐν ἑτέρῳ τὸ κατοικοῦν, τοῦτ' ἔστιν ἡ θεία φύσις ἐν ἀνθρωπότητι, καὶ οὐ παθοῦσα φυρμὸν, ἢ ἀνάχυσίν τινα, καὶ μετάστασιν, τὴν εἰς ὅπερ οὐκ ἦν. Τὸ γὰρ ἐνοικεῖν ἑτέρῳ λεγόμενον, οὐκ αὐτὸ γέγονεν, ὅπερ ἐστὶ τοῦτο ἐν ᾧ κατοικεῖ· νοεῖται δὲ μᾶλλον ἕτερον ἐν ἑτέρῳ. Ἐν δέ γε τῇ φύσει τοῦ Λόγου, καὶ τῆς ἀνθρωπότητος, μόνην ἡμῖν σημαίνει διαφορὰν τῶν φύσεων τὸ διάφορον· εἷς γὰρ ἐξ ἀμφοῖν νοεῖται Χριστός·

(2) PHOT. pag. 421. Αὐτὸς τὸ ἐσκήνωσεν ἀναπτύσσει, σαφήνειαν εἶναι τοῦ, ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἔλεγχον τῶν τροπήν τινα, καὶ ἀλλοίωσιν τοῦ Λόγου μελλόντων κατηγορεῖν. Καὶ γὰρ εἰπῶν ὁ Εὐαγγελιστὴς, ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, εὐθῦς συνῆψε καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, τήν τε εἰς μίαν ὑπόστασιν σύνοδον καὶ τὸ ἀμετάβλητον δι' ἑκατέρας ἐκδιδάσκων φωνῆς.

(3) PAULUS tom. 2. Conc. pag. 592. E. Τί ἐστιν, ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο· ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν; τουτέστιν ἐν τῇ ἡμετέρᾳ φύσει. Ὅρα καὶ τὸν Ἰωάννην δύο φύσεις κηρύττοντα, καὶ ἕνα Υἱόν. Ἕτερον σκηνὴ, καὶ ἕτερον τὸ σκηνοῦν. Ἕτερον ναὸς, καὶ ἕτερον ὁ ἐνοικῶν Θεὸς.

(4) THEOPH. ad cap. 1. Joan. Ἐπειδὴ ἄνω εἶπεν, ὅτι ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, ἵνα μή τις ὑπολάβῃ, ὅτι μία φύσις λοιπὸν ἐγένετο ὁ Χριστὸς, διὰ τοῦτο ἐπάγει τὸ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, ἵνα δείξῃ τὰς δύο φύσεις, τήν τε ἡμετέραν, καὶ τὴν τοῦ Λόγου. Ὥσπερ γὰρ ἄλλης φύσεως ἐστὶν ἡ σκηνὴ, καὶ ἄλλης ὁ κατασκηνῶν ἐν αὐτῇ· οὕτω καὶ ὁ Λόγος σκηνῶσαι ἐν ἡμῖν λεγόμενος, τουτέστιν ἐν τῇ ἡμετέρᾳ φύσει, ἄλλης ἂν εἴη φύσεως παρὰ τὴν ἡμετέραν.

(5) ATHAN. tom. 2. pag. 249. B. Ὁ γὰρ εἰπὼν τὸ, ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, προσέθηκε καὶ τὸ, ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, ἵνα διπλᾶ νοήσωμεν εὐθέως τὰ σημαινόμενα, τὸν Λόγον, τὴν σάρκα, τὸ σκηνοῦν, τὸ σκηνούμενον, καὶ μήτε τροπὴν, μήτε ἀλλοίωσιν, μήτε τί τοιοῦτον ἐπὶ τῆς ἀτρέπτου οὐσίας ἐκλάβωμεν. Ἢ γὰρ ἂν εἶπε σκήνωμα ἐγένετο, οὐκ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, εἴπερ αὐτὴ τοῦ Λόγου φύσις εἰς σαρκὸς φύσιν μετέστη.

[1] Tom. 4. p. 111. — [2] Cod. 229. p. 431. — [3] Ibid. p. 421.

[4] Bar. 3. 38.— [5] Gen. 13. 12.— [6] Gen. 14. 12.— [7] P. 305.

greditur [1] : « Scriptum est, inquiunt, quia Verbum caro factum est. Scriptum est, non nego, sed considera quid sequatur. Sequitur enim, et habitavit in nobis, hoc est, illud Verbum, quod carnem suscepit, hoc habitavit in nobis, hoc est in carne habitavit humana : et ideo Emmanuel dictus est, hoc est nobiscum Deus. »

Gaudentius item Brixianus in Tractatu 13. non aliter sentit. « Nam licet, *inquit*, Verbum caro factum sit, ut Evangelista testatur, tamen quia permanet esse quod ante hominem fuerat, additur statim, Et habitavit in nobis. Quo dicto et habitator ostenditur, et habitaculum pariter demonstratur. Sic ergo cœpit esse, quod prius non erat, ut non desisteret esse quod erat. »

Vigilius quoque in libro quinto adversus Eutychen [2], « Quod autem, *ait*, Verbum in carne sua, id est in homine, quod ipse factus est, habitaverit, Joannem audi dicentem, Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, id est in nostræ naturæ carne. Nam posset dicere, habitavit nobiscum, si præsentiam ejus ad homines, et non habitationem in sua propria carne, quæ ex nobis est, voluisset ostendere. Sed quia homo factus, nostræ naturæ corpus incoluit, dictus est habitasse in nobis. »

Sed hæc Vigilii ratio non necessario colligit. Quippe *in nobis* idem est atque *inter nos*, sive *nobiscum*; ut homo inter homines habitasse dicatur. Atque hoc modo sumpsisse videtur Augustinus. Beda quoque, necnon Alchuvinus, qui Augustinum in omnibus sequuntur, et verbatim plerumque describunt. « Et verbum, inquit, caro factum est, et habitavit in nobis. Quod est dicere; et filius Dei homo factus est, et inter homines conversatus est. »

Sic Rupertus [3] : « Ergo Deus homo factus est, *ait*, et habitavit in nobis. In nobis, plane per omnia, utpote de suis invisibilibus ad nostra visibilia profectus. Primum in vera natura nostræ carnis, in cunctis naturæ legibus habitavit in nobis. Nam hoc solummodo excepto, quod puerpera non secundum morem universæ carnis ex virili semine conceptum hominem edidit, nec partu violata est, sed virgo ante partum, virgo permansit et post partum ; hoc sane excepto, toto ordine suo vera hominis natura cucurrit. »

X. Verum etsi *habitare in nobis* simplici ac directa significatione non idem sit atque naturam nostram suscipere ; ex consequenti tamen idipsum valet. Non enim habitatio qualiscumque designatur ; sed ejusmodi, qua homo verus, sive caro factum Verbum cum hominibus versatum est. Quemadmodum et vocabulum *Emmanuel*, quod Ambrosius commemoravit, per se, ac præcise non significat humanitatis assumptionem, sed Dei tantummodo Verbi commorationem inter nos ; nihilominus ex qualitate præsentiæ, sive conversationis cum hominibus, naturarum ambarum arctissima conjunctio comprehendi creditur. Quod quidem Cyrillus in commentario ad Esaiam indicare videtur, dum hæc enarrat, *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel* : « (1) Hoc est, *inquit*, confiteberis Deum in humana apparuisse forma. Cum enim apparuit nostri simile unigenitum Dei Verbum, tunc nobiscum fuit. Nam qui omnem creaturam excedebat, factus est similis nostri. » Prorsus igitur eadem ratio videtur esse dictionis illius *Emmanuel*, atque est locutionis istius, *Et habitavit in nobis*. Ambæ enim non ex sese hoc habent, ut Incarnationis mysterium, hoc est Dei cum homine substantivam unitionem significent : sed quatenus ad antecedentia referuntur, a quibus vim illam ex consequenti capiunt. Ut apud Isaiam præcedunt illa verba [4], *Ecce virgo concipiet, et pariet filium* : quibus vera generatio, ac proinde naturarum copulatio repræsentatur. Unde quod subjicitur concepti, ac geniti nomen, *Emmanuel*, eamdem exprimit substantivam unitatem. Sic apud Joannem ex illis itidem antecedentibus, *Et Verbum caro factum est*, quæ statim subjecta sunt, *Et habitavit in nobis*, in eamdem formantur notionem susceptæ carnis. Quod ad veterum sententiam de illo Joannis loco declarandam, et ab reprehensione liberandam in promptu esse debet.

XI. Est etiam aliud vocum istiusmodi commodum, quibus vel templum aut domicilium, vel habitatio designatur, quod ex illis discimus, non sola ἐνεργείᾳ, quam *inoperationem* latine quidam reddunt, hoc est efficientia, in Christo homine fuisse Deum; ut olim in prophetis, aliisque sanctis; sed præsentem substantia sua. Ita Julius papa in epistola ad Docimum : quod in Ephesina synodo testimonium citatum est.

(1) Cyrill. lib. 1. in Esa. pag. 122. D. Τουτέστιν, ὁμολογήσεις τὸν Θεὸν ἐν ἀνθρωπείᾳ μορφῇ πεφηνότα. Ὅτε γὰρ πέφηνε καθ' ἡμᾶς ὁ μονογενὴς τοῦ Θεοῦ Λόγος, τότε καὶ γέγονε μεθ' ἡμῶν· ὁ γὰρ ὑπὲρ πᾶσαν τὴν κτίσιν γέγονε καθ' ἡμᾶς.

[1] Amb. de Incar. c. 6. 293. F. — [2] Tom. 4. Bib. 518. E.

[3] Lib. 1. in Joan. to. 2. p. 214. col. 2. fine. — [4] Isa. 7. 14.

« (1) Prædicatur ad complementum fidei, et incarnatus ex virgine Maria Dei filius, non qui in homine sit operatus. Hoc enim in prophetis fit, et apostolis. » Maxime autem addito vocabulo *corporaliter*, quod Apostolus adhibuit ad Colossenses scribens [1]; hæc enim dictio vim habet ejusmodi, ut sit *substantia*, et non habitudine sola. « (2) Nam cum dixisset, habitat, ne putes (ait Œcumenius) nihil præter operationem accepisse : quemadmodum prophetas. Habitabat enim in ipsis Deus; ut illa verba demonstrant [2], *Inhabitabo in illis*, *et inambulabo inter eos* : ideo subjicit vocem, corporaliter, hoc est substantive, non habitudine tantum : ut in corpore habitat anima. » Idem habet Theophylactus, et hoc insuper; « (3) Id est, non est sola operatio, sed substantia : et tanquam corporatus, atque una hypostasis existens cum eo, quod assumpsit. » Itaque vox corporaliter proprietatem illius habitationis explicat, ac Pauli Samosateni, et Photini, et similium hæreticorum elidit errorem.

XII. Quin etiam non pœnitendum istud indidem docemur; cum dicimus, habitasse Deum Verbum in homine assumpto; quod Rusticus diaconus observat in disputatione contra Acephalos; quamvis ambæ naturæ pari, et eodem inter se nexu copulatæ sint, (sicut *eadem catena et militem et custodiam ligat*, ut ait Seneca,) tamen potiores in eo divinitatis esse partes. « Inhabitare etenim Deus dicitur, ait Rusticus [3], a nobis in carne, indivise, atque incessanter, non autem caro inhabitare Deum: et templum Dei dicitur caro, sed nequaquam templum carnis Deus. Si igitur oportet præsentare imaginem differentiam deitatis unitæ carni, carnisque deitati, dicimus ita. Contingit unius ejusdemque viæ contrarias esse rationes; eadem namque est ascensus atque descensus : ab hoc quidem principio ad illud, ascensus; ab hoc vero ad illud descensus : subjectum vero idem; locus namque itineris idem est, etsi multoties et millies id quilibet pertranseat. Sic igitur (ut verbi gratia, et manifestandi causa dicamus) differt a deitate ad humanitatem, non ipsa unitio, sed ratio unitionis ad eum, quæ est e diverso : licet hic, et illud discrepet, quia duarum naturarum unitionem non ambæ fecere naturæ, sed sola divinitas. Quid enim et cooperari ad unitionem valuit natura nostra, quæ in Christo est, quæ sumpsit ab ipsa unitione principium? Forsitan vero et propter hoc, non secundum substantias, sed secundum substantiam, duæ sunt conjunctæ substantiæ, quia non duarum, sed unius tantum miraculum ipsa unitio fuit. Non enim sicut in prophetis, vel aliquibus aliis, divina gratia manum porrigente, nobis tamen studentibus, et quodam modo cooperantibus unimur Deo; tali modo illic, sed longe ineffabiliterque diverso. »

XIII. Denique habet hoc vocum illarum proprietas, ut adversus Apollinaris, et Monophysitarum vecordiam præsentissimum sit remedium. Quanquam ναὸν etiam appellabat assumptam a Deo naturam Apollinaris, ut refert in tertio dialogo Theodoretus [4], et Cyrillus in libro de recta fide ad Theodosium imperatorem [5]. Verum ita ναὸν et κατοίκησιν admittebant, ut solam carnem concederent, anima detracta, ut ibidem Cyrillus narrat. Atqui non hanc duntaxat assumptam esse, sed una cum ea animam, probat idem Cyrillus erudite ex illis Christi verbis [6], *Solvite templum hoc*. Cujus testimonium plane dignum est, quod hic referatur ex Euthymii Panoplia. Nam ad hæreticos illos refellendos ingeniosissime est adhibitum. « (4) Solutio, *inquit*, templi, animæ est

(1) Eph. syn. par. 2. act. 1. pag. 268. Κηρύσσεται δὲ εἰς συμπλήρωσιν τῆς πίστεως, καὶ σαρκωθεὶς ἐκ παρθένου Μαρίας ὁ τοῦ Θεοῦ Υἱὸς, οὐκ ἐν ἀνθρώπῳ ἐνεργήσας. Τοῦτο γὰρ ἐπὶ Προφητῶν ἐστι, καὶ Ἀποστόλων.

(2) Œcum. in ep. ad Col. cap. 2. Ἐπειδὴ γὰρ εἶπε, κατοικεῖ, ἵνα μὴ νομίσῃς, ὅτι ἐνηργήθη, ὡς καὶ οἱ προφῆται· (ἐνῴκει γὰρ αὐτοῖς ὁ Θεὸς, κατὰ τὸ, ἐνοικήσω ἐν αὐτοῖς, καὶ ἐμπεριπατήσω)· προστίθησι τὸ σωματικῶς, τουτέστιν οὐσιωδῶς, οὐ σχετικῶς, ὡς ἐν σώματι ψυχή.

(3) Theoph. Τουτέστιν, οὐκ ἔστιν ἐνέργειά τις, ἀλλὰ οὐσία· καὶ ὡς σωματωθεὶς, καὶ μία ὑπόστασις ὢν μετὰ τοῦ προσλήμματος.

(4) Cyrill. apud Euth. tit. 13. pag. 532. lat. Λύσις δὲ τοῦ ναοῦ, ψυχῆς καὶ σώματος ἡ διάζευξις. Θάνατος γάρ ἐστι, ψυχῆς ἀπὸ σώματος ἀναχώρησις. Οὐκοῦν τοῦ ναοῦ τὴν λύσιν ὁ τῆς ψυχῆς ἐργάζεται χωρισμός. Εἰ τοίνυν οἱ Ἰουδαῖοι τὸν ναὸν ἔλυσαν, σταυρῷ, καὶ θανάτῳ παραδεδωκότες, λύσις δὲ ναοῦ, τῶν συνημμένων ὁ χωρισμός· ὁ δὲ Θεὸς Λόγος τοῦτον ἀνέστησε λυθέντα· σαφὲς, ὡς οἶμαι, τοῖς ἔμφροσιν, ὡς οὐκ ἄψυχον, οὐδὲ ἄνουν, ἀλλὰ τέλειον ἀνέλαβεν ἄνθρωπον ὁ Θεὸς Λόγος. Εἰ γὰρ ἀντὶ τῆς ἀθανάτου ψυχῆς ἐν τῷ ἀναληφθέντι σώματι γέγονεν ὁ Θεὸς Λόγος, εἶπεν ἂν τοῖς Ἰουδαίοις, λύσατέ με, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἀναστήσομαι. Νῦν δὲ διδάσκων καὶ τοῦ ναοῦ τὸ τηνικαῦτα θνητὸν, καὶ τὸ δυνατὸν τῆς ἐνοικούσης θεότητος, λύσατε, φησὶ, τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτὸν· οὐ γὰρ ἐγὼ, φησὶν, ὑφ' ὑμῶν λυθήσομαι· ἀλλ' ὁ ληφθεὶς ὑπ' ἐμοῦ ναός.

[1] Col. 2. 9. — [2] 2. Cor. 6. 16. — [3] Rustic. tom. 4. Bib. col. 824. D. — [4] Theod. tom. 4. p. 170. [5] Cyr. in Ephesin. Concil. tom. 2. Concil. p. 23. F. et 32. A. — [6] Joan. 2. 19.

et corporis disjunctio. Mors enim est animæ recessus a corpore. Igitur solutionem templi efficit animæ separatio. Quocirca si Judæi templum solverunt, cum cruci et morti tradiderunt : porro templi solutio, conjunctorum est distractio : Deus autem Verbum solutum illud excitavit : perspicuum est iis, qui aliquid sapiunt, non anima, vel mente carentem, sed perfectum hominem assumpsisse Deum Verbum. Nam si loco immortalis animæ in assumpto corpore Deus esset ille Verbum, dixisset utique Judæis, Solvite me, et in tribus diebus resurgam. Nunc autem ut et mortalem tunc templi statum, et inhabitantis deitatis potentiam monstraret, Solvite, dixit, templum hoc ; et in tribus diebus excitabo illud. Quippe non ego ipse solvar a vobis, inquit, sed assumptum a me templum. »

XIV. Claudamus hoc caput, atque hanc totam de templo disputationem insigni loco Facundi Hermianensis [1] ; qui illam templi, habitationisque proprietatem commendans, ita disserit : « Cui enim potest Catholico displicere differentia naturalis inter templum, et inhabitantem in eo : cum Dei Ecclesia sic confiteatur Verbum carnem factum, ut non deneget quod ibi subjectum est, quia et habitavit in nobis. Nam Verbum quidem caro factum est, quia sempiternus Filius, qui Verbum est Patris, ipse in plenitudine temporum factus est homo : habitavit autem in nobis, quia nullam conversionem sustinuit inconvertibilis ejus divinitas ; sed manens quod erat, naturam inhabitavit assumptam. Et ideo, Verbum caro factum est, Nestorianos expugnat : Eutychianos autem, vel Apollinaristas eorum progenitores, Et habitavit in nobis ; quia Verbum caro factum est, unam significat esse personam : habitavit autem in nobis, duas mansisse naturas. Non enim possunt duæ esse personæ, quando is, qui Verbum est, ipse etiam factus est caro : aut duæ non esse naturæ, quando aliud sit, quod inhabitat, et aliud, quod inhabitatur. »

CAPUT DUODECIMUM.

De vocibus aliis humanæ in Christo naturæ tributis antiquo apud veteres theologos usu. — 1. Horum primum est nomen *θεοφόρος*, id est deifer : quo multum usus est Nestorius. — 2. Propterea damnatus a Cyrillo. Apollinaris hominem deiferum dici noluit. — 3. Deiferam carnem, quod idem est atque hominem, Basilius sæpius usurpavit ; — 4. tum alii : et quo sensu dici possit. — 5. De homine Dominico, utrum dici possit. Enumerantur Patres aliquot, qui ita locuti. — 6. Tum alii, qui non probarunt, Apollinaristas eam locutionem adhibuisse. — 7. Insignis Rufini locus de hac re. — 8. Augustinus illam reprehendit, et alii post eum. Qua de causa illi displicuerit ; quæ et expenditur. — 9. Non magis reprehendendum videri, dici hominem Dominicum in Christo, quam simpliciter hominem : ac defenduntur, qui ambo hæc usurparunt. Oportet tamen in istis consuetudini servire.

I. Occurrunt apud antiquos theologos alia præterea vocabula, quæ in ancipiti usu versata sunt, hoc est quibusdam probata, ab aliis damnata, et repudiata fuerunt : et sunt ejusdem modi ac priora capitibus antecedentibus explicata duobus *templi*, *habitationis*, et similium. Quare cum paucis absolvenda sint, uno omnia capite comprehendemus.

Prima vox igitur ex illis in censum veniet θεοφόρος, hoc est *deifer*. Qua multum delcctati sunt Nestoriani, et eorum princeps Nestorius : quem ea de causa castigat Cyrillus. Hic enim impurum impiumque dictum illius notat asserentis, « (1) Christum non revera Deum esse, sed hominem deiferum. » Quod et in secundo libro repetit [2]. Et in epistola decretoria, quam cum anathematismis ad eumdem Nestorium scripsit, quæ in Ephesina synodo probata est, et in ejus acta relata, hæretici illius in ea proferenda voce mentem aperit. « (2) Sed nec il-

(1) NESTOR. apud Cyr. lib. 1. con. ipsum, tom. 6. pag. 10. B. Προσεπάγει δὲ τούτοις, ὅτι μὴ Θεὸς ἀληθῶς, θεοφόρος δὲ μᾶλλον ἄνθρωπος ὁ Χριστός.

(2) CYRIL. epist. ad Nestor. tom. 2. Conc. p. 209. C. Ἀλλ' οὐδ' ἐκεῖνό φαμεν, ὅτι κατῴκησεν ὁ ἐκ Θεοῦ Λόγος, ὡς ἐν ἀνθρώπῳ κοινῷ, τῷ ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου γεγεννημένῳ, ἵνα μὴ θεοφόρος ἄνθρωπος νοοῖτο Χριστός.

[1] Fac. l. 6. cap 4. p. 246.

[2] P. 30. C.

lud, *inquit*, dicimus, habitasse Verbum, quod a Deo processit, in eo, qui a S. Virgine genitus est, tanquam in vulgari homine : ne deifer homo intelligatur esse Christus. » Sic in libro undecimo commentarii in Joannem : « (1) Sic, *inquit*, is, qui natura Deus est, nominatus est, et fuit revera cœlestis homo, non deifer, ut nonnulli putant, qui non satis accurate mysterii illius altitudinem capiunt. »

Joannes Damascenus libro tertio de Fide orthodoxa, capite 12. eumdem exagitat hæreticum. « (2) Nestorius, *inquit*, Deo invisus, eum, quem Virgo peperit, deiferum appellare superbe est ausus. Nos autem absit ut deiferum ipsum dicamus, aut cogitemus : quin potius incarnatum Deum. »

II. Huc spectat Cyrilli quintus anathematismus, qui Nestorianam illam impietatem jugulat. « (3) Si quis audet, inquit, dicere, Christum, hominem Deum portantem, et non Deum potius revera esse dixerit, et filium unicum, eumque natura, etc. » Quem declarans ipse, *deiferum* eo sensu vocari nolle significat, quo Nestorius appellabat : nempe qui veram cum carne Verbi conjunctionem, et καθ' ὑπόστασιν negabat; solamque retinebat habitationem in templo. At vero Theodoretus vehementius in Cyrillum invehitur, et eum reprehendit, quod vocem illam proscribat ab antiquis usurpatam, præsertim a Basilio magno, de quo postea. Sed non absolute Cyrillus illam rejicit : verum eatenus, si et alterum una non teneatur, quod adjecit statim : nimirum ut quem deiferum vocas, Deum pariter esse fateare et natura Dei filium.

Idipsum in libro Scholiorum late Cyrillus idem explicat [1], maxime in capite 24. ostenditque hominem θεοφόρον, ex mente Nestorii, non esse proprie Deum : sed merum hominem, ac templum Dei. Sic in homilia Paschali 17. eumdem errorem castigat.

Apollinaris vero in contrarium obnitens, Christum appellari prohibebat, *hominem deiferum* : sed potius *Deum carniferum* dici jubebat, « (4) Adorare » dicens « oportere non hominem deiferum, sed Deum carniferum, quo quid alienius a ratione fieri potest? tametsi hujusmodi vocabulo multum sibi placeant novi præcones veritatis. Habet enim gratiam nescio quam sophisticam volubilitate ipsa conversionis; et præstigiis quibusdam, qualibus calcularii circulatores utuntur, imperitos delectant. Hoc ipsum tamen extreme ridiculum, et stolidum est. Quippe si quis, mutato hoc vocabulo, homo, et hoc item, caro, in Deum (quorum alterum nobis, alterum illis placet) eadem utatur postea mirifica et Deo cognita conversione, quid tandem colligetur? Nimirum adorari oportere non carnem deiferam, sed Deum hominiferum. O ingentem absurditatem ! » Neque vero illud obscurum est, cur Apollinaris *hominem deiferum* improbaret; utpote qui hominem negaret esse Christum, ac nihil præter carnem assumptum putaret.

III. Quamobrem utraque submota hæresi, non est pœnitendus vocis illius usus : quam adhibuisse summos viros, apprimeque sanctos, et Catholicos scimus, imprimis autem Basilium. Verba Theodoreti, quibus Cyrillum incusat, quod θεοφόρον ἄνθρωπον dicentes anathemate feriendos existimaverit, sunt ejusmodi : « (5) Ac deiferi hominis vocabulum, tanquam a pluribus sanctorum Patrum usurpatum, non repudiamus. Inter quos numerandus est magnus Basilius in libro de Spiritu S. ad Amphilochium. Sed et eadem voce usus est in expositione Psalmi quinquagesimi noni. » Utrumque locum exscripsit idem Theodoretus in

(1) Idem lib. 11. in Joan. pag. 998. B. Οὕτω τε ὁ φύσει Θεὸς κεχρημάτικέ τε, καὶ γέγονεν ἀληθῶς οὐράνιος ἄνθρωπος, οὐ θεοφόρος, κατά τινας τῶν ἀκριβῶς οὐ συνέντων τοῦ μυστηρίου τὸ βάθος.

(2) DAMASC. pag. 212. Ὡς καὶ Νεστόριος ὁ θεήλατος τὸν ἐκ παρθένου τεχθέντα θεοφόρον εἰπεῖν ἐφρυάξατο. Ἡμᾶς δὲ μὴ γένοιτο θεοφόρον αὐτὸν εἰπεῖν, ἢ νοῆσαι, ἀλλὰ Θεὸν σεσαρκωμένον.

(3) CYRILL. Εἴ τις τολμᾷ λέγειν θεοφόρον ἄνθρωπον τὸν Χριστὸν, καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον Θεὸν εἶναι κατὰ ἀλήθειαν, καὶ Υἱὸν ἕνα, καὶ φύσει, etc.

(4) NAZ. ep. ad Cled. quæ est orat. 52. pag. 748. Τὸ δεῖν προσκυνεῖν μὴ ἄνθρωπον θεοφόρον, ἀλλὰ Θεὸν σάρκοφόρον· οὗ τί γένοιτο ἂν ἀλογώτερον, κἂν τῷ ῥήματι μέγα τοῦτο φρονῶσιν οἱ νέοι τῆς ἀληθείας κήρυκες; χάριν μὲν γὰρ ἔχει τινὰ σοφιστικὴν τῷ τάχει τῆς ἀντιστροφῆς, καὶ ψηφολογικὴν τερατείαν τοὺς ἀπαιδεύτους τέρπουσαν. Ἔστι δὲ τῶν γελοίων γελοιότερον, καὶ τῶν ἀσυνετῶν ἀσυνετώτερον. Εἰ γάρ τις μεταβαλὼν τὴν ἄνθρωπος φωνὴν καὶ τὴν σὰρξ εἰς Θεὸν, (ὧν τὸ μὲν ἡμῖν ἀρέσκει, τὸ δὲ αὐτοῖς), ἔπειτα ἀντιστρόφῃ χρήσαιτο τῇ θαυμασίᾳ ταύτῃ, καὶ θεογνώστῳ, τί συναχθήσεται; τὸ δεῖν προσκυνεῖν μὴ σάρκα θεοφόρον, ἀλλὰ Θεὸν ἀνθρωποφόρον. Ὢ τῆς ἀτοπίας.

(5) THEODORET. apud Cyrill. tom. 6. pag. 220. in defens. anath. 5. Καὶ τὸν θεοφόρον δὲ ἄνθρωπον, ὡς πολλοῖς τῶν ἁγίων πατέρων εἰρημένον, οὐ παραιτούμεθα. Ὧν εἷς ὁ μέγας Βασίλειος ἐν τῷ πρὸς Ἀμφιλόχιον περὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος λόγῳ τούτῳ χρησάμενος τῷ ὀνόματι· καὶ ἐν τῇ πεντηκοστοῦ ἐννάτου ψαλμοῦ ἑρμηνείᾳ.

[1] Cyrill. tom. 5. Par. 1. p. 793.

dial. 1. Prior extat in fine capitis quinti de Spiritu sancto, ubi « (1) ex humana massa deiferam carnem compactam esse » scribit. Qui autem ex enarratione Psalmi 59. citatur, sub finem, sic habet, dum illa Psalmi verba declarat, *In Idumæam extendam calceamentum meum* : « (2) Calceamentum, *inquit*, deitatis est deifera caro, per quam in homines venit. »

Nos alios præterea locos ejusdem observavimus, qui non minus ad institutum nostrum pertinent. In homilia 25. quæ est de Nativitate, « (3) Virtutem, *ait*, Altissimi deiferam condidisse carnem. » Et ad Psalmum 45. hæc verba, *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*, sic enarrat : « (4) Forte de carne loquitur deifera, quæ sanctificata est per conjunctionem cum Deo. Itaque tabernaculum intellige Dei per carnem apparentem præsentiam. » Item in epistola 65. « (5) Quid opus erat, *inquit*, sancta Virgine, si non ex Adami massa deifera caro esset assumenda ? »

Hanc ipsam *deiferæ carnis* appellationem expressit Eustathius Antiochenus a Gelasio papa citatus [1].

IV. Maximus vero martyr in scholiis ad caput septimum libri de Cœlesti hierarchia : ubi Dionysius τὸ θεοφόρον nominat, id est *deiferam vim* Thronorum, ex vocabuli istius occasione disputat, qua ratione Basilius deiferam carnem Salvatoris nominet. « (6) Atqui caro, *inquit*, ipsius Domini secundum substantiam, et hypostasim unita est Deo Verbo. Ideo carnem gestare a Patribus ipse dicitur, et carnem induisse. Quid igitur est absurdi, si et illius caro deifera nominetur, tanquam Deum Verbum portans indissolubili unitione : adeo ut ipsius caro dicatur, et sit proprie, et ex rei veritate ? »

Hoc itaque modo, ac sensu *deifera caro*, sive *deifer homo* dictus est ab antiquis appellarique potest sine ullo pietatis catholicæ detrimento : si non quasi alienum aliquod onus et extraneum, sed suum ac proprium, hoc est intime, et substantive conjunctum, et eumdem secum factum, Deum portare caro intelligatur. Deinde sic, « (7) ut non particularem quamdam divinam gratiam suscepisse credatur ; sed ut totam sibi unitam habeat Filii deitatem : » ut scribit Theodoretus. Alioqui θεοφόροι dicuntur etiam sancti, qui non plenitudinem ipsam divinitatis in se manentem, ac sibi copulatam continent, sed particula quadam illius, id est gratia, et communione sanctitatis aspersi sunt ; quod etiam Maximus ad Dionysium observat. Et insigniter martyr Ignatius τοῦ θεοφόρου sibi cognomen ascivit epistolarum suarum initio. Nam et Apostolus [2] *Deum nos* jubet *portare in corpore nostro.*

Postremo Gregorius Nyssenus eodem jure, parique notione carnem Domini θεοδόχον σάρκα, id est *Dei exceptricem*, vocavit in libro Catechetico : quem locum attulit Theodoretus in dialogo tertio [3].

V. Transeat nunc ad aliam locutionem disputatio nostra, et hanc maxime, quæ non minori contentione est excepta, qua homo assumptus *Dominicus homo* nuncupatur. Id utrum liceat merito dubitatur. Nam utrinque auctores habentur.

Imprimis appellatione usus est ista magnus Athanasius in Expositione fidei, et quidem iterato sic eum nominavit. Nam et « (8) præcursorem in cœlum introiisse » dicit « hominem Dominicum : » alludens ad illud Apostoli [4], *Ubi præcursor pro nobis introiit Jesus.* Et sub finem illud Salomonis [5], *principium viarum suarum*, interpretatur [6], *Dominicum hominem.* Ibidem quoque [7] κυριακὸν σῶμα dixit, id est, *Dominicum corpus.*

(1) BASIL. tom. 2. pag. 152. B. Ὅτι ἐκ τοῦ ἀνθρωπείου φυράματος ἡ θεοφόρος σὰρξ συνεπάγη.

(2) BASIL. in Psalm. 59. tom. 1. pag. 296. Ὑπόδημα δὲ τῆς θεότητος ἡ θεοφόρος σὰρξ, δι' ἧς ἐπέβη τοῖς ἀνθρώποις.

(3) Idem tom. 1. pag. 588. B. Ἔδει τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ τὴν δύναμιν τοῦ ὑψίστου τὴν θεοφόρον ἐκείνην συστήσασθαι σάρκα.

(4) Idem in Psalm. 45. pag. 270. A. Τάχα τὴν σάρκα λέγει τὴν θεοφόρον, ἁγιασθεῖσαν διὰ τῆς πρὸς τὸν Θεὸν συναφείας. Ὥστε νοήσεις σκήνωμα τοῦ ὑψίστου τὴν διὰ σαρκὸς ἐπιφάνειαν τοῦ Θεοῦ.

(5) Idem epist. 65. tom. 1. pag. 852. C. Τίς δὲ χρεία ἧς ἁγίας παρθένου, εἰ μὴ ἐκ τοῦ φυράματος τοῦ Ἀδὰμ ἔμελλεν ἡ θεοφόρος σὰρξ προσλαμβάνεσθαι ;

(6) MAXIM. ad cap. 7. de cœl. Hier. Ἀλλ' ἡ μὲν σὰρξ αὐτοῦ τοῦ Κυρίου κατ' οὐσίαν, καὶ καθ' ὑπόστασιν ἥνωται αὐτῷ τῷ Θεῷ Λόγῳ· διὸ καὶ σαρκοφορεῖν αὐτὸς λέγεται παρὰ τῶν πατέρων, καὶ σάρκα ἐνδύσασθαι. Τί ἄτοπον οὖν, εἰ γὰρ ἡ σὰρξ αὐτοῦ λέγεται θεοφόρος, ὡς φέρουσα τὸν Θεὸν Λόγον καθ' ἕνωσιν ἀδιάστατον, αὐτοῦ σὰρξ καὶ λεγομένη, καὶ ὑπάρχουσα κυρίως, καὶ κατ' ἀλήθειαν ;

(7) THEODORET. in Confut. anath. 5. Καλοῦμεν δὲ θεοφόρον ἄνθρωπον, οὐχ ὡς μερικήν τινα θείαν χάριν δεξάμενον· ἀλλ' ὡς πᾶσαν ἡνωμένην ἔχοντα τοῦ Υἱοῦ τὴν θεότητα.

(8) ATHAN. tom. 1. pag. 394. D. Ὅπου πρόδρομος εἰσῆλθεν ὑπὲρ ἡμῶν ὁ κυριακὸς ἄνθρωπος.

[1] Tom. 4. Bibl. p. 424. C. — [2] 1. Cor. 6. 20. — [3] Theodoret. to. 4. p. 164. C.

[4] Heb. 6. 20. — [5] Prov. 8. — [6] Atha. p. 396. A. — [7] Ibid. p. 395. E.

Rursus in disputatione contra Arium, quæ perperam Athanasio inscribitur [1], eadem reperitur appellatio.

Facundus certe in libro 11. capite secundo Athanasium laudat nomenclaturæ illius auctorem, et priorem describit locum *ex fidei Expositione;* quam ipse vocat *expositionem Symboli.* Præter hanc vero, aliam scripsit Athanasius expositionem fidei majorem, ex qua Theodoretus aliquot testimonia citavit in Dialogo tertio; et inter hæc unum, in quo *Dominicus homo* nuncupatur. « (1) Dominicus, *inquit*, homo, nec ex morbo, nec invitus mortem obiit. »

Epiphanius item in Ancorato non dubitavit eo appellare vocabulo humanam Christi substantiam. « (2) Sic, *inquit,* in carne passus est Christus, in ipso, inquam, homine Dominico, quem ipsemet effinxit e cœlo veniens factus Deus et Verbum. »

Ita etiam nuncupavit Marcus eremita, in libro *Præceptorum salutarium.* « (3) Ecce, *inquit,* in quantam gloriam, et celsitudinem prædictorum causæ, ex justo Dei judicio, Dominicum hominem provexerunt. »

(4) Et Anastasius Sinaita in Ὁδηγῷ, eamdem appellationem usurpavit.

Usus est eadem nomenclatura etiam Augustinus libro Octoginta trium quæstionum, quæstione 36. [2] « Hic præstantissimum illud, et unicum, *ait*, exemplum Dominici hominis proponendum est, etc. »

Et in quæstione 57. [3] « Ducuntur itaque viginti unum septies, propter eos, qui per Dominicum hominem liberantur. »

Item in libro secundo de sermone Dei in monte [4] : « Nulli autem licebit, *inquit*, ignorare regnum Dei : cum ejus unigenitus non solum intelligibiliter, sed etiam visibiliter in homine Dominico de cœlo venerit judicaturus vivos et mortuos. » Cassianus quoque in libro sexto de Incarnatione, capite 22. « Quomodo ergo, *ait*, cum ipsa confessione nostra, ante Virginis partum, atque conceptum, Dominicus homo omnino non fuerit, Christus tamen, qui a te homo solitarius dicitur, Deus in scriptis sanctis sine exordio nominatur ? »

VI. Hactenus antiqui, quorum meminisse potui, qui Dominicum hominem in Christo vocarunt. Nunc aliquot recensebimus, quibus ea locutio displicuit. Ex his primus occurrit Gregorius Nazianzenus : qui Apollinaristas ita loquentes suggillavit in epistola prima ad Cledonium. « (5) Ne homines, *inquit*, isti decipiant, neque porro decipiantur, asserentes mentis expertem hominem Dominicum, ut ipsi vocant; vel potius Dominum ac Deum nostrum. Non enim hominem a deitate disjungimus; sed unum et eumdem profitemur, qui antea non erat homo, sed Deus, et filius unigenitus, seculis omnibus anterior, a corporis rerumque corporearum commixtione secretus; in fine vero etiam homo, propter nostram salutem assumptus. »

Hinc apparet Apollinaristas hominem Dominicum proprio quodam jure nuncupasse, *tanquam alius, atque alius esset*, nempe Dominus, *et conspicuus ille homo*, ait Elias Cretensis ad illum locum, qui mox adnotare pergit, « Apollinarium Dominum asseruisse cum carnali natura descendisse. » Quinam igitur hominem ille Dominicum carnem solam interpretari potuit ? An cum hæresim suam interpolarit sæpius, ac modo animam rationalem penitus assumptæ naturæ detraxerit, modo inferiori relicta parte, sola eam mente, hoc est potiore parte mulctaverit; *hominem* appellavit *Dominicum* corpus Christi, citra mentem, reliqua parte animæ vegetatum, tanquam hac nota insignem, et singularem, ac Dominicum ideo dictum ? At Gregorius perinde hoc dictum illius accepit, tanquam Samosateni, quam ascivit postea Nestorius, insaniam amplecteretur. Certe hac potissimum de causa, ut paulo post

(1) ATHAN. apud Theodoretum tom. 4. pag. 161. Ὁ δὲ κυριακὸς ἄνθρωπος οὐκ ἀσθενήσας, οὐδὲ ἄκων ἀπέθανεν.

(2) EPIPH. Ancor. § 95. Οὕτως ἐν τῇ σαρκὶ πέπονθεν ὁ Χριστὸς, ἐν αὐτῷ, φημὶ, τῷ κυριακῷ ἀνθρώπῳ· ὃν αὐτὸς ἀνεπλάσατο ἐλθὼν ἀπ' οὐρανῶν ὁ ἅγιος Θεὸς Λόγος.

(3) MARC. tom. 11. bibl. pag. 950. Ἰδοὺ αἱ τῶν προῤῥηθέντων αἰτίαι, κατὰ τὸ δίκαιον τοῦ Θεοῦ κρίμα, εἰς οἵαν δόξαν, καὶ ὕψος τὸν κυριακὸν ἀνήγαγον ἄνθρωπον.

(4) ANAST. in Ὁδηγῷ cap. 13. pag. 218. Δύναται γὰρ, ὡς ἤδη προείρηται, εὐσεβεῖ λόγῳ λέγεσθαι Θεὸς, διὰ τὴν ἄκραν ἕνωσιν, καὶ ὁ κυριακὸς ἄνθρωπος.

(5) NAZIANZ. orat. 51. pag. 738. C. Μὴ ἀπατάτωσαν οἱ ἄνθρωποι, μηδὲ ἀπατάσθωσαν ἄνθρωπον ἄνουν δεχόμενοι τὸν κυριακὸν, ὡς αὐτοὶ λέγουσι, μᾶλλον δὲ τὸν Κύριον ἡμῶν καὶ Θεόν. Οὐδὲ γὰρ τὸν ἄνθρωπον χωρίζομεν τῆς θεότητος· ἀλλ' ἕνα, καὶ τὸν αὐτὸν δογματίζομεν, πρότερον μὲν οὐκ ἄνθρωπον, ἀλλὰ Θεὸν, καὶ Υἱὸν μονογενῆ προαιώνιον, ἀμιγῆ σώματος, καὶ τῶν ὅσα σώματος· ἐπὶ τέλει δὲ καὶ ἄνθρωπον, προσληφθέντα ὑπὲρ τῆς σωτηρίας τῆς ἡμετέρας.

[1] Tom. 1. p. 92. A. — [2] Tom. 4. p. 236. B. 1. — [3] Ibid. p. 241. B. 2.

[4] Tom. 4. lib. 2. de Serm. Dom. c. 6. p. 348. D.

observabimus, illam *Dominici hominis* appellationem defugerunt, qui ea sunt offensi.

VII. Memorabilis est de hac locutionis formula, et Apollinaristarum de ea sensu locus apud Rufinum in appendice Apologiæ pro Origene, quam nomine Pamphili martyris edidit : qua in appendice multorum exemplo veterum Patrum Origenis scripta fraude hæreticorum adulterata esse probat. Hunc locum, etsi paulo est longior, utile erit hic legi. Nam nonnulla continet quæstione, observationeque non indigna. « Damasus, *inquit* [1], episcopus, cum de recipiendis Apollinarianis deliberatio haberetur, editionem ecclesiasticæ fidei, cui iidem editioni, si Ecclesiæ jungi velint, subscribere deberent, conscribendam mandavit cuidam amico suo presbytero, viro disertissimo, qui hoc illi ex more negotium procurabat. Necessarium visum est dictanti in ipsa editione de incarnatione Domini, hominem Dominicum dici. Offensi sunt in hoc sermone Apollinaristæ, novitatem sermonis incusare cœperunt : adesse sibi cœpit, qui dictaverat, et ex auctoritate vera scriptorum catholicorum virorum confutare eos, qui impugnabant. Accidit, ut et uni ex ipsis, qui novitatem sermonis causabantur, ostenderet in libello Athanasii episcopi scriptum esse sermonem, de quo quæstio habebatur : quasi suasus jam ille, cui probatum fuerat, rogavit dari sibi codicem, quo et aliis ignorantibus, et contradicentibus satisfaceret. Accepto codice, inauditum excogitavit adulterationis genus. Locum ipsum, in quo sermo iste scriptus erat, rasit, et ipsum sermonem rursum rescripsit, quem raserat. Codex redditus simpliciter receptus est. Movetur iterum pro eodem sermone quæstio ; ad probationem codex profertur : invenitur sermo, de quo erat quæstio, ex litura in codice positus : fides proferenti talem codicem derogatur, eo quod litura illa corruptionis, et falsitatis videretur indicium. Sed quoniam (ut iterum eadem dicam) viventi hæc facta sunt a vivente, continuo egit omnia, ut fraus commissi sceleris nudaretur, ac nequitiæ macula non innocenti viro, qui nihil tale gesserat, adhæreret; sed in auctorem facti, atque in uberiorem ejus infamiam redundaret. »

VIII. Hieronymus in libro secundo Apologiæ contra Rufinum [2], narrationem istam deridendo elevat. De quonam vero Athanasii libro in ea sermo sit, neuter significat. Apparet tamen ab Athanasio non semel usurpatam fuisse vocem istam *hominis Dominici*. Non enim solum in illa *expositione fidei*, quæ extat hodie, bis terve repetitur, sed etiam in alia majore : uti Theodoretus testatur [3]; quam cum majorem vocat, respectum utique habuit ad minorem alteram. Quænam autem hæc est, nisi ex qua Facundus testimonium excerpsit, ut ab Athanasio nominatum probaret *hominem Dominicum*, quæque hodie superest ?

Insulse itaque anonymus Cyrilli διάβολος [4] expositionem istam negat esse Athanasii, eo quod *Dominicum hominem* appellavit. Quasi non ex aliis fide dignissimis, quos supra laudavimus, constet Athanasium sic interdum locutum fuisse. Alio Bellarminus [5] argumento suspectam facit expositionem eamdem, quod in ea scriptum sit, *tres personas divinas non esse tres* ὑποστάσεις, id est *subsistentias seorsim distinctas :* quod valde miror. Nam ejusmodi est illa ratio, ut contrarium potius suadere debeat. Si enim tres hypostases dixisset, eo ipso dubitandum esset, an Athanasii germana foret: quem alibi demonstravimus hypostasim pro οὐσίᾳ sumpsisse. Deinde ut ὑποστάσεις demus illic significare *personas ;* nihilominus recte ibi scriptum est, non esse tres hypostases, eo scilicet modo, quem statim subjunxit. Sic enim loquitur : « (1) Neque tres hypostases divisas, ac seorsim consistentes ; ut corporum more fieri in hominibus intelligimus : ne, uti gentiles solent, deorum multitudinem esse sentiamus. » Quid est in istis verbis non catholice, vereque dictum, tametsi hypostases pro personis accipias ? Etenim personæ tres divinæ, licet reipsa distinctæ sint ; non tamen divisæ [6], hoc est a se invicem separatæ sunt, seorsimve consistunt, sed in seipsis existunt mutua περιχωρήσει. Siquidem non ejusmodi est illa personarum differentia, qualem Tritheitæ falso suspicati sunt ; ut totæ a se mutuo disjunctæ sint, tam naturis singulis, quam personarum proprietatibus, quod unum Athanasii ille locus excepit. Ita enim revera in πολυθείαν gentilium Christianum dogma prolaberetur. Rursus quod alterum affertur argumentum ; non videri Athanasium expositiones fidei duas elucubrasse : id ex Theodoreti testimonio refellitur, quod supra descripsimus.

Sed quod in illo Rufini loco, et tota ista narratione observandum, atque adeo mirandum esse dixi, illud est, quod Apollinaristas ait

(1) ATHAN. tom. 1. pag. 395. Οὔτε τρεῖς ὑποστάσεις μεμερισμένας καθ' ἑαυτὰς ὥσπερ σωματοφυῶς ἐπ' ἀνθρώπων ἐστὶ λογίσασθαι· ἵνα μὴ πολυθείαν ὡς τὰ ἔθνη φρονήσωμεν.

[1] Orig. to. 1. p. 495. C. — [2] To. 2. col. 758. — [3] Sup. § 5. — [4] Pag. 217. — [5] In lib. de Scriptor. Eccles. — [6] Vide sup. c. 9.

audito hujusmodi vocabulo, *homo Dominicus*, novitate sermonis obstupefactos esse, et huic lituram induxisse, cum ab Hieronymo, qui ex Athanasio locum protulerat, codicem accepissent. (Nam Hieronymum illic ab Rufino designari nemo non videt.) Atqui paulo ante Gregorium Nazianzenum audiebamus Apollinaristis usum novæ illius vocis exprobrantem. Scribebat autem Gregorius eodem tempore, quo sub Damaso res illa contigit.

IX. Præcipuum ad illam repudiandam dictionem momentum habere Augustini auctoritas videtur, qui in libro primo Retractationum, capite 19. semetipsum castigat, quod in eo loco, quem supra memoravimus [1] ex secundo libro de sermone Dei in monte, ita esset locutus : « Sed non video, *ait*, utrum recte dicatur homo Dominicus, qui est mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, cum sit utique Dominus. Dominicus autem homo quis in ejus sancta familia non potest dici ? Et hoc quidem ut dicerem, apud quosdam legi tractatores catholicos divinorum eloquiorum. Sed ubicumque hoc dixi, dixisse me nollem. Postea quippe vidi non esse dicendum, quamvis nonnulla possit ratione defendi. » Ita Augustinus, qui tamen ibi, ubi librum suum de Octoginta tribus quæstionibus recensuit, in quo bis ea voce usus erat, nullam de ea mentionem attigit.

Augustini, uti dictum est, auctoritate permoti Magister sententiarum [2], et post eum S. Thomas [3], locutionem istam funditus rejecerunt. Nec dubium est, quin eo sensu intellecta, cujus gratia sanctus idem doctor, et alii theologi eum secuti segregandam judicarunt, merito abdicata fuerit. Verum non est verisimile ; imo falsissimum est, tot sanctos, et eruditos Patres, qui illam adhibuerunt, talem ei significationem subjecisse, ob quam alii proscribendam censuerunt. Augustinus unicam illius damnandæ locutionis affert rationem, quod Jesus Christus non sit *homo Dominicus, sed Dominus*. Si de Jesu Christo loquitur, qua totus, et integer spectatur, recte ait non eum esse *Dominicum hominem*, sed *hominem Dominum*. Continet enim appellatio Christi τὸ συναμφότερον, ut græci Patres dicunt, hoc est utramque naturam, sive Deum, et hominem. Sin est, ut humana sola natura hominis vocabulo notetur, idemque, quod assumptus a Domino, id est a Verbo fuerit, *Dominicus* appelletur ; non video, cur nominis hujus pœnitere debeat. Quid enim ? Non sæpissime tam ab Augustino [4], quam ab aliis latinis, græcisque theologis humanitas Christi, homo dicitur ; et pro simplicibus, vel abstractis, complexa nomina in usum adhibentur ?

Leo certe pontifex *deitatis hominem* nuncupavit [5] ; « Quum igitur misericors, *inquit*, omnipotensque Salvator ita susceptionis humanæ moderaretur exordia, ut virtutem inseparabilis a suo homine deitatis, per velamen nostræ infirmitatis absconderet, etc. » Sic *hominem Salvatoris* dixit Petrus Alexandrinus Athanasii successor, Facundo teste [6]. At Cyrillus libro sexto in Joannem valde suggillat hanc locutionem, *homo Christi*, eamque vocat *imperitam, et impiam :* « (1) Quoniam cum Deus esset, homo factus est, et indivisibilis in eo ipso, quod Deus erat, et Filius etiam cum carne. »

X. Atqui non plus inest periculi, si *hominem Christi*, vel *Salvatoris* dixeris, quam si *humanitatem Christi*, quoniam quidem obtinuit usus, ut *homo* pro *humanitate* passim usurpetur, de quo postea. Sed neque cum *hominem Dominicum* audimus, necesse est *Christi hominem* intelligere : verum *hominem Verbi*, qui utique Deus est, et Dominus.

At S. Thomas, locutionem istam, *homo Dominicus*, improbat hoc argumento fretus : « quod cum dicitur homo Christus Jesus, designatur suppositum æternum, quod est persona filii Dei. De persona autem filii Dei prædicatur Deus, et Dominus essentialiter : et ideo non debet prædicari denominative, quia hoc derogat veritati unionis. » Sed qui *hominem Dominicum* dixerunt, non personam aliquam sub vocabulo hominis intellexerunt ; quin potius naturam ipsam a Domino assumptam, nec in communi consuetudine loquendi tam enuclecta, et exacta vocum proprietas observari solet, ut ad dialecticorum, vel philosophorum trutinam exigantur.

Epiphanius in Ancorato *Dominum* scripsit (2) *ex carne nostra carnem assumpsisse.*

(1) CYRIL. 6. in Joan. pag. 632. B. Ἀπαίδευτον οὖν ἄρα, καὶ δυσσεβὲς κομιδῆ τὸ λέγειν ἀπερισκέπτως τινὰς ὁ ἄνθρωπος τοῦ Χριστοῦ. Θεὸς γὰρ ὢν γέγονεν ἄνθρωπος, καὶ ἀδιαίρετος ὅσον εἰς τὸ εἶναι Θεὸς, καὶ Υἱὸς, καὶ μετὰ σαρκός.

(2) EPIPH. Ancor. § 95. Ὅθεν ἀπὸ τῆς ἡμῶν σαρκὸς ἀνέλαβεν ὁ Κύριος ἐλθὼν τὴν σάρκα, καὶ ἄνθρωπος γέγονεν.

[1] § 5. — [2] Lib. 3. Disp. 7. M. — [3] In 3. Par. qu. 16. art. 3.

[4] Vide lib. 4. c. 11. § 6. — [5] Leo ser. 2. de Nativ. c. 4 — [6] Fac. lib. 11. p. 470.

Ergo ut *caro Dominica*, vel *Dominicum corpus* (quod ex Athanasio supra memini) dici potest, poterit etiam *homo* vocari *Dominicus*, id est assumptus a Domino. Nihilominus in hoc loquendi genere, uti et in ceteris, prudentis est, minimeque contentiosi, usitatis, et vulgo receptis appellationibus, sic tanquam nummis, uti potius, quam obsoletas, et insolentes persequi.

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

De nonnullis aliis loquendi formulis. — 1. De *ὀργάνου* et *instrumenti* vocabulo : quo Patres aliqui naturam Christi humanam affecerunt. — 2. Quo sensu alii repudiarunt. — 3. Rectus illius erit usus, si instrumentum conjunctum, non separatum intelligatur. Ariani impie illud interpretati. De manu hominis instrumento naturali et conjuncto pulcherrimus Aristotelis locus : qui ad sapientiam, et Verbum illustrandum pertinet. — 4. De usu istiusmodi nominum utilis cautio ; quæ ex Athanasio lucem accipit. — 5. De vestitus, et indumenti appellatione ; et quæ hujus utilitates sint. Prima est, ut nulla sui mutatione incarnatum Verbum significetur. — 6. Item ut divinitas ipsa passionis expers intelligatur. — 7. Tum naturas esse distinctas, non autem personas. — 8. Sponsi vocabulum a Gregorio papa abjudicatum ab divinitate Christi humanitatem assumente, ab Augustino vero adhibitum.

I. Sequitur nobis excutienda hominis in Christo alia denominatio, ecquid ὄργανον, id est *instrumentum* appellari debeat. De hoc enim contra Nestorium certatum est a Catholicis. Athanasius in libro de Incarnatione, (1) adversus gentiles probans, haud absurdum, indignumque Deo videri, si, ut in mundo inest, sic in ejus aliqua parte resideat, homine videlicet : addit, hominem istum, quem assumpsit, « instrumentum esse ; in quo nisi esset, eo uti non posset. » Et post aliqua : « (2) Partem, *ait*, aliquam universi assumit sibi, tanquam instrumentum, humanum scilicet corpus, eique incubat : ut quoniam in universo nosse ipsum non potuerant, saltem in parte aliqua non ignorarent. »

Eusebius Cæsariensis in libro quarto de Demonstratione evangelica : « (3) Vocabat, *inquit*, et sanabat affatim per instrumentum, quod præ se ferebat, humanam videlicet naturam ; quemadmodum musicus aliquis per lyram peritiam ostendens suam. »

Eustathius Antiochenus in oratione ad illa verba, *Dominus creavit me initium viarum suarum* : « (4) Sed etsi, *inquit*, de Virgine assumptum humanum gestavit instrumentum. »

Non est diversa ratio vocabuli σκεῦος, quo usus est Epiphanius in hæresi Arianorum : « (5) Adeo ut, *inquit*, non abjecerit sanctum vas, quod accepit, et perfectam inhumanationem. »

Ita Cyrillus Alexandrinus : « (6) Usus est, tanquam instrumento, *ait*, propria carne, ad opera carnis, et naturales ægritudines, et quæ reprehensione carebant ; tum etiam anima propria ad humanas, et vitii expertes affectiones. »

II. Porro eamdem ipsam ὀργάνου vocem, et instrumenti alibi reprehendit Cyrillus, eo nimirum sensu, quem impius illi subjiciebat Nestorius : ut esset separatum, et privatim subsistens instrumentum, in quo Deus inerat, et quod ad exequenda opera sua identidem

(1) ATHAN. pag. 70. C. Τί λοιπὸν χλεύης ἄξιον λέγομεν, εἰ ἐν ᾧ ἐστιν ὁ Λόγος, τούτῳ πρὸς φανέρωσιν ὡς ὀργάνῳ κέχρηται ὁ Λόγος ; εἰ μὲν γὰρ οὐκ ἦν ἐν αὐτῷ, οὐδὲ χρήσασθαι ἂν ἐδυνήθη τούτῳ.

(2) Ibid. pag. 71. B. Μέρος τοῦ ὅλου λαμβάνει ἑαυτῷ ὄργανον τὸ ἀνθρώπινον σῶμα, καὶ ἐπιβαίνει αὐτῷ· ἵν' ἐπειδὴ ἐν τῷ ὅλῳ αὐτὸν οὐκ ἠδυνήθησαν γνῶναι, κἂν ἐν τῷ μέρει μὴ ἀγνοήσωσιν αὐτόν.

(3) EUS. 4. de Dem. cap. 13. pag. 107. Ἐκάλει καὶ ἰᾶτο ἀφθόνως, δι' ὀργάνου, οὗ προβέβλητο, ἀνθρωπίνου· οἷά τις μουσικὸς ἀνὴρ διὰ λύρας τὴν σοφίαν ἐπιδεικνύμενος.

(4) EUSTAT. apud Theodoretum dial. 2. p. 91. C. Ἀλλ' εἰ καὶ ἐκ τῆς παρθένου τὸ ἀνθρώπινον ὄργανον ἀναλαβὼν ἐφόρεσε.

(5) EPIPH. hær. 69. § 11. pag. 763. C. Μὴ ἀποβαλλόμενον τὸ ἅγιον σκεῦος, ὃ εἴληφε καὶ τὴν τελείαν αὐτοῦ ἐνανθρώπησιν.

(6) CYRILL. dial. de Incar. tom. 5. par. 1. p. 692. C. Προσεχρήσατο δὲ καθάπερ ὀργάνῳ, τῇ μὲν ἰδίᾳ σαρκὶ, πρὸς τὰ σαρκὸς ἔργα τε, καὶ ἀῤῥωστήματα φυσικὰ, καὶ ὅσα μώμου μακράν· ψυχῇ δὲ αὖ τῇ ἰδίᾳ πρὸς τὰ ἀνθρώπινά τε, καὶ ἀνυπαίτια πάθη.

movebat : uti sanctos viros, et prophetas pro instrumentis habuit : ac nominatim de Saulo Dominus [1], *Vas electionis*, inquit, *est mihi iste:* græce, σκεῦος. Qua rein prima, quam scripsit ad Nestorium, epistola queritur Cyrillus « (1) eo rem illius opera redactam, ut nonnulli propemodum fateri non sustineant, Christum esse Deum, sed potius deitatis organum, et instrumentum, atque hominem deiferum. »

Idem in libro secundo contra Nestorium, hujus hæretici captiosam refellens orationem, qui Verbi cum humana natura copulationem sola σχέσει, et communione dignitatis operumque metiebatur; « (2) Tu, *inquit*, tanquam instrumento corpore usum esse Verbum, ut est consequens, affirmas. Verum siquidem unum asseris filium, et unam hypostasim Verbi incarnatam, non ipse deitatis instrumentum erit; sed utetur potius, tanquam instrumento, proprio corpore : quemadmodum et humana utitur anima. »

Recte prorsus, et erudite Cyrillus isto in loco quæstionem decidit, cum docuit, non oportere Christum ipsum instrumentum vocari divinitatis, sive Verbi : quasi in Christo non et ipsa comprehendatur divinitas, ac Verbum. Posse tamen dici, Christum uti carne sua, tanquam instrumento : velut nos dicimus animam uti corpore, quocum unus est homo, pro instrumento. Quanquam nonnihil interest inter utrumque. Nam anima non est corpus; sicut Verbum, caro, id est homo, esse dicitur. Sed in eo duntaxat similitudinis ratio posita est, quod utrobique substantiva est amborum unitio, ut non semel observavimus.

Atque hoc uberius explicat in epistola prima, quam scripsit ad Monachos. « (3) Quod si quis *inquit*, nudam illi tribuat ac solam instrumenti propriam operam, excludet ipsum vel invitus ab veri filii proprietate. Ponatur enim, exempli causa, homo quispiam, qui filium habeat tractandæ lyræ peritum, et qui apprime psallere didicerit : utrumnam ille lyram istam, et musicum instrumentum in eodem cum eo, quem genuit, filii loco reponet ? » Tum docere pergit, non esse hominem assumptum simplex organum Dei, quemadmodum prophetæ, ut Moses, atque hujus etiam virga instrumenta fuerunt admirabilium operum : illi, Dei : ista, Mosis ipsius.

Nimirum, quod Athanasius Oratione quarta declarat : « (4) Nostra causa homo factus est, et corporaliter, ut ait Apostolus, habitavit in carne divinitas ; quod idem est, ac si dicas ; Deus cum esset, proprium habuit corpus ; et hoc utens instrumento, homo propter nos factus est : ob idque omnia quæ illius propria erant, ipsius esse dicuntur : quandoquidem erat in eadem carne. »

III. Adjungatur itaque ad instrumenti vel ὀργάνου vocabulum, quod sit cum Deo ac Verbo intime conjunctum in eamdem personam, non alienum, ac separatum. Ideo non est ὑπηρέτης, nec ὑπουργὸς, hoc est simplex administer *homo* ille *Dominicus*. Siquidem, « (5) Minister, sive famulus, organi locum habet in artibus, ait in primo Politicorum Aristoteles, sic et possessa res, instrumentum est ad vitam, ac possessio multitudo est instrumentorum. Servus vero est animata possessio, tum minister omnis instrumentum est ante instrumenta omnia. » Tale Dei Patris instrumentum esse Filium, sive Verbum Ariani putabant, quo ille usus erat, ad mundi fabricationem, et ad rerum omnium creatarum effectionem. Nos vero neque Verbum instrumentum fuisse Patris cum antiquis nonnullis dixerimus ; et quod sive istud, sive ὑπουργὸν, id est *administrum*, executoremque paternæ voluntatis, eorum plerique nominarunt Filium, ita dictum accipiamus, uti conjunctum, et consubstantiale aliquid intelligatur : ut est manus, et brachium ; quibus vocabulis insignitur in sacris litteris.

Huc illud pertinet, quod Aristoteles in libro

(1) CYRIL. tom. 5. par. 2. pag. 20. B. Ἐγγὺς γὰρ γεγόνασί τινες τοῦ μὴ ἀνέχεσθαι λοιπὸν ὁμολογεῖν, ὅτι Θεός ἐστιν ὁ Χριστός· ὄργανον δὲ μᾶλλον, καὶ ἐργαλεῖον θεότητος, καὶ ἄνθρωπος θεοφόρος.

(2) CYRILL. 2. contra Nest. tom. 6. pag. 51. C. Ἀλλ' ὡς ὀργάνῳ τῷ σώματι κεχρῆσθαι τὸν Λόγον διϊσχυρίζῃ κατὰ τὸ εἰκός. Ἀλλ' εἰ μὲν ἕνα φῇς Υἱὸν, καὶ μίαν ὑπόστασιν τὴν τοῦ Λόγου σεσαρκωμένην, οὐκ αὐτὸς ἔσται θεότητος ὄργανον· κεχρήσεται δὲ μᾶλλον οἷά περ ὀργάνῳ, τῷ ἰδίῳ σώματι, καθάπερ ἀμέλει καὶ ἡ τοῦ ἀνθρώπου ψυχή.

(3) Id. tom. 5. par. 1. pag. 15. C. Εἰ δὲ δὴ ψιλὴν καὶ μόνην ἀπονέμει τις αὐτῷ τὴν ὀργανικὴν ὑπουργίαν, ἀποπέμψει καὶ οὐχ ἑκὼν, καὶ τοῦ εἶναι κατὰ ἀλήθειαν Υἱόν· ὑποκείσθω γάρ τις τῷ λόγῳ, φέρε εἰπεῖν, ἄνθρωπος· ἔστω δὲ αὐτῷ καὶ παῖς τὰ εἰς λύραν τεχνίτης, καὶ ψάλλειν τὰ ἄριστα μεμελετηκώς· ἆρα οὖν ὁ τοιοῦτος καταλογιεῖται τὴν λύραν, καὶ τὸ τῆς ᾠδῆς ὄργανον ἐν υἱοῦ τάξει σὺν τῷ υἱῷ ;

(4) ATHAN. pag. 274. C. Ὕστερον καὶ δι' ἡμᾶς γέγονεν ἄνθρωπος· καὶ σωματικῶς, ὥς φησιν ὁ Ἀπόστολος, κατῴκησεν ἡ θεότης ἐν τῇ σαρκί· ἶσον τῷ φάναι, Θεὸς ὢν, ἴδιον ἔσχε σῶμα, καὶ τούτῳ χρώμενος ὀργάνῳ, ἄνθρωπος γέγονε δι' ἡμᾶς· καὶ διὰ τοῦτο τὰ μὲν ἴδια ταύτης, αὐτοῦ λέγεται, ἐπειδὴ ἐν αὐτῇ ἦν.

(5) ARIST. 1. Pol. cap. 4. Ὁ γὰρ ὑπηρέτης ἐν ὀργάνου εἴδει ταῖς τέχναις ἐστίν. Οὕτω καὶ τὸ κτῆμα ὄργανον πρὸς ζωήν ἐστι· καὶ ἡ κτῆσις πλῆθος ὀργάνων ἐστί· καὶ ὁ δοῦλος κτῆμά τι ἔμψυχον· καὶ ὥσπερ ὄργανον πρὸ ὀργάνων, πᾶς ὁ ὑπηρέτης.

[1] Act. 9. 15.

quarto de Partibus animalium, capite decimo, de manu homini a natura concessa disputat. Sic enim affirmat, «(1) Hominem, quod omnium animalium prudentissimum sit, manus habere. Nam qui prudentissimus est, quam plurimis instrumentis recte potest uti. Atqui manus non unum instrumentum videtur esse, sed multa. Est enim tanquam instrumentum ante instrumenta. Quamobrem illi ipsi, qui quam plurimarum capax est artium, illud instrumentum natura dedit, quod ad plurima ex omnibus instrumentum utile sit. » Ex quo ita ratiocinari licet ; cum sit omnium sapientissimus, et sagacissimus Deus, ei merito convenire effectricem virtutem, et potentiam omnium actuosissimam, et efficacissimam ; quæ cum una sit et simplex, vi multiplex est, et ad omnia, eaque infinita præstanda sola est idonea ; tanquam manus quædam Dei. Ejusmodi est Verbum, et sapientia Dei, qui est Filius ; [1] *Omnium enim artifex est sapientia. Est enim illa spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis : etc. Omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus, intelligibilis, mundus, subtilis. Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia : attingit autem ubique propter suam munditiam, etc. Et cum sit una, omnia potest, et in se permanens omnia innovat.*

IV. Jam vero ut istiusmodi nomina, quæ in sacris libris, aut ab antiquis Patribus filio Dei ex nostris, creatisque rebus translata tribuuntur, sic intelligenda sunt, ut in usu et cogitatione secernatur quod crassum, et imperfectum inest in origine sua, ac sola vis agendi, et efficacitas inde sumatur ; ita, cum humana Christi natura ὄργανον et instrumentum Verbi ab antiquis vocatur, nihil aliud capi debet ex instrumenti notione, quam operatrix virtus inferioris quidem substantiæ, sed cum divina individuo, et naturali nexu in eamdem coalescentis hypostasim, ac personam : ita ut conjunctus sit, et unus cum principali, et motrice sua causa homo ille, qui instrumentum dicitur ; quod aptissime manus illa similitudo declarat.

Quocirca præclare magnus Athanasius illam *instrumenti* proprietatem in humanitate Verbi, quibusdam additis, ab omni hæreticorum calumnia vindicavit his verbis : « (2) Ipse enim, uti præpotens, et omnium artifex, templum in Virgine sibi, hoc est corpus, molitus est : idque suum ac proprium facit ; tanquam instrumentum, in ipso cognitus, et habitans. » Atque uti templum idcirco vocatur humana ista natura, quod *in eo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* : sic instrumentum appellatur, quod per illam agit Deus Verbum, et utrobique servatur prærogativa naturæ potioris, cujus et habitare, et agere proprium est. Ideo neque templum hominis Deus in Christo vocatur, nec instrumentum ejusdem. Cujus posterioris (nam de altero superius egimus) causam ita reddit Joannes Damascenus ; « (3) Proprias, *inquit*, dotes, et ornamenta corpori divinitas impertit : ipsa vero passionum carnis expers remanet. Non enim, quemadmodum per carnem operabatur Verbi divinitas ; ita per divinitatem ipsius caro patiebatur. Siquidem instrumentum erat divinitatis caro. »

Sed hæc *instrumenti* ratio, et efficientiæ divinæ per humanitatem diffusio plenius in libro sequente tradetur, qui de ἐνεργείᾳ et operatione disputabit Dei et hominis Christi : ad quam commodum nobis transitum fecit illa *instrumenti* contemplatio, quæ ad actionem tota refertur.

V. Antequam tamen hæc cum libro disputatio claudatur, una nobis minime prætermittenda vox est, quæ magnam cum superioribus affinitatem habet, *templi*, et *instrumenti* ; ac tum usum affert opportunitatemque similem ad hujus mysterii declarandam proprietatem : tum assumptæ naturæ perinde splendorem ac dignitatem augustiorem facit : tum denique parem cautionem, et interpretationem requirit adversus hæreticorum calumnias. Est

(1) Arist. de Part. anim. cap. 10. pag. 1192. C. Ἀλλὰ διὰ τὸ φρονιμώτατον εἶναι τῶν ζώων, ἔχει χεῖρας. Ὁ γὰρ φρονιμώτατος πλείστοις ἂν ὀργάνοις ἐχρήσατο καλῶς. Ἡ δὲ χεὶρ ἔοικεν εἶναι οὐχ ἓν ὄργανον, ἀλλὰ πολλά. Ἔστι γὰρ ὡσπερεὶ ὄργανον πρὸ ὀργάνων. Τῷ οὖν πλείστας δυναμένῳ δέξασθαι τέχνας, τὸ ἐπὶ πλεῖστα τῶν ὀργάνων χρήσιμον τὴν χεῖρα ἀποδέδωκεν ἡ φύσις.

(2) Ath. de incar. Ver. tom. 1. pag. 43. Αὐτὸς γὰρ δυνατὸς ὢν, καὶ δημιουργὸς τῶν ὅλων, ἐν τῇ παρθένῳ κατασκευάζει ἑαυτῷ ναὸν τὸ σῶμα· καὶ ἰδιοποιεῖται τοῦτο ὥσπερ ὄργανον, ἐν αὐτῷ γνωριζόμενος, καὶ ἐνοικῶν.

(3) Damasc. lib. 3. cap. 15. pag. 234. Τῶν μὲν οὖν οἰκείων αὐχημάτων ἡ θεότης τῷ σώματι μεταδίδωσιν· αὐτὴ δὲ τῶν τῆς σαρκὸς πάθων διαμένει ἀμέτοχος. Οὐ γὰρ ὥσπερ διὰ τῆς σαρκὸς ἡ θεότης τοῦ Λόγου ἐνήργει, οὕτω καὶ διὰ τῆς θεότητος ἡ σὰρξ αὐτοῦ. Ὄργανον γὰρ ἡ σὰρξ τῆς θεότητος ἐχρημάτισεν.

[1] Sap. 7. 21.

hoc vestitus, atque indumenti vocabulum, quod frequenti usu celebratur: ut cum dicitur, Verbum induisse hominis naturam, sive carnem. De hoc pauca duntaxat (non enim longiorem sermonem requirit) et eatenus, ut quæ utilitas capi inde possit ex antiquorum dictis explicemus.

Primus igitur ex appellatione ista fructus existit, ut sine ulla mutatione Verbi, et eodem in statu manente ipso, accessionem illam naturæ alterius intelligamus esse factam: sicut homo vestem induens, nihil interius, atque in substantia sua, aut amittit proprium, aut acquirit alienum. Qua comparatione usum alicubi Epiphanium esse memini. Tum vero Hildephonsus Toletanus in libro Synonymorum de virginitate S. Mariæ [1]: « Absque veste Deus, *inquit*, ut ita dicam ingreditur, qui ut certe dicam, carne vestitus ingreditur. Ad domum sui operis venit; carnis tantummodo vestem tulit. Idem qui venerat redit: sed aliter, quam incesserat ipse inde processit. »

Albinus item Flaccus in libro secundo contra Felicem [2], idipsum Augustini adhibito testimonio ita confirmat: « De quo etiam Christi habitu B. Augustinus ait; sic assumptus est homo, ut proficeret in melius, et ab eo formaretur ineffabiliter excellentius, atque conjunctius, quam vestis ab homine, cum induitur. Hoc ergo nomine habitus satis significavit Apostolus, quemadmodum dixerit in similitudine hominum factus: quia non transfiguratione in hominem, sed habitu factus est, cum indutus est homine, quem sibi coaptans quodammodo, atque conformans, immortalitati, æternitatique sociaret. »

Ibi Alchuvinus *habitum*, pro quo græce σχῆμα posuit Apostolus [3], pro vestimento, et exteriore schema sumpsit, quod non est absurdum. Nam σχῆμα est ἱματισμὸς Hesychio, id est *vestitus*; et glossis veteribus, *figura*, *cultus*, *habitus*. Quæ cum per se nulla divinitas habeat, omnia ex assumpta natura hominis in se ipsa suscepit.

Hinc Cyrillus recte ad illam, quam proposui, in appellatione ista commoditatem explicandi mysterii: « (1) Mansit, *inquit*, quod erat, id est natura Deus. Cum autem illud etiam assumpsisset, ut esset homo; nempe ut, quemadmodum nos, ex muliere secundum carnem nasceretur, rursus mansit unus filius; sed non carnis expers, ut antea fuerat ante incarnationis tempus; verum sic tanquam naturæ nostræ veste circumvolutus. »

Hanc hominis naturam eleganter Fulgentius *trabeam* vocat [4], quasi Imperatoris regium cultum; sive post victoriam triumphantis insigne. « Heri, *inquit*, Rex noster trabea carnis indutus, de aula uteri virginalis egrediens, visitare dignatus est mundum. » Tum etiam *servile cinctorium*, id est *subligar*, quo sine ulla sui mutatione præcinctus est Deus. « Ille, *inquit*, sempiternæ deitatis majestate servata, servile cinctorium carnis assumens, in hujus seculi campum pugnaturus intravit. »

VI. Hæc eadem divinitatis immutabilitas in Christo similitudine vestis exprimitur; dum quidquid perpessionis, ac vilitatis in vita, obituque suscepit, quasi extrinsecus, eo, quem gestabat, homine, ceu vestimento, excepisse Deus creditur: non autem ad ipsius pertinuisse substantiam. Tametsi nonnulla etiam τῆς ἀντιδόσεως, id est proprietatum, et affectionum communicatio eodem genere appellationis includitur. Utrumque in Ancorato significat Epiphanius; hoc est ambarum naturarum in illa copulatione dotem ac prærogativam; immutabilitatis, in Deo; in homine vero ex hujus consortio, et communione, singularis excellentiæ. Verba Epiphanii: « (2) Divinitati, *inquit*, ipsimet est attributa passio: quanquam ab omni immunis est passione divinitas. Quod quidem ita sancto, et ab omni passione remotissimo Dei Verbo fieri placuit. Ceterum ejusmodi est illud, ut si quis veste sit indutus, quæ adspersa sanguinis stilla sit infecta, ita ut ad ipsum corpus minime pervenerit; tum enim sanguinis illa macula ei, qui indutus est, imputari solet. »

Eamdem sententiam eleganter Augustinus expolivit in enarratione Psalmi 130. [5] « Et quia ipsum Verbum, *inquit*, caro factum est, et

(1) CYRIL. in epist. 2. ad Succ. pag. 142. A. Μεμένηκε γὰρ ὅπερ ἦν, τουτέστι φύσει Θεός. Προσλαβὼν δὲ καὶ τὸ εἶναι ἄνθρωπος, ἤτοι γενέσθαι καθ' ἡμᾶς ἐκ γυναικὸς κατὰ σάρκα; πάλιν εἷς μεμένηκεν Υἱὸς· πλὴν οὐκ ἄσαρκος, καθὰ καὶ πάλαι, πρὸ τῶν τῆς ἐνανθρωπήσεως καιρῶν· ἀμφιασάμενος δὲ ὥσπερ κα, τὴν ἡμετέραν φύσιν.

(2) EPIPH. in Ancor. § 95. pag. 97. A. Ἐλογίσθη δὲ τὸ πάθος εἰς τὴν θεότητα, καί τοί γε θεότητος ἀπαθοῦς οὔσης. Ὅτι οὕτως εὐδοκήσεν ἐλθὼν ὁ ἅγιος, καὶ ἀπαθὴς Θεός Λόγος. Ἔστι δὲ τὸ ὑπόδειγμα τοιόνδε τι, ὡς ἐάν τις ἱμάτιον ἐνδεδυμένος, ἐν δὲ τῷ ἱματίῳ αἷμα ῥαντισθὲν μολύνῃ τὸ ἱμάτιον, τὸ δὲ σῶμα οὐκ ἔφθασε τοῦ ἐνδεδυμένου· λογίζεται δὲ ὁ σπῖλος ὁ ἐκ τοῦ αἵματος τῷ ἐνδεδυμένῳ τὸ ἱμάτιον.

1 Tom. 9. Bibl. col. 94. A. — 2 Albin. Flac. col. 814. E. — 3 Phil. 2. 6.

4 Ful. de S. Steph. — 5 August. tom. 8. pag. 622. C. 2.

ipsum Verbum crucifixum est, sed non est mutatum in hominem, homo in illo mutatus est. Mutatus est homo in illo, ut melior fieret, quam erat, non ut ipsa substantia Verbi converteretur. Per id ergo, quod homo erat, mortuus est Deus : et per id, quod Deus erat, excitatus est homo, et resurrexit, et ascendit in cœlum. Quidquid passus est homo, non potest dici, non passus est Deus, quia Deus erat hominem assumendo, sed non est mutatus in hominem : quomodo non potes dicere non te passum injuriam, si vestis tua conscindatur. Et quando quereris vel amicis, vel in judicio, hoc dicis judici : conscidit me. Non dicis, conscidit birrum meum, sed conscidit me. Si potuit, et meruit vestis tua dici tu, quæ non est tu, sed vestis tua, quanto potius meruit audire caro Christi, templum Verbi unitum cum Verbo, ut quidquid in carne pateretur, Deus ipse pateretur : quamvis Verbum nec mori potuerit, nec corrumpi, nec mutari, nec occidi; sed quidquid horum passum est, in carne passum est. Et noli mirari, quia Verbum nihil passum est; nec anima hominis potest pati aliquid occisa carne, dicente ipso Domino, Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Si anima non potest occidi, Verbum Dei poterat occidi? Et tamen quid dicit? flagellavit me, colaphizavit me, percussit me, dilaniavit me : totum hoc non fit in anima ; et tamen non dicit nisi me, propter unitatem consortii ipsius. »

VII. Præterea illud etiam vestimenti nomen ac notio cogitationi nostræ objicit ; non esse personas, vel hypostases duas, totidem in Christo naturas, nec per se, ac privatim censeri ; sed humanam quasi appendicis, et accessionis instar ad divinam adhærescere, ac tanquam unam cum ea personam computari. Ex quo tantum in humanam ex illius consortio dignitatis, et præstantiæ redundat, ut eodem honore, atque cultu, et quidem summo, quem λατρείαν vocant, ambæ pariter afficiantur. Exposuit hoc auctor disputationis adversus Arium, quæ inter Athanasii opera sub ejus nomine legitur. In qua Athanasius sic cum Ario disserens introducitur; cum quidem iste Deum et hujus templum duos esse dominos objecisset : « (1) Non sunt, *inquit*, duo : absit. Unus est enim Dei filius, qui propter nos homo factus est. Etenim terrenus rex, dic obsecro, num separatim homo regnat, et separatim ejus purpura? etc. » Deinde pergit : « (2) Cum ergo fieri non possit, ut duo reges in uno esse rege dicantur, in homine, inquam, et purpura : qui tandem eveniet, ut privatim Verbi et Dei dominationem adstruamus; et sanctæ, pretiosæque carnis disjunctum principatum profiteamur, quæ, tanquam regia purpura, vestimenti instar fuit? »

Eadem tamen nominis proprietas duas in una persona naturas esse demonstrat. Quippe vestis et corporis non una potest esse natura : nec ambo consubstantialia sunt, sive dum vestis applicatur, sive cum est admota. Ita Catholici adversus Severianos argumentati sunt in illa celebri collatione Constantinopoli habita [1], Justiniano rerum potiente anno 532. ad idque Cyrilli testimonio illo sunt usi, quod ex secunda epistola ad Successum paulo ante descripsimus.

Ac ne quis ex ista denominatione vestis, Nestorii, vel Apollinaris afflari se aura aliqua patiatur, non dispar, atque in superioribus *templi*, et *habitationis*, et similium observata est, in illa quoque apponenda cautio est ; ut substantivæ cum Verbo fiat unitionis mentio , tum etiam animæ. Ad hæc ambo vero præscribenda, utilis est Petri Damiani locus ex opusculo primo de Fide catholica, capite octavo : ubi templi, et vestis nomenclaturas, aptissima temperatione muniit [2] : « Utrique siquidem naturæ, *ait*, in suis utique proprietatibus permanenti, tanta est unitatis facta communio, ut quidquid ibi Dei est, non sit ab homine separatum; et quidquid est hominis, non sit a divinitate divisum. Conceptæ nimirum in utero Virginis, animæ simul, et carni ne puncto quidem temporis virtus defuit Verbi : nec ante formata, vel animata est vestis, quam sibi Rex supernus indueret; sed per ipsum, et in ipso cœpit illud humani corporis templum, quod sibi Dei filius essentialiter couniret. Dei quippe filius in utero Virgi-

(1) ATHAN. tom. 1. pag. 91. E. Ἀθαν. Εἶπεν, οὐκ εἰσὶ δύο· μὴ γένοιτο. Εἷς γάρ ἐστιν ὁ τοῦ Θεοῦ Υἱὸς, ὁ γενόμενος δι' ἡμᾶς ἄνθρωπος. Ὁ γὰρ ἐπίγειος βασιλεὺς, εἰπέ μοι, ἰδίως ὁ ἄνθρωπος βασιλεύει, καὶ ἰδίως ἡ πορφυρίς ; etc.

(2) Ibid. pag. 92. A. Εἰ οὖν ἀνεγχώρητον δύο βασιλεῖς φῆσαι ἐπὶ βασιλέως ἑνὸς, λέγω δὴ ἀνθρώπου καὶ πορφύρας, πῶς ἐγχωρεῖ ἰδίως μὲν τοῦ Λόγου, καὶ Θεοῦ κυριότητα φάσκειν, κεχωρισμένην δὲ τὴν δίκην πορφύρας ἔνδυμα γεγονυΐας ἁγίας καὶ τιμίας σαρκὸς ἀρχὴν καταγγέλλειν, ἥ τις ἐστὶν ἔνδυμα τοῦ βασιλέως Λόγου Θεοῦ γεγεννημένη ;

[1] Tom. 3. Concil. p. 857. F. 2.

[2] Petrus Dam. Opusc. 1. cap. 8.

nis concipiendus accessit, ibique domum corporis (sicut scriptum est) sapientia fabricavit. »

VIII. Sane prout ejus animus est, qui scribit aut loquitur, sic pleræque voces, quæ ad divinas explicandas res accommodantur, approbandæ, vel rejiciendæ sunt. Id quod sæpius ab antiquis Patribus esse factum, satis arbitror constare ex iis, quæ hoc in opere hactenus deprompsimus : tum in aliis Dogmatum tomis, ut minime mirum sit, eadem nomina pro damnatis et proscriptis apud nonnullos haberi, quæ ab aliis impune sunt adhibita. Cujus rei unicum modo proferemus exemplum, quod ne ipsum quidem a proposito est alienum. Siquidem ad humanam Christi naturam attinet.

Sponsum nominari Verbum, ejusque *sponsam,* hominis assumptam naturam, non satis probat Gregorius papa, Homilia 38. dum evangelicam parabolam enarrat, regis filio suo convivium nuptiale celebrantis [1]. Quam cum de Dei filio humanam sibi naturam copulante esset interpretatus; mox seipsum castigans, « quia ex duabus personis fieri solet ista nuptialis conjunctio ; persona autem Dei et hominis Redemptoris nostri Jesu Christi ex duabus personis unita non est : » idcirco alium potius sensum parabolæ isti tribuit, ut Christi cum Ecclesia conjugium significet. At Augustinus tractatu octavo in Joannem [2], « Verbum, *inquit*, sponsus, et sponsa caro humana : et utrumque unus filius Dei ; et idem filius hominis, ubi factus est caput Ecclesiæ; ille uterus virginis Mariæ thalamus ejus. Inde processit tanquam sponsus de thalamo suo. » Innumera sunt hujus generis ancipiti usu in utramque partem ab antiquis accepta ; ut ex eo constet, nec omnia, quæ unius alteriusve Patris judicio rejecta, vel ascita fuerint, absolute statim probari a nobis, aut repudiari oportere : et hanc divinis de rebus loquendi tenendam esse regulam, quam in latini delectu sermonis observari Cæsar voluit ; uti tanquam scopulum declinemus insolens omne verbum, et ab consuetudine communi theologorum alienum.

Ac mihi tutissimum, et ab omni offensione, ac periculo remotissimum videtur, ut ab eorum, quibus vivimus, temporum usu quam minime discrepemus : atque ut vetustatis scientiam retinentes, eam loquendi nobis regulam præscribamus, quam fert ætatis nostræ mos, præstantium doctrina et pietate hominum auctoritate roboratus. Id si ad eum modum instituatur ; minus erit temerariæ novitati loci ; ac rixis, et ineptis contentionibus aditus obstruetur, quas quidem in hac nostra disciplina fatendum est plerumque ex dissimili vocum usurpatione potius, quam ex diversa rerum intelligentia proficisci. Denique sentiendi quidem divinis de rebus, quæ catholica regula constitutæ sunt, manet, ac manebit in ævum omne fixa, et immutabilis ratio : verborum autem, quibus eædem res explicantur, sæpe variatur usus ; cui non tam originis, ac nativæ linguæ proprietas, quam popularis doctorum consuetudo moderari debet.

[1] Matt. 22.

[2] August. tom. 9. p. 31. B. 2.

LIBER OCTAVUS.

IN QUO DE ἐνεργείᾳ, ID EST OPERATIONE CHRISTI, AGITUR.

CAPUT PRIMUM.

Explicatur ἐνεργείας propria notio. — 2. Variorum nominum expositio, ἐνεργείας, ἐνεργητικοῦ, etc. — 3. Quid proprie sit ex Patribus exponitur. — 4. Est substantiva motio naturæ, ejusque nota essentialis : ubi et explicatur vox οὐσιώδης. — 5. Nullam sine operatione naturam esse : tum quæ sunt ejusdem naturæ, ejusdem esse operationis : et quæ diversæ naturæ sunt, diversæ operationis esse : ἐνεργείας variæ significationes. — 7. Explicatur prima, quæ est δύναμις, sive facultas : et quæritur an ἐνέργεια illa, de qua cum Monotheletis certatum est, sit actio transiens, an facultas naturalis; fuisse de actione sola controversiam putant multi Scholastici. — 8. Sed errant, idque ex veteribus ostenditur : qui essentiale aliquid, et fixum esse quippiam indicant. — 10. Itaque tum de facultate agendi, et volendi, tum de actione et volitione ipsa certatum est. — 11. Quæsitum an omnis substantia, etiam inanimata, ἐνέργειαν illam habeat, de qua Patres disputant. Cui respondetur, variare Patrum dicta ; et quamvis nulla non aliquam ἐνέργειαν habeat, tamen insignem quampiam ab nonnullis intelligi. — 12. Etiam πάθος, id est passionem ἐνέργειαν censeri, et quid passio sit exponitur. — 13. Declaratur Aristotelis quidam locus eo pertinens.

I. De naturis Christi duabus, earumque conjunctione, et humanæ præsertim dotibus, quarum absoluta ratio est, abunde dictum arbitror. Proximum est ut de ejusdem Christi actione, et efficientia, quæ proprietas σχετικὴ est, disputari oporteat. Hanc græci ἐνέργειαν, latini theologi passim *operationem* nominant : deque ea cumprimis graves, ac perdifficiles quæstiones commovent, græci potissimum, a quibus bene multi de hoc argumento commentarii sunt editi ; tum universe de ἐνεργείας genere ipso ; tum de una ejus specie, voluntate scilicet; postquam improbi quidam, et nefarii exorti sunt hæretici, qui ambabus naturis unam non amplius, altera suppressa, ἐνέργειαν assignarunt : et quod in voluntate hoc potissimum ausi sunt, Monotheletæ propterea sunt vocati.

De hoc igitur utroque deinceps diligenter acturis, prima hæc esse cura debet, ut idipsum, quod explicandum suscepimus, cujusmodi sit, et quam vim, ac notionem habeat ἐνέργεια, et *operatio* ista, statuamus. Atque hoc majori jam ex parte, cum de Deo sermo nobis esset, exposuimus in quinto libro, capite decimo [1] : ubi varias nominis istius significationes attulimus. Hoc vero loco non illa repetemus, quæ ibi memorata sunt : sed quæ iis necessaria videbuntur ad institutam disputationem, summatim attingenda sunt, et alia pauca iis addenda, quæ illic omisimus.

II. Horum illud est primum, quod apud Joannem Damascenum legitur [2]; aliud esse ἐνέργειαν, aliud ἐνεργητικὸν, aliud ἐνέργημα, aliud τὸν ἐνεργοῦντα. (1) Ἐνέργεια *est actuosa, et substantiva naturæ motio.* Ἐνεργητικὸν, quod *activum* dicitur, *est natura ipsa, ex qua operatio proficiscitur.* Ἐνέργημα, sive *effectum*, est *opus actionis.* Ἐνεργῶν est *qui operatione utitur, velut est hypostasis.* « Porro nonnunquam operatio ipsa opus dicitur, et vicissim opus, operatio : sicut creatura, creatio. » Sic in libro de Trinitate, qui Cyrillo inscribitur, et majori parte ex Joannis Damasceni opere de fide est exceptus, gemina τῆς ἐνεργείας significatio ita ponitur : « (2) Appellatur, *inquit*, energeia operis perfectio, nempe effectum ipsum, ac rei absolutio, tum actio ipsa. Quæ secunda signifi-

(1) Dam. lib. 3. cap. 15. pag. 229. Ἐνέργεια μὲν οὖν ἐστιν, ἡ δραστικὴ, καὶ οὐσιώδης τῆς φύσεως κίνησις. Ἐνεργητικὸν δὲ ἡ φύσις ἐξ ἧς ἡ ἐνέργεια πρόεισιν. Ἐνέργημα δὲ, τὸ τῆς ἐνεργείας ἀποτέλεσμα. Ἐνεργῶν δὲ, ὁ κεχρημένος τῇ ἐνεργείᾳ, ἤτοι ἡ ὑπόστασις. Λέγεται δὲ καὶ ἡ ἐνέργεια ἐνέργημα, καὶ τὸ ἐνέργημα ἐνέργεια, ὡς καὶ τὸ κτίσμα κτίσις.

(2) Tom. 6. Cyrill. lib. de Trinit. cap. 19. p. 25. D. Λέγεται πάλιν ἐνέργεια καὶ ἡ τοῦ ἔργου ἐκπλήρωσις, αὐτὸ τὸ ἐνεργητὸν, ὁ τοῦ πράγματος ἀποτελεσμὸς, ἡ πρᾶξις αὐτή. Τοῦτο δὴ τὸ δεύτερον σημαινόμενον τῆς ἐνεργείας προσαρμοστέον τῇ θεανδρικῇ.

[1] Tom. 1.

[2] Lib. 3. de fide cap. 15.

catio energiæ, theandricæ operationi accommodari debet. » Est autem omnium propria maxime. Quippe ἐνέργειαν theologi dicunt esse κίνησιν, id est *motum*, « (1) qui efficitur potius, quam efficit, » ut ait Joannes Damascenus; idque Gregorii Nazianzeni auctoritate probat. Qui in oratione de Spiritu sancto, quæ est trigesima septima, demonstrat Spiritum sanctum non esse ἐνέργειαν, quod hæc sit accidens, nec efficit, sed efficitur. « (2) Si est, *inquit*, effectio, efficietur utique, non efficiet : et simul atque effectus fuerit, desinet. Hujusmodi est enim effectio. Quinam igitur operabitur? » Ἐνέργειαν hic appellat Gregorius actionem ipsam, sive operationem, quæ est in motu, atque præterit. Quare non satis accurate eruditus interpres Billius *vim* et *facultatem* latine reddidit. Nam *vis* et *facultas* non transeuntem actionem, sed principium ipsum operandi significat : quod substantivum est, ac stabile.

III. Præclare Anastasius Sinaita in Ὁδηγῷ, energiæ naturam, et proprietatem describit; « (3) Est, *inquit*, energia, auctore S. Gregorio Nysseno, naturalis cujusque substantiæ virtus, et motio : qua id solum caret, quod non est. Quod enim substantiæ alicujus est particeps, id etiam significantis illud operationis est particeps. Siquidem recta ratio docet, substantiarum definitiones esse veras, et germanas ipsarum operationes : velut intelligentium energiam, intellectionem : sensu præditorum, sensum : mobilium, motionem : volatilium, volatum, etc. » Ac demum ita concludit : « (4) Et ut universe dicam, quidquid unamquamque naturam indicat, ac definit, naturalis est illius energia : qua sublata, prorsus una perimitur, et extinguitur natura : ut sublata ustione, ignis extinguitur : sublata item animalis motione, animal interit : sublata intellectione, tollitur pars animæ, quæ intelligendi, ratiocinandique facultate prædita est. »

Addit Anastasius, non solum in rebus animatis, et mobilibus, sed etiam inanimis, et immobilibus reperiri naturales operationes; ut in scammonia, et medicamentis, quæ alvum subducunt, ac plerisque aliis.

Sic Joannes Damascenus in prima Institutione, capite octavo, ἐνέργειαν definit, « (5) agentis efficacem motionem : ac naturalem energiam, naturæ motionem efficacem. » Tum quincuplicem illam facit : nempe intellectilem, cujusmodi in angelis, et omnibus incorporeis substantiis cernitur, quæ simplici appulsu mentis intelligunt : rationalem, qualis inest hominibus ex anima incorporea, et corpore compositis, qui non simplici, sed vario appulsu, et ratiocinando intelligunt : animalem; ut in brutis animantibus, sensu præditis, sed nec ratione, nec intelligentia utentibus : vegetabilem; ut est in sensu carentibus, quæ alendi, augendi ac gignendi vim habent : vitæ prorsus expertem; ut in terra, et lapidibus. Hæc Joannes Damascenus.

IV. Sic Maximus martyr in disputatione cum Pyrrho, ait « (6) naturæ omnis definitionem esse substantivæ ipsius operationis rationem. » Et paulo post, « (7) operationem naturalem » asserit « eam esse, quæ naturam constituit, ejusque insitus est character. » Hinc Agatho papa in epistola Synodica, « (8) impossibile esse, præterque naturæ ordinem » asserit, « ut natura sit ulla, quæ naturæ operatione careat. » Idem tamen Maximus alias [1] ἐνέργειαν a κινήσει discernit, et inter hanc, et οὐσίαν mediam illam facit, ut alibi diximus [2]; sed nimis enucleatam, ac limatam rationem missam faci-

(1) DAMASC. lib. 3. cap. 15. pag. 229. Ἰστέον ὡς ἡ ἐνέργεια, κίνησίς ἐστι, καὶ ἐνεργεῖται μᾶλλον ἢ ἐνεργεῖ, καθώς φησιν ὁ θεολόγος Γρηγόριος ἐν τῷ περὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος λόγῳ.

(2) NAZIANZ. orat. 37. pag. 596. A. Καὶ εἰ ἐνέργεια, ἐνεργηθήσεται δηλονότι, οὐκ ἐνεργήσει· καὶ ὁμοῦ τῷ ἐνεργηθῆναι παύσεται. Τοιοῦτον γὰρ ἡ ἐνέργεια. Πῶς οὖν ἐνεργήσει;

(3) ANAST. in Ὁδηγῷ pag. 42. Ἐνέργεια τοίνυν ἐστὶ, καθά φησιν ὁ ἅγιος Γρηγόριος ὁ Νύσσης, ἡ φυσικὴ ἑκάστης οὐσίας δύναμίς τε, ἢ κίνησις, ἧς μόνον ἐστέρηται τὸ μὴ ὄν. Τὸ γὰρ οὐσίας τινὸς μετασχὸν, συμμετέχει πάντως καὶ τῆς δηλούσης αὐτὸ ἐνεργείας. Ὅρους γὰρ τῶν οὐσιῶν τὰς ἀψευδεῖς αὐτῶν ἐνεργείας ὁ ἀληθὴς ἐπίσταται λόγος· νοερῶν ἐνέργειαν, τὴν νόησιν· αἰσθητῶν, τὴν αἴσθησιν· κινητικῶν, τὴν κίνησιν· πτηνῶν τὴν πτῆσιν, etc.

(4) Ibidem. Καὶ καθολικῶς εἰπεῖν, τὸ πάσης φύσεως σημαντικὸν, καὶ ἀφοριστικὸν, ἡ ἐνέργεια αὐτῆς ἡ φυσικὴ καθέστηκεν, ἧς ἀναιρουμένης, πάντως συναναιρεῖται καὶ ἀπόλλυται καὶ ἡ φύσις. Ἀναιρουμένης τῆς καύσεως, σβέννυται τὸ πῦρ. Ἀναιρουμένης τῆς κινήσεως τοῦ ζώου, ἀπόλλυται τὸ ζῶον. Ἀναιρουμένης τῆς νοήσεως, ἀπόλλυται τὸ νοερὸν τῆς ψυχῆς, καὶ λογιστικὸν αὐτῆς.

(5) DAMASC. primæ instit. cap. 8. pag. 466. Ἐνέργειά ἐστι, κίνησις δραστικὴ τοῦ ποιοῦντος. Ἐνέργεια δὲ φυσική ἐστι, κίνησις φύσεως δραστική.

(6) MAXIM. in calce tom. 8. Annal. Baron. p. 702. E. Πάσης φύσεως ὅρος ὁ τῆς οὐσιώδους αὐτῆς ἐνεργείας καθέστηκε λόγος.

(7) Ibid. pag. 703. B. Ἡ γὰρ ἐνέργεια, φυσικὴ οὖσα, φύσεως ὑπάρχει συστατικὸς, καὶ ἔμφυτος χαρακτήρ.

(8) AGATHO in sex. Syn. act. 4. pag. 52. A. Ὅτι ἀδύνατον, καὶ παρὰ τὴν τάξιν τῆς φύσεως ἐστὶ, δύνασθαι εἶναι φύσιν, καὶ ἐνέργειαν μὴ ἔχειν φύσεως.

[1] Maxim. Sent. 1. de Theolog. c. 3.

[2] Tom. 1. lib. 5. cap. 10. § 4.

mus, et ἐνέργειαν cum plerisque idem cum motione constituimus.

Ἐνέργειαν itaque communi consensu veteres omnes οὐσιώδη vocant, id est *substantivam* motionem naturæ, cujus nota est, et character. Ubi vox οὐσιώδης non itidem accipi debet, ut cum οὐσίᾳ cum ὑποστάσει comparatur, et essentia ipsa, ac definitione circumscribitur ; sed paulo latius, ut id omne comprehendat, quod naturam sequitur, et ei insitum est, vel ab ea necessario proficiscitur, nec est accidens : quod ἐπουσιῶδες appellari solet, quasi ad οὐσίαν accedens, et extraneum, ut Joannes Damascenus vocat in libro de duabus Christi voluntatibus ; (1) ubi accidentium illorum, quæ singula dicuntur ἐπουσιώδη, congeriem, hypostaseon esse characterem, notamque substantivam docet, ex communi græcorum Patrum opinione, a Porphyrio, aliisque philosophis tradita : de qua in quarto libro de Trinitate dixi [1]. Igitur οὐσιῶδες hoc sensu nominatur id quod vel naturam comitatur, et naturale ideo censetur ; vel quod ad hypostasim spectat, neque est accidens.

Hoc modo interpretandum est quod Hippolytus in fragmento octavo libri contra Beronem scripsit : « (2) Universorum conditor ex sanctissima semper virgine Maria per conceptionem inviolabilem, sine conversibilitate substantiave (cor. *substantians*) sibimet animam intellectualem cum sensitivo corpore natura factus est homo. » Ita latine reddidit Anastasius : quem puto scripsisse *substantians*, pro *substantiave*. Animam ergo cum carne *substantiavit*, ἐνουσίωσε, Verbum, hoc est sibi propriam, ac substantivam fecit, cum in eamdem assumpsit hypostasim. Maximus item in disputatione cum Pyrrho, « (3) creatricem operationem Deo inesse » dicit οὐσιωδῶς : quoniam ex substantia illius, et naturalibus principiis oritur.

V. Hinc frequens illud, ac celebre est apud antiquos theologos effatum : (4) Nullam sine operatione naturam esse ; et ubi nulla est operatio, ibi nullam penitus esse naturam, quod in disputatione cum Pyrrho tradit Maximus martyr. Et Agatho papa in epistola ad Constantinum Pogonatum : « Impossibile, *inquit*, et contra ordinem naturæ est, posse esse naturam, et operationem non habere naturæ. » Sophronius item in epistola synodica ad Sergium, « (5) Ex operationibus, *ait*, vel solis, ut earum rerum periti docent, naturæ dignoscuntur, et substantiarum discrimen ex operationum discrimine perpetuo naturaliter comprehenditur. »

In collatione cum principibus habita, Maximus apud Anastasium [2] : « Nihil, *inquit*, eorum, quæ sunt, sine operatione naturali subsistit. Sancti namque Patres manifeste dicunt, non esse, nec sciri, sine substantiali operatione, quæ hanc substantialiter characterizet, etc. Amisso quippe, secundum sanctos Patres, fremibili, leo non jam leo : et latrabili, canis non jam canis : et aliud quodcumque perdito quod se naturaliter commendabat, non ulterius est quod erat. » Hic Anastasius *commendabat* posuit pro eo quod græce sine dubio dixerat Maximus συνιστῶντος ; quod est *constituere*, non *commendare*. Et ita passim Maximus idem, aliique loquuntur.

Ex iis necessario sequitur illud, quod peræque tritum est usu sanctorum Patrum, (6) *Ea quæ sunt ejusdem naturæ, unius esse, et ejusdem operationis*. Ac prout est una natura, ita una est operatio. Itaque in iis, quæ κατ᾽ εἶδος, hoc est *specie*, sunt unum, una itidem specie est ἐνέργεια : quæ autem singulari natura constant, ea singularem, et numero unam habent actionem. « (7) Sic unitas naturæ in homine, quæ est secundum speciem, cum eamdem in omnibus individuis naturæ subjectis, sine ulla varietate rationem ostendat, » ut ait Maximus, unam itidem specie naturalem in omnibus actionem demonstrat. At in Deo, in

(1) DAMASC. lib. de duab. Christi volunt. p. 468. Συμβεβηκότα δὲ ταῦτα, καὶ ἐπουσιώδη καλεῖν ἔθος τοῖς περὶ ταῦτα δεινοῖς.

(2) HIPPOLYT. in Collect. Anast. pag. 231. Ὁ τῶν ὅλων δημιουργὸς ἐκ τῆς παναγίας ἀειπαρθένου Μαρίας, κατὰ σύλληψιν ἄχραντον, δίχα τροπῆς, ἐνουσιώσας ἑαυτῷ ψυχὴν νοερὰν μετὰ αἰσθητικοῦ σώματος, γέγονεν ἄνθρωπος.

(3) MAXIM. pag. 704. B. Εἰ οὐσιωδῶς πρόσεστι τῷ Θεῷ ἡ δημιουργικὴ ἐνέργεια.

(4) MAXIM. ibid. Ἔνθα γὰρ ἡ κατὰ φύσιν ἐνέργεια οὐκ ἔστιν, οὐδὲ ἡ φύσις ἔσται ποτ᾽ ἂν, etc. Ἔνθα γὰρ ἡ φύσις, ἐκεῖ καὶ ἡ κοινὴ κατ᾽ αὐτὴν ἀπαραλείπτως ἔσται ἐνέργεια.

(5) SOPHR. in 6. Syn. act. 11. pag. 170. E. Εἴπερ ἐκ τῶν ἐνεργειῶν καὶ μόνων, κατὰ τοὺς τὰ τοιαῦτα δεινοὺς, αἱ φύσεις γνωρίζονται, καὶ τῶν οὐσιῶν ἀεὶ τὸ διάφορον ἐκ τοῦ διαφόρου τῶν ἐνεργειῶν καταλαμβάνεσθαι πέφυκεν.

(6) MAXIM. in disp. cum Pyrrho pag. 698. E. Τὰ τῆς αὐτῆς ὄντα οὐσίας, καὶ τῆς αὐτῆς εἶναι ἐνεργείας. Vide et pag. 703. C.

(7) Ibid. B. Τὸ μὲν γὰρ κατ᾽ εἶδος τοῦ ἀνθρώπου ἓν, τὴν ἐν πᾶσι τοῖς ὑπὸ τὴν φύσιν ἀτόμοις ἀπαραλλαξίαν ἐνδείκνυται.

[1] C. 7. et 8.

[2] In Collect. Anast. p. 128.

quo una est non specie solum, sed etiam numero natura, perinde una est ἐνέργεια numero, ac singularis trium personarum motio, ut loquitur Joannes Damascenus [1], de quo pluribus agemus, cum de voluntate Christi verba faciemus.

Nec solum id, quod ex Maximo paulo ante dixi, verum est : sed etiam id, quod postmodum subjecit, vicissim ac reciproce valet : « (1) Ut quæ sunt ejusdem operationis, natura eadem illa constent ; tum et quæ substantia differunt, etiam operatione distent, et quæ operatione distant, ea pariter substantia discrepent. » Quod et Joannes Damascenus habet in libro tertio, capite 14. et ante hos Basilius Epistola 80. ubi (2) operationes ait pro naturarum discrimine esse distinctas.

VI. Ut autem ἐνεργείας ratio, qua et sæpius et multipliciter antiqui Patres uti solent, plenius nobis accuratiusque perspecta sit, proderit illius varias notiones, acceptionesque discernere, quas ex eodem Maximo, et Joanne Damasceno hoc loco proponam. Horum prior in disputatione cum Pyrrho adnotat, « (3) Sanctos Patres variis nominibus affecisse humanæ naturæ motionem (hoc est ἐνέργειαν) prout ejus diversæ notiones postulabunt. » Tum eas ita declarat. « Appellarunt ipsam, *inquit*, et facultatem, et operationem, et differentiam, et motionem, et proprietatem, et qualitatem, et passionem ; hanc autem usurparunt non quatenus opponitur divinæ, sed quatenus quidem continet, ac conservat, et est immutabilis, eam facultatem nominarunt : quatenus vero character est et nota propria, quæ in omnibus eadem comprehensis specie invariabilem quamdam rationem ostendit, energiam vocarunt : ut autem distinguit ac discernit, differentiam : ut indicandi vim habet, motionem : ut constituit, et soli ipsi, ac non alteri naturæ inest, proprietatem : ut speciem facit, qualitatem : ut movetur, passionem nuncuparunt. Etenim omnia quæ ex Deo sunt, et post Deum, eo ipso patiuntur, quo moventur, utpote quæ non sunt ipsa motio, ipsaque vis ac virtus. » Quem Maximi locum, tacito nomine, Joannes Damascenus exscripsit [2]. Ex his autem appellationibus, aliquæ sunt attentius explorandæ. Non enim levium, aut parum necessariarum ad hanc disputationem quæstionum occasionem offerunt.

VII. Harum prima est quomodo illa naturæ motio δύναμις vocetur. Est autem δύναμις, *facultas* a natura insita, et effectrix operationum , ac tanquam principium, idem cum natura ipsa, vel ab ea certe ratione sola, et ἐπινοίᾳ distinctum. An igitur ἐνέργεια, de qua ambo illi eruditissimi theologi, Maximus et Joannes Damascenus, loquuntur, et de qua Catholici cum hæreticis Monotheletis acri, et diuturno certamine conflixerunt, manens quiddam est, et stabile, qualis est ἕξις, id est habitus, facultasve naturalis ? Atqui operationem, sive actionem significare videtur, rem fluxam, minimeque consistentem, nec instar ἕξεως habentem, sed κινήσεως potius, id est *motionis ;* quæ, ut supra meminimus , in illius definitione solet adhiberi. Atque hoc non tantum de ἐνεργείᾳ, sed etiam de θελήσει, id est voluntatis actione, quæritur, in quam præcipua vis altercationis incubuit. Hanc nos controversiam in caput quartum differemus ; ubi Monotheletarum, ac similium de Christi operatione perperam opinantium intimos sensus perscrutabimur : in quibus eruendis summos theologos laborasse, nec se satis expediisse cernimus, dum eos videlicet sua, et nova plusculum inventa delectant.

VIII. Alterum τῆς ἐνεργείας significatum apud Maximum, quod peculiarem animadversionem exigit, istud est, propriam esse naturæ notam, et characterem, quo tum in se ipsa constituitur, tum ab aliis distinguitur. Ex quo passim antiqui Patres loqui ita consueverunt : naturæ cuilibet suam esse tributam ἐνέργειαν, qua id solum careat, quod non est, ut in capite primo libri hujus, et in quinto libro de Deo, capite

(1) Maxim. disp. contra Pyr. pag. 703. C. Πάντες γὰρ διαῤῥήδην κοινῇ, καὶ εἶπον, καὶ ἐδίδαξαν, τὰ τῆς αὐτῆς ὄντα οὐσίας, καὶ τῆς αὐτῆς εἶναι ἐνεργείας· καὶ τὰ τῆς αὐτῆς ὄντα ἐνεργείας, τῆς αὐτῆς εἶναι οὐσίας· καὶ ὅτι τὰ τῇ οὐσίᾳ διαφέροντα, καὶ τῇ ἐνεργείᾳ διαφέρουσι· καὶ τὰ τῇ ἐνεργείᾳ διαφέροντα, καὶ τῇ οὐσίᾳ διαφέρουσι.

(2) Basil. ep. 80. pag. 904. D. Ἀλλὰ τῇ τῶν φύσεων διαφορᾷ συνδιαχωρίζονται ἀπ' ἀλλήλων καὶ αἱ παρὰ τούτων ἐνέργειαι.

(3) Ibid. 704. E. Πολυτρόπως αὐτὴν πρὸς τὰς ὑποκειμένας δηλονότι ἐννοίας, ὠνόμασαν. ΠΥΡ. Πῶς τοῦτο λέγεις ; ΜΑΞ. Προσηγόρευσαν αὐτὴν καὶ δύναμιν, καὶ ἐνέργειαν, καὶ διαφορὰν, καὶ κίνησιν, καὶ ἰδιότητα, καὶ ποιότητα, καὶ πάθος, οὐ κατὰ ἀντιδιαστολὴν τῆς θείας, ἀλλ' ὡς μὲν συνεκτικὴν, καὶ ἀναλλοίωτον, δύναμιν· ὡς δὲ χαρακτηριστικὴν, καὶ τὴν ἐν πᾶσι τοῖς ὁμοειδέσιν ἀπαραλλαξίαν ἐμφαίνουσαν, ἐνέργειαν· ὡς δὲ ἀφοριστικὴν, διαφορὰν· ὡς δὲ ἐνδεικτικὴν, κίνηκιν· ὡς δὲ συστατικὴν, μόνῃ αὐτῇ, καὶ οὐκ ἄλλῃ προσοῦσαν, ἰδιότητα· ὡς δὲ εἰδοποιὸν, ποιότητα· ὡς κινουμένην, πάθος· πάντα γὰρ τὰ ἐκ Θεοῦ, καὶ μετὰ Θεὸν, πάσχει τῷ κινεῖσθαι, ὡς μὴ ὄντα αὐτοκίνησις, ἢ αὐτοδύναμις.

[1] Lib. de duab. Christi volunt. p. 482.

[2] Damasc. lib. 3. c. 15. p. 236.

decimo, aliquot illorum dictis, testimoniisque probavimus. Sed est nonnulla dubitatio, utrum omni substantiæ, ac naturæ suam ἐνέργειαν convenire veteres illi censeant, etiam inanimæ : velut terræ, lapidibus, ac ceteris, quæ minus actuosa per sese natura finxit ; quæque nulla nisi communi cum reliquis actione censentur ; et pati potius, quam agere operarive dicuntur. Etenim gravia omnia hoc a natura insitum habent, ut deorsum suopte pondere nitantur ; uti levia sursum : eaque videtur illorum ἐνέργεια, et proprietas esse. Non dubium est, quin eorumdem, quos citavimus, nonnullis Patrum sententiis sit illud consentaneum, præsertim cum sit natura quædam per omnia terrena corpora diffusa, quæ gravitatis, et propensionis in inferiorem mundi locum principium est : quemadmodum huic opposito levitatis, et in altum subvectionis causa est altera natura. Sed sunt ex illis, quorum auctoritate usi sumus, qui ἐνέργειαν non qualemcumque vocant impulsum, aut vim, ac facultatem ; sed eam duntaxat, quæ insignis est, et expressa magis, et ad extremam naturæ determinationem, ac perfectionem propius spectat : cujusmodi sunt qualitates illæ vel operationes, quæ formam, et *specificum*, ut vocant, naturæ *gradum* sequuntur ; non materiam, ac generis, quæ instar est materiæ, communem rationem. Ita enim Anastasius in illo, quem antea citavimus loco [1], postquam diversas ἐνεργείας proprietates, et nomenclaturas exposuit, istud adjungit : « (1) Non solum autem in animatis, et moventibus sese, sed etiam in anima carentibus, et immotis invenire licet naturales energias, quemadmodum scammonia testatur, et omnia quæ evacuandi habent efficacitatem. Quin etiam argentum vivum letiferam vim habet, et cicuta mortem perinde consciscit, etc. »

Quibus verbis Anastasius indicat, ἐνεργείας vocabulo præstantiores, et rariores efficientias, ac vires contineri : ut sunt in herbis quibusdam, aut lapidibus, velut in magnete.

Sic *actionem* Cicero solis animalibus tribuit, detrahit inanimis, dum ita scribit [2] : « Deinde cum inter inanimum, et animal hoc maxime intersit, quod inanimum nihil agit, animal agit aliquid. Nihil enim agens ne cogitari quidem potest quale sit, etc. »

Eodem pertinet, quod ἐνέργειαν Græci nonnunquam pro admirabili, et singulari efficacitate sumunt, ut Origenes in primo libro contra Celsum, « (2) Hebræa nomina passim admisceri » dicit, « in Ægyptiacis disciplinis, quæ energiam aliquam profitentur. »

IX. Postremo illud etiam considerandum est, ἐνεργείας proprium nomen a Græcis notari πάθος, quod non aliter latine possis explicare, quam *affectionis* vocabulo, nisi barbarum malis usurpare *passionis*. Cujus vocis interpretationem subjicit Maximus, cum ait, creatas res omnes, et post Deum censitas, eo ipso pati, quo moventur ; quoniam scilicet alterius moventis impressionem admittunt, et in sese recipiunt. Idem docet Joannes Damascenus [3], ut jam adnotavi. Qui et eodem in capite decimo quinto [4] ex Chrysostomo illud observat, Christi πάθος, appellari ἐνέργειαν : de quo agetur postea, cum et illam Monotheletarum vocem expendemus, cujus ibidem Damascenus meminit, humanam ἐνέργειαν, si cum Deo conferatur, πάθος potius appellari debere, quam ἐνέργειαν, ex quo subdole hæresim suam interpretabantur, tanquam ob id unicam in Christi utraque natura ἐνέργειαν agnoscerent.

Alibi quoque auctor ille, πάθος, id est *affectionem naturalem*, definit, « (3) passibilem naturæ motionem in eo quod patitur ; quæ est operatio naturæ, affectio vero illius, in quo est operatio. » Et in libro de duabus Christi voluntatibus, asserit, sensus omnes, visum, auditum, odoratum, et ceteros, itemque memoriam, appetitionem, famem, sitim, fatigationem, voluptatem, dolorem « (4) esse affectiones rationis expertes, et operationes : operationes quidem, et facultates naturæ, etc. affectiones vero, sive passiones, eo quod omnis creata motio patibiliter movetur, et operatur ; sola vero divina natura impatibilis est, quæ sine passione movetur, et absque motione

(1) Anast. in Ὁδηγῷ, pag. 42. Οὐ μόνον δὲ ἐπὶ ἐμψύχων, καὶ κινητικῶν, ἀλλὰ καὶ ἀψύχων, καὶ ἀκινήτων ἐστὶν εὑρεῖν φυσικὰς ἐνεργείας, ὡς μαρτυρεῖ ἡ σκαμμονία, καὶ τὰ καθάρσια, τὰ κενωτικῆς ἐνεργείας ὑπάρχοντα· καὶ ἡ ὑδράργυρος θανατικὴν ποιοῦσα ἐνέργειαν· καὶ τὸ κώνειον ὁμοίως ἀναιρετικὸν ὑπάρχον.

(2) Orig. 1. con. Cel. pag. 17. Ἅτινα ὁμολογουμένως Ἑβραῖα ὄντα ὀνόματα πολλαχοῦ τοῖς Αἰγυπτίοις ἐπαγγελλομένοις ἐνέργειαν ἐνέσπαρται μαθήμασι.

(3) Damasc. lib. de prima Instit. pag. 466. Πάθος ἐστὶ φυσικὸν, κίνησις φύσεως παθητικὴ τοῦ πάσχοντος. Ἥτις τῆς μὲν φύσεως ἐστὶν ἐνέργεια, πάθος δὲ τοῦ περὶ ὃ ἡ ἐνέργεια.

(4) Damasc. pag. 477. Ταῦτα πάντα ἄλογα πάθη, καὶ νέργειαι μὲν, καὶ δυνάμεις τῆς φύσεως, etc. πάθη δὲ, ὅτι πᾶσα κίνησις κτιστὴ παθητικῶς κινεῖται, καὶ ἐνεργεῖ. Μόνη δὲ ἡ θεία φύσις ἐστὶν ἀπαθὴς, ἀπαθῶς κινουμένη, καὶ ἀκινήτως ἐνεργοῦσα.

[1] Sup. § 3. — [2] Lib. 2. Acad. quæst.

[3] Lib. 3. c. 15. sub fin. — [4] Damasc. ib. p. 234.

operatur. » Addit quasdam ex illis magis operationes esse, quam passiones ; ut vitam : quasdam magis esse passiones ; ut mortem, sectionem, fluxionem, necnon dealbationem, nigrefactionem, calefactionem, frigefactionem, et similes.

X. Quod autem eas, quas vocant, *passiones*, id est πάθη, *motiones* esse sancti illi Patres affirmant, hoc ab Aristotele sumptum videri potest ; qui in libro primo de Anima, dubium esse dicit, an anima ipsa moveatur ; « (1) eo quod vulgo ita loquuntur, animam dolore affici, gaudere, confidere, timere, item irasci, sentire, intelligere ; hæc autem omnia motiones esse videntur : unde quispiam opinabitur ipsam moveri. » Sed respondet, etsi motus esse demus affectiones illas, effici ab anima potius, quam in ea recipi, et idcirco minime moveri. Porro motus non esse, sed ἐνεργείας, sentire Aristotelem, et ibidem significare, cum tanquam addubitans ait, « (2) Si omnino sunt motus, » adnotant eruditi interpretes græci, ac latini, ut Themistius, Simplicius, S. Thomas [1]. Idque ipsum fuse probat Themistius, quod motus sit ἐνέργεια τοῦ ἀτελοῦς, hoc est *actus imperfecti* : at ἐνέργεια simpliciter nominata perfecti propria est. Quare κίνησιν ab ἐνεργείᾳ distinguit. Verum cum ἐνέργειαν esse motionem Christiani theologi asserunt, haud adeo limata, et enucleata subtilitate voces accipiunt. Sed κίνησιν pro mutatione qualicumque sumunt, et transitu a potentia ad actum. Unde tolerari debet illorum ista ratio, quam et Aristoteles usurpari permittit, ut Themistius adnotat : (3) dummodo cautio hæc adhibeatur, diversum quoddam esse genus ἀλλοιώσεως, id est mutationis, quam *alterationem* Scholæ nominant. Certe Cicero *motiones animi*, et *rationes* appellare non dubitavit διανοίας, et νοήσεις, ita scribens in primo Academicorum : « Scientiam autem nusquam esse censebant, nisi in animi motionibus, et rationibus. » Hoc ipsum, naturam nullam ἐνεργείᾳ destitutam esse, testatur his verbis Tertullianus, libro contra Marcionem primo capite 22. « Otium sui natura non novit : hinc censetur, si agat. »

CAPUT SECUNDUM.

Utrum ἐνέργεια suppositi sit, an naturæ. — 1. Constituitur primum differentia naturæ, et suppositi. Naturam nihil agere, nisi subsistentem. — 2. Expenditur vulgare illud effatum, *Actiones esse suppositorum*, an apud Aristotelem extet, et an verum sit utrimque disputatur. — 3. Suppositum est natura ipsa subsistens. Itaque non recte dubitatur sitne actio naturæ, an supposito tribuenda. — 4. Ostenditur tamen, actionem esse naturæ potius, qua natura est, imputandam, quam ut est subsistens : idque præclara Maximi sententia demonstratur. — 5. Aristotelis quidam locus illustratur, et exponitur.

I. Valde est ad insequentem disputationem utilis, imo necessaria quæstio ista, utrum ἐνεργείας principium sit natura ipsa simpliciter, et secundum se considerata ; an ὑπόστασις, et *persona* ; quod ita græci Patres proponunt, *utrum energiæ sint hypostaticæ, an naturales*, qua in disceptatione magnarum, et perdifficilium sita sunt momenta controversiarum ; quæ catholicam Ecclesiam multum, ac diu exercitam habuerunt, de quibus paulo post. Nunc ut generatim quæstionem hanc enodemus, fundamenti hoc loco ponendum est, quod si attente perspectum fuerit, ad plenam illius explicationem valet : Inter naturam, et suppositum, non rei, sed ἐπινοίας, id est *rationis*, esse discrimen : ac personam, vel suppositum nihil ad naturam aliud addere, præter *modum existendi* ; ut in quarto de Trinitate copiose dis-

(1) ARIST. 1. de An. cap. 4. tex. 62. Φαμὲν γὰρ τὴν ψυχὴν λυπεῖσθαι, χαίρειν, θαῤῥεῖν, φοβεῖσθαι, ἔτι δὲ ὀργίζεσθαι, καὶ αἰσθάνεσθαι, καὶ διανοεῖσθαι· ταῦτα δὲ πάντα κινήσεις εἶναι δοκοῦσιν. Ὅθεν οἰηθείη τις ἂν αὐτὴν κινεῖσθαι.

(2) Ibid. Εἰ γὰρ καὶ ὅτι μάλιστα τὸ λυπεῖσθαι, ἢ χαίρειν, ἢ διανοεῖσθαι κινήσεις εἰσί.

(3) THEMIS. Εἰ δὲ καὶ τὰς ἐνεργείας τις κινήσεις λέγοι, πρὸς τοὔνομα, ὅπερ εἶπον πρότερον, οὐ χρὴ φιλονεικεῖν· διορίζεσθαι δὲ, ὅτι εἴπερ καὶ τὰ τοιαῦτα κινήσεις, ἀλλ' ἕτερόν γε εἶδος τοῦτο κινήσεως.

[1] Lect. 10. in 1. de An.

servimus, et hujus tomi libro tertio, et sexto. Itaque suppositum nihil aliud est, quam natura singularis per se subsistens : ac tota illius ratio, et essentia est natura ipsa modificata, et determinata. Sicut hominis sive sedentis, sive stantis essentia et definitio, non est sessio, vel statio ; sed id quod homini in se spectato convenit, ut sit animal ratione præditum. Et cum persona quippiam agere, vel aliquo modo affici dicitur, idem est, ac naturam facere aliquid, aut pati. Est enim natura *motus, et quietis principium*.

Sed hæc ipsa natura uti nihil agit, aut patitur, ac nullam penitus functionem exerit, nisi extet actu : neque tamen *existentia* est essentia, nec in definitione continetur : ita nec ullam actionis, aut rei, atque *entis* proprietatem exercet, nisi actu subsistat, hoc est actu sit *substantia*. Hoc autem non aliter consequitur, nisi modo illo affecta, quem dixi, ac determinata, et hujusmodi constituta substantia. Quamobrem uti punctum, vel ultimus lineæ terminus, lineæ pars non est, nec in ejus essentia, vel ὀντότητι, ut græci philosophi loquuntur ; ut latini, *entitate*, numeratur : nec ad lineam οὐσιῶδες aliquid addit : hoc tamen confert, ut sine ipso linea esse non possit, neque quod lineæ proprium est, præstare : quoniam nisi terminata, et definita fuerit, seipsam explicare nequit : eodem modo substantia quælibet ab ultimo suo complemento, vel modo subsistendi, tanquam ab forma quadam pene externa, hoc est minime substantiva, vel, ut scholæ dicunt, *essentiali*, illud habet, ut actuosa sit, et ἐνεργείας illas reipsa proferat, quarum fons est, et principium. Etenim ratiocinandi, ac sentiendi vis, et facultas inest homini, et ejus naturæ est insita : neutra tamen in actum transire potest, nec expedire se, nisi homo re et actu sit, ac non solum existat in rerum natura, sed subsistat etiam.

II. Quo velut jacto fundamento, ut ad propositam quæstionem veniamus, commune illud effatum, et scholarum usu contritum paululum intuendum est, quo ita dicitur, *Actiones esse suppositorum*. Hujus auctorem nonnulli faciunt Aristotelem, sed frustra ; non solum quod suppositum, vel hypostasim, quatenus usurpantur in scholis, et ut ab natura vel substantia differt, funditus ignoravit Aristoteles : sed ideo maxime, quod quæ ab illis istius sententiæ proferuntur nihil ejusmodi continent. Affertur imprimis locus iste secundi Nicomacheorum, capite septimo, ubi « (1) circa particularia versari » dicit *actiones*. Verum perspicuum est dicti hujus hunc esse sensum, actionis effectum non generale quiddam esse, sed singulare, ac certis loci, temporis, et adjunctorum ceterorum circumstantiis definitum. Quod in primo Metaphysicorum, capite primo clarius exponit, (qui est alius locus, in quo sententiosi illius dicti cubile statuitur :) « (2) Actiones, ac generationes, *inquit*, omnes circa singularia sunt : Non enim hominem sanat qui medetur, nisi forte ex accidenti : sed Calliam, vel Socratem, aut alium quempiam eorum, qui sic vocantur, cui accidit ut homo sit. » Prorsus non hic agit de principio actionis, et efficientiæ ; sed de *objecto*, vel *subjecto*, ut vocant, in quo suum ars opus molitur.

Propius ad illam sententiam pertinet quod in primo libro de Anima scribit Philosophus : « (3) Dicere, *inquit*, animam irasci perinde est ac si quis dicat, animam texere, vel ædificare. Ac forte melius est non ita loqui, ut dicamus animam misereri, vel discere, vel cogitare ; sed hominem anima. » Hinc etiam Maximus martyr in libro de Duabus voluntatibus, apud Euthymium ; cum dixisset, « (4) substantivam, et insitam nobis voluntatem naturales omnes proprietates continere, et cupere continere, nec ulla privari ; » mox ista subtexit : « Sive potius nos per ipsam, et secundum ipsam. »

Cui consentaneum istud est S. Thomæ [1] : « Actiones esse suppositorum, et totorum ; non autem proprie loquendo partium, et formarum, seu potentiarum. Non enim proprie dicitur quod manus percutiat, sed homo per manum : neque proprie dicitur, quod calor calefaciat. »

At ex adverso pugnare videntur Christiani omnes theologi, qui contra unius operationis, et voluntatis patronos hæreticos hoc uno usi

(1) ARIST. 2. Eth. cap. 7. Περὶ γὰρ τὰ καθ' ἕκαστα αἱ πράξεις.

(2) ARIST. Αἱ δὲ πράξεις, καὶ αἱ γενέσεις πᾶσαι περὶ τὸ καθέκαστόν εἰσιν. Οὐ γὰρ ἄνθρωπον ὑγιάζει ὁ ἰατρεύων, πλὴν ἀλλ' ἢ κατὰ συμβεβηκος, ἀλλὰ Καλλίαν, ἢ Σωκράτην, ἢ τῶν ἄλλων τινὰ οὕτω λεγομένων, ᾧ συμβέβηκεν ἀνθρώπῳ εἶναι.

(3) ARIST. 1. de An. cap. 4. tex. 64. Τὸ δὲ λέγειν ὀργίζεσθαι τὴν ψυχὴν ὅμοιον κἂν εἴ τις λέγει ψυχὴν ὑφαίνειν, ἢ οἰκοδομεῖν. Βέλτιον γὰρ ἴσως μὴ λέγειν τὴν ψυχὴν ἐλεεῖν, ἢ μανθάνειν, ἢ διανοεῖσθαι, ἀλλ' ἄνθρωπον ψυχῇ.

(4) MAXIM. apud Euth. Panop. tit. 18. lat. p. 659. Πάντα γὰρ ἀεὶ συνέχει, καὶ συνέχειν ἐφίεται, καὶ οὐδενὸς ἔχειν τὴν στέρησιν τὸ οὐσιῶδες ἐν ἡμῖν, καὶ ἔμφυτον θέλημα· μᾶλλον δὲ ἡμεῖς δι' αὐτοῦ τε, καὶ καθ' αὐτό.

[1] S. Thom. 2. 2. qu. 58. art. 2.

sunt argumento, naturæ esse propriam operationem, non hypostasis, vel suppositi, ac pro naturarum differentia, differre τὰς ἐνεργείας, de qua ratione postea fusius.

III. Verum facillimum erit ista inter se conciliare, si quæ initio capitis hujus exposita sunt, animo retineamus; suppositum, sive hypostasim, aut personam, esse naturam ipsam singularem certo modo affectam, qui modus nec ad essentiam pertinet, nec *entitatem*, ut vocant, addit ullam. Ideo quæcumque de supposito dicuntur, ea de natura prædicantur, non simpliciter, et ut in se consideratur, sed quatenus quodammodo modificatur. Quocirca actiones esse suppositorum, nihil aliud est, quam esse naturæ subsistentis. Non enim modus ille ipse, qui *subsistentia* vulgo in scholis vocatur, origo, ac fons est actionis; sed tantum conditio quædam, sine qua non exercetur actio. Ut ignis proxima tantum urit, longius posita non corripit : nec tamen admotio ipsa, vel situs, et propinquitas stipulæ, vel ligni, ustionem facit, sed ignis ipse propinquior factus. Item gladius figura, et conformatione fit idoneus ad secandum; non tamen figura ipsa secat, sed ferrum in eum modum formatum : qua similitudine utitur Themistius ad illum Aristotelis locum, quem citavimus ex libro primo de Anima. Sic igitur agit natura quævis, velut humana, quatenus et existit, et eo existit modo, qui substantiæ proprius est, hoc est ut subsistit, et homo dicitur. Non tamen modus ipse, vel actus subsistendi vim agendi, et efficacitatem imprimit : sed insitam, et congenitam naturæ facultatem terminando, ac circumscribendo facit actuosam.

Itaque pene ridicula et inepta est ista contentio; utri potius naturæ, an supposito tribuenda sit operatio. Siquidem utrobique subest natura eadem, sed diverso modo considerata : primum per se, et ratione essentiæ : deinde quatenus subsistit, et vel sua se, vel aliena ope sustentat.

IV. Quod si quis ita quærere, et instare pergat, utrum ab natura, qua natura est et secundum essentiam, an qua suppositum est, ἐνέργεια proficiscatur; prompta et vulgaris est responsio; si id, *quod agit*, operaturque spectamus, esse naturam, qua suppositum est, hoc est naturam, ut paulo ante dixi, per se subsistentem. Sin id *quo agit* inquirimus, vim ipsam scilicet, ac δύναμιν efficacem, ac fœcundam actionis, reique productæ; naturam esse per se, ac secundum ea, quæ οὐσιώδη sunt. Etenim tam effectæ rei qualitas, et proprietas, ejusque natura et essentia, quam differentia, ex efficientis causæ natura pendet, absolute, ac secundum se considerata. Quippe id omne quod agit, ad hoc tendit, ut sibi natura simile aliquid efficiat; et pro naturarum numero, numerus τῶν ἐνεργειῶν constat, nec plurium ac diversarum uniusmodi esse potest actio. Quod quidem sæpius, et accurate Patres inculcare solent, adversus unius naturæ, et actionis in Christo defensores hæreticos : ut in sequentibus quæstionibus plenius explicabitur. Ac passim illud repetunt, ἐνεργείας esse φυσικὰς, id est *naturales*, non ὑποστατικὰς, tametsi ab hypostasi modificentur.

Cujus dicti vim uberiori postmodum enarratione, tum exemplis pluribus illustrabimus. Nunc una contenti erimus auctoritate Maximi martyris, gravis et eruditi theologi : qui id omne, quod naturale est, primario referri ait non ad individuum, sed ad ejus naturam. Solent autem individuum antiqui Patres pro hypostasi, vel supposito sumere; ut alias observavimus. Cum igitur Monotheletas refelleret, qui unam esse Christi ἐνέργειαν asserebant; « (1) mirari se *ait*, qui tandem unicam illam operationem constituant; idque facere se profiteantur, respectum habentes ad individuum, et ad hoc referentes. » Quos ea primum ratione confutat, « quod nihil eorum, quæ naturalia sunt, principaliter ad individuum, sed ad hujus naturam, et essentiam refertur. » Quid est autem rei cuipiam naturale magis, quam quod in ejus definitione ponitur; quod est οὐσιῶδες, id est *substantivum*; quod essentiæ propria nota est, et character; quo in seipsa constat, et constituitur, atque ab ceteris generis ejusdem, tanquam οὐσιώδει differentia, separatur : ac sine quo natura ipsa dignosci, imo vero conservari, et consistere nullo modo potest? Atqui omnia ista sunt ἐνεργείας illius propria, de qua utrum unica esset an multiplex in Christo, tantopere inter se Catholici hæreticique certarunt, ut ex superiori capite constat. Quamobrem ex veterum illorum sensu liquet, operationem magis ad naturam, ut in se est, referri, quam ad eamdem, ut subsistit, et hypostatica proprietate completur.

(1) Maxim. apud Euth. Pan. tit. 18. lat. pag. 661. Ἔπεστι δέ μοι θαυμάζειν καὶ περὶ ἐνεργείας, πῶς μίαν ταύτην ἐπὶ Χριστοῦ δογματίζουσι, τῇ πρὸς τὸ ἄτομον ἀποσκοπήσει, καὶ ἀναφορᾷ· καὶ ἵνα παρῶ λέγειν, ὅτι μηδὲν τῶν φυσικῶν εἰς ἄτομον προηγουμένως, ἀλλ' εἰς τὴν τούτου φύσιν τε, καὶ οὐσίαν ἔχει τὴν ἀναφοράν.

V. Quod autem ex Aristotelis capite quarto libri primi de Anima supra memoravi[1], ex quo probari posse videretur, *actiones esse suppositorum ;* ubi nimirum sic scribit, non tam animam esse, quæ cogitat aut discit, quam hominem qui hoc anima facit : id sane de *supposito* vere proprieque dictum intelligitur, in quantum cum parte sui aliqua, vel facultate confertur : quæ velut instrumentum est, et agendi principium ; propter quod vi, et eminentia virtutis effectum in sese, tanquam causa, continere dicitur. At vero longe est altera ratio, quando natura tota cum subsistendi proprietate comparatur, sive natura in se spectata, cum natura subsistente. Siquidem natura per se, et ab existendi modo cogitatione præcisa, neque pars est cum toto comparata : neque modi illius, quo subsistit, aut suimet modo isto præditæ, affectæque facultas, vel instrumentum. Unde perspicuum est nullum ex illo Aristotelis loco præjudicium fieri contra commune illud veterum Patrum decretum adversus *Monotheletas*, vel *Monenergetas*, (ut novo, sed apto vocabulo sic eos designem, qui unicam ut voluntatem, sic operationem Christo tribuebant,) cum affirmant, operationes naturæ esse potius, quam suppositi. Sed hoc melius, et commodius ex sequenti contra hæreticos illos disputatione capietur.

VI. Interim non est prætermittendus Theodori Abucaræ locus quidam ad propositam quæstionem multum pertinens[2]. Docet ille primum, hypostasim diversas operationes exercere, cum una eademque maneat ; veluti Paulus, eadem cum sit persona, sentit, intelligit, loquitur, et alia omnia per suum quodque organum singula facit. Deinde asserit, « (1) quamlibet hypostaticarum operationum habere naturalem in hypostasi vim, tanquam materiam effectui subjectam, quem hypostasis efficit : et est effectus hypostasis proprius. Quemadmodum Paulus, qui est hypostasis, vim et facultatem habet ex animi sui sententia loquendi, cujusmodi inest omnibus hominibus. Verum sermones ipsi, quos Paulus loquitur, quo is tempore loquitur, illius sunt proprii. »

Præclare hic naturalem facultatem vocat ὕλην, id est *materiam* effecti, quod hypostasis operatur : quasi fontem, et promptuarium, unde agendi perennis suppeditatur copia ; tum hypostasim esse id, quod operatur, et cui operatio tribuitur, et inscribitur. Quæ proprietas maxime τῷ προσώπῳ, id est *personæ*, convenit, ut Theoriani locus ille demonstrat ex legatione ad Armenos, quem locum in libro quarto de Trinitate descripsimus[3], et enarravimus : ubi πρόσωπον ab ὑποστάσει discernit, et esse ait ὑπόστασιν, quatenus per naturales actiones, et proprietates manifesta fit, et ab aliis ejusdem naturæ consortibus distinguitur.

CAPUT TERTIUM.

De Monotheletarum hæresi. — 1. Non eos fuisse primos auctores dogmatis sui ; sed ante hos Beronem quemdam ; — 2. tum Arianos ; — 3. et Apollinaristas. — 4. Necnon Eutychianos. — 5. Declaratur ratio, cur non illis potius, quam Monotheletis inscripta sit hæresis illa. — 6. Duas naturas agnoverunt Monotheletæ. Sed in proprio explicando dogmate discordes fuerunt. — 7. De operatione theandrica, et quid de ea senserint illi : cujusmodi *unam* illam interpretati sunt. — 8. Dissidium super hac re Monophysitarum Colluthi, et Themistii. — 9. Unitione unam esse aliqui dixerunt. — 10. Variæ ludificationes aliorum.

I. Postquam in antecedente duplici capite susceptæ disputationis universæ fundamenta jecimus, deinceps ad illud explicandum veniemus, cujusmodi operationes Christi fue-

(1) THEODOR. tom. 11. bibl. pag. 395. Ἑκάστη δὲ τῶν ὑποστατικῶν ἐνεργειῶν ἔχει φυσικὴν ἐν τῇ ὑποστάσει δύναμιν, ὕλην ὑποκειμένην τῷ ἐνεργήματι, ὅπερ ἡ ὑπόστασις ἐνεργεῖ. Καὶ ἔστι τὸ ἐνεργούμενον ἴδιον τῆς ὑποστάσεως, ὃν τρόπον Παῦλος, ὑπόστασις ὤν, δύναμιν ἔχει τῇ ἑαυτοῦ γνώμῃ λαλεῖν, ὡς ἔχουσιν οἱ πάντες ἄνθρωποι· οἱ μέντοι λόγοι, οὓς Παῦλος λαλεῖ, καθ' ὃν φθέγγεται καιρὸν τοῦ Παύλου εἰσὶν ἴδιοι.

[1] § 2. — [2] Tom. 11. Bib. pag. 394.

[3] Cap. 2. § 10.

rint; utrum una scilicet duarum, quæ insunt ipsi, naturarum, an plures extiterint: ita ut suam quæque, ac propriam habuerit. Sed ut veterum de hac re opinio Patrum, et catholici dogmatis ratio perfecte a nobis intelligatur, consultum fuerit, Monotheletarum hæresim accurate prius exponere, contra quam Catholici doctores suas illas omnes, quas inquirimus, et duces modo sequi volumus, sententias direxerunt. Neque vero illa sunt repetenda nobis, quæ in primo libro tomi hujus [1] de hæresi ista satis copiose scripsimus. Sed ea solum attingemus, quæ ad propositam hoc in libro quæstionem attinent, nec sunt illic plene, atque ex toto perpolita.

Atque illud ante omnia sciri necesse est, Monotheletas non fuisse primos illius repertores hæresis, quæ unicam Christo ἐνέργειαν, et voluntatem attribuit: sed alios complures hæreticos idipsum arbitratos esse. De Berone scribit Hippolytus Portuensis in fragmentis, quæ Anastasius collegit; illum, repudiata Valentini hæresi, « (1) in deteriorem incurrisse labem; ut asseveraret, assumptam a Verbo carnem eadem, quæ divinitas operata est, operatam fuisse propter assumptionem; et divinitatem eadem cum carne esse passam ob exinanitionem. » Tum in fragmento octavo, Beronem istum docet « (2) constituta unica, et singulari operatione, divinitatem Christi, et humanitatem confudisse. »

II. Arianos item eamdem operationis unitatem propugnasse testes sunt antiqui; ut in Lateranensi synodo Martinus papa refert [2], et Maximus martyr in disputatione cum Pyrrho [3]. Martinus porro Lucii Alexandrini episcopi Ariani verba commemorat, quibus causam explicat, ob quam unicam ἐνέργειαν secta ista Christo tribuit. Nempe quod humana carere hunc anima putarent. « Si autem et animam habuit, *inquit*, sicuti adulteratores adulteratas nunc Ecclesias docent, oppugnant se motus Dei, et animæ; quoniam removet horum utrumque, et in diversas operationes ducitur. » Cum igitur propriam humanæ naturæ animam deesse Christo censerent Ariani, hujus loco esse Verbum arbitrati sunt, eodem, quo Monotheletæ postea sunt usi, argumento freti: quod alioqui si inesset anima, ac duo τὰ ἡγεμονικὰ, quibus corpus regeretur; sequeretur diversas operationes esse, præsertim liberas, et contrarias adeo voluntates.

III. Sic Apollinaris unam operationem esse Christi docuit, ut ex aliquot illius dictis idem papa Martinus approbat in Lateranensi concilio; quorum in uno sic ait: « (3) Quorum una est operatio, horum una est essentia. Una ergo essentia facta est Verbi et carnis. » Item, « Sed est una natura, una substantia, una operatio. »

Polemo item Apollinaris discipulus [4] idem asserebat; et Gregorium Cappadocem (is est Nazianzenus) suggillabat, qui *deificatam* tantummodo *voluntatem* adstruebat, adeoque vertibilem.

Leontius quoque in libro adversus fraudes Apollinaristarum, Timothei ex eadem secta, et Apollinaris sententias refert, unius testes voluntatis, et operationis; velut inter alias hanc [5]: « Caro autem, ut caro Dei, Deus, ut consubstantialis Deo, non separata. Nec enim separatim, nec ἰδιαζόντως, id est per se movetur: sicut homo animal, αὐτοενέργητον, id est, quod per se operatur. »

In sexta Synodo [6] citatur Apollinaris alter locus, in quo propriam in Christo voluntatem non hominis, sed Verbi esse dixit.

Maximus vero martyr erudite disparem hæresis utriusque (Arianorum, et Apollinaristarum) scopum in tuenda singulari Christi operatione ac voluntate, aperit in disputatione cum Pyrrho. « (4) Synodi, *inquit,* propter unius voluntatis vocabulum, Apollinarem, et Arium anathemate notarunt: cum uterque ipsorum voce illa ad propriam stabiliendam hæresim abuteretur: ille quidem, ut consubstantialem Verbo carnem esse monstraret; hic autem ut diversæ, ac Patrem, substantiæ

(1) HIPPOLYTUS in Collect. Anast. frag. 5. p. 229. Βήρων γάρ τις ἔναγχος μεθ᾽ ἑτέρων τινῶν τὴν Βαλεντίνου φαντασίαν ἀφέντες, χείρονι κακῷ κατεπάρησαν, λέγοντες τὴν μὲν προσληφθεῖσαν τῷ Λόγῳ σάρκα γενέσθαι ταὐτουργὸν τῇ θεότητι, διὰ τὴν πρόσληψιν, τὴν θεότητα δὲ γενέσθαι ταὐτοπαθῆ τῇ σαρκὶ διὰ κένωσιν.

(2) Ibid. pag. 232. Ὁ μὲν οὖν Βήρων οὕτως ἔχων, ὡς ἔφην ἐνεργείας μονάδι τὴν θεότητα τοῦ Χριστοῦ, καὶ τὴν ἀνθρωπότητα συγχέει.

(3) APOLLIN. in 6. Syn. act. 10. pag. 152. Εἰ δὲ μία ἐνέργεια, μία καὶ ἡ οὐσία. Μία ἆρα οὐσία γέγονε τοῦ Λόγου, καὶ τοῦ ὀργάνου.

(4) MAXIM. pag. 683. D. Ἄλλως τε δὲ, εἰ αἱ σύνοδοι ἐπὶ τῇ τοῦ ἑνὸς θελήματος φωνῇ, καὶ Ἀπολλινάριον, καὶ Ἄρειον ἀναθεμάτισαν, ἑκατέρου αὐτῶν ταύτῃ πρὸς σύστασιν τῆς ἰδίας αἱρέσεως ἀποχρησαμένου· τοῦ μὲν, ὁμοούσιον τῷ Λόγῳ διὰ τοῦτο τὴν σάρκα βουλομένου δεῖξαι· τοῦ δὲ ἑτερούσιον τοῦ Υἱοῦ πρὸς τὸν Πατέρα εἰσαγαγεῖν ἀγωνιζομένου.

[1] C. 19. et seq. — [2] Consul. 4. tom. 4. Conc. p. 725. — Max. p. 683. to. 8. Baron.

[4] Ib. in Lateran. Syn. — [5] Leont. tom. 4. Bibl. Par. 2. col. 1036. E. — [6] Act. 13. pag. 189. A.

Filium introduceret. » Nimirum quæcumque humano more passus est Christus, ea non animam in corpore, et cum corpore pertulisse, sed Verbum ipsum quod loco erat animæ, sentiebat Arius ; eoque modo dissimilis substantiæ, nec vere divinæ, Filium esse confirmabat, cum utique Deus sit ἀπαθής. Apollinaris vero ex adverso, ut discrimen omne substantiarum, vel naturarum eriperet, unam operationem ac voluntatem admisit.

IV. Hunc eumdem sibi finem Eutychiani proposuerunt, quos Monophysitas communi vocabulo nuncuparunt : quorum propaginem fuisse Monotheletas diximus in primo libro [1]. Nam et illi longe ante hos exorti, unicam in Christo statuerunt ἐνέργειαν, et voluntatem, ac duas anathemate damnarunt. Ita Severus ab Agathone papa commemoratus in epistola synodica, quæ est in actis Synodi sextæ [2], anathema dixit synodo Chalcedonensi, et epistolæ S. Leonis ad Flavianum, iisque omnibus, « qui in duabus naturis unum dicunt, vel dixerunt Dominum nostrum Jesum Christum, post ineffabilem, et incomprehensibilem unitionem, et consequenter earum duas operationes, aut proprietates. » Cui et Theodosius ex eadem secta subscribit [3].

In actione item undecima Synodi ejusdem sextæ [4], recensentur insignes alii Monophysitæ unius actionis, et voluntatis adstipulatores, quibus cum Monotheletæ adamussim congruunt : imprimisque Themistius, et Anthimus. Hujus vero hujusmodi est argumentatio, quam libenter usurparunt Monotheletæ : « (1) Si una est hypostasis, et una natura Dei Verbi incarnata, ut est revera, sine ulla dubitatione una est voluntas, et una operatio, et una sapientia, et una cognitio utriusque. »

Maximus martyr in libro quodam adversus Monotheletas, in quo probat, non esse plures in Christo voluntates γνωμικὰς, scribit Severum ademisse Christo voluntatem homini naturalem, et ita naturam ipsam revera sustulisse, solamque speciem, et imaginem reliquisse humanitatis assumptæ. « (2) Scopus igitur iste Severo fuit, *inquit*, ejusque discipulis, inducto prorsus naturali aliquo defectu, assumptam inexplicabili unitione naturam rejicere : ac simulatam Manetis speciem , et Apollinaris confusionem, et invectam ab Eutyche divinæ substantiæ in humanam conformationem, omnia, inquam, illa flagitia comprobare. » Addit se in Creta insula collocutum esse cum episcopis Severianis, eosque dixisse, « ideo non placere sibi duas operationes in Christo ponere, ut est in Leonis tomo, quod ex illis totidem voluntates consequi necesse sit, ac duas inde personas. »

Quemadmodum vero Nestorius unam etiam voluntatem in Christo inesse docuerit, diximus in libro primo [5].

V. Hinc apparet, hæreticos illos , quos ab unica, et singulari voluntate, quam in Deo et homine Christo constituebant , Monotheletas proprie vocarunt, non fuisse principes istius asserendi dogmatis ; sed ante hos idipsum Apollinaristas, et Eutychianos tradidisse. Verum quod isti, ex primario instituto, momenti majoris hæresim, et cujus illud erat tantummodo consectarium , inferre conabantur ; nempe duas Christi naturas in unam conflatas : Catholici in hanc capitalem labem et perniciem intenti, de ea potissimum adversus illos laborarunt ; quos Monophysitas etiam, ab naturæ, non Monotheletas, ab voluntatis unitate nominarunt. Ceterum qui post antiquiores illos synodicis decretis confixos, et proscriptos, eamdem fere cum illis hæresim instaurare studuerunt, de naturarum numero litem movere non ausi, ne in Eutychis damnationem incurrerent, occulte, ac per cuniculos eodem pervenire conati sunt. Nam naturas duas palam, ac pleno ore professi, naturarum propria, et οὐσιώδη sustulerunt, facultates operandi, ac volendi humanæ insitas naturæ, et consentaneas illis actiones, præsertim voluntatis : unde et Monotheletæ sunt dicti. Quod quidem similiter in hæreticis istis, atque in Arianis olim, accidit, qui cum præter principalem errorem, quo Filii divinitatem impu-

(1) Anth. in sex. Syn. act. 11. pag. 189. B. Εἰ γὰρ μία ἐστὶν ὑπόστασις, καὶ μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένη, ὥσπερ οὖν καὶ ἔστιν, ἀναμφιβόλως, καὶ ἓν θέλημα, καὶ μία ἐνέργεια δηλονότι, καὶ μία σοφία, καὶ μία γνῶσις τοῦ συναμφοτέρου ὑπάρχει.

(2) Maxim. apud Euth. Panop. tit. 18. lat. p. 649. Σκοπὸς οὖν Σευήρῳ, καὶ τοῖς ἀμφ' αὐτὸν, διά τινος πάντως ἐλλείψεως φυσικῆς, την προσληφθεῖσαν καθ' ἕνωσιν ἄῤῥητον ἐξώσασθαι φύσιν, τῆς τε Μάνεντος φαντασίας, καὶ τῆς Ἀπολλιναρίου συγχύσεως, καὶ τῆς Εὐτυχοῦς συνουσιώσεως ἐπικυρῶσαι τὸ μῦσος. Μέμνημαι γὰρ κατὰ τὴν τῶν Κρητῶν νῆσον διάγων, τινῶν ψευδεπισκόπων πρὸς ἐμὲ διενεχθέντων ἐκ τῆς Σευήρου μερίδος ἀκούσας, ὡς διὰ τοῦτο δύο κατὰ τὸν Λέοντος τόμον, ἐνεργείας οὐ λέγομεν ἐπὶ Χριστοῦ, διὰ τὰ ἑπόμενα ταύταις θελήματα, καὶ ἐξ ἀνάγκης προσώπων συνεισάγεται δυάς.

[1] C. 21. § 2. — [2] Act. 4. Syn. sex. pag. 53. Vide etiam p. 36. F. et 37. — [3] Ibid. — [4] Pag. 188. et seq. — [5] C. 21. § 2.

gnabant, alios insuper foverent; ac Spiritus sancti divinitati non minus adversarentur: tum vero humanam Christo animam subtraherent, sola ei carne concessa: nihilominus solius prioris invidiam catholici Patres illis initio fecerunt; minus curare visi cetera, in quæ nonnisi ex consequenti delapsa videbatur primaria illorum hæresis: qua profligata, quæ ad istas deinceps accessiones adhæsere sectæ, propriis earum nominibus damnatæ sunt. Sed hæc nobis accuratius, ac per partes sunt explicanda.

VI. Dixi Monotheletas naturas in Christo duas perfectas, et integras cum Catholicis agnovisse. Constat hoc ex Synodo sexta, in qua diligenter exposita, et damnata est hæresis ista. Quippe in actione sexta Macarius Antiochenus factionis illius antistes, in ea, quam jussus edidit, fidei confessione diserte Christum prædicat « (1) post Incarnationem in duabus perfectis naturis sine confusione, ac divisione in una existere persona, et hypostasi una, nusquam differentia naturarum unitione sublata, sed servata potius utriusque proprietate naturæ, et in unam concurrente personam et unam hypostasim. » Tum in alia longiori expositione fidei, quæ in eadem actione lecta est [1], duarum naturarum distinctionem, ac cetera ejusdemmodi, ex catholica regula uberrime declarat. Ita Cyrus Alexandrinus episcopus [2], unus ex Monotheletarum sectæ conditoribus, sanam, et incorruptam Incarnationis in ceteris confessionem anathematismis suis mandavit, quorum in septimo virus nefariæ hæresis adspersit. Ac ne longius faciam, omnes illius sectæ principes, quorum in sexta Synodo, et ante hanc, in Lateranensi sub Martino, fidei formulæ ac descriptiones extant, uno hoc excepto voluntatis, et operationis unius dogmate, cum catholicis decretis in omnibus consentiunt.

Ceterum in hæresis suæ ratione reddenda, et ejus expositione inter se discordant, ac dissident. Quam illorum inconstantiam traducit, ac deplorat Agatho Romanus pontifex in epistola synodica, quæ inter acta Synodi sextæ legitur [3]. Nam alias unam operationem Dei et hominis Christi statuebant, quam et Deivirilem, id est θεανδρικὴν nominabant: ut Cyrus Alexandrinus, Theodorus Pharanites, Sergius Constantinopolitanus, Pyrrhus item Constantinopolitanus; nec non Paulus, et Petrus ejus successores; alias vero duas agnoscebant operationes, et voluntates, alias denique nec unam, nec duas dicendas esse decernebant, ut in ecthesi Heraclii, et in typo, Constantii nomine editis, horum conditores episcopi Constantinopolitani tradiderunt, Sergius et Paulus. Quæ omnia plenius ex libro hujus operis primo cognosces [4], ubi Monotheletarum hæresim copiosius edisseruimus.

VII. Atque ut hæresis illius arcana, et tam dissonæ varietatis causam melius intelligas, (quod ad sensum veterum Patrum, et catholicum dogma recte capiendum apprime est utile,) trita apud utrosque, tam nostros, quam hæreticos, sed dissimiliter accepta, vox est memoranda, qua Christi operationem significarunt. Ea est θεανδρικὴ ἐνέργεια: cujus auctor fuit Dionysius in epistola quarta ad Caium. Hanc latine vertentes dixerunt, *Deivirilem*, de quo nomine, et quæ germana sit ejus ex mente Dionysii notio, postea disputabimus. Modo vero id a nobis agitur, ut quemadmodum ab hæreticis intellecta sit, exquiramus.

Θεανδρικὴ ἐνέργεια, si vocabuli proprietatem spectes, nihil aliud continere videtur, præter actionem ab eo editam, qui Deus idem et homo sit. Sed utrum duæ sint, ac distinctæ, an una tantum numeranda, id inter Catholicos, et hæreticos controversiam peperit. Hæretici, qui quidem bona fide, et sincere ἐνεργείας unitatem amplexi sunt, quales fuere Monophysitæ, et eorum propago, Monotheletæ, unam numero, et singularem esse Christi actionem præ se tulerunt; quoties metu, vel ambitione paululum vacuum pectus ad liberam opinionis suæ professionem aperire sunt ausi. Nam de Nestorio, qui et ipse unam esse Christi dixit actionem, ideo tacendum hoc loco est, quod manifesta illius est in causa sua prævaricatio, et ad fucum faciendum callide composita nominis cavillatio. Inter priores itaque, qui unam Christi operationem, et voluntatem sine dissimulatione confessi sunt, non tamen pax, et

(1) MACAR. in Syn. 6. pag. 96. Ὁμολογῶ τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἕνα τῆς ἁγίας Τριάδος εἶναι, καὶ μετὰ τὴν σάρκωσιν ἐν δυσὶ τελείαις φύσεσιν ἀσυγχύτως, καὶ ἀδιαιρέτως ἐν ἑνὶ προσώπῳ, καὶ ὑποστάσει μιᾷ, οὐδαμοῦ τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης διὰ τὴν ἕνωσιν, σωζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως, καὶ εἰς ἓν πρόσωπον, καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης.

[1] Vide in Syn. sexta pag. 98. — [2] Cyri anath. in Sex. Syn. Act. 13. pag. 218.

[3] Agatho in Act. 4. Syn. sex. pag. 53. et seq. — [4] C. 19. 20. et 21.

concordia fuit, sed ex diversa *unius* interpretatione non mediocris dissensio. Quippe alii *unam* simpliciter esse voluerunt, eamque divinam, quam θεοπρεπῆ vocarunt, id est *Deo congruentem*, latini interpretes *barbare* passim *Deodecibilem* vertunt.

VIII. In Lateranensi concilio [1], sub Martino papa Romæ celebrato, Monophysitarum duorum conflictus exponitur, Colluthi, et Themistii, super unicæ, in quam ambo consentiebant, operationis modo. Horum prior unam illam θεοπρεπῆ, id est divinam duntaxat esse credebat, non *Deivirilem;* eo quod « talis vox, ait Martinus, duas significat operationes, id est divinam, et humanam. Nec enim unam tantummodo operationem secundum Themistii deliramentum. Et ideo memoratus Colluthus tantum Deodecibilem, in hoc sibi consentiens, et non Deivirilem operationem, licet inconveniens erat veritati, asserebat, utpote unam, non enim duas, professus. » Igitur Colluthus iste Monophysita, et, ut arbitror, Severianus extitit, qui ut unam in Christo naturam, sic operationem ponebat unam, eamque divinam, non *Deivirilem*, id est θεανδρικήν. Itaque vocem hanc improbabat, utpote qua duas contineri operationes putabat : et quidem vere. Ideo Martinus papa ait illum magis consentanee hæresi suæ locutum esse, quam ejusdem sectæ reliquos, qui θεανδρικὴν illam ἐνέργειαν, tanquam arcem perfidiæ suæ delegerant ; cum in illo ipso vocabulo, velut in columna quadam, incisam erroris sui damnationem circumferrent.

Hujus Themistii sententias aliquot, paulo ante verba illa, quæ retulimus, Martinus in Synodo recitari jussit, in quibus Christi operationem asserit Deivirilem, auctore Dionysio areopagita, qua una et eadem, divina et humana operabatur. Quin idem in libro, quem contra Colluthum scripsit, testem opinionis suæ laudavit Severum, ita scribens : « Nam quia beatæ memoriæ quoque Severus, similiter et de Christo dicens, quod aliqua quidem divine, alia vero humane idem operatus est, Deivirilem operationem approbari volebat. Sed non modo Deodecibiliter, facilius est videri. » Porro Colluthi opinioni suffragari videtur, quod operatio illa Christi θεουργία vocatur ab Dionysio, de quo postea viderimus. Ita certe Theodoretus Pharanites existimavit, citatus a nobis in libro primo, capite 20.

IX. Alii non simplicem, ac mere divinam ἐνέργειαν arbitrati sunt, sed ἑνώσει, id est *unitione* unam esse factam. Ita Pyrrhus in disputatione, quam cum Maximo instituit, « (1) unam » docet « operationem esse tam divinitatis Christi, quam ejus, quæ inest ipsi, humanitatis ; nec ratione naturæ convenire illam ipsi dicimus, sed unitionis modo. »

Et idem Maximus ad discipulum suum Anastasium scribens, narrat se a patriarcha Constantinopolitano hæretico interpellatum, ut in eamdem secum fidei formulam conveniret [2], quam sic internuntii conceperunt : « Duas fatemur operationes ob diversitatem, et unam propter unitionem. »

Quamobrem idem illi videntur de naturarum duarum operationibus, quod de naturis totidem, fecisse judicium. Nam naturas integras, et minime confusas inter se copulatas esse dicebant, et unum factas, non natura quidem, ut præ se ferebant, sed hypostasi, et supposito.

Hoc ipsum indicat Cyrus Alexandrinus episcopus in Anathematismo suo septimo : ubi postquam statuit, « (2) Christum unum, et eumdem divina, et humana gessisse unica Deivirili operatione secundum Dionysium, » mox naturarum conjunctionem enucleate disserit, sola cogitatione dicens ea discerni, ex quibus facta est unitio : ac differre quidem a se mutuo, nec esse confusa, neque tamen dividenda. Quæ similiter ab illis in operatione θεανδρικῇ constituta esse, Maximus demonstrat in illo Collationis loco [3]. Etenim operationem persona, sive ὑποστάσει metiendam esse, fundamenti loco ponebant : atque ideo pro hypostaseon numero, actiones censeri. Quod ex illorum opinione in libro primo accurate est expositum, ubi et eorum hæresis arcana patefecimus. Hinc Themistius hæreticus in Antirrhetico primo contra Theodosium, qui Colluthum sequebatur, capite quinto, ita sententiam suam explicat : « (3) Sancti Patres, *inquit*, unam

(1) In disp. Max. pag. 700. A. Μίαν λέγοντες ἐνέργειαν τῆς θεότητος τοῦ Χριστοῦ, καὶ τῆς κατ' αὐτὸν ἀνθρωπότητος, οὐ λόγῳ φύσεως ταύτην προσεῖναί φαμεν, ἀλλ' ἑνώσεως τρόπῳ.

(2) In Syn. sex act. 13. pag. 218. F. Καὶ τὸν αὐτὸν ἕνα Χριστὸν, καὶ Υἱὸν ἐνεργοῦντα τὰ θεοπρεπῆ, καὶ ἀνθρώπινα μιᾷ θεανδρικῇ ἐνεργείᾳ, κατὰ τὸν ἐν ἁγίοις Διονύσιον.

(3) THEM. pag. 147. in act. 10. Syn. sex. Οἵ γε μὴν ὅσιοι πατέρες μίαν ἀπολύτως ἔφασαν τὴν ἐνέργειαν· καὶ οὐ κατά γε τουτονὶ περικλείουσι ταύτην εἰς θεοπρεπῆ μόνον, ἤγουν ἑτέραν ἀνθρωπίνην οὕτως καθυπεμφαίνουσιν. Ἀλλ' ὡς παρ' ἑνὸς, καὶ τοῦ αὐτοῦ Χριστοῦ πάντων ἐνεργουμένων ὅσα κατὰ τὴν οἰκονομίαν ἐστὶ θεοπρεπῆ, καὶ ἀνθρώπινα, μίαν ἀπαξαπλῶς, ὥσπερ ἔφθην εἰπὼν, τοῦ Χριστοῦ φασι τὴν ἐνέργειαν.

[1] Later. Conc. Secret. 3. p. 694. to. 4. Conc.

[2] In Collect. Anast. p. 139. — [3] In Exc. Anast. p. 140.

absolute operationem esse dixerunt: nec eam, ut ille facit, in solam concludunt Deo congruentem; vel ejusmodi certe, quæ alteram humanam ita significet. Verum utpote uno, et eodem Christo omnia, quæcumque in incarnatione divina et humana sunt, operante, unam prorsus, ut ante dixi, Christi profitentur operationem. »

Neque voluntatem duntaxat hoc modo unicam, sed etiam scientiam inesse Christo eodem in loco Themistius asseverare pergit. « (1) Una est, *inquit*, cognitio in Christo, sicut et operatio. Quippe unus erat cognoscens, velut etiam et operans. » Quod et ex alio ejusdem loco declaratur, ubi unam naturam in Emmanuele esse docet, non duas. Quem locum non pigebit adscribere, ut, quod capitis hujus initio dixi, plenius constet, Monotheletas ex Monophysitarum errore descendisse, et de Incarnatione ipsa sensisse nefarie, quamvis aliud videri vellent. « (2) Non credimus, ait Themistius, duas esse naturas Emmanuelem, etsi ex duabus compositus est; nec in duabus naturis. Nam utrumque dividendi vim habet. Sed unam Dei Verbi naturam incarnatam, unam hypostasim, unamque personam. Ex consequenti vero, unius personæ unam novimus operationem, similiter vero et unam cognitionem. »

X. Nonnulli ex eodem Monotheletarum grege, ut infamiam declinarent, variis ludificationibus sunt usi. Etenim interdum neque duas, neque unam in Christo actionem, voluntatemque profiteri se dicebant, ut in ecthesi, ac typo factum esse diximus in libro primo [1]: et Sergium Constantinopolitanum, aliosque id secutos esse, ibidem notavimus. Ita Pyrrhus in disputatione cum Maximo monacho et martyre [2], reliquis omnibus, quæ de operatione, ac voluntate ultro citroque jactari solebant, amputatis et rejectis; simplici confessione naturarum duarum, earumque perfectarum, contentos esse jubebat. Et Macarius Antiochenus in Synodo sexta, cum negasset duas se operationes posse in Christo pronuntiare; neque hoc se in epistola S. Leonis agnoscere; interrogatus ab imperatore Constantino, an unam ab Leone affirmatam crederet, respondit: « (3) non se numerum dicere, sed theandricam illius operationem, auctore sancto Dionysio. » Instante rursus Imperatore, qualem putaret esse theandricam, negavit hoc se dijudicare velle.

Proinde [3] duas vel operationes, vel voluntates nunquam ut profiteretur adductum iri se, tametsi membratim dissecaretur, aut in mare projiceretur. Cui simile fuit Eutychianorum delirium, qui cum ex naturis duabus Christum esse non diffiterentur, nolebant tamen eas numero comprehendi: contra quos in libro quarto disputavimus [4].

His adjungenda est alia fraus eorumdem hæreticorum in primo libro, capite vicesimo primo a nobis animadversa. Nam illi ἐνέργειαν unicam asserere Christo minus ausi sunt, quam voluntatem; cujus ratio illic reddita est [5], nec indigna quidem, quæ attente legatur. Sed ea cunctatio in duplici ἐνεργείᾳ diserte fatenda tunc illis accidisse videtur, postquam eorum publicata est hæresis, et Eutychianorum ac Monophysitarum dogmatis invidia flagrare cœperunt. Certe qui primi sectam illam, et hæresim moliti sunt, ἐνέργειαν unam palam asseverarunt, etsi concordiæ causa supprimendam esse numeri mentionem interdum jactabant, ut in libro primo latius explicavimus.

Anastasius apocrisiarius in prologo Testimoniorum sacrorum [6] miram hæreticorum istorum de voluntatum, operationumque numero discrepantiam memorat, et illudit: quos ait, « unam, et nec unam, nec duas, et iterum unam et duas voluntates, et operationes in eodem dogmatizasse. » Quos ab illis discernit, qui simpliciter « unam voluntatem, et operationem, vel etiam naturam unam deitatis, et humanitatis ejus dogmatizant. »

(1) Ibid. pag. 147. F. Μία γὰρ ἡ γνῶσις ἐπὶ Χριστοῦ, καθάπερ καὶ ἡ ἐνέργεια. Καὶ γὰρ εἷς ἦν ὁ γινώσκων, ὥσπερ ἀμέλει καὶ ὁ ἐνεργῶν.

(2) Ibid. pag. 148. Οὐ δύο φύσεις εἶναι πιστεύομεν τὸν Ἐμμανουὴλ, κἂν ἐκ δύο συντέθειται. Οὐδὲ ἐν δύο ταῖς φύσεσι· διαιρετικὸν γὰρ ἑκάτερον. Ἀλλὰ μίαν τοῦ Θεοῦ Λόγου φύσιν σεσαρκωμένην, μίαν ὑπόστασιν, καὶ πρόσωπον ἕν. Ἀκολούθως τε τοῦ ἑνὸς προσώπου μίαν ἴσμεν καὶ τὴν ἐνέργειαν· ὡσαύτως δὲ καὶ μίαν τὴν γνῶσιν.

(3) In Syn. sex. act. 2. pag. 24. Ἐγὼ ἀριθμὸν οὐ λέγω, ἀλλὰ θεανδρικὴν αὐτοῦ τὴν ἐνέργειαν, κατὰ τὸν ἅγιον Διονύσιον.

[1] C. 19. — [2] Pag. 683. in Appen. tom. 8. Baron. — [3] In sex. Syn. p. 101.

[4] Cap. 3. et 4. — [5] Lib. 1. cap. 21. § 8. et seq. maxime 10. — [6] In Collect. Anast Bib. p. 207.

CAPUT QUARTUM.

Disputatur utrum Monotheletæ facultates, sive potentias operandi, et volendi, an solas actiones detraxerint humanæ Christi naturæ. Communis theologorum opinio, facultates ipsas negatas fuisse. — 2. Quam nonnulli improbant : sed melius tuentur alii. — 3 Quibus Patres suffragantur, imprimis græci, ut Maximus, et Damascenus. — 6. Et rationibus eadem illa sententia fulcitur. — 7. Dissolvuntur ea, quæ in contrariam partem opponuntur, ut solæ actiones detractæ videantur. — 8. Hæreticorum in dogmatibus suis concinnandis inconstantia : et cur Monotheletæ facultates etiam ipsas, et non solas operationes hominis ademerint Christo.

I. Sed nihil facimus, neque *Monotheletarum*, vel universe *Monenergetarum*, ut sic loquar, arcanum dogma rimari, ac perspicere possumus, nisi duo explicata fuerint ad ἐνέργειαν, et eam controversiam spectantia, quæ cum hæreticis illis catholicam partem longo et atroci certamine commisit. Harum prior quæstionum proposita est in primo libri hujus capite, et in hunc dilata locum : quæ est ejusmodi ; utrum ἐνέργεια hæc, id est *operatio*, vel *actio*, necnon *voluntas*, de qua inter ambas partes diuturna illa versata contentio est, sit agendi, et operandi, ac volendi δύναμις, et facultas, quam *potentiam* vocant ; an *actio* transiens, et temporaria functio. Hoc, inquam, in dubium adducitur, utrum Monotheletæ in humana Christi substantia naturales inesse facultates tum operationum ceterarum, tum voluntatis præsertim negaverint ; an salvis facultatibus, solam iis agendi motionem detraxerint.

Facultatem ipsam, sive potentiam Monotheletas ademisse Christo, asseruisse vero Catholicos, docuit S. Thomas [1], cum adversus illos argumentatus est, duas in eadem incarnati persona Verbi voluntates extitisse, quot erant naturæ : « Manifestum est enim, *ait*, quod filius Dei assumpsit humanam naturam perfectam. Ad perfectionem autem humanæ naturæ pertinet voluntas, quæ est naturalis ejus potentia, sicut et intellectus. »

II. Quam vulgo in Scholis receptam sententiam fatetur magni nominis theologus [2], et hanc tamen falsam esse judicat. Quin etiam affirmat, « Scholasticos Monotheletarum hæresim hactenus recte ac sincere non intellexisse : » quod quidem duplici in illius hæresis capite demonstrat ; quorum posterius paulo post enucleabitur. Prius autem istud est ipsum, in quo modo versamur : de quo sic existimat : Non operandi, ac volendi potentiam ipsam negasse Monotheletas in homine Christo, sed actionem, quæ est ἐνέργεια, quam unam utriusque naturæ fuisse putaverint, eamque divinam. Etenim qui duas perfectas, et integras in Christo naturas, contra quam Apollinaris et Arius, et easdem inconfusas adversus Eutychem agnoverunt, « nulla, vel minima specie probabilitatis, *inquit*, negare potuerunt facultatem voluntatis humanæ in Christo, neque operationes externas humanitatis. » Deinde quod humanæ Christi operationes tam diserte in Scripturis exprimuntur, ut sunt ambulare, flere, etc. « ut nemo etiam stolidus eas negare potuerit, qui sacrum Evangelium reciperet, sicut recipiebant Monotheletæ. » Ita ille : qui et alia insuper addit argumenta, quæ expendenda, ac dissolvenda postea venient.

In eadem opinione sunt et alii eruditi theologi [3]. Quos et illud potissimum movet, quod cum inter philosophos controversum sit, an facultates intelligendi, et volendi reipsa differant ab anima, ac tum hoc, tum illud ab ipsis asseveretur, non videtur credibile, hæreticos istos dogmatis sui fulturam ex incerta, nec inter omnes constante opinione quæsisse, quæ rei discrimen inter animam, animæque potentias constituit. Itaque non putant sollicitos admodum illos fuisse de facultate ipsa volendi, vel operandi, dum actiones et operationes adimerent.

Verum multo mihi fit probabilius non solas ab istis operationes humanæ animæ, salvis ejus facultatibus, sed has insuper funditus esse sublatas : quod merito secutus est doctissimus theologus P. Ludovicus Mæratius [4], idque pluribus rationibus adstruit.

III. Certe si quis accuratius græcorum Patrum, Maximi imprimis, et Joannis Damasceni, loca illa, verbaque relegat, a nobis allata capite primo, quibus aut Monotheletarum

[1] In 3. par. qu. 18. ar. 1. et q. 19. art. 1. — [2] Vasq. in 3. Par. Disp. 73. c. 1. § 72.

[3] Ut Joan. de Lugo Disp. 25. § 3. — [4] Disp. 41. de Incarn. § 3.

dogma refellere conantur, aut ἐνέργειαν ipsam, de qua pars utraque contendebat, declarant, et explicant; minime dubitabit, quin facultatis agendi ac potentiæ notionem τῆς ἐνεργείας vocabulo subjiciant, eamque tum ab hæreticis denegatam fuisse Christo significent, tum eidem adscribendam esse contendant. Hujus rei argumentum ex eo primum effici potest, quod proxime ante, Maximum, ac Joannem Damascenum audivimus inter varias ἐνεργείας appellationes primo illam loco numerantes, quæ est naturalis animæ δύναμις, quæ « naturam continet, ac conservat, neque mutationem recipit. » Quæ quidem transeunti motioni, vel actioni non satis quadrant, verum potius facultati, et potentiæ, quæ naturæ est insita, nec ab ea potest abesse.

Deinde Joannes Damascenus libro tertio, capite 14. de naturalibus voluntatibus, et operationibus agens, eas sic explicat. « (1) Naturales, *inquit*, non hypostaticas dicimus voluntates, et operationes. Dico autem volendi, et operandi facultatem, secundum quam volunt, et operantur quæcumque volunt et operantur. » Atqui de naturalibus voluntatibus, et operationibus tota Catholicos inter, et Monotheletas erat controversia. Proinde non solas actiones volendi et operandi, sed facultates etiam ipsas iutelligebant utrobique. Rursus idem Damascenus in eo loco, quem ante citavimus, capite videlicet octavo libri de prima Institutione [1], ἐνεργείας ita dinumerat, τὸ ζωτικὸν, τὸ αἰσθητικὸν, τὸ τρεπτικὸν, τὸ αὐξητικὸν, τὸ γεννητικὸν, hoc est *vim*, sive *facultatem vitalem, sensilem, nutritivam, auctricem, genitabilem:* quæ non sunt actiones, vel motiones simplices, sed facultates. Et in libro de Duabus vlonntatibus, τὸ ζωτικὸν, τὸ φανταστικὸν, *vim vitalem*, et *imaginatricem :* necnon τὸ τῶν αἰσθητῶν ἀντιληπτικὸν, *vim perceptricem eorum, quæ sensibilia sunt.* Et interpositis aliquot: « (2) Vis, *inquit*, vitalis est energia potius ; sed imaginandi facultas, et sentiendi ; nec non reminiscendi ; itemque motio ex appetitu, passibiles sunt operationes, vel passiones operatoriæ. » Vides ut ἐνεργείας nomine promiscue censeat tam facultates, seu potentias ipsas, quam facultatum effectiones.

Sic in collatione cum Principibus, Maximus martyr apud Anastasium, inter ἐνεργείας exempla retulit *fremibile leonis, latrabile canis*, et aliud quodcumque quod naturam continet, ut supra memoravi [2]. Sane quidem Aristoteles, (3) δυνάμεις vocat animæ facultates ejus, quas illi ἐνεργείας nuncupant; quæ sunt potentiæ vegetandi, alendi, sentiendi, etc. Eadem ratio est τοῦ θελήματος, et θελήσεως, hoc est *voluntatis*, de qua maxime cum Monotheletis certatum est : quam iidem auctores δύναμιν et potentiam vocant. Sed de hoc postea, cum de voluntate sermo erit habendus : nunc de ἐνεργείᾳ, quod cœpimus, generatim dicamus.

IV. Sequitur apud Maximum, et Damascenum ἐνέργειαν proprie sic dici, quatenus est χαρακτηριστικὴ, id est nota peculiaris et insita naturæ ipsi, eamque determinans, et constituens, atque ab aliis secernens ; tum quæ *identitatem*, ut sic loquar, et indifferentem, atque immutabilem rationem ostendit in omnibus individuis, quæ sub eadem specie comprehenduntur. Tum idem Maximus in libro de Duabus voluntatibus, de ἐνεργείᾳ generatim agens ita scribit apud Euthymium : « (4) Quænam vero est, *inquit*, natura operationis expers, aut extra naturalem operationem. Ut enim nullo modo caret existentia, ita neque naturali facultate. Qua si caret, etiam existentia carebit. Quod enim facultatem nullam habet, tanquam penitus imbecillum, solum est nihil. Siquidem omne quod est, differentiam habet, per quam constituitur, insitam videlicet motionem, quæ cum genere assumpta, subjecti definitionem efficit ; cujus beneficio tum esse ipsum, tum quid sit proprie cognoscitur, cum iis, quæ sunt ejusdem speciei, nulla re discrepantem similitudinem obtinens ; et differentiam rursus ab iis, quæ speciei sunt alterius. »

Hic ἐνέργειαν ait esse non solum δύναμιν, id est

(1) DAMASC. pag. 218. Φυσικὰ γὰρ, καὶ οὐχ ὑποστατικά φαμεν τὰ θελήματα, καὶ τὰς ἐνεργείας. Λέγω δὲ αὐτὴν θελητικὴν, καὶ ἐνεργητικὴν δύναμιν, καθ' ἣν θέλει, καὶ ἐνεργεῖ τά τε θέλοντα, καὶ ἐνεργοῦντα.

(2) DAMASC. pag. 476. Τὸ μὲν ζωτικὸν ἐνέργεια μᾶλλόν ἐστιν. Καὶ τὸ φανταστικὸν δὲ καὶ αἰσθηρικὸν, καὶ μνημονευτικὸν, καὶ ἡ καθ' ὁρμὴν κίνησις παθητικαί εἰσιν ἐνέργειαι, ἢ πάθη ἐνεργητικά.

(3) ARIST. 3. de An. tex. 27. Δυνάμεις δὲ εἴπομεν θρεπτικὸν, αἰσθητικὸν, ὀρεκτικὸν, κινητικὸν, κατὰ τόπον, διανοητικόν.

(4) MAXIM. apud Euth. in Panop. tit. 18. lat. pag. 661. fine. Τίς δε φύσις ἀνενέργητος, ἢ φυσικῆς ἐνεργείας ἐκτὸς; ὡς γὰρ οὐδαμῶς ὑπάρξεως ἔρημος, οὕτως οὐδὲ δυνάμεως φυσικῆς. Εἰ δὲ ταύτης ἀμοιρεῖ, καὶ τῆς ὑπάρξεως ἀμοιρήσειεν ἄν. Τὸ γὰρ ἀδύνατον, ὡς ἀδρανὲς πάντη, μόνον ἐστὶ τὸ μὴ ὄν. Πᾶν γὰρ εἴ τι τῶν ὄντων, συστατικὴν ἔχει διαφορὰν, τὴν ἔμφυτον κίνησιν τῷ γένει συμπαραλαμβανομένην, καὶ ποιοῦσαν τοῦ ὑποκειμένου τὸν ὁρισμὸν, δι' οὗ ὅτι ἐστὶ, καὶ τί ἐστι κυρίως γνωρίζεται, πρός τε τὰ ὁμοειδῆ τὸ ἀπαράλλακτον ἔχον, καὶ τὸ διάφορον αὖθις πρὸς τὰ ἑτεροειδῆ.

[1] Damasc. p. 466.

[2] Sup. § 3.

facultatem, sed etiam *differentiam* οὐσιώδη, quam essentialem vocant: quæ ad genus adjuncta definitionem componit. Hæc vero notio τῆς ἐνεργείας non tam actioni, quam facultati, potentiæque congruit. Siquidem actiones cum transeuntes sint, naturam ipsam non constituunt, nec invariabiles sunt individuis omnibus: sed facultates solæ, operationumque principia.

V. Rursus Euthymius in Panoplia, sub finem tituli decimi octavi, inter alias Patrum sententias, quas ibi colligit, « (1) Quorum est, *inquit*, eadem natura, horum eadem est voluntas et operatio. Quorum autem differens est natura, horum differens est voluntas et operatio. Porro non hypostaticas, neque personales, neque gnomicas dicimus voluntates istas, et operationes : hoc est volendi operandique facultatem. » Quid clarius dici potuit, ut ostenderet voluntatem, operationemque, de qua Monotheletas inter et Catholicos quærebatur, non solam actionem esse, sed etiam facultatem ? Atqui hic Euthymii locus in latina versione mendosus, ac decurtatus est.

Item paulo post, hanc sententiam refert Euthymius; aliud esse θέλησιν, aliud βούλησιν, quod « (2) Θέλησις ipsam volendi facultatem simpliciter significat, quod est naturæ, et generale: at βούλησις est talis voluntas, quod est hypostaseos, et particulare. » Ergo θέλησις, id est *voluntas*, in quo conflictus ille versatus est, fuit potissimum ac primario vis ipsa vel facultas volendi. Ac sciendum est, ad posterioris loci illius intelligentiam, quod græci Patres, imprimisque duo a nobis sæpe laudati, Maximus et Joannes Damascenus, observant; aliam esse φυσικὴν ἐνέργειαν, aliam ὑποστατικὴν, hoc est aliam naturalem, quæ naturam ipsam sequitur; aliam, quæ ab hoc vel illo supposito geritur. Naturalem esse dicunt, quæ inest omnibus ejusdem speciei, ut videre, ut ambulare, ut velle, et appetere; hypostaticam vero eamdem vocant operationem, quatenus hoc vel illo modo exercetur, bene scilicet aut male, itemque cum his aliisve circumstantiis. Quod discrimen in voluntate potissimum frequenter ab illis adhibetur; velut cum θέλημα aliud esse docent φυσικὸν, aliud ὑποστατικὸν, sive γνωμικόν: de quo suo loco uberius disputabitur. Hinc igitur apparet, facultati potius, quam actioni competere vocabulum, proprietatemque τῆς ἐνεργείας, de qua Catholici contendebant adversus Monotheletas. Quippe actio singularium est, et circumstantiis ac modificationibus immersa, implicataque suppositorum et hypostaseon; ac varietates et mutationes innumerabiles sustinet, quæ illam procul excludunt ἀπαραλλαξίαν τῶν ὁμοειδῶν, quam propriæ τῆς ἐνεργείας rationi duo illi Patres attribuunt.

Hoc ipsum et Colluthus hæreticus, unius naturæ et operationis defensor, adstruit in libro, quem contra Themistium pro Theodosio scripsit; ex quo ista citantur in Lateranensi synodo sub Martino [1] : « Hujus sensus et beatissimus papa noster Theodosius, unam Deodecibilem operationem in Christo asseruit, non ad differentiam eorum, quæ perficiuntur, inspiciens, sed ipsam operariam virtutem innuens Salvatoris. » Virtutem ecce operariam, id est δύναμιν ἐνεργητικὴν, interpretatur eam, quam vocarat *operationem unam*, id est ἐνέργειαν θεοπρεπῆ.

VI. Quamobrem si ἐνέργειαν hujusmodi spectes, quæ in illa cum Monotheletis conflictione versabatur, et quam, istis Christo detrahentibus, Catholici ex adverso vindicabant : tum si præcipuum horum firmamentum quo ad illam evincendam usi sunt, intueri velis; nimirum cum sic argumentabantur, idcirco duas in Christo ἐνεργείας, ac duas extitisse voluntates, quod duæ inerant perfectæ naturæ, ab quibus nihil abesset quod οὐσιῶδες, hoc est naturale esset, et insitum, et eidem subjectis speciei individuis omnibus commune : hæc, inquam, si attente contempleris, magis erit ut ἐνέργειαν ab illis usurpatam existimes pro manente, naturæ affixa, invariabili, et per omnia singularia fusa proprietate, agendique facultate, quam pro actione, præsertim liberæ voluntatis, quæ nec eadem, et invariabilis est in omnibus individuis, neque naturalis ac determinata est, sed multiplex et inconstans, cui characteris ac notæ substantivæ conditio non satis convenit. Non tamen sola facultas, operationisque

(1) EUT. Pan. lat. pag. 676. Ὧν γὰρ ἡ αὐτὴ φύσις, τούτων καὶ ἡ αὐτὴ θέλησις, καὶ ἐνέργεια. Ὧν δὲ διάφορος ἡ φύσις, τούτων διάφορος καὶ θέλησις, καὶ ἐνέργεια. Φυσικὰ δὲ, καὶ οὐχ ὑποστατικὰ, οὐδὲ προσωπικὰ, οὐδὲ γνωμικὰ φαμεν ταυτὶ τὰ θελήματα, καὶ τὰς ἐνεργείας. Λέγω δὲ τὴν θελητικὴν, καὶ ἐνεργητικὴν δύναμιν.

(2) Ibid. Θέλησις μὲν γὰρ ἡ τοῦ ἁπλῶς θέλειν δύναμις· ὅπερ ἐστὶ φύσεως, καὶ καθολικόν. Βούλησις δὲ ἡ τοιάδε θέλησις· ὅπερ ἐστιν ὑποστατικὸν, καὶ μερικόν.

[1] In Later. Syn. Secret. 5. pag. 726. D. 2.

principium, sed etiam operatio ipsa, in illo versata spectataque est Catholicorum certamine cum hæreticis : nimirum quatenus generatim cogitationi nostræ series occurrit actionum, quæ ab facultate proficiscitur : et una dilapsa, statim altera succedit; ita ut nunquam ab operando illa cesset, nec vacúa sit motione, et actione, quam φυσικὴν ἐνέργειαν, ἔμφυτον, id est *naturalem, et insitam* græci Patres nominant. Sicut ignis naturalis actio est calefactio, nec ea tamen semper eadem manet, sed una prætereunte existit altera, ut semper ab igne manet aliqua : quod in iis actionibus naturalibus multo magis cernitur; quæ immanentes dicuntur, quod idem habent principium et subjectum. De quo relegenda sunt, quæ in libro quinto de Deo, capite decimo scripsimus [1].

VII. Nunc ad illa respondeamus, quibus permoti theologi, quos capitis initio commemoravi, Monotheletas arbitrati sunt, solas operationes, non operandi facultates Christi humanitati denegasse. Ex iis primum illud est, quod Monotheletæ naturas duas integras, et distinctas inesse fassi sint, et Apollinarem non minus, quam Eutychem damnaverint : ac propterea non sit consentaneum, eosdem naturales facultates, quæ ad naturalem utique perfectionem attinent, illis ipsis eripuisse naturis. Non enim stupidi, et hebetes adeo fuisse videntur hæretici isti, ut tam inepta, tamque communi sensu aliena decreta confingerent. Quo illud spectat Augustini [2], « Non putetis, quia potuerunt fieri hæreses per aliquas parvas animas. Non fecerunt hæreses nisi magni homines, sed quantum magni, tantum mali homines. » Sed enim meminisse pariter oportet ejus, quod de hæresibus Novatianus scribit in libro de Trinitate, capite vicesimo. « Erroris, *inquit,* semper est abrupta dementia: et non est novum, si usque ad periculosa descendant, qui fidem legitimam reliquerunt. » « Cum quamlibet manifesta sit veritas, ait Gelasius papa [3], nunquam desit quod perniciosa promat et falsitas ; tametsi ratione, vel auctoritate deficiens, sola tamen contentione non cedens. » Ac fatendum id quidem est utrumque, tum nullum fere ita crassum et pingue fuisse commentum hæreticorum, cui non ab solertia male ingenio utentium hominum vafre aliquid, ac subtiliter excogitatum accesserit : tum nihil ab istis tanto artificio elaboratum et contextum, quod non absurdis secumque pugnantibus constaret ex partibus. Itaque qui rationis ac judicii constantiam in eorum dogmatibus requirit, hoc ab illis, quod non fert natura rerum, exigit, et « nihilo plus agit, quam si det operam, ut cum ratione insaniant. »

VIII. Melius idipsum ex sequentibus constabit. Modo vero illud ab erudito lectore cogitari volumus, quod acuti isti theologi nobis opponunt; quo minus operandi potentiam homini Christo abstulisse Monotheletas putemus, quod cum rebus ab iisdem positis, ac professis minime illud cohæreat; idem prorsus et contra plerasque omnes hæreses objici posse, ut quæ manifesta earum decreta fuerint, similiter falso illis attributa videantur. Nonne Ariani Christum Dominum, Dei filium ac Deum, et ante secula genitum a Patre, ac per ipsum creata esse dicebant omnia; creatum vero esse complures eorum negabant. At iidem verum ac proprie dictum esse Deum, et de paterna prodiisse substantia, et æqualem per omnia asseri minime patiebantur. Quæ potest in opinando major esse discordia? Nestorius item unum esse duabus in naturis Christum, unumque Filium, et unam omnino personam ubique fatebatur. An propterea quod necessario inde sequitur, assensus est, naturas illas duas per se, ac substantivo esse nexu devinctas, et colligatas? Quid de Eutychianis, et Monophysitis loquar; qui naturas easdem in Christo convenisse, ac verum Deum pariter et hominem extitisse Christum, nec mutatas illas et confusas invicem existimabant : cum nihilominus unam duntaxat, post unitionem, naturam reliquam facerent? Innumera sunt ejusdemmodi per omnes hæreses exempla; quæ referre longius sit, et ex antecedentibus repeti possunt.

Nam quod ad Monotheletas attinet, nonnulla ipsis, ut in talibus inventorum nugis, rationis constabat species. Quippe Apollinarem secuti, et ab eo subornati, quod is e Platonis fontibus hac ex parte lutulentis hauserat, pariter in suum dogma transtulerunt : ut animæ facultates ab anima discretas, reque ipsa distinctas ponerent : ut in primo libro [4], et sparsim in ceteris dixi. Quid igitur miremur, hæreticos illos ita Christo veram affinxisse substantiam animæ, ut operandi facultates, ac naturales potentias huic ipsi subtraherent, tanquam truncum solum arboris, decisis ramis, in illa defigerent?

[1] § 5. — [2] Aug. in Ps. p. 594. D. 2.

[3] Gel. Papa ep. 13. ad Episc. Dardaniæ. — [4] Cap. 6.

Atenim quam ἐνέργειαν humanæ Christi naturæ inficiari solebant, eam naturæ *motionem* appellat Agatho papa in epistola synodica : quemadmodum et alii Patres in primo a nobis capite citati. Credo equidem. Utrumque enim ἐνέργεια significat, et agendi vim, et actionem ipsam : quæ ambo Monotheletas ademisse paulo ante docuimus. Ut si dicam, inanima carere motione, aut brutas pecudes ratiocinatione, vel cognitione ; tam operationem ipsam, quam operandi facultatem detrahi, facile omnes intelligunt. Igitur hæretici illi naturam hominis in Christo propria caruisse cum ἐνεργείᾳ dicebant, non minus facultatem, sive δύναμιν, quam hujus operationem excludebant, quod eruditi illi theologi negare non debuerunt.

CAPUT QUINTUM.

Altera quæstio disceptatur, cujusmodi ἐνέργειαν Monotheletæ negaverint. — 1. Solam voluntatis actionem putant aliqui subtractam ab illis fuisse. — 2. Sed errare illos ostenditur, ac primum probatur ἐνέργειαν a voluntate separasse hæreticos illos, et utramque negasse. — 6. Quod idem ex Patribus adstruitur.

I. Alterum est caput, in quo errare vulgo Scholasticos arbitratus est Vasquezius ; sed minori probabilitate, quam in antecedenti quæstione. Est autem posterior hæc hujusmodi, cum ἐνεργεια pro actione sumitur, qualem intellexerint Monotheletæ. Nam est operatio multiplex. Primum altera est animæ, corporis altera. Deinde alia est in anima mentis, alia voluntatis propria. Item quæ per corpus exercentur, innumerabiles sunt, externorum et internorum sensuum, necnon ceteræ, quarum unaquæque proprium animæ gradum sequitur. Hoc ergo quæritur, an Monotheletæ universe illas omnes functiones abrogarint, an unam duntaxat aliquam.

Suspicatur ille, quem nominavi, Gabriel Vasquezius [1], « hæreticos istos per operationem intellexisse solum affectum voluntatis efficacem, a quo tanquam a primo motore pendent membrorum motus et actiones; per voluntatem autem intellexisse non facultatem appetitus rationalis, sed hunc motum, et affectum illius, quem quidem solum operationem vocabant. Nam actiones membrorum, quæ ex hoc affectu voluntatis pendent, non vocabant operationes, sed motus, et opus factum : sicut etiam notat S. Thomas quæstione sequenti (ea est decima nona) articulo primo, etc. Eorum igitur error erat ; in Christo esse solum affectum voluntatis divinæ, non autem humanæ ; cujus nutu membra inferiora ad suas actiones, et opera moverentur : ita ut membra solum parerent motui voluntatis divinæ, quæ erat pro humana ; at vero humana nulla esset, quæ, sicut in nobis, membra ad suas actiones moveret. Et ita illum unicum affectum voluntatis in Christo, quo moveri dicebant membra ad suas actiones, unam voluntatem, et unam solum operationem, eamque theandricam nuncupabant. » Hæc ille : in quibus ἐνέργειαν humanam Christi ab hæreticis negatam, a Catholicis vero propugnatam nihil aliud esse putat quam voluntatem, sive, ut loquuntur, *volitionem :* cujusmodi sola divina fuit, cui membrorum, aut alterius facultatis actiones obsequebantur ; « Hic est, *inquit,* legitimus sensus erroris, quem prædicti hæretici docuerunt ; quem nullus hactenus auctorum notavit. »

II. Verum incredibile est quantopere doctum et acutum theologum fugit ratio. Et quoniam ad indagandam Monotheletarum hæresim maxime illud necessarium est ; crebris, et evidentibus antiquorum Patrum sententiis convincendus est error iste : quo confecto, germana illorum opinio, et ex ea Catholicorum, qui ei adversati sunt, vera, et sincera constabit sententia.

Monotheletas itaque operationem a voluntate discrevisse, et utramque humanæ Christi naturæ detraxisse, ex eo liquido cognoscimus. Primum quod tam hæretici ipsi, quam Catho-

[1] Disp. 73. in 3. part. c. 1. § 3.

lici, illi errorem explicantes suum, hi refutantes, aut ei contrarium dogma referentes, perpetuo fere ambo ista distincte, separatimque concipiunt, duas operationes, et duas voluntates.

In Synodo sexta, actione octava, Macarius Antiochenus interrogatus, « (1) An duas confiteretur naturales voluntates, et duas operationes naturales in Incarnatione Christi Domini; » respondet, « (2) Se neque naturales voluntates duas, neque duas naturales operationes agnoscere. »

Sergius Constantinopolitanus, unus ex hæresis illius auctoribus adeo perspicue ἐνέργειαν ab voluntate discriminat, ut nullum dubitationi locum relinquat. Martinus enim papa in Lateranensi synodo [1], Sergium ait in epistola, quam ad Cyrum scripsit, unam operationem Christo tribuisse; et in ecthesi, quam Heraclii nomine Imperatoris edidit, tum operationem unam, tum etiam voluntatem statuisse, « ex hoc quod dicit impudenter, sequi operationem voluntatem. » Quorum verborum hic sensus est, non oportere duas operationes profiteri, quod ex eo sequitur, « ut duas confiteamur voluntates, contrarie ad invicem venientes, » ut habet ecthesis [2]. Sed et in epistola ad Honorium Sergius idem asserit, « (3) ex eo quod duæ operationes usurpantur, consequens esse, duas prædicare voluntates inter se contrarias. » Unde colligitur, Sergium et Monotheletas, ἐνέργειαν a voluntate disjunxisse, cum hanc ex illa sequi putent.

III. Hoc vero de voluntate operationem sequente dictum, et hujusmodi argumentum, quo Monotheletæ concludebant, si duæ sint operationes in Christo, duas fore voluntates contrarias, ab Severo hæresiarcha illi mutuati sunt, ut ex Maximo constat : cujus fragmentum descripsit Euthymius titulo decimo octavo Panopliæ : ex quo nonnulla supra capite tertio posuimus [3]. Quibus incontinenti ista subtexit : « (4) Igitur si, ut Severo placet, voluntates natura sua sequuntur operationes, cum voluntatibus autem introducuntur una personæ, velut effecta cum causis : ac si, ut idem visum est, omni personæ sua comes est voluntas; etiam cum voluntate, sua prorsus consentanea inferetur operatio. » Hic apparet, voluntatem, ex hæreticorum opinione, ab ἐνεργείᾳ esse diversam, atque ab hac illam proficisci, et eam consequi, quod postea diligentius exponam. In Lateranensi concilio Martino papa præside habito, Maximus Aquileiensis episcopus idem illud effatum hæreticorum redarguit; quatenus ideo unam operationem esse dicebant, ne si duæ ponantur, totidem sequatur esse voluntates, easque contrarias : neque *contrarietatem* hanc ad operationes adjungebant; ut ita loquerentur; « Si duæ operationes contrariæ constituantur, duas etiam colligi voluntates contrarias. » Tum late istud refellit, et absonum esse demonstrat, ex operationibus duabus, totidem voluntates sequi contrarias putare. Quam illius disputationem exponemus postea, cum de voluntate nominatim agemus. Nunc enim eatenus ejus meminisse oportuit, ut inde constaret, Monotheletas aliud esse voluntatem, aliud ἐνέργειαν existimasse, et utramque singularem in Christo. Quod et ibidem sequentia declarant : « Sed quoniam utpote uno existente Christo, qui vult, et operatur, unam ejus operationem definiunt, et voluntatem ex hoc, quod dicunt, quia volentis est voluntas, et operatio operantis, etc. »

IV. Potest et ex eo validissimum argumentum ad ἐνεργείας et voluntatis discrimen probandum instrui, quod in libro primo, capite vicesimo primo notavi, Monotheletarum primarios antistites, et auctores minus audacter ἐνεργείαν in Christo, quam voluntatem, unicam asseverasse. Quippe voluntates duas non esse, palam et constanter professi sunt, ne essent contrariæ : ἐνεργείας vero duas damnare cunctati sunt : cujus ibidem est explicata ratio. Postea confirmata cum impietate fiducia, etiam unicam ἐνέργειαν asseruerunt. Cum autem ad hanc demonstrandam, et duas evertendas, illud ipsum adhibuerint, consequens fore si duæ ponentur ἐνέργειαι, ut duæ sint voluntates :

(1) In Syn. 6. pag. 101. E. Εἰ ὁμολογεῖ δύο φυσικὰ θελήματα, καὶ δύο ἐνεργείας φυσικὰς ἐπὶ τῆς ἐνσαρκου οἰκονομίας Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν.

(2) Ibid. Οὐ λέγω δύο φυσικὰ θελήματα, ἢ δύο ἐνεργείας φυσικὰς ἐπὶ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας.

(3) In Syn. 6. act. 12. pag. 200. A. Ἀλλὰ γὰρ καὶ ἕπεσθαι ταύτῃ τὸ καὶ δύο πρεσβεύειν θελήματα ἐναντίως πρὸς ἄλληλα ἔχοντα.

(4) Euth. ex Max. tit. 18. pag. lat. 649. Εἰ οὖν κατὰ Σευῆρον ταῖς ἐνεργείαις ἕπεσθαι τὰ θελήματα πέφυκε, τοῖς δὲ θελήμασι συνεισάγεσθαι πρόσωπα, καθάπερ αἰτίοις αἰτιατὰ, καὶ παντὶ προσώπῳ δηλόνοτι κατ' αὐτὸν θέλημα, καὶ τούτῳ πάντως ἐνέργεια συνεισαχθήσεται πρόσφορος.

[1] Secret. 1. tom. 4. Conc. p. 667.

[2] Ecthesis in Later. Syn. Secret. 4. p. 697. B. 2.— [3] § 4.

evidens est, hoc illo notius, et minus ambiguum visum Monotheletis fuisse. Nam quod ad demonstrandum aliquid assumitur, tum eo certius, tum manifestius oportet esse. Hinc vero perspicuum est, omnino aliud esse θέλησιν, aliud ἐνέργειαν, ex Monotheletarum sententia.

V. Eadem voluntatis, operationisque distinctio probatur iis ambarum exemplis, quibus partim hæretici, partim in horum errore confutando Patres uti solent. Theodorus Pharanites episcopus hæreticus, in sexta Synodo, actione decima tertia citatus, ἐνεργείας Christi multiplices recenset, quarum singulas unicam esse dicit. « (1) Omne illud, *ait*, quodcumque vel locutus esse narratur, vel egisse Dominus, per mentem, et sensum, et instrumenta sentiendi dixit, egitque : et ita ipsius, tanquam totius uniusque una operatio, Verbi, mentis, et sensu præditi corporis, ex toto habeatur. »

Et in fragmento proxime illic subjecto ἐνεργείας, nominat, somnum, laborem, famem, sitim; quæ singula unica putat operatione a Christo fuisse transacta.

Item paulo post, universa, quæ toto vitæ spatio loquendo, agendo, tolerando Christus administravit, ἐνεργείας vocabulo complectitur : « (2) Sive miraculorum faciendorum vim, et facultatem dixeris : sive naturalem quamdam hominis motionem; velut pastus appetitionem, somnum, fatigationem, et laboris sensum, aut dolorem, et anxietatem : quæ permissione quadam, ex consuetudine, passiones nominantur : proprie vero ad naturalem motionem per anima, sensuque præditum animal ex natura sua referuntur. » Sic Macarius hæreticus in eadem sexta Synodo non semel istud inculcat : cujus aliquot sententias in primo libro commemoravimus [1].

VI. Non aliter veteres omnes sentiunt, ac docent, qui adversus hæreticos unius naturæ, vel operationis patronos certamen susceperunt. Qui quidem ἐνεργείας ita declarant ; et earum hujusmodi exempla referunt, ut appareat non easdem, ac θελήσεις, id est *voluntatis actiones*, esse illas existimasse. Siquidem naturæ operationes humanæ has esse significant, loqui, pati, injuriis succumbere, dormire, vesci cibo, esurire, sitire, et hujus generis alias, ut ex Athanasio, Dionysio, Gregorio Nysseno, Ambrosio, Cyrillo, Leone papa, aliisque probat Agatho papa in epistola synodica, quæ est in actione quarta Synodi sextæ [2].

Anastasius certe Antiochenus episcopus in eadem synodo laudatus [3], humanas operationes vocat, nutriri, crescere, matrem increpare : divinas vero, aquam in vinum vertere, et alia miracula facere. Tum vero [4] ratione uti, et intelligentia, operationem hominis ejusdem nominat. Sophronius quoque Hierosolymitanus patriarcha in epistola synodica [5], non secus loquitur, et humanam vocat operationem, abjectorum ac vilium effectionem, eorumque quæ per corpus exercentur : velut lacte nutriri, crescere, esurire, ambulare, et ambulando fatigari.

Joannes item Damascenus [6] Monotheletas ait, idcirco se humanam operationem adimere dixisse Christo, quod humana omnis actio cum divina comparata, sit πάθος, id est *affectio* quædam, sive *passio*, de qua illorum tergiversatione dicemus postea. Addit et esurisse Christum, quod divinitas assumptæ naturæ fungi propriis operationibus permisit. Quin eodem in capite, « (3) cogitationem *ait* mentis ἐνέργειαν esse, » quæ Christo non defuit, cum mentem habuerit.

Valet ad eamdem probandam operationis, voluntatisque differentiam argumentatio illa, quæ ex ἐνεργείας descriptione, explicationeque petitur, qualem in capite primo variis ex Patrum testimoniis attulimus [7]. Etenim ἐνέργεια naturis omnibus convenit; et ab illis ita definitur, ut sit *naturalis cujusque substantiæ virtus, et motio :* qua id solum caret, quod nihil est; et quam habet illud omne quod natura constat. Ita Gregorius Nyssenus, Maximus martyr, Anastasius, Joannes Damascenus, Agatho papa, et alii. Hoc autem in voluntatis

(1) In act. 13. Syn. sex. pag. 219. E. Πᾶν ὁ τιοῦν ἱστορηται ἢ εἰπὼν, ἢ δράσας ὁ Κύριος, διὰ νοῦ, καὶ αἰσθήσεως, καὶ αἰσθητηρίων, καὶ εἶπε, καὶ ἔπραξε. Καὶ οὕτως αὐτοῦ ὡς ὅλου, καὶ ἑνὸς μία ἐνέργεια τοῦ Λόγου, τοῦ νοῦ, τοῦ αἰσθητικοῦ σώματος, καὶ ὀργανικοῦ τὰ πάντα λεχθείη.

(2) THEODOR. Pharan. ibid. E. Εἴτε θαυματοποιόν τινα δύναμιν εἴποις, εἴτε καὶ φυσικήν τινα τὴν ἀνθρώπου κίνησιν· οἷον τροφῆς ὄρεξιν, ὕπνον, κάματον, καὶ πόνων ἀντίληψιν, λύπην, καὶ ἀδημονίαν· ἃ καὶ πάθη κατὰ συγχώρησιν ὀνομάτων ἐκ τῆς συνηθείας προσαγορεύεται· κυρίως δὲ φυσικῆς κινήσεως διὰ τοῦ ἐμψύχου, καὶ αἰσθητικοῦ ζώου πεφύκασι. Vide eumd. pag. 220.

(3) DAMASC. lib. 3. cap. 15. pag. 233. Εἰ οὖν ἀνέλαβεν ὁ Χριστὸς νοῦν ἀνθρώπινον, ἤγουν ψυχὴν νοεράν τε, καὶ λογικὴν διανοηθήσεται πάντως, καὶ ἀεὶ διανοηθήσεται. Ἐνέργεια δὲ νοῦ ἡ διάνοια.

[1] Cap. 20. — [2] Vid. p. 47. 48. 49. — [3] In ead. Syn. Act. 10. p. 144. — [4] ibid. p. 146.

[5] Ib. Act. 11. p. 168. et 169. et 171. — [6] Lib. 3. c. 15. pag. 235. Vide supra c. 1. § 9. — [7] Vide § 3. et seq.

actionem non convenit : quæ non omnibus naturis, ac substantiis inest, sed solis intelligentia, et ratione præditis.

VII. Sed unus est expressissimus de hac re Maximi locus martyris, ac theologi perquam eruditi, et hæresis Monotheletarum apprime periti. Hic in epistola quadam ad Nicandrum episcopum, adversus unicam illorum ἐνέργειαν disputans, ostendit suam habuisse propriamque susceptum hominem a Verbo; « (1) Primum quoniam quidquid operatione caret, et motione naturali, mortuum omnino est, et inanimum. Et quanam ratione mortuum ad communionem adhibebat operandi? Quomodo carnem eamdem vivificam habere vim ostendebat, ut Cyrillus iterum docuit, per naturæ consentaneas motiones ipsius, velut tactum, vocem, ambulationem; si ea nec illius erant, nec in illa secundum substantiam? Nam si ejus secundum naturalem substantiam erant, prorsus caro habebat operationem. Quippe substantivæ sunt ipsius operationis agitatio manuum, ac pedum, et pronuntiatione vox emissa. » Perspicuum est ex hoc loco, ἐνέργειαν, apud antiquos illos tam hæreticos unius actionis in Christo vindices, quam horum oppugnatores Catholicos, non esse voluntatis solam functionem; sed aliarum quoque facultatum quas *potentias* vocant : quibus natura omnis, et substantia prædita est, et ab alia discernitur. Quod profecto de sola interiori motione voluntalis usurpari non potest; non solum quia non omnes eam naturæ obtinent, sed intelligentes duntaxat : verum etiam, quod interiores et occultæ illæ motiones animæ non extrinsecus parent, nec signi, et indicis loco esse possunt, quo seipsam spiritalis prodat substantia. Ἐνέργειαν autem vulgo Patres hac nota designant, ut sit proprietas, et χαρακτὴρ naturæ, quo hæc manifesta redditur, ut ex capite primo libri hujus colligitur.

VIII. Rursus idem Maximus in epistola ad Nicandrum luculenter discrimen ἐνεργείας, et θελήσεως aperit, cum docet, duas esse naturas in Christo, et quoniam nulla est natura motione aliqua destituta; « (2) Idcirco ad ambarum naturarum divinæ humanæque fidem faciendam, ut earum extantia comprobetur, professionisque nostræ veritas, oportere totidem naturales earum voluntates, ac totidem substantivas operationes asserere. » Tum in sequentibus, affirmat humanæ naturæ proprias operationes in theandricis actionibus, quæ tactu, sermone, incessu, ceterisque corporis motionibus administratæ sunt; de quibus postea.

Idem in disputatione cum Pyrrho non minus evidenter idipsum declarat. Quippe ut ἐνεργείας probet non sequi personam, ostendit eamdem personam multiplices uno tempore actiones edere. « (3) Si quis hoc, *inquit*, in unoquoque nostrum diligentius tractare voluerit, inveniet nos uno, et eodem tempore ratiocinantes, et ambulantes ; vel alia cogitantes simul, et ad præsentes alia disserentes. Quod et Moses fecisse proditur ; cum eodem tempore Deo supplicaret pro populo, et ad populum verba faceret, eumque meliorem ad spem excitaret. » Vide quam variæ sint ἐνέργειαι, nec una voluntatis actione definitæ. Vide et Theorianum in legatione ad Armenos tomo 2. Bibliothecæ Patrum, pagina 468. ubi quæ sint ἐνέργειαι, de quarum numero contendebatur, explicat, et alias esse, quam voluntates ostendit.

Addamus his tanquam colophonem, œcumenicæ sextæ Synodi similem superiori illi Maximi martyris sententiam ex sermone prosphonetico ad imperatorem Constantinum : ubi ita Patres loquuntur : « (4) Quemadmodum duas esse naturas accepimus, ita et duas naturales voluntates, et duas naturales ipsius

(1) Maxim. apud Euthym. Panop. tit. 8. lat. pag. 668. Τὸ γὰρ μὴ ἔχον ἐνέργειαν, μήτε κίνησιν φυσικὴν, νεκρὸν πάντως, καὶ ἄψυχον. Καὶ τίνι λόγῳ προσίετο τὸν νεκρὸν εἰς συνεργίαν; πῶς δὲ ταύτην ἐδείκνυε ζωοποιεῖν δυναμένην, ὡς αὐτὸς πάλιν Κύριλλος ἐξεπαίδευσε, διὰ τῶν κατὰ φύσιν αὐτῆς κινημάτων, οἷον τῆς ἀφῆς, τῆς φωνῆς, τοῦ περιπάτου, τούτων οὐκ ὄντων αὐτῆς, ἢ ἐν αὐτῇ κατ' οὐσίαν; Εἰ γὰρ αὐτῆς κατ' οὐσίαν φυσικὴν, πάντως ἡ σὰρξ εἶχεν ἐνέργειαν. Ἐνεργείας γὰρ αὐτῆς οὐσιώδους ἐστὶν ἥ τε κίνησις τῶν χειρῶν, καὶ τῶν ποδῶν, καὶ ἡ κατὰ τὴν προφορὰν φωνὴ.

(2) Maxim. apud Euth. ibid. lat. pag 651. fine. Διά τοι τοῦτο τὰς Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ φύσεις ὁμολογοῦντας ἡμὰς, τὴν θείαν φημὶ, καὶ τὴν καθ' ἡμᾶς ἀνθρωπίνην, πρὸς βεβαίαν τῆς τε τούτων ὑπάρξεως πίστωσιν, καὶ τῆς ἡμῶν περὶ αὐτῶν ὁμολογίας ἀλήθειαν, καὶ τὰ φυσικὰ τούτων ἰσαρίθμως δεῖ πάντως πρεσβεύειν θελήματα, καὶ τὰς οὐσιώδεις τοσαύτας ἐνεργείας ὁμολογεῖν.

(3) Maxim. in calce tom. 8. Baron. pag. 699. A. Εἰ δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ καθ' ἕκαστον ἡμῶν τοῦτό τις ἐκ πολλῆς περιουσίας γυμνάζειν βουληθείη, εὑρήσει καὶ ἡμᾶς καθ' ἕνα, καὶ τὸν αὐτὸν καιρὸν καὶ λογιζομένους, καὶ περιπατοῦντας· ἢ καὶ ἕτερα μὲν διανοουμένους, ἕτερα δὲ τοῖς παρατυγχάνουσι διαλεγομένους· ὅπερ καὶ Μωϋσῆς ποιήσας ἱστορεῖται, κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν καὶ τῷ Θεῷ ἐντυγχάνων, ὑπὲρ τοῦ λαοῦ, καὶ τῷ λαῷ διαλεγόμενος, καὶ πρὸς χρηστὰς παρορμῶν ἐλπίδας.

(4) In Synod. sex. tom. 5. Conc. pag. 273. F. Καὶ ὥσπερ δύο παρειλήφαμεν φύσεις, οὕτω καὶ δύο φυσικὰ θελήματα, καὶ δύο φυσικὰς αὐτοῦ τὰς ἐνεργείας γνωρίζομεν. Οὐδετέραν γὰρ τῶν ἐν Χριστῷ φύσεων ἐπὶ τῆς οἰκονομίας ἀυτοῦ τολμήσωμεν ἀθέλητον, ἢ ἀνενέργητον ἀποφήνασθαι, μή πως αὐ-

operationes agnoscimus. Neutram enim naturarum Christi, in incarnatione ipsius, audemus voluntatis expertem, aut operationis asserere, ne illorum proprietates perimentes, una cum his naturas quoque perimamus, quarum sunt proprietates. Non enim naturalem humanitatis, quæ inest ipsi, voluntatem, aut naturalem operationem negamus, ne caput, ac summam dispensationis propter salutem nostram gestæ rescindamus, et divinitati passiones affingamus. » Hic duas aperte voluntates a duabus discernunt operationibus : et inter has numerant *perpessiones*, aliasque proprietates humanæ substantiæ.

Tot igitur argumentis, ac veterum testimoniis nova illa doctissimi theologi convincitur, et convellitur opinio : qui Monotheletas unius ἐνεργείας defensores credidit, nihil aliud eo vocabulo, præterquam voluntatis motionem intellexisse. Porro quæ adstruendæ sententiæ suæ argumenta vir eruditus accumulat, ea melius in sequenti capite dissolventur, ubi Monotheletarum dogma penitus investigare conabimur.

CAPUT SEXTUM.

Explicatur accurate Monotheletarum dogma ; — 1. ac primum de ἐνεργείᾳ agitur, ejusque motione. — 2. Qua ratione differt a voluntate. — 3. Monotheletas non solas actiones Christi humanitati detraxisse, sed etiam potentias, et cur ita senserint. Tacite illos Monophysitarum dogma fovisse. — 4. Quod certis probatur rationibus, et ab Apollinari profectum ostenditur ; — 5. tum ex Sergio et Macario confirmatur. — 6. Contra hoc objecta nonnulla solvuntur ; — 7. et Monotheletarum genuina sententia accuratius explicatur.

I. Cum ex antecedenti tota disputatione plenissime constet, voluntatem, quam vulgo *volitionem* vocant, ab ἐνεργείᾳ, sive *operatione* distare, ex Monotheletarum sensu, et, qui ad hunc in illis refutandis accommodarunt sese, catholicorum Patrum : nunc in quo positum sit discrimen istud inquirendum videtur ; ut eo constituto, perspicuum nobis sit quemadmodum illi suam hæresim explicarint.

Ἐνέργεια itaque, si vim nominis spectes, tum *actum* significat, ac τῇ δύναμει, id est *potentiæ* respondet ; quæ et in *actum* transire dicitur : ut Aristoteles pluribus exponit [1], (qua ratione idem est cum ἐντελεχείᾳ : quod vocabulum idem philosophus excogitasse dicitur [2] ;) tum eam, quam proprie nominamus *actionem*, vel *operationem* : eoque modo genus ipsum comprehendit motionum omnium, quibus actuosæ facultates exercentur : adeoque volendi potentia naturalis. Verum illi ipsi, quos memoravi, tam hæretici, quam horum adversarii Catholici, ἐνέργειαν non tam laxa significatione sumpserunt ; sed aliud esse θέλησιν, aliud ἐνέργειαν dixerunt. Ac similiter in istis duabus vocibus accidisse videtur, atque in aliis totidem, *fide et opere*, usuvenisse admonet Augustinus [3]. Cum enim *fides* opus quoddam sit ; nihilominus ab *operibus* distingui solet : ut cum justificari per fidem dicimur, non ex operibus ; « quia prima illa datur, ex qua impetrentur cetera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur : » ut ait Augustinus. « Sic enim distinguit Apostolus ab operibus fidem, (quod idem scribit) quemadmodum in duobus regnis Hebræorum distinguitur Judas ab Israel, cum et ipse Judas sit Israel. »

II. Igitur θέλησις hoc modo non est ἐνέργεια, sed simplex voluntatis solius actio, nondum in opus exiens : sicut *velle*, et *agere* consuetudine ita separantur, ut prius nudam sine effectu voluntatis inclinationem et electionem significet : posterius, executionem destinatæ rei et electæ. Sic Anastasius Sinaita docet in

τῶν ἀναιροῦντες τὰ ἰδιώματα, καὶ τὰς ὧνπερ εἰσὶν ἰδιώματα φύσεις συναναιρήσωμεν· οὐ γὰρ ἀρνούμεθα τὸ φυσικὸν αὐτοῦ τῆς ἀνθρωπότητος θέλημα, ἢ τὴν κατὰ φύσιν ἐνέργειαν, ἵνα μὴ καὶ τὸ τῆς σωτηρίας ἡμῶν οἰκονομικὸν κεφάλαιον ἀθετήσωμεν, καὶ τῇ θεότητι τὰ πάθη προσάψωμεν.

[1] Lib. 9. Met. c. 8. — [2] Vide ib. c. 7.

[3] Lib. de Præd. Sanct. cap. 7.

libro, qui *Viæ dux* inscribitur : qui (1) ἐνέργειαν ait ab eo dici, quod in ἔργοις, id est *operibus insit*, atque *extrinsecus appareat*. Hujusmodi est trita illa philosophorum in scholis *actuum* distinctio in *elicitos*, et *imperatos ;* quorum priores ipsa per se volendi facultas exerit ; posteriores, per reliquas animi corporisque facultates, quibus domina illa, et regina moderatur.

Huc illa Maximi martyris sententia pertinet, quam in Excerptis ex ejus ad Nicandrum epistola Euthymius exhibet ; ubi Arium et Apollinarem ait eatenus diversa ratione grassatos contra catholicam fidem, «(2) ut ille animam, iste mentem Christo subtraheret : quod idem est atque operationis, et voluntatis expertem illum facere. » Quippe « id quod anima caret, nullam viventis, et omnino animati functionem, et operationem exercet, quod autem sine mente est, voluntatem non habet. » Quamobrem ἐνέργειαν Monotheletæ ab θελήσει, id est *voluntate* distinguentes, proprie tribuebant facultatibus ceteris, quæ partim naturales in nobis sunt, ac necessariæ, nec in arbitrio nostro positæ : partim voluntatis nutibus obsequuntur. In Christo vero liberæ omnes erant, et eo volente, ac permittente, aut imperante, in actionem prodibant. Neque vero solam *efficientiam*, sive *motionem*, quæ *actualis* in scholis dicitur, apud illos ἐνέργεια significat : sed etiam facultatem ipsam et potentiam, ut jam capite quarto demonstravimus.

III. Ex quo quid sit consequens animadvertitur, in quo Monotheletarum hæresis cardo consistit. Nimirum hæreticos istos, cum ἐνέργειαν omnem funditus amputarent in humana Christi natura, non solas facultatum actiones, et motiones, sed ipsas quoque facultates ademisse. Sic enim est habendum ; Monotheletas Arii, Apollinaris, et Eutychis, sive Monophysitarum propaginem, fuisse, et illorum omnium hausisse virus, et pestilentiam : tametsi astu, et calliditate hanc a se propulsarent invidiam ; ac palam, verbisque conceptis duas in Christo naturas, perfectas, et integras, nec ulla re deminutas agnoscerent.

Quippe non aliter licebat illis facere, ne synodicis decretis irretiti, quibus hæreses istæ perculsæ erant, ac damnatæ, omnium in sese mortalium odia provocarent : tum vero imperatoria lege constitutis adversus illos pœnis plecterentur. Quod igitur libere, aperteque non audebant, clanculum, et in sinu perfidum illud dogma foventes, quatenus poterant, id exprimere ac promovere conabantur. Non enim recta, sed per ambages, et ex consequenti eamdem pravitatem opinionis inculcabant : ut in Christo persuaderent non perfectam fuisse naturam hominis ; sed carnem duntaxat, expertem animæ, ac facultatum ejus omnium ; quarum vicem Verbi divinitas explebat. Hoc illi palam, ut dixi, eloqui non ausi, eo ipso tamen asserebant, quod animam ratione præditam homini Christo tribuentes, eamdem naturalibus omnibus spoliabant facultatum adminiculis, nihil ut ex se, propriumque ageret : verum inanimi instar instrumenti, alieno motu duntaxat, et impulsu cieretur : prout eam divinitas non tantum regeret, ac gubernaret, sed agitaret etiam, et ad opus applicaret. Ac si verum est, quod summa consensione Patres omnes dicere solitos ostendimus in primo capite ; nullam sine propria operatione esse naturam : et quidquid actione caret sua, nihil prorsus, ac τὸ μὴ ὄν esse : quid aliud ex illa Monotheletarum opinione sequitur, nisi hominis in Christo neque veram animam, neque veram inesse naturam ?

IV. Hujusmodi fuisse Monotheletarum hæresim, eosque Christi animam naturalibus omnibus exuisse facultatibus, tam iis, quas per sese, sine corpore, quam quas una cum corpore, et per corpus exercet ; facile est intellectu, si ea meminisse volumus, quæ ex hæresis istius antesignanis, et auctoribus in libro primo descripsimus. Ibi [1] Theodori episcopi Pharanitæ verba sunt allata, quibus profitetur unam Christi ἐνέργειαν extitisse, qua divina simul operabatur, et humana, quæ quidem ab divina natura profluens, per mediam animam intelligentem, corpusque transibat : ita ut divinitatis instrumentum humana natura fuerit, sicut animæ corpus ὄργανον dicitur. Quod ab Apollinari didicisse constat hæreticos illos.

Hujus enim celebris ista sententia est, *Instrumenti, et causæ motricis unicam esse* ἐνέργειαν : quæ in sexta Synodo recitata est ex libro Apollinaris, qui *de Dubiis* inscriptus erat : « (3) Deus, *inquit*, assumpto instrumento, et Deus est quatenus operatur, et homo ra-

(1) ANAST. in Ὁδηγῷ cap. 2. pag. 46. Ἐνέργεια δὲ εἴρηται, διὰ τὸ ἐν ἔργοις εἶναι, ἤγουν φαίνεσθαι.

(2) MAXIM. apud Euth. in Panop. tit. 18. p. 652. Lat. Ὁ μὲν γὰρ, ἄψυχον· ὁ δὲ, ἄλογον· ὅπερ ἀνενέργητόν ἐστι, καὶ ἀθέλητον αὐτὸν δογματίσαντες.

(3) APOLLIN. in 6. Syn. act. 10. pag. 152. Θεὸς ἀνα-

[1] Lib. 1. c. 20. init.

tione instrumenti. Porro manens Deus non est mutatus [1]. Organum vero, et id quod movet naturaliter unam efficiunt actionem. Quod si una est actio, una est et substantia. Igitur una fuit Verbi, et instrumenti substantia. » Ita Apollinaris, quem locum ab illis verbis, quæ ad marginem notavimus, citat Lateranense concilium Martino papa celebratum, ex libro contra Theodotum : et Leontius in libro adversus fraudes Apollinaristarum ex *oratione disputatoria:* quem librum puto Synodum sextam nominare ἐκ τῶν ἀποριῶν.

Habes in isto loco Apollinaris venam, ex qua Monophysitarum, Eutychianorum, ac deinde Monotheletarum dogma propagatum est : nisi quod priores audacius naturæ unius professionem amplexi sunt : Monotheletæ verbo eam inficiantes, re, ac δυνάμει eamdem asseverarunt ; illa Apollinaris argumentatione conclusi, atque convicti : « Quorum una est operatio, eamdem horum esse naturam, et substantiam. »

V. Sergius Constantinopolitanus episcopus, ejusdem cum Cyro, et aliis fabricator hæresis in epistola ad Honorium papam, scribit : « (1) Carnem Domini intelligente anima præditam, nunquam seorsim, et ex impulsu proprio contra nutum uniti sibi secundum hypostasim Dei Verbi naturalem suam motionem exercuisse : sed quando, qualem, et quantam ipse Deus Verbum volebat. Et, ut planius dicatur, quemadmodum corpus nostrum gubernatur, ornatur, et ordinatur ab intelligente nostra, et rationali anima, sic in Christo Domino tota humana massa cum ab ipsius divinitate Verbi semper, et in omnibus ageretur : a Deo movebatur. » Quod Gregorii Nysseni auctoritate confirmat : de qua postea. Ad hunc modum subdolus, ac veterator hæreticus dogma alioqui Catholicum ad erroris sui patrocinium assumit. Nam Christi humanitatem ab divinitate Verbi actam, et impulsam, ac gubernatam fuisse, inter orthodoxos convenit : idque nos pluribus post paulo demonstrabimus. Verum hoc eo fine Monotheletæ proferebant, ut nonnisi una amborum esset ἐνέργεια, eaque ex toto divina ; quæ manans ab divinitate, trajiceretur in animam et carnem : ab quibus tantummodo reciperetur, nulla autem efficeretur ex parte. Siquidem animam illi censebant nullis in Christo facultatibus instructam esse, neque spiritualibus, neque sentienti, ac vegetanti parti congruentibus : sed solam inesse substantiam : δύναμιν vero, et potentiam, ac consequentem ex ea ἐνέργειαν in solidum divinitatis esse ; sicut malleus ab artifice ad opus adhibitus, et impulsus, nullam ex sese motionem confert : sed hanc totam ab movente receptam, tanquam alienam in opus refundit. Aut quemadmodum corpus hominis nullam ex sese viventis aut sentientis propriam agitationem obtinet ; sed eatenus operatur, qua agitur et movetur ab anima per insitas et naturales ipsius facultates, quas per se nullas illud habet. Quod igitur in carne anima rationalis efficit, idem in anima et carne Christi præstare divinitatem, illorum habebat opinio ; prorsus ut quidquid vitale, ac vegetum, et spirans inesset homini Christo; atque omnis ejus actio, et impulsio, qua vel seipsam in ceteris Adami posteris movet anima, vel subjectam sibi carnem agit, et excitat : non ab ulla creata potentia et facultate flueret ; sed ab ipsamet divinitatis substantia, quæ naturales animæ facultates altiori et extraordinaria virtute suppleret, et consentaneas humanæ substantiæ operationes exprimeret. « (2) Adeo ut carnis propria sit perpessio, non tamen a divinitate sejunctæ, licet divinitatis non esset pati : Dei vero propria sit operatio ; quamvis per humanam suam naturam, hoc est per totam nostram massam, illam executus fuerit una, et sola divina voluntate, » ait Macarius Alexandrinus episcopus Monotheleta. Quocirca τῆς ἐνεργείας efficientem causam uni assignabant divinæ substantiæ ; impressionem vero, et quidquid ab illa causa

λαβὼν ὄργανον καὶ Θεός ἐστι, καθὸ ἐνεργεῖ, καὶ ἄνθρωπος κατὰ τὸ ὄργανον. Μένων δὲ Θεὸς οὐ μεταβέβληται. Ὄργανον δὲ καὶ τὸ κινοῦν μίαν πέφυκεν ἀποτελεῖν τὴν ἐνέργειαν. Εἰ δὲ μία ἡ ἐνέργεια, μία καὶ ἡ οὐσία, μία ἄρα οὐσία γέγονε τοῦ Λόγου, καὶ του ὀργάνου.

(1) In sext. syn. act. 12. pag. 200. B. Ἡ δὲ σωτήριος τῶν θεοφόρων πατέρων διδασκαλία ἐναργῶς ἐκπαιδεύει τὸ, μηδέποτε τὴν νοερῶς ἐψυχωμένην τοῦ Κυρίου σάρκα κεχωρισμένως, και ἐξ οἰκείας ὁρμῆς, ἐναντίως τῷ Πνεύματι τοῦ ἡνωμένου αὐτῇ καθ' ὑπόστασιν Θεοῦ Λόγου τὴν φυσικὴν αὐτῆς ποιήσασθαι κίνησιν· ἀλλ' ὁπότε, καὶ οἵαν, καὶ ὅσην αὐτὸς ὁ Θεὸς Λόγος ἠβούλετο· καὶ σαφῶς εἰπεῖν, ὃν τρόπον τὸ σῶμα τὸ ἡμέτερον ἡγεμονεύεται, καὶ κοσμεῖται, καὶ τάττεται ὑπὸ τῆς νοερᾶς, καὶ λογικῆς ἡμῶν ψυχῆς, οὕτω καὶ ἐπὶ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ ὅλον τὸ ἀνθρώπινον αὐτοῦ σύγκριμα ὑπὸ τῆς αὐτοῦ τοῦ Λόγου θεότητος ἀεὶ, καὶ ἐν πᾶσιν ἀγόμενον θεοκίνητον ἦν.

(2) MACAR. in Syn. sex. act. 8. pag. 98. E. Ὡς εἶναι τῆς μὲν σαρκὸς τὸ πάθος, οὐ κεχωρισμένης δηλονότι ἐκ τῆς θεότητος· εἰ καὶ μὴ τῆς θεότητος ἦν τὸ πάσχειν· τοῦ τε Θεοῦ τὴν ἐνέργειαν, εἰ καὶ διὰ τῆς ἀνθρωπότητος αὐτοῦ, τουτέστιν ἐκ τοῦ ἡμετέρου φυράματος, ταύτην [illegible] ἑνὶ, καὶ μόνῳ θείῳ θελήματι.

[1] In Lateran. Conc. sub Mart. p. 725. D. 1.

manabat, in carnem diffundi putabant, et in ea recipi : uti et perpessionem omnem extrinsecus illatam, et inflictam.

VI. Nam quod Vasquezius opponit [1], hanc ipsam corporis perpessionem motionem fuisse quamdam ejus, et opus membrorum, et carnis ex Monotheletarum opinione ; nihil hoc illum adjuvat. Etenim duo sunt in ipsa perpessione consideranda : alterum, motio ipsa, agitatio carnis, aut divisio, vel confusio, et hujusmodi alia : alterum doloris perceptio, quam ἀντίληψιν Græci, barbarissantes Scholæ *sensationem* nominant. Horum prius sola caro per sese patiebatur, utpote materia, et quantitate natura sua constans : posterius, ex vi et sentiendi facultate proficiscebatur ; non humana, vel creata, sed divina ; quæ carni se accommodans, idem in carne Christi faciebat, quod in carne communium hominum anima rationalis, et ab ea sentiendi derivata facultas, qui tangendi sensus dicitur cum interiore appetitu, qui inflictum dolorem percipit. Hæc enim omnia, quæ ἐνεργείας vocabulo comprehendi ab illis, necessariis argumentis evicimus, cum hujusmodi essent, et singularia, tam facultas scilicet, quam ejus operatio ; profecto nonnisi divina fuerunt, ex illorum sententia.

VII. Quam hæc cohærentia sint, et consentanea, nihil ad rem pertinet; quis enim rationem et judicium in istis requirat? Illud potius cum hæc legimus, aut inquirimus, cum animo nostro reputemus, quod hujus initio capitis dixi : Monotheletas revera germanos Eutychianos, et Apollinaristas, ac Monophysitas fuisse : sed legum, pœnarumque metu, ne pro confessis ac manifestis hæreticis haberentur, utcumque latebram hanc quæsisse sibi, ut ad catholicæ professionis larvam ac speciem quam duplici confitenda natura præ se ferebant, unius dogma voluntatis et operationis adjungerent : quod qui admisissent, de priori recusare non possent. Quare nullius momenti sunt argumenta, quibus eruditi theologi Monotheletas sublevare conantur, et eorum commentum vendibilius facere; quasi hoc illos sensisse verius sit, quod cum reliquo dogmate magis cohæret, ac minus ab communi sensu et ratione discrepare videtur. Omnino Christi operationem quam trito illo, ac decantato nomine libenter, ac passim θεανδρικὴν appellabant, unam, et singularem esse volebant, quæ a divina progressa natura in humanam ac per humanam trajiceretur ad opus externum. Hanc vero motionis, et actionis omnis expertem fingebant ; utique animatæ rei propriæ : velut corpus vita privatum et anima. Et frustra est idem ille doctus theologus, qui canonem 15. Lateranensis sub Martino concilii , quo decernitur , θεανδρικὴν operationem non unam esse, sed duplicem, sic accipit , tanquam iste sit sensus : « In omni Deivirili operatione , duplicem operationem, hoc est duplicem effectum voluntatis inesse, alterum divinæ, alterum humanæ : eo quod Macarius, et alii Monotheletæ, contra quos canon ille editus est, ingenue fatebantur, Deivirilem operationem in Christo constare ex divina operatione, et motu humanæ naturæ. » Verum ex iis, quæ supra disputata sunt, longe aliter existimare debemus ; neque Monotheletas credere, humanæ Christi naturæ propriam motionem , sive ἐνέργειαν tribuisse , φυσικὴν videlicet, sed solam passionem, ac receptionem manantis a divinitate operationis et impressionis, quæ instrumentum illud per se ἀκίνητον ad operis admovebat effectionem : ita ut perfecte θεοκίνητον esset, hoc est *a Deo motum*, non impulsu agitatum proprio.

[1] Disp. 73. c. 1. § 5.

CAPUT SEPTIMUM.

1. Duas, ac diversas operationes esse Christi, probatur imprimis e Scripturæ testimoniis. — 2. Quæ nonnullorum Patrum usu roborantur. — 3. Tum ratione theologica, quæ primum ex naturarum numero et discrimine petitur, quod unaquæque propriam exigit operationem. — 4. Quod argumentum synodalibus sententiis, et Patrum testimoniis fulcitur. — 8. Itaque Monotheletas unius naturæ assertores fuisse convincuntur. — 9. Alterum argumentum, quod si una esset operatio, nec simplex foret, nec composita.

I. Antequam veram, sinceramque rationem operationis in Christo, quam θεανδρικὴν ἐνέργειαν vocant, explicare aggredior, generatim illud adstruendum est, non unam duntaxat, sed duas extitisse, quot erant in eo naturæ. Hoc autem argumentandi genere eodem est probandum, quod sanctos Patres, tum sigillatim, tum in Synodis collectos adhibuisse constat: nempe ut ad sacrarum testimonia litterarum, et sanctorum responsa Patrum adjungatur ex iisdem confecta, et conclusa ratiocinatio.

Operationum igitur in Christo duo genera fuisse, ut aliæ divinitatis, humanitatis aliæ proprie fuerint, non dissimili ratione colligitur, ac de natura duplici disputari solet. Imo vero adeo clarius, et evidentius est, operationes esse duas, quam naturas, ut ad hoc probandum illud assumi soleat. Nam hominem pariter ac Deum esse Christum, inde passim concludunt Patres, quod idem et humano modulo majora, id est divina, et humana, in vita gesserit. Ex quo factum est, ut ἐνέργειαι, id est *operationes*, a græcis theologis appellentur γνωρίσματα, id est *indicia, notæque naturarum propriæ:* sine quibus necesse, nec agnosci natura potest ulla; ut in primo capite libri hujus ostendimus.

Ac divinæ naturæ signa nec pauca, nec obscura præbent tot ab illo promissa, ac denuntiata, et ut promiserat, reipsa facta miracula, quæ nec effici, nisi divina virtute nec ad divinitatis, quam in se agnosci vellet, fidem adstruendam nisi a Deo fieri potuerint. Non enim mendaciis auctoritatem conciliare potest Deus : et ut æqualis Patri, ac similiter omnipotens, et homine Angeloque major ac verus et unigenitus Dei Patris filius, id est Deus, ab omnibus haberetur, et coleretur, stupendis, et inusitatis exhibendis operibus impetrare studuit. Sic ægritudines solo nutu, ac sermone, vel tactu depellere; dæmones e corporibus ejicere ; mortuos ad vitam excitare ; idque momento , et solo imperio peragere, expressa sunt, et illustria divinæ potestatis argumenta ; quæ ob hoc ipsum cum se edere professus sit, ut talem de se opinionem faceret, omnem, ut paulo ante dixi, dubitationem, ac suspicionem falsitatis excludunt.

II. Jam veræ, ceterorumque similis hominum naturæ indices sunt actiones operationesque, quas consulto in eum finem exercuit, ut homo crederetur, ut sunt ambulare, loqui, cibo ac potu refici, esurire, sitire, lassari, exultare gaudio, mœstitia contrahi, lacrymar, pati, vulnerari, ac per summos denique cruciatus animam profundere , quæ nec divinitas operari, ac suscipere sola in se potest, et ut ab vero homine profecta putarentur, priori et divino illo genere operum idem testificari voluit. Hujusmodi argumentis et exemplis utriusque sacræ omnes refertæ sunt paginæ, præsertim Testamenti novi , ne singillatim recensere, vel etiam ex eis aliqua decerpere necesse sit.

Sic in synodo œcumenica sexta, Constantinus Imperator in Edicto, quo synodale decretum ratum habuit, quod etiam in acta relatum est : « (1) Ita, *inquit*, et naturalem alimoniam secundum rationem appetebat, et desiderabat, et tristabatur, et turbabatur. Nam quando Salvator ad crucis passionem sponte, ac sua voluntate venit, cœpit contristari, et mœstus esse. Hæc autem animæ intelligentis et voluntate præditæ propria censentur. » Porro, ut ait Joannes Damascenus, « (2) si unam duntaxat operationem Christi fatemur, divinitati Verbi intelligentis animæ affectiones tribuimus, timorem, inquam, dolorem, et anxietatem. »

(1) In Syn. 6. act. pag. 290. Οὕτω καὶ τῆς φυσικῆς τροφῆς κατὰ λόγον ὠρέγετο, καὶ ἐπεθύμει, καὶ ἐλυπεῖτο, καὶ ἐταράττετο. Ὅτε γὰρ ὁ Σωτὴρ ἐπὶ τὸ τοῦ σταυροῦ πάθος καθ' ἑκούσιον ἤρχετο βούλησιν, ἤρξατο λυπεῖσθαι, καὶ ἀδημονεῖν. Ταῦτα δὲ ψυχῆς νοερᾶς τε, καὶ θελητικῆς τυγχάνουσιν ἰδιώματα.

(2) DAMASC. lib. 3. cap. 15. pag. 231. Εἰ δὲ μίαν Χριστοῦ τὴν ἐνέργειαν εἴπομεν, τῇ τοῦ Θεοῦ Λόγου θεότητι προσάψομεν τῆς νοερᾶς ψυχῆς τὰ πάθη, φόβον, φημὶ, καὶ λύπην, καὶ ἀγωνίαν.

Tum paulo post de miraculis ita ratiocinatur : « (1) Si ex miraculis ejusdem esse cum Patre substantiæ Filium cognoscimus ; operatio vero Dei sunt miracula : igitur etiam post Incarnationem, ejusdem est operationis cum Patre. » Et Sophronius Hierosolymitanus patriarcha in epistola Synodica : « (2) In eo, *inquit*, quod utriusque naturæ propria inconfusa post Incarnationem manere monstravit, et suam cuique convenientem operationem protulit, naturali ratione indicium sui præbentibus naturis ac propriam naturam naturaliter explicantibus, ex qua indivise, et naturaliter tanquam e fonte profluebant, et substantive redundabant, Eutychis germen confusionis amans evertit. » Pergit eas deinde recensere proprietates, et operationes, quibus humana natura dignoscitur : ut sunt « lacte nutriri, crescere, ætatum vicissitudines, et spatia decurrere : tum esuriem, sitim, lassitudinem, incedendi nostræ similem ἐνέργειαν, quæ humano more perfecta, et ut hominum substantia fert promota, humanæ in illo naturæ fuit indicium. » Ita dispares illæ ac dissimiles Christi proprietates, et functiones, quarum per totam Scripturam diffusa mentio est, non uniusmodi, nec singularem illius operationem fuisse prædicant ; sed duplicem, et suæ quamque naturæ congruentem.

III. Ad divini auctoritatem verbi accedat theologica ratiocinatio, quæ partim e sacris illis oraculis, tanquam primariis principiis ; partim ex communibus notionibus, et insita humanæ intelligentiæ luce cognitis efflorescit. Cujusmodi argumentationum prima, et celeberrima est illa, quæ ex naturis ipsis, quæ sunt in Christo duæ, colligitur. Hoc ipsum vero, esse duas, non unam quampiam, vel simplicem, vel ex duarum concursione factam, et compositam, accurate in libro tertio demonstravimus [1]. Hinc igitur trita, et usitata Patribus ratio ista procedit : Quoniam Christus ex duabus constat substantiis, et naturis inter se distinctis, et integris ac perfectis : quæ sine ulla sui confusione, ac detrimento conveniunt in unius hypostasis personæque contextum : non posse unicam utriusque naturæ, ac substantiæ operationem esse ; sed singulis respondere singulas. Nititur autem hæc argumentatio tum Scripturæ manifestis, et expressis illis testimoniis, quibus naturæ Christi duæ comprobantur : quorum vim expendimus in libro tertio : tum certissimo illo, et confesso apud omnes quasi postulato, sive notione communi : Perfectæ omni naturæ suam tribui ac propriam operationem : sine qua consistere, aut intelligi non potest. Quod effatum in primo capite, necnon sequentibus libri hujus, ex antiquis Patribus illustratum est. Usum porro istius argumenti aliquot eorumdem testimoniis, ac sententias declarabimus, qui post exortam Monotheletarum hæresim, hujus vim et impetum hoc firmamento represserunt.

IV. Primum sextæ Synodi Patres in sermone προσφωνητικῷ ad Imperatorem Constantinum, « (3) Perfectum igitur, *inquiunt*, in divinitate, et eumdem in humanitate perfectum, secundum antiquas Patrum traditiones, et divinam Chalcedone sancitam formulam prædicamus. Atque uti naturas duas accepimus ; ita et duas naturales voluntates, et duas naturales ipsius operationes agnoscimus. Quippe neutram in Christo naturam in ejus incarnatione voluntatis expertem, aut operationis audebimus asserere : ne earum proprietates perimentes, naturas una perimamus. » Quem sibi finem proposuisse dicunt illius architectos hæresis, qui una operatione, et una voluntate constituenda, Arii, Apollinaris, Eutychis, et Severi nefarium dogma renovarunt. Tum ista pertexunt : « (4) Nam si voluntate, et operatione carentem humanam Christi naturam dicere

(1) Ibid. pag. 232. Εἰ δὲ ἐκ τῶν θαυμάτων τῆς αὐτῆς οὐσίας ὄντα τῷ Πατρὶ τὸν Χριστὸν ἔγνωμεν, ἄρα καὶ μετὰ σάρκωσιν, τῆς αὐτῆς ἐνεργείας ἐστὶ τῷ Πατρί.

(2) In Syn. 6. act. 11. tom. 5. Conc. pag. 171. B. Διὰ δὲ τοῦ δεικνύναι τὰ ἑκατέρας ἴδια φύσεως ἀσύγχυτα μετὰ τὴν ἕνωσιν μένοντα, καὶ ἑκατέραν τῶν αὐτῶν ὁμοίως προφέρειν ἐνέργειαν, τῷ φυσικῷ λόγῳ γνωριζομένων τῶν φύσεων, καὶ τὴν οἰκείαν φύσιν φυσικῶς ἑρμηνευουσῶν, ἀφ' ἧς ἀμερίστως καὶ φυσικῶς ἐπηγάζετο, καὶ οὐσιωδῶς ἀνεβλάστανε, τὴν Εὐτυχοῦς ἐκτρέπων φιλοσύγχυτον βλάστησιν.

(3) In 6. Syn. act. 18. pag. 273. Τέλειον οὖν ἐν θεότητι καὶ τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν ἀνθρωπότητι κατά τε τὰς Πατρικὰς ἄνωθεν παραδόσεις, καὶ τὸν ἐν Καλχηδόνι θεῖον ὅρον κηρύττομεν. Καὶ ὥσπερ δύο παρειλήφαμεν φύσεις, οὕτω καὶ δύο φυσικὰ θελήματα, καὶ δύο φυσικὰς αὐτοῦ τὰς ἐνεργείας γνωρίζομεν. Οὐδετέραν γὰρ τῶν ἐν Χριστῷ φύσεων ἐπὶ τῆς οἰκονομίας αὐτοῦ τολμήσομεν ἀθέλητον, ἢ ἀνενέργητον ἀποφήνασθαι, μήπως αὐτῶν ἀναιροῦντες τὰ ἰδιώματα, καὶ τὰς ὧνπερ εἰσὶν ἰδιώματα, φύσεις συναναιρήσωμεν.

(4) Ibid. pag. 274. B. Εἰ γὰρ ἀθέλητόν τε, καὶ ἀνενέργητον τὴν ἀνθρωπίνην τοῦ Κυρίου φύσιν λέγειν παρήσομεν, ποῦ τὸ τέλειον ἐν ἀνθρωπότητι σέσωσται ; οὐδὲν γὰρ συνίστησιν ἕτερον τῆς ἀνθρωπίνης οὐσίας τὴν τελειότητα, εἰ μή τοιγε τὸ οὐσιῶδες θέλημα, δι' οὗ καὶ ἡ αὐτεξουσιότητος ἐν ἡμῖν χαρακτηρίζεται δύναμις. Οὕτως ἐχέτω καὶ ἡ οὐσιώδης ἐνέργεια· πῶς γὰρ πάλιν φαμὲν, αὐτὸν ἐν ἀνθρωπότητι τέλειον μηδὲν ἀνθρώπινον παθόντα, ἢ ἐνεργήσαντα ;

[1] Cap. 5. et seq.

permittimus, ubinam perfectus status humanitatis servabitur? Nihil enim aliud humanæ substantiæ perfectionem constituit, nisi substantiva voluntas; qua liberi arbitrii facultas in nobis propria nota designatur. Ita et substantiva habeat operatio. Quomodo enim rursus ipsum in humanitate perfectum asserimus, qui nihil humani passus, vel operatus est? » Quibus in verbis perspicue separari vides ἐνέργειαν et θέλημα, hoc est *operationem*, et *voluntatem*.

In eadem synodo Constantinus imperator edictum edidit, in quo similia docet: et hoc insuper, quæ sunt diversi generis, naturæque diversæ, non eadem operatione esse prædita: sed pro eo ac naturæ distinguuntur, ita etiam operationes esse distinctas; quod ex Cyrillo, et aliis Patribus approbat: quorum postea meminerimus.

Sic Joannes Damascenus, « (1) Salva, *inquit*, naturarum differentia, salvæ erunt et earum operationes. Non enim natura ulla est operationis expers. » Et paucis interpositis? « (2) Si omnis operatio definitur, naturæ cujuspiam substantiva motio, ut harum rerum periti disputant; ubi naturam novit quisquam motionis expertem, aut operatione omni destitutam? aut quis operationem invenit, quæ non sit naturalis facultatis motio? Ceterum unicam naturalem operationem Dei et creaturæ nemo sapiens esse putet, ut ait beatus Cyrillus; neque Lazarum ad vitam excitat humana natura: neque lacrymat divina potestas. Nam lacryma, humanitatis; vita, subsistentis est propria vitæ.

V. Martinus papa primus in epistola undecima: « Ex eadem voluntate, atque operatione, *ait*, eadem inducitur substantia, juxta sanctorum, et orthodoxorum doctrinam Patrum. » Et in Lateranensi synodo [1], idem uberius explicat, ac nonnullorum Patrum testificatione probat; quod postea referam.

Maximus quoque martyr in disputatione cum Pyrrho, huic insistit argumento, ut ἐνέργειας duas, totidemque voluntates habuisse Christum indidem ostendat, quod naturæ insint duæ, non mutilæ, sed perfectæ, quarum quælibet quod sibi conveniens est persequitur, et agit. Verba sanctissimi, et eruditissimi viri plane hic describenda sunt: « (3) Nos sanctis Patribus, *inquit*, ut in omnibus, sic in hoc ipso consentientes, asserimus, Deum universorum sine ulla sui mutatione factum hominem, non solum, tanquam Deum, eumdem consentanee divinitati suæ voluisse: sed ut hominem etiam convenienter humanitati suæ. Nam si de non extantibus extantia facta, ejus quod extat, non ejus quod nihil est, vim ac facultatem (tuendi appetentem) habent: hujus autem secundum naturam propria est tum eorum, quæ ad conservandum valent, prosecutio; tum eorum, quæ interitum afferunt, declinatio: igitur Verbum supersubstantiale, humana substantia suscepta, habuit et ejus, quod extat, hoc est humanitatis suæ conservatricem facultatem, cujus prosecutionem, ac fugam volens operatione ipsa monstravit: prosecutionem quidem in eo, quod naturalibus, et irreprehensis proprietatibus eatenus est usus, ut de non Deus esse ab infidelibus crederetur: fugam autem, ac declinationem quando, imminente passione, contradictionem animi ex mortis metu sponte suscepit. »

VI. Hujusmodi naturis omnibus insitam proprietatem eleganter Tullius in primo de Officiis ita declarat: « Principio, *inquit*, animantium omni generi est a natura tributum, ut se, vitam corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur; omniaque, quæ sunt ad vivendum necessaria, inquirat, et paret: ut pastum, ut latibula, ut alia ejusdem generis. » Et in tertio de Finibus, Catonem Stoicorum dogmata enarrare incipientem, loqui facit sic:

(1) DAMASC. lib. 3. cap. 15. pag. 233. Τῆς δὲ διαφορᾶς σωζομένης τῶν φύσεων, σωθήσονται δηλαδὴ καὶ αἱ τούτων ἐνέργειαι. Οὐ γάρ ἐστι φύσις ἀνενέργητος.

(2) Ibid. pag. 234. vers. 6. Εἰ πᾶσα ἐνέργεια, φύσεως τινὸς οὐσιώδης ὁρίζεται κίνησις, ὡς περὶ ταῦτα δεινοὶ διειλήφασι, ποῦ φύσιν τις οἶδεν ἀκίνητον, ἢ παντελῶς ἀνενέργητον; ἢ ἐνέργειαν εὕρηκεν οὐ φυσικῆς δυνάμεως ὑπάρχουσαν κίνησιν; μίαν δὲ φυσικὴν τὴν ἐνέργειαν Θεοῦ, καὶ ποιήματος, οὐκ ἄν τις εὐφρονῶν δοίη, κατὰ τὸν μακάριον Κύριλλον. Οὐδὲ ζωοποιεῖ τὸν Λάζαρον ἡ ἀνθρωπίνη φύσις, οὐδὲ δακρύει ἡ θεϊκὴ ἐξουσία. Τὸ μὲν γὰρ δάκρυον τῆς ἀνθρωπότητος ἴδιον. ἡ δὲ ζωὴ, τῆς ἐνυποστάτου ζωῆς.

(3) MAXIM. in disp. cum Pyr. tom. 8. Baron. pag. 682. B. Ἡμεῖς δὲ τοῖς ἁγίοις πατράσι, ὡς ἐν ἅπασι, κἀν τουτῳ ἑπόμενοι, φαμὲν, ὅτι περ αὐτὸς ὁ τῶν ὅλων Θεὸς, ἀτρέπτως γενόμενος ἄνθρωπος, οὐ μόνον ὡς Θεὸς, ὁ αὐτὸς καταλλήλως τῇ αὐτοῦ θεότητι ἤθελεν, ἀλλὰ καὶ ὡς ἄνθρωπος, ὁ αὐτὸς καταλλήλως τῇ αὐτοῦ ἀνθρωπότητι. Εἰ γὰρ ἐξ οὐκ ὄντων τὰ ὄντα γενόμενα, καὶ τοῦ ὄντος, οὐ τοῦ μὴ ὄντος, ἔχουσι τὴν δύναμιν, ταύτης δὲ κατὰ φύσιν ἴδιον ἡ πρὸς τὰ συστατικὰ ὁρμὴ, καὶ πρὸς τὰ φθαρτικὰ ἀφορμή. Ἄρα καὶ ὁ ὑπερούσιος Λόγος, ἀνθρωπικῶς οὐσιωθεὶς, ἔσχε καὶ τοῦ ὄντος τῆς αὐτοῦ ἀνθρωπότητος τὴν ἀνθεκτικὴν δύναμιν· ἧς τὴν ὁρμὴν, καὶ ἀφορμὴν, θέλων, δι' ἐνεργείας ἔδειξε· τὴν μὲν ὁρμὴν ἐν τῷ τοῖς φυσικοῖς, καὶ ἀδιαβλήτοις τοσοῦτον χρήσασθαι, ὡς καὶ μὴ Θεὸν τοῖς ἀπίστοις νομίζεσθαι· τὴν δὲ ἀφορμὴν ἐν τῷ καιρῷ τοῦ πάθος ἑκουσίως τὴν πρὸς τὸν θάνατον συστολὴν ποιήσασθαι.

[1] Later. Synod. secr. 1. tom. 4. Conc. p. 667. et seq.

« Placet his, *inquit*, quorum ratio mihi probatur, simul atque natum sit animal, (hinc enim est ordiendum,) ipsum sibi conciliari, et commendari ad se conservandum, et ad suum statum, et ad ea, quæ conservantia sunt ejus status, diligenda : alienari autem ab interitu, iisque rebus, quæ interitum videantur afferre. » Hæ sunt ὁρμαὶ, et ἀφορμαὶ *appetitiones*, ac *declinationes inculpabiles*, ut vocant Patres, primigenii naturæ cujusque fœtus, quibus quæ ad sui conservationem necessaria sunt appetit, ac procurat, quoad potest ; quæ vero sunt nocitura refugit : quas ideo humanæ Christi naturæ deesse nec potuisse, nec oportuisse confirmant : quandoquidem et culpa, uti dixi, carent : nec abesse sine naturæ interitu, et extinctione possunt.

Eodem argumento usus est Agatho Romanus pontifex in sexta Synodo [1], ad duplicem adstruendam adversus hæreticos operationem.

VII. Verum omnium accuratissime Theodorus Abucara idipsum explicat, et rationis illius vim pene ipsis oculis subjicit, cujus proinde verba hic adscribi merentur. Cum igitur duas operationes in Christo approbare vellet, hunc in modum disserit : « (1) Quippe illud usuvenit, *ait*, ut una hypostasis diversas habeat operationes, et tamen in unitate sua permaneat. Ut, exempli causa, videmus Paulum posse videre, audire, loqui, ratiocinari. Atqui visio, auditio, locutio, ratiocinatio, diversæ sunt operationes, et una distat ab altera. Sed Paulus una est hypostasis, has omnes habens operationes quatuor : verum oculo videt, non alio corporis membro : audit aure, non alia parte : lingua loquitur, non altero membro : mente ratiocinatur, non alio præter ipsam. Porro unaquæque ex hypostaticis operationibus naturalem habet in hypostasi facultatem, velut materiam subjectam effectui, quem hypostasis operatur. Sicut Paulus, qui est hypostasis, facultatem habet suapte voluntate loquendi, qualem habent homines omnes. At sermones, quos Paulus loquitur, quo tempore loquitur, proprii sunt Pauli, » etc. quæ longum sit describere, et apud illum legi satius sit.

Maximus item martyr in epistola ad Nicandrum, « (2) Quomodo, *inquit*, si natura proprie Deus, et natura proprie homo idem erat, non et divinam voluntatem et operationem natura proprie, et humanam voluntatem, operationemque natura proprie habuit, horum neutro secundum naturam deficiens ; per quæ consentanea rebus nomina præferens, et his rursus res ipsas affirmans, manifeste agnoscebatur idem divina pariter, et humana naturaliter obtinens, ac volens, et operans ; indeque ea ex quibus, et in quibus, et quæ erat creditus ? quandoquidem naturali voluntate, et naturali operatione sublata, quinam Deus erit, aut homo ? quinam hoc et illud secundum substantiam esse monstrabitur, si non utriusque naturæ sine ullo defectu proprietatem retinet ? »

VIII. Quamobrem qui propriam, et distinctam negabant operationem, et agendi vim naturæ cujusque, eo vel inviti revocabantur, ut cujus peculiarem motionem naturæ tollerent, eam neque perfectam, neque veram, sed omnino nullam esse faterentur ac specie, et adumbratione tenus extantem, quo nomine incusatos illos esse ab Catholicis constat. Martinus certe papa in epistola tertia ad Constantem imperatorem hæreticum, ostendit, non vere assumptam esse substantiam nostram, si nulla ejus operatio propria in Christo fuit. « Quomodo igitur a se fabricatam, *inquit* [2],

(1) Abuc. opusc. tom. 11. bibl. PP. pag. 394. E. Καὶ γὰρ τῶν δεχομένων (for. ἐνδεχομένων) ἐστὶν, ὥ οὗτοι, μίαν ὑπόστασιν διαφόρους ἔχειν ἐνεργείας, καὶ μένειν ἐπὶ τῆς ἑαυτῆς μονάδος ὥσπερ παραδειγματικῶς εἰπεῖν, βλέπομεν τὸν Παῦλον δυνάμενον ὁρᾷν, καὶ ἀκούειν, καὶ λαλεῖν, καὶ διαλογίζεσθαι· ἡ ὅρασις, καὶ ἡ ἀκοὴ, καὶ ἡ λαλιὰ, καὶ ὁ διαλογισμὸς, διαφοροί εἰσιν ἐνέργειαι, καὶ τούτων ἑκάστη ἄλλη παρὰ τὴν ἑτέραν. Ἀλλ' ὁ Παῦλος μία ἐστὶν ὑπόστασις ταύτας ἔχων ὅλας τὰς τέσσαρας ἐνεργείας. Ἀλλ' ὀφθαλμῷ μὲν ὁρᾷ, καὶ οὐκ ἄλλῳ τῶν τοῦ σώματος μελῶν. Ἀκούει δὲ τῷ ὠτίῳ, καὶ οὐκ ἄλλῳ· καὶ τῇ γλώττῃ λαλεῖ, καὶ οὐκ ἄλλῳ μορίῳ· καὶ διαλογίζεται τῷ νοῒ, καὶ οὐκ ἄλλῳ τινί. Ἑκάστη δὲ τῶν ὑποστατικῶν ἐνεργειῶν, ἔχει φυσικὴν ἐν τῇ ὑποστάσει δύναμιν, ὕλην ὑποκειμένην τῷ ἐνεργήματι, ὅπερ ἡ ὑπόστασις ἐνεργεῖ. Καί ἐστι τὸ ἐνεργούμενον ἴδιον τῆς ὑποστάσεως. Ὃν τρόπον Παῦλος ὑπόστασις ὢν, δύναμιν ἔχει τῇ ἑαυτοῦ γνώμῃ λαλεῖν, ὡς ἔχουσιν οἱ πάντες ἄνθρωποι. Οἱ μέντοι λόγοι, οὓς Παῦλος λαλεῖ, καθ' ὃν φθέγγεται καιρὸν, τοῦ Παύλου εἰσὶν ἴδιοι.

(2) Maxim. apud Euth. Pan. tit. 18. lat. pag. 651. Πῶς εἴπερ φύσει κυρίως Θεὸς, καὶ φύσει κυρίως ἄνθρωπος ὁ αὐτὸς, οὐχὶ καὶ θεῖον θέλημα, καὶ ἐνέργειαν φύσει κυρίως, καὶ ἀνθρώπινον θέλημα, καὶ ἐνέργειαν φύσει κυρίως εἶχε, μηδετέρου τούτων κατὰ φύσιν ὢν ἐλλιπὴς, δι' ὧν ἐπαληθεύων τοῖς πράγμασι τὰ ὀνόματα, καὶ τούτοις αὖθις ἐπικυρῶν τὰ πράγματα προδήλως ὁ αὐτὸς ἐγνωρίζετο τά τε θεῖα, καὶ τὰ ἀνθρώπινα φυσικῶς ἔχων καὶ θέλων ; καὶ ἐνεργῶν κἀκ τούτου τὰ ἐξ ὧν, καὶ ἐν οἷς, καὶ ἅπερ ὑπῆρχε πιστευόμενος ; ἐπεὶ τοῦ φυσικοῦ θελήματος, καὶ τῆς οὐσιώδους ἐνεργείας ἀναιρουμένης, πῶς Θεὸς, ἢ ἄνθρωπος ἔσται ; καὶ πῶς τοῦτο, ἢ ἐκεῖνο κατ' οὐσίαν ὑπάρχων δειχθήσεται, μὴ σώζων ἑκατέρας φύσεως ἀνελλιπῶς τὴν ἰδιότητα ;

[1] Act. 4. Syn. 6. p. 50.

[2] Matt. epist. 3. tom. 4. Conc. p. 646.

et propria incarnatione assumptam a naturali voluntate, et operatione deminuit; non vere faciens substantiæ nostræ in se fidem: sed imaginarie, et fallaciter dispensationem secundum illos perpetrans, qui ob hoc unam divinitatis ejus, atque humanitatis voluntatem et operationem esse dogmatizarunt? » Et in Lateranensi synodo secretario secundo Pontifex idem Theodori Pharanitæ ex illa hæresi verba refert, ex quibus convincitur non veram et naturalem in Christo carnis agnovisse substantiam; sed fictam duntaxat, et apparentem speciem, et imaginem: ut in primo libro memoravimus [1].

Sane nec esse, nec existimari potest natura ulla salva, quæ proprium sui nullum edit specimen, nec agit quidquam; nec utrum sit in rebus, ullo indicio, argumentoque prodit. Perfecta utique, quod nemo diffiteatur, dici nulla poterit, cui complementum deest ultimum, et extrema substantiæ cujusvis absolutio; ut actuosa sit, et efficere aliquid, ex seque proferre possit, ac profundere. Id tantum enim agit res quælibet, in quantum est *actu*, id est ἐντελεχείᾳ: et in quantum actu est, in tantum abest ab nihilo, quod τὸ μὴ ὄν, hoc est *non ens* dicitur. Quare quod nihil nec agit, nec potest agere, inter τὰ ὄντα, *ea quæ sunt*, numerari non debet. « Hinc igitur et duas naturales voluntates, et duas naturales operationes habere, utpote perfectum Deum, perfectum hominem, unum eumdemque ipsum Dominum nostrum Jesum Christum pietatis nos regula perstruit, » ait Mansuetus Mediolanensis episcopus [2].

IX. Rursus duas esse Christi ἐνεργείας adversus hæreticos ita Patres demonstrant: si esset una duntaxat, ea vel simplex esset, vel composita. Si simplex, vel solius Dei esset propria; vel hominis solius. Si composita, multa ex eo absurda sequerentur: velut creatam simul, et increatam esse: tum neque Deum, neque hominem esse Christum: sed mistum aliquid ex utroque: et alia, quæ paulo post referam. Nam singula diligentius examinanda sunt. Hoc igitur argumento imprimis Agatho papa in synodica epistola Monotheletas concludit [3], « Necesse est, *inquit*, eos qui hoc asserunt, aut divinam eam dicere, aut humanam, aut ex utrisque compositam, commistam, atque confusam: aut, ut hæretici omnes asseverant, Christum unam habere voluntatem, et operationem, tanquam de una, ut perhibent ipsi, ejus natura composita procedentem. » Quæ autem ex istis omnibus portenta consequantur, ita colligit Maximus apud Euthymium: «(1) Si una tantum in ipso voluntas, *ait*, et una dicitur a nobis operatio: eumdem vel non esse natura hominem, sed solum Deum; vel natura solum hominem, et non Deum: vel neque hominem, neque Deum, perspicue profitebimur. Veluti si naturalem Dei voluntatem forte dixerimus, aut hæc omnino divina erit, aut humana. Si divina, naturaliter per ipsam Verbum divina volet, Deum se natura tantum, et ejusdem cum genitore suo voluntatis, non hominem ostendens. Non enim natura fert, ut ex eo, quod natura divinum est, id quod natura est humanum, propriam formam, ac notam accipiat: quemadmodum neque fieri potest ut per id, quod secundum substantiam humanum est, id, quod divinum est substantia, dignoscatur. Nec dispar erit consequentiæ ratio, si voluntatem eamdem Christi humanam esse dicamus. »

Brevius idem in disputatione cum Pyrrho [4], si una tantummodo sit operatio, ea si quidem divina sit, nonnisi Deum fore Christum asserit. Sin autem humana sit, non futurum Deum, sed nudum hominem. Quod si neutra sit ambarum, nec Deum, nec hominem; ac nihil omnino fore, et extantia cariturum. Idem leges apud Joannem Damascenum libro tertio, capite decimo quinto [5].

Jam illud hæreticis quibusdam istius sectæ placuisse demonstravimus [6], ἐνέργειαν Christi, quam singularem statuebant, creatam fuisse; cum tamen plerique solam divinam relinquerent [7]. Sed utrosque ratio ipsa, et communis sensus refellit.

(1) Maxim. apud Euthym. Panop. tit. 18. lat. 653. Εἰ γὰρ (ἓν) ἐπ' αὐτοῦ θέλημα, καὶ μίαν ἐνέργειαν εἴπωμεν, ἢ τοῦτον οὐκ ὄντα φύσει καὶ ἄνθρωπον, ἀλλὰ μόνον Θεὸν· ἢ φύσει μόνον ἄνθρωπον, καὶ οὐ Θεον· ἢ οὔτε ἄνθρωπον, οὔτε Θεὸν σαφῶς δογματίσομεν. Οἷον εἰ μὲν φυσικὸν τὸ θέλημα τυχὸν εἴποιμεν, ἢ θεῖον πάντως, ἢ ἀνθρώπινον τοῦτό ἐστι. Καὶ εἰ θεῖον, τὰ θεῖα κατ' αὐτὸ θελήσει φυσικῶς ὁ Λόγος, Θεὸν φύσει μόνον, καὶ συνθελητὴν τῷ ἰδίῳ γεννήτορι δεικνὺς ἑαυτόν, καὶ οὐκ ἄνθρωπον. Οὐ γὰρ πέφυκε διὰ τοῦ φύσει θείου τὸ ἀνθρώπινον φύσει χαρακτηρίζεσθαι. Ὥσπερ οὐδὲ διὰ τοῦ κατ' οὐσίαν ἀνθρωπίνου τὸ κατ' οὐσίαν θεῖον γνωρίζεσθαι. Τοῦτο καὶ εἰ ἀνθρώπινον φῶμεν τὸ θέλημα φύσει, κατὰ τὸ ἀκόλουθον συναχθήσεται.

[1] C. 21. § 3. — [2] Mans. in Syn. 6. p. 16. Vide et Agathonem Papam in ead. Syn. Act. 4. p. 37. — [3] Agatho. in Syn. 6. Act. 4. p. 44. — [4] Max. in calce to. 8. Baron. p. 700.

[5] Damasc. p. 233. — [6] Vide Synod. Sex. Act. 13. p. 221. et Later. sub Mart. Consul. 2. p. 690. — [7] Vide Lateran. sub Mart. Consul. 4. pag. 725.

X. Nam quod ἑνώσει, id est *unitione*, ex duabus operationibus, unicam fieri interdum asserebant : non minus est ineptum, et in eadem incurrit indigna, infandaque dictu. Etenim fieri non potest, ut una, et singularis ex ambabus existat composita , quin singularum propriæ perimantur. Nam si manent, plures erunt una, ac numerari tres incipient ; prima divinitatis, quæ nec auferri, nec mutari potest: altera peculiaris homini : tertia, compositæ illius naturæ propria. Quippe natura una ponatur ante composita necesse est, quam una, et composita illius operatio. Tum hoc in epistola sua synodica recte Agatho pontifex observat [1], Synodos omnes, ac Patres, naturarum post unitionem discrimen integrum agnoscere, earumque proprietatum. « Quia etsi unum Christum, unamque ejus personam, ac subsistentiam, propter unitionem videlicet naturarum, quæ facta est secundum subsistentiam, docuerunt : differentiam tamen ipsarum, quæ in eo unitæ sunt, naturarum, post admirabilem, atque inseparabilem adunationem, usque ad intelligentiæ contemplationem nos cognoscere, ac prædicare tradiderunt. Si itaque proprietates naturarum in uno, eodemque Domino nostro Jesu Christo propter differentiam conservantur, et differentiam quoque naturalium ejus voluntatum, et naturalium operationum plena fide nos congruit confiteri. » Quocirca operationum quoque differentiam, ex consequenti manere necesse est. Ubi autem differentia est, unitas non est, sed multiplicitas.

« (1) Neque vero propter hypostaticam unitionem fit ulla naturalium proprietatum, operationumque decessio ; cum certo sciamus, unitionem, quæ est secundum hypostasim , nihil eorum, quæ naturalia sunt, lædere : uti neque naturas ipsas ; quamvis eas in unum colligat per sese, secundum unam hypostasim, » ut ait Maximus ; qui et alibi scribit, « (2) ea, quæ substantive insunt, tolli nullo modo posse. » Itaque quod de naturis ipsis inter se copulatis, et unitis in tertio libro fuse disputavimus, eas integras, et illibatas post unitionem manere , nec ullam suarum proprietatum, et eorum , quæ naturaliter insunt ipsis, jacturam facere ; idem omnino de agendi facultatibus, et actionibus ipsis existimandum est ; ut naturis absque ullo sui detrimento, et sine confusione perseverantibus , perseverent et ipsæ. « (3) Quod enim ex quibusdam, sublata omni confusione, per unitionem, quæ fit naturali concursione, conficitur, tum naturas, ex quibus constat, immutabiles conservat, tum facultates, quæ ipsum continent, citra diminutionem retinet, ad unius operis expletionem ; sive passio, sive miraculum sit illud quod efficitur, » ut idem Maximus scribit in epistola ad Pyrrhum presbyterum. « (4) Facit hoc quidem unitio, ut eadem sit hypostasis naturarum duarum, ait Joannes Damascenus, non tamen naturarum sublata differentia est. Porro salva manente differentia naturarum, salvæ erunt utique operationes earum. Non enim est natura ulla operationis expers. »

XI. Ad hæc, si una tantum in Christo esset operatio, necessario vel creata esset, vel increata ; ut contra Pyrrhum argumentatur Maximus [2]. Nihil enim inter duo hæc interjectum est. Si creatam dixeris, nullam nisi creatam naturam inesse monstrabit : si increatam, solam inesse divinam. Non potest autem eadem esse vel natura, vel naturæ operatio creata simul et increata, ut idem Maximus apud Euthymium probat [3].

Addit Joannes Damascenus, (5) Christum, si unitione compositam habet ἐνέργειαν, non eamdem habiturum esse cum Patre, adeoque nec eamdem cum ipso naturam : vel certe Patrem in similem, hoc est compositam naturam, operationemque transiturum.

(1) Maximus loco cit. pag. 652. Pan. Euthy. Καὶ μηδὲν αὐτῶν προφάσει δῆθεν τῆς καθ' ὑπόστασιν θείας ἑνώσεως ἀπομειοῦν, ἢ ἐξαρνεῖσθαι τὸ σύνολον, γινώσκοντας ὡς ἡ καθ' ὑπόστασιν ἕνωσις οὐδὲν παραβλάπτει τῶν φυσικῶν, καθάπερ οὐδὲ τὰς φύσεις αὐτὰς, εἰ καὶ ταύτας εἰς ἓν ἄγει δι' ἑαυτῆς κατὰ τὴν μίαν ὑπόστασιν.

(2) Idem disp. cnm Pyr. Τὰ δὲ οὐσιωδῶς προσόντα καὶ ἀναφαίρετα.

(3) Max. ad Pyr. presb. Τὸ γὰρ ἔκ τινῶν ἀσυγχύτως ἑνώσει τῇ κατὰ σύνοδον φυσικὴν ἀποτελούμενον, καὶ τὰς φύσεις, ἐξ ὧν συνέστηκεν ἀτρέπτους διατηρεῖ, καὶ τὰς αὐτῶν συστατικὰς ἀμειώτους διασώζει δυνάμεις εἰς ἑνὸς ἔργου συμπλήρωσιν, εἴτε πάθος, εἴτε θαῦμα τὸ γινόμενον.

(4) Damasc. lib. 3. cap. 15. pag. 232. Ἐκ γὰρ τῆς ἑνώσεως ἡ καθ' ὑπόστασιν ταυτότης γέγονεν, οὐ μὴν δὲ καὶ ἡ διαφορὰ τῶν φύσεων ἀνῄρηται. Τῆς δὲ διαφορᾶς σωζομένης τῶν φύσεων, σωθήσονται δηλαδὴ καὶ αἱ τούτων ἐνέργειαι. Οὐ γάρ ἐστι φύσις ἀνενέργητος.

(5) Damasc. lib. 3. cap. 15. pag. 232. Εἰ δὲ μία ἐνέργεια τῆς θεότητος αὐτοῦ, καὶ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ , σύνθετος ἔσται, καὶ ἔσται ἢ ἑτέρας ἐνεργείας παρὰ τὸν Πατέρα, ἢ καὶ ὁ Πατὴρ συνθέτου ἐνεργείας ἔσται. Εἰ δὲ συνθέτου ἐνεργείας, δηλονότι καὶ φύσεως.

[1] In 6. Synod. p. 49. — [2] In Disp. cum Pyr. p. 700.

[3] In Panop. Tit. 18. Lat. pag. 668.

Martinus papa in Lateranensi concilio hæc et alia incommoda falsæ illius opinationis compendio collegit : quem locum non pœnitebit adscribere. « Nam si non duas operationes, *inquit* [1], hanc Deivirilem significare, sed unam esse confitentur, necesse est eos aut simplicem, aut compositam, aut naturalem, aut personalem dicere eam, ut ne pro incerto vocabulo, nullius eam virtutis esse perhibeant. Ergo si quidem simplicem esse dicunt, eamdem ut simplicem habebit et Pater. Simplicem namque Deus, et Pater habet propriam operationem, et operabitur et ipse per Deivirilem secundum illos, divina, et humana : et erit propterea Deus jam et homo naturaliter, hoc est homo factus Deus, sed non nudus naturaliter, et tantum Deus. Si autem compositam, extraneum Filium a Patre adscribunt, sive alienæ substantiæ, et operationis, utpote non habente Patre compositam suam operationem. Si autem naturalem dicunt, consubstantialem Deo verbo carnem ostendunt, utpote eamdem cum eo naturaliter habentem operationem. Si vero consubstantialem, sine dubio alterius substantiæ, et per hoc erit quaternitas secundum illos sancta Trinitas. Si vere substantialem, extraneant iterum a Patre Filium secundum operationis modum, utpote ab eo differentiam habentem in subsistentialibus proprietatibus. Quod si per hæc, quæ superius dicta sunt, impediti, unam esse Deivirilem operationem propter unitionem asserunt, ergo ante duas habentem operationes Deum Verbum introducunt : post autem unitionem, unam utrasque efficientem, videlicet pro amputatione alterius, aut confusione utriusque. »

Præterea (1) impossibile est unam et eamdem operationem divina simul, et humana præstare. Non enim res ulla intra naturæ suæ fines consistens, contraria potest efficere. Sicut ignis calorem pariter ac frigus; aqua siccare simul, et humectare per sese nequit, ut Joannes Damascenus argumentatur. Ergo nec eadem illa natura Christi contraria moliri, secumque pugnantia potuit.

XII. Postremo versatilem, et inconstantem Monotheletarum hæresim ita universe concludere licet, ex his, quæ Anastasius apocrisiarius in epistola ad Theodosium presbyterum contra illos disputat. Cum enim dupliciter, imo tripliciter dogma suum exponerent, ut in calce capitis tertii libri hujus ex eodem Anastasio docuimus ; ac partim unam duntaxat operationem, ac voluntatem ; partim unam, et nec unam, nec duas ; partim unam, et duas voluntates, et operationes assererent ; hos omnes ita breviter confutat. Priores enim, qui unam voluntatem et operationem statuebant, iis accenset, qui naturam unam deitatis, et humanitatis adstruunt ; et merito quidem, ut ex antecedentibus liquet ; cum necesse sit uni operationi nonnisi unam respondere naturam. At illi, similiter ac Monophysitæ, et iisdem plane rationibus arguuntur, quas suo loco proposuimus [2]. Imprimis autem quod « et quaternitatem personarum Trinitatem adstruunt, et ipsum unum ejusdem, id est Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum, juxta quod secundum nos factus est homo, in animalem simul, et irrationalem, atque sine intellectu subscribunt, et conjecturam, et phantasiam, confusionemque, ac divisionem utriusque naturæ ipsius introducunt. » Quæ Anastasii verba ita concipienda sunt. Primum ut si una tantum voluntas, et operatio ponatur, quarta sequatur persona Trinitatis : quoniam Christus non potest unam duntaxat operationem a tribus distinctam habere, quin natura ab iisdem discrepet, quæ cum ex compositione sit una ; personam quoque facit a tribus differentem. Quoniam personales proprietates divinæ tres non nisi unius et simplicis naturæ, ejusque divinæ propriæ sunt, non autem ullius compositæ naturæ. Quare uti composita natura Christi, quam sibi fingebant hæretici, a divina differt ; sic erit et ejusdem persona diversa. Christum enim qualemcumque tandem illi animo describant, vere esse Deum, Scriptura testatur. Erit itaque ex illorum opinione, quarta quædam persona divinitatis.

Præterea indidem erit et alterum consequens, quod Anastasius subjicit, verum illum Deum Jesum Christum, qua homo factus est, nec *animalem*, nec *rationalem*, nec *intellectu* esse præditum, quoniam una operatione constituta, perimi alterutrius naturæ propriam necesse est. Non potest autem perire divina : igitur humana tollitur e medio ; hoc est ἐνέργειαι, et appetitiones partis animæ utriusque propriæ ; ex quo illud demum efficitur, totum

(1) DAMASC. lib. 5. cap. 15. pag. 33. Εἰ μία Χριστοῦ ἡ ἐνέργεια, ἡ αὐτὴ τῶν θείων, καὶ ἀνθρωπίνων ποιητική. Οὐδὲν δὲ τῶν ὄντων ἐν τοῖς κατὰ φύσιν μένον τὰ ἐναντία ποιεῖν δύναται. Οὐ γὰρ τὸ πῦρ ψύχει καὶ θερμαίνει, οὐδὲ ξηραίνει, καὶ ὑγραίνει τὸ ὕδωρ. Πῶς οὖν ὁ φύσει ὢν Θεὸς, καὶ φύσει γενόμενος ἄνθρωπος τά τε θαύματα, καὶ τὰ πάθη μιᾷ ἐνεργείᾳ ἀπετέλεσεν;

[1] In Lateran. Conc. Cons. 3. p. 694.

[2] Lib. 3. cap. 8. et seq.

Incarnationis negotium nihil, præter inanem speciem, et imaginem habuisse.

XIII. Porro qui unam, et duas voluntates, operationesque ponebant, propterea sic existimasse videntur; quod præter divinæ et humanæ naturæ singulas, unam quamdam tertiam compositæ ex ambabus naturæ tribuerent. Quos Anastasius hujusmodi argumento reprimit, quod « tres voluntates, et tres operationes, et totidem ex necessitate etiam naturas, id est, essentias habentem Christum inducunt : cum nec naturam esse sine operatione, nec rursus operationem sine natura possibile sit. » Nam quod ad illos spectat, qui et unam, et nec unam, nec duas asserebant voluntates, et operationes, quasi monstrum quoddam, et biformes centauros, minime putamus ab alterutro duorum istorum separandos esse; sed eosdem ambos, cum a Catholicis inextricabilibus argumentorum laqueis premerentur, eo confugisse, ut numerandas negarent esse Christi voluntates et operationes : quemadmodum Eutychiani de naturis Christi numerum auferre conati sunt, ut in quarto libro, capite 4. demonstravimus. Ubi quæ ad illos refellendos attulimus, valere debent ad hoc commentum excutiendum operationum nullo numero comprehensarum.

CAPUT OCTAVUM.

Operationem in Christo duplicem fuisse, id est suæ quamque naturæ congruentem, ex veterum Patrum placitis ostenditur, qui ante Monotheletarum exortam hæresim floruerunt : ac primum græci auctores proferuntur.

I. Sed jam tempus est sanctorum Patrum illud idem fidei comprobare decretum, quod diversas in Christo, pro naturarum numero, operationes agnoscit, itidem ut voluntates. Quod tamen posterius non ex professo agimus, sed obiter tantum, sicubi cum operationibus voluntatum quoque ab auctoribus mentio connectitur, proprius autem de his disserendi locus paulo post sequetur. In utrisque porro ex veterum testimonio demonstrandis, eorum potissimum sententias deligemus, qui Monotheletarum hæresim antecesserunt : nisi forte totius vox Ecclesiæ in Conciliis expressa, et adversus hanc hæresim emissa referatur. Nam si recentiorum eadem hæresi Patrum dicta persequamur, supervacanea, minimeque necessaria copia testium nos ipsos, et lectores nostros onerabimus.

Primus igitur appellandus nobis est Ignatius martyr, qui humanæ naturæ, et infirmitatis proprias actiones illustri præconio commendat. Ut in epistola ad Smyrnæos edisse ipsum et bibisse confirmat. (1) Postquam enim vere illum e Virgine genitum docuit, vereque sub Pontio Pilato, et Herode tetrarcha clavis affixum in carne, (quæ utique carnis ἐνεργείαις accensentur,) tum post resurrectionem se illum in carne vidisse, eumdemque discipulis contrectandum se præbuisse; mox ita scribit : « (2) Post resurrectionem vero cum ipsis manducavit, et bibit, utpote carnalis, quamvis spiritaliter unitus Patri. » Quem locum attulit Theodoretus in dialogo secundo [1].

Idem in epistola ad Trallianos : « (3) Surdi, *inquit*, estote, quando sine Jesu Christo quispiam nobis loquitur, qui e stirpe Davidis, et ex Maria ortus est : qui revera genitus est, revera manducavit, et bibit, sub Pontio Pilato passus est, crucifixus, et mortuus est. » Hunc etiam locum descripsit Theodoretus in dialogo primo.

II. Justinus martyr in dialogo cum Tryphone

(1) IGNAT. Γεγεννημένον ἀληθῶς ἐκ παρθένου, etc. ἀληθῶς ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, καὶ Ἡρώδου τετράρχου καθηλωμένον ὑπὲρ ἡμῶν ἐν σαρκί.

(2) Ibid. Μετὰ δὲ τὴν ἀνάστασιν συνέφαγεν αὐτοῖς καὶ συνέπιεν ὡς σαρκικὸς, καίπερ πνευματικῶς ἡνωμένος τῷ Πατρί.

(3) Idem citat. a Theodoreto dial. 1. pag. 34. Κωφώθητε οὖν ὅταν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὑμῖν λαλῇ τις, τοῦ ἐκ γένους Δαβὶδ, τοῦ ἐκ Μαρίας, ὃς ἀληθῶς ἐγεννήθη, ἔφαγέ τε, καὶ ἔπιεν ἀληθῶς, ἐδιώχθη ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, ἐσταυρώθη, καὶ ἀπέθανε.

[1] Tom. 4. p. 36.

ἐνεργείας hominis propriæ plenam in Christo fidem facit, quem et Verbum, et Dei filium, ac Deum esse cumulatissime ibidem adstruit, « (1) Natus, *inquit*, vim suam obtinuit, et communi ceterorum hominum more incrementum capiens, congruentibus rebus usurpandis, suum cuique auctui, et ætati tribuit, alimentis omnibus vescens. » Et postea, de angore illo, et anxietate Christi agens : quam pridie illius diei, quo passus est, sustinuit ; hoc eo consilio suscepisse dicit, « (2) ut ostenderet, vere se hominem esse passioni obnoxium. » Tum vero illa verba, *Transeat, si fieri potest, calix iste*, ait Christum dixisse « (3) trepidante ipsius corde, necnon ossibus ; et cor ei simile fuisse ceræ in ventrem ipsius liquefactæ : » quod de eo Propheta pridem in Psalmo vicesimo primo cecinerat. « Ut sciremus Patrem filium suum in talibus perpessionibus revera propter nos versari voluisse : nec illum diceremus quod esset Dei filius, nullum eorum quæ illata sibi erant, et acciderant, sensum cepisse. »

Irenæus libro tertio, capite 32. veram fuisse Christi carnem, id est humanam naturam probat ex propriis, et germanis hujus actionibus ; ut nutricatu, lassitudine, mœrore, lacrymis, sudore, fame. Cujus loci partem alibi descripsimus, nunc cetera reddemus : « (4) Si nihil, *inquit*, ex Maria sumpsisset, non ille post quadraginta dierum jejunium expletum, quod Moses et Elias susceperant, esurisset, corpore scilicet suum alimentum desiderante : neque Joannes ipsius discipulus de eo scribens dixisset : Jesus autem fatigatus ex itinere sedebat, etc. neque Lazari causa lacrymasset : neque sanguinis guttas per sudorem emisisset : neque hoc dixisset : Tristis est anima mea. » Et libro quinto, capite 21. « Diebus quadraginta jejunans, *ait*, similiter ut Moyses et Elias, postea esuriit, ut hominem eum verum, et firmum intelligamus. Proprium enim est hominis jejunantis esurire. »

III. Hippolytus Portuensis in expositione Psalmi secundi apud Theodoretum ambarum naturarum operationes accurate discernit. « (5) Nam hominem quidem ipsius facile est intelligere, cum esurit, lassatur, et fatigatur, sitit, et metuens fugit, et orans tristatur, etc. » divinas autem operationes præ se tulit, cum aquam mutavit in vinum, mari et ventis imperavit, cæcos illuminavit, Lazarum suscitavit.

Hippolyti ejusdem insignia fragmenta collegit Anastasius apocrisiarius ex opere quodam, quod contra Beronem, et Helicem ediderat. Quos quidem hæreticos tum Monophysitis, tum Monotheletis prælusisse ex iis apparet, quæ illic disputata leguntur. In primo itaque fragmento, ubi naturas ambas servatis proprietatibus, sine ulla confusione, aut alterutrius interitu constare sibi docet, de ἐνεργείᾳ tradit hæc. « (6) Propterea, *inquit*, vere, uti nos, homo factum, sine peccato, Dei Verbum, humanitus operatum, et passum quæcumque naturæ sunt expertia peccati, et naturalem carnis circumscriptionem nostra causa suscipiens, nulla in re prorsus mutationem sustinuit ; dum in nullo, quod idem est cum Patre, idem cum carne factum est propter exinanitionem : sed ut erat sine carne, extra circumscriptionem omnem remansit : ac per carnem divinitus operatum est, quæ divinitatis erant propria : ambo seipsum esse demonstrans per ea, quæ utroque modo, divinitus videlicet et humanitus operatum est, secun-

(1) JUSTINUS dial. pag. 246. Καὶ γὰρ γεννηθεὶς δύναμιν τὴν αὐτοῦ ἔσχε, καὶ αὐξάνων κατὰ τὸ κοινὸν τῶν ἄλλων ἁπάντων ἀνθρώπων χρώμενος τοῖς ἁρμόζουσιν, ἑκάστῃ αὐξήσει τὸ οἰκεῖον ἀπένειμε τρεφόμενος τας πάσας τροφάς.

(2) Idem pag. 255. Δηλῶν διὰ τούτων, ὅτι ἀληθῶς παθητος ἄνθρωπος γεγένηται.

(3) Ibid. pag. 259. Ἐντρόμου τῆς καρδίας δηλονότι οὔσης καὶ τῶν ὀστῶν ὁμοίως. Καὶ ἐοικυίας τῆς καρδίας κηρῷ τηκομένῳ εἰς τὴν κοιλίαν· ὅπως εἴδωμεν ὅτι ὁ Πατὴρ τὸν ἑαυτοῦ Υἱὸν καὶ ἐν τοιούτοις πάθεσιν ἀληθῶς γεγονέναι δι' ἡμᾶς βεβούληται καὶ μὴ λέγωμεν, ὅτι ἐκεῖνος τοῦ Θεοῦ Υἱὸς ὢν, οὐκ ἀντελαμβάνετο τῶν γινομένων, καὶ συμβαινόντων αὐτῷ.

(4) IREN. lib. 3. cap. 32. apud Theodor. dial. 1. pag. 35. Εἰ μηδὲν εἰλήφει παρὰ τῆς Μαρίας, etc. οὐδ' ἂν ὡς τεσσαράκοντα ἡμέρας ὁμοίως ὡς Μωσῆς, καὶ Ἠλίας νηστεύσας ἐπείνησε, τοῦ σώματος ἐπιζητοῦντος τὴν ἰδίαν τροφήν· οὐδ' ἂν Ἰωάννης ὁ μαθητὴς αὐτοῦ περὶ αὐτοῦ γράφων εἰρήκει. Ὁ δὲ Ἰησοῦς κεκοπιακὼς ἐκ τῆς ὁδοιπορίας ἐκαθέζετο, etc. οὐδ' ἂν ἐδάκρυσεν ἐπὶ τοῦ Λαζάρου· οὐδ' ἂν ἵδρωσε θρόμβους αἵματος· οὐδ' ἂν εἰρήκει, ὅτι περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μου.

(5) HIPPOLYTUS apud Theodor. dial. 2. pag. 89. B. Καὶ τὸν μὲν ἄνθροπον αὐτοῦ εὐκόλως ἐστὶ νοεῖν, ὅτε πεινᾷ, καὶ κοπιᾷ, καὶ κάμνων διψᾷ, καὶ δειλιῶν φεύγει, καὶ προσευχόμενος λυπεῖται, etc.

(6) HIPPOLYTUS in Collect. Anast. pag. 210. Διὸ καὶ καθ' ἡμᾶς ἀληθῶς γενόμενος ἄνθρωπος, χωρὶς ἁμαρτίας, ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος, ἐνεργήσας τε, καὶ παθὼν ἀνθρωπίνως ὅσα τῆς φύσεως ἐστὶν ἀνάμάρτητα, καὶ φυσικῆς σαρκός περιγραφῆς ἀνασχόμενος δι' ἡμᾶς. Τροπὴν οὐχ ὑπέμεινεν· μηδενὶ παντελῶς, ὃ ταὐτόν ἐστι τῷ Πατρὶ, γενόμενος ταὐτὸν τῇ σαρκὶ, διὰ τὴν κένωσιν, ἀλλ' ὥσπερ ἦν δίχα σαρκὸς, πάσης ἔξω περιγραφῆς μεμένηκε· καὶ διὰ σαρκὸς θεϊκῶς ἐνεργήσας ἅπερ θεότητός ἐστιν· ἀμφότερα δεικνὺς ἑαυτὸν, δι' ὧν ἀμφοτέρως, θεϊκῶς δή φημι, καὶ ἀνθρωπίνως ἐνήργησε κατ' αὐτὴν τὴν ὄντως ἀληθῆ, καὶ φυσικὴν ὕπαρξιν, Θεὸν ἄπειρον ὁμοῦ, καὶ περίγραπτον ἄνθρωπον ὄντα τε καὶ νοούμενον, τὴν οὐσίαν ἑκατέρου τελείως τελείαν ἔχοντα, μετὰ τῆς αὐτῆς ἐνεργείας, ἤγουν φυσικῆς ἰδιότητος. Ἐξ ὧν μένουσαν ἀεὶ κατὰ φύσιν δίχα τροπῆς τὴν αὐτῶν ἴσμεν διαφοράν.

dum ipsam veram, et naturalem extantiam : nempe Deum infinitum simul, et circumscriptum hominem se esse, intelligique significans, et habere perfecte perfectam singulorum substantiam, cum operatione ipsa, sive naturali proprietate, ex quibus salvam perpetuo novimus naturalem illorum sine ulla mutatione differentiam. » Hæc Hippolytus, quæ adversus longe recentiorem hæresim adeo diserta sunt, ut mirum sit tanto ante venturæ isti hæresi occurrisse sanctissimum martyrem, et ea scripsisse, cujusmodi, si post ortum istius extitisset, opponere debuit.

IV. Rursus idem Hippolytus in Excerpto secundo luculenter catholico dogmati suffragatur, cum sic ait : « (1) In ipsa Incarnatione salutari propriam divinitatis operationem immisisse carni, quæ minime propter exinanitionem illa circumscriberetur : neque ut ab ipsius divinitate, sic ex carne naturaliter prodiret ; sed in his, quæ divinitus incarnatum Verbum per illam operatum est, appareret. Non enim natura divinitas facta est, immutata secundum naturam caro, divinitatis natura propria facta : verum quidquid erat, etiam cum divinitate coalescens, mansit secundum naturam, et operationem. »

Ad hæc in tertio fragmento præclare idem explicat apposita similitudine humanæ notionis, quod Verbum mentis nominant, cum exteriori sermone, sine ulla mutatione, ac salva distinctione conjunctæ ; tum in fine naturas illas duas negat « (2) in eamdem naturam, aut naturalem operationem convenire posse ; quandiu singulæ intra propriam, et naturalem immutabilitatem manent. Quippe eorum duntaxat, quæ sunt ejusdem naturæ, ejusdem effectricem esse motionem, quæ substantiam indicat, cujus nativa virtus est, cum diversæ naturæ proprietas alterius esse substantiæ nulla ratione, vel fieri sine mutatione possit. »

Præterea in Excerpto quarto Christum ait, « (3) per ea, quæ divinitus simul, et humanitus operabatur, ostendisse perfectionem utriusque rationis naturaliter immutatam semetipsum retinere. »

Idem in Excerpto quinto [1], « Beronem *ait*, Valentini phantasmate relicto, in majorem pravitatem incurrisse, ut diceret, assumptam a Verbo carnem ejusdem cum divinitate operationis esse, propter assumptionem ; divinitatem vero eadem cum carne passam, propter exinanitionem. Ex quo mutatio, et commixtio, et confusio, et in se invicem ambarum conversio sequebatur. » Quippe naturarum hoc pacto tolli funditus omne discrimen. « Siquidem quæ inter se eamdem operationem, et efficientiam habent, et ejusdem omnino generis passionis, nullum naturæ discrimen agnoscere. »

Sic in sexto fragmento Beronem prorsus eodem argumento refellit, quo adversus Monotheletas usi sunt Catholici. « (4) Si igitur, *inquit*, ut ait Bero, ejusdem cum ipso naturalis operationis fuit assumpta caro, utique fuit ejusdem cum ipso naturæ, et easdem cum natura proprietates habuit, ut et principio careret, et ingenita esset, infinita, sempiterna, incomprehensa, ac cetera quæcumque in divinitate theologica consideratio excellenti quadam ratione, et eminenter in deitate contemplatur. »

In septimo quoque, « (5) Si ejusdem, *inquit*, cum ipso naturæ non fuit, nec ejusdem cum ipso fuerit unquam naturalis operationis. » Quod ipsum et in octavo, ac postremo fusissime declarat ; ac Beronem ἐνεργείας μονάδα, id est *operationis unitatem* asseverantem, Christi divinitatem humanitatemque confundere.

(1) Ibid. pag. 215. Κατ' αὐτὴν ἅμα τὴν σωτήριον σάρκωσιν, τῆς ἰδίας θεότητος ἐμποιήσας τῇ σαρκὶ τὴν ἐνέργειαν, οὐ περιγραφομένην αὐτῇ διὰ τὴν κένωσιν· οὐδ' ὥσπερ τῆς αὐτοῦ θεότητος, οὕτω καὶ αὐτῆς φυσικῶς ἐκφυομένην· ἀλλ' ἐν οἷς ἂν σαρκωθεὶς θεϊκῶς ἐνήργησε, δι' αὐτῆς ἐκφαινομένην· οὐ γὰρ γέγονε φύσει θεότης, μεταβληθεῖσα τὴν φύσιν ἡ σάρξ, γενομένη τῇ φύσει θεότητος σάρξ· ἀλλ' ὅπερ ἦν καὶ θεότητι συμφυεῖσα μεμένηκε τὴν φύσιν, καὶ τὴν ἐνέργειαν.

(2) Ibid. pag. 220. Οὔτε μὴν εἰς ταὐτὸν αὐτῷ φέρεσθαι φύσεως ποτὲ καὶ φυσικῆς ἐνεργείας, ἕως ἂν ἑκάτερον τῆς ἰδίας ἐντὸς μένει φυσικῆς ἀτρεψίας. Ὁμοφυῶν γὰρ μόνων ἡ ταυτουργός ἐστι κίνησις, σημαίνουσα τὴν οὐσίαν, ἧς φυσικὴ καθέστηκε δύναμις, ἑτεροφυοῦς ἰδιότητος οὐσίας εἶναι κατ' οὐδένα λόγον, ἢ γενέσθαι δίχα τροπῆς δυναμένην.

(3) Ibid. pag. 223. Ἑαυτοῦ καθ' ἑκάτερον ἀεὶ μένων ἀνέκπτωτος, οἷς θεϊκῶς ὁμοῦ καὶ ἀνθρωπίνως ἐνέργησε, τέλειον κατὰ τὸν ἑκατέρου λόγον σώζων ἑαυτοῦ φυσικῶς ἀναλλοίωτον.

(4) Ibid. pag. 228. Εἰ τοίνυν κατὰ Βήρωνα τῆς αὐτῆς αὐτῷ προσληφθεῖσα φυσικῆς ἐνεργείας γέγονεν ἡ σάρξ, δηλονότι καὶ τῆς αὐτῆς αὐτῷ γέγονε φύσεως μεθ' ὅσων ἡ φύσις, ἀναρχίας, ἀγεννησίας, ἀπειρίας, ἀϊδιότητος, ἀκαταλόψιας. Καὶ τῶν ὅσα τούτων καθ' ὑπεροχὴν ὁ θεολογικὸς ὑπερφυῶς ἐνορᾷ τῇ θεότητι λόγος.

(5) Ibid. pag. 229. Εἰ δὲ τῆς αὐτῆς αὐτῷ μὴ γέγονε φύσεως, οὐδὲ τῆς αὐτῆς αὐτῷ ποτε γενήσεται φυσικῆς ἐνεργείας.

[1] Vid. supra c. 3 § 1.

V. Athanasium Hippolyto subjiciemus, qui in oratione 4. adversus Arianos, humanæ divinæque naturæ distinctas, et proprias operationes apertissime adscribit; quæ in edendis miraculis in unum concurrerunt, et ambarum naturarum fecere fidem. Ut cum Petri socrum febrientem excitavit, humano more porrexit manum, divinitus autem sanavit ægritudinem; et cum oculis ab nativitate capto visum restitueret, humanæ naturæ proprium fuit, quod sputum emitteret; divinum autem, quod luto oculos aperiret. Sic in Lazaro suscitando, tanquam homo, vocem emisit; eumdem vero divinitus, ac tanquam Deus excitavit a mortuis. « (1) Hæc autem, *ait*, ita facta sunt, et ostensum non specie sola, sed vere illum corpus habuisse. Decebat autem Dominum humana carne vestitum hanc totam cum passionibus propriis induere; ut quemadmodum proprium illius esse corpus dicimus, sic et corporis passiones ejusdem propriæ esse dicantur, quamvis neutiquam secundum divinitatem ipsum attingerent. » Ita enim postrema loci hujus cum negandi particula in græco legenda sunt, ut et latinus vertit interpres.

Idem, pluribus interjectis, eidem insistens rationi Arianos arguit, quæ ab Christo ex humanæ naturæ imbecillitate gesta sunt, divinitati tribuentes. « (2) Non enim Verbi, qua Verbum est, propria, *inquit*, ista sunt, sed humana. Ac quemadmodum spuente ipso, et manum extendente, et Lazarum appellante, non dicimus humanitatis esse propria præclare facta, quamvis per corpus fierent, sed potius Dei: sic etiam cum de Salvatore in Evangelio humana dicuntur, rursus naturam eorum, quæ dicuntur, intuentes, ea tanquam aliena Deo, non divinitati Verbi, sed humanitati ipsius imputemus. » Quamvis enim Verbum caro factum sit, carni tamen passiones propriæ sunt.

His affinis est locus, quem ex eadem Athanasii oratione quarta protulit Agatho Romanus pontifex in actione quarta sextæ Synodi [1].

VI. Eustathius Antiochenus in libro contra Arianos citatus a Gelasio papa [2], « Si in Christo, *inquit*, plenitudo divinitatis inhabitat, aliud vero quod inhabitatur. Si vero naturaliter differunt ab alterutris, neque mortis passionem, neque cibi appetitum, neque desiderium poculorum, non somnum, non tristitiam, non fatigationem, non lacrymarum effusiones, non aliam quamlibet mutationem plenitudini divinitatis coexistere fas est, cum sit inconvertibilis per naturam. Homini vero hæc applicanda sunt proprie, qui ex anima constat, et corpore. Congruit enim ex ipsis humanis, et innoxiis motibus demonstrare, quia non phantastice, et putative, sed ipsa veritate totum hominem indutus est Deus perfecte adsumens. » Vide et locum ejusdem apud Theodoretum in dialogo primo [3].

Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi quarta Christi duas ἐνεργειας evidenter approbat, dum Incarnationem reipsa, non specie sola ex Maria virgine transactam esse dicit. « (3) Incarnatus, *inquit*, ex ipsa vere, et, ut nos, vere comedens, vereque uti nos bibens. Nam si phantasma fuit Incarnatio, phantasma quoque salus est. Duplex erat Christus: homo quidem, id quod videbatur: Deus vero, id quod minime videbatur: manducans vere, ut nos, tanquam homo. Habebat enim carnem iisdem ac nos affectionibus obnoxiam: idem porro quinque panibus alens hominum quinque millia, utpote Deus: moriens ut homo revera; et ut Deus quadriduanum mortuum revocans ad vitam: vere in navicula dormiens, tanquam homo; et, ut Deus, super aquas ambulans. »

VII. Epiphanius Hæresi 69. quæ est Arianorum, de hoc agens, quod hæretici isti adversus

(1) ATHAN. orat. 4. pag. 275. B. Ταῦτα δὲ οὕτως ἐγένετο, καὶ ἐδείκνυτο, ὅτι μὴ φαντασίᾳ, ἀλλὰ ἀληθείᾳ ἔχων ἦν σῶμα· ἔπρεπε δὲ τὸν Κύριον ἐνδιδυσκόμενον ἀνθρωπίνην σάρκα, ταύτην μετὰ τῶν ἰδίων παθῶν αὐτῆς ὅλην ἐνδύσασθαι· ἵνα ὥσπερ ἴδιον αὐτῷ λέγομεν εἶναι τὸ σῶμα, οὕτω καὶ τὰ τοῦ σώματος πάθη ἴδια μόνον αὐτοῦ λέγεται, εἰ καὶ οὐχ ἥπτετο κατὰ τὴν θεότητα αὐτοῦ.

(2) Ibid. pag. 281. C. Οὐ γὰρ τοῦ Λόγου, ᾗ Λόγος ἐστὶ ταῦτα τυγχάνει ὄντα, ἀλλὰ τῶν ἀνθρωπίνων ἐστὶν ἴδια ταῦτα, καὶ ὥσπερ πτύσαντος αὐτοῦ, καὶ ἐκτείναντος χεῖρα, καὶ φωνήσαντος Λάζαρον, οὐκ ἐλέγομεν ἀνθρώπινα εἶναι τὰ κατορθώματα, εἰ καὶ διὰ τοῦ σώματος ἐγίνετο, ἀλλὰ Θεοῦ. Οὕτως ἐὰν τὰ ἀνθρώπινα λέγηται περὶ τοῦ Σωτῆρος ἐν τῷ εὐαγγελίῳ, πάλιν εἰς τὴν φύσιν τῶν λεγομένων ὁρῶντες, καὶ ὡς ἀλλότρια τοῦ Θεοῦ τυγχάνοντα, μὴ τῇ θεότητι τοῦ Λόγου ταῦτα λογιζώμεθα, ἀλλὰ τῇ ἀνθρωπότητι αὐτοῦ.

(3) CYRIL. cat. 4. pag. 27. Ἀλλὰ σαρκωθεὶς ἐξ αὐτῆς ἀληθῶς, καὶ πιὼν ὡς ἡμεῖς ἀληθῶς. Εἰ γὰρ φάντασμα ἦν ἡ ἐνανθρώπησις, φάντασμα καὶ ἡ σωτηρία. Διπλοῦς ἦν ὁ Χριστὸς, ἄνθρωπος μὲν τὸ φαινόμενον· Θεὸς δὲ τὸ μὴ φαινόμενον. Ἐσθίων μὲν ὡς ἄνθρωπος ἀληθῶς ὡς ἡμεῖς. Εἶχε γὰρ τῆς σαρκὸς τὸ ὁμοιοπαθὲς ὡς ἡμεῖς· τρέφων δὲ ἐκ πέντε ἄρτων τοὺς πεντακισχιλίους ὡς Θεός. Ἀποθνήσκων μὲν ὡς ἄνθρωπος ἀληθῶς, νεκρὸν δὲ τὸν τετραήμερον ἐγείρων ὡς Θεός· καθεύδων εἰς τὸ πλοῖον ἀληθῶς, ὡς ἄνθρωπος, καὶ περιπατῶν ἐπὶ τῶν ὑδάτων ὡς Θεός. Citatur a Theodoreto dial. 2. pag. 106.

[1] Pag. 47. E. — [2] Tom. 4. Bibl. col. 424.

[3] Tom. 4. pag. 37.

catholicam fidem objiciebant, Christum imminente passione adeo dejectum animo fuisse, ut ab angelo confirmandus esset, nec non diversam a paterna voluntatem suam esse monstraret; hoc, inquam, dissolvens Epiphanius, ideo Christum in se illa suscepisse asserit, uti verum se hominem proderet, ac Manichæis, et Marcionitis silentium indiceret. « (1) Illa, *inquit,* omnia ad muniendam vitam nostram, prudenti dispensatione quadam admisit, et ex humano affectu talia disseruit, non simulate, sed ex rei veritate, cum dixit, Non mea voluntas, etc. ut carnis veram, et solidam indicaret extantiam, et ut eos convinceret, qui humana ipsum mente caruisse dicerent, aut carnem nullam habuisse. » Vide reliqua apud Epiphanium, quæ in sexta Synodo actione decima sunt lecta [1].

Basilius in homilia de gratiarum actione, idipsum aperte prædicat : cujus verba Theodoretus [2] et Gelasius papa [3] descripserunt. « (2) Sicut ergo suscepit famem Dominus, *inquit*, cibo per expirationem consumpto : et sitim admisit, humore, qui in corpore inerat, exhausto : et fatigatus est, musculis et nervis ex itinere distentis : non utique divinitate ex labore fracta, sed corpore naturæ consentaneas affectiones recipiente ; ita et lacrymas admisit, naturalem accidere carni permittens affectionem. »

Basilius in libro quarto adversus Eunomium, erudite locum hunc de operationis unitate pertractat, ex eoque substantia unum esse cum Patre Filium approbat : « (3) Si ergo unum, *inquit*, operatione esse dicunt, necesse est, etiam unum esse dicant substantia. Nam eorum, quæ diversæ sunt substantiæ, non potest esse similis operatio. » Qui locus in edicto Constantini Pogonatæ adversus Monotheletas, paulo aliter exprimitur : « (4) Eorum, *inquit*, quæ diversa natura sunt, non una est operatio. » Et in eodem edicto ante hæc Basilii verba ista ponuntur : « (5) Quorum enim natura est una, horum et voluntas, et operatio est una. »

VIII. Gregorius item Nyssenus in libro quarto adversus Eunomium sub finem, « (6) naturas ambas in Christo inconfusas manere » dicit, « carnis et divinitatis proprietatibus salvis, dum in seipsis singulæ spectantur. Ita Verbum secula omnia præcessit : caro postremis temporibus est facta : neque quisquam conversa ratione dixerit, vel hanc anteriorem esse seculis, vel novissimis temporibus factum esse Verbum. Item caro patibilis est naturæ ; efficientis autem Verbum : nec caro rerum opifex est, neque divinitas patibilem vim habet. » Pergit deinde, « (7) Neque Lazarum humana natura vivificat, neque jacentem plorat pati nescia potestas : verum hominis quidem propria est lacryma, vita vero ejus est, quæ reipsa vita est, etc. »

Rursus idem Gregorius Nyssenus in epistola ad Eustathium de Trinitate, quæ inter epistolas Basilii octogesima ponitur, sed Gregorio tribuitur in Synodo sexta, actione decima. Illic ergo naturas ex operationibus discerni asserit ; « (8) Necesse est, *inquit,* omnino per operationes deduci nos ad inquisitionem divinæ naturæ. Quocirca si abs se mutuo discre-

(1) Epiph. hær. 69. § 59. pag. 785. Ταῦτα δὲ πάντα ἐπασφαλιζόμενος ἡμῶν τὴν ζωὴν, τὰ ὅλα ἀνεδέξατο οἰκονομικῶς. Ἀνθρωποπαθῆ τινα διηγήματα ἔχειν, οὐκ εἰρωνείᾳ, ἀλλ' ἀληθείᾳ, τὸ οὐκ ἐμὸν θέλημα, ἵνα δείξῃ σαρκὸς ὑπόστασιν ἀληθινὴν, καὶ ἵνα ἐσλέγξῃ τοὺς λέγοντας νοῦν μὴ ἐσχηκέναι αὐτὸν ἀνθρώπινον, καὶ ἐλέγξῃ τοὺς μὴ λέγοντας σάρκα αὐτὸν ἐσχηκέναι.

(2) Basil. tom. 1. pag. 361. Ὡς οὖν κατεδέξατο τὴν πεῖναν ὁ Κύριος, τῆς στερεᾶς τροφῆς διαπνευσθείσης αὐτῷ, καὶ τὴν δίψαν προσήκατο τῆς ὑγρότητος ἀναλωθείσης τῆς ἐν τῷ σώματι· καὶ ἐκοπίασε, τῶν μυῶν, καὶ τῶν νεύρων ἐκ τῆς ὁδοιπορίας ὑπερταθέντων, οὐ τῆς θεότητος τῷ καμάτῳ δαμαζομένης, ἀλλὰ τοῦ σώματος τὰ ἐκ τῆς φύσεως ἐπακολουθοῦντα συμπτώματα δεχομένου· οὕτω καὶ τὸ δάκρυον προσήκατο, τὸ φυσικὸν τῇ σαρκὶ ἐπιγίνεσθαι σύπτωμα συγχωρῶν.

(3) Basil. tom. 2. pag. 92. Οὐκοῦν εἰ μὲν κατ' ἐνέργειαν λέγουσιν, ἀνάγκη καὶ κατ' οὐσίαν λέγειν. Τῶν γὰρ ἑτερουσίων οὐκ ἂν εἴη ἐνέργεια ὁμοία.

(4) In 6. Syn. act. 8. pag. 293. D. Ὅτι τῶν ἑτερογενῶν οὐκ ἔστιν ἡ ἐνέργεια μία.

(5) Ibid. pag. 289. Ὧν γὰρ ἡ φύσις μία, τούτων καὶ ἡ θέλησις, καὶ ἡ ἐνέργεια μία, καθάπερ ἐδίδαξεν ἡμᾶς ὁ τοῦ κόσμου φωστὴρ, καὶ θεοφόρος Βασίλειος.

(6) Gregor. Nyss. tom. 2. pag. 161. B. Διαμένοι δὴ ἀσύγχυτος τῶν τε τῆς σαρκὸς, καὶ τῶν τῆς θεότητος ἰδιωμάτων ἡ θεωρία, ἕως ἂν ἐφ' ἑαυτῶν θεωρεῖται ἑκάτερον. Οἷον τί λέγω ; ὁ Λόγος πρὸ τῶν αἰώνων ἦν. Ἡ σὰρξ δὲ ἐπὶ τῶν ἐσχάτων ἐγένετο χρόνων. Καὶ οὐκ ἄν τις ἀναστρέψας εἴποι, ἢ ταύτην προαιώνιον εἶναι, ἢ ἐν τοῖς ἐσχάτοις γεγενῆσθαι τὸν Λόγον. Ἡ σὰρξ παθητικῆς ἐστι φύσεως· ἐνεργητικῆς δὲ ὁ Λόγος. Καὶ οὔτε αὐτὴ δημιουργικὴ τῶν ὄντων, οὔτε ἡ θεότης παθητικὴν ἔχει τὴν δύναμιν.

(7) Ibid. C. Οὔτε ζωοποιεῖ τὸν Λάζαρον ἡ ἀνθρωπίνη φύσις, οὔτε δακρύει τὸν κείμενον ἡ ἀπαθὴς ἐξουσία. Ἀλλ' ἴδιον τοῦ μὲν ἀνθρώπου τὸ δάκρυον, ἡ δὲ ζωὴ τῆς ὄντως ζωῆς.

(8) Idem tom. 2. p. 443. B. et citatur in 6. Syn. pag. 139. Ἀνάγκη πᾶσα διὰ τῶν ἐνεργειῶν ἡμᾶς χειραγωγεῖσθαι πρὸς τὴν τῆς θείας φύσεως ἔρευναν. Οὐκοῦν ἐὰν ἴδωμεν διαφερούσας ἀλλήλων τὰς ἐνεργείας τὰς παρὰ τοῦ Πατρός τε, καὶ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐνεργουμένας διαφόρους εἶναι, καὶ τὰς ἐνεργούσας φύσεις ἐκ τῆς ἑτερότητος τῶν ἐνεργειῶν

[1] Pag. 133. — [2] Dial. 2. pag. 97.

[3] Tom. 4. Bibl. 430.

pantes videamus operationes, quæ a Patre, et Filio, et Spiritu sancto proficiscuntur, discrepantes etiam esse naturas, ex operationum diversitate conjiciamus. Non enim fieri potest, ut quæ naturæ ratione distant, in eamdem operationum speciem inter se conveniant. Non enim refrigerat ignis, neque glacies calefacit : sed pro naturarum discrimine, earum operationes a se mutuo separantur. Quod si unam intelligamus esse Patris, et Filii, et Spiritus sancti, nullaque re discrepantem, aut variantem operationem; necesse est ex operationis unitate, naturæ quoque unitatem ratiocinando colligi. »

Ad hæc idem Gregorius in oratione quarta de Beatitudinibus : « (1) Postquam dies quadraginta jejunus perseveravit, postea esuriit; dedit enim, quando libitum est, naturæ tempus ea quæ propria erant operandi. »

Mitto alia nonnulla Gregorii ejusdem loca, quæ in sexta Synodo lecta sunt.

IX. Gregorius Nazianzenus oratione in Theophania, sive natalem Christi, « (2) Missus quidem est, *ait*, verum ut homo. Nam duplex erat. Quandoquidem et fatigatus est, et esuriit, et sitivit, et angore affectus est, et lacrymas fudit, ut corporis lex ferebat. » Amphilochius in oratione ad illa verba, *Pater major me est* : « (3) Discerne mihi deinceps, *ait*, naturas Dei, et hominis. Non enim sic homo factus est, ut excideret a Deo : neque profectu quodam ex homine Deus est factus. Nam Deum et hominem dico. Cum autem passiones carni, et miracula Deo concesseris; necessario ac vel invitus humiles quidem sermones homini ex Maria genito tribues : sublimes autem, et Deo congruentes, Verbo, quod in principio erat. Propterea quippe partim sublimes sermones loquor, partim humiles; ut per illos inhabitantis Verbi cognationem indicem; per istos vero, abjectæ carnis imbecillitatem notam faciam. »

Et alibi, « (4) Cujus ergo sunt passiones? Carnis. Igitur, si carni passiones tribuis, eidem et humiles sermones tribuito : et cui miracula imputas, sublimes ei sermones accommoda. Nam Deus miracula faciens merito sublimia loquitur, atque operibus digna. Homo vero, qui patitur, recte humana loquitur, et passionibus consentanea. »

Antiochus episcopus Ptolemaidis ab Gelasio citatus [1], « Agatur, *inquit*, et qui ex grege hæreticorum est. Cur confundis Evangelium? Cur tentas Deum et hominem? Quando audieris de Christo aliquid humile, et pauper, et mediocre, et servile; deinde Deo dignum, et sublime, cœlumque contingens : redde quæ hujus sunt huic, et quæ hujus huic. »

Item, « Peperit Maria infantem, *ait*, hoc erat hominis : orta est desuper stella, hoc erat Dei : lacte nutriebatur infans, hoc ejus, qui secundum nos est, etc. »

Gelasius quoque Cæsareensis in Palæstina episcopus, « (5) Vinctus est, *inquit*, vulneratus est, crucifixus est, attrectatus est, vibices gestavit ; lanceæ cicatricem admisit. Hæc omnia corpus ex Maria editum sustinuit. Quod autem ante secula ex Patre genitum est, ei nocere nemo potuit. »

XI. In eamdem operationum Christi differentiam consentientem habemus Chrysostomum, ex quo nonnulla libabimus. In oratione sexta adversus Anomœos, qui Christum in ordinem redigebant, quod orasse legitur, et imbecillitatis alia quædam argumenta præbuisse; magnopere contendit, propria hæc

στοχασώμεθα. Οὐδὲ γὰρ ἐνδέχεται τὰ διεστῶτα κατὰ τὸν τῆς φύσεως λόγον, πρὸς τὸ τῶν ἐνεργειῶν εἶδος ἀλλήλοις συνενεχθῆναι. Ἀλλὰ τῇ τῶν φύσεων διαφορᾷ συνδιαχωρίζονται ἀπ' ἀλλήλων καὶ αἱ παρὰ τούτων ἐνέργειαι. Ἐὰν δὲ μίαν νοήσωμεν τὴν ἐνέργειαν Πατρός τε, καὶ Υἱοῦ, καὶ Πνεύματος ἁγίου, ἐν μηδενὶ διαφέρουσαν ἢ παραλλάσσουσαν, ἀνάγκη τῇ ταυτότητι τῆς ἐνεργείας, τὸ ἡνωμένον τῆς φύσεως συλλογίζεσθαι.

(1) Id. tom. 1. pag. 792. B. Ἀπόσιτος γὰρ τεσσαράκοντα ἡμέρων διαμείνας, ὕστερον ἐπείνασεν. Ἔδωκε γὰρ ὅτε ἐβούλετο τῇ φύσει καιρὸν τὰ ἑαυτῆς ἐνεργῆσαι.

(2) NAZ. orat. 38. pag. 621. Ἀπεστάλη μὲν, ἀλλ' ὡς ἄνθρωπος. Διπλοῦς γὰρ ἦν. Ἐπεὶ καὶ ἐκοπίασε, καὶ ἐπείνησε, καὶ ἐδίψησε, καὶ ἠγωνίασε, καὶ ἐδάκρυσε νόμῳ σώματος.

(3) AMPHIL. citat. a Theod. dial. 1. pag. 43. Διάκρινόν μοι λοιπὸν τὰς φυσεις, τήν τε τοῦ Θεοῦ, τήν τε τοῦ ἀνθρώπου. Οὔτε γαρ κατ' ἔκπτωσιν ἐκ Θεου γέγονεν ἄνθρωπος, οὔτε κατα προκοπὴν ἐξ ἀνθρώπου Θεός. Θεὸν γαρ καὶ ἄνθρωπον λέγω. Ὅταν δὲ τὰ παθήματα τῇ σαρκὶ, καὶ τὰ θαύματα τῷ Θεῷ δῷς, ἀνάγκῃ καὶ μὴ θέλων δίδως τοὺς μὲν ταπεινοὺς λόγους τῷ ἐκ Μαρίας ἀνθρώπῳ, τοὺς δὲ ἀνηγμένους, καὶ θεοπρεπεῖς τῷ ἐν ἀρχῇ ὄντι Λόγῳ. Διὰ τοῦτο γὰρ πῆ μὲν ἀνηγμένους, πῆ δὲ ταπεινοὺς φθέγγομαι λόγους, ἵνα διὰ μὲν τῶν ὑψηλῶν, τοῦ ἐνοικοῦντος Λόγου δείξω τὴν συγγένειαν· διὰ δε τῶν ταπεινῶν, τῆς ταπεινῆς σαρκὸς γνωρίσω τὴν ἀσθένειαν.

(4) Idem apud Theod. dial. 3. pag. 165. Τίνος οὖν τὰ πάθη ; τῆς σαρκὸς. Οὐκοῦν εἰ δίδως τῇ σαρκὶ τὰ πάθη, δὸς αὐτῇ καὶ τοὺς ταπεινοὺς λόγους· καὶ ᾧ θαύματα ἐπιγράφεις, τοὺς ἀνηγμένους ἀνάθες λόγους. Ὁ γὰρ θαυματουργῶν Θεὸς εἰκότως ὑψηλὰ λαλεῖ, καὶ τῶν ἔργων ἐπάξια. Ὁ δὲ πάσχων ἄνθρωπος καλως ταπεινα φθέγγεται, καὶ τῶν παθῶν κατάλληλα.

(5) GELAS. apud Theod. ibid. pag. 167. Ἐδέθη, ἐτρώθη, ἐσταυρώθη, ἐψηλαφήθη, μώλωπας ἐφόρεσεν, λόγχης πτάθης ἐδέξατο. Πάντα ταῦτα τὸ ἐκ Μαρίας τεχθὲν ὑπέμεινε σῶμα. Τὸ δε πρὸ αἰώνων ἐκ Πατρὸς γεννηθὲν οὐδεὶς ἠδύνατο βλάψαι.

[1] Gelas. tom. 4. Bib. pag. 427.

humanæ officia naturæ fuisse. « (1) Illi, *inquit*, asserunt divinitatis hanc orationem extitisse; nos autem assumptæ naturæ fuisse dicimus, etc. » Tum ita scribit : « (2) Imprimis autem vel ex eo constat non esse divinitatis orationem, quod Deus non orat. Quippe Dei proprium est adorari; Dei est orationem suscipere, non orationem offerre. »

Post hæc in eadem homilia, « (3) Quomodo igitur, *inquit*, hoc loco sic loquitur, Si fieri potest? Humanæ naturæ imbecillitatem nobis indicat, quæ simpliciter volebat abrumpi ab præsente vita, sed recusabat, et cunctabatur, propter insitum ab initio a Deo præsentis amorem vitæ. »

Postea vero plenius istud, et copiosius adstruit, dum causam refert, cur Verbum ad hæc vilia, et indigna tanta majestate humanæ carnis opera descenderit. « (4) Nam quia sæpius, *inquit*, angeli humana in terris specie visi sunt, nec non Deus ipse; quod autem apparebat, vera caro non erat, sed dispensatio quædam : ne ejusmodi putares illius adventum esse, quales isti fuerant; sed revera persuadereris, veram esse carnem; ideo et conceptus est, et partu editus, et nutritus, et in præsepi positus, non in domuncula quapiam, sed in diversorio, coram infinita multitudine, ut illius nativitas publicaretur. » Ac subinde paucis interjectis, « Percontare igitur, *inquit*, hæreticum: Deusne formidat, et recusat, et cunctatur, et dolore afficitur? Si affirmet, procul ab eo recede, et infra cum diabolo amanda ipsum; imo in inferiorem adhuc illo locum. Non enim hoc iste dicere audeat. Quod si nihil istiusmodi convenire Deo fateatur; tum illud objicere : Igitur neque Deus orat, etc. »

Tum utiliter admonet, Christum utriusque naturæ vices, et officia ita temperasse, ut quæ singularum propria sunt, alternis expromeret : « (5) ac nonnunquam solitariam destituisse naturam humanam, et divinam ei operationem subtraxisse, ut ejus infirmitatem ostendens, naturæ ipsius fidem faceret : alias eam potiori occultasse virtute, uti non nudum hominem esse scires. Quemadmodum enim si humana præ se perpetuo tulisset, hoc unum esse creditus fuisset; ita si divinitatis propria semper effecisset, nemo susceptionem carnis veram fuisse crederet. Propterea varie utitur, ac tum verba, tum facta ipsa miscet : ne aut Pauli Samosateni, aut Marcionis, et Manichæi morbo, et insaniæ occasionem præbeat. »

Hæc sanctissimi, gravissimique doctoris quamlibet longa, hic omnino describenda verba fuerunt; quod nihil sit ad frangendam Monotheletarum peræque ac Monophysitarum proterviam, efficacius, ac disertius.

XII. In Synodo sexta [1] recitatus est ejusdem Chrysostomi locus ex enarratione verborum istorum Matthæi [2], *Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes*, etc. qui in vulgatis Chrysostomi commentariis non invenitur : et ad duarum operationum, ac voluntatum approbandam fidem pertinet. Sed ne longior sim, omitti placet : ac nonnulla ex eo postea proferam, quæ ad voluntates asserendas duas proprie spectant. Quin etiam homilia octogesima tertia in Matthæum vulgo edita, in qua verba illa declarat, multa continet, non minus ad idem argumentum expressa, quæ ibi legi poterunt. Quæ quidem in sexta Synodo lecta sunt ex homilia 81. in Matthæum, quæ in græca Savillii editione octogesima tertia numeratur [3].

(1) Chrys. hom. 35. tom. 6. pag. 430. v. 26. Καὶ ἐκεῖνοι μὲν λέγουσιν ὅτι τῆς θεότητός ἐστιν ἡ εὐχὴ, ἡμεῖς δὲ λέγομεν, ὅτι τῆς οἰκονομίας.

(2) Ibid. vers. 30. Μάλιστα μὲν γὰρ καὶ αὐτόθεν δῆλον, ὅτι οὐκ ἔστι τῆς θεότητος εὐχή. Θεὸς γὰρ οὐκ εὔχεται. Θεοῦ γὰρ τὸ προσκυνεῖσθαί ἐστι, Θεοῦ τὸ εὐχὴν δέχεσθαι, οὐ τὸ εὐχὴν ἀναφέρειν.

(3) Ibid. pag. 431. vers. 35. Πῶς οὖν ἐνταῦθά φησιν, εἰ δυνατὸν; τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως τὴν ἀσθένειαν ἡμῖν ἐνδείκνυται, οὐχ αἱρουμένης ἁπλῶς ἀποῤῥαγῆναι τῆς παρούσης ζωῆς, ἀλλ' ἀναδυομένης, καὶ ὀκνούσης διὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς ἐντεθεῖσαν αὐτῇ φιλίαν παρὰ τοῦ Θεοῦ πρὸς τὸν παρόντα βίον.

(4) Ibid. pag. 432. v. 6. Ἐπειδὴ γὰρ ἄγγελοι πολλάκις ἐπὶ τῆς γῆς ἐφάνησαν ἐν ἀνθρωπίνῳ τύπῳ, καὶ αὐτὸς δὲ ὁ Θεὸς· τὸ δὲ φαινόμενον οὐκ ἦν σαρκὸς ἀλήθεια, ἀλλὰ συγκατάβασις. Ἵνα μὴ νομίσῃς καὶ ταύτην τὴν παρουσίαν τοιαύτην εἶναι, οἷαι ἐκεῖναι ἐγενόντο, ἀλλὰ πιστωθῇς ἀληθῶς ὅτι σὰρξ ἦν ἀληθινὴ, καὶ συνελήφθη, καὶ ἐτέχθη, καὶ ἐτράφη, καὶ ἐπὶ φάτνης ἐτέθη, οὐκ ἐν οἰκίσκῳ τινὶ, ἀλλ' ἐν καταλύματι, πλήθους ἀπείρου παρόντος, ἵνα δημοσιεύηται αὐτοῦ ἡ γέννησις, etc. ἐρώτησον τοίνυν τὸν αἱρετικόν· Θεὸς δειλιᾷ, καὶ ἀναδύεται, καὶ ὀκνεῖ, καὶ λυπεῖται; κἂν εἴπῃ, ὅτι ναὶ, ἀπόστηθι λοιπὸν, καὶ στῆσον αὐτὸν κάτω μετὰ τοῦ διαβόλου, μᾶλλον δὲ καὶ ἐκείνου κατώτερον. Οὐδὲ γὰρ ἐκεῖνος τολμήσει τοῦτο εἰπεῖν. Ἂν δὲ εἴπῃ, ὅτι οὐδὲν τούτων ἄξιον τοῦ Θεοῦ, εἰπὲ, οὐκοῦν οὐδὲ εὔχεται Θεός.

(5) Ibid. pag. 432. vers. 32. Νῦν μὲν οὖν ἐρήμην αὐτὴν ἀφίησι, καὶ γυμνὴν τῆς οἰκείας ἐνεργείας, ἵνα αὐτῆς δείξας τὴν ἀσθένειαν, πιστώσηται αὐτῆς καὶ τὴν φύσιν· νῦν δὲ αὐτὴν ἀποκρύπτει, ἵνα μάθῃς, ὅτι οὐ ψιλὸς ἄνθρωπος ἦν. Ὥσπερ γὰρ εἰ διαπαντὸς τὰ ἀνθρώπινα ἐνεδείκνυτο, τοῦτο ἂν ἐνομίσθη. Οὕτως εἰ διαπαντὸς τὰ τῆς θεότητος ἐπετέλει, ἠπιστήθη ἂν ὁ τῆς οἰκονομίας λόγος. Διὰ τοῦτο ποικίλλει, καὶ ἀναμίγνυσι καὶ τὰ ῥήματα, καὶ τὰ πράγματα, ἵνα μήτε τῇ Παύλου τοῦ Σαμοσατέως, μήτε τῇ Μαρκίωνος, καὶ Μανιχαίου νόσῳ, καὶ μανίᾳ παράσχῃ πρόφασιν.

[1] Tom. 5. Conc. pag. 124.

[2] Matt. 26. 40. — [3] Pag. 128. A.

Sed unum ejusdem incomparabilis doctoris locum præterire nequeo, qui in sexta Synodo allatus est ex homilia sexagesima septima in Joannem [1], in qua hodieque legitur. Ibi ad illa Christi verba [2], *Nunc anima mea turbata est*, adnotat, hunc in se carnis affectum suscepisse Christum, ut vere angeretur, et mortis horrore perfunderetur, ne hoc homines causari possent; non magnum illum facere, qui ad mortem perferendam ceteros hortaretur, cum ipse extra aleam, et sensum illius esset: quare ipsummet angorem, et anxietatem illam revera pertulisse. Tum addit : « (1) Hæc autem assumptæ naturæ sunt, non divinitatis. Idcirco dicit, Nunc anima mea turbata est, (quandoquidem nisi ita se res habeat, quomodo consequens est quod dicitur, Pater, salva me ex hora hac?) et ita turbata est ut et liberari inde postulet, si quidem effugere posset. Hæ sunt humanæ naturæ imbecillitates. » Et paulo post, « (2) Quod multum humanæ affectionis indicat, et naturam mori detrectantem, ac præsentis vitæ retinentem. Qua re ostendebat, non se ab humanis esse affectionibus immunem. Ut enim esurire crimini non vertitur, neque dormire : ita neque præsentem appetere vitam. At vero Christus corpus habuit, uti purum ab omni labe peccati, sic ab naturalibus necessitatibus neutiquam alienum : alioqui corpus non esset. » Porro idem Chrysostomus, alibi *passionem ipsam quoque appellari posse* πρᾶξιν, id est *efficientiam,* ait. « (3) Siquidem eo ipso, quod passus est, ingens illud, et admirabile opus effecit, ut et mortem everteret, et alia omnia moliretur. » Quem locum citat Joannes Damascenus ex homilia secunda in Acta [3].

Denique Euthymius in Panoplia, sub finem tituli 15. breve illud, sed peremptorium dictum Chrysostomi citat ex oratione in latronem [4]; « Duæ naturæ, et operationes in Christo sunt, sed una hypostasis. » Quod tamen in duabus illis, quæ in tomo quinto editæ sunt, homiliis in latronem, non reperi.

XIII. Cyrillus compluribus locis operationum diversitatem non minus asseverat, sed præ ceteris in toto fere libro 24. Thesaurorum, ex quo Agatho papa quædam in synodica epistola collegit. Quo in libro illud ipsum tractat argumentum adversus Arianos, non oportere quæ infirma, et humana sunt in sacris litteris explicata de Christo, divinitati hujus attribui. Inter alia vero hæc ibi leguntur : « (4) Necessario, *inquit,* interdum congruentes homini voces emittit, interdum vero res soli divinitati debitas ostendit, ut intelligatur utrumque. Unde igitur perspicue demonstrandum erat revera se hominem esse, non hominis inanem speciem, inde illud monstrare nititur. Ac peccatum quidem, tanquam expers peccati, et hoc pati nesciens, jure detrectat ; corpori autem, et humanitati experiri ea, quæ naturæ insunt ipsi, ad hoc permittit, ut argumento sit, se reipsa vereque gestasse carnem, et hominem factum esse secundum Scripturas, etc. » Tum ita pertexit : « Quocirca quæ divinitati convenienter dicta, vel facta sunt, salvatorem indicant Deum : et rursus quæ humanitus dicta sunt, et facta, verum hominem ostendunt : hujusmodi enim

(1) CHRYS hom. 67. in Joan. pag. 838. vers. 33. Ταῦτα δὲ τῆς οἰκονομίας ἐστὶν, οὐ τῆς θεότητος. Διὰ τοῦτό φησι· νῦν ἡ ψυχή μου τετάρακται (ἐπεὶ εἰ μὴ τοῦτό ἐστι, ποίαν ἀκολουθίαν ἔχει τὸ λεχθὲν, καὶ τὸ εἰπεῖν, Πάτερ, σῶσόν με ἐκ τῆς ὥρας ταύτης;) καὶ οὕτω τετάρακται ὡς καὶ ἀπαλλαγὴν ζητεῖν, εἴγε ἐνῆν διαφυγεῖν. Ταῦτα τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως τὰ ἀσθενήματα.

(2) Ibid. vers. 42. Ὃ πολὺ τὸ ἀνθρώπινον ἐπιδείκνυται, καὶ τὴν φύσιν μὴ βουλομένην ἀποθανεῖν, ἀλλὰ τῆς παρούσης ἀντεχομένην ζωῆς· δεικνὺς, ὅτι οὐκ ἔξω τῶν ἀνθρωπίνων παθῶν ἦν. Ὥσπερ γὰρ τὸ πεινῆν οὐκ ἔγκλημα, οὐδε τὸ καθεύδειν· οὕτως οὐδὲ τὸ τῆς παρούσης ζωῆς ἐφίεσθαι· ὁ δὲ Χριστὸς σῶμα καθαρὸν ἁμαρτημάτων εἶχεν, οὐχὶ φυσικῶν ἀναγκῶν ἀπηλλαγμένον· ἐπεὶ οὐδ' ἂν σῶμα ἦν.

(3) CHRYS. hom. 1. in Acta tom. 4. pag. 610. vers. 18. Οὐκ ἂν δέ τις ἁμάρτοι καὶ τὸ πάθος αὐτοῦ πρᾶξιν καλέσας. Ἐν τῷ γὰρ παθεῖν, ἐποίησε τὸ μέγα, καὶ θαυμαστὸν ἔργον ἐκεῖνο, τὸν θάνατον καταλύσας, καὶ τὰ ἄλλα πάντα ἐργασάμενος.

(4) CYRILL. 24. Thesaur. pag. 231. B. Ἀναγκαίως ποτὲ μὲν τὰς ἀνθρώπῳ πρεπούσας ἀφίησι φωνάς, ποτὲ δὲ δεικνύει πράγματα θεότητι μόνῃ χρεωστούμενα, ἵνα νοῆται τὸ συναμφότερον. Ὅθεν οὖν ἔδει φαίνεσθαι σαφῶς ὅτι περ ὄντως ἄνθρωπος εἴη, καὶ οὐ φάντασμα, ἐκεῖθεν αὐτὸ δεικνύειν ἐπείγεται. Ἁμαρτίαν μὲν γὰρ ὡς ἀναμάρτητος, καὶ οὐκ εἰδὼς τοῦτο παθεῖν, παραιτεῖται δικαίως. Ἐπιτρέπει δὲ σώματι, καὶ τῇ ἀνθρωπότητι τὰ τῇ φύσει αὐτῇ προσόντα παθεῖν, εἰς ἀπόδειξιν τοῦ ὄντως, καὶ κατὰ ἀλήθειαν φορέσαι σάρκα, καὶ ἄνθρωπον γενέσθαι κατὰ τὰς γραφάς. Ἐπειδὴ δὲ καθάπερ ἤδη προειρήκαμεν, ἐχρῆν αὐτον καὶ ἐν σαρκὶ γεγονότα φαίνεσθαι Θεὸν, ἐργάζεται μὲν ἐσθ' ὅτε τὰ πρέποντα Θεῷ, λέγει δὲ πρὸς τοὺς ὁρῶντας αὐτὸν, εἰ ἐμοὶ οὐ πιστεύεται, διὰ τὸ ἄνθρωπον βλέπειν δηλονότι, ἀλλὰ τοῖς ἔργοις μου πιστεύετε, ἵνα γνῶτε ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ Πατρὶ, καὶ ὁ Πατὴρ ἐν ἐμοί. Οὐκοῦν τὰ θεοπρεπῶς εἰρημένα τε καὶ πεπραγμένα δεικνύει τὸν Σωτῆρα Θεόν. Καὶ πάλιν τὰ ἀνθρωπίνως εἰρημένα τε καὶ γεγονότα, δεικνύει κατὰ ἀλήθειαν ἄνθρωπον. Αὕτη γάρ ἐστιν ἡ τοῦ μυστηρίου δύναμις.

[1] Pag. 128. — [2] Joan. 12. 27.

[3] Damasc l. 3. c. 14 pag. 234. — [4] Euth. Panop. tit. 15.

vis est illius mysterii. » Ad hæc, quibusdam interpositis, « (1) Discernantur, *inquit*, voces, quæ de illo leguntur, congruenti ratione. Ac si istud audias, Ego et Pater unum sumus, in unam respice divinitatem Filii, et Patris, Deumque cogita Filium ex Patris esse substantia. Cum autem audieris de eodem, plorasse ipsum, et contristatum esse, trepidasse, ac mœrore confectum; illud apud te reputa hominem esse, qui et idem sit Deus; et humanitati, quæ ei debentur, adscribe. Nam quia mortale, et corruptibile corpus accepit, et talibus affectionibus obnoxium, necessario una cum carne carnis ipsius affectiones proprias reputat; et cum hæc illa sustinet, sustinere et ipse dicitur : hoc enim modo in cruce suffixum, et mortuum illum esse dicimus, cum hoc caro perpessa sit; non autem Verbum privatim, ac per sese. Est enim impatibile et immortale. Igitur pie et catholice tales sententias interpretabimur, si et divinitati, quæ Deo congruunt, assignemus ; et carni, quæ per ipsam, ac velut ex ipsa dicta sunt, ab naturalibus in nobis motionibus profecta. Quorum cum mens sensum capiat, ea per linguam effundit, in profundo pectore, sine voce, susurris tacitis expressa. »

XIV. Rursus ex libro tricesimo secundo Thesauri, recitatus est in sexta synodo [1] Cyrilli locus eximius ; in quo Christum esse Deum, et æqualem Patri ac consubstantialem esse probat, ex operandi consortio. « (2) Non enim, *ait*, unam utique esse dabimus operationem Dei et opificii : ne aut creaturam ad divinam provehamus substantiam ; aut divinæ naturæ præstantiam in eum, qui rebus factis convenit, redigamus locum. Nam quibus operatio, et virtus citra ullum discrimen est una, iis speciei quoque constare necesse est unitatem. » Et ex libro ad Theodosium Augustum relecta est non minus insignis ejusdem Cyrilli sententia, in Synodo sexta [2], ubi animam cum carne assumpsisse Verbum asserens, « (3) Per ambo, *inquit*, præclare Incarnationis gerebatur mysterium. Usus est autem carne propria, velut instrumento, ad exequenda carnis opera, et naturales infirmitates, et ab omni reprehensione remotas : anima vero propria, ad humanas, et minime vituperandas affectiones subeundas. Nam et esuriisse dicitur, et ex longinquis itineribus lassatus fuisse ; pavorem etiam, ac metum, tristitiam, et angorem, ac mortem in cruce sustinuisse. »

Postremo ex Thesauris affert hunc locum Cyrilli Constantinus imperator in Edicto : « (4) Licet, *inquit*, ambo in ipso simul animadvertere. Deus enim verus erat in carne, et vera caro in Deo. Itaque ex quibus discerni Deum oportebat, hæc divinitus operatur : et ex quibus necesse erat hominem reipsa videri, ea facit, ac dicit, veritatem mysterio dispensans. » Hactenus Cyrillus : ex quibus apparet, quam falso hæretici tam unius naturæ, quam ἐνεργείας unius patronum sibi illum adsciverint.

XV. Post istos commemorandus est Dionysius ab Agathone laudatus [3]; qui in capite secundo de Divinis nominibus, ubi de communibus personarum divinarum, et propriis, ac distinctis agit : « (5) Discreta est, *inquit*,

(1) Ibid. pag. 232. C. Διακρινέσθωσαν αἱ περὶ αὐτοῦ φωναὶ κατὰ τὸν λόγον τὸν πρέποντα. Κἂν ἀκούσῃς, ἐγὼ, καὶ ὁ Πατὴρ ἕν ἐσμεν, μίαν ὅρα τὴν θεότητα τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ Πατρὸς, καὶ Θεὸν ἐννόει τὸν Υἱὸν ἐκ τῆς οὐσίας ὄντα τοῦ Πατρός. Ἐὰν δὲ πάλιν ἀκούσῃς περὶ αὐτοῦ, ὅτι ἔκλαυσε, καὶ ἐλυπήθη, καὶ ἐπτοήθη, καὶ ἀδημονεῖν ἤρξατο, ἐννόει πάλιν ἄνθρωπον ὄντα μετὰ του εἶναι Θεὸν, καὶ ἀνατίθει τῇ ἀνθρωπότητι τὰ αὐτῇ χρεωστούμενα, ἐπειδὴ γὰρ θνητὸν, καὶ φθαρτὸν ἀπέλαβε σῶμα, καὶ τοῖς τοιούτοις πάθεσιν ὑποκείμενον, ἀναγκαίως μετὰ τῆς σαρκὸς καὶ τὰ αὐτῆς ἰδιοποιεῖται πάθη· καὶ αὐτῆς ὑπομενούσης αὐτὰ, ὡς αὐτὸς ὑπομένων λέγεται. Οὕτω γάρ φαμεν ὅτι καὶ ἐσταυρώθη, καὶ ἀπέθανε, τοῦτο παθούσης τῆς σαρκὸς, οὐκ ἰδίᾳ, καὶ καθ' ἑαυτὸν τοῦ Λόγου. Ἀπαθὴς γάρ ἐστι, καὶ ἀθάνατος. Οὐκοῦν ὀρθοδόξως ἐκληψόμεθα τὰ εἰρημένα, τῇ μὲν θεότητι νέμοντες τὰ θεοπρεπῆ, ἀνατιθέντες δὲ σαρκὶ τὰ δι' αὐτὴν, καὶ ὡς ἐξ αὐτῆς εἰρημένα διὰ τῶν ἐν ἡμῖν φυσικῶν κινημάτων, ὧν ὁ νοῦς ἔχων τὴν αἴσθησιν ἀναβλύζει διὰ γλώττης ἐν βάθει κατὰ τὸ ἀφανὲς ἀφώνως ψιθυριζόμενα.

(2) Ibid. 32. Thes. pag. 268. A. Οὐ γὰρ δή που μίαν εἶναι φυσικὴν τὴν ἐνέργειαν δώσομεν Θεοῦ, καὶ ποιήματος· ἵνα μήτε τὸ ποιηθὲν εἰς τὴν θείαν ἀνάγωμεν οὐσίαν· μήτε μὴν τῆς θείας φύσεως τὸ ἐξαίρετον εἰς τὸν τοῖς γεννητοῖς πρέποντα κατάγωμεν τόπον. Οἷς γὰρ ἡ ἐνέργεια καὶ ἡ δύναμις ἀπαραλλάκτως μία, τούτοις ἀνάγκη καὶ τὴν τοῦ εἴδους ἑνότητα σώζεσθαι.

(3) In 6. Syn. pag. 142. A. Ἐπράττετο δὲ δι' ἀμφοῖν καλῶς τῆς οἰκονομίας τὸ μυστήριον. προσεχρήσατο δὲ καθάπερ ὀργάνῳ τῇ ἰδίᾳ σαρκὶ πρὸς τὰ τῆς σαρκὸς ἔργα τε, καὶ ἀῤῥωστήματα φυσικὰ, καὶ ὅσα μώμου μακράν. Ψυχῇ δὲ αὐτῇ ἰδίᾳ πρὸς τὰ ἀνθρωπινά τε, καὶ ἀνυπαίτια πάθη. Πεινῆσαι γὰρ λέγεται, κόπους τε ὑπενεγκεῖν τοὺς ἐκ μακρῶν ὁδοιποριῶν, πτοίας τε, καὶ φόβον, καὶ λύπην, καὶ ἀγωνίαν, καὶ τὸν ἐπὶ τῷ σταυρῷ θάνατον.

(4) Cyrill. in edicto Const. in 6. Syn. act. 18. p. 292. F. Ἔστιν ἰδεῖν κατὰ ταὐτὸν ἀμφότερα ἐν αὐτῷ. Θεὸς γὰρ ἦν ἀληθινὸς ἐν σαρκὶ, καὶ σὰρξ ἀληθὴς ἐν Θεῷ. Δι' ὧν οὖν ἔδει γνωρίζεσθαι Θεὸν, ταῦτα θεϊκῶς ἐνεργεῖ. Καὶ ἀφ' ὧν ἐν ἀναγκαῖον ἄνθρωπον ὄντως ὁράσθαι, ταῦτα ποιεῖ, καὶ λέγει οἰκονομῶν τῷ μυστηρίῳ τὴν ἀλήθειαν.

(5) Dion. cap. 2. de Div. nom. Διακέκριται δὲ τῆς ἀγαθοπρεποῦς εἰς ἡμᾶς θεουργίας, τὸ καθ' ἡμᾶς ἐξ ἡμῶν ὁλικῶς,

[1] Act 10. p 40. F. — [2] Act. 10. p. 142. A.

[3] In 6. Syn. Act. 3. p. 28.

a benigna in nos operatione Dei, nostri similis et ex nobis, ex toto, vereque facta Verbi substantiatio : tum quod egit, ac passum est; omnia illa, quæ humanæ, divinæque sunt ipsius operationis eximia, et exquisita. Etenim in istis neque Pater, neque Spiritus ratione ulla communicarunt. »

(1) Theodoretus in libro quinto contra hæreses, humanæ naturæ fidem facit ex propriis hujus operationibus, quod cibo, et potu recreatus est. Quod si quis opponat, etiam angelos in Abrahami tabernaculo cibo usos esse, respondet non illos esurisse, ac sitisse. At in Christo naturalem necessitatem affectiones ejusmodi commovisse, idque ab eo esse permissum, ut naturæ assumptæ veritatem adstrueret, quam hæretici postea negare sunt ausi. « (2) Quocirca famem, et sitim experiri, lassari, et dormire permisit, ut ne aliquam inde caperent occasionem Docitæ ad falsam suam hæresim corroborandam. Itaque fames, et sitis, ac præterea lassitudo, et somnus, humanum testantur esse corpus, Domini corpus. »

Justinus, velalius potius auctor Expositionis fidei, quæ inter martyris opera legitur, duas naturarum totidem actiones proprias aperte indicat, cum sic scribit: « (3) Quatenus homo est, inculpate vitam degit, et voluntariam mortem subit, etc. quatenus vero est Deus, quod erat dissolutum excitat, et mortem ipsam funditus evertit. » Item : « (4) Cum igitur audieris de eodem Filio voces inter se contrarias, congruenter in naturas dicta partire : ut quod magnum est, ac divinum, divinæ naturæ tribuas; si quid autem parvum est, et humanum, humanæ imputes. » Et luculenter subinde idem affirmat sic : « (5) Quemadmodum unus quidem homo est, habet autem naturas in sese diversas duas : et per aliud ratiocinatur ; per aliud vero, quod ita ratiocinando concepit, efficit : quippe anima, si sors tulit, navigii fabricationem cogitat, quod cogitatum est, perficit. Ita Filius, cum sit unus, et naturæ duæ, secundum aliam miracula efficit, secundum aliam infirma suscipit. Nam qua ex Patre est, et Deus, stupenda molitur : qua autem ex Virgine est, et homo, crucem, et passionem, ac similia volens naturaliter sustinuit. »

Justinianus imperator in sexta Synodo citatus, toto fere seculo ante Monotheletarum hæresis exortum, unius operationis assertores tanquam impios execratus est, et pro Apollinaristis damnavit; itaque sanctos omnes Patres docuisse scripsit. « (6) Omnes, *inquit*, sancti Patres, sicut passionem, et impatibilitatem unius, et ejusdem esse credere nos docuerunt, ita etiam diversas operationes unius, et ejusdem Domini nostri Jesu Christi confitendas nobis esse tradiderunt. »

XVI. (7) Ephræmius Antiochenus patriarcha, qui Justiniano Imperatore floruit, in libro quodam, quo Chalcedonensis synodi, et Leonis papæ patrocinium suscepit adversus Acephalos, hunc ipsum pontificem « recte utramque formam in Christo uno eodemque Filio, sed differentem ambarum operationem statuisse » defendit. Sic in excerpto Codicis 229. apud Photium [1], e Cyrillo, ac reliquis Patribus,

καὶ ἀληθῶς οὐσιωθῆναι τὸν ὑπερούσιον Λόγον, καὶ δράσαι, καὶ παθεῖν ὅσα τῆς ἀνθρωπικῆς αὐτοῦ θεουργίας ἐστιν ἔκκριτα, καὶ ἐξαίρετα. Τούτοις γὰρ ὁ Πατὴρ, καὶ τὸ Πνεῦμα κατ' οὐδένα κεκοινώνηκε λόγον.

(1) THEODOR. tom. 4. pag. 282. D. Ἔπειτα δὲ τὸ βούτυρον, καὶ τὸ μέλι, ὁ Προφήτης πόῤῥωθεν προαγορεύει, καὶ τὸ μητρῷον γάλα, καὶ ἡ ἐδωδὴ ἡ ἄλλη, καὶ πόσις τὴν τούτων δεκτικὴν ἐπιδείκνυσι φύσιν.

(2) Ibid. pag. 283. Οὕτως ἐνεδίδου καὶ πεινῆν καὶ διψῆν, καὶ κοπιᾶν, καὶ ὑπνοῦν, ἵνα μηδεμίαν λάβωσιν ἀφορμὴν οἱ Δοκῖται κρατῦναι τοῦ ψεύδους τὴν αἵρεσιν· τοιγαροῦν καὶ ἡ πεῖνα, καὶ τὸ δίψος, καὶ πρὸς τούτοις ὁ κόπος, καὶ ὁ ὕπνος σῶμα ἀνθρώπινον προσμαρτυροῦσιν εἶναι τοῦ Κυρίου τὸ σῶμα·

(3) JUSTIN. pag. 299. vers. 32. Καὶ ᾗ μὲν ἄνθρωπος, ἀμέμπτως πολιτεύεται, καὶ θάνατον ἑκούσιον καταδέχεται, etc. ᾗ δὲ Θεὸς, καὶ τὸ λυθὲν ἀνιστᾷ, καὶ τὸν θάνατον αὐτὸν παντελῶς καταλύει.

(4) Ibid v. 39. Ὅταν οὖν ἀκούσῃς περὶ τοῦ ἑνὸς Υἱοῦ τὰς ἐναντίας φωνὰς, καταλλήλως μέριζε ταῖς φύσεσι τὰ λεγόμενα, ἂν μέγα τι, καὶ θεῖον, τῇ θείᾳ φύσει προσνέμων, ἂν δέ τι μικρὸν, καὶ ἀνθρώπινον, τῇ ἀνθρωπίνῃ λογιζόμενος.

(5) Ibid. pag. 300. v. 12. Ὡς γὰρ εἷς μέν ἐστιν ὁ ἄνθρωπος, ἔχει δὲ φύσεις ἐν ἑαυτῷ διαφόρους δύο, καὶ κατ' ἄλλο μὲν λογίζεται, κατ' ἄλλο δὲ το λογισθὲν ἐνεργεῖ. Ψυχῇ μὲν γὰρ λογισάμενος, εἰ τύχοι, τοῦ πλοίου τὴν σύμπηξιν χερσὶ τὸ νοηθεν εἰς πέρας ἄγει. Οὕτως ὁ Υἱὸς, εἷς ὢν, καὶ δύο φύσεις, κατ' ἄλλην μεν τας θεοσημείας ἐργάζεται, κατ' ἄλλην δὲ τὰ ταπεινα παραδέχεται. Ἧ μὲν γὰρ ἐκ Πατρὸς, καὶ Θεὸς, ἐνεργεῖ τὰ θαύματα· ᾗ δε ἐκ παρθένου, καὶ ἄνθρωπος, τὸν σταυρὸν, καὶ τὸ πάθος, καὶ τὰ παραπλήσια ἐθέλων ὑπέμεινε φυσικῶς.

(6) JUSTINIAN. in 6. Syn. act. 10. pag. 140. E. Πάντες γὰρ οἱ ἅγιοι πατέρες, ὥσπερ τὸ πάθος καὶ τὴν ἀπάθειαν ἑνὸς καὶ τοῦ αὐτοῦ πιστεύειν ἡμᾶς ἐδίδαξαν, οὕτω καὶ διαφόρους ἐνεργείας ἑνὸς, καὶ τοῦ αὐτοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁμολογεῖν ἡμᾶς ἐξεπαίδευσαν.

(7) EPHRÆM. apud Phot. cod. 228. pag. 404. v. 29. Δεύτερον δὲ αὐτῷ προάγεται· δι' οὗ δείκνυται, ὡς ὁ ὁσιώτατος Λέων τοῖς πατράσι συμφωνῶν, ἕνα τὸν αὐτὸν ὁμολογεῖ Υἱόν· καὶ τοῦ αὐτοὺ, καὶ ἑνος ὥσπερ ἑκατέραν μορφὴν, οὕτω καὶ τὴν διάφορον φυσικὴν ἐνεργειαν.

[1] Phot. p. 435.

proprias cujusque naturæ salvas operationes mansisse probat.

Et in actione decima Synodi sextæ, ex ejusdem Ephræmii apologetico libro pro Chalcedonensi concilio et Leone papa, descripta sententia est, qua Christum docet ambulantem supra mare, proprietatem humanæ servasse naturæ. « (1) Siquidem vel ipsa species operationis persuadere tibi potest, uti carnem in propria mansisse natura fateare. Nam pedibus ambulare, si non sola specie, et adumbratione fiebat, manifestum est, pedum operationem fuisse naturæ nostræ propriam. Ita operationis genus ipsum carnem intra pristinos modos servatam esse demonstrat ; et ingressum hujusmodi corporeum, et sensibilem esse omnes asserunt. » Quibus ex Ephræmii verbis illud tanquam πόρισμα colligitur, hæreticos illos, qui de operatione unica contra Catholicos decertarunt, non solam voluntatis actionem intellexisse, sed externam potissimum ἐνέργειαν, uti supra pluribus ostendimus.

Anastasius Antiochenus in Apologetico pro epistola Leonis papæ, præclare duas operationes, cujusmodi volumus, asseverat, ita scribens : « (2) Si illa, per quæ Deum agnosci oportebat ipsum, divinitus operabatur ; ex quibus autem necesse erat hominem eumdem videri, humanitas efficiebat : altera prorsus est divinæ naturæ, altera humanæ operatio. »

XVII. Est etiam in eadem actione decima Synodi sextæ [1], unde Anastasii expromptus ille locus est, Joannis Scythopolitani egregius alter, ex libro octavo contra Severi blasphemias, in quo duplicem Christi ἐνέργειαν invicta ratione colligit. Etenim Verbum substantive unitum esse carni, ne ipsi quidem diffitentur unius naturæ, vel actionis defensores hæretici : porro eumdem Deum Verbum divinitate sua creata complecti omnia, cœlum, terram, mare, angelos, homines, iisque providentia sua consulere cum universe, tum privatim singulis, peræque confitentur. Hæc autem providentia, ἐνέργεια utique censetur. Hinc igitur primum continua Dei Verbi constat operatio. Rursus intelligens anima Christi, quæ secundum hypostasim Deo Verbo copulata est, non est intelligentiæ ac notionis expers, brutæ pecudis instar. Nam novit se unitam esse Deo, se creatis omnibus esse superiorem, se in utero Virginis matris cum carne assumptam a Verbo, ac cetera ejusdemmodi. « (3) Igitur unius, et ejusdem Domini nostri Jesu Christi duas operationes cernimus, divinitatis scilicet ipsius, et humanitatis, citra partitionem ullam ac mutationem. »

CAPUT NONUM.

Eadem pro numero naturarum diversitas operationum ex latinis Patribus colligitur.

I. Græcorum Patrum abunde, et plus satis superiori capite est collectum. Siquidem nationis illius propria fuit hæresis illa, quæ confusas in Christo ἐνεργείας, et voluntates asserebat. Latinorum modo nonnullos, ac selectos adhibebimus. Horum primu serit Tertullianus, qui cum Verbum, et Dei filium vere carnem assumpsisse sentit, tum eamdem veram fuisse carnem ex iis affectionibus, et ἐνεργείαις, quæ sunt carnis propriæ, multis in locis confir-

(1) In 6. Syn. pag. 143. A. Κἂν αὐτῆς γε τῆς ἐνεργείας ἡ ἰδέα πείσῃ σε τὴν σάρκα ἐπὶ τῆς ἰδίας μεμενηκέναι φύσεως ὁμολογῆσαι. Το γὰρ πεζεύειν, καὶ ποσὶ πεζεύειν, εἰ μὴ κατὰ φαντασίαν ἐγένετο, πρόδηλον ὅτι ποδῶν ἐστιν ἐνέργεια τῆς ἡμετέρας φύσεως· ὥστε αὐτὸ τὸ εἶδος τῆς ἐνεργείας βοᾷ τὴν τῆς σαρκὸς ἐπὶ τῶν ἀρχαίων μέτρων φυλακὴν, καὶ τὴν τοιαύτην πορείαν πάντες σωματικὴν τε, καὶ αἰσθητικὴν λέγουσιν.

(2) ANAST. in Syn. 6. pag. 144. D. Εἰ δι' ὧν αὐτὸν γνωρίζεσθαι Θεὸν ἐχρῆν, θεϊκῶς ἐνήργει, ἀφ' ὧν δὲ ἀναγκαῖον ἦν ἄνθρωπον ὄντως ὁρᾶσθαι, ἀνθρωπίνως εἰργάζετο, ἑτέρα μὲν ἔστι πάντως τῆς θείας φύσεως, ἑτέρα δὲ τῆς ἀνθρωπίνης ἡ ἐνέργεια.

(3) In Syn. 6. act. 10. pag. 146. C. Ὁρᾷς ὅτι ἑνὸς, καὶ τοῦ αὐτοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ δύο ὁρῶμεν τὰς ἐνεργείας, τῆς θεότητος αὐτοῦ, καὶ τῆς ἀνθρωπότητος, ἀμερίστως, καὶ ἀναλλιώτως.

[1] Pag. 145. E. seq.

mat. In Apologetico adversus gentes, capite 21. « Iste igitur Dei radius, *inquit*, ut retro semper prædicabatur, delapsus in virginem quamdam, et in utero ejus caro figurata nascitur homo Deo mistus. Caro spiritu instructa nutritur, adolescit, affatur, docet, operatur, et Christus est. »

Sic in primo contra Marcionem, capite quinto, ex veris passionibus, ut suffixione, ac morte veram carnem approbat. Et in libro tertio, capite octavo, ex tactu idem adstruit. « Si enim tangendo aliquem liberavit a vitio, *inquit*, vel tactus ab aliquo, quod corporaliter actum est, non potest vere actum credi, sine corporis ipsius veritate. Nihil solidum ab inani, nihil plenum a vacuo perfici licuit. Putativus habitus, putativus actus : imaginarius operator, imaginariæ operæ. Sic nec passiones Christi ejus fidem merebuntur. Nihil enim passus est, qui non vere est passus. Vere autem pati phantasma non potuit. » Vide et librum quartum, capite octavo.

Jam Novatianus in libro de Trinitate, necnon Arnobius, aliique eidem insistunt argumento, ut veram humanæ naturæ substantiam asseverent in Christo : quorum verba jam supra libro tertio descripsi [1], cum naturas post unitionem duas auctoritate latinorum Patrum approbarem.

II. Hilarius item expressissimis verbis Monotheletarum errorem jugulat : quem locum Agatho papa retulit [2]. « Natus igitur, *inquit* [3], unigenitus Deus ex Virgine homo, secundum plenitudinem temporum in semetipso provecturus in Deum hominem, hunc per omnia evangelici sermonis modum tenuit, ut se filium Dei credi doceret, et hominis filium prædicari admoneret : locutus, et gerens Deus universa quæ Dei sunt : loquens deinde, et gerens Deus universa, quæ hominis sunt : ita tamen, ut in ipso illo utriusque generis sermones nunquam nisi cum significatione et hominis locutus et Dei sit ; uno tamen Deo Patre semper ostenso, et se in natura unius Dei per nativitatis veritatem professo, et tamen se Deo Patri et filii honore, et hominis conditione subdente : cum et nativitas omnis se referat ad auctorem, et caro se universa secundum Deum profiteatur infirmam. Hinc itaque fallendi simplices, atque ignorantes hæreticis occasio est, ut quæ ab eo secundum hominem dicta sunt, dicta esse secundum naturæ divinæ infirmitatem mentiantur : et quia unus, atque idem est loquens omnia, quæ loquitur, de semetipso omnia eum locutum esse contendant, etc. » Tum ita pergit [4] : « Nostri igitur causa hæc omnia JesusChristus manens, et corporis nostri homo natus, secundum consuetudinem naturæ nostræ locutus est : non tamen omittens naturæ suæ esse, quod Deus est. Nam tametsi in partu, ac passione, ac morte naturæ nostræ rem peregerit, res tamen ipsas omnes virtute naturæ suæ gessit ; dum sibi ipsi origo nascendi est ; dum pati vult, quod eum pati non licet ; dum moritur, qui vivit. Et tamen cum hæc Deus per hominem agit, ex se natus, et per se passus, et ex se mortuus, non et hominem se non egit, dum et natus, et passus, et mortuus est. »

III. Ambrosius libro secundo de fide ad Gratianum, capite tertio sub finem : « Ut homo ergo dubitat, *inquit*, ut homo turbatur: non turbatur ejus virtus, non turbatur ejus divinitas ; sed turbatur anima, turbatur secundum humanæ fragilitatis assumptionem : et ideo, quia suscepit animam, suscepit et animæ passiones. Non enim Deus, eo quod Deus erat, aut turbari, aut mori potuisset. Denique, Deus Deus, inquit, meus, quare me dereliquisti ? Ut homo ergo loquitur, meos circumferens metus ; quod in periculis positi a Domino deseri nos putamus : ut homo turbatur, ut homo flet, ut homo crucifigitur. » Et capite sequenti [5] : « Æqualis, *inquit*, ergo in Dei forma, minor in susceptione carnis, et hominis passione. Nam quomodo eadem posset minor esse, æqualisque natura? Quomodo autem si minor est, eadem similiter facit, quæ Pater facit ? Nam quemadmodum eadem operatio diversæ esset potestatis ? Numquid sic potest minor, quemadmodum major, operari ? aut una operatio potest esse, ubi diversa substantia est ? » Quæ postrema Ambrosii securim infligunt Monenergetarum hæresi.

Gelasius papa alium hunc Ambrosii locum refert [6] : « Cur divinitati applicas carnis infirmitates, et infirmitatem humani corporis applicas divinæ naturæ ? Nunc anima mea tristis est, non Sapientia dicit. Sapientia enim perseveravit inconversibilis, licet indumento carnis circumamicta sit. »

IV. Augustinus sermone tertio de Trinitate [7] : « Passus est Dei filius, *inquit*, non putative, sed vere omnia, quæ Scriptura testatur, id est

[1] Lib. 3. cap. 7. — [2] In Syn. 6. Act. 4. p. 46. — [3] Hilar. l. 9. paulo post init. p. 56. A. quem et citat Theodoret. Dial. 2. tom. 4. p. 107.

[4] Ibid. — [5] Col. 137. D. — [6] Tom. 4. Bibl. col. 430. — [7] Tom. 10. pag. 348. A. 2.

esuriem, sitim, lassitudinem, dolorem, mortem, et cetera hujusmodi. Sed secundum illud passus est, quod pati poterat ; non secundum illam substantiam, quæ assumpsit, sed secundum illam, quæ assumpta est. Ipse enim Dei filius secundum deitatem suam impassibilis est ut Pater, incorruptibilis est ut Pater. » Et Sermone quinto, « Qui assumpto, *inquit*, naturæ nostræ homine nobiscum esse dignatus est : qui pro nobis fecit omnia, passus est omnia, esuriem, sitim, lassitudinem, fletum, dolorem, ad extremum etiam mortem, etc. Sed usque ad hanc rerum seriem in Christo naturæ humanæ imbecillitas intelligatur. »

Hieronymus commentario in Matthæum ad illa verba [1], *Cœpit contristari et mœstus esse*, hæc adnotat : « Illud, quod supra diximus de passione, et propassione, etiam in præsenti capitulo ostenditur, quod Dominus, ut veritatem probaret assumpti hominis, vere quidem contristatus sit : sed ne passio in animo illius dominaretur, per propassionem cœperit contristari. » Et mox, « Quæ contristatur, anima est. »

Egregius et ille locus est ejusdem alibi a nobis allatus ex eodem commentario ad caput ultimum Matthæi, « Dominus noster unus atque idem filius Dei, et filius hominis, juxta utramque naturam, divinitatis, et carnis, nunc magnitudinis suæ, nunc humilitatis signa demonstrat. »

Breve hoc, sed accuratum eadem de re est Zenonis Veronensis dictum, ex sermone tertio de Nativitate, « Probans infirmitatibus carnem, et virtutibus majestatem. »

V. Sed nihil adversus hæreticos istos usitatum magis, et contritum catholicis Synodis, et Patribus, Leonis papæ sententia illa, quam in epistola decima ad Flavianum edidit : quam epistolam *orthodoxæ fidei columnam* iidem illi nominarunt. Ibi igitur, dum Eutychem refellit, non minus unicam Christi operationem, quam naturam disputando convellit. Hæc igitur leonina vox est, ut quidam veterum vocat, quam tantopere ita celebrant, ex illius epistolæ capite quarto : « Sicut enim Deus, *ait*, non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis. Et sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recessit, ita caro naturam nostri generis non reliquit. » Et paulo post operationes illas explicans, « Esurire, *inquit*, sitire, lassescere, atque dormire, evidenter humanum est. Sed et de quinque panibus quinque hominum millia satiari, et largiri Samaritanæ aquam vivam, cujus haustus bibenti præstat, ne ultra jam sitiat, et supra dorsum maris plantis non subsidentibus ambulare, et elationes fluctuum, increpata tempestate, consternere, sine ambiguitate divinum est. Sicut ergo, ut multa prætereaam, non ejusdem naturæ est flere miserationis affectu amicum mortuum, et eumdem remoto quatriduano aggere sepulturæ, et ad vocis imperium excitare redivivum ; aut in ligno pendere, et in noctem luce conversa, omnia elementa tremefacere ; aut clavis transfixum esse, et paradisi portas fidei latronis aperire, etc. »

Idem in sermone 15. de Passione [2], « Quamvis ergo ab illo initio, quo in utero Virginis Verbum caro factum est, nihil unquam inter divinam, humanamque substantiam divisionis extiterit, et per omnia incrementa corporea unius personæ fuerint totius temporis actiones ; ea ipsa tamen, quæ inseparabiliter facta sunt, nulla permixtione confundimus : sed quid cujus naturæ sit, ex operum qualitate sentimus. Nec divina enim humanis præjudicant, nec humana divinis ; cum ita in idipsum utraque concurrant, ut in eis nec proprietas assumatur, nec persona geminetur. »

VI. Rursus idem Leo in epistola 97. ad Leonem Augustum [3], ambarum naturarum proprias operationes disertissime separat. « Licet ergo, *inquit*, in uno Domino Jesu Christo, vero Dei, atque hominis filio, Verbi et carnis una persona sit, quæ inseparabiliter, atque indivise communes habeat actiones : intelligendæ tamen sunt ipsorum operum qualitates, et sinceræ fidei contemplatione cernendum est, ad quæ provehatur humilitas carnis, et ad quæ inclinetur altitudo divinitatis. Quid sit, quod caro sine Verbo non agit ; et quid sit, quod Verbum sine carne non efficit. Sin Verbi enim potentia, nec conciperet Virgo, nec pareret : et sine veritate carnis obvoluta infantia non jaceret. Sine Verbi potentia non adorarent Magi puerum, stella indice declaratum : et sine veritate carnis non juberetur in Ægyptum transferri puer, et ab Herodis persecutione subduci. Sine Verbi potentia non diceret vox Patris missa de cœlo, Hic est filius

[1] Matt. 26. 37. — [2] Pag. 62. D.

[3] Idem ep. 97. c. 4. p. 170. C. 2.

meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite : et sine veritate carnis non protestaretur Joannes, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Sine Verbi potentia non fieret redintegratio debilium, et vivificatio mortuorum : et sine veritate carnis nec cibus jejuno, nec somnus esset necessarius fatigato. Postremo sine Verbi potentia non se Dominus Patri profiteretur æqualem ; et sine veritate carnis non idem diceret se esse majorem : cum catholica fides utrumque suscipiat, utrumque defendat, quæ secundum confessionem B. Apostoli Petri, unum Christum Dei vivi filium, et hominem credit, et Verbum. »

VII. Gelasius papa in libro adversus Nestorium et Eutychem, ita communicare inter se proprietates suas asserit naturas duas, ut tamen ab unaquaque manent, cui et proprie tribuantur ; quemadmodum in corpore, et anima contingit. « Si enim quamvis corporeis obnoxia passionibus, *inquit* [1], anima sit humana, et eorum vel mulceatur blanditiis, vel afficiatur adversis, et compatiendo sentiat ipsa quidquid conditioni carnis infertur; non tamen secundum seipsam, quæ est animæ substantia, ullo vulnere sauciatur, vel quibuslibet plagis, vexationibusque contingitur. Unde dictum est : Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Quomodo posset fieri, ut deitas iis subjaceret rebus, quibus anima non subjacere cognoscitur ? cum tamen, ut dictum est, divinitas non passibilitate, non cruciatione, non afflictione, non vulneratione passibilis sit : sed ae dignatione, qua suscepit hominem, sibique univit, suum facit quidquid hominis est, quia homini tribuit quidquid est Dei, ita tamen, ut ab omni passibilitate prorsus intemerata permaneat. »

Atque hanc « regulam » vocat « catholicæ fidei, orthodoxæque doctrinæ, quam a cunctis Patribus, catholicæque magistris Ecclesiæ, sicut eorum dicta testantur, quæ recensere perlongum est, et ex divinis manantia fontibus ad nos usque transmissa suscepimus. »

VIII. Sic Fulgentius in libris ad Trasimundum pie, et erudite discernit, quid quatenus operatus aut passus sit Christus Dominus, ac tentationes, et vexationes, infirmitatesque secundum animam et carnem expertum esse confirmat ; unde et utramque vere in illo fuisse demonstrat. « Quod si simul est in Christo, *ait* [2], et anima, et caro tentata, simul est ab eo utraque suscepta, etc. Dignum namque fuit, nostræque saluti conveniens, ut Deus verus ex vero Patre solus substantialiter natus veram hominis, quam ipse fecit, animam, carnemque susciperet, in utraque cum tentatore pugnaret, in utraque vinceret, ac deinceps in utraque tentatis subministraret auxilium, cum in utraque infirmis, ac morituris victoriæ præberet exemplum. »

Et in libro tertio, capite secundo, «Nos enim *inquit*, fidem retinentes evangelicæ veritatis, sic in mediatore Dei et hominum homine Christo Jesu, propria uniuscujusque naturæ cognoscimus, ut unitatem personæ nullatenus dividamus ; scientes, quod sic utriusque in Christo substantiæ manserit unita proprietas, ut in carne patiens impassibilis Deus, et veram passionem, quia voluit, in vera carne sentiret ; nec alius in carne passus fuerit nisi ille, qui in vera carnis passione, impassibilis omnino permansit. » Idem et in sequentibus fere totis capitibus excellenti quadam vi orationis, et copia declarat. Velut in capite 16. ubi sic scribit [3] : « Igitur quia totum hominem Deus ille suscepit, ideo totius hominis in se passiones in veritate monstravit : et animam quidem rationalem habens, quidquid fuit infirmitatis animæ, sine peccato suscepit, et pertulit; ut dum humanæ animæ passiones in anima, quam accepit, vinceret, nostras quoque animas ab infirmitatibus liberaret. Carnem quoque humanam accipiens, in ejusdem veritate carnis veritatem voluntariæ habuit passionis. »

In capite item 22. [4] *gaudium* de Lazaro suscitando, *desiderium* Paschatis novissimi cum discipulis suis celebrandi, tristitiam ob imminentem mortem, ac ceteros humanos affectus non fuisse divinitatis in Christo, sed animæ, sive hominis veri, uberrime disputat. « Hæc ergo cuncta in anima, quam susceperat, pertulit Christus, ut veram, totamque in se, cum suis infirmitatibus, hominis demonstraret accepti substantiam. »

IX. Vigilius Africanus episcopus, non, ut falso percrebuit, Tridentinus; nam Africanum vocat qui eum testem laudat, Theodulfus Aurelianensis plerisque in locis [5]; duas, et distinctas operationes Christi non obscure confirmat. Ut in primo libro cum sic scribit [6] : « Cernis

[1] Gelas. tom 4. Bibl. PP. col. 423. B. — [2] Fulg. 1. ad Tras. c. 13. — [3] Ibid. p. 69.

[4] Joan. 22. 15. — [5] Lib. de Spir. S. p. 123. — [3] Vigil. tom. 4. Bibl PP. col. 496.

ergo aliquid proprium esse carnis, quod Verbi esse non possit; sed ideo etiam Verbi esse, quia Verbi est illa caro, cui possunt hæc omnia aptius convenire: crevisse certe per ætatis curricula, et usque ad robusta juvenilis corporis membra pervenisse Dominum Jesum Christum, Evangelia tradunt. O tu, qui nihil vis esse proprium carnis, putasne Verbum cum ea carne, qua ex Virgine natus est, per ætatum successiones, et per incrementa membrorum pariter crevit, et in majorem sui corporis molem solidatum sit? Noli, rogo te, cavillari, elige unum, quod velis: crescere istud et grandescere Domini Jesu Christi, usque ad perfectam juvenilem ætatem pervenire, cujus est? Verbi, an carnis? Scio quas angustias patiaris, quibus anheles æstibus. Si dicis proprium esse carni, proprietatem naturæ fateris. Si dicis et carnis esse, et Verbi; quod quidem verum est per unitatem personæ, non per proprietatem naturæ; si, inquam, dicas Verbi esse hoc ætatis augmentum, mutabile introducis, et convertibile Dei Verbum. »

Ac subinde [1] hominis istud exemplo comprobat; in quo unius, ejusdemque personæ diversæ sunt operationes, velut sensuum quinque: tum *inedia affici, comedere, sitire, et bibere, sedere, et incedere, cubitum ire, et de somno surgere.* Item *sapere, intelligere, oblivisci, in memoriam reducere, lætitia efferri, tristitia dejici*, etc. Sic igitur, ait idem libro secundo [2], « unus est Christus, idem Deus, idemque homo habens in verbis et gestis unum, quod humanitatis, aliud, quod propriæ divinitatis ejus naturæ conveniat; licet utrumque simul ad unam ejus personam, vel substantiam pertineat. » Mox [3]; « Quod infertur [4], *Jesus autem proficiebat ætate, et sapientia, et gratia apud Deum, et homines,* non potest deitatis ejus naturæ congruere: quia deitas nec ætatis profectum accipit, nec aliquod sentit augmentum, nec curriculo subjicitur temporum, nec numero calculatur annorum. » Et sub libri finem [5], docet dissimiliter in Christo passum Deum, atque carnem; quippe « Verbum Dei dicimus passionis injurias pertulisse, non tamen passionem sensisse; etc. Sed quia caro ejus non solum pertulit, sed et sensit, et cessit, merito ac jure dicimus Dominum his omnibus passionum conditionibus sensibiliter affectum in carne sua, sine sensu, vel mutatione divinitatis suæ. Ergo perferre passionem, naturæ est utriusque: sed cedere passioni, non est utriusque naturæ, cum sit unius denique personæ. » Ergo humana natura, quæ sensum habuit doloris et passionis, quem divinitas non cepit, diversam ab hac ἐνέργειαν est sortita.

X. Boetius insignis philosophus pariter ac theologus, in libro de Duabus naturis et una persona Christi, de Adamo, antequam peccaret, ista prodit: « In hoc igitur (statu) Adam talis fuit, ut manducaret, ac biberet, ut accepta digereret, ut laberetur in somnum, et alia, quæ ei non defuerunt, humana quidem, sed concessa, et quæ nullam pœnam mortis inferrent. Quæ omnia habuisse Christum, dubium non est. Nam et manducavit, et bibit, et humani corporis officio functus est. » Tum de indigentia cibi in Adamo loquens, hanc eamdem in Christo fuisse dicit; « sed potestate, non necessitate. »

Joannes Maxentius in fidei Professione [6], Fatendum est, *inquit*, Deum in cunis jacuisse, pannosum, sordibus involutum, crevisse, et profecisse ætate, et sapientia secundum humanitatem, non secundum divinitatem; Deum esurisse, sitisse, lassum ex itinere quievisse, non secundum divinitatem, sed secundum humanitatem; Deum comprehensum manibus impiorum, judicatum, damnatum, crucifixum, latus lancea perforatum, non secundum divinitatem, sed secundum humanitatem, etc. »

XI. Longum est singulos appellare Patres, qui et innumeri sunt, et per se cuique facile est eos annotare. Horum quanta copia sit ex eo potest æstimari, quod in capite primo dixi, et veterum sententiæ illæ significant, quas proxime antecedentibus capitibus descripsi: ἐνεργείας vocabulo etiam τὰ πάθη censeri, id est affectiones, sive, ut vulgo loqui consueverunt, *passiones* naturæ. Atqui naturam hominis in Christo varie affectam esse, et multa passam, quæ in divinam cadere nullo modo possunt, et idcirco illius sunt propria, nemo non aperte copioseque docuit, qui de Christo litteram aliquam fecit. Et sunt igitur illa totidem operationum testimonia duarum, quibus Monothelетarum insania redarguitur.

Rursus quicumque naturas in Christo duas integras, et perfectas, sine ulla confusione, vel interitu, mutationeve convenisse tradunt: quod quidem Catholici omnes asseverant: ii tum eidem ambarum ἐνεργειῶν professioni suffragantur; tum hæreticos eam stolide negantes decretis suis configunt. Etenim nulla est per-

[1] Ib. col. 497. — [2] Ib. col. 501. F. — [3] Ib. col. 502. A.

[4] Luc. 2. — [5] Col. 503. D. — [6] Tom. 4. Bibl. col. 443. A.

fecta, sibique constans natura, quæ non operationis aliquid exerceat, et sit ἀνενέργητος. Quare ubi numerus est naturarum, ibi et operationum est numerus.

Hinc igitur apparet, jampridem, et ante Monotheletarum exortum, damnatam, et proscriptam istorum fuisse perfidiam cum ab singulis Patribus, qui de vera Christi humanitate contra antiquos hæreticos scriptum quodpiam fecerunt, tum ab omnibus Conciliis, tam generalibus, quam minoribus, quæ de ea re nonnihil decreverunt. Quod de Nicæna, Ephesina, Chalcedonensi, quinta Synodis, sexta Synodus, et Lateranensis sub Martino primo, ac ceteræ omnes, necnon illi, qui Monotheletas oppugnarunt, Maximus martyr, Joannes Damascenus, aliique Patres crebro inculcare solent. Vide Agathonem papam in epistola synodica[1]; in qua, ex Chalcedonensis concilii definitione, catholicum dogma propugnat, et ei contrariam evertit hæresim.

CAPUT DECIMUM.

Explicatur natura, et propria ratio operationum Christi, quæ *θεανδρικαὶ* Græcis, Latinis *Deiviriles* nominantur. — 2. Exposita primum notio vocabuli *θεανδρική*, quæ naturas duas exprimit. — 3. Non unam significat operationem; et fucus in eo Monotheletarum. — 4. Triplex genus operationum Christi, unum mere divinum, secundum mere humanum, tertium ex utroque mistum. — 5. Hoc tertium appellari a Dionysio præcipue *θεανδρικὸν* veteres arbitrantur. — 7. Sed latius patere videtur; quod ut intelligatur, primum radix appellationis istius explicatur; quæ est unitio substantiva naturarum duarum. — 8. Utrum et operationes ipsæ similiter unitæ sint quæritur; ac primo commemorantur qui id negant, tum qui affirmant. — 9. Hi vero posteriores multum ab hæreticis discrepant; nec in unam operationem duas conjungi asserunt. — 11. Proponuntur modi quatuor ex Patribus unitionis operationum Christi. — 12. His quintus additus ex personali Verbi proprietate, quæ in operationes humanas aliquid confert, et eas deificat. — 13. Quod veterum auctoritate probatur. — 14. Proponitur quæstio difficilis, quomodo operatio divina, ex qua quæ theandrica dicitur constat, propria sit Verbi, cum sit totius Trinitatis. — 15. Explicatur ista quæstio ex eo quod operatio divina, perinde ac natura, non aliter quam determinata personali Verbi proprietate in unitionem illam venit.

I. Non unam, singularemque Christi Dei, et hominis operationem esse, ratione, auctoritateque veterum satis ostendimus. Nunc cujusmodi sit duplex illa, pro numero naturarum, constituta illic ἐνέργεια, tempus est exponere. Ac principium disputationis istius ab eo capiendum vocabulo videtur, quod apud græcos theologos maxime est usitatum, et quod hæretici imprimis adamarunt; tanquam unius operationis in illo notio contineretur. Hæc est celeberrima illa θεανδρικὴ ἐνέργεια : cujus nominis primus auctor fuit Dionysius; a quo illud se accepisse olim utrique, tam Catholici, quam Monotheletæ gloriati sunt. Quamobrem interest locum ipsum Dionysii bene consideratum, et exploratum habere, ut de usu vocis istius melius judicium ferre possimus.

Extat autem in epistola quarta ad Caium, cujus in fine ista leguntur : « (1) Etenim, ut uno verbo dicamus, ne homo quidem erat : non quod non esset homo; sed quod ex hominibus ultra homines existeret, ac supra hominem revera esset homo. Qui non secundum Deum divina gessit, nec humana secundum hominem : verum Deo viro facto, novam quamdam Deivirilem nobis operationem expressit in vita. »

II. Vox ista θεανδρικὴ haud dubie ex duabus deflexa, Θεοῦ, et ἀνδρὸς, utrumque concurrere in talem operationem indicat : sed utrum uniusmodi sit, hoc est singularis aliqua ex utroque mista, et temperata genere : an duæ sint, et ab singulis profectæ naturis singulæ, non aperte demonstrat. Quorum prius Monotheletæ, posterius Catholici tenuerunt. Admonet autem ad illum locum Maximus, non

(1) Dion. epist. 4. Καὶ γάρ, ἵνα συνελόντες εἴπωμεν, οὐδὲ ἄνθρωπος ἦν· οὐχ ὡς μὴ ἄνθρωπος· ἀλλ' ὡς ἐξ ἀνθρώπων, ἀνθρώπων ἐπέκεινα, καὶ ὑπὲρ ἄνθρωπον ἄνθρωπος ἀληθῶς γεγονώς· καὶ τὸ λοιπὸν οὐ κατὰ Θεὸν τὰ θεῖα δράσας, οὐ τὰ ἀνθρώπεια κατὰ ἄνθρωπον, ἀλλ' ἀνδρωθέντος Θεοῦ, καινήν τινα τὴν θεανδρικὴν ἡμῖν ἐνέργειαν πεπολιτευμένος.

[1] Syn. 6. Act. 4. p. 43. Vide supra lib. 2. cap. 2.

esse nominandum ex hujus auctoritate sententiæ Christum Dominum θεανδρίτην. Non enim θεανδρικὴν ἐνέργειαν appellari, ut inde θεανδρίτης vocari possit ipse Christus : sed θεανδρικὴν, ut intelligatur esse Θεοῦ, καὶ ἀνδρὸς, id est *Dei*, ac *viri*. Ita Maximus ; qui hoc cavisse videtur, ne singulare aliquod vocabulum Christo tribuatur, quod utramque naturam complexum, tanquam tertiam, eamque conflatam e duabus, et compositam naturam significet : ut si θεανδρίτης diceretur, velut ex Deo mistus, et homine : quemadmodum οἰνόμελι, et ὑδρόμελι, et similia nomina. At ille non ab una, sed a duabus proxime naturis, hoc est a Θεῷ καὶ ἀνδρὶ, derivari τὴν θεανδρικὴν maluit. Cui similis appellationis ratio, et analogia apud Epiphanium olim a nobis est animadversa in voce ἀνδρόγυνον, in Hæresi tricesima, quæ est Ebionitarum[1] : ubi consuetudinem illam notat thermarum Gadarenarum, in quibus promiscue viri ac fœminæ lavabant; quod ille vocat ἀνδρόγυνον λούεσθαι : ut et Clemens in Constitutionibus apostolicis, ut ad illum locum adnotavimus : quem loquendi usum alii quoque servarunt ; uti alias dicam. Ut igitur ἀνδρόγυνον proprie unum aliquem significat ex duobus sexibus compositum, et ancipitem, non duos seipsis totis discrepantes, quasi ex accidente junctos ; et tamen illic posteriore hac notione sumitur, cum dicimus ἀνδρόγυνον λούεσθαι : nam proxime ac per se intelliguntur duo a se mutuo separati, ac sola loci, et actionis communione conjuncti. Ita θεανδρικὴ actio naturas proxime duas significat, unde, velut ex principio, oritur ; non unam quampiam, sive tertiam ex duabus coagmentatam, et confectam. Atque uti supra[2], cum de naturis ipsis ageremus, ex antiquis theologis observavimus, Christi nomen naturas ambas proxime, et ἀμέσως exprimere : sic θεανδρικὴ ἐνέργεια totidem sui principia, causasque designat, velut fontem geminum, a quo manat, et profluit.

Unus tamen ex omnibus græcis auctoribus, quantum quidem meminisse possum, singulare nomen commentus est, quo utraque natura constantem personam exprimeret, Cæsarius dialogo tertio, in Responsione ad quæstionem 133. ac θέανδρον appellavit : « (1) Unus, *inquit*, ex ambobus, conventu et unitione naturarum, e semper Virgine natus theander. » Verum supposititius est Cæsarius iste, et in plerisque parum probatus.

III. Neque vero, quod singulari declaratur numero, ideo singularem illam ἐνέργειαν esse putandum est. Imo contrarium potius ex duplicis principii ratione concluditur. Siquidem actiones, quod ad essentiam ipsam, et existendi proprietatem attinet, naturas ipsas tanquam causas proprias sequuntur ; uti supra demonstratum est[3]. Quare duplex erit actio, ut est principium, et causa duplex ; sed hoc paulo post enucleatius exquiremus. Nunc de Dionysii sententia, uti proposui, deque fraude Monotheletarum in ea tractanda pergam dicere.

Pyrrhus Constantinopolitanus episcopus, in tomo quodam dogmatico *de Voluntate et operatione*, animadvertebat, Cyrum ejusdem, quam ipse propugnabat, pene auctorem hæresis, ab Sophronio jure fuisse reprehensum, quod immutare Dionysii verba ausus esset, ac pro καινήν τινα τὴν θεανδρικὴν ἐνέργειαν, hoc est *novam quamdam Deivirilem operationem*, μίαν τινὰ, id est *unam*, substituisset. Atque hoc Pyrrhus excusans, negat « (2) malo animo esse factum. » Quippe non aliter novam intelligi posse, quam si una statuatur. Cum enim extremorum remotione Dionysius illam exprimat, ac neque hominis solius, neque Dei solius esse confirmet, hac ipsa inter utrumque positæ et interjectæ proprietatis affirmatione, unam prorsus unius actionem Christi designari Pyrrhus asserit. Cujus insulsa, et inepta ratiocinatio cum in superioribus explosa est, tum rursus postmodum refelletur. Ceterum illud Pyrrhi de Cyro dictum, quod in sexta Synodo commemoratum est, antea in synodo Lateranensi[4] sub Martino papa recitatum, et confutatum fuerat. Et extat illa Cyri fraus in anathematismo, sive canone septimo ex novem illis, quos Alexandriæ publicavit in actione 13. synodi sextæ, pagina 218.

IV. Ut autem sanus omnis illorum, et catholicus τῆς θεανδρικῆς ἐνεργείας sensus ab hæretica

(1) CÆSAR. tomo 11. bib. PP. pag. 640. E. Ἀλλ' εἷς ἐξ ἀμφοῖν τῇ συνόδῳ, καὶ ἑνώσει τῶν φύσεων, ὁ ἐκ τῆς ἀειπαιδὸς τεχθεὶς θεάνδρος.

(2) In Syn. 6. tom. 5. Conc. pag. 221. E. Οὐ κακούργως μᾶλλον, μὴ γένοιτο, κατά γε τὸν ἐμὸν λόγον, ἀλλ' ὡς οὐκ ἂν ἄλλως τῆς καινῆς ἢ μιᾶς δυναμένης τῆς τοιᾶσδε παρὰ τοῦ ἁγιωτάτου Κύρου φωνῆς ἐντεθείσης. Τῇ γὰρ ἀποφάσει τῶν ἄκρων μίαν φύσιν ὁ θεῖος διδάσκαλος κατάφασιν ποιησάμενος, καὶ ταύτην μοναδικῶς ἐκφωνήσας τι ἄλλογε εἰ μίαν ὁμολογεῖν ἐνέργειαν ὡς ἑνὸς τοῦ Χριστοῦ καθ' ὁντιναοῦν λόγον σαφῶς παραδέδωκεν.

[1] § 5. — [2] Lib. 1. c. 9. § 15. — [3] Hoc lib. cap. 2.

[4] Secret. 3. tom. 4. Concil. p. 697. et Secret. 4. pag. 701.

fraude secretus, et sincerus appareat, diligenter est recolenda varietas operationum, quam in Christo triplicem theologi veteres agnoverunt. Cujus differentiæ ratio ex triplici vocum proprietate petitur, quæ de Christo in sacris libris usurpantur: quas Cyrillus Alexandrinus notavit in epistola ad Acacium Melitenensem episcopum. Etenim « (1) aliæ sunt voces, *ait*, quæ divinæ maxime conveniunt, aliæ quæ in humanam naturam congruunt, aliæ medium quemdam ordinem tenent, ac Dei filium pariter, et hominem simul, et eadem significatione comprehendunt ; » quarum omnium exempla subjicit. Divinitati soli tribuitur vox illa Christi [1], *Ego in Patre, et Pater in me est ;* humanitatis vero propria hæc est [2], *Quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum.* Porro communes sunt, quæ naturam utramque significant : ut illa [3], *Jesus Christus heri et hodie, et ipse in secula.* Hujusmodi autem voces, ac locutiones, quæ privatim divinæ, aut humanæ naturæ assignari dicuntur, non sic intelligendas esse Cyrillus docet, ut quasi diversis, ac seorsim positis attribuantur : sed ut in unum eumdemque Deum, et hominem Christum sub diversa ratione conferantur. Itaque in anathematismo quarto, Nestorium damnavit, quod voces illas singularum naturarum proprias, non uni et eidem pro indiviso deferret ; sed personas itidem ut naturas dirimeret.

Hanc eamdem esse rationem τῶν ἐνεργειῶν, id est *operationum*, affirmat Sophronius Hierosolymitanus in epistola synodica ad Sergium, quæ in actione undecima sextæ Synodi continetur [4]. Siquidem nonnullæ sunt, quas per solam divinam naturam Christus operatur ; ut est mundi creatio, et conservatio : aliæ sunt soli humanæ naturæ peculiares, velut edere, bibere, flere, pati. Aliæ denique sunt mistæ, in quibus agit utraque natura; ut cum solo attactu curabat ægros, vel mare pedibus ambulando calcabat. In istis enim partim divinum aliquid inest, partim humanum.

V. Ad hoc tertium genus mistarum, et communium operationum refert Sophronius θεανδρικὴν ἐνέργεια Dionysii. « (2) Hanc habere vim, *ait*, dicimus communem illam, quæ Deivirilis vocatur, operationem : quæ non una est, sed diversi generis, ac discrepans : quam quidem ex Areopago ab divino Apostolo divinitus captus Deiloquus nominavit Dionysius : utpote quæ divinum simul, et humanum aliquid complexa sit, et elegantissime composita nuncupatione singularum essentiam, et naturam perfecte significet. »

Maximus quoque martyr in scholiis ad epistolam quartam Dionysii, ubi θεανδρικὴ ἐνέργεια primum est appellata, diserte asserit, hac voce solam comprehendi a Dionysio τὴν μικτὴν ἐνέργειαν, id est *mistam*, « (3) tanquam ex Deo et viro complexam. » Quod exempla præterea ab eo allata demonstrant. Sed non est omittendum, ibidem Maximum triplex genus operationum Christi, perinde ac Sophronium, et alios, explicasse sic : et ex his unum genus appellasse θεανδρικόν. « (4) Siquidem alias, *inquit*, tanquam Deus solum operatus est, quando centurionis puerum sanavit absens. Alias tanquam homo solum, quamvis esset et Deus, quando comedebat, et tristabatur. Mistim vero, et communiter operatus est miracula, cum et cæcis inunctione oculos sanos reddidit, et sanguine profluentis fœminæ solo tactu profluvium compescuit. » Harum trium operationum postremam solam designari ab Dionysio voce illa θεανδρικῆς arbitratur Maximus.

VI. Joannes vero Damascenus libro tertio, capite 15. triplicem illam ἐνέργειαν Christi exemplo declarat hominis ex anima et corpore constantis. Est enim operatio mentis propria solius, quæ est simplex, et habitudinem nullam ad corpus habet ; ut cum motiones suas intra se concipit, nec eas foras emittit. Alia est operatio, quam mens eadem per corpus exercet, ut cum interiorem sensum animi

(1) CYRILL. tom. 5. par. 2. epist. pag. 117. B. Αἱ μὲν γάρ εἰσι τῶν φωνῶν ὅτι μάλιστα θεοπρεπεῖς· αἱ δὲ οὕτω πάλιν ἀνθρωποπρεπεῖς· αἱ δὲ ὅτι μάλιστα μέσην τινὰ τάξιν ἐπέχουσιν, ἐμφανίζουσαι τὸν Υἱὸν Θεὸν ὄντα, καὶ ἄνθρωπον, ὁμοῦ τε καὶ ἐν ταὐτῷ.

(2) SOPHRON. act. 11. Syn. sex. pag. 173. Ταύτης δέ φαμεν τῆς δυνάμεως, καὶ τὴν κοινὴν καὶ θεανδρικὴν λεγομένην ἐνέργειαν, οὐ μίαν ὑπάρχουσαν, ἀλλ᾽ ἑτερογενῆ, καὶ διάφορον, ἣν ὁ ἐξ Ἀρείου πάγου Παύλῳ τῷ θείῳ θείως ζωγρηθεὶς θεηγόρος Διονύσιος ἔφησεν. Ὡς τὸ θεοπρεπὲς ἐν ταὐτῷ, καὶ ἀνθρώπινον ἔχουσαν, καὶ διὰ τῆς χαριεστάτης τε, καὶ συνθέτου προσρήσεως τὴν ἑκάστης οὐσίας, καὶ φύσεως ἑκάστην ἐντελῶς δηλοῦσαν ἐνέργειαν.

(3) MAXIM. Dion. pag. 312. Οἷον Θεοῦ, καὶ ἀνδρὸς συμπεπλεγμένην, etc. Νῦν δὲ τὴν μικτὴν ἐνέργειαν μόνην θεανδρικὴν ἐκάλεσεν.

(4) Ibid. Ἐνήργησε μὲν γὰρ, ὡς Θεὸς μόνον, ὅτε ἀπὼν τὸν τοῦ ἑκατοντάρχου παῖδα ἰάσατο. Ὡς ἄνθρωπος δὲ μόνον εἰ καὶ Θεὸς ἦν, ἐν τῷ ἐσθίειν, καὶ λυπεῖσθαι. Μικτῶς δὲ ἐνήργησε τὰ θαύματα, τυφλοῖς ὀφθαλμοὺς διὰ χρίσεως δημιουργῶν, καὶ τῆς αἱμοῤῥοούσης, τῇ ἁφῇ συστέλλων τὴν ῥύσιν.

[1] Joan. 14. 11. — [2] Jo. 8. 40. — [3] Hebr. 13. 8.

[4] Tom. 5. Conc. pag. 173. E.

lingua et sermone profert. Hic enim mens communem cum corpore habet actionem : ita ut illius propria sit rerum notitia, quæ sermone continetur : corporis vero, sed anima præditi, et ab ea moti, peculiaris est actio, tactus, et externa molitio. Ita deinde in Christo Domino contigisse refert; ut divinitatis quidem propria esset operatio mirabilium rerum, velut sanationum effectio : humanæ vero naturæ, locutio, contactus, et hujus generis alia, quæ per corpus, velut instrumentum, agebantur. Ita Joannes Damascenus, cujus posterior ἐνέργεια ad tertiam illam proxime commemoratam ex Maximo refertur, quam mixtam, et ab utraque natura profectam intelligimus, quam proprie θεανδρικὴν esse Dionysianam idem ille cum Sophronio putat. Rursus Joannes Damascenus observat, ἐνέργειαν interdum significare motionem ipsam, sive progressionem naturæ, vel naturalis facultatis ad actum, quæ proprie actio dicitur : alias pro ipsa sumi operis expletione. Quod in libro de sacrosancta Trinitate, qui inter opera Cyrilli editus est, legitur, quem quidem librum majori ex parte decerptum fuisse ex Joanne Damasceno, superius admonuimus. In ejus ergo libri capite 19. ita scriptum est : « (1) Naturalis operatio est facultatis, quæ inest in natura, progressio ad operis cujuspiam expletionem; quæ esse habet in effectione ipsa : sicut facultas in eo, quod apta est natura, et potest agere. Dicitur et operatio ipsa operis absolutio, et effectum ipsum ; reique perfectio, ipsamet actio. Hoc secundum significatum ἐνεργείας accommodandum est vocabulo θεανδρικῆς. » Non minus autem opere in ipso, et effecto, quam in motione, et effectione discrimen agentis utriusque naturæ, proprietasque discernitur, ut postea dicam.

VII. Equidem θεανδρικῆς ἐνεργείας appellationem latius arbitror patere, quam ut tertio illa mistarum operationum genere circumscribenda sit. Et, ut facilius quod volo capiatur, atque ut nova illa, et præcipua in Christi operationibus ratio, quoad potest, illustretur, radix ejus et origo nobis intuenda est, hoc est naturarum duarum conjunctio, sive ἕνωσις, et συμφυΐαν. De qua Basilius in homilia 25. de natali Christi, ubi unitionis illius excellentiam, quæ in Christo inest cum humana natura divinitatis, exponens, ad ἐνεργείας ejusdem dignitatem singularem contemplandam lucem nobis præfert his verbis : « (2) Deus, *inquit*, in carne, non ex intervallis operans, ut in prophetis ; sed cohærentem sibi humanitatem, unitamque velut propriam obtinens, ac per cognatam nobis carnem suam, humanum ad sese genus reducens. » Et Gregorius Nyssenus in libro quarto adversus Eunomium, affirmat, « (3) propter connexionem, et cohærentiam naturarum istarum, quæ singularum propria sunt, ambarum fieri communia. » Ac naturarum quidem primario, et per se unitio est ista, qua in unum aliquid tertium, et singulare, compositumque nectuntur ; quod ex ambarum coagmentatione fit : et est hypostasis ipsa, sive persona ex duabus, et in duabus naturis subsistens ; quæ res in libro tertio plenissime est exposita multis capitibus[1].

VIII. Sed utrum operationes quoque illa eadem unitione copulentur, et unum aliquid fiant, id vero dubium videri potest, et est quæstione dignum. Etenim Maximus martyr in disputatione cum Pyrrho prorsus inficiari videtur, unam τῇ ἑνώσει ἐνέργειαν esse. Quippe Pyrrhus unicam suam operationem in Christo quoquo modo stabilire cupiens, eo demum disputando compellitur, « (4) ut quam unam statuit divinitatis Christi, et humanitatis operationem, non ratione naturæ inesse velit, sed unitionis modo. » Contra quod late Maximus argumentando disputat. Veluti quod si ex unitione accessit illi operatio, consequens sit ante unitionem operationem in illo fuisse nullam. Item, neque Patris, ac Spiritus sancti esse operationem aliquam, quoniam neuter carnem suscepit. Ad hæc operationem illam ex unitione factam nec creatam, nec increatam

(1) Cyrill. de Trinit. tom. 6. pag. 252. C. Ἐνέργεια φυσική ἐστιν ἡ τῆς ἐνοικούσης τῇ φύσει δυνάμεως πρόβασις εἰς ἔργου τινὸς ἐκπλήρωσιν, ἥ τις ἐν τῷ ἐνεργεῖν ἔχει τὸ εἶναι, καθὼς ἡ δύναμις ἐν τῷ πεφυκέναι, καὶ δύνασθαι. Λέγεται πάλιν ἐνέργεια καὶ ἡ τοῦ ἔργου ἐκπλήρωσις, αὐτὸ τὸ ἐνεργητὸν, ὁ τοῦ πράγματος ἀποτελεσμὸς, ἡ πρᾶξις αὐτή. Τοῦτο δὴ τὸ δεύτερον σημαινόμενον τῆς ἐνεργείας προσαρμοστέον τῇ θεανδρικῇ.

(2) Basil. tom. 1. pag. 586. E. Θεὸς ἐν σαρκὶ, οὐκ ἐκ διαλειμμάτων ἐνεργῶν, ὡς ἐν τοῖς Προφήταις, ἀλλὰ συμφυῆ, ἑαυτῷ τὴν ἀνθρωπότητα, καὶ ἡνωμένην κατακτησάμενος, καὶ διὰ τῆς συγγενοῦς ἡμῶν σαρκὸς αὐτοῦ πρὸς ἑαυτὸν ἐπανάγων τὴν ἀνθρωπότητα.

(3) Greg. Nyss. lib. 4. cont. Eun. pag. 161. D. Ὡς διὰ τὴν συνάφειάν τε, καὶ συμφυΐαν κοινὰ γίνεσθαι τὰ ἑκατέρας ἀμφότερα.

(4) Maxim. in disput. cum Pyr. pag. 700. A. in calce tomi 8. Baron. Μίαν λέγοντες ἐνέργειαν τῆς θεότητος τοῦ Χριστοῦ, καὶ τῆς κατ' αὐτὸν ἐνανθρωπήσεως, οὐ λόγῳ φύσεως ταύτην προσεῖναι αὐτῷ φαμεν, ἀλλ' ἑνώσεως τρόπῳ.

[1] Vide c. 5. et seq.

fore, ut supra capite septimo disseruimus.

Martinus quoque papa in Lateranensi concilio[1], unam Deivirilem operationem propter unitionem asseverari vetat, ne ante unitionem duas habuisse Deum Verbum fateamur, quæ unitione in unam, eamdemque coaluerint.

Sed nihilominus operationes ipsas unitas esse, ut et naturas, gravissimi asserunt theologi. Joannes certe Damascenus in libro tertio, capite 15. id aperte prædicat ita scribens : « (1) Ut enim naturas unitas cognoscimus, propter mutuum in se invicem incursum, neque tamen illarum discrimen inficiamur ; sed eas numeramus, et indivisas agnoscimus : sic etiam voluntatum, et operationum conjunctionem novimus, et differentiam tamen earumdem profitemur, et numeramus, et divisionem non inducimus. »

Et qui Cyrilli nomen ementitur liber de Trinitate, capite 19. « non confundi naturales operationes » docet « utriusque naturæ, etsi θεανδρικαὶ dicantur ; sed summam et arctissimam unitionem illarum ista voce describi : » cujus græca verba postea referam.

Potest ad idem probandum accommodari Lateranensis concilii sub Martino papa canon decimus[2] ; in quo « duas unius, ejusdemque Christi voluntates cohærentes unitas esse » decernit. Voluntatis autem nomine etiam actiones ipsas volendi comprehensas esse supra docuimus.

Addunt insuper iidem illi veteres fructum alterum unitionis illius, et effectum, nempe θέωσιν, id est *deificationem* humanæ operationis, quæ ex divinæ commercio in eam est provecta.

IX. Verum qui illos ipsos accurate legerit antiquos Patres, eorumque locos, in quibus unitionis illius meminerunt, statim intelliget quantum inter hos, et hæreticos distet, et quam dissimili mente, ac sensu ἕνωσιν illam utrique sint interpretati. Siquidem Catholici sic unitas esse ambas ἐνεργείας affirmant, ut μίαν esse, id est *unam*, et singularem negent ; imo vero duas esse constanter affirmant. Ita Joannes Damascenus capite illo decimo quinto libri tertii, ut naturas duas, sic operationes esse totidem dicit, necnon Maximus in disputatione cum Pyrrho[3], et in epistola ad Nicandrum.

In quo valde illud observare theologus debet, sic ἐνεργείας ex Patrum opinione conjungi, et uniri, quomodo naturæ ipsæ copulantur. Hæ vero non in unam naturam coeunt, nec eam efficiunt junctione sua. Nam duæ omnino post unitionem manent. Solam igitur hypostasim, et personam compositæ inter se faciunt unam : ut in tertio libro diligenter exposuimus. Ad eumdem itaque modum ἐνέργειαι duæ naturarum individuæ comites sic inter se conjunguntur, ut non unam aliquam ac tertiam ἐνέργειαν constituant ex utraque coagmentatam. Hoc enim ne cogitando quidem adumbrari potest. Sed in uno supposito, sive persona conveniunt, et eatenus unum censentur, quod ab uno proficiscuntur. Ita in libro de Trinitate, capite 19. qui sub nomine Cyrilli editus est, scriptum legitur sic : « (2) Qui θεανδρικὴν dixit operationem, eo ipso, quod singulari numero illam concepit, ostendit duas operationes unum esse conventione, neque revera esse discretas. Cum autem Deivirilem nominavit, hoc est divinam pariter et humanam, naturalem operationum differentiam etiam post unitionem indicavit. »

Sic Joannes Damascenus operationum ἕνωσιν naturarum unitioni consentaneam esse declarat his verbis : « (3) Quemadmodum caro ita deificata est, ut propriæ naturæ mutationem nullam passa sit, eodem modo et voluntas, et operatio deificatæ sunt quidem ; non tamen proprios limites excesserunt. Etenim unus est, qui hoc est et illud, atque hoc et illo modo, divino scilicet, et humano, vult, et operatur. » Vide et caput decimum septimum libri ejusdem tertii.

X. Quocirca catholici doctores unam numero dici operationem Christi minime sunt passi :

(1) DAMASC. lib. 3. cap. 15. pag. 230. fin. Ὥσπερ γὰρ τὰς φύσεις ἡνωμένας γινώσκομεν τὴν ἐν ἀλλήλαις ἐχούσας περιχώρησιν, καὶ τὴν τούτων διαφορὰν οὐκ ἀρνούμεθα· ἀλλὰ καὶ ἀριθμοῦμεν, καὶ ἀδιαιρέτους ταύτας γινώσκομεν· οὕτω καὶ τῶν θελημάτων καὶ τῶν ἐνεργειῶν καὶ τὸ συναφὲς γινώσκομεν, καὶ τὸ διάφορον ἐπιγινώσκομεν, καὶ ἀριθμοῦμεν, καὶ διαίρεσιν οὐκ εἰσάγομεν.

(2) CYRIL. tom. 6. pag. 25. Ὁ τοίνυν θεάνδρικὴν φήσας ἐνέργειαν, διὰ μὲν τῆς ἑνικῆς προφορᾶς, τὸ τὰς δύο ἐνεργείας ἓν εἶναι τῇ συνελεύσει, καὶ μὴ διακεκρίσθαι ταύτας πραγματικῶς δεδήλωκεν. Ἐν δὲ τῷ εἰπεῖν θεανδρικὴν, τὸ τῶν ἐνεργειῶν τῇ φύσει διάφορον καὶ μετὰ τὴν ἕνωσιν ἔδειξεν.

(3) DAMASC. lib. 3. cap. 15. pag. 231. Ὃν τρόπον γὰρ ἡ σὰρξ καὶ τεθέωται, καὶ μεταβολὴν τῆς οἰκείας οὐ πέπονθε φύσεως, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τὸ θέλημα, καὶ ἡ ἐνέργεια καὶ τεθέωνται, καὶ τῶν οἰκείων οὐκ ἐξίστανται ὅρων. Εἷς γὰρ ἐστὶν ὁ τοῦτο κἀκεῖνο ὢν, καὶ οὕτω κἀκείνως, ἤτοι θεϊκῶς καὶ ἀνθρωπίνως θέλων, καὶ ἐνεργῶν.

[1] Secret. 3. tom. 4. Conc. p. 695. A. 1.

[2] Consult. 5. p. 733. — [3] Pag. 700.

sed duas prorsus esse voluerunt, quæ in unum eatenus convenerint, quod unus esset, idemque operator utriusque, Christus Deus et homo. At hæretici Monotheletæ, quorum animos Monophysitarum error occuparat, uti naturam unam ex duabus complexam, et conflatam tacite Christo tribuebant, sic unam, et singularem illius operationem amplexi sunt. Cui illorum amentiæ ideo Patres intercesserunt; unam esse negando, duas et distinctas asseverando.

Est ejusdem Joannis Damasceni locus insignis in capite decimo nono tertii libri, qui rem istam accurate declarat. « (1) Beatus, *inquit*, Dionysius novam quamdam Deivirilem operationem Christum egisse dicens, non hoc significare voluit, sublatis naturalibus operationibus, unam aliquam ex humana et divina operationem esse factam. Etenim quorum una est operatio, horum et substantia est una, ut docent sancti Patres. »

Proinde vox illa θεανδρικὴ non unitatem actionis, velut ex una profectæ natura composita significat, ut stulte nugati sunt hæretici; sed ἐνεργειῶν ambarum summam, et arctissimam copulationem, salva utriusque proprietate, ac naturali differentia; ut in naturis ipsis usuvenit: ut non alia sit, quam principii, et originis conjunctio, quatenus idem est, qui utraque operatione fungitur.

XI. Ac sunt quatuor modi communionis illius τῶν ἐνεργειῶν, apud antiquos usitati, qui nominis istius τῆς θεανδρικῆς notionem et proprietatem explicant. Primus est περιχώρησις, secundus ἀντίδοσις, tertius ἔνδοσις, quartus συνέργεια. Priores duos nominatim appellat Maximus martyr in disputatione cum Pyrrho [1]: cujus totidem verba transcripsit Joannes Damascenus in capite illo decimo nono, quod proxime citavimus: ubi ex naturarum περιχωρήσει, hoc est *mutua in se invicem revolutione*, ac *commeatione*, parem τῶν ἐνεργειῶν habitudinem ait existere, necnon communicationem, et quasi permutationem, qua utramvis naturam denominant, quam ἀντίδοσιν vocant. De utraque luculenter egimus in libro quarto capite 13. et 14.

Ad hæc Maximus idem in libro de Duabus voluntatibus, apud Euthymium [2], περιχώρησιν illam, et ἀντίδωσιν familiari græcis theologis illustrat exemplo candentis et præacuti ferri, quod simul adurit et secat; ita ut ambæ actiones istæ secum invicem permistæ sint, et junctim ac communiter ex utraque ignis et ferri natura prodeant. De qua similitudine agemus capite sequenti.

Tertium modum appellavimus ἔνδοσιν, quem Joannes Damascenus aliique Patres exponunt sic, ut divina natura humanam regens, ei, quæ propria erant, et naturæ consentanea, pati vel agere concesserit; velut esurire, tristari, emori.

Quartus est κατὰ συνέργειαν, cum divinitas non solum permisit humanæ Christi naturæ quæ mere humana erant tolerare, vel facere, sed communiter etiam cum illa est operata. Cujusmodi sunt mixtæ illæ, quas supra commemoravimus, actiones [3], quæ ab ambabus naturis profectæ sunt, ut in stupendis operibus, et miraculis accidit.

XII. Verum ad istos quatuor, quemdam alium addi posse arbitror longe omnibus excellentiorem, et θεανδρικῆς ἐνεργείας appellationi congruentiorem modum: quique θέωσιν, id est *deificationem* humanæ cujuscumque operationis Christi plenius, ac perfectius declarat. Is autem ex personali Verbi proprietate petitur: quæ eadem et humanæ naturæ communicata, propria fit ejus forma, eamque determinat, et hoc tribuit, ut in rerum natura subsistat, ac sit *actu* substantia, et quod sibi consentaneum est operetur. Etenim nulla, nisi subsistens, agit natura quippiam, ac prius definiri et terminari illam oportet, certaque consistendi proprietate devinciri, quam functionem ullam præstare possit. Itaque personalis proprietas, quem τρόπον τῆς ὑπάρξεως hoc est *existendi* modum a græcis Patribus nominari alibi notavimus, etsi per se, et præcise loquendo non sit efficax, et actuosa, eam tamen vim habet, ut naturam afficiens, et, ut dixi, complens ac terminans, eamdem ad agendum instructam, et idoneam reddat. Ex quo illud oritur, ut quælibet actio Christi divina sit, etiam illa, quæ mere est ἀνθρωποπρεπὴς, et alioquin indigna Deo, quatenus humanitas eam exercere vel perpeti, nisi divina Verbi proprietate, tanquam forma, completa determinataque, non posset.

XIII. Huc omnes illæ veterum sententiæ

(1) DAMASC. lib. 3. cap. 19. pag. 255. Ὁ μακάριος Διονύσιος, καινήν τινα θεανδρικὴν ἐνέργειαν φήσας τὸν Χριστὸν ἡμῖν πεπολιτευμένον, οὐκ ἀναιρῶν τὰς φυσικὰς ἐνεργείας μίαν ἐνέργειαν ἔκ τε τῆς ἀνθρωπίνης, καὶ τῆς θείας γεγενημένην φησίν, etc. ὧν γὰρ ἐνέργεια μία, τούτων καὶ ἡ οὐσία μία κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας.

[1] Max. disp. cum Pyr. pag. 702. E. et 703.

[2] Euth. Pan. Tit. 18. p. 657. Lat. — [3] § 4.

spectant, et ex eo interpretandæ sunt, quæ humanam naturam et ἐνέργειαν Christi Domini idcirco deificatas esse docent, quod cum Deo Verbo copulatæ sunt, et ejus propriæ factæ; natura quidem per se, et, ut loquuntur, *formaliter*, affecta divini Verbi proprietate; hoc est natura ipsamet divina, qua est in Verbo, et ejus peculiari modo subsistendi, quasi forma, terminatur, et completur. Siquidem persona non est sola proprietas, vel relatio; sed natura ipsa modificata, definitaque personali σχέσει: quæ propterea naturam assumptam afficere, complere, et in seipsam quodammodo transferre dicitur, nulla ejus mutatione facta, sed οὐσιώδει, id est *substantivo* nexu, divinum ad statum provecta; ἐνέργεια vero, quod ex illa hypostasi, quæ divina, et Deus est, tanquam causa, et principio proficiscitur.

Sic Maximus in epistola ad Nicandrum Cypri episcopum, « (1) tum carnem ipsam esse Deum » affirmat : « tum ejus substantivam operationem esse divinam, propter unitionem cum Verbo, qui natura Deus est. » Unde « (2) naturales etiam operationes eadem unitione per totum inter se copulari » dicit. Et falso inscriptus Cyrilli nomine liber de sacrosancta Trinitate, « (3) θεανδρικὴν ἐνέργειαν non significare *ait* naturalium operationum confusionem; sed summam illarum conjunctionem; necnon humanam operationem esse deificatam. »

Ita Joannes Damascenus libro tertio, capite decimo nono, Dionysii verba illa, quibus asserit Christum humana non humano more gessisse, neque divina secundum Deum solum; ubi τῶν ἐνεργειῶν conjunctionem explicat; hoc modo declarat, quod neque merus homo, neque merus esset Deus, sed homo simul, et Deus. Tum addit, « (4) Nam ut naturarum et unitionem, et naturalem differentiam agnoscimus, ita etiam naturalium voluntatum, et operationum. »

Hinc apparet quemadmodum humanæ omnes actiones Christi deificatæ, divinæque fuerint, intima quadam, et naturali, proprieque dicta ratione : non solum propter qualemcumque cum Deo Verbo conjunctionem, et naturarum inter se mutuam commeationem, vel proprietatum communionem : sive quod humana natura auctore ac moderatore Deo ita gubernabatur, nihil ut sine ipsius nutu prorsus ageret; verum eo maxime, quod agendi vim et potentiam ab divina persona, tanquam ab forma determinante, et perficiente, et ultimum substantiæ complementum adhibente caperet, sine quo nec existere in rerum natura, nec operari omnino potuisset; ex quo factum est, ut operationes omnes hominis propriæ, divinæ censerentur, vereque θεανδρικαί.

XIV. Versatur autem hoc in loco peculiaris quædam, neque satis expedita quæstio de actionum genere illo, quod *mistum* appellari supra notavimus[1]; in quo humana simul cum divina concurrit operatio, ut in miris operibus, quæ per corpus, actionesque corporis proprias Deus egit in Christo : veluti cum tactu, vel voce sanitatem aut vitam repræsentavit ægris, et mortuis : quod genus θεανδρικὸν proprie vocari ab antiquis diximus : utpote in quo duplex aperte inest operatio, divina, et humana; quæ ambæ inter se copulantur, et concurrunt ad ejusdem effecti partim humani, partim divini molitionem; siquidem tactio humanæ naturæ, et ἐνεργείας fuit, sive voluntas ipsa, et locutio; at mortui hominis excitatio, quæ per humanas ἐνεργείας istas est effecta, divinæ operationis extitit : de quo sequenti capite pluribus. Jam vero ἐνέργεια illa, sive operatio divina, non videtur secundæ personæ, quæ naturam assumpsit humanam, id est Verbi, esse propria, sed toti communis Trinitati. Etenim in operatione divina duo spectantur : alterum ejus ipsa substantia, quæ eadem prorsus est ac Dei substantia : alterum externa illius effectio, quæ creata res est, et in tempore facta : ut alibi docuimus[2]. Atqui neutrum peculiare Verbo in Christo est operanti; sed tribus commune personis, siquidem et natura ipsa trium est, et opus effectum. Quinam ergo θεανδρικὴ dicetur actio Christi ab Verbo, et homine profecta? An non Trinitatis potius, et humanitatis jure censenda veniet?

(1) Maxim. apud Euth. in Panop. tit. 18. pag. 633. lat. Ὡς ἥ τε σὰρξ, Θεὸς, καὶ ἡ κατ' αὐτὴν οὐσιώδης ἐνέργεια, θεία τῇ πρὸς τὸν φύσει Θεὸν Λόγον ἑνώσει γεγέννηται.

(2) Ibid. Αὗται μὲν γὰρ διὰ τὴν ἕνωσιν, καὶ τὴν πρὸς ἀλλήλας δι' ὅλου τῶν φυσικῶν ἐνεργειῶν συμφυΐαν εὐσεβῶς παρ' αὐτῶν ἐκηρύχθησαν.

(3) Cyril. tom. 6. lib. de sacros. Trin. cap. 19. pag. 25. Ὅθεν θεανδρικὴν ἐνέργειαν ὁ εἰπὼν, οὐ σύγχυσιν ταῖς φυσικαῖς ἐνεργείαις εἰσήγαγεν, ἀλλὰ τὴν εἰς ἄκρον αὐτῶν παρέστησεν ἕνωσιν, καὶ τὸ τεθεῶσθαι τὴν ἀνθρωπίνην ἐνέργειαν.

(4) Damasc. lib. 3. cap. 19. pag. 255. Ὥσπερ γὰρ τῶν φύσεων καὶ τὴν ἕνωσιν, καὶ τὴν φυσικὴν διαφορὰν ἐπιστάμεθα, οὕτω καὶ τῶν φυσικῶν θελημάτων τε, καὶ ἐνεργειῶν.

[1] § 1.

[2] Tom. 1. de Deo lib. 5. cap. 11.

Quod si trium personarum divina in Christo communis est operatio, nonne incarnata, id est unita carni, Trinitas ipsa videri poterit? Quippe superius ostensum est, eamdem operationum esse conjunctionem, quæ est naturarum. Ex quo sequitur, naturam ipsam Dei, qua tribus personis divinis convenit, ut operatur cum humana natura, sic cum ea copulari, et uniri.

XV. Ut huic occurramus argumento, repetendum est memoria quod paulo ante significavimus[1], personam divinam ex duobus constare, natura, et σχέσει, sive *relatione*, nec alterutram dici solam oportere : imo vero naturam ipsam ad illius τὸ τί ἦν εἶναι, id est *conceptum*, ut vocant, et *rationem*, sive *definitionem* magis pertinere, quam habitudinem, sive proprietatem. Definitur enim *rationalis naturæ individua substantia;* vel, ut veteres arbitrati sunt, *prima, et singularis substantia*, ut in quarto de Trinitate libro pluribus demonstravimus. Porro substantiæ primæ magis intima est ratio ipsa substantiæ, quam *singularitas*, ut sic loquar, sive proprius subsistendi modus.

Siquidem nihil rei ulli tam insitum, tamque intestinum est, quam essentia. Est autem personæ essentia, natura ipsamet, non personalis proprietas, quæ in divinis personis est relatio. Igitur cum persona Verbi humanæ naturæ conjungi dicitur, non aliud intelligimus, quam naturam divinam cum ea copulari, non absolute, præciseque sumptam, sed quatenus determinata est, et modificata personali Verbi proprietate. Eodem modo divinitatis attributa omnia, etiam absoluta, et communia personis tribus, cum eadem humanitate junguntur. Quare ipsa quoque ἐνέργεια, et operatio divina, secundum interiorem substantiam, et ut est in Deo considerata, et proprietate modificata Verbi, ad humanam naturam applicatur, et fit ei peculiaris, ac θεανδρικὴν ἐνέργειαν Christi propriam efficit, quæ perinde ex operatione illa divina, per congruentem Verbo subsistendi modum definita, et determinata, atque ex humana functione componitur; ut ex utraque natura persona ipsa Christi, quam compositam esse supra docuimus. Ut autem natura divina humanæ Christi naturæ conjungitur; nec ex eo sequitur, totam ipsam Trinitatem uniri, etsi tota ipsa natura Trinitatis cum illa societur : sic operatio toti communis Trinitati cum humana operatione committitur : non tamen eodem modo, operari Trinitas ἐνεργείας θεανδρικάς dicitur, quo Verbum ipsum ; eo quod non ut personis communis est tribus, sed ut proprietate personali Verbi modificata est operatio ista, ad humanam ἐνέργειαν accommodatur. Adjuvant hanc nostram ἐπίστασιν veteres theologi, qui θεανδρικῆς ἐνεργείας modum et rationem explicant similitudine operationis humanæ : quam, si lubet, ψυχοσωματικὴν appellare possumus. In qua mista, et quodammodo composita est ex utriusque partis actione communis ἐνέργεια. Quare uti anima, et corpus non aliter in Socrate communem exercent functionem, quam ut ambo proprie soli conveniunt Socrati : sic θεανδρικαὶ Christi operationes, quæ a Deo et homine geruntur, utrumque principium, a quo manant, ac denominantur, tanquam proprium, et ex illa generali communione determinatum, ac circumscriptum sibi vindicant.

CAPUT UNDECIMUM.

Regulæ quædam, et effata colliguntur ex antiquis, quibus Christi operationes illustrantur : prima est, Operationes omnes Christi unius, et ejusdem operantis esse, qui humana simul egit, et divina. — 5. Secunda regula, Etsi unus sit operans, distinctas inter se tamen operationes esse. — 7. Tertia regula, Non agere separatim naturam unam ab altera, sed conjunctim. — 10. Quarta regula, Tametsi unus sit operans, distinguendum tamen, quid ex quaque natura faciat. Quæ regulæ ex antiquorum placitis explicantur, et illustrantur.

I. Ad pleniorem, facilioremque Christi operationum ambarum tradendam notitiam, visum nobis est ex antiquis collectas theologis certas in unum regulas conferre, quibus ea continentur, quæ aut hactenus de illis exposita sunt a nobis, aut ab iisdem Patribus, et Synodis pronuntiata leguntur.

Harum prima hæc esse debet : Christi ope-

[1] § 14.

rationes, quarum aliæ sunt humanæ, aliæ sunt divinæ, unius et ejusdem operantis esse, qui ut Deus simul et homo est, ita naturæ propria utriusque exequi dicitur. Hoc Hilarius imprimis luculenter in nono libro testatus est [1], quæ ab Leone Papa descripta sunt in epistola ad cognominem Imperatorem [2] : « Natus, *inquit*, unigenitus Deus ex Virgine homo, et secundum plenitudinem temporum in semetipso provecturus in Deum hominem, hunc per omnia evangelici sermonis modum tenuit, ut se filium Dei credi doceret, et hominis filium prædicari admoneret : locutus, et gerens homo universa, quæ Dei sunt; loquens deinde, et gerens Deus universa, quæ hominis sunt. Ita tamen, ut in ipso illo utriusque generis sermone nunquam, nisi cum significatione et hominis locutus, et Dei sit : uno tamen Deo Patre semper ostenso, et se in natura unius Dei per nativitatis veritatem professo, et tamen se Deo Patri et filii honore, et hominis conditione subdente, cum et nativitas omnis se referat ad auctorem, et caro se universa secundum Deum profiteatur infirmam. Hinc itaque fallendi simplices, atque ignorantes hæreticis occasio est, ut quæ ab eo secundum hominem dicta sunt, dicta esse secundum naturæ divinæ infirmitatem mentiantur; et quia unus atque idem est loquens omnia quæ loquitur, de semetipso omnia eum locutum esse contendant. Nec sane negamus totum illum, qui ejus manet, naturæ suæ esse sermonem. Sed si Jesus Christus et homo, et Deus est, et neque cum homo, tum primum Deus, neque cum homo, tum non etiam et Deus : neque post hominem in Deo non totus homo, totus Deus, unum atque idem necesse est dictorum ejus sacramentum esse, quod generis. Et cum in eo secundum tempus discernis hominem a Deo, Dei tum, atque hominis discerne sermonem, et cum Deum, atque hominem in tempore confiteberis, Dei, atque hominis in tempore dicta dijudica. »

II. [3] Ambrosius libro secundo de fide ad Gratianum capite quarto, « Sileant igitur inanes, *inquit*, de sermonibus quæstiones, quia regnum Dei, sicut scriptum est, non in persuasione verbi est, sed in ostensione virtutis. Servemus distinctionem divinitatis, et carnis : unus in utraque loquitur Dei filius, quia in eodem utraque natura est. Et si idem loquitur, non uno semper loquitur modo. Intende in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis passiones, quia quasi Deus loquitur quæ sunt divina, quia Verbum est; quasi homo dicit quæ sunt humana, quia in mea substantia loquebatur. »

Augustinus tractatu 78. in Joannem, « Quid igitur, hæretice? Cum Christus Deus sit et homo, loquitur ut homo, et calumniaris Deo? Ille in se naturam commendat humanam; tu in illo audes deformare divinam? » Et mox : « Agnoscamus geminam substantiam Christi, divinam scilicet, quæ æqualis est Patri, humanam, qua major est Pater. Utrumque autem simul, non duo, sed unus est Christus; ne sit quaternitas, non Trinitas Deus. Sicut enim unus est homo, anima rationalis et caro, sic unus est Christus, Deus et homo : ac per hoc Christus est Deus, anima rationalis, et caro : Christum in his omnibus, Christum in singulis confitemur. Quis est ergo, per quem factus est mundus? Christus Jesus, sed in forma Dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Christus Jesus, sed in forma servi. Idem de singulis, quibus homo constat. Quis non est derelictus in inferno? Christus Jesus, sed in anima sola. Quis resurrecturus triduo jacuit in sepulchro? Christus Jesus, sed in carne sola, etc. » Ergo omnia quæ utrique naturæ contigerunt, aut ab ea facta, tolerataque sunt, uni adscribuntur, eidemque personæ.

III. Hæc Augustini, aliorumque non pauca eodem spectantia Leo papa illa in epistola testimonia posuit. Sed hujus ipsius Leonis celeberrima est, et a latinis græcisque frequenter usurpata Patribus sententia in epistola ad Flavianum, quam hoc loco nefas est omittere. « Agit enim utraque forma cum alterius, *inquit* [4], communione quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis. Et sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recessit, ita caro naturam nostri generis non reliquit. Unus enim, idemque est, quod sæpe dicendum est, Dei filius, et vere hominis filius. Deus per id, quod in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : homo per id, quod Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Deus per id, quod omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil : homo per id, quod factus est ex muliere, factus sub lege. »

Gelasius papa in libro adversus Eutychem

[1] Hil. li. 9. paulo post init. — [2] Epist. 97. c. 3. — [3] Amb. 2. de fide c. 4. tom. 4. col. 138. C.

[4] Leo ep. 16. cap. 4.

et Nestorium [1], docet : « Ita deinceps pariter hunc eumdem Dominum Jesum Christum, et Deum explesse quæ humana sunt ; et hominem gessisse, quæ divina sunt, ut in utroque hunc eumdem unum veraciter existentem omnis confessio Christiana concelebret : sic ad passionem venisse, ut et Deus, et homo verus sit crucifixus, et in cruce pendens, latroni homo Deus verus patefecerit atria paradisi, atque elementa cuncta commoverit : ut Deum hominem verum, mortuum, sepultum ; ut hominem Deum verum, seipsum suscitasse post triduum ; ut hominem Deum, clausis januis coram discipulis constitisse ; ut Deum hominem, manus suas, et pedes, carnem, ossaque monstrasse discipulis ; ut Deum verum hominem, quadraginta diebus ita discipulis fuisse conspicuum ; ut hominem Deum verum, sic in cœlo esse sublatum ; sicque inde promissum esse venturum Deum. »

IV. Apud Euthymium in Panoplia anonymus quidam ex antiquis Patribus, « (1) Duæ, *inquit*, naturæ sunt unus Christus, et unus Christus duæ naturæ. Quare idem est dicere, Operatur Christus in duabus naturis secundum alteram naturam : et, Altera natura operatur in Christo. »

Idipsum creberrime Cyrillus Alexandrinus inculcat omnibus fere in libris, et epistolis, quibus Nestorianam profligavit hæresim, ut et in anathematismis, ubi hoc unum satagit, ut probet Emmanuelem, sive Christum, non in duos esse partiendum, sed unum et eumdem pro indiviso habendum, qui divina pariter, et humana secundum utramque naturam operetur, et in se recipiat. De quo supra in libro maxime sexto, abunde disputavimus ; cujus libri in fine anathematismos etiam exposuimus.

Sophronius Hierosolymitanus patriarcha in epistola synodica ad Sergium : «(2)Emmanuel, *inquit*, unus existens, et simul utraque, Deus et homo, quæ utriusque naturæ propria sunt revera faciebat, secundum aliud atque aliud quæ agebat operans. Nam quatenus Deus erat idem, divina : quatenus idem erat homo, humana moliebatur ; seipsum omnibus ostendere volens eumdem esse Deum, et hominem. Propterea unus et idem divina facit, et humana : similiterque dicit et loquitur, etc. »

Joannes Damascenus libro tertio, capite 14. « (3) Quoniam, *inquit*, una est duarum naturarum ipsius hypostasis, unum eumdemque dicimus esse volentem et operantem naturaliter secundum ambas naturas, ex quibus, et in quibus est Christus Deus noster. » Quod et alias passim, ut in libro de Duabus voluntatibus repetit [2]. « Non ergo alius, sed unus idemque duas operationes exercuit, ait Petrus Damiani [3], et utraque operata est forma vel natura, cum alterius communione, quod proprium habuit. »

Atque hoc illud erat, quo solo contentos oportere esse contendebant hæretici Monothelетæ; nec ulterius inquirendum, exigendumve, uti vel una, vel duæ statuerentur operationes, ut ex Sergii ad Honorium papam epistola liquet [4], necnon ex Heraclii ecthesi [5], et ex aliis similium hæreticorum monimentis.

V. Proxime ab hac ponenda regula est ejusmodi : Quamvis unus sit operans, duas tamen, et diversas operationes esse ; in quo Monotheletarum tenebatur inscitia pariter et amentia, qui ex agentis unitate, actionis ipsius unitatem recte sibi colligere videbantur. At contra res habet : et ita præscribit Leonis epistola, dum ait [6], « Verbo operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est. » Atque hoc requirit appellatio ipsa τῆς θεανδρικῆς ἐνεργείας. « (4) Est enim Deivirilis operatio, ut ait Maximus, divinæ simul operationis, et virilis complexio. » Quippe θεανδρικὴ, sive *Deivirilis, divinam et humanam operationem*, ideoque *duas in unitione* significat : ut argumentatur Martinus papa in Lateranensi concilio [7]. Et Maximus in disputatione cum Pyrrho, hunc

(1) EUTH. tit. 15. pag. 623. lat. Αἱ δύο φύσεις εἷς εἰσι Χριστὸς, καὶ ὁ εἷς Χριστὸς δύο φύσεις. Ταὐτὸν οὖν εἰπεῖν, ἐνεργεῖ Χριστὸς ἐν ταῖς δυσὶ φύσεσι, καθ' ἑκατέραν τῶν φύσεων, καὶ ἐνεργεῖ ἑκατέρα φύσις ἐν τῷ Χριστῷ.

(2) SOPHR. in Syn. 6. act. 11. t. 5. Conc. p. 168. E. Ὁ δὲ Ἐμμανουὴλ εἷς ὤν, καὶ ἐν ταὐτῷ τὰ ἑκάτερα, τουτέστι, Θεός τε, καὶ ἄνθρωπος, τὰ ἑκατέρας ἔδρα, κατὰ ἀλήθειαν φύσεως, κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο ἐνεργῶν τὰ πραττόμενα. Καθὸ μὲν Θεὸς ὁ αὐτὸς τὰ θεῖα· καθὸ δὲ ἄνθρωπος ὁ αὐτὸς τὰ ἀνθρώπινα. Ἑαυτὸν τοῖς πᾶσι δεῖξαι βουλόμενος, ὡς Θεὸς ὁ αὐτὸς εἴη, καὶ ἄνθρωπος. Καὶ διὰ τοῦτο ὁ αὐτὸς τά τε θεῖα ποιεῖ, καὶ ἀνθρώπινα, ὁμοίως καὶ λέγει, καὶ φθέγγεται.

(3) DAMASC. pag. 218. vers. 1. Ἐπειδὴ δὲ μία τῶν δύο φύσεων αὐτοῦ ἡ ὑπόστασις, ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν φαμὲν, θέλοντά τε, καὶ ἐνεργοῦντα φυσικῶς κατ' ἄμφω τὰς φύσεις, ἐξ ὧν, καὶ ἐν αἷς, καὶ ἅπερ ἐστὶ Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν.

(4) MAXIM. in ep. ad Nican. apud Euth. Panopl. tit. 18. lat. pag. 653. Ἡ γὰρ θεανδρικὴ, τῆς τε θείας ὁμοῦ, καὶ ἀνδρικῆς ἐνεργείας ὑπάρχει περίληψις.

[1] Gelas. tom. 4. Bib. PP. 419. D. — [2] Damasc. p. 484. — [3] Opusc. 1. cap. 7. — [4] In Syn. 6. Act. 12. p. 201. C. — [5] In Lateran. Synod. sub Mart. Secret. 4. pag. 697. — [6] Leo ep. 10. cap. 4. — [7] Consult. 3. p. 694. E. 2.

hæreticum unam operationem declarari nomine isto putantem, refellit. « (1) Imo, *inquit*, vox illa quodam circuitu, per enumeratas naturas, operationes ipsarum commendat. Quippe si extrema negentur, nihil est medium in Christo. » Quæ posteriora verba sic intelligenda sunt, ut Christi vocabulo nullam subjici dicat naturam, vel substantiam inter Deum et hominem interjectam, vel ex utroque conflatam : sed proxime significare naturas duas. Quod Maximus idem alibi ita docuit, Christum asserens « esse natura Deum et hominem, nec aliud præterea quippiam : » ut libro tertio supra memoravimus [1].

VI. Atque hoc unitionis ratio ipsa postulat, qua duas operationes inter se copulari capite antecedenti diximus [2]. Non enim conjungi aliter queunt, quam ut duæ sint; nec aliter manere conjunctæ, quam ut duæ maneant : quemadmodum de naturis contra Monophysitas argumentati sumus. « Etenim rerum copulatio manifeste eatenus existit, quoad illarum natura manet, » ut ait Maximus in epistola ad Nicandrum : quem locum attulisse me superius arbitror. Et hoc ipsum multo magis in operationibus, quam in naturis ipsis locum habet. Siquidem operationes non itidem ac naturæ, proprio quodam, et, ut ita loquar, formali nexu, ac vinculo constringuntur; uti naturæ communi subsistendi proprietate : sed velut externo, quatenus ab eodem agente proficiscuntur. Tum propter ἀντίδοσιν, quam mutuam proprietatum communicationem vocant. « (2) Perspicuum est autem, ut ait Maximus in disputatione cum Pyrrho, communicationem istam non unius esse, sed duorum. »

Sic illud etiam, quod Patres affirmant, deificatas esse Christi humanas operationes ex divinitatis consortio, duas et distinctas esse confirmat. Non enim natura sua, et essentia excidit quod deificari dicitur : ut idem Maximus sæpe demonstrat [3] : et post eum Joannes Damascenus [4] : qui (3) θέωσιν affirmat naturæ ac voluntatis, efficacissime, apertissimeque naturarum et voluntatum binarium indicare.

VII. Tertia veterum ex decretis regula ita contexitur : Non agere divisim, ac separatim naturam unam ab altera, sed conjunctim, quod Leo papa verbis istis complexus est [5] : « Agit enim utraque natura cum alterius communione quod suum est. » Quæ Sophronius in Synodica sua epistola græce referens, enarrat sic : « (4) Ut eadem hypostasi tum naturæ, tum operationes contineantur, et detestandam sectionem effugiant. Non enim divisim quæ propria erant operabantur, ut partitionem ullam suspicemur. » Quippe non erant duo Christi, vel Filii, sed unus operator, et effector humilium pariter, ac sublimium operum, ut idem enarrare pergit.

Ephræmius item Antiochenus patriarcha apud Photium, ex communi Patrum sententia idipsum explicat, « (5) Christum verum Deum nostrum neque divinitatis propria, neque propria humanitatis divisim egisse; sed ob unitionem secundum hypostasim, omnia unum et eumdem divina pariter, et humana perfecisse. »

Hanc ipsam rationem ex personæ unitate ductam, Leo papa in epistola 97. posuit : cujus verba Constantinus Pogonatus imperator græce usurpavit in edicto, quod in fine sextæ Synodi legitur [6]. Leonis porro latina sic habent : « Forma autem servi, per quam impassibilis deitas sacramentum magnæ pietatis implevit, humana humilitas est, quæ in gloriam divinæ potestatis evecta est, in tanta unitate ab ipso conceptu Virginis deitate et humanitate conserta, ut nec sine homine divina, nec sine Deo agerentur humana. »

Et in sermone nono de Quadragesima [7] : « Unde licet, *inquit*, ex quo Verbum caro factum est, ita in Christo Dei atque hominis una persona sit, ut in nullis actionibus fiat

(1) Maxim. disp. cum Pyr. pag. 703. A. ΠΥΡ. Οὔτε ἡ θεανδρικὴ μίαν δηλοῖ; ΜΑΞ. Οὐχί· τοὐναντίον γὰρ περιφραστικῶς ἡ φωνὴ διὰ τῶν ἀριθμουμένων φύσεων τὰς αὐτῶν ἐνεργείας παραδέδωκεν· εἴπερ ἀποφάσει τῶν ἄκρων οὐδέν ἐστι μέσον ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ.

(2) Maxim. disp. cum Pyr. pag. 681. E. Πρόδηλον δὲ, ὡς ἡ ἀντίδοσις ἑνὸς οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ δύο.

(3) Damasc. lib. 3. cap. 17. pag. 248. Ἰστέον δὲ ὡς ἡ θέωσις τῆς φύσεως, καὶ τοῦ θελήματος ἐμφατικώτατον, καὶ δεικτικώτατόν ἐστι τῶν τε δύο φύσεων, καὶ τῶν δύο θελημάτων.

(4) Sophron. in 6. Synod. act. 11. pag. 169. Καὶ ταῦτα ἐν ὑποστάσει μιᾷ γνωριζόμενα, καὶ τὴν βδελυρωτάτην τομὴν διωθούμενα. Οὔτε γὰρ διῃρημένως ἐνήργουν τὰ ἴδια, ἵνα καὶ μερισμὸν αὐτῶν ὑποπτεύσωμεν.

(5) Ephræm. apud Phot. cod. 229. pag. 423. Ὅτι γε μὴν Χριστὸς ὁ ἀληθινὸς Θεὸς ἡμῶν, οὔτε τὰ τῆς θεότητος ἴδια, οὔτε τὰ ἴδια τῆς ἀνθρωπότητος διῃρημένως ἔπραττεν, ἑνώσει δὲ τῇ καθ' ὑπόστασιν ἅπαντα ὁ εἷς, καὶ ὁ αὐτὸς τά τε θεῖα, καὶ τὰ ἀνθρώπινα ἐπετέλει, τοὺς θεοφόρους ἡμῶν πατέρας πάλιν παράγει μάρτυρας.

[1] Lib. 3. cap. 9. § 15. — [2] § 8. et 9.
[3] Ut in lib. de duab. vol. apud Euth. in Panopl. Tit. 18. Lat. ed. p. 657.

[4] Apud Euth. ibid. p. 673. quod extat in lib. 3. cap. 17. Dam. — [5] Leo ep. 10. cap. 4. — [6] To. 5. Conc. p. [illegible]. — [7] Cap. 2.

naturæ utriusque divisio, studet tamen Evangelica veritas ipsum, quem Dei filium prædicat, sæpissime filium hominis confiteri : ut quamvis ea, quæ disseruntur, alia sint humanitatis, alia deitatis ; sub nomine tamen filii hominis utraque memorentur : ne fides D. Jesum natum ex Maria virgine, Deum simul, atque hominem creditura, cunctetur fateri aut in Deo humanitatem, aut in homine deitatem ; ut et in Verbo suscepti hominis vera sit humanitas, et in carne suscipientis Dei vera majestas. »

VIII. Sic Joannes Damascenus multis in locis eamdem inculcat regulam, ut in libro tertio, capite 14. ubi propterea quod una est duarum Christi naturarum hypostasis, tum unum esse volentem, et operantem asserit, tum « (1) velle, operarique non divise, sed conjuncte. » Et capite decimo quinto libri ejusdem, eodem ex principio unius ambarum naturarum hypostasis, colligit unum extitisse, cui tam humilia, quam magna et sublimia congruerent. « (2) Nam divina miracula, *inquit*, operabatur divinitas, sed non absque carne : et caro humilia quæque peragebat, sed non citra divinitatem. Siquidem patienti carni copulata erat divinitas impatibilis permanens, et passiones implens salutares : et operanti divinitati Verbi sancta mens erat conjuncta, quæ perficiebantur intelligens, et sciens. »

Plenius hoc ipsum decimo nono capite declarat : in quo et naturas duas unum esse Christum, et unum Christum naturas duas affirmat. Proinde idem esse dicere, Operatur Christus secundum utramque naturam ; et, Operatur in Christo natura utraque cum communione alterius. Deinde modum explicat, quo et « (3) divina natura cum humana operante communicet, et caro vicissim cum operante divinitate, ac divinitatem quidem eatenus cum humana natura communicare, quod hæc, illa permittente, patiatur, et quæ propria sunt exequatur, et quod operatio carnis prorsus sit salutaris : quod non est humanæ efficientiæ, sed divinæ : porro carnem cum divinitate Verbi operante communicare, quod et per corpus, velut instrumentum, divinæ perficiantur operationes, et unus sit operans divino simul humanoque modo. » Nam et mentem Christi hominis non solum proprias et naturales suas functiones obire ait, intelligendo cognoscendoque se Dei esse mentem, et a creaturis omnibus adorari : sed etiam cum divinitate Verbi operante communicare, et cum ea providere rebus omnibus, et mundum administrare, qua Dei mens est, et ejus hypostasi propria subsistit.

IX. Præclare istud narrat Leo papa in sermone tertio de passione Domini : quem locum alibi descripsimus [1]. Ibi enim stirpem et originem aperit indivisæ illius operationis, naturarum summam et individuam conjunctionem ; propter quam « nec Deum Christum, sine hoc, quod homo est, nec hominem sine hoc liceat cogitare, quod Deus est. » « Tum etsi distinctis actionibus exprimat veritatem suam utraque natura, neutram *ait* se tamen ab alterius connexione disjungere. » Quippe « natura carnis, ut ait Anselmus [2], ex quo summæ illi naturæ unita est, in tanta unitate et ab ipso conceptu Virginis est concepta, ut nec sine homine divina, nec sine Deo agerentur humana. Et per hanc unitatem etiam in diebus carnis suæ homo Christus potuit divina. »

Nam sicut Christus, sive Emmanuel, ita ex utraque temperatus est natura, ut, quod Theodoretus ad primum Cyrilli anathematismum ait, « (4) neque Deus ab humana natura disjunctus, nec homo spoliatus divinitate sit : » sic nec operari quippiam secundum naturam alterutram dicitur, quin ejus in communionem altera succedat. Quod quidem Athanasius non absimili, imo consentanea, et consequenti ex causa factum esse prodidit in quarta oratione : nempe quod caro Verbi esset propria, et Dei corpus. Ideo carnis infirmitates tanquam proprias, nec alienas utique, suscepit. « (5) Propterea, *inquit*, quæ sunt illius propria, ipsius

(1) DAMASC. Θέλειν δὲ, καὶ ἐνεργεῖν οὐ διῃρημένως, ἀλλ' ἡνωμένως.

(2) Idem lib. 3. cap. 15. pag. 234. Τὰς μὲν γὰρ θεοσημίας ἡ θεότης εἰργάζετο, ἀλλ' οὐ δίχα τῆς σαρκός· τὰ δὲ ταπεινὰ, ἡ σὰρξ, ἀλλ' οὐ χωρὶς τῆς θεότητος. Καὶ πασχούσῃ γὰρ τῇ σαρκὶ συνημμένη ἦν ἡ θεότης, ἀπαθὴς διαμένουσα, καὶ τὰ πάθη ἐκτελοῦσὰ τά σωτήρια· καὶ ἐνεργούσῃ τῇ τοῦ Λόγου θεότητι συνημμένος ἦν ὁ ἅγιος νοῦς νοῶν, καὶ εἰδὼς τὰ τελούμενα.

(3) Idem lib. 3. cap. 19. pag. 256. Κοινωνεῖ τοίνυν ἡ μὲν θεία φύσις τῇ σαρκὶ ἐνεργούσῃ, διὰ τὸ εὐδοκίᾳ τῆς θείας θελήσεως παραχωρεῖσθαι πάσχειν, καὶ πράττειν τὰ ἴδια, καὶ διὰ τὸ τὴν ἐνέργειαν τῆς σαρκὸς πάντως εἶναι σωτήριον. Ὅπερ οὐ τῆς ἀνθρωπίνης ἐνεργείας ἐστὶν, ἀλλὰ τῆς θείας. Ἡ δὲ σὰρξ τῇ θεότητι τοῦ Λόγου ἐνεργούσῃ, διά τε ὡς δι' ὀργάνου τοῦ σώματος τὰς θείας ἐκτελεῖσθαι ἐνεργείας, καὶ διὰ τὸ ἕνα εἶναι τὸν ἐνεργοῦντα θεϊκῶς τε ἅμα, καὶ ἀνθρωπίνως.

(4) THEODORET. in fine confut. anath. 1. Οὔτε Θεὸς ἀνθρωπείας φύσεως κεχωρισμένος, οὔτε ἄνθρωπος γεγυμνωμένος θεότητος.

(5) ATHAN. orat. 4. pag. 274. C. Καὶ διὰ τοῦτο τὰ μὲν

[1] Lib. 4. c. 12. § 8.

[2] Lib. de Sacr. alt. cap. 3.

esse dicuntur, quoniam in illa erat : cujusmodi est esurire, sitire, pati, lassescere, et similia, quorum capax est caro. Porro Verbi opera propria, qualia sunt, mortuos ad vitam revocare, cæcis visum restituere, mulierem fluxu laborantem sanguinis sanare, per proprium corpus illud facit. Ac Verbum quidem carnis imbecillitates, tanquam proprias, portabat, ipsius enim erat caro; sed et ipsa caro divinitatis operibus ministrabat, quoniam in illa inerat. Dei quippe corpus erat. »

X. Ac paulo post [1] idem Athanasius utriusque naturæ proprias operationes distinctas in theandricis actionibus notat; cujusmodi illas fuisse diximus, quæ mistæ erant, et humano captu majores; ut sunt miracula. Etenim cum Petri socrum febrientem curavit, manum extendit, quod hominis erat proprium : et ut Deo conveniebat, morbum depulit. Humanum item fuit, quod in illuminando cæco despuit, ac lutum fecit : divinum, quod visum ei restituit, et hujus generis reliqua. « Hinc vero insaniunt, ut recte ait Hildephonsus [2], qui hanc geminam operationem in Christo ubique non intelligunt vel non credunt : in quo nec divinitas sine homine operata est, nec humanitas sine divinitate Verbi. Et ideo ubicumque excellit divina virtus in homine Christo, divini Verbi est sacramentum. Ubi vero humana operatur natura in eo, quia formam servi suscepit, divini Verbi est in animo (for. *inanitio*) ita ut in nullo divisus inveniatur Christus, in nullo confundatur duarum naturarum gemina operatio. »

Ex quo regula quarta conficitur : quæ in mistis illis, ac theandricis operationibus agnosci, discernique docet quid cujusque naturæ sit proprium; quamvis unus, totusque Christus ambas illas actiones præstiterit. « Inde est, quod in omnibus illis operibus passionis, et mortis, ait Fulgentius [3], auctoritas apostolica, quod totus in se operatus est Christus, sic uni personæ operantis assignat, ut quid cujus naturæ sit indubitanter ostendat. Nam et apostolus Paulus de uno eodemque Christo dicit [4], *Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei*, etc. Hæc itaque omnia totus Christus secundum unam personam fecit : et sic unum naturæ utriusque opus agnoscitur, ut tamen quid cui naturæ deputari debeat, non negetur. » Quod idem et Leo in epistola ad Flavianum explicat [5]. Tertullianus item in Apologetico [6], Christum esse Deum, ex miris, et stupendis operibus approbat, quæ inter humanas imbecillitates, ad fidem naturæ potioris, in Christo coruscabant. « Quem igitur solum hominem, *inquit*, modo præsumpserant de humilitate, sequebatur uti magnum æstimarent de potestate. Cum ille verbo dæmonia de hominibus excuteret, cæcos reluminaret, leprosos purgaret, paralyticos restringeret, mortuos denique verbo redderet vitæ, elementa ipsa famularet, compescens procellas, et freta ingrediens, ostendens sese Verbum Dei. » Atque, ut scribit Bernardus [7], « Dum in carne, et per carnem facit opera non carnis, sed Dei, naturæ utique imperans, superansque fortunam, stultam faciens sapientiam hominum, dæmonumque debellans tyrannidem : manifeste ipsum se indicat esse, per quem eadem et ante fiebant, quando fiebant. »

Maximus quoque martyr in disputatione cum Pyrrho, similiter utrasque naturarum operationes conjunctas in una theandrica, et tamen a se mutuo distinctas explicat. « (1) Nam extensio manus, et tactio, et comprehensio, et luti temperatio, et panis fractio, et, ut uno verbo dicam, illud omne, quod per manum, aliudve membrum, aut partem corporis perficiebatur, naturalis fuit operationis humanitatis Christi, secundum quam, utpote homo, actuosus erat ipse natura Deus, et divina naturaliter operans. »

Idipsum Hippolytus egregie confirmat in excerptis contra Beronem et Helicem; cujus verba supra capite octavo reddidimus.

XI. Ad hanc operationum duarum in unam theandricam consensionem enarrandam perquam apta est, et frequenti Patrum usu detrita similitudo ex candente ferro desumpta; in quo

ἴδια ταύτης, αὐτοῦ λέγεται· ἐπειδὴ ἐν αὐτῇ ἦν. Οἷά ἐστι τὸ πεινῆν, τὸ διψῆν, τὸ πάσχειν, τὸ κοπιᾷν, καὶ τὰ ὅμοια, ὧν ἐστιν ἡ σὰρξ δεκτική. Τὰ δὲ αὐτοῦ τοῦ Λόγου ἴδια ἔργα, οἷά ἐστι τὸ ἐγείρειν νεκροὺς καὶ τυφλοὺς ποιεῖν ἀναβλέπειν, καὶ τὴν αἱμοῤῥοοῦσαν ἰάσασθαι, διὰ τοῦ ἰδίου σώματος αὐτὸς ποιεῖ· καὶ ὁ μὲν Λόγος τὰς τῆς σαρκὸς ἐβάσταζεν ἀσθενείας ὡς ἰδίας. Αὐτοῦ γὰρ ἦν ἡ σάρξ. Καὶ ἡ σὰρξ δὲ ὑπούργει τοῖς τῆς θεότητος ἔργοις, ὅτι ἐν αὐτῇ ἐγίνετο. Θεοῦ γὰρ ἦν σῶμα.

(1) Maxim. disp. cum Pyr. Ἥ τε γὰρ ἔκτασις τῆς χειρὸς, καὶ ἡ ἁφὴ, καὶ ἡ κράτησις, καὶ ἡ κατ' αὐτὴν τοῦ πηλοῦ μίξις, καὶ ἡ τοῦ ἄρτου κλάσις, καὶ ἁπλῶς πᾶν, ὃ διὰ τῆς χειρὸς, ἢ ἑτέρου μέλους, ἢ μέρους τοῦ σώματος ἐτελεῖτο, τῆς φυσικῆς ἐνεργείας τῆς ἀνθρωπότητος τοῦ Χριστοῦ ὑπῆρχε· καθ' ἣν, ὡς ἄνθρωπος, ἐνεργὴς ἦν αὐτὸς, ὁ φύσει Θεὸς, καὶ τὰ θεῖα φυσικῶς ἐνεργῶν.

[1] Pag. 275. — [2] Lib. de Virgin. S. Mariæ tomo 9. Bibl. 132. C. — [3] Fulgent. Respon. 2. ad Ferrand. pag. 221. E.

[4] 2 Cor. 13. — [5] Cap. 5. — [6] Cap. 21. — [7] Bernar. Ser. 6. in Cant.

duæ naturæ sic in unum copulatæ cernuntur, ut communiter agant, et distinctas habeant effectiones. « (1) Quid dicemus, ait Maximus in disputatione cum Pyrrho, de ignito gladio; qui non minus quam naturas, ignis videlicet, et ferri, earum quoque naturales conservat operationes, adustionem, et sectionem, easque per omnia, et simul ostendit? Nam nec adustio ab sectione est soluta post unitionem; nec ab adustione sectio : neque vel propter duplicem naturalem operationem, duos gladios inducunt : neque propter singularem ignitum gladium, substantivæ differentiæ mistionem, et confusionem invehunt. » Quam similitudinem in sequentibus, multum repetit. Tum in libro de Duabus voluntatibus apud Euthymium in Panoplia[1]. Et post illum Joannes Damascenus[2], nec non Theorianus in legatione Armenorum. Huic alteram similitudinem Maximus[3] adjungit ex humano sermone petitam; in quo interior mentis notio cum externo vocis sonitu concurrit; quæ ambo sese permeant, ac penetrant, et sine ulla confusione junguntur.

Auctor libri contra Anthropomorphitas, qui Cyrillo inscribitur, tum universe conspirationem illam, et concordiam naturarum duarum inter se, et in eamdem operationem, quam theandricam vocant, egregie declarat; tum apposita comparatione facit illustriorem. Imprimis enim divina prodigia sic a Christo edita esse scribit, ut non seorsim, ac separatim ab humana natura, divinitas illa fecerit; sed per carnem, velut propriam, absque ulla confusione. Deinde, « (2) Quemadmodum, *inquit*, intelligi potest de fabro, artifice aliquo, vel ferrario, illius animam per proprium corpus opera moliri, ac nemo dixerit, eadem opera esse solius animæ, quamvis hæc ad illa fabricanda corpus moveat; sed utriusque potius esse. Ita et de Christo cogita. Nam ante Incarnationem, cum nudum adhuc esset Verbum, per sese divina faciebat : postquam vero factum est homo, per carnem quoque suam operatum est. » Quod exemplis deinceps probat cæcorum ab Christo curatorum, vel mortuorum vitæ restitutorum, ac similium, quæ per corporis contactum, usumque membrorum suorum Deus operatus est.

XII. Hanc ipsam, quam ex catholicis doctoribus exposuimus, individuam operationum copulam libenter agnoscebat Nestorius; sed ita tamen, ut veram hanc professionem hæreticæ veneno interpretationis inficeret. Etenim apud Cyrillum extant illius verba, quibus post assumptum hominem a Verbo, perpetuam inter ambo conjunctionem, quam συνάφειαν vocat, sic intercessisse asserit, « (3) ut non contingat Deum Verbum sine humanitate quippiam efficere. Nam ad summam conjunctionem exacte perunctus est, non ad deificationem, ut sapientes opinantur novi dogmatis auctores. » Verum subdolam hominis mentem aperit Cyrillus in illius refutatione; ac συνάφειαν illam redarguit, quam in sola voluntatum concordia, et operandi communione statuebat, sine ullo substantivo naturarum inter se nexu; de quo supra pluribus, et passim egimus.

At Leporius in libro Emendationis[4] errorem suum agnoscit, et emendat, quod « Christum Dominum nostrum sic omnia, quæ erant passionum, implesse » putabat, « ut in nullo, quasi perfectus homo, a divinitatis auxilio juvaretur; volens scilicet ita in Christo hominem adsignare perfectum, quo et alienum ab his passionibus Verbum Patris adsereret; et solum per se hominem egisse hæc omnia possibilitate naturæ mortalis sine aliquo deitatis adjutorio. » Quod subinde retractans, asserit « vere cæcum se fuisse, qui susceptum in Deo hominem confitens, quæ erant ipsius hominis nollet in Deo esse suscepta. In hoc utique haud dubie in se susceperat totum hominem Deus, ut hæc, quæ nos tanquam Deo putamus

(1) MAXIM. ibid. pag. 699. C. Τί δ' ἄν τις εἴποι καὶ περὶ τῆς πέπυρακτωμένης μαχαίρας, οὐχ ἧττον τῶν φύσεων, τουτέστι, τοῦ πυρὸς, καὶ τοῦ σιδήρου, καὶ τὰς αὐτῶν φυσικὰς ἐνεργείας, τὴν καῦσιν φημὶ, καὶ τὴν τομὴν σωζούσης, καὶ διὰ πάντων ἅμα, καὶ ἐν ταὐτῷ, ταύτας ἐνδεικνυμένης; οὔτε γὰρ ἡ καῦσις αὐτῆς τῆς τομῆς ἀφετός ἐστι μετὰ τὴν ἕνωσιν, οὔτε ἡ τομὴ τῆς καύσεως. Καὶ οὔτε διὰ τὸ διττὸν τῆς φυσικῆς ἐνεργείας, δύο εἰσάγει τὰς μαχαίρας, οὔτε διὰ τὸ μοναδικὸν τῆς πεπυρακτωμένης μαχαίρας, τῆς αὐτῶν οὐσιώδους διαφορᾶς φύσιν, ἢ σύγχυσιν ποιεῖται.

(2) CYRILL. tom. 6. lib. cont. Anthrop. cap. 22. pag. 392. D. Καὶ ὥσπερ ἐστὶ νοεῖν ὑπὲρ ἀνθρώπου τεκτόνος, τεχνίτου τυχὸν, ἢ σιδηρέως, ὅτι ποιεῖ τὰ ἔργα κατὰ τοῦ ἰδίου σώματος ἡ ψυχή· καὶ οὐκ ἄν τις εἴποι ψυχῆς ἔργα μόνης εἶναι, κἂν αὐτὴ κινεῖ πρὸς ἔργα τὸ σῶμα, ἀλλὰ τοῦ συναμφοτέρου· οὕτω νοεῖ καὶ ἐπὶ Χριστοῦ. Πρὸ μὲν γὰρ τῆς ἐνανθρωπήσεως γυμνὸς ὢν ἔτι καθ' ἑαυτὸν ὁ Λόγος ἐργάζεται τὰ θεοπρεπῆ. Γεγονὼς δὲ ἄνθρωπος, ἐνήργει καὶ διὰ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, ὡς ἔφην.

(3) NESTOR. apud Cyr. lib. 2. con. Nest. pag 48. Καὶ οὐκ ἔστι τὸν Θεὸν Λόγον ἄνευ τῆς ἀνθρωπότητος πρᾶξαί τι. Ἀπηκρίβωται γὰρ εἰς ἄκραν συνάφειαν, οὐκ εἰς ἀποθέωσιν, κατὰ τοὺς σοφοὺς τῶν δογματιστῶν τῶν νεωτέρων.

[1] Tit. 18. Lat. pag. 657. — [2] Lib. 3. cap. 15. p. 232. c. 17. p. 247. et 248.

[3] Max. in Disp. pag. 699. — [4] Pag. 20.

indigna, non per se solus homo ageret judicio naturali; sed Deus per hominem, atque in homine, ipse homo nobis factus potestate, et mysterio divinæ dispensationis impleret. »

XIII. Postremo ex iis, quæ de tertia, et quarta regula præsertim diximus, deque operationum naturæ utriusque conjunctione, ac distinctione, valde illud affirmatur, quod adversus anonymum Cyrilli, et Ecclesiæ catholicæ obtrectatorem in sexto libro demonstravimus [1], διαίρεσιν, id est *divisionem*, ab iis Patribus, qui eam naturis Christi duabus adimunt, non usurpari pro simplici differentia, vel distinctione, sed pro disjunctione, ac separatione. Etenim cum sit eadem operationum, atque naturarum ratio, ut iidem Patres asserunt; cumque naturarum conjunctio operationum conjunctionem, differentia naturarum differentiam operationum pariat; eo ipso quod et unitas operationes divinæ et humanæ naturæ in Christo illi esse docent, et diversas, ac distinctas; non tamen διῃρημένας : profecto aliud esse διῃρῆσθαι volunt, quam esse distinctum. Ecquid igitur aliud intelligunt, quam quod diserte ipsi significant, divisum ac separatum? Omnino locus iste ad diluendam recentem illam calumniam multum pertinet.

Rursus indidem, atque ex toto hoc capite constat, recte a nobis notatos supra theologos illos, qui ἐνέργειαν, de qua Patres cum Monotheletis tam acre certamen susceperunt, sola circumscribunt actione voluntatis. Nam contrarium liquet ex innumeris locis, in quibus illi perspicue definiunt, et exemplis indicant, cujusmodi sint ἐνέργειαι istæ, de quibus loquuntur.

CAPUT DUODECIMUM.

Reliquæ de theandricis operationibus regulæ proponuntur. Quinta : Actiones omnes humanas in Christo, etiam naturales, ex nutu divinitatis gubernatas fuisse. — 4. Monotheletarum in ea re fucus. — 7. Regula sexta : Carnem instrumentum fuisse Verbi. — 9. Instrumenti ratio declaratur. — 11. De instrumento Maximi locus insignis illustratur. — 14. Septima regula : Ea sola per carnem, velut instrumentum, egisse Verbum, quæ ad salutem nostram pertinent. — 15. Octava regula : Non solam transeuntem operationem a Verbo communicatam humanæ naturæ fuisse, neque Christum *ἐνεργούμενον* dici posse. Ubi quid *ἐνέργεια*, et *ἐνεργούμενος* sit, exponitur. — 21. Nona regula : Operationes Christi, etiam communes nobiscum novas, et excellentes fuisse.

I. Ne justo longius antecedens caput excurreret, satius est visum quæ in illud erant conjicienda dividere, ac ceteras regulas in aliud conferre caput; quoniam quidem id, quod in prioribus quatuor accidit, jam nunc in sequentibus prospicio fore, uti latius, quam initio proposueram, diffundenda sit illarum expositio. Quod profecto nemo reprehendendum putaverit, qui fructum earum, et ad Patrum pervestigandam, et illustrandam tantis de rebus sententiam quanto sunt usui cogitarit.

Quinta regula est : In actionibus Christi Domini, eas omnes, quæ humanæ propriæ fuere naturæ, ex nutu divinitatis, et arbitrio suspensas, et gubernatas fuisse; non solum liberas, sed etiam naturales, ac necessarias : adeoque nonnisi unum τὸ ἡγεμονικὸν extitisse. Sic autem appellant principalem partem, penes quam totius συγκρίματος rectio, et moderatio continetur : cujusmodi in homine principatus est mentis. Quare divinum Verbum in Christo easdem in eo gubernando, ac regendo, et administrandis illius functionibus partes obiit, quas in homine simplici animus sive mens obtinet.

Recte hoc, copioseque declaratum est a Sophronio Hierosolymitano in epistola synodica : in qua scribit divinam naturam ita subjectam habuisse sibi, ac rexisse in omnibus humanam, « (1) ut ei quando vellet, potestatem faceret operandi, ac patiendi quæ propria sunt illius. » Cujus rei causam mox ita reddit : « (2) Non enim invitus, et necessario ista sus-

(1) SOPHRON. in 6. Synod. act. 11. pag. 171. E. Ἐδίδου γὰρ ὅτε καὶ ἤθελε φύσει τῇ ἀνθρωπείᾳ, καιρὸν ἐνεργεῖν, καὶ πάσχειν τὰ ἴδια.

(2) Ibid. Οὐ γὰρ ἀκουσίως ταῦτα, ἢ ἀναγκαστῶς προσεδέχετο, κἂν φυσικῶς αὐτὰ, καὶ ἀνθρωπίνως προσίετο, καὶ ἀνθρωπίναις κινήσεσιν ἐποίει, καὶ ἔπραττεν. Ἄπαγε τῆς βδελυκτῆς

[1] Cap. 9.

cipiebat, quamvis naturaliter, et humanitus hæc admitteret. Absit hæc detestanda cogitatio. Nam Deus erat qui carnaliter tolerare ista sustinebat, et nos passionibus suis servabat, ac per illa impatibilitatem nobis procurabat. Verum quando perpeti, agere, et operari humanitus ipsi libitum esset, et intuentibus prodesse decreverat, propter quos homo revera factus est. Non autem cum motus naturales, et carnales impelli naturaliter ad operandum volebant, aut insidiantes impii consilia exequi sua audacter cupiebant. » Ac subinde, « (1) Quæ humilia sunt, et homini consentanea, sponte sua simul, et naturaliter exhibuisse « dicit, » ita ut Deus in illis esse perseveraret. Siquidem velut promus-condus erat ipse sibi humanarum passionum, et actionum : nec solum promus-condus, sed etiam moderator, et arbiter ; tametsi naturam patibilem naturaliter incarnatus acceperat. Ob id humana ipsius erant supra hominem : non quod natura non esset humana ; sed quoniam sponte homo factus erat, et homo factus sponte illa recipiebat, non velut tyrannide oppressus, et necessitate nonnunquam, uti nos, et ingratiis ; sed quando, et quatenus ei libitum erat, et prout iis, qui perpessiones illas infligebant, aut ipsismet perpessionibus secundum naturam operari permittebat. »

II. Sic Agatho Romanus pontifex in epistola ad Constantinum Pogonatum imperatorem, ex Gregorio Nysseno refert, « (2) Dominum Salvatorem dedisse humanæ naturæ, quam in se habuit, tempus propria operandi. » Cui suffragatur August. tract. 49. in Joannem. « Turbaris, *inquit*, tu nolens : turbatus est Christus, quia voluit. Esurivit Jesus, verum est, sed quia voluit; dormivit Jesus, verum est, sed quia voluit : mortuus est Jesus, verum est, sed quia voluit. In illius potestate erat sic vel sic affici, vel non affici. » Et paulo post : « Anima et caro Christi cum Verbo Dei una persona est, unus Christus est. Ac per hoc ubi summa potestas est, secundum voluntatis nutum tractatur infirmitas, hoc est turbavit semetipsum. »

Quæ igitur in communi homine non solum naturaliter accidunt, sed etiam invitis, ac necessitate quadam, ea ex nutu divinæ voluntatis tanquam moderatricis, et præsidis libere Christus patiebatur, aut agebat. Quod Evangelista significat, dum ait [1], *Jesus ergo, ut vidit eam plorantem, et Judæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, et turbavit seipsum.*

Cujus sententiæ vim majorem facit interpretatione sua Chrysostomus : qui hoc, quod scribit Joannes, *Jesum infremuisse spiritu*, sic explicat; ut idem sit atque « (3) increpasse spiritum suum, hoc est continuisse, ne confunderetur, ac turbaretur : » quod supremæ potestatis erat.

Idem et Theophylactus ad illum Joannis locum adnotat : et latius hoc edisserit. « (4) Nam quia tristitia est affectus, *ait*, ut qui vere esset homo, uti naturæ humanæ fidem faceret, permisit ipsi quod suum erat operari, et carnem severe coercet, et eam increpat virtute Spiritus sancti. Itaque caro non ferens increpationem hanc, turbatur, ac fremit, et tristitiam continet. » Quæ quidem ex Cyrillo mutuatus est; cujus in excerptis septimi, et octavi libri in Joannem [2], illis omnino similia leguntur. Eodem spectant et illa Bernardi sub finem sermonis quarti Hebdomadæ sanctæ. « Hoc, *inquit*, Verbum, quia carnem purissimam, et

ἐνθυμήσεως. Θεὸς γὰρ ἦν ὁ ταῦτα πάσχειν ἀνεχόμενος, καὶ σώζων ἡμᾶς τοῖς οἰκείοις παθήμασι, καὶ βραβεύων ἡμῖν δι' αὐτῶν τὴν ἀπάθειαν. Ἀλλ' ὅτε πάσχειν, καὶ πράττειν, καὶ ἐνεργεῖν ἀνθρωπίνως αὐτὸς ἐβούλετο, καὶ τοὺς ὁρῶντας ὠφελεῖν ἐψηφίζετο, δι' οὓς καὶ ἄνθρωπος κατὰ ἀλήθειαν γέγονε· καὶ οὐχ ὅτε αἱ φυσικαὶ κινήσεις, καὶ σαρκικαὶ κινεῖσθαι φυσικῶς πρὸς ἐνέργειαν ἤθελον, ἢ καὶ οἱ ἐπιβουλεύοντες ἄθεοι τάς ἐπιβουλὰς πληροῦν, παντόλμως ἐγλίχοντο.

(1) Ibid. pag. 172. A. Τὰ μὲν οὖν ταπεινὰ, καὶ ἀνθρώπινα οὕτως ἑκουσίως ὁμοῦ, καὶ φυσικῶς, μένων καὶ ἐν τούτοις Θεὸς, ἐπεδείκνυτο. Ταμίας γὰρ ἦν αὐτὸς ἑαυτῷ παθῶν ἀνθρωπίνων, καὶ πράξεων. Καὶ οὐ μόνον ταμίας, ἀλλὰ καὶ πρύτανις, καὶ εἰ φύσιν παθητὴν φυσικῶς ἐσεσάρκωτο. Καὶ διὰ τοῦτο ἦν ὑπὲρ ἄνθρωπον αὐτοῦ τὰ ἀνθρώπινα. Οὐκ ἐπειδήπερ φύσις ἦν οὐκ ἀνθρώπεια, ἀλλ' ἐπειδήπερ ἑκουσίως γέγονεν ἄνθρωπος, καὶ ἄνθρωπος γεγονὼς ἑκουσίως αὐτὰ προσεδέχετο, καὶ οὐ τυραννικῶς, ἢ ἀναγκαστῶς ἔστιν ὅτε καθ' ἡμᾶς, καὶ ἀβουλήτως ἀλλ' ἡνίκα, καὶ ὅσον ἐβούλετο, καὶ συγχωρεῖν αὐτὸς τοῖς τὰ πάθη προσφέρουσι, τοῖς τε παθήμασιν αὐτοῖς ἐνεργημένοις κατὰ φύσιν ἐπένευσε.

(2) AGATHO in act. 4. Syn. 6. pag. 50. E. Ὁμοίως δὲ καὶ ὁ ἅγιος Νυσσαεὺς Γρηγόριος δεδωκέναι λέγει τὸν Σωτῆρα Κύριον τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει, ἣν ἐν ἑαυτῷ ἔσχε, καιρὸν τὰ ἴδια ἐνεργῆσαι.

(3) CHRYSOST. hom. 63. in Joan. pag. 821. Εἶτα ἐπιτιμήσας τῷ πάθει. Τὸ γὰρ ἐνεβριμήσατο τῷ Πνεύματι, τοῦτο ἔστιν, ἐπέσχε τὴν σύγχυσιν.

(4) THEOPH. ad Joan. cap. 11. Ἐπεὶ γὰρ ἐλυπήθη· ἄνθρωπος γὰρ ἦν ἀληθῶς· καὶ διὰ τὸ πιστώσασθαι τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν, ἐνέδωκε ταύτῃ τὸ ἴδιον ἐργάσασθαι, καὶ ἐπιπλήττει τῇ σαρκὶ, καὶ ἐπιτιμᾷ αὐτῇ τῇ τοῦ ἁγίου Πνεύματος δυνάμει. Ἡ οὖν σὰρξ μὴ ἐνεγκοῦσα τὴν ἐπιτίμησιν, ταράσσεται, καὶ τρέμει, καὶ τῆς λύπης περικρατεῖ.

[1] Joan. 21. 33.

[2] Cyr. in Joan. p. 685.

animam sanctissimam unierat sibi, libere moderabatur actiones corporis sui; tum quia sapientia, et justitia erat; tum quia nullam habebat prorsus legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ. »

III. Joannes Damascenus libro tertio, capite decimo quinto iis consentiens, « (1) Corpus *ait* omnia, quæ sunt propria corporis, ad nutum, et voluntatem perfecisse copulati sibi Verbi, cujus erat proprium. Non enim a seipso in naturales passiones appetitu ferebatur, neque tristia refugiebat, ac detrectabat, aut vero extrinsecus appulsa patiebatur. Sed movebatur secundum naturalem propensionem, volente Verbo, et concedente pati, aut agere quæ sibi erant propria, et consentanea. » Lege caput ejusdem libri decimum octavum.

Ita Maximus apud Euthymium [1] humanam voluntatem Christi ab divina motam, et impressione quadam formatam fuisse scribit, ut postea referam. Et alibi : « (2) Quemadmodum lana candida, *inquit*, si purpureo colore inficiatur, non est bicolor, sed unicolor : sic in assumpta natura, deificata mente hominis, non sunt principalia duo, Deus et mens, sed unum; videlicet is, qui mentem deificavit Deus. » Quod plenius, ac disertius Joannes Damascenus in sexto capite libri tertii his verbis explicavit, quæ præterire nullo modo possum. Postquam enim docuit, Deum Verbum unitum esse carni interventu mentis; quæ pars est hominis principalis : ac propterea media facta est inter divinæ naturæ puritatem, et carnis crassitiem : quem locum in libro quarto, capite duodecimo [2], ubi quæstio illa tractata est, descripsimus : statim ista de Christo subjicit, « (3) Uti principale animæ, et carnis est mens; quæ est pars animæ purissima : ita principale mentis esse Deum. Ac dum a præstantiore permittitur, mentem Christi principalis istius, quod habet, vim et functionem ostendere : ceterum pervinci a meliore illo, et hoc sequi : atque illa facere, et operari, quæ divinæ voluntati placent. »

IV. In quo illud observare oportet, vim illam gubernatricem et ἡγεμονικὸν, qua Verbum mentem, et humanam Christi naturam rexisse dicitur, non sic intelligendam, quasi alius ab alio directus fuerit; quemadmodum viri sancti, ut prophetæ, a Deo et Spiritu sancto moti, et gubernati fuerunt, et ad nutum illius agebantur. Quod adversus Pyrrhum disputans animadvertit Maximus [3]. Quare sic illud accommodandum esse Christo docet, ut idem Deus sine ulla sui mutatione homo factus, utrumque obierit : hoc est et qua Deus erat, consentanea divinitati suæ voluerit, et ut homo, naturæ suæ apta, voluntate appetierit.

Maximus quoque non ille martyr, sed alter ejusdem nominis Aquileiensis episcopus, in synodo Lateranensi sub Martino papa celebrata, in secretario quinto ejusdem synodi [4], Monotheletas hæreticos redarguit, quod dum voluntates in Christo duas fateri nolunt, ne contrarias inter se cogantur admittere, de earum conjunctione, ac consensione sic loquuntur, ut in Nestorianam impietatem recidant, aut hac etiam deteriorem aliam. Christum certe in duos partiri eos asserit, cum assidue id inculcant, humanam naturam nullum proprium impetum, sive appetitum habuisse; « Sed quando, et qualem, et quantum Deus Verbum volebat. » Quæ eadem et Nestorius frequenter usurpabat, totam Dei et hominis unitionem in ambarum exacta concordia, et voluntatum perfecta conspiratione collocans : dum et agenda singulis in rebus, et eorum ordinem ac modum præscriberet Deus; et ex hujus imperio ac nutu sic homo penderet, ut ne levissime quidem ab eo discreparet. Hoc autem Monotheletæ libenter assumebant; ut quo argumento Catholici voluntates Christi duas adstruere solebant, quod in horto nonnulla inter illas varietas extitisset, hoc summa illa, et perpetua commendanda consensione refellerent; tanquam unica esset, et simplex motio, quæ ab divina natura manaret in infe-

(1) DAMASC. pag. 235. Τοῦ δὲ σώματος ἐκτελοῦντος ὅσα ἐστὶ τοῦ σώματος, πρὸς τὸ βούλημα τοῦ ἑνωθέντος αὐτῷ Λόγου, οὗ καὶ γέγονεν ἴδιον. Οὐ γὰρ ἀφ' ἑαυτοῦ πρὸς τὰ φυσικὰ πάθη τὴν ὁρμὴν ἐποιεῖτο· οὐδὲ αὖ τὴν ἐκ τῶν λυπηρῶν ἀφορμὴν, καὶ παραίτησιν· ἢ τὰ ἔξωθεν προσπίπτοντα ἔπασχεν· ἀλλ' ἐκινεῖτο κατὰ τὴν ἀκολουθίαν τῆς φύσεως, τοῦ Λόγου θέλοντος, καὶ παραχωροῦντος πάσχειν αὐτῷ, καὶ πράττειν τὰ ἴδια.

(2) MAXIM. in Panop. Euth. tit. 7. pag. lat. 134. Καθάπερ τὸ λευκὸν τῆς ἐρέας καταχρωσθὲν χρώματι πορφύρας, οὐκ ἔστι δίχρωμον, ἀλλὰ μονόχρωμον· οὕτως ἄρα καὶ ἐν τῷ προσλήμματι θεωθέντος τοῦ ἀνθρωπίνου, οὐ δύο ἡγεμονικά εἰσι, Θεὸς, καὶ νοῦς· ἀλλ' ἕν, ὁ θεώσας τὸν νοῦν Θεός.

(3) DAMASC. lib. 3. cap. 6. pag. 187. Ἡγεμονικὸν μὲν γὰρ ψυχῆς τε καὶ σαρκὸς, ὁ νοῦς, νοῦς δὲ τῆς ψυχῆς τὸ καθαρώτατον. Ἀλλὰ καὶ νοῦ Θεός. Καὶ ὅτε μὲν παραχωρεῖται ὑπὸ τοῦ κρείττονος, τὴν οἰκείαν ὁ νοῦς τοῦ Χριστοῦ ἡγεμονίαν ἐνδείκνυται. Ἐκνικᾶται δὲ, καὶ ἕπεται τῷ κρείττονι, καὶ ταῦτα ἐνεργεῖ, ἃ ἡ θεία βούλεται θέλησις.

[1] Tit. 18. Pan. pag. 648. Lat. — [2] § 4. — [3] Maxim. Disp. pag. 682.

[4] In Syn. Later. Secr. 5. tom. 4. Concil. p. 129.

riorem, omnis alioquin ex sese propriæ operationis expertem.

V. Hanc mentem fuisse Monotheletarum in illa voluntatum tanto studio asseveranda concordia, demonstrat Sergius unus ex ejus sectæ principibus in epistola ad Honorium papam[1]: necnon Macarius Antiochenus[2], pertinacissimus ejusdem propugnator hæresis : qui ex epistola Sergii totidem fere, quibus illa continetur, verba descripsit; quæ hic sit operæ pretium adscribere. Postquam ergo tritam illam ac solemnem hæreticis istis decantavit næniam, non posse duas operationes in Christo statui, ne duas consequenter voluntates inducamus, adeoque, quod putabant necessarium, inter se contrarias, et repugnantes : eo tandem delabitur ut dicat, nunquam Domini carnem intelligente anima præditam, separatim, et proprio appetitu contra nutum divini Verbi, quocum erat conjuncta, tetendisse : sed quando, et qualem, et quantam illi placebat, motionem exeruisse : prorsus uti corpus, nisi agente, ac movente anima, nullo modo cietur, neque quidquam appetit. Hunc in modum humanam Christi naturam divinitatis impulsu, et impressione motam, non tam egisse, quam passam esse. Hunc Sergii locum supra capite sexto descripsimus[3]; ubi et nonnulla ad id, quod modo tractamus, utilia disseruimus.

Alteram Monotheletæ contra catholicum duarum actionum dogma fraudem nectebant ex eodem illo principio, sive regula quinta, quæ humanæ naturæ appetitiones omnes, et impetus ex nutu divinæ, tanquam ἡγεμονικῆς, et principalis, fuisse suspensos asserit. Hinc enim contendebant, ἐνέργειαν naturæ inferioris, κατ' ἐπικράτειαν, hoc est dominatu præpollentis divinitatis, occupatam ac velut absorptam fuisse.

VI. Hanc illorum cavillationem aperit, et confutat Maximus martyr apud Euthymium; quem locum, quia nondum editus est, hic legi profuerit : « (1) Primum, *inquit*, operationes duas etiam vos ipsi fatemini, alteram dominantem, videlicet divinam; alteram, dominatui subjectam, quæ est humana. Quod quidem ad relationes pertinet. Porro quæ ad se invicem referuntur, omnino secum invehunt illa, quæ ex adverso divisa respondent. Deinde si operationem fieri per dominatum potioris dicitis, quasi humana, divina prævalente, tollatur e medio, immutationem in eas introducitis. Nam quod prævalet, omnino ipsum quoque patitur : quippe ab eo quo valentius est etiam vincitur. Quemadmodum aurum, cum admistum sibi argentum, et æs superet; ipsum tamen etiam superatur, etsi minus aliquanto, nempe pro admista quantitate. »

Hæc adversus hæreticos istos, et quidem accommodate ad illorum ridiculum, insanumque commentum. Siquidem duas integras fingebant, perfectasque naturas in unum coiisse, quarum unius in ipso concursu propria excidisset ἐνέργεια, hoc est tam vis et facultas operandi, quam operatio ipsa : non aliter quam si aquæ gutta copioso vino admisceatur, nativum saporem, et proprias qualitates amittit, quæ potentiori ab liquore vincuntur. Nec tamen sine pugna, et certamine cedit inferior : sed vicissim agit aliquid, et ei quod superat pro viribus resistit : idque ipsum quadamtenus vincitur, et carpitur. Talem inter naturas, operationesque conflictum intercessisse ex Monotheletarum principiis, atque verbis disputat Maximus.

VII. Sexta deinde veterum ex dictis regula ad hunc modum concipitur : Caro, sive humana Christi natura divinæ fuit instrumentum, per quod hæc operabatur ea, quæ humanum modum excedebant, et ad utilitatem, ac salutem nostram referebantur. Testantur hoc antiqui passim, ut Athanasius Oratione quarta : « (2) Deus, *inquit*, existens proprium corpus habuit, et hoc usus instrumento, homo propter nos factus est. Ideo quæ propria sunt carnis, ipsius esse dicuntur; quoniam in illa inerat : ut sunt esurire, sitire, pati, fatigari, et similia, quorum capax erat caro. » Et postea, « (3) divinitatis Verbi opera per corpus esse facta » scribit.

Cyrillus item Alexandrinus in dialogo de

(1) MAXIM. apud Euthym. in Pan. tit. 18. lat. 669. Πρῶτον μὲν δύο ἐνεργείας καὶ ὑμεῖς ὁμολογεῖτε, μίαν ἐπικρατοῦσαν, τὴν θείαν φημὶ, καὶ μίαν ἐπικρατουμένην, τὴν ἀνθρωπίνην δηλονότι. Ὅπερ ἐστὶ τῶν πρός τι. Τὰ δὲ πρός τι πάντως συνεισάγουσιν ἑαυτοῖς καὶ τὰ ἀντιδιαιρούμενα. Ἔπειτα δὲ, ὅτι εἰ κατ' ἐπικράτειαν λέγετε τὴν ἐνέργειαν, ὡς τῆς ἀνθρωπίνης διὰ τὸ ἐπικρατηθῆναι ἀναιρουμένης, μείωσιν αὐταῖς εἰσάγετε. Τὸ γὰρ ἐπικρατοῦν, πάντως καὶ αὐτὸ τῶν πασχόντων ἐστί. Καὶ αὐτὸ γὰρ κρατεῖται ὑπὸ τοῦ ἐπικρατουμένου. Ὥσπερ χρυσὸς, ἐπικρατῶν μὲν τοῦ καταμιγνυμένου αὐτῷ ἀργύρου, καί χαλκοῦ, κρατούμενος δὲ καὶ αὐτὸς, εἰ καὶ ἧττον. Δῆλον δὲ ὅτι κατὰ τὴν ποσότητα τὴν προσμιγεῖσαν.

(2) ATHAN. orat. 4. pag. 274. C. Θεὸς ὢν ἴδιον ἔσχε σῶμα, καὶ τούτῳ χρώμενος ὀργάνῳ, ἄνθρωπος γέγονε δι' ἡμᾶς, etc. quæ cap. antec. § 9. descripta sunt.

(3) Ibid. pag. 275. D. Τὰ τῆς θεότητος ἔργα διὰ τοῦ σώματος ἐγίνετο.

[1] Serg. in epist. ad Honor. in 6. Syn. Act. 12. p. 200.

[2] Macar. ib. Act. 8. pag. 99. — [3] § 5.

incarnatione Verbi : « (1) Usus, *inquit*, tanquam instrumento, propria quidem carne ad opera carnis, et ad naturales ægritudines, et ejusmodi alia, quæ extra reprehensionem erant : anima vero itidem propria, ad humanas, et expertes vitii passiones. Nam et esuriisse dicitur, et longinquarum peregrinationum labores pertulisse : consternationes item, ac metus, necnon dolorem, et angorem, ac mortem denique in cruce. » Quæ igitur per sese pati, aut agere nequibat divinitas, quæ ad salutem nostram necessaria videbantur, ea per corpus administravit, animamque, quem assumpsit, hominis, eoque quasi instrumento est usus. Sic quia pati ac mori non poterat, hominem se fecit, ut per hominem pateretur, ac mortem subiret. Quin alias insuper actiones θεανδρικὰς misti generis ita præstitit, ut corporis, vel hominis proprias ἐνεργείας adhiberet ad mirifica quædam, et divina opera facienda.

VIII. Commode hoc, et erudite declarat Hippolytus in excerptis ab Anastasio collectis ex illius libro contra Beronem, et Helicem. Velut in Fragmento secundo, sic assumptum esse dicit hominem, « ut in ipsa salutari incarnatione propriæ divinitatis operationem impresserit carni, quæ non ipsa tamen circumscriberetur, propter exinanitionem, neque perinde ex ea naturaliter emanaret, ut ex ipsius divinitate ; sed in iis, in quibus incarnatus divinitus operatus est, per illam apparebat. » Græca jam supra reddidimus[1]. Et paulo post : « (2) Mansit ergo, etiam incarnatus Deus secundum naturam ultra modum infinitus, cognatam, et congruentem sibi habens operationem, quæ substantive ex divinitate manabat, et per ipsius sanctissimam carnem in edendis miraculis secundum œconomiam existebat ; ut Deus esse crederetur, qui per imbecillem natura sua carnem, universitatis salutem per seipsum operaretur. »

Atque hoc in Excerpto tertio eleganti similitudine perspicuum facit, qualem ab Maximo martyre usurpatam antecedenti capite significavimus[2], interioris sermonis, quem in animo concipio, per externum vocibus syllabisque constantem extrinsecus profusi. « (3) Nam ille ex intelligente anima mea naturaliter manat perpetuo ; sed per corpoream linguam meam, tanquam per instrumentum, cum necesse est, profertur. »

Rursus Paulinus Aquileiensis in libro sacrosyllabo contra Felicem Urgelitanum[3], idipsum animæ confirmat exemplo ; « quæ cum sit incorporea, corporaliter cuncta per corpus disponit, et cum sit substantia carnis corporea, per incorpoream creaturam, id est animam, corporeas perficit actiones. Tanta enim societatis convenientia sibimet sunt unitæ, ut unum sine altero nihil possit. » Quod de theandricis mistis operationibus intelligendum, in quibus cum alterius communione agit utraque forma quod proprium est. Pergit deinde : « Nam anima incorporea per corporeos oculos videt, audit, sentit ; et corporei oculi per incorpoream animam videre probantur, etc. » Ubi præpositio *per* ambigue sumitur. Siquidem cum anima per corpus operari dicitur, efficientem causam principalem significat, quæ corpus velut instrumentum ad agendum applicat. Cum autem corpus *per animam* operari dicit, idem est, ac vi et facultate ab anima sibi communicata.

IX. Sed ὀργάνου, et *instrumenti* notio, et proprietas diligenter est notanda, et universe illius omnis, quod ab alio movetur, et ad faciendum aliquid admovetur. Huic enim duplex actio tribuitur, ut recte S. Thomas animadvertit[4] : una quæ ex ejus propria forma oritur : altera quæ ex motione alterius imprimitur. Sic asciæ propria, et ex ejus forma congruens actio, est incisio ; quæ autem extrinsecus, et ut adhibetur ab artifice, illi imputatur, est scamnum, vel structura quævis lignea. Harum duarum posterior nonnisi unica est, quæ ab agente ac movente per asciam fit. Non enim scamni effectio separatim ab ascia provenit ; sed ab utroque conjunctim eadem manat impressio,

(1) Cyril. dial. de Inc. tom. 5. part. 1. pag. 692. C. Προσεχρήσατο δὲ, καθάπερ ὀργάνῳ, τῇ μὲν ἰδίᾳ σαρκὶ πρὸς τὰ σαρκὸς ἔργα τε, καὶ ἀῤῥωστήματα [illegible], κα[illegible] μακράν· ψυχῇ δὲ αὐτῇ ἰδίᾳ πρὸς τὰ ἀνθρώπινά τε, καὶ ἀν[illegible]τια πάθη. Πεινῆσαι γὰρ λέγεται, κόπους τε ὑπενεγκεῖν τοὺς ἐκ μακρῶν ὁδοιποριῶν, πτοίας τε, καὶ φόβας, καὶ λύπην, καὶ ἀγωνίαν, καὶ τὸν ἐπὶ τῷ σταυρῷ θάνατον.

(2) Anast. Collect. pag. 216. Μεμένηκεν οὖν καὶ σαρκωθεὶς κατὰ τὴν φύσιν Θεὸς ὑπέρπειρος (Anast. legit ὑπεράπειρος) τὴν ἑαυτῷ συγγενῆ, καὶ κατάλληλον ἔχων ἐνέργειαν, τῆς μὲν θεότητος οὐσιωδῶς ἐκφυομένην, διὰ δὲ τῆς αὐτοῦ παναγίας σαρκὸς ἐν τοῖς θαύμασιν οἰκονομικῶς ἐκφαινομένην· ἵνα πιστευθῇ Θεὸς εἶναι, δι' ἀσθενοῦς φύσει σαρκὸς αὐτουργῶν τὴν τοῦ παντὸς σωτηρίαν.

(3) Idem excer. 3. pag. 219. Τῆς μὲν νοερᾶς μου ψυχῆς φυσικῶς ἀεὶ πηγαζόμενον, διὰ δὲ τῆς σωματικῆς μου γλώσσης ὀργανικῶς, ὡς ἔφην, ὅτε χρὴ προφερόμενον.

[1] Cap. 8. § 4. — [2] § 11. — [3] Paul. tom. 4. Bibl. PP. col. 321. A.

[4] S. Th. in 3. par. qu. 19. art. 1.

quæ ab causa principali per instrumentum exeritur. At in priori genere duplex est operatio; quoniam duplex est forma, et est sua cujusque propria, ex ejus peculiari natura conveniens. Sic calefacere propria ignis est efficientia, ex ipsius natura, sive forma progrediens; non autem fabri est, nisi quatenus ad ferrum calefaciendum ignem admovet. Itaque, « Quoties movens et motum, ait S. Thomas, habent diversas formas, seu virtutes operativas, ibi oportet quod sit alia operatio moventis, et alia operatio propria moti : licet motum participet operationem moventis, et movens utatur operatione moti, et sic utrumque agit cum communione alterius. » In actionibus theandricis Christi Domini, quæ ex utriusque naturæ concursione prodibant, quædam erat hominis operatio propria, ut tangere, spuere, loqui, ac velle etiam, et imperare humana voluntate; alia divinitatis per humanam naturam, ejusque proprias ἐνεργείας inusitatum quiddam, et creaturæ captu majus exercentis, ut est suscitatio mortui, vel cæci aut leprosi subita curatio.

X. Bene autem illud animo retinendum est, quod de Monotheletis supra docuimus [1] ; eos clam et in sinu Arii, et Apollinaris, ac Monophysitarum hæresim fovisse, ut in Christo non plenam, et perfectam fuisse sentirent hominis substantiam ; sed solam carnem expertem animæ, adeoque omni destitutam operatione, operandique facultate ; quæ quidem hominis, hoc est viventis, sentientis, intelligentisque propria est, et ab anima rationali proficiscitur. Nam quæ ex carne ipsa, sive materia prodeunt, et cum inanimis communia sunt homini, ut deorsum ferri, tactui resistere, et alia ejusmodi, Christo minime detraxerunt; sed solas, uti dixi, animatorum proprias ἐνεργείας, hoc est actiones et facultates ipsas : quippe animam ipsam, et integram hominis naturam aperte, ac palam negare non sunt ausi; quas reipsa interim auferebant, dum illam pronuntiabant nulla prorsus virtute, ac facultate, nullaque operatione esse præditam.

Rursus observandum hoc est, quod in primo Politicorum notat Aristoteles [2], instrumentorum quædam esse inanima, quædam animata. Ut in navi, clavus inanimum est instrumentum ; proreta vero, vel alius quispiam ex supplemento classiario, animatum est : et universe servus quilibet et administer instrumenti loco censetur, ut ibidem ait Philosophus. Quo in posteriori genere instrumenti perspicua magis est operationum diversitas. Cujusmodi in Christo fuit humana natura, quæ animata utique fuit. Ex quo Monotheletarum clarior, insigniorque est vecordia.

XI. Non est alienus ab hac instrumenti contemplatione, et ad eam illustrandam aptissimus Maximi martyris eruditi theologi locus in quodam opusculo contra Monotheletas, ubi eorum argumentum dissolvit, quod ita proponebant : « (1) Quemadmodum instrumenti, et ejus quod movet, una est operatio, sic divinitatis et humanitatis una itidem est operatio. » Huic vero respondet sic: « Si vos quidem instrumentum naturale esse dicitis ; Verbum, ex opinione vestra, carni erit æquale tempore, vel caro erit coæterna Verbo. Quidquid enim naturali utitur instrumento, habet hoc æquale tempore : quemadmodum corpus anima. Ac jam tempus est, ut naturam divinam inter creaturas numeretis, aut certe corpus esse dicatis increatum. Quod si instrumentum artificiale esse statuitis, inanimum hoc esse vultis, ac separatim consistens, et divisum ; nec perpetuo motum : sed tunc solum, cum operanti id in manus sumere, et operari visum fuerit. Ac demum vel cum insano Nestorio idem vos ostenditis sapere, qui naturas duas in eamdem Christi Dei hypostasim, unamque personam convenientes divisit, ac disjunxit; vel Apollinaris impii discipulos vos esse prodetis, qui Christi corpus animæ, ac mentis expers asserebat esse. » Hic Maximi locus non est incuriose prætereundus, nam interpretationem non habet facilem et obviam. Duo igitur instrumentorum genera constituit : unum naturale, alterum artificiale. Prius ait agenti principali esse σύγχρονον, hoc est *non posterius tem-*

(1) Apud Euth. Panop. tit. 18. lat. pag. 669. Πρὸς τοὺς λέγοντας ὅτι ὥσπερ ὀργάνου, καὶ τοῦ κινοῦντος μία ἐνέργεια, οὕτω καὶ θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος μία ἐνέργεια. Εἰ μὲν τὸ ὄργανον σύγχρονόν φατε, σύγχρονος ἔσται καθ' ὑμᾶς ὁ Λόγος τῇ σαρκὶ, ἢ σὰρξ τῷ Λόγῳ συναΐδιος. Πᾶν γὰρ τὸ κεχρημένον φυσικῷ ὀργάνῳ, σύγχρονον τοῦτο ἔχει, ὥσπερ τὸ σῶμα ἡ ψυχή. Καὶ ὥρα ὑμᾶς καὶ κτίσμα τὴν θείαν φύσιν λέγειν, ἢ τὸ σῶμα ἄκτιστον. Εἰ δὲ τεχνικὸν τὸ ὄργανον λέγετε, ἄψυχον τοῦτο εἰσάγετε, καὶ ἰδίᾳ ἑστηκὸς, καὶ μεμερισμένον, καὶ οὐκ ἀεὶ κινούμενον· ἀλλ' ὅτε τῷ ἐργαζομένῳ δόξει τοῦτο μετὰ χεῖρας λαβεῖν, καὶ ἐργάσασθαι. Καὶ λοιπὸν ἢ Νεστορίου τοῦ παράφρονος σύμφρονες δειχθήσεσθε, διαιροῦντος, καὶ διϊστῶντος τὰς εἰς μίαν ὑπόστασιν, καὶ ἓν πρόσωπον Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ συνελθούσας δύο φύσεις· ἢ Ἀπολλιναρίου τοῦ ἀσεβοῦς φοιτηταὶ, ἄψυχον, καὶ ἄνουν τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ λέγοντος.

[1] Cap. 7. § 3.

[2] Cap. 4.

pore, sed æquale, sicut animæ corpus. Nam eodem utrumque tempore incipit existere. Artificiale vero instrumentum inanimatum esse dicit ac divulsum et separatum. Si naturale instrumentum idem facit cum eo, quod conjunctum dicitur, itidem hoc erit, ut manus instrumentum est hominis : quam quidem « (1) non unum, sed multiplex instrumentum esse » scribit Aristoteles. Tale porro instrumentum esse carnem, sive humanam naturam, si cum Verbo comparetur, antiqui complures, nec immerito, sentiunt, ut libro antecedente docuimus [1].

At hoc posito, qui tandem consentaneum erit, quod Maximus scribit, naturale instrumentum esse σύγχρονον efficienti, et utenti causæ? Non enim Verbum aut eodem tempore esse cœpit cum homine quem assumpsit ; aut hic perinde ut illud æternum extitit.

XII. Quamobrem paulo ista pressius, et enucleatius a summo theologo Maximo arbitramur intellecta fuisse : nec omne *conjunctum*, ut vocant, *instrumentum*, quod Græci συμφυὲς vocant, *naturale* ab eo esse habitum. Quippe *naturale* id ab eo significari videtur, quod in naturæ unitatem convenit, hoc est quod ejusdem est naturæ constituendæ particeps, vel eamdem cum alio naturam componit. Ita corpus hominis eamdem cum anima naturam illius constituit, et eadem afficitur ut forma, cum eaque homo unus, et natura unius hominis existit; quod idem proportione de manu dici potest, quæ et anima rationali, tanquam forma, adeoque natura hominis est prædita, et naturæ humanæ integritatem cum partibus componit ceteris.

At vero natura humana Christi non eodem modo naturalis Verbo dici potest, neque naturale illius instrumentum. Siquidem non eamdem cum eo naturam constituit, neque propriam ipsius induit, aut ab ea formatur, sive, ut Scholæ loquuntur, *formaliter efficitur*. Sed hypostasi duntaxat, et subsistendi modo cum illo copulatur. Porro quæ prioris generis instrumenta dicuntur, ea sunt omnia congenita, et σύγχρονα, uti corpus animæ, manus homini. Nec de eo, quod summa et absoluta potentia facere potuit Deus, cura modo est Maximo : sed de eo, quod reipsa institutum est, et in rerum natura usuvenire cernimus. Nam potuit Deus corpus ante animam suis partibus ac modulis absolutum condere ; vel animam ante corpus, ut Origeni persuasum fuit. Verum aliter illi visum est : et eodem utrumque tempore prodire, atque existere placuit. Ex quo Maximi argumentatio procedit, negantis eodem modo humanam naturam instrumentum esse Verbi, quo corpus animæ, vel artificis instrumentum est securis, aut malleus. Quippe tam naturalia illa, quæ vocantur, instrumenta, quam artificialia, nullum ex se, et citra principalis causæ motionem, vitalem habent impetum ; sed quidquid ex suopte censu conferunt, id mutum est, et inanimum, et ad materiam potius, quam ad formam, et naturam attinet. Ideo S. Thomas unicam dixit operationem, et ἐνέργειαν esse securis et artificis, si rationis, intelligentiæque opera propria spectemus. Quippe nullam ejusmodi formam, et agendi vim, ac principium per sese habet instrumentum illud arte constans, sed neque naturale ; uti corpus si cum anima comparetur. Verum natura hominis sic ad agendum adhibita est a Verbo, ut ipsa per se, suoque marte navaret aliquid ; ac vivam, efficacem, et intelligentis propriam uti naturam, sic efficientiam haberet, et in opus contribueret. Fuit enim non φυσικὸν, id est *naturale*, eo, quem exposuimus, sensu, sed ὑποστατικὸν instrumentum, hoc est hypostasi conjunctum ; quod proinde peculiarem, et ab agentis causæ præcipuæ natura diversam formam, et οὐσίαν obtineret.

XIII. Ex quo illud certius, manifestiusque constat, quod supra disseruimus [2] ; actiones naturam potius sequi, quam subsistendi proprietatem, sive hypostasim. Videmus enim, naturis multiplicatis, actiones fieri multiplices, tametsi una sit persona, quæ agit : neque pro numero personarum, plures actiones existere, ubi eadem est natura communis. Sic enim trium in Trinitate personarum unica est, et simplex operatio, ut alibi diximus [3]. Quamobrem admonendus est theologus, particulam διὰ, quæ vel efficienti causæ per instrumentum operanti, vel utcumque per aliud, tanquam per virtutem, et δύναμιν agenti principio tribuitur, non eadem notione accipi debere, sed pro eo ac subjecta res postulat : ut alias diversa subsit amborum ἐνέργεια, alias unica sit, ejus videlicet, quod agit, et alterius per quod agere dicitur. Exempli causa, Christum per Spiritum sanctum, tanquam proprium, operari Scripturæ prædicant ; et Cy-

(1) ARIST. lib. 4. de Part. an. cap. 10. pag. 1192. Ἡ δὲ χεὶρ ἔοικεν εἶναι οὐχ ἓν ὄργανον, ἀλλὰ πολλά.

[1] Cap. 13. vide § 3. — [2] Cap. 2. — [3] Lib. 4. de Trin. cap. 15.

rillus Alexandrinus (1) in epistola tertia ad Nestorium id observat. Tum Patrem per Filium agere, ac creare omnia eadem Scriptura testatur. In iis, et similibus locutionibus, præpositio διὰ non duas ἐνεργείας indicat, sed unam duntaxat, propter unitatem naturæ. At cum διὰ σαρκὸς, id est, *per carnem*, sive per assumptum hominem Verbum operari dicimus, tum particula διὰ non unam esse operationem significat, eo quod plures in eam naturæ concurrunt. Quod ipsum in instrumento quoque valere cernimus, ut si ex propria forma, et agendi insita virtute aliquid in ἐνέργειαν conferat, ea sit duplex. Sin præter alienam impressionem nihil adhibeat, unica sit operatio : ut ex S. Thoma paulo ante demonstravimus.

XIV. Exinde septima regula succedit : Non omnia per humanam suam naturam, tanquam per instrumentum hypostatice sibi conjunctum, dici agere Deum Verbum, quæcumque molitur : sed ea tantum, quæ ad salutem nostram, et susceptam humani generis redemptionem, ac mediatoris officium pertinebant. Non enim creari mundum a Verbo per assumptum hominem, vel angelos ipsos, hominesve dixerit quispiam. Multo minus Spiritum sanctum communi cum Patre spiratione produci.

Hanc regulam Rusticus diaconus in disputatione contra Acephalos tradidit, ex eaque discrimen animæ, per corpus et in corpore operantis, et Verbi, in homine et per hominem similiter agentis, explicat [1]. « Anima, *inquit*, nullatenus foris a corpore suo habet operationis principium : Deus autem Verbum et in humanitate existens, in cœlo, et ubique consuetas operationes implevit, licet quasdam et inæstimabiles etiam per corpus. Quid enim differebat ad operationes ejus, quæ sunt ab initio, utrum non haberet, an haberet humanitatem ; dum per humanitatem non plueret, non tonaret, non astra moveret ; et (si licet simpliciter dicere) nihil per eam amplius sit operatus, nisi sola, quæ noviter propter nostram sunt facta salvationem, pro qua et inhumanatus est ? »

XV. Octava regula : Ita per assumptum hominem Deus Verbum operatus est, ut nec ipse solam illi communicarit ἐνέργειαν, sive actionem quasi transeuntem impresserit ; neque Pater, neque Spiritus sanctus ; quamvis omnes illi per divinum templum, et in templo aliquid egisse memorentur. Quod græce dicunt, οὐκ ἐνηργῆσθαι, vel ἐνεργούμενον fuisse hominem in Christo. Quippe operatus ipse est unus et idem Deus et homo secundum naturam utramque ; et efficientiæ divinæ pariter, et humanæ principium ac fontem habuit in se, non illius motionem, et impulsum ad tempus accepit.

Ut istius regulæ sensum penitus intelligas, scire juvat, quid sit apud græcos theologos ἐνεργεῖν, et ἐνεργεῖσθαι. Horum prius pro eo capitur, quod est ex se agere, ac propria vi ; nec aliena tantum impulsione moveri ad opus efficiendum. Sic ignis ἐνεργεῖν dicitur cum calefacit, quia vim in se caloris, et calefaciendi principium obtinet. Item architectus in ædificanda domo ἐνεργεῖν dicitur, quoniam structuræ totius causam, et agendi virtutem, id est ideam, et artem tanquam propriam ac suam obtinet. Ac ferramenta, uti malleus, securis, et reliqua artis instrumenta, quia principium in se non habent ædificii fabricandi, ἐνεργεῖσθαι dicuntur, id est *ad opus applicari*, aliena impressione, et agitatione, quam solam capiunt. Ita lunatici, et dæmoniaci proprie ἐνεργούμενοι dicuntur ; quia non agunt, sed aguntur præter voluntatem, et mira quædam, infandaque faciunt, quorum in se nullam causam, ac virtutem, et principium continent. Sic Marcus eremita (2) hominem a perturbationibus, quæ πάθη vocantur, ἐνεργεῖσθαι ait, id est præter voluntatem impelli.

XVI. Est apud Apostolum usus ejusmodi vocis illius, qui vulgo non satis animadvertitur. *In Christo Jesu*, inquit [2], *neque circumcisio aliquid valet, neque præputium ;* (3) *sed fides, quæ per charitatem operatur.* Ibi verbum *operatur* plerique activa significatione positum existimant, cum passiva potius accipi debeat. Græce est ἐνεργουμένη, quasi dicat, quæ *agitur, et animatur*, et ad operandum incitatur a charitate. Ita videtur Œcumenius intellexisse, cum ad eum locum istud adnotat : « (4) Non

(1) Cyril. in Eph. synod. tom. 2. Conc. pag. 212. F. Πάλιν αὐτὸς ἐνεργῶν διὰ τοῦ ἰδίου Πνεύματος.

(2) Marcus in Consultatione mentis cum anima, p. 285. Ἔγνων σαφῶς, ὦ ψυχὴ, ὅτι ἐγώ τε, καὶ σὺ παρὰ φύσιν ἐνεργούμενοι ὑπὸ ἀγνοίας πλανώμεθα.

(3) Gal. 1. Ἀλλὰ πίστις δὲ ἀγάπης ἐνεργουμένη.

(4) Œcum. Οὐκ ἀρκεῖ γὰρ μόνον τὸ πιστεῦσαι τῷ Χριστῷ, ἀλλὰ δεῖ τὴν πίστιν ταύτην ἐνεργεῖσθαι, καὶ διαφυλάττεσθαι, καὶ οἷον ἀναζωπυρεῖσθαι διὰ τῆς εἰς Χριστὸν ἀγάπης.

[1] Rust. to. 4. Bib. PP. p. 811. E.

[2] Gal. 5. 6.

enim sufficit tantummodo credidisse Christo : sed fidem oportet illam agi, et conservari, ac velut resuscitari per charitatem in Christum. » Theophylactus quoque ἐνεργεῖσθαι idem esse putat ac, *vivam ostendi,* « (1) Porro charitate destituta, minime est efficax, quemadmodum alibi scriptum est [1], *Fides sine operibus mortua est.* » Ut enim corpus anima privatum nullam habet vitalem operationem, quoniam agi, et moveri debet ab anima, ideoque mortuum est : ita fides, nisi a charitate agatur, et impellatur, laude ac merito caret. Hic autem Apostolus charitatem vocat, non perfectam illam, ac theologicam virtutem, aut affectionem animi : sed justi honestique Christiani generalem quemdam amorem, qui per omnes virtutes funditur. Hanc enim charitatis nomine comprehendi ab Augustino, alias observavimus. Porro fides non solius cognitionis est, et assensus : sed piam et honestam voluntatis inclinationem exigit, quem *affectum pium credendi* nuncupant theologi. Eo si careat, non virtus erit, sed simplex mentis et intelligentiæ ad id, quod propositum, perceptumque est, accommodatio. Cujusmodi in dæmonibus inesse , Jacobus apostolus affirmat. Proinde fides, ut virtus sit, ac laudabilis, et morali, ut vocant, dignatione censeatur, non solum voluntaria sit oportet; sed etiam ex pio, et honesto voluntatis affectu, nempe ex amore aliquo recti , atque Justi , qui Christianæ sit cujuspiam virtutis, quæ velut forma sit fidei sive assensionis illius, quæ ab intellectu proficiscitur, et eam ac per eam operetur. Hinc paraphrastes syrus , quod Apostolus vocat *fidem quæ per charitatem operatur*, ita vertit, « (2) Fides quæ perficitur a charitate. » Perficitur enim revera fides, dum operatione, et impulsione bene affectæ voluntatis imperatur.

XVII. Hoc sensu negant theologi veteres, maxime græci, hominem in Christo ἐνηργῆσθαι. Ita Chrysostomus ad illa Nicodemi verba, quibus Christum alloquitur [2], *Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister. Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* « (3) Ille, *inquit*, adhuc eodem, quo hæretici, modo loquitur, aliena operatione actum ipsum dicens, et aliorum ope indigentem ea fecisse, quæcumque fecit. Quid igitur Christus? Vide mirabilem demissionem. Noluit ita loqui, Nihil ego alienæ opis egeo, sed cum potestate omnia facio, quippe germanus sum Dei filius, et eadem cum eo, qui me genuit, virtute præditus. » Quibus verbis propriam ejus significationem vocabuli, de quo modo quærimus, habes expressam. Siquidem ex propria, et insita vi, ac potestate non agere, sed auxilio alterius indigere, et virtutis, quæ in eo residet, fructum et efficientiam duntaxat, velut transeuntem, percipere, illud est ἐνεργούμενον esse. Talem de Christo hæretici illi opinionem susceperunt, qui Deum illum non esse rati sunt; sed hominem merum, qui, perinde ut prophetæ, ex intervallo, divinæ operationis et instinctus vim ac motionem in seipso caperet; nec fontem ipsum gratiæ, et virtutis possideret, ex quo in ceteros sic tanquam rivi profluerent. Quemadmodum ille, quem in Proverbiis Sapiens alloquitur [3] : *Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide. Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui.* Atqui hujus potius Christus fuit similis : « Quia [4] *in ipso complacuit omnem plenitudinem divinitatis habitare corporaliter*, nequaquam per partes, ut in ceteris sanctis : sed juxta Evangelium eorum, quod hebræo sermone conscriptum legunt Nazaræi : Descendet super eum omnis fons Spiritus sancti, » ait Hieronymus [5].

XVIII. Basilius in eamdem sententiam pulchre ita scribit : « (4) Deus in carne non ex intervallo operans, ut in prophetis : sed consertam sibi humanitatem, et unitam possidens. » Ubi duo hæc invicem sibi opposita sunt, habere operantis ex intervallo Dei efficientiam; et divinitati conjunctam ipsi, ac velut congenitam esse hominis naturam : quo ex consortio principium ipsum ac virtutem propriam illius ista possidet; ita ut, quod alibi scribit Chrysostomus, « (5) Sive Filium

(1) Theophylact. Μάνθανε οὖν ὅτι ἡ πίστις ἐνεργεῖται μὲν δι' ἀγάπης, τουτέστι ζῶσα δείκνυται· μὴ ἔχουσα δὲ τὴν ἀγάπην ἀνενέργητός ἐστιν· ὅμοιον τῷ πίστις χωρὶς ἔργων νεκρά.

(2) Syrus paraph. היבנא דבוהגמורא בחובא.

(3) Chrys. hom. 24. in Joan. pag. 651. Ἐκεῖνος μέντοι ἔτι κατὰ τοὺς αἱρετικοὺς φθέγγεται, ἐνεργούμενον αὐτὸν, καὶ τῆς ἑτέρων βοηθείας δεόμενον, ταυτα πράττειν, απερ ἔπραττε, λέγων. Τί οὖν ὁ Χριστός; ὅρα συγκαταβάσεως ὑπερβολήν. Εἰπεῖν μὲν, ὅτι οὐδὲν δέομαι τῆς ἑτέρων βοηθείας, ἀλλὰ μετ' ἐξουσίας πάντα πράττω (καὶ γὰρ Υἱός εἰμι γνήσιος τοῦ Θεοῦ, καὶ τῆς αὐτῆς τῷ γεγεννηκότι δυνάμεως) παρῃτήσατο τέως.

(4) Basil. hom. 25. de Christi natali, t. 1. p. 586. Θεὸς ἐν σαρκὶ οὐκ ἐκ διαλειμμάτων ἐνεργῶν, ὡς ἐν τοῖς Προφήταις, ἀλλὰ συμφυῆ ἑαυτῷ τὴν ἀνθρωπότητα, καὶ ἡνωμένην κατακτώμενος.

(5) Chrys. hom. 3. in ep. ad Colos. cap. 1. 19. Τουτέστιν, εἴτε ἦν ὁ Υἱὸς, εἴτε ὁ Λόγος, ἐκεῖ ᾤκησεν, οὐχὶ ἐνέργειά τις, ἀλλ' οὐσία. Theophyl. legisse videtur εἴτι pro εἴτε.

[1] Jacobi 2. 17. — [2] Joan. 3. 2. — [3] Prov. 5. 16.

[4] Col. 1. 19. — [5] In caput 11. Esa. col. 85.

dixeris, sive Verbum, illic habitaverit non operatio duntaxat aliqua, sed substantia. »

Idem etiam Chrysostomus recte alio in loco quid nomine illo significaretur ostendit. Nam cum Martha dixisset [1], *Scio quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus,* « (1) Ut eam ab illa opinione deduceret, *inquit*, ac doceret, non se opus habere ab alio accipere, sed ipsum fontem bonorum esse, sic loquitur: Ego sum resurrectio et vita, hoc est, non expecto dum operationem alterius excipiam, sed a meipso omnia facio. »

Sic Gregorius Nazianzenus in Oratione tricesima sexta, « (2) Christus, *inquit*, propter divinitatem dicitur. Ea enim humanitatis unctio est, non operatione, ut in aliis Christis, sanctificans, sed totius ungentis præsentia. » Et in epistola priore ad Cledonium, quæ oratio quinquagesima prima numeratur : « (3) Si quis, *inquit*, tanquam in Propheta dicit secundum gratiam inoperatum, et non secundum substantiam conjunctum, et complasmatum (conjungi) Verbum, sit vacuus melioris operationis; magis vero plenus adversæ. » Ita Nazianzeni verba latine vertit Rusticus diaconus in libro contra Acephalos [2].

XIX. Hic autem Gregorii Nazianzeni anathematismus Paulum Samosatenum, et Photinum, imo etiam Arianos pulsare videtur, ac ceteros divinitatis Christi hostes hæreticos : quos Nestorius ex parte secutus, simili ab Cyrillo sententia petitus est, quæ in anathematismo septimo continetur : cujus enarrationem vide in fine libri sexti, ubi de ἐνεργουμένῳ nonnulla dixi. Verum suspicor adversus Apollinarem, cujus hæresis in epistola refutatur, intortum hunc anathematismum ab Gregorio fuisse; quo ab se, et a catholico dogmate, falso conjectam ab hæretico illo propulsaret calumniam. Hic enim Catholicis exprobrabat, dici ab ipsis Christum ἐνεργούμενον, quod integrum hominem assumptum a Verbo putarent : ex quo consequens esset, id quod assumptum erat, Dei operatione affici, ac moveri, utpote ab illo gubernatum; non autem Deum esse. Quod ut vitaret, solum corpus a Deo susceptum asserebat, quod divinitati, velut formæ, copulatum Deus esset.

Extat inter Athanasii rejicula disputatio quædam Apollinaristæ cum Catholico, in qua hæreticus ejusmodi argumentum instituit : « (4) Homo, *inquit*, a Deo actus, non est Deus : corpus autem Deo copulatum, Deus est. Atqui Christus est Deus. Non igitur a Deo est actus homo, sed corpus cum Deo compositum. » Cui sic orthodoxus respondet : « Non esse Christum hominem actum a Deo, sed Deum homini conjunctum, sive unitum. »

Sane Spiritum sanctum Deum esse, paris et ejusdem cum personis ceteris potestatis, eo inter alia probant argumento veteres, quod operatur ex se ipse, non operatione alterius cietur, et afficitur. Ita Chrysostomus ad illa Pauli [3], *Hæc omnia operatur unus et idem spiritus*, refellit hæreticos asserentes Spiritum sanctum actum a Deo dici hæc operari : « (5) Quippe ipsummet operari, non operatione agi alterius, et operari prout vult, non prout jubetur. »

XX. Origenes in tomo secundo, sive libro contra Celsum, parum castigate de Christo, quod ad divinitatis in homine, ac per hominem ἐνέργειαν attinet, mihi locutus videtur, et idcirco notandus hoc loco venit. Cum enim objicientem induxisset [4] Epicureum Celsum, non videri Deum esse Christum, qui cum ad mortem quæreretur, et supplicium, turpiter ignaveque delituerit, atque ab suis discipulis proditus sit ; mox ei sic respondet : Neque corpus, quod in Christo apparebat, et oculis ac sensibus occurrebat, fuisse Deum ; sed nec animam ipsam, de qua dictum est [5], *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Sed quemadmodum Deus per prophetas tanquam per

(1) CHRYS. hom. 26. in Mat. ad cap. 8. 10. Ἀπάγων τῆς τοιαύτης ὑπονοίας αὐτὴν, καὶ διδάσκων ὅτι παρ' ἑτέρου οὐ δέεται λαβεῖν, ἀλλ' αὐτός ἐστιν ἡ πηγὴ τῶν ἀγαθῶν, φησίν· ἐγώ εἰμι ἡ ἀνάστασις, καὶ ζωή. Τουτέστιν οὐκ ἀναμένω δέξασθαι ἐνέργειαν· ἀλλ' οἴκοθεν πάντα ἐργάζομαι.

(2) NAZIANZ. pag. 592. Χριστὸς δὲ διὰ τὴν θεότητα. Χρίσις γὰρ αὕτη τῆς ἀνθρωπότητος, οὐκ ἐνεργείᾳ, κατὰ τοὺς ἄλλους Χριστοὺς, ἁγιάζουσα, παρουσίᾳ δὲ ὅλου τοῦ χρίοντος.

(3) Id. orat. 51. pag. 739. Εἴ τις ὡς ἐν Προφήτῃ λέγοι κατὰ χάριν ἐνηργηκέναι, ἀλλὰ μὴ κατ' οὐσίαν συνῆφθαί τε, καὶ συνάπτεσθαι, εἴη κενὸς τῆς κρείττονος ἐνεργείας, μᾶλλον δὲ πλήρης ἐναντίας. Rusticus legit, καὶ συναναπεπλάσθαι pro συνάπτεσθαι.

(4) Tom. 2. Athan. pag. 214. argum. 21. ΑΠΟΛ. Ἄνθρωπος ὑπὸ Θεοῦ ἐνεργούμενος, οὐ Θεός· σῶμα δὲ συναφθὲν Θεῷ, Θεός· Θεὸς δὲ ὁ Χριστός. Οὐκ ἄρα ὑπὸ Θεοῦ ἐνεργούμενος ἄνθρωπος, ἀλλὰ σῶμα πρὸς Θεὸν συντεθέν. ΟΡΘ. Οὐκ (ἂν) ἄνθρωπος μὲν ὑπὸ Θεοῦ ἐνεργούμενος ὁ Χριστὸς, ἀλλὰ Θεὸς ἀνθρώπῳ, ὡς αὐτὸς ὠνόμασας συντεθεὶς, ἤγουν ἑνωθείς.

(5) CHRYSOST. hom. 29. in 1. ad Cor. pag. 434. Ὅτι ἐνεργεῖ τὸ Πνεῦμα, οὐκ ἐνεργεῖται· καὶ ἐνεργεῖ ὡς βούλεται οὐ καθὼς κελεύεται.

[1] Joan. 11. 22. — [2] Tom. 4. Bib. col. 823. — [3] Ep. 1. Cor. 12. 11.

[4] Orig. 2. contra Cel. p. 64. — [5] Matt. 26. 38.

instrumenta locutus, multa dixit, quæ divinam majestatem, ac potentiam exprimunt: velut [1], *Ego sum Deus omnis carnis* : et [2], *Ante me non est alius Deus;* atque ut Apollo Pythius innumera per vatem fœminam fudit oracula; ita Deum Verbum, et summi Dei filium, in Jesu locutum dixisse [3], *Ego sum via, veritas, et vita*, et id genus alia de se ampla, et magnifica professum fuisse. Hæc cum scribit Origenes, non satis cum catholica regula consentaneus est : quæ non in homine Christo duntaxat extitisse, habitasseve Deum Verbum adstruit; sed ipsum etiam hominem fuisse: adeo ut qui extrinsecus in sensus, et oculos incurreret, et quem Apostoli videbant, et contrectabant, Deus esset, ac vita, ut Joannes testatur [4]. Porro non Deus tantum in homine Christo locutus est, ut in propheta aliquo, puta Zacharia, Angelus locutus legitur; sed ipsemet Deus homo factus loquebatur [5]. Addit tamen subinde Origenes istud : « (1) Hæc autem dicimus, non ut filium Dei a Jesu separemus. Siquidem unum, maxime post Incarnationem, cum Verbo Dei facta sunt anima, et corpus Jesu. Nam si, ut Paulus tradit, qui adhæret Domino, unus spiritus est : quisquis noverit, quid sit adhærere Domino; et, qui adhæret ipsi, unus est spiritus cum Domino; quanto divinius, et excellentius unum est id, quod aliquando cum Verbo Dei compositum fuit? » Hæc verba non satis declarant, cujusmodi Verbum inter et hominem intercessisse conjunctionem putaverit. Nam et Nestorius qui σχετικὴν solam agnoscebat, arctissimam tamen, et individuam eamdem esse palam asserebat. Sed hæc missa faciamus.

XXI. Nona et postrema regula est : Operationes Christi etiam humanas, communesque nobiscum, singularis cujusdam excellentiæ fuisse, ac novas, et hactenus inusitatas : ita ut licet eadem ac nos faceret, diversa tamen, et longe præstantiore quam nos modo hæc operaretur. Hoc de Christi humanis, sive theandricis actionibus effatum, ex antiquorum Patrum sententiis efflorescit, quas supra retulimus [6], maxime Dionysii. Cujus ex epistola quarta commemoratus in capite decimo locus, tum ipsum ὑπὲρ οὐσίαν, id est *supra substantiam substantiatum*, ut sic dicam, fuisse docet: « (2) Ac supra homines hominem extitisse : tum operationes ipsas hominis proprias supra hominem exercuisse : » ut cum supra mare pedibus ambularet. Atque idem in capite secundo de Divinis nominibus, Hierothei ex *Theologicis informationibus* verba refert, quibus τὸ ὑπερφυὲς, καὶ ὑπερούσιον, id est *excellentem, et supra substantiæ modum eminentem*, humanæ Christi conditionis rationem grandibus, et exquisitis vocibus, et sententiis extollit, quarum hæc postrema : « (3) Unde quoniam vel ad naturam pro sua in humanum genus benignitate venit, et revera substantiatus est, et vir factus est is, qui supremus Deus erat, (propitia vero sint illa, quæ mentem omnem sermonemque superant, cum a nobis celebrantur,) etiam in istis suam habet natura et substantia majorem eminentiam : non solum quatenus citra mutationem et confusionem aliquam nobiscum communicavit; adeo ut nihil in superpleno suo statu ex inexplicabili exinanitione ista pateretur : verum etiam quoniam id, quod ex novis omnibus maxime novum erat in nostris naturalibus, natura omni sublimior extitit, et in iis, quæ secundum substantiam erant, supersubstantialis; cum ex nobis nostra omnia, supra nos præstanti ratione quadam obtineret. » Hic Dionysius Deum Verbum ait, cum naturam nullam in se haberet, (quippe natura proprie in Deum non convenit, ut alibi dixi, et Maximus ad hunc locum adnotat,) ita naturam suscepisse nostram, ac substantiam, ut natura tamen, et substantia omni præstantior esset, et hominis propria supra captum hominis obtineret, et exequeretur : de quo legendus Maximus, præsertim in scholiis ad epistolam quartam.

XXII. Tum idem in capitibus Theologicis eamdem Christi admirabilitatem luculenta

(1) ORIG. 2. contra Cel. pag. 65. Ταῦτα δέ φαμεν, οὐ χωρίζοντες τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ ἀπὸ τοῦ Ἰησοῦ· ἓν γὰρ μάλιστα μετὰ τὴν οἰκονομίαν γεγένηται πρὸς τὸν Λόγον τοῦ Θεοῦ ἡ ψυχὴ, καὶ τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ. Εἰ γὰρ κατὰ τὴν Παύλου διδασκαλίαν λέγοντος, ὁ κολλώμενος τῷ Κυρίῳ ἓν πνεῦμά ἐστι, πᾶς ὁ νοήσας τί τὸ κολλᾶσθαι τῷ Κυρίῳ, καὶ κολληθεὶς αὐτῷ ἕν ἐστι πνεῦμα πρὸς τὸν Κύριον· πῶς οὐ πολλῷ μᾶλλον θειοτέρως, καὶ μειζόνως ἕν ἐστι πνεῦμα πρὸς τὸν Κύριον;

(2) DION. epist. 4. Καὶ εἰς οὐσίαν ἀληθῶς ἐλθὼν, ὑπὲρ οὐσίαν οὐσιώθη. Καὶ ὑπὲρ ἄνθρωπον ἐνήργει τὰ ἀνθρώπου.

(3) DION. cap. 2. de Div. nom. pag. 272. Ὅθεν ἐπειδὴ καὶ ἕως φύσεως ὑπὸ φιλανθρωπίας ἐλήλυθε, καὶ ἀληθῶς οὐσιώθη, καὶ ἀνὴρ ὁ ὑπέρθεος ἐχρημάτισεν· ἵλεω δὲ εἴη τὰ πρὸς ἡμῶν τὰ ὑπὲρ νοῦν, καὶ λόγον ὑμνούμενα· κἀν τούτοις ἔχει τὸ ὑπερφυὲς, καὶ ὑπερούσιον· οὐ μόνον ᾗ ἀναλλοιώτως ἡμῖν, καὶ ἀσυγχύτως κεκοινώνηκε, μηδὲν πεπονθὼς εἰς τὸ ὑπερπλῆρες αὐτοῦ, πρὸς τῆς ἀφθέγκτου κενώσεως· ἀλλ' ὅτι καὶ τὸ πάντων καινῶν καινότατον, ἐν τοῖς φυσικοῖς ἡμῶν ὑπερφυὴς ἦν, ἐν τοῖς κατ' οὐσίαν ὑπερούσιος, πάντα τὰ ἡμῶν ἐξ ἡμῶν ὑπὲρ ἡμᾶς ὑπερέχων.

[1] Num. 27-16. — [2] Esa. 43. 16. — [3] Joan. 14. 6. — [4] Joan. ep. 1. c. 1. — [5] Zach. 1. 9. — [6] Cap. 10. et seq.

oratione describens, hæc inter alia scribit, « (1) Deus, *inquit*, cum supersubstantialis esset, et supersubstantiali conditione omni superior, ad substantiam volens descendere, supersubstantiali modo substantiatus est. Idcirco pro hominibus, utpote amans hominum, ex hominum substantia, revera homo factus, modum ipsum, quo factus est, obscurum, et inexploratum habens perpetuo remanet : quippe qui supra homines factus sit homo. »

Atque ut Christus ipse, et ex utraque natura persona constans, singularis est, et omni admiratione major, ac propterea novum quiddam, et inusitatum est : sic operandi ratio, qua communes nobiscum actiones exercuit, nova, et occulta est, ac stupenda, quam Dionysius *novam ac Deivirilem* appellavit. Quæ locutio « (2) novum, et occultum modum significat naturalium operationum Christi, ait Maximus in disputatione cum Pyrrho, ex arcana ratione manantem commeationis in se mutuæ naturarum Christi, necnon novum, et admirabile vivendi genus, quod secundum hominem gessit, naturæ rerum funditus ignotum. » Vide quæ de hac re Martinus papa in concilio Lateranensi disserit[1] : tum Ephræmii Antiocheni locum in sexta Synodo allatum actione decima[2]. Porro quæ in operationibus Christi fuerit nova, et stupenda illa ratio, ex superioribus capitibus, maxime decimo, necnon ex regulis hoc et antecedenti capite propositis, satis arbitror explicatum fuisse.

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

Monotheletarum objectiones præcipuæ contra duas operationes Christi solvuntur. Harum prima, quod unus sit operans. — 2. Ridicula præscriptio eorumdem hæreticorum. — 3. Item opponebant humanæ naturæ non tam *ἐνέργειαν* propriam esse, quam *πάθος*. — 4. Alia objectio, quod causæ agentis, et instrumenti una sit operatio. — 5. Alterum genus objectionum ex Patrum auctoritate, velut Dionysii, et Cyrilli. — 6. Cyrilli locus explicatur ex Maximo, — 7. necnon Gregorii Nysseni.

I. Ad operationis Christi theandricæ complendam, et absolvendam omni ex parte tractationem, unum illud restare videtur, ut quæ ab hæreticis adversus catholicum dogma, pro una et singulari actione objecta constat, relegamus, ac dissolvamus. Quanquam horum pleraque jam in superioribus libris, et hujus maxime capitibus enodata sunt : quæ propterea si non funditus hic omittimus, leviter tantummodo perstringemus. Horum vero argumentorum duo sunt genera : alia quippe ex conclusa ratione; alia ex auctoritate veterum sumpserunt.

In priori maxime ab illis usurpatum, et tralatitium istud fuit, quod ex operantis unitate, sive persona ipsa, et hypostasi petitur. Hoc enim pro certo, et confesso habere, et intentare consueverant; non esse plures operationes in Christo, quod una sit in eo persona; tanquam actiones ita personas consequantur, ut pro earum numero multiplicandæ sint. Verum huic falsæ rationi strenue Catholici restiterunt, qui pro naturarum varietate, diversas operationes esse, non pro numero personarum, e contrario pugnabant : hoc argumento maxime freti, quod naturæ cuique sua convenit operatio, tum quod in Deo neutiquam multiplicatis personis, existunt operationes diversæ. Est enim unica, et indivisa trium personarum actio. Quæ duo adversus Eutychianos primum, ac Monophysitas opposuere Patres, qui Chalcedonensis auctoritatem

(1) Maxim. in cent. 1. cap. Theol. cap. 12. Ὁ γὰρ Θεὸς ὑπερούσιος ὢν, καὶ ὑπερουσιότητος ἁπάσης ὑπερανεστηκὼς, εἰς οὐσίαν ἐλθεῖν βουληθεὶς, ὑπερουσίως οὐσιώθη. Διὸ καὶ ὑπὲρ ἀνθρώπων, ὡς φιλάνθρωπος ἐκ τῆς ἀνθρώπων οὐσίας ἀληθῶς ἄνθρωπος γεγονὼς, τὸν τοῦ πῶς ἄνθρωπος γέγονε τρόπον, μένει διὰ παντὸς ἔχων ἀνέκφαντον. Ὑπὲρ ἄνθρωπον γὰρ γέγονεν ἄνθρωπος.

(2) Maxim. pag. 702. E. Τὸν καινὸν, καὶ ἀπόῤῥητον τρόπον τῆς τῶν φυσικῶν τοῦ Χριστοῦ ἐνεργειῶν ἐκφάνσεως, τῷ ἀποῤῥήτῳ τρόπῳ τῆς εἰς ἀλλήλας τῶν Χριστοῦ φύσεων περιχωρήσεως, καὶ τὴν κατὰ ἄνθρωπον αὐτοῦ πολιτείαν, ξένην οὖσαν, καὶ παράδοξον, καὶ τῇ φύσει τῶν ὄντων ἄγνωστον.

[1] Secr. 3. pag. 695. col. 4.

[2] Tom. 5. Conc. p. 143. A.

synodi, et Leonis epistolam tuendam susceperunt. Hos enim Severus [1], aliique sectæ illius incessebant, quod diversis ejusdem Christi sanciendis actionibus, duos operantes, id est personas duas invexissent. Quam calumniam depellit Maximus martyr in disputatione cum Pyrrho [2] : Joannes Damascenus libro tertio [3]. Vide quæ supra capite secundo et sequentibus de ea re accurate disputavimus.

II. Adversus illa porro futile erat, et insulsum, quod Monotheletæ solebant excipere, et a Pyrrho allatum late dissolvit Maximus. Cum enim contra unius operationis in Christo professionem, communem Patrum sententiam opposuisset, quia ita docerent, ea quæ unius sunt substantiæ, unius operationis esse ; et quæ operationis sunt unius, ejusdem esse substantiæ ; itemque pro diversis substantiis, diversas operationes existere ; Pyrrhus hoc modo respondet : « (1) Patres illud usurpasse de his duntaxat quæ ad divinitatem spectant, non autem in his esse verum, quæ de assumpta humana natura prædicantur. » Verum statim Maximus instat, Dei filium etiam post Incarnationem Deum manere, et quæ sunt θεολογίας, hoc est ad divinitatem proprie attinent, non minus illi convenire. Alioqui non amplius consubstantialem Patri fore, nec ejusdem cum ipso naturæ pariter, et operationis. Quare [4] si Christus, qua Deus est, et ejusdem cum Deo Patre substantiæ, unam cum eo habet operationem : quatenus homo est, diversam ab eodem habeat necesse est.

III. Rursus ad id confugiebant Monotheletæ, ut se unam illam Christi operationem affirmare dicerent, quoniam humana operatio, si cum divina conferatur, non tam ἐνέργεια est, quam πάθος, id est affectio. Cujus vis argumentationis obiter est notata primo in hujus libri capite [5]. Atque huic est consentaneum Philonis illud in libro de Cherubimis : « (2) Proprium Dei esse facere, quod nefas sit factæ ulli rei tribuere. Proprium vero creaturæ, pati. » Hujusmodi porro lubricam tergiversationem Pyrrhus apud Maximum objicit [6], affertque Joannes Damascenus [7] ex eodem Maximo, et ambo similiter retorquent in auctores hæreticos. Si enim propterea una esse Christi debet operatio, quod solius divinitatis proprie sit actio ; humanitatis autem, passio ; eadem consequentiæ necessitas efficiet, ut una sit in eodem Christo natura Dei : quæ sola est operatrix, et actuosa; cum sit creata, patibilis potius. Quippe natura definiri et intelligi non potest aliter a nobis, quam ad motionem, operationemque comparata. Ideo quod in actu ipso, sive operatione, valere isti putant, idem et in operandi potentia, qualis est natura, locum habeat oportet. Atqui stulta, et inanis est hæreticorum ista cavillatio ; nec ea callidior, quam sic potest aliquis contexere : Non esse duas Christi naturas, sive substantias, sed unicam, eamque divinam, eo quod humana, ut et alia quævis creata nihil sit, nec substantiæ nomine digna; imo neque τοῦ ὄντος.

IX. Majorem probabilitatis speciem habet altera eorumdem argumentatio, quæ et proxime superiorem fulcire, ac plausibiliorem quodammodo facere videtur. Ea vero Apollinaris fuit, cujus in sexta Synodo sententia ista profertur : « (3) Instrumentum, et id quod movet, natura comparatum est ad unam actionem efficiendam. » Nam faber unam et eamdem cum malleo, exempli causa, ἐνέργειαν efficit. Verum huic argumento jam superiori capite respondimus, duplex instrumentum esse : alterum artificiale, quod agendi principio caret, et sola moventis impressione agitur: alterum naturale, vel substantivum, quod propria forma, et efficiendi vi, ac potestate præditum est, ideoque privatam habet, et confert in opus effectionem. Hujus posterioris generis est natura hominis in Christo ; quæ et ipsa propriam exercet actionem, nec tantummodo patitur, hoc est impellentis, et ad opus adhibentis causæ principalis impetum, ac motionem excipit : quod ex artis propriis instrumentis Pyrrhus, ceterique Monotheletæ in illam subdole transferebant.

V. Ceterum ex his, quæ antecedenti capite [8] de duplici instrumento, præeunte S. Thoma, diximus, diligenter oportet animadvertere ; naturam hominis in Christo duplicis quodammodo instrumenti rationem in se continere ; naturalis, et naturam excedentis, sive supernaturalis : ex quo consequens sit partim duas,

(1) PYRRH. apud Max. pag. 703. Τοῦτο ἐπὶ τῆς θεολογίας τοῖς πατράσι, οὐ μὴν δὲ καὶ ἐπὶ οἰκονομίας εἴρηται.

(2) PHILO pag. 121. B. Ἴδιον μὲν δὴ Θεοῦ τό ποιεῖν, ὃ οὐ θέμις ἐπιγράψασθαι γεννητῷ· ἴδιον δὲ γεννητοῦ τὸ πάσχειν.

(3) APOLLIN. citat. ab Agath. in Syn. 6. act. 4. pag. 52. F. Ὄργανον, καὶ τὸ κινοῦν μίαν πέφυκεν ἀποτελεῖν τὴν ἐνέργειαν.

[1] Vide Vigil. init. lib. 4. cont. Eut. et Eulog. apud Phot. lib. 225. p. 397. — [2] Vide p. 698. et seq.

[3] Lib. 3. c. 15. — [4] Vid. sup. c. 7. — [5] § 9. — [6] In Disput. p. 704. — [7] Lib. 3. c. 15. — [8] § 9.

partim unam dici ἐνέργειαν esse naturæ utriusque. Etenim si ad illa respectum habeas, quæ naturaliter ab homine proficiscuntur; ut sunt intelligentia, voluntas, locutio, contactus; propriam habuit humana in Christo natura functionem, et ab Verbi operatione distinctam; atque hoc modo duæ fuisse dicuntur ἐνέργειαι: quibus totidem effecta respondent: divinæ quidem, ea quæ, τοῦ ἡγεμονικοῦ propria est, motio et impulsio ac directio; qua Verbum subjectam sibi naturam suaviter quoquo vellet ciebat, et ad nutum torquebat: humanæ vero, consensio voluntatis, et ad exequendum facultatum corporis, velut manus ad contingendum applicatio. Verum si majora illa, et humanis viribus altiora spectes, quæ contactu, vel sermone suo Christus effecit; ut est cæcitatis abstersio, vel lepræ, aut ad vitam excitatio mortuorum, et cetera ejusdemmodi miracula; quorum naturalis causa non fuit humana natura: non erat mirabilium istorum operum ἐνέργεια, et efficientia duplex; ita ut una divinæ propria esset, humanæ altera: sed unica duntaxat operatio divinitatis, quæ humanæ naturæ actione, tanquam instrumento, uti voluit. Cujus proinde, ut et causæ principalis, unica fuit ἐνέργεια, si ad mira istæc opera referatur.

Hic vero callidam, et insidiosam latebram posuit Monotheletarum natio; quæ nonnisi acri, et intenta mentis acie discerni, dijudicarique poterat. Hujus insigne specimen dedit Macarius Antiochenus episcopus, ex illa secta recoctus hæreticus, in sermone quodam, seu libro ad Lucam presbyterum et monachum; ex quo ista referuntur in sexta Synodo. « (1) Quapropter et ad singula, quæ fiebant, velut cooperatricem quamdam, maxime ad hoc, sanctam suam carnem, assumere properabat: ut ostenderet illam vivificare posse; tanquam unum jam cum ipso factam; non utique natura, sed unitione dispensatoria, etc. Et quidem, quando archisynagogi filiolam suscitabat, dicens[1]: Puella, surge, manu eam prehendit, vivificans quidem, tanquam Deus, omnium opifice præcepto; vivificans autem rursus et per sanctæ suæ carnis attactum, ita ut unam, atque cognatam per hæc ambo operationem ostenderet. »

Tum Leonis papæ[2], ut apparet, verba hæc interpretans, quibus utramque formam agere dixit cum alterius communione; unam naturarum duarum operationem illis exprimi putat: « (2) Non enim, *inquit*, ex eo quod dixit, Vivificans, ut Deus: et vivificans etiam per contactum: secundum novos dogmatistas, vivificationes duas, et duas operationes intelligere nos docuit. » Hæc Macarius: quem vides unam affirmare naturarum ambarum ἐνέργειαν ex ipsa miraculi effectione, in qua Christi caro nullam propriam, ac naturalem efficientiam habuit; sed instrumenti duntaxat vicem naturalis ejus actio, id est contactus, operanti divinitati præbuit.

VI. Atqui non in eo deprehensi, ac pro hæreticis damnati Monotheletæ fuerunt, quod unam dicerent ἐνέργειαν esse utriusque naturæ ad extraordinaria illa opera molienda: sed quod ad naturales functiones, et consentanea iis effecta, vires ac facultates omnes hominis proprias, nec non operationes Christo subtraherent, et unicam naturis ambabus communem tribuerent. Naturales, inquam, ἐνεργείας, quas φυσικὰς, et ἀμωμήτους nominant; id est *naturæ humanæ congruas*, *neque vituperabiles* motiones adimebant; et singulares aiebant a divinitate per carnem, velut instrumentum, in externa manare opera. Quod sæpe Maximus, Joannes Damascenus, aliique testantur, uti supra demonstravimus. Quare mirifica fuit, et accurate cavenda fraus subdolæ istius hæresis, quam in Eutychianis ante illius exortum observavimus: siquidem[3] unicam, perinde ut qui post centum circiter annos extitere Monotheletæ, Christi operationem asseruit Anthimus Trapezuntinus primum, deinde Constantinopolitanus episcopus, Justiniano imperante, propter Eutychianæ labem hæresis ab Agapeto Romano pontifice in ordinem redactus. Hujus verba, quibus μίαν ἐνέργειαν, ac voluntatem, et cognitionem in Christo propugnavit, supra descripsimus e sexta Synodo[4]. Nunc illud admone-

(1) Macar. in act. 11. Syn. sextæ, pag. 189. D. Διὸ δὴ καὶ πρὸς ἕκαστα τῶν γινομένων συνεργάτιν ὥσπερ τινὰ πρὸς τοῦτο δὴ μάλιστα τὴν ἁγίαν αὐτοῦ λαμβάνειν ἠπείγετο σάρκα, ἵνα δεικνύῃ ζωοποιεῖν δυναμένην, καὶ ὡς ἓν ἤδη γενομένην πρὸς αὐτὸν, οὐ κατὰ φύσιν δῆλον, ἀλλὰ καθ' ἕνωσιν οἰκονομικὴν, etc. Καὶ γοῦν ὅτε τὸ τοῦ ἀρχισυναγώγου κόριον διανίστη λέγων· ἡ παῖς ἐγείρου, ἐκράτησε τῆς χειρὸς αὐτὴν, ζωοποιῶν μὲν ὡς Θεὸς τῷ παντουργῷ προστάγματι, ζωοποιῶν δ' αὖ πάλιν καὶ διὰ τῆς ἁφῆς τῆς ἁγίας αὐτοῦ σαρκὸς, μίαν τε, καὶ συγγενῆ δι' ἀμφοῖν ἐπιδεικνὺς τὴν ἐνέργειαν.

(2) Ibid. Οὐ γὰρ ἐκ τοῦ, καθάπερ εἶπεν, ζωοποιῶν ὡς Θεὸς· ζωοποιῶν δὲ καὶ διὰ τῆς ἁφῆς, ἤδη κατὰ τοὺς νέους τούτους δογματιστὰς, δύο ζωοποιήσεις καὶ ἐνεργείας δύο νοεῖν ἡμᾶς ἐξεπαίδευσεν.

[1] Marc. 5. 22. — [2] Epist. 10. c. 4. — [3] Lib. in Brev. c. 20. et Synod. Const. sub Menna Procop. 2. Got.

[4] Cap. 3. § 4.

mus, eadem in actione undecima sextæ Synodi, unde illa verba deprompsimus, alia subsequi, in quibus malitiosa fraus ista latet, et calumnia, quam in Macario deprehendimus. Ac paucis mutatis, iisdem plane Verbis concepta est Anthimi periocha, quibus illa Macarii : ut mihi verisimile videatur, Macarium in illo sermone septimo, cujus fragmentum Synodus sexta citavit, Anthimum hæresis suæ testem laudasse, et ejus verba posuisse. Ex quo liquido constat, Anthimum Eutychianum unicam in Christo ἐνέργειαν adstruere conatum esse ex editis ab illo miraculis, et idipsum generatim ad naturales omnes humanæ naturæ functiones callide transtulisse.

VII. Jam vero, quod ad testimonia priscorum Patrum attinet, quorum auctoritate nitebantur hæretici ; ea partim ementita, partim fraudulenter ab illis concinnata, et depravata sunt, partim male interpretando aliorsum, ac mens auctorum erat, per flagitium detorta. In sexta Synodo, ubi illorum artes, et calumniæ patefactæ, convictæque sunt ; quidam libri falso ab istis veteribus attributi commemorantur, ut Mennæ Constantinopolitani ad Vigilium papam [1], de una Christi voluntate : ut Vigilii ipsius duo, alter ad Justinianum imperatorem, alter ad Theodoram ejus conjugem, unam operationem asseverantes. In actione vero quinta, et octava ejusdem synodi complura loca ex veris sanctorum Patrum monimentis ab Macario Antiocheno collecta perhibentur : quæ cum authenticis collata codicibus patriarchii Constantinopolitani deprehendit Synodus mala fide decerpta esse, ac detruncata ; et ideo communibus omnium suffragiis damnata sunt.

Eorum porro testimoniorum, quæ specie aliqua illorum hæresi blandiuntur, perpauca sunt hic referenda : nam nec alioqui magna talium istis copia suppetebat. Horum caput Dionysii locus ille fuit, et ab eo primum excogitata vox θεανδρικὴ, ex qua totos pendere se profitebantur. Sed de hac copiose hactenus diximus [2], ab eaque fucum hæreticum, et insulsa otiosorum hominum commenta depulimus.

Secundum hunc, unus ex Cyrillo expressissimus iis visus est, et contra Catholicos firmissimus locus, quem Pyrrhus Maximo in Disput. objicit. Scripsit enim magnum illud Ecclesiæ lumen, « (1) Christum unam cognatam operationem per ambas naturas ostendisse. » Cui Maximus ita satisfacit ; non illum voluisse unam duarum naturarum operationem esse, sed divinitatis duntaxat ipsius unicam fuisse tam ante susceptum hominem, quam post : atque ita Verbum carnem factum divinam ἐνέργειαν, qualem antequam homo fieret, et cum Patre communem, explicuisse per carnem in extraordinariis operibus, ac miraculis faciendis.

At idem Maximus in epistola ad Nicandrum, aliter Cyrillum, et, ut opinor, probabilius exponit ; affirmans unam et eamdem vocari actionem naturarum duarum, et cognatam, propter arctissimam earum copulationem ; qua fit ut, quemadmodum natura hominis assumpta, sic hujus actio divina sit, et Verbi propria. Itaque in unam et eamdem effectionem ambæ pro captu suo concurrebant, hoc est, in idem opus, et rem effectam, sive ἀποτέλεσμα, cujusmodi erat mortui ad vitam revocatio, vel visus restitutio. Ubi duæ omnino efficientiæ, et ἐνέργειαι ab eadem persona diversis ex principiis manabant, et in unum effectum conveniebant.

VIII. At nonnulla ex illo Maximi loco describenda sunt, quæ usui nobis erunt in sequentibus maxime ad eludendas anonymi calumniatoris sophisticas argutiunculas. « (2) Unam, *inquit*, actionem vocat unitione : cognatam vero, ratione partium ; utpote quæ ejusdem fuerit in omnium efficiente imperio, et sanctæ carnis attactu. Etenim per ambo ista Deus Verbum manifeste illam ostendebat, eo ipso, quod per carnem vivificabat, eam per totum vivificam esse demonstrans. Quemad-

(1) MAX. in Disp. pag. 701. Μίαν συγγενῆ δι' ἀμφοῖν ἐπιδεδειγμένον ἐνέργειαν, τὸν Χριστὸν δηλαδὴ φήσας : qui Cyrilli locus libro 4. comm. in Joan. legitur, pag. 361.

(2) MAXIM. apud Euth. Pan. pag. 654. lat. Μίαν μὲν τῇ ἑνώσει, συγγενῆ δὲ πάλιν τοῖς μέρεσιν· ὡς τοῦ αὐτοῦ οὖσαν ἔν τε παντουργῷ προστάγματι, καὶ ἁφῇ τῆς ἁγίας σαρκός. Δι' ἀμφοῖν γὰρ ὁ Θεὸς Λόγος ταύτην σαφῶς ἐπεδείκνυτο, δεικνὺς τῷ καὶ δι' αὐτῆς ζωοποιεῖν, ὡς καὶ αὐτὴ γέγονε δι' ὅλου ζωοποιός. Καθάπερ καὶ πῦρ διὰ σιδήρου καῖον, ἑνώσει τῇ πρὸς αὐτὸ καυστικὸν ἀποφαίνει τὸ σίδηρον· ὡς εἶναι λοιπὸν διὰ τοῦτο μὴ τοῦ πυρὸς κατὰ φύσιν μόνον τὴν καῦσιν, ἀλλὰ καὶ τοῦ σιδήρου διὰ τὴν ἕνωσιν· καὶ τὴν ἐν τοῖς θαύμασιν θείαν τοῦ Λόγου πάλιν ἐνέργειαν μὴ αὐτοῦ μόνον διὰ τὴν φύσιν ὑπάρχειν, ἀλλὰ καὶ αὐτῆς τῆς ἁγίας σαρκὸς, διὰ τὴν πρὸς αὐτὸν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν. Συνεργάτιν γὰρ ἑαυτοῦ ταύτην ἐν τοῖς θείοις παρελάμβανεν.

[1] Act. 3. p. 27. et seq. et Act. 12. p. 195. et seq. et Act. 14. pag. 235.

[2] Vide cap. 10.

modum et ignis per ferrum urens, unitione illa, qua secum jungitur, urendi vi præditum efficit ferrum: adeo ut propterea non solius ignis secundum naturam deinceps sit adustio, sed etiam ferri propter unitionem : ac similiter divina Verbi in miraculis operatio, non ejus tantummodo sit ob naturam ; verum etiam sanctæ carnis ipsius, propter hypostaticam cum illo copulationem. Siquidem actionis secum participem illam in divinis præstandis adhibebat. » Deinde quod ad vocabulum συγγενῆ spectat, docet idem Maximus, solere Patres, tam ad ejusdem, quam ad diversæ substantiæ res explicandas, illud accommodare. Ut cum Gregorius Nazianzenus de anima loquens, quæ corpus resumet in resurrectione, sic loquitur : « (1) Paulo post vero , et cognatam carnem receperit, quocum cœlestem vitam instituebat. »

Item Gregorii Nysseni dictum Sergius Constantinopolitanus Monotheletarum sectæ architectus affert in epistola ad Honorium papam. Qui contra Eunomium scribens, asserit : « (2) ita divinitatem per corpus, quod induit, communem omnium revera salutem operari, ut propria sit carnis perpessio, Dei vero sit operatio. » Verum nihil hoc in Gregorii loco ambiguum est, ac difficile, si ea consideres, quæ paulo superius [1] animadvertimus de ἐνεργείᾳ et πάθει. Natura quippe hominis agendo patitur : et cum de operationibus contra hæreticos disputamus, passiones quoque comprehendi, dictum est capite primo libri hujus [2].

(1) Naziánz. orat. 10. pag. 173. D. Μικρὸν δὲ ὕστερον καὶ τὸ συγγενὲς σαρκίον ἀπολαβοῦσα, ᾧ τὰ ἐκεῖθεν συνεφιλοσόφει.

(2) Gregor. Nyssen. in 6. Syn. act. 12. pag. 201. Ἐνεργεῖ γὰρ ὡς ἀληθῶς ἡ θεότης διὰ τοῦ περὶ αὐτὴν σώματος τὴν τοῦ παντὸς σωτηρίαν ὡς εἶναι τῆς μὲν σαρκὸς τὸ πάθος, τοῦ δὲ Θεοῦ τὴν ἐνέργειαν.

[1] § 3.

[2] § 9.

LIBER NONUS.

IN QUO DE VOLUNTATE CHRISTI DISSERITUR.

—

CAPUT PRIMUM.

De voluntate quædam alibi dicta repetendo perstringuntur. — 1. Voluntatem, sive volitionem ab ἐνεργείᾳ discerni ; ac tam pro facultate ipsa, quam pro actione sumi. — 2. Quid sit θέλησις, et βούλησις. — 3. De voluntate naturali, sive φυσικῇ, et ὑποστατικῇ, sive γνωμικῇ. — 5. Voluntatem alias spectari ut est natura, alias ut est libera. — 6. Actionum series in libera voluntatis operatione summatim proponitur. — 7. De Christi libera voluntate disputandi aditus ; et cur de libertate universe in sequentibus agi oporteat.

I. Etsi de voluntate Christi Domini, qua sub actionis genere continetur, non pauca diximus in superiore libro ; complura tamen explicanda restant istius propria formæ, quæ separatim huic libro mandare decrevimus. Ac primum ex iis, quæ in exponenda ἐνεργείᾳ, de voluntate obiter injecta sunt, quædam hic summatim notari oportet, ac sive repeti ex antecedente libro, sive adjici, quæ ad insequentium tractationem necessaria videntur.

Quorum primum illud esse debet ; quamvis si proprie, præciseque loquimur, θέλησις, id est *voluntas*, sive, quod in Scholis percrebuit, *volitio*, species aliqua sit ἐνεργείας, differre tamen ab ea ex usu, institutoque veterum, cum de utraque contra Monotheletas disputant, quod in capite quinto libri superioris copiose docuimus.

Alterum est, voluntatis nomine, tam hæreticos Monotheletas, quam Catholicos adversus horum hæresim disputantes, non solam intellexisse *volendi* actionem, sed etiam facultatem, et δύναμιν : id quod capite quarto ejusdem libri demonstratum est universe, et in ipso genere actionis, sub quo voluntas continetur : et hoc idem postea speciatim de ista confirmabimus.

II. Præterea nominum diversitas animadvertenda est, quibus ea vel facultas volendi, vel actio a Græcis exprimitur. Sunt autem hæc fere : θέλησις, θέλημα, βούλησις, et βουλή. Quod postremum vocabulum, cum vulgo pro *consilio* sumatur, nonnunquam simplicem voluntatem, sive *volitionem* designat, præsertim apud Cyrillum. Cujus exemplum nunc unum occurrit ex libro de Incarnatione : « (1) Deus enim, *inquit*, es, voluntate, quidquid visum est, faciens. »

Quod ad ceteras voces attinet, observabis Joannem Damascenum inter θέλησιν, et βούλησιν discrimen istud agnoscere, ut θέλησις sit appetendi facultas ipsa ; βούλησις hujus, aut illius appetitio. Sic enim ambo ista definit. « (2) Est, *inquit*, θέλημα appetitus rationalis, et vitalis ex iis solis, quæ naturalia sunt, pendens. Quare θέλησις est idem naturalis, et rationalis appetitus ; atque omnium, quæ naturam constituunt, simplex vis et facultas. Siquidem eorum, quæ expertia sunt rationis, appetitio, cum non sit rationalis, θέλησις non dicitur. At βούλησις est certa naturalis voluntas, sive naturalis, et rationalis appetitio rei cujuspiam. Inest enim hominis animæ facultas appetendi secundum rationem. Cum igitur naturaliter motus fuerit hic rationalis appetitus ad rem aliquam, dicitur βούλησις. Est enim βούλησις appetitio, et cupiditas rationalis cujuslibet rei. »

(1) Cyrill. apud Euthym. Panop. tit. 13. lat. pag. 541. Θεὸς γὰρ ὑπάρχεις, βουλῇ τὸ δοκοῦν ποιῶν.

(2) Damasc. lib. 2. cap. 22. pag. 140. Θέλημά ἐστιν ὄρεξις λογική τε, καὶ ζωτικὴ μόνων ἠρτημένη τῶν φυσικῶν. Ὥς τε ἡ μὲν θέλησίς ἐστιν ἡ αὐτὴ ἡ φυσικὴ, ζωτική τε καὶ λογικὴ ὄρεξις, πάντων τῶν τῆς φύσεως συστατικῶν ἡ ἁπλῆ δύναμις. Ἡ γὰρ τῶν ἀλόγων ὄρεξις μὴ οὖσα λογικὴ οὐ λέγεται θέλησις. Βούλησις δέ ἐστι, ποιὰ φυσικὴ θέλησις, ἤγουν φυσικὴ καὶ λογικὴ ὄρεξίς τινος πράγματος. Ἔγκειται μὲν γὰρ τῇ τοῦ ἀνθρώπου ψυχῇ δύναμις τοῦ λογικῶς ὀρέγεσθαι. Ὅτε οὖν φυσικῶς κινηθῇ αὕτη ἡ λογικὴ ὄρεξις πρός τι πρᾶγμα, λέγεται βούλησις. Βούλησις γάρ ἐστιν ὄρεξις, καὶ ἔφεσίς τινος πράγματος λογική.

Idem in libro de Duabus voluntatibus Christi [1] accurate, ac subtiliter ista discernit. Nam θέλημα ambiguæ significationis esse dicit : et aliquando idem esse ac θέλησις, quæ est θελητικὴ δύναμις, id est *volendi facultas :* alias sumi pro eo quod θελητὸν dicitur, hoc est *res quæ appetitur* : tum alia quamplurima pertexit; ex quibus id, quod ad negotium nostrum pertinet, quodque magni interest scire, breviter adnotabimus, non ex illo tantum libro de Duabus voluntatibus sed etiam ex aliis, maxime ex tertio de Fide, capite 14. necnon ex Maximo martyre in disputatione cum Pyrrho, unde pleraque ille transtulit.

III. Igitur imprimis considerandum illud monet [2], sitne voluntas naturale aliquid, an hypostaticum; hoc est naturam consequatur ipsam, an hypostasim. Ac respondet natura insitum esse omni homini, ut velit; nec esse quemquam, qui non aliquando aliquid voluerit; hoc ergo φυσικὸν, id est *naturale* est, simpliciter velle. Verum hoc vel illud velle, bene item aut secus, id vero non esse a natura inditum, sed arbitrarium, et singulis quibusque proprium, quod γνωμικὸν, et ὑποστατικὸν vocat. Primum genus, quod est absolute velle, θέλησιν appellari dicit [3], hoc est *facultatem volendi*, et videlicet actionem ipsam, præcise spectatam, ut actio est rationalis appetitus, non ut hoc vel illo est affecta modo, adeoque bona, vel mala, et hujus aut illius est appetitio. Posterius vero nominari θελητὸν, in quo præter id, quod naturale est, et commune omnibus hominibus, quod est velle, et appetere simpliciter, reperitur etiam τὸ πῶς, καὶ τί, hoc est *quomodo, et quid.* Nimirum singularis est appetitio voluntatis quibusdam definita et implicata circumstantiis, quæ illum modificant, ac determinant. Secundum quas hanc, illamve rem, eamque bonam, aut malam, ac certa ratione persequitur. Cujusmodi voluntas naturalis non est : neque enim eadem in omnibus individuis reperitur : quam propriam ejus, quod φυσικὸν appellatur, notam assignat his verbis : « (1) Quod unaquæque, *inquit*, habet hypostasis, naturale est. Id enim naturale dicimus, quod in omnibus ejusdem speciei et substantiæ hypostasibus cernitur. »

Idipsum et in tertio libro de Fide orthodoxa capite 14. perspicue magis exponit : ubi « (2) aliud » observat « esse velle; aliud aliquo modo velle; ac velle naturæ esse, sicut et videre, quod omnibus inest hominibus; at vero certo modo velle non esse naturæ, sed arbitrii, consiliique nostri. Sicut et certo modo videre, bene scilicet, aut male. Non enim homines omnes eodem modo volunt, nec eodem vident.

Quocirca non esse φυσικὸν hoc secundum volendi genus, sive *volitionis* asserit, sed γνωμικὸν, et ὑποστατικὸν, quia non naturam sequitur, nec commune est speciei toti; sed proprium singulorum omnium, qui pro eo ac lubet, et ut affecti sunt, ita bene aut secus utuntur naturali voluntatis facultate, nec eodem modo agunt omnes.

IV. Declarat hoc etiam egregie Maximus martyr in disputatione cum Pyrrho [4], ubi et [5] cum hæreticus iste voluntatem, quam unicam agnoscebat in Christo, ab suis γνωμικὸν dici θέλημα dixisset, quid ea vox significet, inquirit primo, et Cyrillo assentitur asseveranti, γνώμην esse τρόπον ζωῆς, id est *vitæ modum*, nempe cum secundum virtutem, aut contrario modo vivitur : ac sic illam definit, ut sit « (3) cujusdammodi voluntas, quæ cum affectu, et habitudine aliquid, quod vel reipsa bonum, vel tale existimatum est, amplectitur. » Nec longe postea [6] γνώμης vocabulum tam in Scripturis, quam apud Patres, varias habere significationes asserit, et ad viginti octo a se notatas : quarum præcipuas recenset quatuor, nempe ut pro *adhortatione*, ac *præceptione* sumatur, tum pro consultatione, item pro sententia, necnon pro opinione, fide, vel sensu : quæ Joannes Damascenus in calce capitis decimi tertii libri tertii percensuit.

Anastasius Sinaita in eo libro, qui Ὁδηγὸς, id est *viæ dux*, inscribitur [7], perinde θέλημα aliud esse docet φυσικὸν, id est *naturale*, aliud γνωμικόν; naturale est quod omnibus inditum est, ut amare vitam; γνωμικὸν vero, quod

(1) DAMASCEN. de Duab. volun. pag. 481. Ὅπερ δὲ ἑκάστη ὑπόστασις ἔχει, φυσικόν ἐστιν. Φυσικὸν γάρ ἐστι τὸ ἐν πάσαις ταῖς ὁμοειδέσι, καὶ ὁμοουσίοις ὑποστάσεσι θεωρούμενον.

(2) Idem 3. de Fide, cap. 14. pag. 218. Ἰστέον γὰρ ὡς οὐ ταὐτόν ἐστι θέλειν, καὶ πῶς θέλειν. Τὸ μὲν γὰρ θέλειν φύσεως, ὥσπερ καὶ τὸ ὁρᾷν· πᾶσι γὰρ ἀνθρώποις πρόσεστι. Τὸ δὲ πῶς θέλειν, οὐ φύσεως, ἀλλὰ τῆς ἡμετέρας γνώμης, ὥσπερ καὶ τὸ πῶς ὁρᾷν, καλῶς, ἢ κακῶς. Οὐ γὰρ πάντες ἄνθρωποι ὁμοίως θέλουσιν, οὐδ' ὁμοίως ὁρῶσι.

(3) MAXIM. disp. pag. 686. Οὐκοῦν ἡ γνώμη οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν, ἢ ποιὰ θέλησις, σχετικῶς τινος, ἢ ὄντος, ἢ νομιζομένου ἀγαθοῦ ἀντεχομένη.

[1] Jo. Damasc. p. 480. — [2] Damasc. ibid. — [3] Ibid. p. 482. — [4] Max. p. 680.

[5] Ib. p. 686. — [6] Max. ib. p. 688. — [7] Anast. p. 40.

pro singulorum affectu, et propensione varium est, velut alius ædificare vult, alius arare, alius hoc illudve facere. Vide et Theorianum in legatione ad Armenos, qui eadem cum illis explicat : et inter cetera, facultatem ipsam volendi naturalem esse ; usum vero, ac modum illius exercendæ, ὑποστατικὸν, id est personalem : « (1) Sicut naturæ est, semper ad loquendum esse comparatum, personæ vero est, quodammodo loqui ; itidemque sunt, ad volendum esse comparatum, et quodammodo velle : » ex quibus prius naturale dicitur, alterum personale.

V. Ut hæc plenius, et accuratius intelligantur, recolenda sunt illa, quæ de voluntate, et ejus actionibus copiose alibi sunt dicta [1], maxime in libro 3. de Opificio sex dierum ; atque hoc præ ceteris, quod e S. Thoma Aquinate memoravimus [2] : duo in volendi facultate esse spectanda ; unum quod est natura, alterum quod est voluntas. Si ut est natura consideretur, necessario in id quod bonum est tendit, eoque determinatur. Ut autem voluntas est, sive liberum arbitrium, et præter summum, et ultimum finem alia expetit, nulla necessitate circumscribitur. Horum primum, ad illud refertur, quod φυσικὸν θέλημα Græci nominant, hoc est *naturalem voluntatem*, quam Joannes Damascenus definit, ut sit, « (2) Naturalis facultas eorum appetens, quæ sunt secundum naturam, et ea continens, quæ substantive sunt insita naturæ. Etenim substantia tum esse, ac vivere, tum moveri secundum sensum ac mentem appetit ; proprium ac naturalem suum statum plenum et integrum habere cupiens. Quippe natura seipsam vult, atque ex omnibus appetitione pendet, quibus constituitur, et conservatur, ex ipsa extandi ratione, qua est. » At posteriore modo sumpta voluntas est ea, quam *liberam* vocamus ; sive *liberum arbitrium*. Quam ibidem ille describit sic, ut sit « (3) Mentis absoluto imperio præditæ libera, et sui juris motio. »

Et quamvis libera ipsa voluntas natura sit, (« Est enim motus naturæ voluntas, ut ait Augustinus [3], quoniam motus est animi, ») nihilominus naturam ab illa distinguimus ; vel potius eamdem voluntatem alias spectamus, ut necessitate aliqua definitur, sive quatenus uniusmodi rei est adstricta ; et sine electione, ac deliberatione, quodam velut pondere, in illam rapitur ; ut cum bonum universe dicitur expetere : vel naturæ sponte seipsam amat, ac fovet, eaque quibus conservatur appetit. Alias eam sic intuemur, ut circa illa versatur, quæ *media* dicuntur : ex quibus pro jure, et arbitrio suo quodcumque voluerit eligit, nec ulla necessitate, vel determinatione uni potius, quam alteri est addicta. Hæc pluribus exposita sunt in iis libris, in quos paulo ante digitum intendimus.

VI. Ex quibus etiam resumendum illud est, quod ad γνώμης, et γνωμικοῦ θελήματος notionem capiendam valde pertinet, ex Joanne Damasceno petitum, qui in secundo libro de Fide capite 22. [4] voluntatis in agendo motiones ita seriatim describit. Harum primam ait esse βούλησιν, quam *volitionem* Scholæ nuncupant, quæ sit *rei cujuspiam rationalis appetitio*, et est proprie finis ; hanc *intentionem* Latini vocant [5]. Post hanc sequitur ζήτησις, id est *inquisitio*, et *consideratio*.Tum, si ea res in potestate nostra est, succedit *consilium*, sive *consultatio*, quam βουλὴν, et βούλευσιν vocat : cum illud in deliberationem adducitur, quid ex pluribus præferendum sit. Succedit deinde κρίσις, id est *judicium*, quo ex duobus propositis id, quod melius, ac conducibilius videtur, anteponendum censetur. Post hanc oritur affectus quidam, et amor erga id quod melius esse judicatum est : et hanc γνώμην appellari dicit. Nisi enim afficiatur erga illud, quod in consultatione prælatum est alteri, idque amet, γνώμη non dicitur. Hunc *consensum* vocat S. Thomas, de quo tota quæstione 15. disputat. Post γνώμην oritur ἡ προαίρεσις, quæ est electio, cum præ uno alterum eligitur, et asciscitur. Inde ὁρμὴ, sive motus, et impetus ad illud prosequendum : quam *prosecutionem* vulgo nominant. Post hanc χρῆσις, id est usus, in quo desinit appetitio. Hæc Damascenus, qui mox diversum in brutis animantibus agendi modum explicat :

(1) THEOR. tom. 11. bibl. pag. 467. E. Ὥστε φύσεως μὲν τὸ ἀεὶ πεφυκέναι λαλεῖν, ὑποστάσεως δὲ τὸ πῶς λαλεῖν. Ὥσπερ καὶ τὸ πεφυκέναι θέλειν, καὶ πῶς θέλειν.

(2) DAMASC. lib. de Duab. vol. pag. 485. Θέλησις δὲ ἀνθρωπίνη ἐστὶ φυσικὴ δύναμις τῶν κατὰ φύσιν ὄντων ὀρεκτικὴ, καὶ τῶν οὐσιωδῶς τῇ φύσει προσόντων συνεκτική. Ἡ μὲν γὰρ οὐσία τοῦ τε εἶναι, καὶ ζῆν, καὶ κινεῖσθαι κατ' αἴσθησίν τε, καὶ νοῦν ὀρέγεται, τῆς οἰκείας ἐφιεμένη φυσικῆς, καὶ πλήρους ὀντότητος. Θελητικὴ γὰρ ἑαυτῆς ἐστιν ἡ φύσις, καὶ πάντων τῶν συστατικῶν αὐτῆς τῷ τοῦ εἶναι λόγῳ, καθ' ὅν ἐστι, καὶ γέγονεν ὀρεκτικῶς ἐπηρτημένη.

(3) Ibid. Καὶ πάλιν, αὐτοκράτορος νοῦ κίνησις αὐτεξούσιος.

[1] Lib. 5. de Deo c. 1. et seq. et lib. 3. de Opif. c. 4. et seq. — [2] Q. 22. de vol. Dei. ar. 5. quod retuli l. 3. de Opif. c. 4. § 3.

[3] Aug. 5. cont. Jul. cit. in Sex. Syn. p. 42. tom. 5. Conc. — [4] Pag. 140. supra cit. § 2. — [5] S. Th. 1. 2. q. 12.

in quibus ex appetitione statim impetus, et rei appetitæ persecutio nascitur. Quippe rationis est expers irrationalium cupiditas, et aguntur naturalis illecebra cupiditatis. Ideo neque θέλησις, neque βούλησις appellatur brutorum appetitio. Subjicit his discrimen humanæ voluntatis, et appetitionis. « (1) Voluntas, *inquit*, est rationalis et sui juris, ac naturalis appetitio. In hominibus vero, qui sunt rationis capaces, agitur magis naturalis appetitus, quam agit. Nam libera potestate, et cum ratione movetur, quoniam conjunctæ sunt in ipso cognoscentes, vitalesque facultates. Itaque libere appetit, et libere vult, et libere quærit, ac considerat, libere consultat, libere judicat, libere afficitur, libere eligit, libere prosequitur, libere agit in iis, quæ naturæ consentanea sunt. »

VII. Sed illud imprimis considerandum est, quod idem Damascenus, aliique de Christo constanter affirmant; non fuisse in eo γνωμικὸν θέλημα, neque γνώμη : de quo postea pluribus. Ex quo illa suboriri quæstio potest; utrum in ipso libera voluntatis facultas, sive liberum arbitrium, idque ceterorum hominum simile fuerit. Nam si γνώμῃ caruit, quem consensum voluntatis S. Thomas, Græci vero affectum erga id, quod in consultatione placuit, appellant: neque προαίρεσις, id est, *electio* fuerit. Quod quidem isti sponte concedunt : idque oppido mirum est, et propterea diligentius inquirendum. Siquidem nulla toto hoc in Incarnationis mysterio perplexa magis, ac difficilis habetur quæstio. Hanc autem non aliter intelligi, et exponi posse perspicuum est, quam si libertatis ipsius, et arbitrii liberi propria, et sincera ratio bene perspecta, et explorata sit.

Quo in argumento tribus libris alibi multum elaboravimus [1] : ac nihil fere nobis reliqui fecimus, quod hoc loco tractemus, nisi ut, quod illic adversus novæ factionis licentiam, de libertatis natura, et proprietate ex antiquorum Patrum auctoritate demonstratum est, novis additis eorumdem testimoniis validius, ac robustius adstruamus. Tanta est enim novi, et insulsi, imo hæretici dogmatis propugnandi in nupera ista secta, et tam animosa contentio, ut fracti, et convicti nondum acquiescant, et contra manifestam, ac splendidam catholicæ veritatis lucem, tenebras opponant damnati, et proscripti pridem in auctoribus suis hæreticis, quos illi sequuntur, erroris.

Certe anonymus ille nescio quis [2], qui pro Lutheri et Calvini fautore alteram apologiam edidit adversus D. Habertum, nunc illustrissimum Vabrensem episcopum, integerrimum, et eruditissimum virum, de hoc ipso capite, quod ad libertatem attinet, litem illi non dubitavit intendere, et id vehementius probare studuit : « Libertatem necessitati minime esse contrariam, imo cum ea, quantumlibet inevitabili, posse consistere. » Tum vero inter alia, quæ ad hoc demonstrandum adhibuit, argumenta usus eo est ipso, quod hoc libro tractare decrevimus, ex Christi voluntate libera petito, quacum bene agendi et moriendi quoque imposita necessitas, sine ulla pugna constitit.

Ea me res admonuit, ut antequam de Christi libertate agerem, de toto ipso genere libertatis nonnulla præfarer, sub ea, quam paulo ante dixi, præscriptione, ut iis omissis, quæ plenius tribus illis libris sum prosecutus, novam duntaxat ex antiquis Patribus testimoniorum copiam proferam, qua illustretur magis, ac firmius adstringatur perpetuum illud, et catholicum de libertate decretum cujus in istis libris adversus hæreticam calumniam patrocinium suscipimus.

(1) Damasc. ibid. cap. 22. pag. 131. Θέλησις γάρ ἐστι λογική, καὶ αὐτεξούσιος φυσικὴ ὄρεξις. Ἐπὶ δὲ τῶν ἀνθρώπων λογικῶν ὄντων ἄγεται μᾶλλον ἡ φυσικὴ ὄρεξις, ἤπερ ἄγει. Αὐτεξουσίως γὰρ, καὶ μετὰ λόγου κινεῖται, ἐπειδὴ συνεζευγμέναι εἰσὶν αἱ γνωστικαὶ, καὶ ζωτικαὶ δυνάμεις ἐν αὐτῷ· αὐτεξουσίως οὖν ὀρέγεται, καὶ αὐτεξουσίως βούλεται, καὶ αὐτεξουσίως ζητεῖ, καὶ σκέπτεται, αὐτεξουσίως βουλεύεται, καὶ αὐτεξουσίως κρίνει, καὶ αὐτεξουσίως διατίθεται, καὶ αὐτεξουσίως προαιρεῖται, καὶ αὐτεξουσίως ὁρμᾷ, καὶ αὐτεξουσίως πράττει ἐπὶ τῶν κατὰ φύσιν ὄντων.

[1] Vide lib. 3. et seq. de Opif.

[2] Apol. 2. lib. 3. c. 3.

CAPUT SECUNDUM.

De liberi arbitrii natura, et definitione. — 1. Cujus ea notio communis traditur, ut sit potestas unius e duobus asciscendi, au refutandi, nulla necessitate constricta. — 2. Cui hæretici, et novi dogmatistæ reclamant, dum necessitatem negant cum libertate pugnare circa unum idemque. — 3. Quid sit indifferentia liberi arbitrii propria, eique naturalis. — 4. Veterum Patrum, ac primum græcorum testimoniis probatur, arbitrii liberi naturam in ea utriusvis eligendi potestate citra necessitatem, esse constitutam.

I. Bene hoc in Epicuro reprehensum est a M. Tullio[1], quod cum finem ultimum, ac summum bonum in voluptate poneret, huic ipsi nomini *voluptatis* non eamdem, quam communiter omnes, sed aliam, nec eam quidem satis constanter, notionem subjiceret. Nam cum invidiosum, et infame videret esse, tum vocabulum illud, tum quod eo significatur ; quod illum profiteri pudebat, idipsum obscurare, ac dissimulare interpretandi calumnia studuit, et extorquere ex animis cognitiones verborum, quibus imbuti, assuetique sumus. Itaque negare illius discipuli solebant, vulgo sciri ab iis, qui contra disputabant, quam diceret Epicurus voluptatem. Sed eos merito deridet, arguitque Cicero, quod rem pervagatam, omnibusque notam trita voce nominantes, non idem quod ceteri mortales intelligerent.

Hujus non dissimilis nostra de novi dogmatis patronis querela esse potest : qui cum de libertate voluntatis humanæ disputant, vim faciunt communibus sensibus, et usitatam, ac receptam *liberi* significationem prava et absona interpretatione detorquent. Etenim quicumque liberi hominem arbitrii esse dicit, si quod dicit novit, aut cogitat, nihil aliud ejus occurrit animo, nisi sic a natura illum esse factum, ut in potestate habeat agere, vel non agere ; itemque de duobus sibi propositis alterutrum eligere, ita ut huic ipsum potius, quam illi, nulla determinans necessitas addicat. Hanc liberi arbitrii vim, et notionem docti, et indocti pariter agnoscunt in eaque constituenda perpetuus Christianæ sapientiæ cum profana consensus extitit. Quæ res collatis inter se Aristotelis, ceterorumque philosophorum, ac veterum Patrum, theologorumque sententiis demonstrata est tribus illis libris, quos de eo argumento scripsimus. Ex quibus verissime hoc a S. Thoma litteris proditum esse constat[2] : « Voluntatem esse activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa. » Tum quod alio in loco docuit[3] : « Proprium liberi arbitrii esse electionem. Ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimur, quod possumus unum recipere, alio recusato, quod est eligere. Et ideo naturam liberi arbitrii ex electione considerare oportet. »

Non alia mens est Nemesii, Maximi martyris, Anastasii Sinaitæ, Joannis Damasceni, Græcorumque ceterorum, qui ad scholasticum nostrorum tradendæ Theologiæ morem propius accesserunt, ac de liberi arbitrii natura subtilius, atque ex professo disputarunt. Qui quidem Aristotelem in omnibus secuti, ex eo quoque verba ipsa mutuati sunt. Nec secus alii græci, latinique Patres existimarunt, ut ex multorum testimoniis, quæ in illis libris descripsimus, tum ex iis, quæ subinde referemus, cognosci poterit.

Quorum omnium eo placita conspirant, ut liberum arbitrium circa ea tantummodo versetur, in quibus esse potest electio : quæque et contingentia sunt, et plura inter se comparari debent, ut libera sit, ex ambobus saltem, unius optio. Ex quo sequitur, in rebus necessariis, et ad unum redactis, ac determinatis, quæque aliter fieri nequeunt, nullam esse liberi functionem arbitrii : eo quod neque consilio ac deliberationi, nec electioni ibi locus est, ubi totum necessitas occupavit.

II. At nuperi nostri dogmatistæ, naturæ, communisque sensus, et rationis obliti, tot veritatis catholicæ contemptis testibus, ad hæreticos, capitales fidei et Ecclesiæ hostes, adhærescere maluerunt : ac de liberæ voluntatis natura, et proprietate idem prorsus cum ipsis, et iisdem sententiis, argumentis, verbisque sentire. Quod ne quis casu potius, quam certo consilio, ac de industria factum ab illis esse putet, cogitare debebit, non temere ac fortuito tantam catholicorum theologorum

[1] Lib. 1. de fin. — [2] In 1. 2. q. 10. art. 4.

[3] In 1. par. q. 83. ar. 3.

consensionem cum Romanæ communionis inimicis gravissima omnium in re, et contentione partium assidue splendideque jactata oriri potuisse. Isti ergo quid? Utrosque complector, confessos hæreticos, et novos dogmatistas ejusdem cum illis opinionis participes. Necessitatem simplicem asserunt non repugnare liberæ voluntati, nec eam perimere; imo vero cum ea consistere; sed solam coactionem, ac violentiam. Itaque libere illud agi ab homine, quod necessario fit; ut in eo peccet etiam, quod vitare non potest, et in quod determinante necessitate trahitur. Hæc, et iis plura recens Armacanorum natio; cujus partes contra justissimam illustrissimi D. episcopi Vabrensis expostulationem tuendas suscepit anonymus secundi Apologetici scriptor. Qui hoc insuper ex novantiquæ hæresis antesignano notare nos jubet: [1] « Hominum viatorum non solum coactionis expertem esse libertatem, sed etiam necessitatis immutabilis voluntariæ; hoc est eam ad utrumque indifferentem esse: sed in illa indifferentia sitam esse generaliter humani arbitrii libertatem, id vero Patres pernegare. Nam quamvis ista indifferentia certissimum in creatura rationali libertatis indicium sit, non tamen libertatis est causa, vel ratio. » Ex quo ita colligit [2]: « Indifferentiam illam, quæ, quamdiu in terris vivimus, libertati est adjuncta nostræ, non ad ejus essentiam pertinere; posseque libertatem cum inevitabili agendi necessitate constare: dummodo necessitas ista ex ipsa voluntate proficiscatur, et ex ejus immobili stabilitate, qua ad rem sibi objectam velut adstricta tenetur: cujusmodi in beatis est amor Dei, quem eatenus amant necessario, quod impense, ac vehementer amant; nec ulla res est, quæ ipsos ab illa delectatione, ac voluptate divellat, quam ingentem ex amore isto, et inexplicabilem capiunt. »

III. Atqui cum de liberi arbitrii conditione, et ea, quam vulgo illi tribuunt, indifferentia loquuntur isti, solemne suum obtinent, ut quid dicant, nesciant. Etenim τὸ ἀδιάφορον, id est *indifferentiam*, aliorsum distrahunt, atque eorum fert ratio, qui libertatis essentiam in ea collocant. De quo illorum errore alibi monui [3]: et nunc breviter haberi sic volumus; indifferentiam liberæ voluntatis nihil aliud appellari a nobis, quam solutam, et expeditam ab omni necessitate, ac determinatione, cujusvis e propositis duobus eligendi potestatem; qua sic unum amplectimur, ut alterum, quo cum illud contenditur, si velimus, possimus asciscere. Et ut uno verbo definiam, indifferens idcirco liberum arbitrium dicitur, quod cum duo semper, plurave habeat in promptu, de quibus deliberare, ac consultare possit, ecquod ex illis eligat, tum hoc an illud faciat; nulla, quominus quod volet asciscat, necessitate prohibetur, quæ ad unum illorum alliget, nec integram permittat ceterorum optionem. Ea porro libertatis, et indifferentiæ ratio non hominibus inest tantum, quamdiu *viatorum*, ut vocant, statu censentur; nec angelis duntaxat, creatisve rebus omnibus: sed in Deo ipso reperitur. Est enim cum libertatis arbitriive genere, ac notione conjuncta, et ad ejus essentiam, ac definitionem pertinet, quæ per omnes ratione præditas substantias, nulla excepta, diffunditur. Esse autem liberum in Deo voluntatis arbitrium, abunde in quinto de Deo libro tomi primi comprobatum est [4]. Cujus in eo sitam indifferentiam agnoscimus, quod [5] *omnia quæcumque voluit fecit in cœlo, et in terra; in mari, et in omnibus abyssis:* tum quod ex infinitis rebus, quæ intelligentiæ, potentiæque subjectæ illius erant, certas, uti libitum est, delegit, quas ex nihilo procrearet, sepositis aliis, quas, si vellet, proferre in lucem utique potuisset. Nisi forte angusti, et pusilli adeo sumus, ut quæ Deus opera fecit, necessario fecisse putemus; nec integrum habuisse, vel non ista creare, quæ reipsa molitus est, vel alia pro illis, aut cum illis, quæ non sunt condita, producere. Quæ calumnia compressa est a nobis, et elisa in eodem illo libro quinto; et libertatis propria tum universe, tum divinæ præsertim, explicata ratio.

His itaque lineis disputationi nostræ positis, ostendamus eam esse liberæ voluntatis naturam, et indifferentiam, ut e duobus in unum inclinare suopte nutu, et arbitrio possit: nec uni duntaxat addici se, aut ad hoc potius, quam alterum volendum, necessario determinari patiatur. De quo cum haud pauca in illis, quæ supra memoravi, libris [6] conquisita et congesta testimonia sint: tum hic nonnulla subjiciam; quo tanti momenti res luculenta veterum testificatione comprobata magis eniteat, et contrarius huic error, tantæ auctoritatis pondere pudefactus et convictus, minore licentia grassetur.

[1] Apol. 2. lib. 3. c. 3. p. 26. — [2] Ib. § 29. — [3] Lib. 5. de Opif. c. 11. § 2.

[4] Cap. 4. et seq. — [5] Ps. 134.— [6] De Deo lib. 5. De Opif. lib. 3. 4. et 5.

IV. Ut a græcis igitur Patribus ordiar, primus et antiquissimus est Justinus martyr, qui disertissime, ac luculentissime catholico de libertate dogmati suffragatus est non uno in loco : adeo quidem, ut Abrahamus Scultetus, Romanæ hostis Ecclesiæ[1], inter illius nævos hunc adscripserit, quod « magnifice de αὐτεξουσίῳ, sive libertate voluntatis humanæ » senserit. quam « opinionem in Platonis schola natam illi esse » calumniatur ; eodem genio instinctus, quo Armacani nostri ; qui ut in cetera omni liberi arbitrii explicanda ratione, sic in isto philosophicæ libertatis infamando, exprobrandoque dogmate, mirifice cum hæreticis consentiunt.

Justinus ergo in Apologia priore Stoicos arguit, qui mortalium rerum habenas, præsertim humanarum voluntatum, fatalibus e causis suspensas esse crediderunt : « (1) Atqui secundum liberam electionem unusquisque, *ait*, recte agit, aut peccat. » Mox vero : « Quoniam autem liberum, et sui juris angelorum, hominumque genus ab initio fecit Deus, juste propter ea, quæ peccaverint, in æterno igne pœnas persolvent. Est illa quippe creaturæ cujusvis natura, ut sit vitii, ac virtutis capax. Nam nihil ab illis laude dignum fieret, nisi in utramque partem converti possent, ejusque rei facultatem obtinerent. »

Et in Apologia posteriore[2], contra eamdem fati necessitatem disputans, simili utitur argumento, quod recte, aut secus factorum merces a Deo constituta sit hominibus ; quæ nulla esse posset, si τὸ ἐφ' ἡμῖν, id est libera potestas arbitrii, tolleretur, quam fatalis illa perimit necessitas. « (2) Ac nisi libera electione ad turpia vitanda, et honesta amplectenda, ait idem, potestatem haberet humanum genus, extra culpam esset qualicumque factorum. » Quod deinceps fusius explanat : et, quod valde est observandum, iisdem prorsus Scripturæ testimoniis affirmat, quibus adversus hæreticos, et horum simios Armacanos, liberi, quod utrique negant, arbitrii vim, et liberam electionem adstruimus. Ut est illud Mosis in Deuteronomio[3], *Testes invoco hodie cœlum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam.* Et Isaias propheta[4], *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, etc. Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.* His igitur Scripturæ sententiis recte arbitrii libera facultas, et determinantis ad unum necessitatis soluta nexibus, contra Lutherum, Calvinum, et horum asseclas, novos dogmatistas approbatur ; nec verendum est, ne hæc, et similia loca ad innocentis Adami statum detorquenda videantur : quæ est illorum ludicra, et stuporis plena tergiversatio. Vide Justini ejusdem nomine inscriptas responsiones ad Orthodoxorum quæsita, ad octavam et nonam quæstionem : ubi de liberi arbitrii indifferentia superiorum similia disputat.

V. Irenæus præter illa, quæ in tertio libro de Opificio citavimus[5], hoc etiam docet[6], « id quod semper erat liberum, et suæ potestatis in homine, semper servasse Deum, et suam exhortationem, ut juste damnentur qui non obediunt ei, quoniam non obedierunt ; et qui obedierunt, et crediderunt ei, honorentur incorruptibilitate. » Clemens Alexandrinus egregie quoque, ac frequenter eamdem voluntatis liberam, ac sui juris potestatem indicat : ut in quinto Stromateo ; ubi et Platonis testimonio utitur, quod et Justinus attulit. « (3) Liberum, *inquit*, ac sui juris arbitrium his verbis Plato significat : Virtus nullius dominatu coercetur, quam quidem ut quisque honorat, vel despicit, plus minusve ejus erit particeps. Culpa illius est, qui elegit ; Deus extra culpam est. »

Et in septimo Stromateo « (4) electionem » vocat « animæ sui juris, et absolutam. » Tum aliquot interpositis, « (5) Humanæ animæ libe-

(1) JUST. pag. 35. Ἀλλὰ κατὰ μὲν τὴν προαίρεσιν ἕκαστον κατορθοῦν, ἢ ἁμαρτάνειν, etc. Ἀλλ' ὅτι αὐτεξούσιον τό τε τῶν Ἀγγέλων γένος, καὶ τῶν ἀνθρώπων τὴν ἀρχὴν ἐποίησεν ὁ Θεὸς, δικαίως ὑπὲρ ὧν ἂν πλημμελήσωσι τὴν τιμωρίαν ἐν αἰωνίῳ πυρὶ κομίσονται. Γεννητοῦ δὲ παντὸς ἥδε ἡ φύσις, κακίας καὶ ἀρετῆς δεκτικὸν εἶναι. Οὐ γὰρ ἂν ἦν ἐπαινετὸν οὐδὲν αὐτῶν, εἰ οὐκ ἦν ἐπ' ἀμφότερα τρέπεσθαι, καὶ δύναμιν εἶχε.

(2) Idem Apol. 2. pag. 63. v. 3. Καὶ αὖ, εἰ μὴ προαιρέσει ἐλευτέρᾳ πρὸς τὸ φεύγειν τὰ αἰσχρὰ, καὶ αἱρεῖσθαι τὰ καλὰ δύναμιν ἔχει τὸ ἀνθρώπειον γένος, ἀναίτιόν ἐστι τῶν ὅπως δήποτε πραττομένων.

(3) CLEM. Alex. 5. Strom. pag. 447. Τό τε αὐτεξούσιον ὁ Πλάτων ἐνδείκνυται διὰ τῶνδε· Ἀρετὴ δὲ ἀδέσποτον, ἣν τιμῶν, καὶ ἀτιμάζων πλέον, καὶ ἔλαττον ἕκαστος αὐτῆς μεθέξει. Αἰτία, ἑλομένου· Θεὸς, ἀναίτιος.

(4) Id. 7. Strom. pag. 507. Τὴν αἵρεσιν τῆς γνώσεως, ἣν αὐτοκρατορικὴν ἐκέκτητο ἡ ψυχή.

(5) Id. pag. 508. E. Τὸ αὐθαίρετον τῆς ἀνθρωπίνης ψυχῆς, καὶ ἀδούλωτον πρὸς ἐκλογὴν βίου.

[1] Scult in Medul. Par. 1. p. 46. — [2] Just. p. 62. et seq.

[3] Deut. 30. 19. — [4] Is. 1. 16. — [5] C. 8. § 6. — [6] Ir. lib. c. 29.

ram, et ab omni servitute immunem in eligendo vitæ genere potestatem. » Item, « (1) Credere et parere in nostra potestate situm est.»

Rursus in eodem libro, « (2) hominem *ait* voluntarie, et libera electione ad salutem tendere. » « Ideo, *inquit*, et præcepta accepit homo, utpote qui ex sese moveri, et incitari potest ad quodcumque libuerit eorum, quæ eligenda, vel fugienda sunt. »

VI. Origenes item plerisque in locis liberi arbitrii expeditam ab omni necessitate vim, et potestatem, hoc est τὸ ἀδιάφορον, insigniter commendat : cujus aliquot sententias alibi descripsimus [1]. Nunc una superest omnium expressissima, quæ hujusmodi proprietatem illius pulcherrime demonstrat. Sic igitur libro primo in epistolam ad Romanos [2] : «Non enim vi res agitur, *inquit,* neque necessitate in alteram partem anima declinatur; alioquin nec culpa ejus, nec virtus posset adscribi; nec boni electio præmium, nec declinatio mali supplicium mereretur : sed servatur ei in omnibus libertas arbitrii, ut in quodcumque voluerit, ipsa declinet, sicut scriptum est : Ecce posui ante faciem tuam vitam et mortem, et ignem et aquam. Vita ergo Christus est, et mors novissimus inimicus, qui est diabolus. Habet ergo in arbitrio suo anima, si velit, eligere vitam Christum, aut in mortem ad diabolum declinare. »

Mox usum illius, et indifferentem ad utrumque propensionem graphice ita describit [3] : « Ponamus esse aliquod domicilium, in quo cum corpore et spiritu, velut cum duobus consiliariis, habitet anima, pro foribus vero hujus domicilii adstare pietatem, omnesque cum ea virtutes : ex alia vero parte impietatem, omnesque luxuriarum, et libidinum formas expectare animæ nutum, quem ex duobus pro foribus observantibus introduci ad se decideret, quem repelli. Nonne si spiritui obtemperans, et meliori usa consiliario, pietatis, et pudicitiæ ad se revocaverit chorum, ille alius spiritus repudiatus discedet? Si vero carnis usa consiliariis, impietatis ad se, et libidinis introduxerit turmam, omnis illa sanctitatis, et pietatis corona cui malorum anima concilium præposuit, justa cum indignatione recedet, et membrum Christi, et templum Spiritus sancti relinquens, eam in desideriis cordis sui permittet : ut ignominia, et contumeliis afficiat corpus suum in semetipsa, quæ commutavit veritatem Dei in mendacium, et introducens ad se impietatis, et infidelitatis principem, colit, et servit creaturæ potius, quam Creatori, qui est benedictus in secula. »

Habes illic accuratam et illustrem consultantis liberæ voluntatis imaginem, ac τὸ ἀδιάφορον, quo cum necessitas, et determinatio nequit consistere [4]. Idem in secundo libro contra Celsum, de futurorum, quæ ab nostra libertate pendent, præscientia loquens, ostendit nullam ex ea necessitatem oriri; nec minus ad utrumque voluntatis liberam esse propensionem. Itaque quod de Juda proditore prædictum est in Psalmo 108. multis illum malis affectum iri [5], *pro eo quod non est recordatus facere misericordiam : et persecutus est hominem inopem, et mendicum,* etc. non sic accipiendum esse, quasi aliter ille facere nequiverit. « (3) Enim vero in ejus potestate fuisse recordari faciendæ misericordiæ, et non persequi illum quem persecutus est. Sed cum id posset, non fecisse, sed persecutum esse : ideoque dignum fuisse propheticis illis imprecationibus. »

VII. Methodius qui paulo post Origenem vixit [6], eumque refutavit, Olympi in Lycia, ac deinde Tyri episcopus, et martyr, vir imprimis eruditus, et disertus, librum scripsit περὶ αὐτεξουσίου : tum de resurrectione contra Origenem : ex quo pleraque descripta leguntur apud Epiphanium, quæ summatim decerpsit Photius [7]. Hic de libero arbitrio, et τῷ ἀδιαφόρῳ ipsius, consentanea communi scripsit Catholicorum sententiæ, novæ autem et hæreticæ valde contraria, quorum nonnulla alio loco retuli : hic autem non minus aperta, et expressa ponam, quæ apud Epiphanium leguntur in Hæresi Origenis. « (4) Neque enim, *ait*,

(1) Idem pag. 509. Ὅτι τὸ πιστεύειν τε καὶ πείθεσθαι ἐφ' ἡμῖν.

(2) Ibid. pag. 520. Ἀλλὰ παντὸς μᾶλλον ἑκουσίως, καὶ προαιρετικῶς σπεύσει πρὸς σωτηρίαν. Διὸ καὶ τὰς ἐντολὰς ἔλαβεν ὁ ἄνθρωπος, ὡς ἂν ἐξ αὐτοῦ ὁρμητικὸς πρὸς ὁπότερον ἂν καὶ βούλοιτο τῶν αἱρετῶν, καὶ τῶν φευκτῶν.

(3) ORIG. 2. con. Cel. pag. 75. Οὐκοῦν ἐδύνατο μνησθῆναι τοῦ ποιῆσαι ἔλεον, καὶ μὴ καταδιῶξαι ὃν κατεδίωξε. Δυνάμενος δὲ οὐ πεποίηκεν, ἀλλὰ προέδωκεν, ὥστε ἄξιος εἶναι τῶν ἐν τῇ προφητείᾳ κατ' αὐτοῦ ἀρῶν.

(4) METH. apud Epiph. hær. 64. § 57. pag. 584. Οὐ γὰρ ἐν ἡμῖν ὅλως τὸ ἐνθυμεῖσθαι, ἢ μὴ ἐνθυμεῖσθαι κεῖται τὰ ἄτοπα, ἀλλὰ τὸ χρῆσθαι ἢ μὴ χρῆσθαι τοῖς ἐνθυμήμασι. Κωλῦσαι μὲν γὰρ μη ἐμπίπτειν εἰς ἡμᾶς τοὺς λογισμοὺς οὐ δυνάμεθα, πρὸς δοκιμὴν ἡμῶν ἔξωθεν εἰσπνεομένους. Μὴ πεισθῆναι μέν τοι, ἢ μὴ χρῆσθαι αὐτοῖς δυνάμεθα.

[1] Lib. 3. de Opif. c. 9 — [2] Orig. tom. 2. p. 302. K. — [3] Ibid. L.

[4] Orig. 2. con. Cel. pag. 74. et seq. — [5] Psal. 108. 16. — [6] Hier. in Catal. c. 93. — [7] Cod. 234.

in nostra potestate ullo modo situm est, absurda cogitare, vel non cogitare; sed uti, vel non uti cogitatis. Nam ne nobis istiusmodi cogitationes obrepant, quæ probandi nostri causa extrinsecus immittuntur, prohibere non possumus : non assentiri, et oblatis non uti, possumus. » Quod et postea repetit; non esse situm in nostra potestate, pravas cogitationes abolere funditus, et efficere, ut ne in animum nostrum subeant; sed certo modo illis uti, vel non uti, id in nobis esse positum.

Athanasius vim eamdem liberæ voluntatis in alterutrius ex oppositis electione constituit. Ut cum in libro contra Gentes, « (1) humanam animam liberam, et sui arbitrii esse » scribit. « Posse enim ut ad bona inclinare se, sic eadem aversari, etc. Cumque liberum sui jus intuetur, videre se in utramque partem membris uti corporis sui; in ea videlicet, quæ sunt, et ea, quæ non sunt, hoc est bona, et mala. »

Præclarum etiam illud ejusdem, quod in eo naturam hominis a bestiis distare scribit, « (2) quod solus ille quæ sunt extra se ratiocinando verset, et quæ minime præsentia sunt cogitet; ac rursus alias cogitationes admittat, et adhibito judicio quodam, ex cogitatis quod melius est eligat. » Quibus paucissimis verbis eximie totam libertatis naturam, et essentiam complexus est, quæ in arbitrio consistit : quasi judicio quodam, et sententia, qua ex duobus uno post alterum cognitis, hoc rejecto, illud amplectitur, et eligit.

Hic vero unum illud observari debet : Athanasium, eumdem post lapsum primi parentis, et in hominis depravata natura, statum liberi arbitrii, quod ad ejus naturam spectat, agnoscere, quem in Adamo ante peccatum, et adhuc innocente, descripsit in libro de incarnatione Verbi Dei. Ubi « (3) Deum » affirmat « scientem hominum liberum arbitrium in utrumque inclinare posse, mature concessam illis gratiam lege, ac loco præmunire voluisse. » Quippe in suum illos paradisum introducens, legem iis tradidit : quam si servare vellent, sancte, ac beate inibi degerent; sin eam transgrederentur, in mortem, et calamitates innumeras præcipites ruerent.

Apud eumdem Athanasium extat homilia de Semente, in qua ista ipsa liberi arbitrii a natura insita vis pulchre ita describitur : « (4) Quoniam, *inquit*, libera est, et sui juris hominum motio, suique arbitrii sententia, res est potestatis tuæ. Si vis, zizania es, brutorum cibus animantium; si vis, mutaris, et frumentum efficieris. »

VIII. Didymus Alexandrinus in libro contra Manichæos, iisdem lineis naturalem liberi arbitrii conditionem descripsit. Nam contra hæreticos illos disserens, qui hominum malitiam a natura, et ejus auctore insitam esse volebant, sic eos refellit[1] : « Nos tamen, qui istos non sequimur, dicimus, non esse ductorem vitii, qui eum fecit, qui potest sua propensione, ac nutu ad vitium venire. Animal enim rationis particeps fecit Deus, quod volebat, ut voluntate sua bonum esset; libera alioqui potestate præditum, qua posset in utramque partem flecti. Volebat enim, ut homo esset bonus, eligendo sponte bonum : nemo enim invitus potest esse bonus, quin potius omnes boni volentes sunt boni. Quare oportebat, ut qui voluntate sua futurus esset bonus, potestatem haberet, qua idoneus et aptus esset ad capiendum quod bonum, et honestum esset. Consentaneum vero erat, ut quod bonum capere poterat, posset item malum. Sic fabricato rationis participe, ut ad capiendam virtutem, et vitium vim insitam haberet, datum est mandatum, ut virtutem haberet actu, vitium vero non actu, sed sola aptitudine. Lex enim Creatoris hortatur, et roborat, atque adjuvat ad virtutem, dehortans naturam a vitio. »

Ac ne quis cum Armacanis stulte tergiversetur, et illam, quam hic exponit Didymus, arbitrii liberi rationem solo innocentiæ statu circumscribat, obstant ea, quæ incontinenti

(1) ATH. tom. 1. pag. 4. Ἐπεὶ καὶ αὐτεξούσιος γέγονε. Δύναται γὰρ ὥσπερ πρὸς τὰ καλὰ νεύειν, οὕτω καὶ τὰ καλὰ ἀποστρέφεσθαι. MOX : Καὶ γινώσκουσα τὸ αὐτεξούσιον ἑαυτῆς, ὁρᾷ ἑαυτὴν δύνασθαι κατ' ἀμφότερα τοῖς τοῦ σώματος μέρεσι χρῆσθαι εἴς τε τὰ ὄντα, καὶ τὰ μὴ ὄντα. Ὄντα δέ ἐστι τὰ καλὰ, οὐκ ὄντα δὲ τὰ φαῦλα.

(2) Idem pag. 26. Ἔπειτα δὲ τοῦτο πρὸς ἀπόδειξιν οὐ τὸ τυχὸν ἂν εἴη, ἐκ τοῦ μόνον τὸν ἄνθρωπον τὰ ἔξωθεν ἑαυτοῦ λογίζεσθαι, καὶ ἐνθυμεῖσθαι τὰ μὴ παρόντα, καὶ πάλιν ἐπιλογίζεσθαι, καὶ κρίσει τὸ κρεῖττον τῶν λογισμῶν αἱρεῖσθαι.

(3) Id. pag. 39. C. Εἰδὼς δὲ πάλιν τῶν ἀνθρώπων εἰς ἀμφότερα νεύειν δυναμένην προαίρεσιν, προλαβὼν ἠσφαλίσατο νόμῳ, καὶ τόπῳ δοθεῖσαν αὐτοῖς χάριν· εἰς τὴν ἑαυτοῦ γὰρ παράδεισον αὐτοὺς εἰσαγαγὼν, ἔδωκεν αὐτοῖς νόμον, etc.

(4) ATH. tom. 1. pag. 838. Ἐπειδὴ γὰρ αὐτοπροαίρετος ἡ τῶν ἀνθρώπων κίνησις, καὶ αὐτεξούσιος ἡ γνώμη, ἐπί σοι κεῖται τὸ πρᾶγμα. Εἰ θέλεις, ζιζάνια εἶ, ἀλόγων ζώων τροφή. Εἰ θέλεις, μεταβάλλῃ, καὶ γίνῃ σῖτος.

[1] Didym. tom. 2. Auct. Bib. PP. p. 871. B.

subjicit [1] : « Quamvis igitur insit potestas, *ait*, in corpore rationis ad capiendum vitium, non propter potestatem est malus iste. Utrorumque enim, virtutis scilicet et vitii, sunt potestates, et electiones. Eligimus enim habere potestatem virtutis, ut eam actu capere possimus. Eligimus etiam habere potestatem vitii, etc. » Tum antea idem de homine, ut nunc se habet, asseveravit, et scripsit, quod de primo parente nostro. « Si igitur caro, *inquit*, et corpus quandoque peccati, aliquando sanctificationis dicitur, et ad glorificandum Deum adhibetur, nihil horum natura malum, vel bonum est. Sed potius utrumque libera voluntatis potestate recipere potest : et usus ejus, qui carnem et animam habet, facit, ut nunc sit caro peccati, nunc caro sanctificationis. »

IX. Simillimum est quod de eodem contra Manichæos argumento scribens prodidit Serapion Thmueos episcopus, quem elegantis ingenii fuisse refert Hieronymus [2], « ob idque cognomen Scholastici meruisse, et, charum fuisse S. Antonio. » Nec minus acceptus Athanasio fuit, a quo et episcopus ordinatus est, et libris aliquot ejus nomini inscriptis honoratus. Hic igitur talis tantusque vir in *egregio libro*, ut eum vocat Hieronymus, quem *adversum Manichæum* edidit, τὸ ἀδιάφορον, et necessitatis lege solutum jus arbitrii liberi non aliter definit, ac nos contra Manichæorum imitatores hæreticos facimus. « Soluta est, *inquit* [3], natura, ostensa est electio, et non est corpus substantia malum : quin potius electioni deserviens, et minister electionis, et non naturæ, idque futurum, quod electio dederit ut sit. » Tum subinde [4] ad hoc probandum Scripturæ auctoritatem accommodat, cujusmodi et nos adversus nuperos dogmatistas uti solemus. « Est verum, *ait*, quod scriptum est, Ecce posui coram te mortem, et vitam, elige quod vis ; ut quod justum est, qui (for. *non*) elegit ad utendum, de eo ratio in judicio ab eo reposcatur ; et non coactus ad aliquid, excuset vim, et necessitatem in eo, quod egit ; neque sic natus extra querelam, et culpam sit, quia naturæ repugnare non potuit : cumque utrumque in potestate habeat, et ad eligendum dominus sit, judicii proprii rationem reddat, et se defendat. Quod enim elegit, volens elegit. Idcirco de voluntario judicium subit, qui voluntate sua se ad actionem rerum applicavit. Si hæc non ita sunt, frustra sancti coronabuntur ; frustra mali cruciabuntur, si actionis causa non adscribitur facientibus. » Post hæc ita de libero arbitrio disputare pergit : « Constat naturam animæ liberi arbitrii, ac voluntatis esse, non ad aliquid natura factam, sed electione mutationes capere, quocumque vult se vertere, et redire quo reditum eligit ; et interdum sic degere, interdum sic, ut vult, faciens voluntatem suam normam suarum rerum. Norma enim actionis est voluntas facientis. »

X. Basilius magnus in Homilia 31. quæ de libero arbitrio inscribitur, liberi arbitrii vim naturamque describit ea cautione, ut et illud tribuat, quod ei proprie convenit, τὸ ἀδιάφορον ; et quod nimium est, atque a Pelagianis postea concessum, deneget ; omnes funditus posse animi perturbationes, et peccati illecebras extinguere. Itaque rarus, et egregius est, ut in illa ætate, et eo scriptorum genere, locus ille, qui sic habet : « (1) Qui verbo Dei honorati non sunt, sed frustra inflati, putant se liberi arbitrii sui viribus peccati illecebras evacuare posse, quod per solum Crucis myterium evacuatur. Quod enim in potestate est hominis arbitrium liberum, in eo situm est, ut eligendo velit, aut non velit resistere diabolo : non in eo, ut perturbationibus suis penitus dominari possit. » Est igitur in electione recte agendi, vel non agendi posita liberæ natura voluntatis, quæ *indifferentia* vulgo nominatur : quod tamen prævenientem Christi non excludit gratiam, sed eam requirit.

Rursus in Homilia nona, quæ Deum malorum auctorem non esse probat : « (2) Principium, *ait*, et radix peccati est potestas arbitrii liberi nostri. Nam quibus licebat, si malo abstinerent, nihil omnino molesti perpeti,

(1) BASIL. tom. 11. pag. 631. Οἱ δὲ μὴ λόγῳ Θεοῦ τετιμημένοι, ἀλλ' εἰκῆ φυσιούμενοι, οἴονται διὰ τοῦ ἰδίου αὐτεξουσίου καταργεῖν τὰς ἀφορμὰς τῆς ἁμαρτίας, τῆς διὰ μόνου τοῦ μυστηρίου τοῦ σταυροῦ καταργουμένης. Τὸ γὰρ ἐν τῇ τοῦ ἀνθρώπου δυνάμει αὐτεξούσιον, ἐπὶ τῷ ἑλέσθαι, ἢ μὴ ἑλέσθαι τῷ διαβόλῳ ἀντιστῆναι κεῖται, οὐκ ἐπὶ τῷ δύνασθαι παντελῶς ἔχειν τὸ κράτος κατὰ τῶν παθῶν.

(2) Idem pag. 422. Ἀρχὴ γὰρ, καὶ ῥίζα τῆς ἁμαρτίας τὸ ἐφ' ἡμῖν, καὶ τὸ αὐτεξούσιον. Οἷς γὰρ ἐξῆν ἀπεσχομένοις τοῦ κακοῦ μηδὲν δεινὸν ἔχειν, οὗτοι δι' ἡδονῆς εἰς τὴν ἁμαρτίαν δελεασθέντες, τίνα ἂν εἴποιεν εὐπρεπῆ λόγον, τὸ μὴ οὐχὶ αὐτοὶ αὐτοῖς αἴτιοι τῶν ἀλγεινῶν γεγενῆσθαι ;

[1] Didym. ibid. — [2] In Catal.

[3] Serap. tom. 4. Par. 2. Bib. PP. 859. C. — [4] Ib. D.

cum ii voluptate ad peccatum inescati sint, quid tandem jure causari possunt, quo minus ipsi sibi dolores, et ærumnas suapte culpa consciverint? » Præterea in homilia eadem locus est insignis, qui libertatem hominis in indifferenti, et expedita utriusvis eligendi potestate constituit. « (1) Cur, *inquit*, mali capax est anima? Propter liberam, ac sui juris motionem, quæ naturæ rationali maxime convenit. Hæc enim necessitate soluta, et vitam potestate sua præditam a Creatore nacta, eo quod ad imaginem Dei facta est, quod bonum est intelligit, et ejus in fruendo suavitatem : atque hanc habet potestatem, facultatemque, ut in boni contemplatione, et fruendis intelligibilibus permanens, congruentem naturæ vitam suam conservet : habet et potestatem, ut a bono aliquando deflectat. »

XI. Gregorius Nyssenus in libro Catechetico, capite 31. adversus querulos quosdam disputans, qui cum Deo expostulabant, quod hominem non, necessitate adhibita, ad virtutem compelleret, atque a vitio revocaret, solam istis libertatem opponit arbitrii : qua sublata, jam nulla recte factis laus debebitur. « (2) Est enim eorum duntaxat, quæ inanima sunt, aut ratione carent, aliena voluntate pro libito circumduci. At vero ratione, et intelligentia prædita natura, si liberam potestatem deposuerit, una cum ea, intelligentiæ quoque beneficium amittet. Ad quid enim cogitatione mentis utetur, si eligendi libera facultas in aliena potestate posita est? » Quo constituto jam virtuti vitioque, laudi ac vituperationi locus amplius non erit. « (3) Quis enim merito vel intemperantem criminetur, vel temperantem laudet, cum quilibet in promptu hanc responsionem habeat, nihil eorum, quæ nostro arbitratu statuimus, in potestate nostra situm esse ; sed majore potentia humanas electiones ad id circumagi, quod dominanti visum fuerit? »

Atque idem in libro primo adversus Eunomium, hunc hæreticum refellit, qui Filium eo ipso, quod natura ita productus est, obedientem esse dicebat, nec aliter quam obedire posse. Si enim ita res habet, deteriorem illius conditionem humana fore asserit : « (4) quandoquidem nobis inest anima sui juris, ac libera, nec ulli dominatui subjecta ; quæ plena potestate, ac pro libito quodcumque placitum est eligit. At filius Dei naturæ necessitati subjectus operatur perpetuo, vel patitur potius obedientiam. »

Gregorius Nazianzenus Oratione prima, Deum ait animam hominis alligasse corpori, ut certaminis, et conflictus materiam haberet ; ac futura, et promissa bona, non dona duntaxat Dei, sed etiam præmia laboriosæ virtutis essent. « (5) Atque hoc fuit summæ bonitatis, *inquit*, efficere, ut nostrum etiam sit bonum, nec natura tantum nobis inseratur : sed ut voluntatis electione, et liberi arbitrii in utramque partem motionibus excolatur. » Habet igitur hoc natura liberi arbitrii, ut in utramque partem prout libitum est inclinare se, ac movere possit.

XII. Sequitur Joannes Chrysostomus, quo nemo apertius, et luculentius declaravit arbitrii potestatem necessitatis expertem, et ad utrumque capessendum liberam, et solutam. Ejus haud paucæ alibi [1] memoratæ sunt sententiæ, quæ diserte illud asseverant. Nunc unus adjungendus est locus nihilo istis ad rem probandam imbecillior, ex sermone secundo de Providentia. Ibi enim adversus illos disserens, qui fato agi cuncta dicebant, eos ait libertatem hominibus eripere, ejusque li-

(1) Basil. tom. 1. pag. 428. D. Τί δὲ ὅλως δεκτικὴ τοῦ κακοῦ; διὰ τὴν αὐτεξούσιον ὁρμὴν, τὴν μάλιστα πρέπουσαν λογικῇ φύσει. Λελυμένη γὰρ πάσης ἀνάγκης, καὶ αὐθαίρετον ζωὴν λαβοῦσα παρὰ τοῦ κτίσαντος διὰ τὸ κατ' εἰκόνα γεγενῆσθαι Θεοῦ, νοεῖ μὲν τὸ ἀγαθὸν, καὶ οἶδεν αὐτοῦ τὴν ἀπόλαυσιν, καὶ ἔχει ἐξουσίαν, καὶ δύναμιν ἐπιμένουσα τῇ τοῦ καλοῦ θεωρίᾳ, καὶ τῇ ἀπολαύσει τῶν νοητῶν διαφυλάσσειν αὐτῆς τὴν κατὰ φύσιν ζωήν. Ἔχει δὲ ἐξουσίαν καὶ ἀπονεῦσαί ποτε τοῦ καλοῦ.

(2) Gregor. Nyssen. tom. 2. pag. 523. Ποῦ τοίνυν ἐν τούτοις τὸ αὐτεξούσιον; ποῦ δὲ τῶν κατορθούντων ὁ ἔπαινος; μόνων γὰρ τῶν ἀψύχων, ἢ τῶν ἀλόγων ἐστὶ, τῷ ἀλλοτρίῳ βουλήματι πρὸς τὸ δοκοῦν περιάγεσθαι· ἡ δὲ λογική τε, καὶ νοερὰ φύσις, ἐὰν τὸ κατ' ἐξουσίαν ἀπόθηται, καὶ τὴν χάριν τοῦ νοεροῦ συναπώλεσεν. Εἰς τί γὰρ χρήσεται τῇ διανοίᾳ, τῆς τοῦ προαιρεῖσθαί τι τῶν κατὰ γνώμην ἐξουσίας ἐφ' ἑτέρῳ κειμένης;

(3) Ibid. Τίς γὰρ ἂν ἔτι κατὰ τὸ εὔλογον ἢ διαβάλλοι τὸν ἀκόλαστον, ἢ ἐπαινοίη τὸν σώφρονα, ταύτης κατὰ τὸ πρόχειρον οὔσης ἑκάστῳ τῆς ἀποκρίσεως, τὸ μηδὲν ἐφ' ἡμῖν τῶν κατὰ γνώμην εἶναι, δυναστείᾳ δὲ κρείττονι τὰς ἀνθρωπίνας προαιρέσεις πρὸς τὸ τῷ κρατοῦντι δοκοῦν περιάγεσθαι.

(4) Idem libro 1. con. Eunom. pag. 44. Εἴ περ ἡμῖν μὲν αὐτεξούσιός ἐστιν ἡ ψυχὴ, καὶ ἀδέσποτος, αὐτοκρατορικῶς αἱρουμένη κατ' ἐξουσίαν. Ὁ δὲ ἀνάγκῃ φύσεως ὑποζευγνύμενος ἐνεργεῖ διὰ παντός, μᾶλλον δὲ πάσχει τὴν ὑπακοήν.

(5) Nazianz. orat. 1. pag. 9. Καὶ τοῦτο δὲ ἦν ἄρα τῆς ἄκρας ἀγαθότητος, ποιῆσαι τὸ ἀγαθὸν καὶ ἡμέτερον, οὐ φύσει μόνον κατασπειρόμενον, ἀλλὰ καὶ προαιρέσει γεωργούμενον, καὶ τοῖς ἐπ' ἄμφω τοῦ αὐτεξουσίου κινήμασι.

[1] Lib. 3. de Opif. c. 10. et lib. 5. de Deo, c. 3.

beram inclinationem in utrumvis, bonum scilicet ac malum. « (1) Siquidem contra Dei placita, et decreta pugnantem omnibus persuasionem injicit. Deus enim dicit [1] : *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. Si autem nolueritis, neque audieritis me, gladius devorabit vos. Os enim Domini locutum est.* » Cui fatalis necessitas adversatur. « (2) Dixit enim Deus, Si volueritis, et si nolueritis, virtutis nos ac vitii dominos faciens, et utrumque in nostro ponens arbitrio. » At fatum ex adverso, utcumque decretum est, aliter evenire non posse docet. Ad hæc (3) de libro Ecclesiastici et Deuteronomii tritum illum locum commemorat [2] : *Apposui tibi ignem et aquam, vitam et mortem ; quocumque volueris manum tuam extende.* Vide et homiliam sequentem, quæ est tertia de Providentia ; in qua fatalem necessitatem oppugnat, tanquam libertatis, et indifferentis ad utrumque facultatis inimicam ; ut et homilia quinta de eodem argumento.

Et in homilia quarta de S. Paulo, vocationem ejus « necessitatem nullam attulisse » dicit. « (4) Non enim Deus necessitatem imponit ullam, sed electionum nos arbitros ac dominos esse sinit etiam post vocationem. »

Isidorus Pelusiota, « (5) doctoris eas solas esse partes » affirmat, « ut inculpatam vitam suam præbens, alios doceat, nihil verendo peccantium auctoritatem. Porro agere, vel non agere, ex discipulorum arbitrio pendere, dum unicuique, et ubique liberum arbitrium integrum servatur. »

Idem alibi admonet aliud esse jubere, aliud permittere. « (6) Nam prius est, quod quia fieri oportet præcipitur : posterius vero, propter arbitrii liberi electionem, qua humanum honestatum est genus, permittitur. » Atqui permissio ipsa demonstrat, in utrumque ferri posse suopte nutu, et arbitrio voluntatem ejus, cui res aliqua permittitur. Siquidem permittere, est licentiam dare faciendi, aut non faciendi, nulla vel necessitate, vel vi asciscendi unius illata : ac permissum hoc esse omnes intelligunt, a quo uti nemo prohibetur, ita nemo ad illud compellitur. Hoc autem propter insitam, et naturalem homini libertatem voluntatis fieri asserit Isidorus. Quare talem agnoscit arbitrii liberi indolem, quæ in potestate habeat persequi quippiam, aut omittere.

XIII. Cyrillum audiamus modo, etsi hujus pleraque testimonia jam alibi sunt excerpta [3] : sed pauca saltem illic omissa reddamus. In commentario ad Isaiam prophetam, ejusque verba ista [4], *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis*, primum illa Deuteronomii affinia his adjungit [5], *Ecce ego posui in conspectu tuo viam vitæ, et viam mortis :* (ita enim citat Cyrillus.) Tum ita scribit : « (7) Posita enim est in nobis ad utrumque via ; et fructus propensionum cujusque, hoc est voluntatum, est præclare ac secundum legem vitam componere, aut e contrario non sine vituperatione. » Postea causam illius explicat sic : « (8) Nam quia Deus universorum in eorum, qui instituuntur, propensionibus positum esse voluit, ut bonum eligant, et a malis declinent, prorsus hoc liquido comprobavit, quod rerum agendarum, aut fugiendarum habenas unicuique mortalium dedit : ut ad id quod elegerit quis, eundi potestatem habeat. » Quo constituto, deinceps adversus Manichæos naturale non esse malum demonstrat, itemque nullam fati esse necessitatem, neque casu ac fortuito temperari res hominum.

(1) Chrys. tom. 6. hom. 94. p. 867. Ἀπεναντίας γὰρ τοῖς τοῦ Θεοῦ δόγμασιν ἅπαντας πείθεσθαι ἐπιτάττει. Ὁ Θεὸς λέγει, Ἐὰν θέλητε, καὶ εἰσακούσητέ μου, τὰ ἀγαθὰ τῆς γῆς φάγεσθε. Ἐὰν δὲ μὴ θέλητε, μηδὲ εἰσακούσητέ μου, μάχαιρα ὑμᾶς κατεδεῖται. Τὸ γὰρ στόμα Κυρίου ἐλάλησε ταῦτα.

(2) Ibid. 868. Εἶπεν ὁ Θεὸς, ἐὰν θέλητε, καὶ ἐὰν μὴ θέλητε, κυρίους ἡμᾶς ποιῶν ἀρετῆς, καὶ κακίας, καὶ ἐπὶ τῇ γνώμῃ τῇ ἡμετέρᾳ τιθείς.

(3) Ibid. Chrys. Ὁ Θεὸς λέγει· παρέθηκά σοι πῦρ καὶ ὕδωρ, τὴν ζωὴν, καὶ τὸν θάνατον. Οὗ ἐὰν θέλῃς ἔκτεινόν σου τὴν χεῖρα.

(4) Idem tom. 8. pag. 43. vers. 3. Ἀλλὰ μηδεὶς ταῦτα ἀκούων ἠναγκασμένην νομιζέτω εἶναι ταύτην τὴν κλῆσιν. Et mox vers. 30. Μὴ ἀναγκαστὴν τὴν κλῆσιν εἶναι νόμιζε. Οὐδὲ γὰρ ἀναγκάζει ὁ Θεός· ἀλλ' ἀφίησι κυρίους εἶναι προαιρέσεων καὶ μετὰ τὴν κλῆσιν.

(5) Isid. lib. 5. ep. 290. Οὐδὲ γὰρ τοῦ διδασκάλου ἐστὶν, ἢ ἄληπτον παρέχοντα τὸν βίον παιδεύειν, μηδαμῶς αἰδούμενον τῶν ἁμαρτανόντων τὴν ἀξιοπιστίαν. Τὸ δὲ πράττειν, ἢ μὴ, τῆς τῶν μαθητευομένων ἤρτηται γνώμης, παντί τε, καὶ πανταχοῦ τοῦ αὐτεξουσίου φιλαττομένου. Vide ejusdem libri ep. 20.

(6) Idem lib. 5. ep. 357. Τὸ μὲν γὰρ ὡς δέον γίνεσθαι προστάττεται· τὸ δὲ διὰ τὴν τοῦ αὐτεξουσίου προαίρεσιν, ᾗ τὸ ἀνθρώπινον κεκόσμηται γένος, συγχωρεῖται.

(7) Cyrill. lib. 1. in Isa. pag. 21. Τέθειται γὰρ ἐν ἡμῖν ἡ ἐπ' ἄμφω τρίβος, καὶ τῶν ἑκάστου διανευμάτων, ἤγουν θελημάτων, καρπὸς ἂν γένοιτο τὸ διαβιῶναι λαμπρῶς, καὶ ἐννόμως, ἤγουν ἑτεροίως κατεψεγμένως.

(8) Ibid. Ἐπειδὴ γὰρ τέθεικεν ὁ τῶν ὅλων Θεὸς ἐν ταῖς τῶν παιδαγωγουμένων ῥοπαῖς τὸ ἑλέσθαι μὲν τὸ ἀγαθὸν, ἀποφοιτᾷν δὲ τῶν φαύλων, πεπληροφόρηκεν ὅτι τὰς τῶν πρακτέων, ἢ μὴ δέδωκεν ἑκάστῳ τῷ ἐπὶ γῆς ἡνίας, καὶ ἐφ' ὅπερ ἂν ἕλοιτό τις, ἐλάσει μετ' ἐξουσίας,

[1] Isa. 1. 20. — [2] Eccli. 15. 17. et Deut. 30. 19.

[3] Tom. 3. l. 3. de Opif. c. 11. — [4] Isa. 1. — [5] Deut. 30.

Idem in primo libro contra Nestorium, hæreticum hunc incessit, quod pro magno, puerum Christum βρέφος αὐτεξούσιον, id est *infantem sui juris, ac potestatis* appellasset; ac de illo sciscitatur, quo sensu αὐτεξούσιον intelligat. « (1) Nam si eo modo suæ potestatis illum esse vis, quo quisque nostrum intelligitur, utpote cui Deus liberæ suæ voluntatis habenas permisit; quid tandem præ ceteris illi eximium inerit? »

At in libro quinto in Joannem, fati necessitatem eo ipso refellit argumento, quod cum ea liberi arbitrii potestas nequit consistere : frustraque bonis præmia, malis autem pœnæ constituuntur : laus item, aut vituperatio prorsus e medio tollitur, « (2) Si nihil in liberis situm est voluntatibus nostris, sed cuncta subjiciuntur horarum necessitatibus, quæ in utramque partem inevitabili, et indeclinabili nos virtute deducat. »

Sic in libro decimo ejusdem operis in Joannem, (3) « unumquemque » scribit « proprii arbitrii inclinationem ad quodcumque libitum est dirigere, et ad id quod placitum et jucundum est, transferre. » Ac paulo post, « (4) Ego uniuscujusque liberæ voluntati permisi (ait Christum de Judæis loquentem inducens) ut quod visum esset eligeret, ac quod vellet faceret. »

XIV. Theodotus Ancyranus in homilia de natali Christi, quæ in Ephesina synodo dicta est, « (5) Deum » affirmat « liberi arbitrii sententiæ virtutem permisisse, neque nos ad recte faciendum necessitate compellere. »

Marcus eremita in libro de Justificatione ex operibus, capitulo 56. « (6) Occulte nobis gratia, *inquit,* opitulari non desinit. Sed in nostra potestate situm est facere bonum pro virili parte. » Brevis hæc, sed eximia, et luculenta sententia; quæ paucis verbis multa complectitur. Nam et gratiæ prævertentis opera nostra bona præsidium indicat, et liberi arbitrii nativam, et insitam facultatem ad utrumvis capessendum : et hujus cum gratia consensionem, ac συνεργίαν, Tridentinæ synodi decretis consentanee descriptam; ac denique *sufficientem*, ut vocant, commendant gratiam, hoc est ejusmodi, quæ ut præsens nobis perpetuo suppetit, sic effectum non semper habet, sed consensum nostræ voluntatis requirit. Idem alio in libro, qui Συμβουλία, id est *consultatio mentis cum anima sua* inscribitur, disertissime, plenissimeque τὸ ἀδιάφορον libertatis ostendit. Nam « (7) nec ad bonum, nec ad malum ab aliqua potestate trahi nos injuste » primum asserit. « Sed statim post baptismum, cuicumque ad arbitrium nos servos addixerimus, sive Deo, sive diabolo, ipse nos juste deinceps in partes suas compellit. » Deinde tentationes ait succedere, præsertim duplicis generis; nempe ex humana laude, et ex corporis relaxatione, quæ voluntatis nostræ motionem antecedentes, nec in vitiis, nec in virtutibus numerantur : « (8) sed probationes quædam sunt propensionis nostræ, quo tandem inclinaturi simus. » Quare nos pro arbitratu nostro cui volumus auscultare, Deo aut diabolo, et utriusvis monitis obtemperare.

Dorotheus in Doctrina prima, cum dixisset [1], homines, antequam Redemptor adveniret, vi ac tyrannico dominatu diaboli oppressos, etiam nolentes in peccatum esse pertractos; ut Apostolus his verbis significat [2], *Non enim quod volo bonum, hoc facio : sed quod nolo malum, hoc ago*; mox ait, « (9) Christum nos ex illa necessitate liberasse; ac nobis potestatem dedisse faciendi boni, si quidem velimus : et ut

(1) CYRILL. lib. 1. con. Nestor. tom. 6. pag. 16. E. Εἰ μὲν γὰρ οὕτω φὴς αὐτεξούσιον, ὡς ἂν νοοῖτο τυχὸν καὶ τῶν καθ' ἡμᾶς ἕκαστος, ὡς τῆς ἑαυτοῦ προαιρέσεως πεπιστευμένος παρὰ Θεοῦ τὰς ἡνίας, τί τὸ ἐξαίρετον παρὰ τοὺς ἄλλους ἐν αὐτῷ;

(2) CYRILL. in Joan. pag. 454. Εἰ γὰρ ὅλως οὐδὲν ἐν τοῖς ἐφ' ἡμῖν κεῖται θελήμασιν, ὑποπέπτωκε δὲ ταῖς ἐξ ὡρῶν ἀνάγκαις ἀφύκτως τε, καὶ ἀπαραιτήτως ἀγούσαις ἐπ' ἄμφω, πῶς ἂν ἔτι δικαίως τοῖς μὲν ἀγαθοῖς τὸ ἐπαινεῖσθαι πρέπειν ὁμολογήσαιμεν, τοῖς δὲ μὴ τοιούτοις τὸ ἐναντίον ὡς ἐν ὀφλήματος τάξει καταθήσωμεν;

(3) Idem lib. 10. pag. 900. D. Ἀλλ' ἑκάστου τῆς ἰδίας προαιρέσεως τὴν ῥοπὴν ἐφ' ὅπερ ἂν βούλοιτο διϊθύνοντος, παρατρέποντός τε πρός τὸ αὐτῷ θελητὸν, καὶ ἡδέως πως ἔχον.

(4) Ibid. pag. 901. Ἐφῆκα δὲ μᾶλλον τῇ ἑκάστου προαιρέσει τὸ ἑλέσθαι τὸ δοκοῦν, δρᾶσαι δὲ ὅ, τι περ ἂν βούλοιντο.

(5) THEODOT. in Eph. syn. par. 3. pag. 534. F. Ὅτι γνώμη τοῦ αὐτεξουσίου τὴν ἀρετὴν ἐπιτρέπει· ἀνάγκη οὐκ ὠθεῖ σε πρὸς τὰ κατορθώματα.

(6) MARCUS erem. Καὶ κρυφίως βοηθεῖν ἡμῖν ἡ χάρις οὐ παύεται. Ἐφ' ἡμῖν δὲ ἔστι ποιεῖν, ἢ μὴ ποιεῖν τὸ ἀγαθὸν κατὰ δύναμιν.

(7) Idem. Ὅτι οὔτε εἰς τὸ ἀγαθὸν, οὔτε εἰς τὸ κακὸν ὑπό τινος ἐξουσίας ἀδίκως ἑλκόμεθα· ἀλλ' ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος, ᾧ ἂν πρὸς τὸ θέλημα δουλεύσωμεν, ἤτοι τῷ Θεῷ, ἢ τῷ διαβόλῳ, αὐτὸς ἡμᾶς δικαίως λοιπὸν ἐπὶ τὸ ἴδιον κατεπείγει μέρος.

(8) Ἀλλ' ἔλεγχοι τῆς ἡμετέρας νεύσεως ποῦ ῥέπομεν.

(9) DOROTH. doct. 1. pag. 751. B. Καὶ ἔδωκεν ἡμῖν ἐξουσίαν ποιεῖν τὸ καλὸν, ἐὰν θέλωμεν, καὶ μηκέτι ἕλκεσθαι, ὡς ἂν εἴποι τις, μετὰ βίας εἰς τὸ κακόν.

[1] Doroth. tom. 11. Bib. p. 750. A.

[2] Rom. 7. 19.

non amplius trahamur, ut quidam dixerit, violenter ad malum. »

XV. Insignis est hac de re locus duplex in scholiis ad Joannem Climacum adnotatus, quem haud scio an alibi descripserim: certe præteriri non debet. Est enim omnium, quæ de hoc argumento colligi possunt, pulcherrimum, expressissimumque testimonium; præsertim secundum. Scribit Climacus in exordio libri sui, Gradusque primi, « (1) omnes a Deo productas rationales creaturas liberi arbitrii facultate honestatas esse. » Ad hunc locum scholia duo totidem locos continent, quibus liberi arbitrii natura declaratur. Prior est Gregorii Nysseni, qui sic definit: « (2) Liberum arbitrium est rationalis animæ voluntas, quæ prompte ad id movetur quodcumque voluerit. » Posterior ex Elia Cretensi sumptus est: « (3) Liberum arbitrium est intelligens animæ motio sui juris, ac potestatis. Unde bruta libero carent arbitrio. Aguntur enim magis ab natura, quam agunt. Ideo naturali cupiditati non renituntur: sed statim atque aliquid appetierint, ad actionem impetu feruntur. At homo, cum sit ratione præditus, naturam potius agit, quam agitur ab ea. Ideo cum appetit, si vult, potestatem habet reprimendæ appetitionis, aut ejus sequendæ. Hinc est quod bruta neque laudantur, neque vituperantur; homo et laude, et vituperatione afficitur. » Hæc Elias: quæ accurate demonstrant in *indifferentia*, et utriusvis amplectendi, vel repudiandi libera potestate sitam esse voluntatis liberæ naturam, et essentiam.

XVI. Theophanes Cerameus in Homilia 44. unicuique suum custodem adesse angelum scribit, et ei oppositum malum: « (4) Ita tamen ut neuter vim afferat; ne libera, suique juris potestas voluntatis lædatur. Sed utrumque contraria suggerere, ac consulere; altero quidem, ut speratum ex virtute fructum: altero, ut servilem, et blandientem voluptatem persequatur. Media igitur ambos inter stans libera voluntas, et electio, quasi centurio quidam, quidquid libitum est, velut subjectis militibus imperat, et hunc dimittit, alterum ad se vocat. » Qua eleganti allegoria graphice vim liberi arbitrii, et τὸ ἀδιάφορον καὶ ἀδέσποτον delineat.

Sunt penes nos homiliæ græcæ Joannis Calecæ patriarchæ Constantinopolitani, quas ex Viennensi Imperatoris bibliotheca descriptas nobis commisit R. P. Balthasar Corderius, vir eruditus, et veterum monimentorum conquisitor acer, ac diligens, eoque nomine commendandus. In illarum secunda, præclara extat sententia de arbitrii libertate, quam hic merito describendam putavi.

« (5) Omnes, *inquit*, homines cum ratione liberum habentes arbitrium, libere ambulant, ut volunt. Nam Deus neminem cogit, sive recte sive male vitam instituat. Sed hoc in electione cujusque positum est. Unde quilibet homo bene, et ut Deo placitum est, potest vivere; quoniam ratione, ac libero arbitrio præditus est. Laudamus enim illos, qui sua voluntate, et electione boni sunt, non qui necessitate aliqua eo deducti sunt. Maxime vero Christiani non sinuntur vi adhibita peccatorum prolapsiones emendare. Quippe non eos, qui necessitate a vitiis abstinent, coronat Deus, sed qui hoc libera voluntate faciunt. Et quod ex natura suppetit bonum, approbationem non meretur: verum quod ex libera electione proficiscitur, id laudabile est, ac salutare. »

(1) Jo. Clim. Πάντων τῶν ὑπ' αὐτοῦ κτισθέντων λογικῶν αὐτεξουσιότητος ἀξιώματι τιμηθέντων.

(2) Schol. ex Gregor. Nysseno, Clim. pag. 14. Αὐτεξουσιότης ἐστὶ ψυχῆς λογικῆς θέλησις ἑτοίμως κινουμένη εἰς ὅπερ ἂν θέλῃ.

(3) Ibid. Αὐτεξουσιότης αὖθίς ἐστι νοερὰ τῆς ψυχῆς κίνησις αὐτοκρατής. Ὅθεν καὶ τὰ ἄλογα οὐκ εἰσιν αὐτεξούσια. Ἄγονται γὰρ μᾶλλον ὑπὸ τῆς φύσεως, ἤπερ ἄγουσι. Διὸ οὔτε ἀντιλέγουσι τῇ φυσικῇ ὀρέξει, ἀλλ' ἅμα ὀρεχθῶσί τίνος, ὁρμῶσι πρὸς τὴν πρᾶξιν. Ὁ δὲ ἄνθρωπος λογικὸς ὢν, ἄγει μᾶλλον τὴν φύσιν, ἤπερ ἄγεται. Διὸ καὶ ὀρεγόμενος, εἴπερ ἐθέλει, ἐξουσίαν ἔχει ἀναχαιτῖσαι ὄρεξιν, ἢ ἀκολουθῆσαι αὐτῇ. Ὅθεν τὰ μὲν ἄλογα οὐδὲ ἐπαινεῖται, οὐδὲ ψέγεται. Ὁ δὲ ἄνθρωπος, καὶ ἐπαινεῖται, καὶ ψέγεται.

(4) THEOPH. hom. 44. pag. 312. B. Οὐδενὸς τούτων βίαν ἐπάγοντος, ἵνα μὴ λυμανθῇ τὸ αὐτοκρατὲς, καὶ ἀδέσποτον· ἀλλ' ἑκατέρου τἀναντία δεικνύοντος, καὶ συμβουλεύοντος· τοῦ μὲν τὴν δι' ἀρετῆς ἐλπιζομένην ἀπόλαυσιν, τοῦ δὲ τὴν ἀνδραποδώδη, καὶ σαίνουσαν ἡδονήν. Μέσον τοίνυν ἀμφοῖν, οἷά τις ἑκατόνταρχος, ἑστῶσα ἡ αὐτεξουσιότης ἡμῶν, καὶ προαίρεσις, καθάπερ ὑποχειρίοις στρατιώταις ἐπιτάττει ὅ, τι καὶ βούλεται, τὸν μὲν ἀποπεμπόμενος, τὸν δὲ προσκαλούμενος.

(5) JOAN. Calec. Πάντες οἱ ἄνθρωποι ἔχοντες μετὰ τοῦ λογικοῦ καὶ τὸ αὐτεξούσιον, πορεύονται αὐτεξουσίως ὡς βούλονται. Οὐδένα γὰρ βιάζεται ὁ Θεὸς, εἴτε καλῶς πολιτεύεται, εἴτε ἐναντίως, ἀλλὰ κεῖται ἐν τῇ προαιρέσει ἑνὸς ἑκάστου. Ὅθεν ἐνδέχεται πάντα ἄνθρωπον καλῶς, καὶ θεαρέστως πολιτεύεσθαι, et cetera quæ latine satis habui ponere.

CAPUT TERTIUM.

Demonstratur ex latinis Patribus eadem notio liberæ voluntatis, in indifferentia, id est utriusque potestate sita, quæ cum necessitate, ac determinatione pugnat.

I. Græcos hactenus Patres pro liberi arbitrii indifferenti potestate testimonium dicentes audivimus; nunc latini aliquot enumerandi sunt. Inter quos primus erit Tertullianus, cujus non illa resumam expressissima verba, quæ in quinto libro de Deo posui [1]. Sed pauca duntaxat adjiciam, quæ illic præterita sunt; et ad rem nostram multum idcirco faciunt, quod novorum dogmatistarum effugium præcludunt, leve id quidem et ridiculum, sed tamen vulgo ab illis adhiberi solitum. Nam plerumque cum e Scripturis, aut aliunde sententias ejusmodi illis opponimus, in quibus ad utrumque libera, et expedita facultas humani arbitrii proposita videtur: ita, si res ferat, elabi conantur, ut illæ non ad præsentem, et corruptum Adami culpa voluntatis nostræ statum pertineant, sed ad pristinum, et adhuc integrum. Cum igitur ex libro secundo contra Marcionem, capite quinto locus ille Tertulliani jam a nobis allatus sit; quo in loco, *liberum, et sui arbitrii, et suæ potestatis hominem a Deo institutum* esse confirmat ex eo, quod *lex ei data est:* ne simili fuco, de solo innocentiæ statu interpretanda illa esse verba contendant; addam hic alia quæ proxime sequuntur, et istam calumniam abstergunt. Quippe mox posterius datas etiam leges Judæis ad idem argumentum corroborandum attulit, ita scribens: « Sic et in posteris legibus Creatoris invenias, proponentis ante hominem bonum et malum, vitam et mortem: sed nec alias totum ordinem disciplinæ per præcepta dispositum, avocante Deo, et minante, et exhortante, nisi et ad obsequium, et ad contemptum libero, et voluntario homine. » Ergo non solum antequam offenderet Adamus, liberam ad utrumque capessendum in eo fuisse potestatem arguit lex illi lata divinitus; quæ nisi tali minime congrueret: verum etiam quæ deinceps ejusdem posteris editæ sunt, perinde τὸ ἀδιάφορον καὶ αὐτοκρατορικόν id est *indifferentem, et sui juris voluntatem* in iis ipsis perseverasse demonstrant.

II. Cyprianus in epistola ad Jubaianum, quæ est 73. in fine, liberum illi relinquens, ut de iterato baptizandis iis, qui ab hæresi, aut schismate redirent ad Ecclesiam, liberum in eligendo utrovis arbitrium ita designat: «Nemini, *inquit*, præscribentes, aut præjudicantes, quominus unusquisque episcoporum quod putat faciat, habens arbitrii sui liberam potestatem. » Quem locum citat, et videlicet approbat Augustinus lib. tertio contra Cresconium capite secundo.

Arnobius in secundo libro contra Gentes, « Christi partes has esse » dicit, « ut sub tui juris arbitrio fructum suæ benignitatis exponat: » hoc est, ut beneficia sua, et meritorum suorum fructum tuæ voluntatis « permittat arbitrio: cum voluntatis libertas in ipsius sit posita potestate, qui voluit. »

Hilarius in octavo libro de Trinitate [2], observat Christum ita esse locutum ad Patrem, *Et ego honorem, quem dedisti mihi, dedi eis:* pro quo *claritatem* interpres latinus posuit, græcus δόξαν. Tum ita disputat: « Honorem ergo acceptum a Patre Filius omnibus, qui in se credituri sunt, dedit, non utique voluntatem: quæ si data est, non haberet fides præmium, cum fidem nobis necessitas affixæ voluntatis inferret. » Quibus verbis ostendit voluntatem credendi adeo liberam esse, et in arbitrio nostro, ac potestate positam, ut necessitate exprimi non possit: quæ si a Deo inferretur, merito careret, ac præmio. Hoc autem non aliter evenit, quam si libera esse desinat. Proinde libertatem tolleret illa necessitas, quæ ex eo sequeretur, quod Deus voluntatem illam per sese daret, non eblandiretur, et eliceret ex liberæ nostræ voluntatis arbitrio. Cujusmodi necessitas, violentia et coactio dici non potest. Igitur non sola vis, sed necessitas illa, quæ utriusque potestatem eripit, et ad unum nos alligat, libertatem perimit; quia recte facti mercedem adimit. Quod disertius alibi significat his verbis [3]: « Aliis gloriam seculi eligentibus, aliis venerationem elemen-

[1] De Deo l. 5. c. 3. § 8. — [2] Pag. 48. C.

[3] Ad Ps. 118. sub fin. comm. p. 283. C.

torum ac dæmonum capessentibus, aliis terrenas opes expetentibus, sanctus iste mandata Dei elegit. Elegit autem non naturali necessitate, sed voluntate pietatis, quia unicuique ad id quod vult, via est proposita vivendi, et appetendi atque agendi permissa libertas. Et ob id uniuscujusque aut pœna, aut præmiis afficietur electio. »

III. Ambrosius in libro primo de Jacob capite primo, pulchre liberam voluntatis motionem, et indifferentiam in his, quæ ad gratiam et salutem attinent, exponit, cum ita scribit : « Non enim servili ad obediendum constringimur necessitate ; sed voluntate arbitra sive ad virtutem propendemus, sive ad culpam inclinamur. Et ideo nos aut liber affectus ad errorem trahit, aut voluntas revocat, rationem secuta. » Ac subinde in potestate rationis, ac liberæ voluntatis esse dicit « concupiscentiam emollire, et comprimere, non tamen eradicare ; quoniam animus, qui est rationis capax, non est suarum passionum dominus, sed repressor. Quippe domini sumus ejus rei, qua uti pro arbitrio possumus ; quod si concupiscentiæ domini essemus, careremus ea, si vellemus, ac stirpitus illam excideremus. Hoc autem non nos possumus, sed Deus solus. At vero concupiscentiæ resistere possumus, eamque cohibere, ac temperare, ejusque rei duntaxat domini sumus. Unde autem hæc potestas, atque hoc dominium in nos manaverit, declarat in fine capitis : « Etenim cum Deus hominem constitueret, *inquit*, et in eo mores, sensusque plantaret, tunc motibus ejus imposuit regale mentis imperium, ut omnes sensus motusque hominis ejus vigore, ac potestate regerentur. » Bene hic Ambrosii locus animo retinendus est. Plurimum enim valet ad refrenandam novi dogmatis licentiam, quod liberi arbitrii potestatem, et ad utrumvis nutum et indifferentem propensionem soli innocentiæ adscribit statui, ac peccato primi parentis ablatum fuisse fingit. Unde, ut supra monui, quæcumque Scripturæ, vel antiquorum testimonia Patrum ad comprobandum jus illud liberæ voluntatis, necessitatis ac determinationis expers, afferri solent, eludere præscriptione ista conantur. Quos sane Ambrosii convincit ille locus. Nam et cujusmodi sunt post peccatum illud Adami homines explicans, potestatem illis attribuit coercendæ, comprimendæque cupiditatis, aut ejus certe sequendæ: et hanc ipsam potestatem, atque indifferentiam, a prima hominis institutione, quæ peccato anterior est, profectam asserit.

Optatus Milevitanus liberi arbitrii formulam eodem modo describit sub initium libri septimi. « Denique voluntas, *ait*, habet pœnam, necessitas veniam. Homicida scelus, dum nemo cogit, potest et facere, potest et non facere : adulterium mœchus, dum deforis nemo compellit, potest admittere, potest et non admittere, et cetera hujusmodi, in quibus liberum habetur arbitrium. »

IV. Sic Hieronymus in commentario ad Malachiam prophetam [1], perpaucis verbis catholicum dogma complexus, nuperam calumniam discutit : « Dominus, *inquit*, respondit, Esau, et Jacob de una stirpe generatos ; hoc est vitia, atque virtutes ex uno cordis fonte procedere ; dum ex arbitrii libertate in utramque partem, ut volumus, declinamus. »

Et in commentario ad Esaiam [2], verba illa declarans, quæ ex persona Christi dicuntur, *Et ego dixi ; in vacuum laboravi, sine causa, et vane fortitudinem meam consumpsi ;* hæc adnotat : « Hæc autem universa dicuntur, ut liberum hominis monstretur arbitrium. Dei enim vocare est, et nostrum credere : nec statim si nos non credimus, impossibilis Deus est ; sed potentiam suam nostro arbitrio derelinquit, ut juste voluntas præmium consequatur. »

Item ad illa capitis primi ejusdem prophetæ [3] : *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis,* idem Hieronymus, « Liberum, *inquit*, servat arbitrium, ut in utramque partem non ex præjudicio Dei, sed ex singulorum, vel pœna, vel præmium sit. »

V. Sequitur Augustinus ; ex quo quamplurima contra novam sectam testimonia alio in loco descripta sunt [4]. Nunc alia quædam ex eodem fonte promemus, quibus τὸ ἀδιάφορον, libertati insitum, et naturale monstretur. In libro de fide contra Manichæos, capite octavo et sequenti [5] : « Malefacti sui, *inquit*, per cupiditatem quisque auctor est. Est ergo in potestate, ut sit cupiditas : et ideo etiam malum in potestate est. In potestate ergo est, quod in voluntate esse non debet, etc. Peccatum fit ab anima rationali, cui liberum voluntatis arbitrium est. Et pœna infligitur justitia Dei, quæ nihil facit injuste. Adversus hæc solita cæcitate Manichæi latrant : et cum convincuntur natu-

[1] Hier. ad c. 1. Mal. col. 541. A. — [2] Id. in c. 49. Esa. vers. 4. — [3] Id. ad c. 1. 19. Isa.

[4] De Deo lib. 5. c. 3. et lib. 4. de Opif. — [5] August. tom. 6. pag. 237. A. 1.

ram non esse malum, sed in potestate esse hominis facere bene, aut male; dicunt non esse animæ liberam voluntatem; et non vident cæcitatem suam. Quis enim non clamet stultum esse, præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur, facere; et iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere? Et has injustitias, et iniquitates miseri non intelligunt Deo se adscribere : sed quid verum est, nisi et Dominum dare præcepta, et animas liberæ esse voluntatis, et malum naturam non esse, sed esse aversionem a Dei præceptis, et esse justum judicium Dei, quo damnet peccantes? »

Hic Augustini locus non solum potestatem liberæ voluntatis in utrumvis amborum expeditam approbat : sed etiam sufficiens auxilium gratiæ Dei paratum hominibus, quibus post lapsum Adami præcepta legesque novas edidit ; ad quas servandas potestas illis suppetere debet, ne sit iniquitas in Deo. Potestas autem nulla, citra gratiæ adjutorium, inest homini, ad Dei exequenda mandata.

Idem in Psalmum centesimum decimum [1], indifferentem ad utrumque propensionem arbitrii liberi ita significat : « Eligat sibi homo quodlibet. Non sic constituta sunt opera Domini, ut creatura in arbitrio libero constituta, Creatoris superet voluntatem, etiamsi contra ejus faciat voluntatem. Non vult Deus ut pecces, nam prohibet : tamen si peccaveris, non putes hominem fecisse quod voluit, et Deo accidisse quod noluit. Sicut enim vult ut homo non peccet, ita vult peccanti parcere, ut revertatur, et vivat : ita vult postremo in peccato perseverantem punire, ut justitiæ potentiam contumax non evadat. Ita quidquid elegeris, omnipotenti non deerit, unde suam de te compleat voluntatem. »

VI. Est etiam memorabilis ejusdem Augustini locus in libro de unitate Ecclesiæ contra Donatistas, capite nono : in quo liberi arbitrii notionem eamdem agnoscit omnino, quam nos Catholici adversus Lutheranos, et Calvinistas, eorumque simios defendimus. Nam de prophetarum vaticiniis agens, quibus Ecclesia Christi toto orbe diffundenda prædicitur; instat schismaticis illis, et respondere jubet : cur si vere ista prædicta sunt, impleri non possint; et responsum illorum hujusmodi subtexit : « Respondent; quia homines nolunt. Cum arbitrio quippe, inquiunt, libero homo creatus est; et, si vult, credit in Christum ; si non vult, non credit. Si vult, perseverat in eo quod credit ; si non vult, non perseverat : et ideo cum cœpisset per orbem terrarum crescere Ecclesia, noluerunt homines perseverare, et defecit ex omnibus gentibus Christiana religio, excepta parte Donati. »

Manifestum est his ipsis verbis arbitrii potestatem describi vacuam ab determinante necessitate, et ἀδιάφορον. Hanc a Donatistis allatam libertatis notionem non solum non reprehendit Augustinus, sed etiam confirmat, hac potissimum addita sententia, quæ tum utriusque potestatem in voluntate, tum vero sufficiens auxilium præsto illi ad bonum, si velit, eligendum, etiam cum peccare mavult, esse demonstrat. « Quis enim dubitaverit, *inquit*, quod Judas Christum, si voluisset, non utique tradidisset : et Petrus, si voluisset, ter Dominum non negasset? Sed ideo fuit de istis certa prædictio, quia et Deus etiam futuras prævidet voluntates. » An vero, citra auxilium gratiæ, vel Judas proditionis illud scelus ac diaboli tentantis impetum propulsare potuit, aut Petrus, Satanæ incursione ac mortis metu superato, negati Domini crimen effugere.

Sic in libro secundo contra Petilianum, capite 83. « Numquid quia mores optimi libertate voluntatis eliguntur, ideo mores pessimi non legis integritate puniuntur? » Et paulo post : « Nam bene facere nemo potest nisi elegerit, nisi amaverit; quod est in libera voluntate. » Vel ipsum nomen *electionis* pendentem inter utrumque, et indifferentem nutum voluntatis ostendit. Vide imprimis librum ejusdem de Gratia et libero arbitrio, capite secundo.

Quo quidem in libro egregium est inter alia de libera voluntate testimonium in quarto capite, ubi ita scribit : « Ut autem ista non serventur castitatis sancta mandata, unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus. Ubi si dixerit, Volo servare, sed vincor a concupiscentia mea : respondet Scriptura libero ejus arbitrio, quod jam superius dixi, Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. Quod tamen ut fiat, adjuvat gratia. » Hic Augustinus duo quædam significat : alterum, in potestate illius esse, qui non servat mandatum, ut servet si velit, libero suo arbitrio gratia Salvatoris adjuto. Nam non servantis ait ab Scriptura moneri liberum arbitrium, ut servare velit, et peccato resistere : alterum, hanc ipsam in utramvis partem arbitrii liberi vim non in solo integræ naturæ

[1] Id. to. 8. p. 528. B. 2.

statu homini tributam fuisse, sed etiam in præsenti; cum utique non Adami liberum arbitrium, sed nostrum conveniri ab Scriptura dicat, et ut peccare nolit, cum peccet, admoneri.

VII. Gaudentius Brixianus, Sermone tertio [1] : « Synagoga Judæorum, *inquit*, quod erat crudeliter factura, prædictum est; non ut fieret, jussum est : nec ideo factum est, quia prædictum erat; sed ideo prædictum est, quia erat futurum; ut præscientiam suam Deus in his, quæ per libertatem arbitrii hominum futura erant, ostenderet. Libertatem diximus arbitrii; quia voluerunt Judæi facere, quod fecerunt; et utique si voluissent, non fecissent. »

Et Sermone decimo tertio præclare naturam eamdem et indifferentiam liberi arbitrii in hominibus perseverare post Adami ruinam docet, quæ in statu fuit innocentiæ; idque Scripturæ testimoniis affirmat iisdem, quæ contra novos opinatores proferri, et ab iis eludi frigida illa præscriptione solent, quam capitis hujus initio memoravi. Ita igitur Gaudentius [2] : « Vult, *inquit*, Dominus vere justus judex ut meriti proprii sibi sit causa unusquisque : vult et justum pro sola justitia pati; vult et iniquum, si in malitia perduraverit, reum mortis proprio arbitrio judicari. Figuravit enim Deus hominem, ut Scriptura testatur, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum, et dimisit illum in manu consilii sui, posuit ante illum ignem et aquam, dicens : Ad quod volueris extende manum tuam. Posuit, inquit, ante hominem Deus ignem et aquam; id est refrigerium et pœnam, remissionem et supplicium, vitam et mortem. Quis oro non refugiat supplicium, pœnam, et mortem; et eligat refrigerium, remissionem, ac vitam? »

Rursus in Serm. 15. idem Gaudentius manentem in nobis, cujusmodi ante primi parentis prolapsionem extiterat, naturam et proprietatem liberæ voluntatis ita declarat. Primum in Adamo ipso [3] : « Quia veritatis, *inquit*, ratio postulabat, et servilis humana conditio legem Dei dominantis acceperat, proprii arbitrii libertati permissa; unam Deus elegit arborem de omnibus lignis paradisi, non utique malam, sed in qua esse scientia boni et mali videtur, in qua servorum suorum obedientiam pertentaret; ut libertas arbitrii vel immortalitatis præmium possideret obediens; vel contemnens exciperet mortis interminatæ sententiam. Manducavit homo, quia voluit; mandatum non custodivit, quia noluit; morte mulctatur, quia mandatum servare potuit, et non studuit. Arbor quidem bona, et fructus quidem bonus; sed prævaricatio mandati mala, et contemptus Dei malus; atque ita malum non in fœtu arboris est, sed in voluntate hominis transgressoris. »

Postea in Machabæis, quorum gloriosum cum Antiocho pro lege patria et pietate certamen in illo sermone prædicat, eamdem vim et formulam libertatis indicat [4] : « Igitur si unius arbusculæ fructus contra Dei mandatum temere a protoplastis degustatus, mortem generi acquisivit humano, potuit et Machabæis tunc sub lege positis interitum parare mandati divini transgressio, quibus nunc honorem, et gloriam præcepti ejus custodia comparavit, fidem Dei in ipso viriliter, constanterque servantibus. Nam fidem Dei servat, qui mandati ejus jura non violat : quoniam non idcirco illi manducare illicita noluerunt, quod horrorem paterentur in specie; sed contumeliam facere prohibenti Deo justissime formidarunt. »

Salvianus libro primo ad Ecclesiam, non longe ab initio, « Nam cum, ut scriptum est, *ait*, ante hominem vita pariter, ac mors sint, et ad quod vult manum porrigat, necesse est ea unusquisque hominum in æternitate possideat, quæ hic quasi manu sua ipse pervaserit. » Memorabilis omnino Salviani locus iste est, vel eo ipso, quod illam Ecclesiastici ex libro [5] sententiam, qua liberi arbitrii in utrumque potestas approbatur, ad statum naturæ lapsæ pertinere demonstrat : non, ut novis placet dogmatistis, soli adhuc innocenti Adamo congruere.

VIII. Fulgentius in libro de incarnatione et gratia Jesu Christi, liberi arbitrii naturam, et efficientiam propriam parenti primo divinitus inditam sic describit [6]; « ut facultas, atque motus inditæ libertatis, si juvantem se gratiam Dei non desereret, præmium vitæ æternæ tribueret Dei bonitas homini : si autem justitiam divinam contemnens, a gratia excidisset, supplicia retribueret justitia peccatori. » Hoc vero idem arbitrium liberum in homine post lapsum, non perditum et extinctum fuisse, sed vitiatum, et infirmatum, atque idcirco dono medicinalis Christi gratiæ curatum, et adjutum, non autem sublatum esse, in sequentibus asseverat. Velut capite 19. [7] « Ex quo

[1] Tom. 2. Bib. PP. col. 18. — [2] Id. col. 50. E. — [3] Id. col. 56. B. — [4] Ib. C.

[5] Eccl. 15. 18.— [6] Fulg. de Inc. c. 12.— [7] Fulg. ib. c. 19.

enim, *inquit*, primus homo naturam suam voluntarie vitiavit, atque oppressit infirmitas, nisi divinæ gratiæ medicamento præventum in unoquoque homine sanetur, atque adjuvetur liberum indesinenter arbitrium, est quidem liberum, non tamen bonum; est liberum, non tamen rectum; est liberum, non tamen sanum; est liberum, non tamen justum. »

Et capite sequenti : « Qua gratia, *inquit*, humanum non aufertur, sed sanatur : non adimitur, sed corrigitur; non removetur, sed illuminatur; non evacuatur, sed adjuvatur, atque servatur arbitrium : ut in quo infirmitatem homo habuit, in eo habere incipiat sanitatem. » Et in libro de Remissione peccatorum, cap. 13.[1] « Cum ipsa, *inquit*, remissio peccatorum non nisi in conversione cordis sortiatur effectum : in illis duntaxat, qui propriæ voluntatis utentes arbitrio, divini muneris opitulatione conversi, mutata in melius vita, non desistunt ad poscendam remissionem peccatorum currere : ad quorum perpetrationem sive nescientes ignorantia impulit, seu, quod est deterius, scientes contumacia voluntatis illexit. »

Et subinde capite 14. « In omni ergo, *ait*, peccatore, qui arbitrio jam propriæ libertatis utitur, per conversionem cordis beneficium divini muneris inchoatur. » Est autem usus arbitrii propriæ ac liberæ voluntatis, in electione positus, qua ex duobus propositis unum alteri voluntarie præferimus, quæ est liberi arbitrii οὐσιώδης et inseparabilis proprietas.

IX. Vixit eadem, qua Fulgentius, ætate Ennodius Ticinensis. Cujus de arbitrii liberi natura, et indifferenti potestate singulare testimonium merito commemorandum est ex libro secundo, epistola 19. Nihil enim ad id, quod modo agitur, accommodatius, et opportunius afferri potest. Nam eumdem illum, in quo confutando laboramus, errorem impugnat hominis cujusdam, « asserentis de arbitrii libertate homini in una tantum parte, quæ deterior est, eligendi datam esse licentiam. » Quo in refellendo errore, eadem omnino, quibus usi hactenus sumus, et utuntur vulgo contra Lutheranos, et Calvinistas, ac ceteros hæreticos Catholici, adhibet Ennodius argumenta, et testimonia Scripturæ. Ita ergo primum in illam opinionem invehitur : « O schismaticam propositionem, quæ juxta Apocalypsin scriptas habet in fronte blasphemias! Quæ ista libertas est, si valet, edisserat, ubi hoc solum datur velle, quod puniat : aut quare electionem nominet, ubi unam tantum partem asserit fuisse concessam? » Ac subinde : « Ergo debemus, *inquit*, gratiæ, quod vocamur : debemus gratiæ, quod occultis itineribus, nisi resistamus, sapor nobis vitalis infunditur : nostræ tamen electionis est, quod beneficia demonstrata sectamur. » Idem illud contra eumdem affert ex Ecclesiastico passim hæreticis opponi solitum : « Ecce aquam et ignem : ad quodvis porrige manum : quid alia, quæ copiosius assertor ipse replicasti? Credo more aspidis clausa, ut aiunt, aure transivit. »

Accedat his Aponius in Cantica, qui de Dei mandatis agens, sic loquitur[2] : « Quæ præcepit, *inquit*, in nostra posuit potestate, ut justo judicio aut custodientibus regni cœlorum perpetuum gaudium tribuat; aut contemnentibus æternus luctus proveniat gehennæ. »

X. Auctor insuper libri Quæstionum veteris et novi Testamenti, qui inter Augustini opera editus est, et hoc etiam antiquior habetur, atque, ut nonnullis placet, idem est cum scriptore illo, qui commentarium in Pauli epistolas elucubravit, falso Ambrosii inscriptum nomine. Ille igitur in quæstione prima, de liberi arbitrii conditione egregie scribit in hunc modum, cum adversus Manichæos *nullam naturam esse malum* probat[3] : « Natura igitur hominum proprio arbitrio remissa, et dimissa est, ut possit facere quod vult, ut si bonum naturæ suæ exercitatio melioret, honorabilior sit : si autem infirmet vigorem suum, contumelia dignus habeatur hujusmodi. Facit enim quod contra se sit. Non est minimum, quod concessum est homini, ut cum recta sequitur, gaudeat in se, sed per id opere suo videt se meliorem : aut certe imputet sibi, qui cum potuit, non dedit operam, ut melioraret se bonis. Si autem homo potestatis suæ non esset, subjectus fuerat necessitati, ut neque boni operis haberet gloriam, neque mali pœnam, sed fuisset unum ex pecoribus. Quoniam ergo ad utrumque facti sumus possibiles, ut per negligentiam delinquamus, si quod bene audire et videre debemus, male, id est extra normam, et rationem audiamus; per vigilantiam autem naturæ bonum custodiamus; et cauti esse semper non possumus, quia, sicut dixi, ad utrumque facti sumus possibiles. »

Item in appendice tomi decimi operum Au-

[1] Idem lib. de remiss. peccat. c. 13. p. 232.

[2] Tom. 1. Bibl. col. 272. A. — [3] In append. to. 4. August. pag. 426.

gustini, auctor ille, qui sermonem scripsit in illa verba, *Qui fecerit et docuerit*; qui tertius ponebatur inter eos, qui sunt *de verbis Domini secundum Matthæum*. « Ut jam, *inquit*, homo quod voluerit mereatur, et eo quod meruerit judicetur : et hoc totum in potestate hominis consistit, qui sibi ex qualitate vitæ meritum quod haberet invenit. »

XI. Egregius ad eamdem sententiam est Bernardi locus e sermone 81. in Cantica, in quo liberi arbitrii natura graphice describitur, quo quam simillima Verbo esse videtur humana conditio. « Arbitrii libertas hæc est, *ait*, plane divinum quiddam præfulgens in anima, tanquam gemma in auro. Ex hac nempe inest illi inter bonum quidem et malum, nec non inter vitam et mortem, sed et nihilominus inter lucem et tenebras, et cognitio judicii, et optio eligendi, et si qua sunt alia, quæ similiter circa animi habitum sese e regione respicere videantur : nihilominus inter ipsa censorius quidam arbiter is animæ oculus dijudicat et discernit; sicut arbiter in discernendo, sic in eligendo liber. Unde et liberum nominatur arbitrium, quod liceat versari in his pro arbitrio voluntatis. Inde homo ad promerendum potis. Omne etenim quod feceris bonum, malumve, quod quidem non facere liberum sit, merito ad meritum reputatur. Et ut merito laudatur qui potuit facere mala, et non fecit : sed et qui potuit non facere bona, et fecit : ita malo non caret merito tam is, qui potuit non facere mala, et fecit, quam qui potuit et facere bona, et non fecit. Ubi autem non est libertas, nec meritum. Propterea quæ sunt carentia ratione animalia nihil merentur; quia sicut deliberatione, ita et libertate carent. »

Mirifice Bernardus his verbis liberi arbitrii naturam, propriamque conditionem explicat : hoc est ejus facultatis, de qua cum catholica Ecclesiæ doctrina Lutheri, et Calvini asseclæ litigare non cessant. Nam et indifferentem illius ad utrumque potestatem exprimit; et judicii non ad unum aliquid adstrictam, sed inter duo suspensam disceptationem : et electionis optionisque perinde nutantem inter ambo propensionem declarat. Denique facultatem illam animi Bernardus significat, ex qua boni malive meriti, laudis aut vituperii, præmii vel pœnæ fons, et origo petitur : ut illa sublata nihil istorum amplius supersit. Quæ præscriptio contra novorum dogmatistarum præstigias, ludicrasque tergiversationes magnopere debet animadverti : qui libertatem ab libero arbitrio subdole distinguentes, liquidæ ac catholicæ veritati fumum ac nebulam novitii erroris obducunt.

XII. Honorius Augustodunensis in libro de Prædestinatione et libero arbitrio, huic esse contrariam non solam violentiam, sed etiam necessitatem determinantem significat : ejusque proprium esse docet quam velit in partem inclinare. Ac primum asserit [1], « Deum angelicam naturam, et humanam ad se videndum condidisse : quæ ut aliquod proprium meritum apud eum haberent, quod remunerare debet, justitiam eis dedit : ut autem plenum gaudium haberent, liberum arbitrium addidit; quo non coacti, sed liberi justitiam datam servarent, et sic semper cum eo bene regnarent. » Deinde [2] quærenti quomodo non omnes nec angeli, nec homines salvantur, *cum Deus velit omnes salvos fieri*; respondet, « perditionem pereuntium non procedere ex voluntate Dei; sed ex libero arbitrio, quo sponte justitiam, quæ est pactum beatitudinis, deserunt. » Et, « Angelus, *inquit*, nulla prædestinatione, nulla necessitate trahente, sed sola libera voluntate justitiam deseruit. Homo similiter nulla vi coactus, nulla necessitate impulsus, sed libera voluntate justitiam deseruit, et injustitiæ se subdidit. » Quippe, ut paulo post ait [3], « Liberum iis arbitrium dedit, id est suæ voluntatis compotes fecit, quia hoc suæ perfectioni convenit, ut nihil nisi perfectum absolveret. Perfecti enim non essent, si liberi non essent. Et si liberi non essent, necessitati ut bestiæ subjacerent. » Manifestum est necessitatem illam, quam opponit libero arbitrio, non solam esse cogentem, ac violentam : sed etiam hujusmodi, quæ potestatem aufert utriusvis eligendi, et ad unum asciscendum appetitum alligat, quamlibet id sponte faciat; uti pecudes, quæ ultro aliquid expetunt, non tamen libere, quoniam aliter agere nequeunt, nec sunt sui compotes. Atque hoc sensu intelligendum est, quod deinde scribit [4], « Hominem nulla necessitate, sed sola libera voluntate peccasse; et ideo Dominum peccatum illi imputasse : qui si necessario peccasset, reus non esset, cum hoc faceret, quod vitare non posset. » Ex quo constat *necessitatis* notionem, quam ille scriptor usurpat, non esse solam vim, et coactionem, sed universe quod vitari non potest : quale est, quod ita voluntatem ad

[1] Honor. tom. 9. Bib. 1145. E.

[2] Ib. 1146. — [3] Col. 1147. — [4] Col. 1149.

unum volendum adstringit, ac determinat, ut alterius optandi potestatem eripiat. Hæc igitur necessitas, quia libertati repugnat, idcirco peccatum pariter tollit, ac meritum. Quod non minus in præsenti voluntatis statu post Adami lapsionem valere, quam cum incolumis adhuc esset, ex eo colligitur, quod idem Honorius antea dixit [1] : « Libertatem, quam semel hominibus dedit, immutabilem Deum auferre non debuisse, nec etiam potuisse, quod alioqui nollet eos justitiam velle. » Manet igitur eadem, quæ fuit ante peccatum, libertatis natura post admissum peccatum : adeoque sui juris potestas, et indifferens ; hoc est neutro circumscripta definitaque, quod vitari, et repudiari nequeat.

Joannes Gersonius vim hanc eamdem liberi arbitrii declarat his verbis [2] : « Porro contra nitamur, ut possumus, retinentes saltem in suspenso quodam liberum arbitrium, ne præcipitanter eliciat actum suum, quoniam in hac vi suspensiva, sit velle, sit nolle, sit actus medius, salvatur præcipue libertas arbitrii, et sua in nobis utilitas. » Postremo Caroli magni Franciæ regis nomine inscriptum opus de Imaginibus, libro tertio, capite secundo, liberum arbitrium hoc modo describit : « Liberum sic confitemur arbitrium, ut dicamus nos semper Dei indigere auxilio : et tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt hominem peccatum vitare non posse, quam illos, qui cum Joviniano asserunt hominem non posse peccare. Uterque enim tollit arbitrii libertatem. Nos vero dicimus hominem semper et peccare, et non peccare posse, ut semper nos liberi confiteamur esse arbitrii. »

Postremo quod ad auctores illos spectat, quorum testimoniis veram germanamque notionem humanæ libertatis adstruximus, quiddam est observatione dignum : nonnullos ex iis ab novis dogmatistis eludi, et pro intestabilibus censeri, velut Pelagiana fæce oblitos, ut Macarium, Marcum eremitam, Ennodium Ticinensem, et Nemesium : de quibus, et si qui sunt ejusdemmodi alii, prudens hæc theologus animadvertet. Primum, ut in illorum Pelagianismum nondum accuratius inquiram, quod suo loco faciam : nihil hoc ad rem pertinere. Non enim Pelagiani ob hoc hæretici judicati sunt, quod de liberi arbitrii natura perperam sentirent ; sed quod majores illi, quam catholica veritas ferat, ad bonum consectandum vires attribuerent, neque gratiæ Christi adeptæ meritis egentes.

Hanc rem scitu pernecessariam, et ad retundendos Armacanorum insultus in promptu habendam, pluribus affirmavimus in libro quarto de Opificio, qui est secundus de libero arbitrio, capite secundo : ex quibus perspicuum sit [3], non hinc Cælestianos et Pelagianos hoc est hæreticos, damnandosque visos esse, quod liberum arbitrium, etiam post peccatum Adami, in indifferenti, et ab necessitatis nexibus soluta utriusvis eligendi potestate constituerent : sed quod sine auxilio gratiæ, ad bonum eniti suapte vi posse crederent. Nullum autem ejusmodi virus erroris iis in locis apparet, quæ ex illis scriptoribus ad propugnandam libertatis insitam, communemque notionem colliguntur a Catholicis. Imo cum reliquorum sententiis Patrum græcorum latinorumque mirifice consentiunt, quos nulla hæresis suspicione perstrictos tum in tribus tomi tertii libris, qui sunt de hoc argumento scripti, tum in octavo hujus libro capite secundo, ac tertio, testes citavimus.

Deinde ut de suspectis illis singillatim aliquid dicam : quos propter Pelagianismum ab hac de libertate controversia summovendos putavit obscuri cujusdam scriptor libelli, qui *Vulpes capta* nuper inscriptus prodiit [4], imprimis de Macario, quod contra Ripaldam præscribit, ridicule facit, et antistitis sui Armacani, (hoc enim sibi nomen ipsemet imposuit in nefando opere illo, quod sub Gallici Martis elogio in lucem extulit,) Armacani, inquam, sectæ suæ principis auctoritatem elevat : qui [5] inter fautores, suffragatoresque dogmatis sui græcos Patres, eumdem illum citavit sanctum (ita enim appellat) Macarium. Quid habet ergo quod Ripaldæ succenseat *dolosa* illa *vulpes*, et in astu suo *capta*, atque convicta?

Nam quod Nemesium testem recusat, multo etiam absurdior est, largiusque peccat. Scire enim hoc profecto debuit, quod primo de libero arbitrio non tacueram [6], omnia pene, quæ de voluntatis arbitrio libero ab S. Joanne Damasceno scriptis tradita sunt, ex Nemesii opere illo verbatim fuisse descripta; ex Damasceno vero S. Thomam Aquinatem itidem omnia derivasse, quæ de voluntate, ac libero arbitrio in Summa theologica disputavit. Cujus itaque veterni, ac quam supinæ est oscitantiæ,

[1] Col. 1147. — [2] Gers. l. 2. de Cons. Theol. Prosas 3. Par. 3. col. 33.

[3] Aug. l. 2. de Nup. c. 3. — [4] C. 5. § 8. p. 47. — [5] Tom. 3. l. 5. c. 12. — [6] Lib. 3. Opif. c. 5. Sect. 5. et seq.

non hoc piacularem animadvertisse correctorem alienorum erratorum, quanto atrocius ipse peccaret, dum per latus Nemesii, sanctissimos theologos Joannem Damascenum, ac Thomam Aquinatem peteret : imo Patres omnes, ac theologos, totamque adeo catholicam suggillaret Ecclesiam : quæ in hominis constituenda libertate non aliis, quam illorum in decretis ac placitis acquiescit.

Jam quod Ennodio, viro peræque sancto et erudito, petulanter adeo, ac proterve calces illisit tenebricosus nebulo [1], nonne hoc ipso satis indicat, impostorem se esse, qui *theologorum sacræ Facultatis academiæ Lovaniensis* falso sibi nomen usurpavit? Non enim *sacra illa Facultas*, opinor, tam *profano*, et *irreligioso* stylo memoriæ sanctorum illuderet, ut eis temeritatis, ac turpissimæ maledicentiæ notam inureret, et, quod fœdius est, ex incerta et obscura suspicione, pro certissimis hæreticis traduceret. Prorsus impudenter, et indigne *captator iste vulpium* tam celebris viri famam talibus probris, ac maledictis insectatus est, et ea dixit, quæ dicenda non erant *sacræ Facultatis nomine;* in eum, inquam, virum, qui et olim in summa doctrinæ, ac sanctitatis commendatione vixit, cujus merito in sancti Epiphanii Ticinensis episcopi locum suffectus est, et post obitum in sanctorum adscriptus numerum, ecclesiasticas tabulas commemoratione sui nominis quotannis illustriores facit, 16. calend. Aug.

At quo demum ille fretus sanctum episcopum maculis adspergit istis? Epistolam ab eo scriptam ad Constantium contendi jubet cum scriptis Fausti, ut Semipelagianum fuisse norimus [2]. Atqui nego causam esse eamdem utriusque. Neque vero locus est hic de amborum discrimine disputandi copiosius. Hoc unum dixerim, Ennodium in illa epistola præter externam legis, prædicationisque gratiam, manifeste interiorem agnoscere, cum *vitalem infundi saporem* docet. Itaque nulla satis idonea ratio est, propter quam Semipelagianismum illi merito debeas subscribere. Atenim ὁ Ἀλωπεκοθήρης instat, et maledicum insuper fuisse his verbis arguit : « Neque vero auctoris, *inquit*, istius temeritas se cohibuit, quin in eadem epistola effutiret : Video quo se toxica Libycæ pestis extendant. Quibus verbis doctrinam Augustini tanquam ex Libya, seu Africa venientem invidiose traducit, et Libyca pestis vocabulo suggillat. »

Verum quis nos coget ad Augustini doctrinam illa Ennodii verba referre? Nonne proclivius est, ac prudentius, si aliqua doctrina significetur, de ea potius interpretari, quæ prædestinatorum propria fuit : cujusmodi in Africa, et in suo monasterio fuisse quosdam, testis est fide dignus Augustinus, ut in libro 13. demonstravimus [3] ? Sane *Libycum doctorem* vocat Augustinum idem Ennodius epistola quarta libri primi, cum ait : « Doctorem Libycum asseritis sublata a se pyri poma flevisse, » ubi ad hoc furtum alludit adolescentis adhuc Augustini, quod in Confessionibus deplorat ipse [4]. Sed quem *doctorem* ibi nominat, non est consentaneum ejus doctrinam ab eodem *pestem Libycam* appellari. Itaque *Libyca pestis*, si, uti dixi, cujuspiam est doctrina, non Augustini ; sed illius est, quem in epistola insectatur Ennodius : sive Afer et ipse fuerit eodem veneno erroris imbutus, quo et Adrumetini illi Augustinianæ doctrinæ mali interpretes ; et monachus iste, quem ex suo monasterio discessisse refert idem Augustinus [5] : sive hæresim illius, undecumque tandem prodierit, venenum simpliciter vocat. Quæ interpretatio totam *Vulpini captatoris* fabulam evertit.

Familiare est Patribus hæreticos cum serpentibus, illorum falsa dogmata cum horum venenis conferre ; quod inter alios passim Epiphanius facit. Sic igitur Ennodius hæreticum illum prædestinationi divinæ, ac gratiæ tribuentem omnia, nihil hominis arbitrio libero relinquentem, primum appellat viperam : deinde quoniam in Africa plurimi, iidemque venenatissimi sunt serpentes, qui per arenas Libycas repentes iter agentibus infesti sunt ; ideo Libycam pestem, hoc est Afri serpentis veneno similem hæresim illam vocat Ennodius. De Afris serpentibus aptissime ad hanc nostram explicationem ita scribit Solinus capite 30. « Africa serpentibus adeo fœcunda est, ut mali hujus merito illi potissimum palma detur. » Tum de aspide nominatim : « Plures, diversæque aspidum species sunt, verum disparis effectus ad nocendum. » Plenius quoque libro 5. cap. 4. de Africa loquens, et ejus illa regione, quæ Syrtibus objacet, « Et terra hæc autem, *ait*, siderum observatione nobilis. Ad eam per deserta arenis, perque serpentes iter est. »

Hinc Ennodius, postquam hæreticum illum similitudine aspidis expressit his verbis,

[1] C. 5. § 6. — [2] Enno. lib. 2. ep. 19. — [3] Cap. 6. § 11.

[4] Aug. 2. Conf. c. 4. — [5] Lib. de dono persev. c. 15.

« Credo more aspidis clausa, ut aiunt, aure transivit, » (nempe Scripturæ testimonia, et argumenta cetera, quibus humanæ libertatis συνεργία contra illius asserebatur hæresim,) mox eamdem similitudinem persequens : « Video, *inquit*, quo se toxica Libycæ pestis extendant : arenosus coluber non hæc sola habet perniciosa, quæ referat. » Ergo *Libycam pestem* simpliciter dixit pro *serpentina;* quoniam per Africæ, sive Libyæ sabuleta grassari serpentes, et imprimis aspides solent.

CAPUT QUARTUM.

Eadem libertatis, et liberi arbitrii notio ex proprietate vocum ostenditur, quibus illa describi, ac declarari solet. — 1. Ἐφ' ἡμῖν. — 3. Ἐξουσίᾳ, et *αὐτεξούσιον*, quæ est libera potestas. — 5. Cum aliquid in potestate nostra esse dicitur, duo semper intelliguntur, quorum alterum eligere possumus; — 6. quod ex Apostolo demonstratur. — 7. Tum ex Augustino. — 11. Declaratur locus Joannis ex Evangelii capite primo, ubi scriptum est, *Dedit potestatem filios Dei fieri.* — 12. In quo hæreticorum falsa interpretatio refellitur ; qui dignitatem intelligunt. — 13. Melius interpretem nostrum in potestatem vertisse, ut sit libera facultas, et licentia. — 14. Nec jus, ut aliis placet, significari. — 15. Confirmatur auctoritate veterum nostra illa sententia. — 16. Tum ex vocabulo Κύριος, quod libero arbitrio tribuitur. — 18. Usitata libertatis exprimendæ formula.

I. In libro primo de Libero arbitrio, quem de Opificio tertium inscripsimus [1], plurimum contulisse animadvertimus delectum quarumdam vocum, quibus illa homini insita facultas a græcis latinisque scriptoribus exprimi consuevit ; ut inde vis illius et proprietas in eo, quod ἀδιάφορον vocant, constituta videatur. Placet itaque, quoniam idem hoc loco perpolire argumentum, et illustrare liberi arbitrii potestatem novis additis antiquorum Patrum testimoniis suscepimus, idipsum et in vocibus illis facere, quæ passim apud profanos, sacrosque scriptores ad illam declarandam adhibentur.

Harum prima, et usitata maxime locutio est, ut liberum vocetur τὸ ἐφ' ἡμῖν, *quod in nobis, et in potestate nostra situm est.* Quod ita definit Simplicius in commentario ad caput primum Enchiridii Epicteti : « (1) In nobis sita esse dicit, quorum domini sumus, et quorum potestatem habemus. Atque hæc in ipso sita unoquoque dicimus, quæ nec ab alio habet, nec ab alio quopiam impediri possunt. Hujusmodi sunt autem motiones animæ, quas ex interiori ipsamet pro suo judicio, et electione producit. Non enim electio ab externo moveri potest. Verum etsi id, quod eligitur, extrinsecus objectum sit, tamen electio ipsa, et motio ad id, quod eligitur, ab interiori provenit. »

Et ad caput secundum idem Simplicius, « (2) Quæ in nobis, *ait*, sita sunt, libera vocat, quoniam neque ut fiant, necessitas ab aliis potest imponi : neque prohiberi possunt : nec alius usum ipsorum in potestate habet. Tale est enim quod liberum vocamus, ut sit juris sui, ac potestatis, et usus sui dominum. » Recte id quidem Simplicius : nec aliter Christiani omnes philosophi, ac theologi, ut ex eorum sententiis apparet, quas et hoc libro, et in aliis affatim congessimus. Quæ quidem omnes in id conspirant, ut ἐφ' ἡμῖν, id est *in nobis aliquid esse positum*, nihil aliud sit, quam nos posse illud amplecti et eligere, aut repudiare pro arbitrio, ac voluntate nostra.

II. Gregorius Nyssenus hujusmodi et particularem istarum, et liberæ voluntatis notionem, ac δύναμιν in eodem, de quo modo agi-

(1) SIMPL. Ἐφ' ἡμῖν ἐκεῖνα λέγει, ὧν κύριοί ἐσμεν, καὶ ὧν τὴν ἐξουσίαν ἔχομεν. Ταῦτα καὶ ἐπ' αὐτῷ ἑκάστῳ λέγομεν, ἃ μὴ παρ' ἄλλου ἔχει, μηδὲ ὑπ' ἄλλου τινὸς ἐμποδίζεσθαι δύναται. Τοιαῦτα δέ ἐστι τὰ κινήματα τῆς ψυχῆς τὰ ἔνδοθεν ὑπ' αὐτῆς κατὰ τὴν αὐτῆς κρίσιν καὶ αἵρεσιν γινόμενα. Οὐ γὰρ δυνατον ἔξω κινεῖσθαι τὴν αἵρεσιν. Ἀλλὰ κἂν τὸ αἱρετὸν ἔξωθεν ᾖ, ἡ αἵρεσις αὐτὴ, καὶ ἡ ἐπὶ τὸ αἱρετὸν κίνησις, ἔνδοθέν ἐστι.

(2) Idem. Ὅτι τὰ ἐφ' ἡμῖν ἐλεύθερα, ὅτι οὔτε γενέσθαι ἀναγκάζεται ὑπ' ἄλλων, οὔτε κωλύεται· οὔτε ἄλλος ἔχει τὴν ἐξουσίαν τῆς χρήσεως αὐτῶν. Τοιοῦτον γάρ ἐστι τὸ ἐλεύθερον αὐτεξούσιον ὑπάρχον, καὶ κύριον τῆς ἑαυτοῦ χρήσεως.

[1] Lib. 3. de Opif. c. 13.

mus, hoc est filii vel eligenda, vel repudianda dignitate confirmat in libro secundo contra Eunomium : « (1) In natura, *inquit*, inferiore, et in rebus nostris, quoniam ad utrumque propensionem habet humana natura, in nobis situm est, vel noctis, vel diei esse filiis; manente principaliter in propriis finibus natura, etc. » Tum paucis interjectis : « Verum natura in utrisque stante, quæ ex electione incidunt differentiæ, nomina propinquitatis subeunt; ut vel Dei filii per virtutem; vel hostes per vitium fiant. »

Ita Clemens Alexandrinus in septimo Stromateo, « (2) In nobis, *ait*, esse sita, quæ mandata præcipiunt : » quod nihil aliud est quam posse nos ea facere, vel non facere.

Sic Isidorus Pelusiota libro 5. epistola 442. « (3) Persuaderi, vel non persuaderi, auditorum esse » dicit, « et in illorum potestate situm, propter liberi arbitrii definitionem. » Quod ipsum recte intelligitur ex illa formula, quam propheta Isaias concipit [1], *Si volueritis, et audieritis me*, etc. *Quod si nolueritis, etc.* « (4) Cum enim, ut ait Chrysostomus, non in naturæ necessitate donum illud posuerit, (ut bene, et ex virtute, ac divina lege vivamus,) sed electionis libertati permiserit; in te ipso deinceps situm est, ut hoc sis, et illud. » Ergo ἐν ἡμῖν εἶναι, duo inter se opposita significat, e quibus unius est optio libera. Sic in eadem homilia, « (5) Non est idem, *ait*, animæ ac corporis essentia, et electionis : verum illa sunt opera Dei; hæc autem, motio est ex nobis ipsis facta, ad quodcumque ipsam deducere voluerimus. »

Ita Cyrillus Alexandrinus in calce libri quarti in Joannem, « (6) cessare a perturbatione in nobis situm esse » dicit : « quippe malum facere desinemus, si propriarum voluntatum propensionem ferri in meliora concedamus. Verum liberari penitus a perturbatione non omnino in nobis est situm. »

Vide Cyrilli ejusdem loca supra capite secundo allata; imo plurimorum aliorum Patrum, qui τὸ ἐφ' ἡμῖν, vel ἐν ἡμῖν, ita semper usurpant, ut ad plura liberam, et sine ulla necessitate ad alterutrum applicantem se potestatem significent.

Quam notionem locutionis istius intellexit, et declaravit Homeri interpres Eustathius, hunc Poetæ versum explicans :

(7) Veni equidem ut tuos lenirem animos, si forte pareas.

Ad quem istud adnotat : « (8) Ostendit philosophorum consentanee decretis poeta noster, in nobis esse situm, cessare ab iracundia, vel non cessare. »

III. Idem valet ἐξουσίας nomen, vel αὐτεξουσίας, sive τὸ αὐτεξούσιον : quæ vocabula passim a Græcis assumi videas, ut a Latinis *potestatis* vocem, pro ea facultate, quæ indifferenter utrumlibet appetere potest, ad idque jus habet, et libertatem; quod Justinus [2] vocat ἐπ' ἀμφότερα τρέπεσθαι δύναμιν ἔχειν. De quo Isidori Pelusiotæ disertissimus est locus quem operæ pretium sit hic legi. « (9) Non ille justi nomen, *inquit*, juste consequitur, qui caret omni præsidio ad injuriam faciendam. Sed qui potestatem rei illius habens, injuste nihil facit. Sed neque qui necessitate ad hoc adducitur, ut temperanter se gerat, statim eum temperantem verum est dicere : sed eum duntaxat, qui, cum in potestate sua voluptates habeat, voluntarie

(1) GREGOR. Nyssen. lib. 2. cont. Eun. pag. 95. B. Ἐπὶ μὲν οὖν τῆς κάτω φύσεως, καὶ τῶν καθ' ἡμᾶς πραγμάτων, διὰ τὸ πρὸς ἑκάτερον ἐπιῤῥεπῶς τὸ ἀνθρώπινον ἔχειν, πρὸς κακίαν λέγω, καὶ ἀρετὴν, ἐφ' ἡμῖν ἐστιν ἢ νυκτὸς, ἢ ἡμέρας υἱοὺς γενέσθαι, μενούσης κατὰ τὸ προηγούμενον ἐν τοῖς ἰδίοις ὅροις τῆς φύσεως, etc. MOX : Ἀλλὰ τῆς φύσεως ἐφ' ἑκατέρων ἑστώσης, αἱ κατὰ τὰς προαιρέσεις διαφοραὶ τὰ ὀνόματα τῆς οἰκειότητος ὑποδύονται· ἢ Θεοῦ τέκνα δι' ἀρετῆς, ἢ τοῦ ἀντικειμένου διὰ κακίας γινόμενοι.

(2) CLEM. Alex. pag. 522. ver. ult. Ὄντων ἐφ' ἡμῖν ἀποστάττουσιν αἱ ἐντολαί.

(3) ISID. Pelus. Ὅτι τὸ πεισθῆναι, καὶ μὴ, τῶν ἀκουόντων ἐστὶ, διὰ τὸν τῆς αὐτεξουσιότητος ὅρον.

(4) CHRYS. hom. 13. in epist. ad Rom. pag. 106. vers. ult. Ἐπειδὴ γὰρ οὐκ ἀνάγκῃ φύσεως τὸ δῶρον ἐνέθηκεν, ἀλλ' ἐλευθερίᾳ προαιρέσεως ἐνεχείρισεν, ἐν σοὶ λοιπόν ἐστι καὶ τοῦτο γενέσθαι, κἀκεῖνο.

(5) Idem pag. 101. Οὐ γὰρ ταὐτὸν ψυχῆς οὐσία, καὶ σώματος, καὶ προαιρέσεως. Ἀλλὰ τὰ μὲν ἔστιν ἔργα Θεοῦ· τὸ δὲ ἐξ ἡμῶν αὐτῶν γινομένη κίνησις πρὸς ὅπερ ἂν αὐτὴν βουληθῶμεν ἀγαγεῖν.

(6) CYRIL. in Joan. pag. 440. Ἀλλὰ τὸ μὲν ἀργῆσαι πάθους, ἔχει τινὰ μοῖραν τοῦ καὶ ἐφ' ἡμῖν κεῖσθαι δοκεῖν. Καταλήξομεν γὰρ τοῦ κακοῦ τοῖς ἀμείνοσι τῶν ἰδίων θελημάτων ἐπιδιδόντες τὴν ῥοπὴν. Τὸ δὲ ἀπαλλάττεσθαι πάθους, οὐχὶ πάντως ἐφ' ἡμῖν.

(7) HOMER. Il. 1. Ἦλθον ἐγὼ παύσουσα τεὸν μένος, αἴκε πίθηαι.

(8) EUST. tom. 1. pag. 66. Δηλοῖ φιλοσόφως ὁ ποιητὴς τὸ ἐφ' ἡμῖν εἶναι παύεσθαι θυμοῦ, εἴτε καὶ μὴ.

(9) ISID. Pelus. lib. 5. ep. 377. Οὐχ ὁ πάσης ἀφορμῆς πρὸς ἀδικίαν ἔρημος ὢν, δίκαιος κεκλῆσθαι δίκαιος, ἀλλ' ὅστις τὴν ἐξουσίαν τοῦ πράγματος ἔχων, ἀδικίας οὐχ ἅπτεται. Οὐ μὴν οὐδὲ ἀνάγκῃ σωφρονῶν, σώφρων εἰκότως κεκλήσεται. Ἀλλ' ὅστις τὴν ἐξουσίαν τῶν ἡδονῶν ἔχων, ἑκούσιον σωφροσύνην ἀσπάζεται.

[1] Isa. 1. 19.

[2] Supra cit.

se continet. » Gregorius item Nyssenus libro tertio contra Eunomium, ἐξουσίας eamdem illam notionem concipit, cum de flexibili angelorum voluntate disputat. « (1) Quod enim essentia mutabile est, *inquit*, cum in utrumlibet pro potestate moveatur, obsequentem habet liberæ electionis propensioni naturæ facultatem. »

Sic Dorotheus [1] Deum nobis concessisse dicit boni faciendi potestatem, si ita velimus; ita ut ad peccatum non amplius necessitate compellamur : ubi ἐξουσία expeditam indicat eligendi utriusvis potestatem. Et Maximus [2] potestatem inesse menti asserit, et vim agendi quod velit : ut vitio vel virtuti, et ad utrumlibet impellentibus tanquam in medio posita, cedat aut resistat.

Antonius quoque monachorum parens [3], « Quoniam in nostra sumus potestate creati, ideo sanctos *ait* de nobis esse sollicitos. »

Augustinus in libro contra Adimantum [4] : « Nisi quisque voluntatem mutaverit, *inquit*, bonum operari non potest : quod in nostra potestate esse positum, alio loco docet, ubi ait [5], *Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, et fructum ejus malum.* » Habes hic *potestatis* liberæ notionem, et ejus quod *in potestate nostra esse* dicitur, hac formula comprehensam, *Aut facite hoc, aut facite illud :* sive ista, quam capite sequenti subjicit, cum ait, « In nostra potestate esse, ut vel inseri bonitati ipsius, vel excidi severitate mereamur. »

IV. Idem ad Psalmum 131. de Davide et Saule loquens [6] : « Habebat, *inquit*, illum in potestate; et non necessitate, sed voluntate pepercerat, et noluit occidere. » Et alibi [7], « In potestate ergo est, quod in voluntate esse non debet. » Ac paulo post, « Et cum convincuntur naturam non esse malam, sed in potestate esse hominis facere bene aut male : dicunt non esse animæ liberam voluntatem. » Sed mox hanc amentiam convincit Augustinus [8], et, « Quis enim non clamet stultum esse, præcepta dare ei, cui liberum non est quod præcipitur facere, et iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere? Et has injustitias, et iniquitates miseri non intelligunt Deo se adscribere. Sed quid verum est, nisi et Dominum dare præcepta, et animas liberæ esse voluntatis? etc. »

Hinc evidenter apparet, ejus, quod *liberum* dicimus, et *in potestate nostra esse*, hujusmodi esse significationem, ut illud facere, aut non facere, amplecti, aut repudiare possimus; quod est proprie id, quod *indifferens* appellamus. Tum recte istud ipsum ex eo colligi, quod hominibus præcepta dat Deus; quæ non juste daret; nec ob eorum vel observationem, vel violationem præmia, pœnasve constitueret, nisi talis in hominibus inesset libera voluntas et potestas.

Atque ex hoc insuper loco conficitur, Deum ita mandata hominibus ac legem edere, iisdem ut vires ad exequenda illa tribuat, adeoque sufficientem, ut vocant, gratiam et idonea auxilia; sine quibus legi obtemperare nequeunt. Hoc enim nisi suppeditaret legis conditor, iniquum et injustum fore censet Augustinus : qualem Deo calumniam importantes Manichæos merito detestatur. Neque vero id obscurum est, Augustinum de legibus illis loqui, quas homini post primi parentis lapsum, et in præsenti statu tulit Deus : ut ne eas quidem, nisi et liberam arbitrii in utrumque potestatem, et sufficiens ad illas exequendas gratiæ præsidium habenti homini dictare potuerit : et qui aliter sentiunt, iniquitatem, et injustitiam Deo per summam blasphemiam adscribant. Quod in eo mandatorum genere extra controversiam est, quo illa præcipiuntur, quæ naturæ captum, viresque superant.

Simili argumento, quod ex mandatorum præscriptione ducitur, liberi arbitrii potestatem probat idem Augustinus initio libri de Gratia et libero arbitrio ad Valentinum.

V. Nec illud prætermiserim, ex illis locis, quæ partim hic, partim alibi ex Augustino aliisque commemoravimus, perspicuum hoc esse, quoties ita illi loquuntur, *in potestate nostra esse quippiam habere, vel facere :* duo semper intelligi, et significari opposita inter se, ex quibus alterum eligi possit, quamvis unum duntaxat e duobus diserte, expresseque ponatur. Quod quidem satis persuadet tum communis hominum sensus consuetudoque sermonis, tum quod iidem auctores plerumque duo illa, quæ ad eligendum proposita sunt, nominatim concipiunt. Nam quis adeo est stolide pervicax, ut cum ita dicitur, Si volumus, cras peregre proficiscemur; non una illud etiam alterum contineri locutione ista

(1) NYSSEN. tom. 2. pag. 111. D. Τὸ γὰρ τρεπτὸν τῆς οὐσίας ἐφ' ἑκάτερον κατ' ἐξουσίαν κινούμενον ἀκολουθοῦσαν ἔχει τῇ τῆς προαιρέσεως ῥοπῇ τὴν τῆς φύσεως δύναμιν.

[1] Sup. c. 2. § 14. — [2] Cit. to. 1. lib. 5. c. 13. in fine. — [3] Ep. 1. ad Arsenoitas tom. 3. Bib. col. 24. — [4] Cap. 26. — [5] Matt. 12. 33. — [6] Tom. 8. p. 624. — [7] Lib. de fide contra Manich. cap. 9. tom. 6. — [8] Ib. c. 10.

fateatur, Et videlicet si nolumus, non proficiscemur? Aut cum ita Christus ait [1] : *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum*, etc. quis non alterum simul comprehendi sentiat: *Si venire nolit, non illa facturum, vel si facere nolit, non esse venturum?* Tum vero sæpius ambo, ut dixi, diserte explicateque ponuntur. Ut cum Pilatus Jesum alloquens [2], *Mihi non loqueris*, inquit, *nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te;* græce ὅτι ἐξουσίαν ἔχω. Hic utrumque nominatim τῇ ἐξουσίᾳ, id est potestati liberæ subjicitur.

VI. Sic Apostolus insigniter in epistola priore ad Corinthios [3] : *Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, et hoc judicavit in corde suo servare virginem suam, bene facit.* Si hactenus locutus esset Apostolus, nec partem adjecisset alteram, nemo non eam, priora hæc audiens, animo perciperet, ac simul dici crederet, et nempe posse, si ita malit, non servare virginem suam, qui servare voluerit. Sed hoc idem ipse subinde declaravit, et ambo expressit illa, quæ in potestate voluntatis esse docuerat. *Igitur, et qui matrimonio jungit virginem suam*, ait, *bene facit; et qui non jungit, melius facit.* Ergo quod dixerat [4], μὴ ἔχων ἀνάγκην, ἐξουσίαν δὲ ἔχει τοῦ ἰδίου θελήματος, *potestatem habens suæ voluntatis*, quod necessitati opposuit, indifferentem ad utrumlibet arbitrii libertatem, et eligendi quod velit potestatem demonstrat. Atque hæc ipsa duo, alligantem scilicet determinantemque necessitatem, et liberam potestatem, velut contraria, et se ex adverso respicientia, mox ibidem Apostolus similitudine quadam explicat. *Mulier*, inquit, *alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est*, (græce ἐλευθέρα, id est *libera*,) *cui vult nubat*, (græce item *cui vult nubere*.)

Quamdiu vivit mulieris vir, non est hæc libera; ut cui volet alteri nubat : siquidem alligata est uni, a quo habetur, et affixa. At illo vita functo, ideo libera est, quia *indifferenter* potest quem volet eligere; quo cum in manum conveniat. Hæc vera, et graphice delineata est imago liberi arbitrii, quod eatenus liberum est, quia *indifferenter* ad quod libitum est applicare se potest.

VII. Ad hanc itaque formulam exigenda sunt illa omnia loca, præsertim Augustini, in quibus aliquid *in potestate esse nostra* dicit, sive utramque partem nominando exprimat, sive unam duntaxat appellet : cujus utriusque sunt exempla plurima illis in sententiis, quas ex eodem selegimus. Sed unum est insigne in libro de Spiritu et littera, capite 30. ubi ita scribit : « Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit : si non vult, non facit. » Atque hoc in exemplo fidei subinde adstruit : de qua, postquam quæstionem hanc proposuit, an fides in nostra potestate sit, ut eam dissolvat, ita disputare incipit : « Vide nunc utrum quisque credat, si noluerit; aut non credat, si voluerit. Quod si absurdum est : Quid est enim credere, nisi consentire verum esse, quod dicitur? » Ergo ut aliquid in potestate esse dicatur, non hoc tantum necesse est ut, si volumus, faciamus; sed etiam ut, si nolimus, non faciamus. Quæ ambo diserte illic exprimit Augustinus, et ubi expressa non sunt, prudenter subaudienda esse significat. Velut in eodem libro capite sequenti, hoc est 31. « Cum ergo fides, *ait*, in potestate sit : quoniam cum vult quisque credit, et cum credit, volens credit, etc. » Hic alteram tantummodo partem diserte protulit; sed ex antecedenti sermone repetenda et adjungenda est altera pars : quod idem in similibus oportet facere. In libro quidem de Duabus animabus amborum complexio distincte ponitur capite 13. in quo *liberum ad faciendum, vel non faciendum motum animi* voluntatem liberam vocat et peccandi capacem. Ex his locis, in quibus alterius partis duntaxat fit expressa mentio, memorabilis unus est ex primo libro Retractationum, capite 22. in quo librum recenset, quem contra Adimantum ediderat, ejusque locum illum, quem paulo ante citavimus, qui sic habet [5], « Nisi quisque voluntatem mutaverit, bonum operari non potest, quod in nostra potestate esse positum, etc. » In quo id unum cavet, ne quis ita in potestate esse nostra putet mutare voluntatem, ut propriis hoc viribus sine gratia possimus. « In potestate quippe hominis est, *inquit*, mutare in melius voluntatem; sed ea potestas nulla est, nisi a Deo detur, de quo dictum est, Dedit eis potestatem filios Dei fieri. » Dat enim potestatem Deus non solum offerendo dignitatem tantam, et ad eam invitando; sed multo magis voluntatem nostram, et arbitrii libertatem, quo id consequi debemus, excitando ut id velit, et cupiat, et ut possit adjuvando medicinalis ope gratiæ, sine qua ido-

[1] Luc. 9. 23. — [2] Jo. 19. 10. — [3] 1. Cor. 7. 37.

[4] Ibid. — [5] Supra § 3.

neam ad illud obtinendum potestatem non habet. Pergit deinde : « Cum enim hoc sit in potestate, quod cum volumus facimus, nihil tam in potestate, quam ipsa voluntas est; sed præparatur voluntas a Domino. Eo modo ergo dat potestatem. »

Manifestum est, Augustinum ibi duo inter se opposita, et comparata electioni liberæ voluntatis objicere, ut sit in potestate nostra maxime voluntas, id est *volendi actio*, sive *volitio*, quia hanc exercere, vel omittere possumus, ac pro eo nolendi actionem, sive *nolitionem* edere, vel neutrum amborum exerere, et ab agendo cessare penitus. Ex quo fucus, et cavillatio novi dogmatis evertitur, quæ libertatem absque amborum indifferenti potestate putat consistere.

VIII. Hunc illius errorem non minus aperte idem Augustinus arguit in libro tertio de Libero arbitrio. Ibi enim [1] *motum illum animi, quo fruendi voluntas ad creaturam a Creatore convertitur*, non esse *naturalem* asserit, *sed voluntarium.* « In eoque similis est, *inquit,* illi motui, quo deorsum versus lapis fertur, quod sicut ille proprius est lapidis, sic ille animi : verumtamen in eo dissimilis, quod in potestate non habet lapis cohibere motum, quo fertur inferius; animus vero, dum non vult, non ita movetur ut, superioribus desertis, inferiora deligat : et ideo lapidi naturalis est ille motus, animo vero iste voluntarius. Hinc est quod lapidem si quis dicat peccare, quod pondere suo tendit in infima, non dicam ipso lapide stolidior; sed profecto demens judicatur. Animum vero peccati arguimus, cum eum convincimus, superioribus desertis, ad fruendum inferiora præponere. Propterea quid opus est quærere unde iste motus existat, quo voluntas avertitur ab incommutabili bono ad commutabile bonum, cum eum nonnisi animi, et voluntarium, et ob hoc culpabilem esse fateamur; omnisque de hac re disciplina utilis ad id valeat ut, eo motu improbato atque cohibito, voluntatem nostram ad fruendum sempiterno bono, a lapsu temporalium convertamus. » Hæc Augustino dicenti assentitur Evodius. « Non enim quidquam, *ait*, tam firme, atque intime sentio, quam me habere voluntatem, eaque me moveri ad aliquid fruendum. Quid autem meum dicam, prorsus non invenio, si voluntas, qua volo et nolo, non est mea. Quapropter cui tribuendum est, si quid per illam male fecero, nisi mihi? Cum enim bonus Deus me fecerit, nec bene aliquid faciam nisi per voluntatem, ad hoc potius datam esse a bono Deo satis apparet; motus autem, quo huc atque illuc voluntas convertitur, nisi esset voluntarius, atque in nostra positus potestate, neque laudandus, cum ad superiora; neque culpandus homo esset, cum ad inferiora detorquet quasi quemdam cardinem voluntatis : neque omnino monendus esset ut, istis neglectis, æterna vellet adipisci, atque ut male nollet vivere, vellet autem bene. Hoc autem monendum non esse hominem quisquis existimat, de hominum numero exterminandus est. » Hic vero clarissime docet Augustinus, quæ sit conditio, et nativa proprietas humanæ voluntatis ac liberæ, quæ *arbitrium liberum* dicitur : quæ nimirum stirps est, et radix bonæ vel malæ actionis, et, quod consequens est, laudis et viturperii, boni et mali meriti : quæque nisi inesset homini, frustra hunc aut ad bonum hortaremur, aut a malo deterreremus. Cujus quidem haud aliam esse causam Augustinus affirmat, nisi quod motus in utrumvis *voluntarius est. Voluntarium* autem pro *libero*, et ad neutrum necessitate alligato perspicuum est accipi; ut sæpe Latini, et inter alios Cicero passim usurpat. Atque idem Augustinus in calce libri secundi ejusdem operis de Libero arbitrio non aliter sumpsit, dum asserit, « motum aversionis, quod fatemur esse peccatum, quoniam est voluntarius, in nostra esse positum potestate. Si enim times illum, oportet ut nolis; si autem nolis, non erit. » Quis nisi mente occæcatus non intelligit his verbis significari motum illum animi, quo ita volumus, ut nolle possemus? Quem et ideo in potestate esse nostra ait Augustinus, quoniam sic illum exercemus, ut si vellemus, cohibere possemus; qua potestate quia caret lapis, cum suopte nutu deorsum fertur; ideo voluntarius, hoc est liber non est motus iste, sed naturalis et necessarius. Quamobrem in potestate esse motionem liberi arbitrii, ac voluntariam, est sic in utramvis partem flecti, et inclinari, ut ab ea cohiberi, ac revocari, et in contrariam retorqueri possit; certe hujusmodi sit oportet, quod cum deliberabat, et utrum eligeret consultabat animus, repudiare potuit, et alterum asciscere. Hoc omnino tota illa postulat Augustini disputatio : nec ullis præstigiis obduci se, implicarique sic patitur, ut non utriusque liberam optionem, et eligendi potestatem plane aperteque subjiciat. In his et similibus locis

[1] Aug 3. de lib. arb. c. 1. tom. 1. p. 285. C. 2.

idem Augustinus [1], cum eos retractat, nihil aliud animadvertit, nisi « gratiam non esse commemoratam, de qua scilicet tunc non agebatur. » In liberæ voluntatis natura et descriptione nihil revocat, aut immutat.

IX. Ejusdemmodi est illud quoque, quod in eodem tertio libro de Libero arbitrio sequitur apud Augustinum, et quo Lutheri, Calvinique symmystæ contra communem humanitatis sensum abuti solent, ubi ita loquitur [2], « Nihil esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus facimus. Quapropter nihil tam in potestate nostra, quam ipsa voluntas est. Ea enim prorsus nullo intervallo mox ut volumus præsto est. » Hæc enim loquendi formula, cum ita dicimus, *Id in potestate esse nostra, quod cum volumus facimus;* prorsus utrumque in nobis situm esse demonstrat, ut non tantum faciamus, si volumus; sed etiam non faciamus, si volumus non facere : atque ut eamdem rem, quam faciendam eligimus, tum cum arbitri sedemus, ac deliberamus, non faciendam possimus eligere. Non capit humani consuetudo sermonis aliud in istis locutionibus intelligere nos, quam utrumvis in optione esse nostra, et ex arbitrio electioneque pendere, ut hoc vel illud amplectamur.

Eodem pertinet et alia loquendi formula apud Augustinum, qua *in voluntate nostra situm* aliquid esse dicitur. Non enim aliud est in potestate esse hominis, quam in ejus voluntate. Hoc vero nullo usurpari modo potest de eo, quod est uniusmodi, hoc est determinatum, et singulare, neque cum alio comparatur. Sic in libro primo de Libero arbitrio capite 12. sanctissimus ille doctor his verbis talem arbitrii vim liberi declarat [3] : « Vides igitur jam, ut existimo, in voluntate nostra esse constitutum, ut hoc vel fruamur, vel careamus tanto, et tam vero bono. Quid enim tam in voluntate, quam ipsa voluntas sita est? etc. Itaque cum se ipse miserrimum judicet, si amiserit gloriosam famam, ingentes opes, et quælibet corporis bona; tu eum non miserrimum judicabis, etiamsi talibus abundet omnibus; cum iis inhæret, quæ amittere facillime potest, neque dum vult habet, caret autem bona voluntate, quæ nec comparanda est istis, et cum sit tam magnum bonum, velle solum opus est ut habeatur? » Et in capite 16. ubi epilogum facit eorum, quæ in illa tractanda quæstione scripsit : « Quid autem quisque, *ait*, sectandum, et amplectendum eligat, in voluntate esse positum constitit; nullaque re de arce dominandi, rectoque ordine mentem deponi, nisi voluntate. » Ergo id in voluntate situm esse Augustinus agnoscit, quod eligendo sectari potest, et amplecti. Non absimilis est locutio illa, qua *in arbitrio nostro* positum esse quippiam dicitur. Ut cum in enarratione Psalmi 48. ita scribit : « In tuo arbitrio Deus te esse voluit, cui pares locum, Deo, an diabolo. » Quæ eumdem prorsus statum voluntatis significant. Hic autem consistere, ac ne cogitari quidem animo, et intelligi potest, nisi plura sint uno ad eligendum proposita voluntati, ex quibus quod libitum fuerit amplectatur, et eligat.

X. Ad hanc ipsam formulam, ac regulam exacta sunt quæ in secundo libro ejusdem operis, sub initium disputat. Ibi enim non aliter constare divinam justitiam asserit in decernendis pœnis, ac præmiis, quam si homo liberam habeat voluntatem : « Nunc vero Deus, *inquit*, cum peccantem punit, quid videtur tibi aliud dicere, nisi cur non ad eam rem usus es libera voluntate, ad quam tibi dedi, hoc est ad recte faciendum? Deinde illud bonum, quo commendatur ipsa justitia, in damnandis peccatis, recteque factis honorandis, quomodo esset, si homo careret libero voluntatis arbitrio? Non enim aut peccatum esset, aut recte factum, quod non fieret voluntate. Ac per hoc et pœna injusta esset, et præmium, si homo voluntatem non haberet liberam. » Vides ut, quod alias observare memini, *voluntatem* hoc loco pro *libera voluntate*, et arbitrio libero sumpserit Augustinus : quod nonnunquam latini scriptores faciunt : unde et voluntarium pro libero sæpius ab illis accipitur. Ex quo Armacani scilicet errandi occasionem habuerunt, ut omnem voluntatis motionem liberam esse dicerent; cum tamen liberi arbitrii non esse fateantur : quam solam voluntatis facultatem præter communem liberi notionem, hoc amplius in sese complecti volunt, ut indifferens sit, et in unius e pluribus delectu, atque optione versetur. Ceterum, quod paulo ante monui, cum illas omnes sententias in libro primo Retractationum retractarit, ac recensuerit Augustinus; nihil omnino mutavit, addendumve credidit ad præscriptam illic liberæ voluntatis rationem, et essentiam; sed hoc solum adnotavit, in his et similibus intelligi debere

[1] Lib. Retr. c. 9.— [2] Aug. 3. de lib. arb. c. 3. p. 286. C. 2.

[3] Aug. lib. 1. de lib. arb. c. 12. p. 271. D. 2

necessarium gratiæ subsidium, sine quo voluntas eo uti, quod in potestate dicitur habere, non potest: de quo nemo Catholicus dubitat. Vide Magistrum sententiarum in libro secundo, distinctione 28.

XI. Jam vero primus ille [1] ex priore libro Retractationum locus, in quo Joannis verba illa profert Augustinus, advertit animum nostrum, et τῆς ἐξουσίας vocabulum, ac latinum *potestatis* attentius considerare nos admonet. In sua venisse Filium Dei ait Evangelista, id est in hunc mundum, tanquam in regnum, et possessionem suam, vel in Judæam, quæ peculiaris erat ipsius ditio; neque tamen ibi a suis, et domesticis receptum fuisse, hoc est ab majori parte Judaici populi. Quod si qui eum recipere, et ejus vocationi, et gratiæ accommodare se voluerunt: cujusmodi pauci admodum ex Judæis, plures autem ex gentilibus extiterunt: fecit illis potestatem adoptionis divinæ per fidem, utique pleniorem, et animatam charitate, consequendæ; necnon per sacramentum Baptismi, quo regenerantur in filios Dei. Hæc vera, et germana est istius loci sententia. Ἐξουσίας vocabulum proprie *licentiam*, et *potestatem* liberam rei alicujus faciendæ, vel obtinendæ significat. Et quoniam ut quisque dignitate, auctoritate, ac principatu antecellit ceteris, ita majorem faciendi quod vult, aut non faciendi, licentiam, ac potestatem habet; et tanto majori libertate vivit; ideo pro *dignitate*, et *potentia* nonnunquam ἐξουσία sumitur, ut et latine *potestas*. Itaque glossæ veteres græcolatinæ, Ἐξουσία, *majestas*, *ditio*, *potestas*. Sic apud Lucam [2], ἐπιγνοὺς ὅτι ἐκ τῆς ἐξουσίας Ἡρώδου ἐστίν: *Ut cognovit* (Pilatus) *quod de Herodis potestate esset*, ἐξουσίαν *ditionem* et ἀρχὴν significat, id est *territorium*. At Matthiæ octavo, centurio ita loquens [3], Καὶ γὰρ ἐγὼ ἄνθρωπός εἰμι ὑπὸ ἐξουσίαν; *Nam et ego homo sum sub potestate constitutus*, dignitatem, et imperium, sive præfecturam cui subjectus erat, ἐξουσίαν vocat.

Sunt qui in illo Joannis loco eamdem notionem ἐξουσίᾳ, et *potestati* subjiciant, ut sit *dignitas*. Ita Calvinus, qui et causam addit, cur ita sentiat: nempe *ad refellendum Papistarum commentum;* qui ex hoc loco liberum arbitrium probari putant. Quem Beza secutus, *jus et dignitatem* interpretatur, et ita vertit: *Dedit eis hoc jus, ut filii Dei sint facti*. Putida et inepta sententia.

XII. Frustra isti sunt, et qui aliud hoc loco τὴν ἐξουσίαν esse sentiunt, quam *liberam potestatem*, et licentiam amplectendi, si velit, divini illius beneficii, cujus optio libero illorum arbitrio permittitur. Nam altera, velut consequens, ut dixi, notio nominis ejusdem, ut sit *dignitas*, nullo modo convenit. Et certum est hæreticos illos græcæ proprietatis inscitia lapsos esse. Ἐξουσίαν, inquiunt, Græci nonnunquam ἀξίωσιν, id est *dignitatem*, appellant. Hoc verum est, cum absolute ponitur, ac sine rei, vel actionis alicujus adjectione, circa quam illa potestas exercetur. Itaque vox ἐξουσία vel ἀπολύτως et ἀσχέτως usurpatur, vel σχετικῶς. Priori modo intelligitur in allatis exemplis. Cum enim centurio *sub potestate se esse* dicit, vel cum Christus *de Herodis potestate fuisse* dicitur, nemo rem ullam subaudit, cujus gerendæ, vel habendæ facultatem, aut jus habuerint; sed simpliciter subjectos illos alieno dominatui et imperio fuisse cogitat. At cum Christo Pilatus ait, *Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te?* σχετικῶς idem illud nomen τῆς ἐξουσίας accipitur. Refertur enim ad usum et effectum jurisdictionis, qui ex libera voluntate pendebat, ut vel damnare posset, vel absolvere. Itaque potestas, et ἐξουσία ibi duas oppositas inter se actiones respicit, quarum integrum illi erat alterutram eligere. Sic Apostolus Romanorum nono [4], *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Et alibi [5], *Numquid non habemus potestatem manducandi, et bibendi? Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et ceteri apostoli?* In his et similibus ἐξουσία non absolute, ut in prioribus, capitur; neque *dignitatem* significat, sed facultatem liberam, et licentiam: quia σχέσιν, et *habitudinem* includit ad licitam et permissam actionem, et illorum arbitrio relictam.

XIII. Nec in illo loco Joannis secus accipi potest ἐξουσίας vocabulum. Nam statim additur qua in re ἐξουσία illa versetur, nempe *ut filii Dei fiant*, vel quod idem est, *filios Dei fieri*: quemadmodum ibi Scriptura loqui solet; ubi *potestas* perspicue *facultatem*, et *licentiam*, *dignitatem* autem nullo modo significat; ut in proxime allatis exemplis ex Apostolo cernimus: ubi est [6] ἐξουσία φαγεῖν, καὶ ποιεῖν, *potestas manducare, et bibere;* et mox, ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν: *potestatem habe-*

[1] Sup. § 7. — [2] Luc. 23. 7. — [3] Matt. 8. 9.

[4] Rom. 9. 21. — [5] 1. Cor. 9. 4. — [6] 1. Cor. 9.

mus circumducere. Item in illo ad Romanos loco, de figulo, ἐξουσίαν ἔχει ποιεῖν, *potestatem habet facere vasa* qualia vult; atque in ceteris ejusdemmodi : ubi infinitivus verbi, τῆς ἐξουσίας, et potestatis significantiam ad actionem aliquam alligat, ac determinat; nec *dignitatis* notionem illi subjici patitur, sed rei certæ liberam et indifferentem, atque in arbitrio positam nostro gestionem, et optionem. Sic omnino sese res habet : ac recte vetus interpres noster *potestatem* ibi vertit, quæ sit facultas, vel licentia. Cui consentaneus Erasmus in latina sua interpretatione reddit sic, *ut liceret filios Dei fieri*. Neque vero *jus* cum plerisque verterim : minime omnium ita ut Bezæ placuit, cujus absona, et communis expers sensus est ratio. Quid enim sibi vult ista barbaries, *Dedit eis hoc jus ut filii Dei facti sint?* quasi sic humanus sermo ferat, ut jus dari dicatur faciendi quod jam factum et absolutum est. Quis autem risum teneat, si quis in superioribus exemplis ita vertat : ut in illo epistolæ ad Corinthios, *An non potestatem habeo ut manducaverim?* Aut illa Pilati sic, *Nescis quia potestatem habeo ut crucifixerim te, et potestatem habeo ut dimiserim te?* Nam utrobique aoristi sunt, qui præteritum utique tempus per sese significant.

XIV. Sed hæc nimirum inepta περιεργεία solemnis est interpreti illi Calvini discipulo; quæ merito ab Daniele Heinsio aliisque partium earumdem vapulavit. Nec est quidquam certius, quam verba illa, quæ infiniti ac præteriti temporis notionem alioqui præ se ferunt, futuri vim, ac pendentis illic habere : id quod linguæ isti familiare est.

Quod vero ad *juris* nomen ipsum attinet, mihi idcirco non placet, quod nondum *jus* habere proprie dicitur, qui nondum adoptatus est in filium, hoc est nondum est justitia donatus. Atqui cum Joannes scribit, iis qui receperunt Christum, ipsum dedisse potestatem, ut sint filii Dei, de hoc illorum statu loquitur, qui justificationem antecedit; ad quam jus profecto non habet, cum necdum de morte transierit ad vitam, et adhuc Dei sit inimicus. Siquidem vel sic illa intelligenda verba sunt, ut supra docuimus; uti per prævenientem, excitantemque gratiam præparatus homo, ac per fidem Christum excipiens, potestatem habeat, si velit atque in cœpto perseveret, amplioris emerendæ gratiæ, quæ est justitia, et adoptio filiorum Dei : vel simpliciore, ac planiore sensu, ut illa tota effectio, et elaboratio filiorum Dei a prima vocatione ducatur, et inspiratione fidei; quæ cum offertur homini, si eam ope illa gratiaque Dei adjutus admiserit, simul etiam potestatem accipit, ut pari progressu ad justitiam, et adoptivi filii dignitatem perveniat. At neutro modo satis proprie jus tantæ rei tribuitur; sed potestas duntaxat, et licentia, quæ etiam pessimis quibusque, et resipiscere nolentibus repræsentari dicitur.

XV. Hanc nostram, id est Catholicorum fere communem, loci illius enarrationem impudentissime cum magistro suo Calvino Beza suggillat; et *sophistas* vocat qui eam tuentur, ac « nunquam eos intellexisse *ait* quid beneficii per Christum fide consequamur : nempe ut non modo filii Dei esse possimus, si velimus; sed velimus, et simus. » Quæ eadem est et querela novorum dogmatistarum, qui in libero arbitrio negando re cum hæreticis illis consentientes, verbo dissidere videntur. Sed adversus utrosque maximum est catholicæ causæ in illo Joannis loco præsidium : quod illustrandum, adjuvandumque est græcorum, ac latinorum auctoritate Patrum, qui eodem ac nos sensu Joannem interpretati sunt. Hilarius in libro primo de Trinitate paulo post initium perspicue nomen *potestatis* accepit sic : « Esse autem filios Dei, *inquit*, non necessitatem esse, sed potestatem : quia proposito universis Dei munere, non natura gignentium afferatur, sed voluntas præmium consequatur. » Ubi τὴν ἐξουσίαν necessitati insuper opponit. De Augustino, non aliter *potestatis* illic ab eo vocem acceptam esse satis indicat, quod ex ejus libro Retractationum paulo ante commemoravimus [1]. Huic Joannis Chrysostomi luculentum addam testimonium; ut accessio quædam sit auctoritatis ad eas sententias, quas ex græcis Patribus, et ex illo præsertim, contra novæ sectæ licentiam capite secundo descripsimus.

Hic igitur in enarratione loci istius inter alias hanc affert rationem, cur non scripserit Evangelista, *fecit illos filios Dei*, (quod Beza cum Calvino suo profecto mallet, et cum utroque recentior illa secta,) sed ita potius, *dedit potestatem filios Dei fieri*. Quod ille sic declarat : « (1) Simul autem et istud ostendere vult, non

(1) CHRYS. hom. 10. in Joan. pag. 595. Ἅμα δὲ καὶ ἐνδείξασθαι βούλεται ὅτι οὐχ ἁπλῶς οὐδὲ ἡ χάρις ἔπεισιν, ἀλλὰ τοῖς βουλομένοις καὶ ἐσπουδακόσι· καὶ γὰρ καὶ ἐν τῇ ἐξουσίᾳ κεῖται τῇ τούτων τὸ γενέσθαι τέκνα. Ἂν γὰρ μὴ ἕλωνται αὐτοὶ

[1] § 7.

temere advenire gratiam, sed iis tantummodo, qui voluntatem et studium conferunt. Etenim in eorum potestate situm est ut fiant filii. Nam nisi antea eligant ipsi, donum minime advenit, neque quidquam operatur. Ut igitur ubique alias et necessitatem excludit, et sui arbitrii ac potestatis libertatem demonstrat; ita etiam hoc loco facit. Quippe in ejusmodi secretioribus bonis, Dei partes sunt, largiri gratiam : hominis vero, præstare fidem : atque insequenti quoque tempore, magno studio, ac diligentia opus est. Non enim satis est nobis ad innocentiam servandam, baptizatum esse solum, et credidisse; sed etiam oportet, si perpetuum splendoris et dignitatis illius fructum conservare volumus, huic respondentem præbere vitam. Hoc autem in nostra potestate posuit Deus. Quippe ut mystica generatione gigneremur, et ab anterioribus omnibus delictis repurgaremur, per baptismum consecuti sumus; ut autem deinceps puri maneamus, nec ullam postea maculam contrahamus, nostræ potestatis est, ac studii. » Hæc Chrysostomi sententia longe pulcherrima est : ac disertissime tum liberi arbitrii indifferentem potestatem in oblata respuenda, vel admittenda gratia : tum consensionem et concordiam cum eadem gratia declarat : tum denique veram et catholicam verborum Joannis interpretationem confirmat adversus iniquam novæ sectæ criminationem.

Chrysostomum Theophylactus sequitur, et ante hunc Cyrillus Alexandrinus : quem falso suffragari sibi Beza scripsit. Nam plane, ac perspicue τὴν ἐξουσίαν sic accipit, ut Chrysostomus, aliique, pro potestate facta, ut, si velint, adoptentur in filios. « (1) Nam quia per fidem, *inquit*, Filium receperunt, potestatem accipiunt, ut inter filios Dei referantur. » Ἐξουσίαν τοῦ τετάχθαι dixi, qui articulus in gignendi casu additus ad verbum nullum alium sensum, quam facultatis, et licentiæ datæ subjici patitur. Vide Alcimi Aviti locum citatum a nobis libro septimo [1], qui *potestatem* in illo Joannis loco comprehensam haud aliter intellexit ac nos hic facimus.

XVI. Cum ἐξουσίας, vel etiam αὐτεξουσίας vocabulis, de quibus alibi plenius dictum est, congruens, et connexa vox est τὸ κῦρος, quam ἐξουσίαν interpretantur Hesychius, Cyrillus, et Suidas in lexicis, hoc est dominium, auctoritatem, et agendi contrahendique liberam, ac plenam potestatem. Ut cum Isidorus Pelusiota persuasione ac leni quadam illecebra ad salutem homines attrahi dicit : « (2) Unde etiam suæ quisque salutis arbitrium, ac potestatem habet; ut et qui corona donantur, et qui puniuntur, juste quod elegerint, sustineant. » Idem quoque libro quinto, epistola 219. nomen Κυρίου pro eo sumpsit, qui faciendi, aut non faciendi arbiter est : cum ita scribit, « (3) Ejus qui hortatur esse optima dicere, ejus vero cui consilium datur, persuaderi, et auscultare dicenti. Siquidem ille dicendi arbiter est, iste faciendi. » Atque ut ἐξουσίας vocabulum sic ab auctoribus usurpatur, ut alias una tantum res, et quasi materia exercendæ illius potestatis exprimatur; alias autem duo inter se comparata, et contraposita distincte referantur, ut supra meminimus; idem et in voce κύριος accidit. Hac enim sic utuntur interdum, ut e duobus, quorum eligendi dominus est, et arbiter, unum nominatim explicetur, altero suppresso; nonnunquam vero ambo in oratione ponantur. Utrobique vero ex posteriore usu, prior intelligendus, et exponendus est. Nec enim natura rerum, aut communis intelligentia patitur, ut unius tantum certi, ac determinati potestatem habere, vel arbitri ac domini esse dicamur, eligendi scilicet, et asciscendi. Quippe nemo sanæ mentis deliberare de eo potest, quod est uniusmodi; nec

προτέρον, οὐκ ἔπεισιν ἡ δωρεὰ, οὐδὲ ἐργάζεταί τι. Πανταχοῦ τοίνυν τὸ μὲν κατηναγκασμένον ἐκλαβὼν, τὸ δὲ αὐθαίρετον, καὶ αὐτεξούσιον δεικνὺς, τοῦτο καὶ νῦν εἴρηκε. Καὶ γὰρ ἐν αὐτοῖς τούτοις τοῖς ἀποῤῥήτοις ἀγαθοῖς, τὸ μὲν ἔστι τοῦ Θεοῦ, τὸ δοῦναι τὴν χάριν· τὸ δὲ τοῦ ἀνθρώπου, τὸ παρασχεῖν τὴν πίστιν. Καὶ ἐν τῷ μετὰ ταῦτα δὲ χρόνῳ πολλῆς δεῖ λοιπὸν τῆς σπουδῆς. Οὐ γὰρ ἀρκεῖ πρὸς τὴν τῆς καθαρότητος ἡμῖν φυλακὴν τὸ βαπτισθῆναι, καὶ πιστεῦσαι μόνον, ἀλλὰ δεῖ, εἰ μέλλομεν ταύτης διὰ παντὸς ἀπολαύσεσθαι τῆς φαιδρότητος, ἄξιον αὐτῆς παρέχεσθαι βίον. Τοῦτο δὲ ἐφ' ἡμῖν ἐποίησεν ὁ Θεός. Τὸ μὲν γὰρ γεννηθῆναι τὴν μυστικὴν γέννησιν, καὶ πάντων ἐκκαθαρθῆναι τῶν πρότερον ἡμαρτημένων ἡμῖν, ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος γίνεται. Τὸ δὲ μεῖναι εἰς τὸ ἑξῆς καθαροὺς, καὶ μηδεμίαν μετὰ ταῦτα δέξασθαι κηλίδα πάλιν, τῆς ἡμετέρας ἐστὶν ἐξουσίας τε, καὶ σπουδῆς.

(1) CYRILL. lib. 1. in Joan. pag. 91. Ἐπειδὴ γὰρ παρεδέξαντο διὰ τῆς πίστεως τὸν Υἱὸν, δέχονται τὴν ἐξουσίαν τοῦ ἐν τέκνοις τετάχθαι Θεοῦ.

(2) ISID. Pel. lib. 2. ep. 129. Καὶ τὸ κῦρος ἔχει ἕκαστος τῆς οἰκείας σωτηρίας· ἵνα καὶ οἱ στεφανούμενοι, καὶ οἱ τιμωρούμενοι δικαίως ὑπομένοιεν ὅπερ ᾕρηνται.

(3) ISID. Pel. lib. 5. ep. 219. Τοῦ μὲν παραινοῦντός ἐστι τὸ εἰπεῖν τὰ βέλτιστα· τοῦ δὲ συμβουλευομένου τὸ πεισθῆναι. Ὁ μὲν γὰρ τοῦ λέγειν, ὁ δὲ τοῦ πράττειν κύριός ἐστι.

[1] Supra lib. 7. c. 2. pag. 615.

eligere nisi alterum e duobus, quæ illius sunt in arbitrio, ac potestate.

XVII. At duorum quidem distincte ad nomen κύριος appositorum exempla sunt innumera : ex quibus pauca hic afferam. Joannes Chrysostomus in homilia 14. ad priorem ad Corinthios, Apostoli verba hæc enarrans [1], *Quid vultis? In virga veniam ad vos? an in charitate et spiritu mansuetudinis?* ita scribit : « (1) Et Pauli sapientiam considera. Potestatem ipse habens; hujus et alterius alios arbitros facit, ita loquens, Quid vultis? in vestra voluntate res est posita. Nam et nos tam hujus, quam illius potestatem habemus, ut vel in gehennam incidamus, vel regnum consequamur; quoniam Deus ita voluit. *Ecce enim*, ait [2], *ignis et aqua, ad quodcumque voles porriges manum tuam*, et [3], *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis.* » Ergo liberi arbitrii ἐξουσίᾳ, et κυριότης circa duo, ignem et aquam, vitam et mortem versatur. Siquidem in Ecclesiastico statim illa sequuntur : *Ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Qui locus contra novæ sectæ licentiam valde observandus est : ut qui non solum liberi arbitrii τὸ ἀδιάφορον ad eligendum utrumvis indicat; sed etiam hodieque, post lapsum primi parentis, perseverare demonstrat in illius posteris, etiam circa virtutes et vitia, salutem et interitum sempiternum : quod illa factio temere inficiari solet.

Idem Chrysostomus alibi : « (2) Apparet, *inquit*, ut vel commoveatur inimicus, vel tibi reconcilietur, magis in tua, quam in illius potestate situm esse. Siquidem in nobis, non in iis, qui irascuntur, hoc positum est, ut aut restinguatur, aut in majorem flammam attollatur illorum commotio. »

Sic in homilia 42. in Matthæum ad illa verba [4], *Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis*, causam hanc affert : « (3) Etenim dicendi, vel non dicendi arbiter tu es, ac dominus. » Rursus in Homilia 54. tomi quinti verba illa Pauli explicans [5], *Oportet hæreses esse*, etc. docet eos, qui in hæresim incidunt, non vi, et impetu quodam ab ea facto id accidere, sed propria imbecillitate. « (4) Imbecillitatem porro non naturalem, *ait*, dico; sed eam quæ est ex libero arbitrio : quæ accusari meretur, quæque supplicio, ac pœnæ subjicitur : cujus et corrigendæ sumus domini, ac propterea tam recte nos gerentes laudem assequimur, quam secus agentes, pœnam committimus. »

Idem in Homilia 80. tomi ejusdem, de Juda proditore, ait « (5) Deum nos fecisse dominos, et arbitros electionis malarum, et bonarum actionum. » Tum, « Judam voluntatis, et sententiæ suæ dominum fuisse, atque in potestate non parendi tentationi, et in avaritiam neutiquam declinandi. » Ita Gregorius Nazianzenus in orat. 22. quæ est de Machabæis, horum virtutem et tolerantiam prædicans, studiosos lectores ad ejus libri lectionem incitat, « (6) qui rationem animi perturbationibus imperare docet, ac dominam esse propensionis in utramque partem, nempe virtutem ac vitium. »

XVIII. Ex quibus locis, et innumeris similibus colligitur, ubi altera pars reticetur, nihilominus intelligendam esse. Ut cum idem Chrysostomus homilia 44. in Matthæum ait « (7) Christum dominos et arbitros nos volendi fecisse. » Et homilia 18. in priorem ad Corinthios, qui filiam suam in lupanari prostituit, si eam Regis filius liberaverit, ac sibi conjugio copulaverit, (8) non amplius in potestate illius esse dicit, istam ipsam ad mere-

(1) CHRYS. tom. 3. pag. 329. Καὶ σκόπει σοφίαν Παύλου. Τὴν ἐξουσίαν αὐτὸς ἔχων, καὶ τούτου κἀκείνου ἑτέρους ποιεῖ κυρίους, λέγων, τί θέλετε; ἐν ὑμῖν τὸ πρᾶγμα κεῖται. Καὶ γὰρ ἡμεῖς ἐσμεν καὶ τούτου κἀκείνου κύριοι, καὶ τοῦ εἰς γεένναν ἐμπεσεῖν, καὶ τοῦ βασιλείας ἐπιτυχεῖν· ἐπειδὴ ὁ Θεὸς οὕτως ἠθέλησεν. Ἰδοὺ γάρ, φησὶ, πῦρ καὶ ὕδωρ· οὗ ἐὰν θέλῃς, ἐκτενεῖς τὴν χεῖρά σου· καὶ, ἐὰν θέλητε, καὶ εἰσακούσητέ μου, τὰ ἀγαθὰ τῆς γῆς φάγεσθε.

(2) Id. hom. 17. tom. 5. quæ est 3. de Davide, et Saule, pag. 97. Ὅθεν δῆλον, ὅτι τοῦ κινηθῆναι τὸν ἐχθρὸν, καὶ τοῦ καταλλαγῆναι, σὺ κυριώτερος ἐκείνου. Ἐν γὰρ ἡμῖν, οὐκ ἐν τοῖς ὀργιζομένοις κεῖται καὶ τὸ σβεσθῆναι, καὶ τὸ πρὸς μείζονα ἐξενεχθῆναι φλόγα τὸν θυμὸν τῶν ἐκείνων.

(3) Idem hom. 42. in Matth. pag. 277. Καὶ γὰρ σὺ κύριος εἶ καὶ τοῦ εἰπεῖν, καὶ τοῦ μὴ εἰπεῖν.

(4) CHRYS. tom. 5. pag. 363. vers. 31. Ἀσθένειαν δὲ οὐ φυσικὴν λέγω, ἀλλὰ τὴν ἐκ προαιρέσεως, τὴν καὶ ἐγκλημάτων ἀξίαν, καὶ ὑπὸ κόλασιν, καὶ τιμωρίαν κειμένην· ἣν καὶ ἡμεῖς κύριοι διορθῶσαι. Διὸ κατορθοῦντές τε ἐπαινούμεθα, καὶ μὴ κατορθοῦντες κολαζόμεθα.

(5) Ibid. pag. 554. vers. 29. Ἐπειδὴ γὰρ κυρίους ἡμᾶς ἐποίησε καὶ τῆς τῶν φαύλων, καὶ τῆς τῶν ἀγαθῶν πράξεων αἱρέσεως, etc. Ἐπεὶ οὖν κἀκεῖνος γνώμης κύριος ἦν, καὶ ἐν ἐξουσίᾳ τοῦ μὴ πεισθῆναι, καὶ πρὸς φιλαργυρίαν μὴ ἀποκλῖναι.

(6) NAZIANZ. pag. 398. C. Ἡ περὶ αὐτῶν βίβλος δηλώσει τοῖς φιλομαθέσι, καὶ φιλοπόνοις ἡ ὑπὸ τοῦ αὐτοκράτορα εἶναι τῶν παθῶν τὸν λογισμὸν φιλοσοφοῦσα, καὶ κύριον τῆς ἐπ' ἄμφω ῥοπῆς, ἀρετήν τε φησὶ, καὶ κακίαν.

(7) CHRYS. pag. 588. Ἀλλ' ἔτι κυρίους αὐτοὺς ἐποίει τοῦ βούλεσθαι.

(8) Id. pag. 354. Οὐ κύριος εἶ λοιπὸν ἄγειν αὐτὴν ἐπὶ τὸ πορνεῖον.

[1] 1. Cor. 4. 21. — [2] Eccles. 15. 17. — [3] Isa. 1. 19.

[4] Matt. 12. 37. — [5] Ep. 1. ad Cor. 11. 19.

tricium quæstum deducere : ubi etiam et contrarium subauditur, *aut non deducere*.

Eodem modo cum lege aliquid nominatim exprimitur, et cavetur, atque ut velimus aliquid determinate præcipitur, etsi oppositum huic minime est expressum, necessario tamen intelligitur; ut liberi arbitrii, cujus index est præceptum, in obtemperando proprietas constet. Ut cum in Proverbiis ita jubet Sapiens [1], *Ne dimittas legem matris tuæ* : nempe alterum quoque continetur, ut legem istam magni faciamus, et observemus. Vel cum Joannes nos admonet [2], *Nolite diligere mundum* : una istud quoque præcipitur, *ut oderimus*. Nam ex hujusmodi imperandi formulis, quibus nolle aliquid, aut velle jubetur, liberi arbitrii ad alterutrum eligendum potestas agnoscitur : ut latius disputat Augustinus in libro de Gratia et libero arbitrio capite secundo. « Nempe ubi dicitur, *inquit*, Noli hoc, et noli illud; et ubi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium. »

Cujus arbitrii vis ab Ambrosio aperte, explicateque tradita est in tertio libro de Officiis, capite quinto, ubi de Gygis fabuloso illo annulo loquens ita scribit : « Cujus annuli tanta sit vis, ut pro arbitrio suo qui eum sit indutus, appareat cum velit : cum autem nolit, conspectui se præsentium subtrahat, ut præsens non possit videri. »

CAPUT QUINTUM.

1. Ex Patrum testimoniis supra citatis duo colliguntur libertatis propria : alterum, repugnare huic necessitatem absolutam : alterum, in indifferentia esse positam. — 2. Cujusmodi necessitatem hæretici opponant libertati. — 3. Violentiam non perimere libertatis usum. — 4. Nonnunquam necessitatem simplicem naturæ consentaneæ rei, appellari vim. — 5. Ostenditur ex concupiscentiæ motibus violentiam non tollere libertatem. — 6. Libertas duplex, ut et necessitas proponitur : et omnes inter se comparantur. — 8. Necessitas simpliciter posita sæpe vim significat : et voluntas, liberum arbitrium. — 9. Probatur ex fatali necessitate, simplicem minimeque violentam necessitatem perimere libertatem. — 10. Quod ex veterum auctoritate confirmatur. — 13. De indifferentia, cujusmodi libertatis essentia continetur. — 14. Novorum dogmatistarum in ea fucus : et quemadmodum in Deo, ac beatorum libera voluntate reperitur.

I. Hæc omnia græcorum, ac latinorum testimonia Patrum, quæ superioribus capitibus exposui, quæque aliis in libris attuli, qui considerate, ac diligenter expenderit, duo sibi de libertatis, arbitriique liberi natura persuadeat necesse est; primum, ad liberæ voluntatis naturam et essentiam pertinere τὸ ἀδιάφορον, hoc est *indifferentem eligendi facultatem*; quam *indifferentiam* nominare solent : non qualem constitui ab Catholicis mentiuntur hæretici; et qui propius, quam pios et cautos decet, illos assectantur, dogmatistæ nuperi : sed cujusmodi in plerisque omnibus, quas adduximus, veterum sententiis significari cernimus. Qualem et Tridentinæ synodi auctoritas approbavit. Nempe hunc esse statum liberi arbitrii, ut sic unum e pluribus ad eligendum propositis amplectatur et asciscat; ut, si velit, eo rejecto, alterum possit eligere. Deinde, huic ipsi libertati arbitrii contrariam esse non solum violentam, et cogentem; sed etiam simplicem, et uni addicentem necessitatem. Quæ duo fusissime demonstrata sunt a nobis alio in loco [3], ad frenandam recentis dogmatis ac sectæ licentiam; et nunc perpaucis repetenda sunt, adversus anonymi cujusdam ex eadem secta temeritatem, et ἀναισθησίαν : qui, dissimulatis omnibus, quæ a nobis, aliisque contra hæresim istam disputata fuerant, rem de integro tractare est aggressus : et illustrissimum D. Habertum Vabrensem episcopum, Christianæ contra novam factionem vindicem, assertoremque fidei, indigne ob idipsum, inclementerque vexavit in Apologia altera, quam in eum edidit. Ibi duo illa, quæ naturæ libertatis innata, et οὐσιώδη esse docuimus, negat ad illius essentiam spectare; ut et indifferens sit, et simplicis necessitatis expers : quippe salvam et

[1] Prov. 1. 18. — [2] 1. Joan. 2.

[3] Lib. præsertim 3. de Opif.

integram posse esse libertatem arbitrii, utraque illa conditione sublata. Quæ opinio, quia falsissima est, et humanæ divinæque sapientiæ placitis adversa, non longa disputatione frangenda est hoc loco; quandoquidem et ex Christi Domini libertate, cujus gratia de hac re agere hic instituimus, præcipuum ad causam suam argumentum adhibere sibi visus est : de quo postea dicam. Nunc quæ universe contra τὸ ἀδιάφορον, et vacuitatem necessitatis attulit, paucis explicata refellam.

II. De necessitate primum ex novorum dogmatistarum decretis ita disserit[1] : duplicem hanc esse; unam, quæ vis et coactio sit; alteram simplicem, et voluntariam. Priorem definit sic, « qua fit aliquid, etiam si nolumus. » Posteriorem vero, « qua quippiam necesse est fieri quidem, nec aliter evenire potest; sed non modo repugnante, verumetiam appetente voluntate fit : ut est amor ille, quo erga se Deus afficitur; aut quo amant eum in cœlo beati. » Hoc enim secundum genus necessitatis libertati non officere putant; sed illam adjuvare potius, et firmiorem facere; solam autem huic adversari priorem, quæ vim facit, et invitam cogit voluntatem. Sub hac autem priori necessitate comprehendi volunt naturales omnes impetus, et functiones; ut est nasci, crescere, dormire, mori. Hujusmodi enim necessitas « nihil est aliud respectu voluntatis (verba dogmatistæ novi alibi a nobis excussa[2]) quam quædam vis, aut violentia, aut coactio, qua operatur id quod potest, etiam nolente voluntate; et capitaliter repugnat libertati, eamque funditus perimit. »

III. Atqui falso hæc, imperiteque jactantur; nec habent quidquam præter fucum et fallaciam. Etenim cum duplex sit violentia, quæ voluntati reluctari potest: altera interior, quæ propriæ illius actioni, quam *elicitam* vocant, et *nolitionem*, est contraria : altera exterior, quæ *imperatas*, ut appellant, actiones respicit : priorem certum est in rerum natura esse non posse. Non enim voluntas cogi, ne divinitus quidem potest; quoniam pugnat hoc secum, et ad contradictionem implicatum est, velle nos aliquid, et non velle. Quare inter illa, quæ nihil sunt, et μὴ ὄντα, id est *non entia*, vocantur, numeranda est ista vis, et coactio. Ac *libertati quidem capitaliter repugnat :* sed non proprie, ac proxime. Ut enim sciscitanti quid sit calori contrarium; nemo respondeat, *nihil*, vel *non ens*; sed quod proxime est oppositum, *frigus* : tametsi *nihil*, et τὸ μὴ ὂν calori sit adversum : ut et rei, sive *enti* cuilibet, quod *non ens* dicitur. Sic libero arbitrio, qua liberum est, non est opposita proprie coactio illa, quæ in rerum natura esse non potest : sed aliud quiddam, quod in eodem, in quo libertas inest, subjecto cernitur. Hujusmodi est simplex, et absoluta necessitas, quæ electionem perimit; et ad unum alligat, ac determinatam tenet voluntatis propensionem. Exterior porro, et *imperatis* ab voluntate ceterarum facultatum actionibus illata vis, non perimit libertatem, hoc est liberam voluntatis actionem. Siquidem nulla tanta est, ac tam intolerabilis hujusmodi necessitas, et violentia, quam non inflictam corpori ac membris homo suis libere possit amplecti; ac non modo patienter, quod utique in bona causa, quia debet, profecto potest; sed etiam libenter, et hilari animo tolerare : si opitulatrix, et omnipotens Christi gratia præsto sit : cujus stupenda, et incredibilia in eo genere in martyrum actis exempla celebrantur. Quocirca stulte mors ab illis in ea necessitatis violentæ specie ponitur, *quæ libertatem perimit;* cum plerisque volentibus, imo etiam optantibus, et gratulantibus eveniat. Sed hæc pluribus in tomo tertio disputata reperies[3].

IV. Quibus unum, alterumve nunc adjungimus. Imprimis, quod ad illa spectat, quæ naturaliter conveniunt, memorabilem esse Cyrilli, de ea re cum Theodoreto conflictum et altercationem, de qua accuratius dixi in libro tertio : et nunc summatim eam perstringam, quod ad institutam disputationem valde pertinet.

Scripserat Cyrillus in anathematismo tertio, naturas in Christo duas καθ' ἕνωσιν φυσικὴν, id est *unitione naturali*, esse conjunctas. Displicuit ea vox Theodoreto; quoniam si naturalis ea sit Verbi cum carne conjunctio, necessaria erit, et violenta, non voluntaria. Quod enim naturale est, id necessitatem violentam habet, non liberum ac voluntarium est, inquit. Vides ut communi, ac populari sermonis consuetudine, necessitatem simplicem, qualis inest in eo, quod naturaliter fit, vim et violentiam appellet. Sed non propria est ista locutio. Itaque non patitur impune hoc abire Cyrillus in refutatione reprehensionis illius. Docet enim falso istud esse dictum, quod naturale est, necessitate id extortum, et coactum esse, « (1)

[1] Apol. 2. contra D. Haber. lib. 3. c. 3. p. 25. — [2] Lib. 3. de Opif. c. 3. — [3] Lib. 3. de Opif. c. 3.

(1) CYRIL. in refut. Theod. ad anath. 3. Εἰ γὰρ οὐκ ἀληθὲς ὅτι λογικός ἐστι κατὰ φύσιν ὁ ἄνθρωπος, ἄρα ἀβουλήτως,

Siquidem homo natura rationalis est, nec tamen ingratiis, et illo necessitatis genere cogitur esse rationis particeps. Quin etiam Deus ipse natura Deus est; natura sanctus, justus, bonus, vita, lux, sapientia, virtus : nec propterea contra voluntatem, aut vi hæc omnia esse dicitur. » In eamdem ergo Cyrilli reprehensionem incurrit quod ab libertatis adversariis asseritur; *vim ac violentiam, et coactionem esse respectu voluntatis* id quod naturaliter fit, aut convenit, ut vivere animam, nutriri, ac crescere hominem, dormire, et hujus generis alia : quæ propterea libertati sola repugnare putat.

V. Rursus ad opinionis istius falsitatem convincendam accedat aliud argumentum, quod ex concupiscentiæ motibus hujusmodi petitur. Etenim affectiones illæ, quæ ex ingenita, et originali labe proveniunt, necessitate quadam cogente ac violenta homini accidunt; nec sunt in ejus potestate, ut omnino non sint: ut Apostolus in epistola ad Romanos pluribus exponit, velut cum ita scribit[1] : *Non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi, illud facio;* et cetera ejusdemmodi : quæ de concupiscentiæ motibus minime voluntariis, ac deliberatis vulgo Patres, et inter eos potissimum Augustinus plerisque in locis interpretari solent. Est autem hæc liberi, et ejus, quod in potestate esse dicitur, ab dogmatis novi propugnatoribus constituta ratio[2]; ut id tale sit, *quod fit quandocumque volumus; et non fit quando nolumus.* « Si vero quando volumus non fiat, vel si nolumus fiat, certissimum est non esse nobis liberum, quia non est in nostra potestate. » Ita illi : ex quo sequitur, concupiscentiæ æstus illos, et impetus ad illam referri necessitatis speciem, quam cogentem, et violentam nominant, *et capitaliter repugnare libertati, eamque funditus perimere* dictitant. Quod autem est ejusmodi, neutiquam cum libertate, id est liberi arbitrii actione consistit. Nam si ambo una consistunt, neque capitaliter inter se pugnant, nec se mutuo perimunt. Atqui quantumvis acres et violentæ sint incursiones illæ, ardoresque concupiscentiæ; liberam voluntatis actionem, in qua libertas proprie sita est, nullo modo prorsus eripiunt. Sive enim trahenti, imo vi quadam impellenti cupiditati fortiter resistimus; sive fracti, ac dejecti cedimus; quatenus id volendo facimus, libere facimus. Quippe ex eorumdem dogmatistarum decreto[3], quidquid voluntate fit, libere fit. « Nihil enim magis facimus, quando volumus, quam volitionem ipsam : et ideo nihil magis in potestate nostra, quam ipsa voluntas, id est volitio, constitutum est. »

VI. Quin etiam Augustinus in primo libro Retractationum, cap. 15. ubi de illo Apostoli loco ex epistola ad Romanos copiose disputat, inter alia de concupiscentia et cupiditate sic loquitur : « Quod si quisquam dicit, etiam ipsam cupiditatem nihil aliud esse, quam voluntatem, sed vitiosam, peccatoque servientem, non resistendum est, nec de verbis, cum res constat, controversia facienda est. » Cum ergo cupiditas illa, quæ ex concupiscentiæ morbo habet originem, et proprie peccatum est, voluntas sit, libera est tamen; nec ab tali necessitate perimitur. Quam quidem vim ac tyrannicam violentiam flagrantis in nobis concupiscentiæ, quæ nos in servitutem rapit, et invitis obluctatur, præclare Dorotheus expressit; cum de Christi adventu, ejusque fructu ac beneficio agit, quod humano importatum est generi. « (1) Hominem, *inquit*, in peccati servitutem abreptum liberavit, cum ab illo violenter teneretur. Etenim vi ac tyrannice ab inimico trahebatur homo : ac propemodum qui peccare nolebant, peccare cogebantur, ut ex persona nostra loquitur Apostolus; *Non enim*, ait, *quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc facio.* » Et quibusdam interjectis, « (2) Primum, *inquit*, liberavit nos, ut ante dixi, per sanctum baptismum, dans nobis peccatorum remissionem; deditque nobis potestatem faciendi quod bonum, et honestum est, si velimus, et ut non trahamur

καὶ ἠναγκασμένως ἐστὶ λογικός. Τί δὲ εἰπέ μοι, καὶ ὁ τῶν ὅλων Θεὸς, οὐ κατὰ φύσιν ἅγιος, δίκαιος, ἀγαθὸς, ζωὴ, φῶς, σοφία, καὶ δύναμις, ἄρ' οὖν καὶ αὐτὸς ἀβουλήτως, καὶ ὡς ἐξ ἀνάγκης ἐστίν, ἅ ἐστιν;

(1) DOROTHEUS in doct. 1. tom. 1. bibl. PP. pag. 750. A. Τὸν καταδουλωθέντα τῇ ἁμαρτίᾳ ἠλευθέρωσε τὸν βίᾳ ὑπ' αὐτῆς κρατούμενον. Βίᾳ γὰρ καὶ τυραννίδι ἤγετο ὑπὸ τοῦ ἐχθροῦ ὁ ἄνθρωπος· καὶ σχεδὸν, καὶ οἱ μὴ θέλοντες ἁμαρτῆσαι, βίᾳ ἡμάρτανον· ὡς λέγει ὁ Ἀπόστολος ἐν προσώπῳ ἡμῶν· οὐ γὰρ ὃ θέλω ἀγαθὸν, τοῦτο ποιῶ, ἀλλ' ὃ οὐ θέλω κακὸν, τοῦτο πράσσω.

(2) Ibid. pag. 751. Πρῶτον μὲν οὖν ἠλευθέρωσεν ἡμᾶς ὡς ἤδη εἶπον, διὰ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος, δοὺς ἡμῖν τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν. Καὶ ἔδωκεν ἡμῖν ἐξουσίαν ποιεῖν τὸ καλὸν ἐὰν θέλωμεν, καὶ μηκέτι ἕλκεσθαι, ὡς ἂν εἴποι τις, μετὰ βίας εἰς τὸ κακόν. Ὁ γὰρ δεδουλωμένος ἁμαρτίας, βαρεῖται, καὶ ἕλκεται, ὑπ' αὐτῶν, καθὼς λέγει· σειραῖς δὲ τῶν ἑαυτοῦ ἁμαρτιῶν ἕκαστος σφίγγεται.

[1] Rom. 7. 15.

[2] Vide to. nostrum 3. loco cit. — [3] Ibid.

amplius, ut quispiam dixerit, violenter ad malum. Qui enim peccatorum servitute premitur, gravatur, et ab ipsis trahitur; sicut scriptum est [1] : *Funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur.* »

VII. Atque uti facilius, ac plenius controversia hæc universa dirimatur, tum libertas, tum necessitas est distinguenda duplex. Nam primo liberum aliud absolute, simpliciterque dicitur, quod omnino in potestate est nostra facere, vel non facere : quo in genere principatum tenet velle ipsum, sive *volitio*, et electio voluntatis interior : quæ etiam tum libera est, cum vi aliqua majore foras erumpere, et quod cupit exequi prohibetur; aut cum inviti agere aliquid, et elicere compellimur, quod, nisi libere vellemus, non faceremus. Ex quo etiam exterior actio ipsa libere fieri dicitur; tametsi fit ab invitis. Ut cum negotiator vi tempestatis coactus merces suas in mare projicit; utrumque libere facit, ut et velit, et suis ipse manibus quod vult efficiat, atque in profundum magnis suis parta laboribus effundat. Aut cum metu, vel tormentis infractus aliquis Christianam fidem conceptis verbis ejerat, hoc utique tum volendo eligit, tum pronuntiat libere; etsi non sponte hoc agat. Aliud liberum est, quod non tantum facimus si volumus; si nolumus, non facimus; sed etiam sponte, ac voluntarie facimus : cujusmodi τὸ ἑκούσιον a Græcis vocatur. Jam necessarium aliud, simpliciter dicitur, quod non est in potestate nostra, et uniusmodi, ac determinatum est; adeo ut sive ab invitis, sive ab volentibus, sit omnino subeundum : uti mors; cordis, quamdiu vivimus, aut pulmonis agitatio; concupiscentiæ in inferiore animæ parte commotio; et id genus cetera. Alias necessitas ea duntaxat appellatur, quæ vim facit, et violentia dicitur.

Harum duarum necessitatum prior absolutæ libertati est opposita, in eo tantummodo subjecto, in quo inest, et quod afficit. Nam si in voluntate ipsa reperitur, omnem ejus actionem liberam intercipit. Cujusmodi est necessitas illa, qua angeli, ac beatæ mentes aliæ in Dei, quem aperte vident, amorem rapiuntur. Sin extra voluntatem residet, ut in membris nostris, aut iis rebus, quæ ad nos pertinent, ibi, ubi est, effectum suum habet. Ut cum vinculis, vel tormentis adhibetur quispiam, ferro secatur, igne uritur, in carcere habetur. Posterior autem necessitas, sive violentia, non simpliciter libertati est adversa interiori, ac proprie dictæ, quæ in voluntate ipsa locum habet : sed ei tantum, quod ἑκούσιον, vulgo *spontaneum* vocatur, et voluntarium. Itaque liberam ipsam voluntatis actionem non perimit; sed ut plurimum *spontaneum* illud extorquet : non tamen id perpetuo efficit. Nam sponte potest etiam aliquis velle quod pati cogitur : at extra voluntatem, ut in corpore, quod potest semper operatur.

VIII. Hanc vero necessitatem, quæ vim affert, et violentiam, plerumque simpliciter ἀνάγκην auctores nuncupant. Sic Athanasius (1) peccare ait esse necessitatis; non peccare, naturæ. Nimirum quia peccatum ex naturæ, et appetitus corruptela oritur, quæ vim voluntati facit. Et « peccantes alioqui error in delicta compellit, » ait Seneca [2] : at non peccare, rationali naturæ consentaneum est : de quo Athanasii loco plura dicturi sumus, cum de humanæ in Christo naturæ τῇ ἀναμαρτησίᾳ disputabimus.

Sic Augustinus [3] illos impetus, qui in latrones et sicarios pro tuenda salute vitaque fiunt, « necessitate *ait* fieri, non voluntate. » Quippe *voluntatis* nomen sæpius ad id, quod non solum libere, sed etiam sponte volumus, accommodatur : ut et voluntarium τὸ ἑκούσιον significat : quod alibi notavimus [4]. Hoc græci αὐθαίρετον interdum vocant. Ita glossarium vetus latinogræcum, *Voluntarius*, αὐθαίρετος. Et græcolatinum, ἑκούσιος, *ultroneus*, *voluntarius*, *promptuarius*. Item ἑκουσίως, *sponte*, *voluntarie*, *ultro*. Ita Chrysost. cæcitatem oculorum φυσικὴν appellat [5]; animi vero, ἑκουσίαν, καὶ αὐθαίρετον, id est *sponte accersitam*. Huic ergo necessitas illa est opposita, quæ libertatem voluntatis etsi non funditus tollit, adstringit tamen, et coercet. Quam in rem lepidum illud est grammaticorum inventum, cujus Priscianus meminit [6], cum rationem reddit cur verbum *volendi* imperativo careat. « Aliam quoque, *ait*, quidam rationem de hoc conati sunt reddere dicentes; quod imperativus modus necessitatem significat, voluntas autem libera debet esse : itaque hoc verbum, quod carere debet necessitate, caret imperativo. »

IX. Sed hæc necessitas, etsi voluntatem inclinat, et impellit in alteram partem, non tamen vim liberæ potestatis, et electionis ex-

(1) Athan. lib. de salut. adven. Chr. pag. 499. B. Κατὰ ἀνάγκην τὸ ἁμαρτάνειν συμβέβηκεν· πρόδηλον ὅτι τὸ μὴ ἁμαρτάνειν κατὰ φύσιν γέγονε.

[1] Prov. 22. — [2] Sen. 1. de Ira., c. 14. — [3] Lib. 3. contra Crescent. cap. 49. — [4] Lib. 4. de Opif. cap. 11. § 12. — [5] Homil. 45. in Matt. p. 293. — [6] Lib. 9. non longe ab init.

tinguit; quod sola, quæ simplex et absoluta dicitur, necessitas facit, tametsi minime violenta sit, sed naturalis, et insitæ appetitioni congruens : qualis est in brutis animantibus impetus ad ea, quæ sunt naturæ suæ consentanea. Quamobrem quidquid voluntatem sic affigit uni, eoque circumscribit, ut aliud expetere integrum non sit, id quamvis conveniens, jucundumque est, liberi usum arbitrii eripit. Talis est fati necessitas illa, qua humanas voluntates inflecti, adigique, quo cœli vis, ac siderum impelleret, philosophi veteres opinati sunt. Quos Christiani sapientes non alio magis argumento refutare soliti sunt, quam quod, ista necessitate posita, eriperetur homini libertas, quæ cum determinatione hac, et unius præscriptione constare nequeat. Augustinus in libro secundo contra Faustum [1], hanc adversus hæreticum istum rationem adhibet. « Et nos quidem, *inquit,* sub fato stellarum nullius hominis genesim ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo bene, vel male vivitur, propter justum judicium Dei, ab omni necessitatis vinculo vindicemus. »

Hujusmodi nos alia quamplurima ejusdem Augustini loca, Patrumque ceterorum adduximus, quibus fatalis necessitas ex humana libertate refellitur in capite septimo libri tertii de Opificio : atque hoc argumento Calvini, ac Lutheri, et aliorum male sentientium falsam imprimis redargui opinionem ostendimus ; qui solam arbitrii libertati violentiam adversari putant. Nam et antiqui illi fati propugnatores, necessitatisque fatalis, humanæ voluntatis usum ab illa causarum fatalium serie neutiquam excluserant ; sed agi, inclinarique liberam hominum propensionem præpotente illa vi, et efficientia siderum asserebant.

Ac nihilominus, quia necessitas quædam afferri voluntati, non utique cogens, sed determinans, ab iisdem philosophis dicebatur; absurdum esse, minimeque cohærens secum illud dogma eruditissimi illi Patres arbitrati sunt. Atqui, ut nuperа sectæ habet opinio, voluntatis omnis actio, sive *volitio* libera est : et illa proinde, quam Stoici, aliique constituebant, fatalibus expressa causis humani arbitrii consensio, quam illi ipsi Christianæ professionis antistites, et magistri negant cum spontanea, sed necessario determinata rei cujusvis appetitione consistere. Legendum omnino caput illud nostrum [2], in quo de fatali necessitate, ac toto isto contra novos dogmatistas argumenti genere copiose disputavimus.

X. Hanc eamdem necessitatem simplicem, neque violentam, neque ab nisu, et actione voluntatis exclusam libertati arbitrii repugnare, demonstrat Hilarius in octavo libro de Trinitate ; ubi Arianos redarguit, qui conjunctionem Filii cum Patre, sive unitionem, de voluntatum nexu, et mutua consensione interpretari solebant. Contra quos illa verba Christi apud Joannem explicans [3], *Et ego honorem, quem dedisti mihi, dedi eis ;* ita disserit : « Et nunc interrogo, utrum idipsum sit honor, quod voluntas, cum voluntas motus mentis sit ; at vero honor, naturæ aut species, aut dignitas. Honorem ergo acceptum a Patre, Filius omnibus, qui in se crediturі sunt, dedit, non utique voluntatem : quæ si data esset, non haberet fides præmium, cum fidem nobis necessitas affixæ voluntatis inferret. »

Potestne dici quidquam clarius ad frenandam novi dogmatis licentiam ? Voluntas ecce, id est voluntatis, sive mentis humanæ motio, si sic ab auctore Deo proficisceretur, ut necessitate uni rei, ut puta honestæ, et bonæ, esset affixa, libera non esset, quia recte, honesteque facti præmio careret.

Eadem significatione vox ἀνάγκη ab Chrysostomo sumitur in homilia 13. in epistolam ad Romanos : ubi naturali necessitati liberi arbitrii τὸ ἀδιάφορον opponit, « (1) Quandoquidem enim, *ait*, non ex necessitate naturali donum illud (honeste et ex virtute vivendi) indidit ; sed arbitrii libertati commisit : deinceps in tua potestate situm est, ut hoc sis vel illud. Quæ enim partes erant ipsius, eas cumulate præstitit. » Quo in loco primum docuit libertatem voluntatis cum naturali, et videlicet sponte facti necessitate pugnare ; deinde liberam hanc eamdem voluntatem in utriusvis eligendi potestate, hoc est *indifferentia* esse positam. Denique sufficientem, ut vocant, opem gratiæ, quatenus ex Deo pendet, omnino suppetere, nec deesse cuiquam ; cum ea omnia, quæ suppeditari divinitus ad recte agendum oportet homini, plene esse tributa scribit.

XI. Ad extremum illud confirmare juvat, ad plerasque novi dogmatis diluendas præstigias,

(1) Chrys. pag. 107. init. Ἐπειδὴ γὰρ οὐκ ἀνάγκῃ φύσεως τὸ δῶρον ἐνέθηκεν, ἀλλ' ἐλευθερίᾳ προαιρέσεως ἐνεχείρισεν, ἐν σοὶ λοιπόν ἐστι καὶ τοῦτο γενέσθαι, κἀκεῖνο· τὰ γὰρ πα αὐτοῦ πάντα ἀπήρτισται.

[1] August. contra Faust. c. 4. p. 91. C.

[2] Vide præsertim § 8. — [3] Joan. 17. 22.

quod obiter supra significatum alibi uberiori oratione declaravimus [1] : naturalem voluntatis proclivitatem in rem unam quampiam ac determinatam, ab auctoribus sæpe *vim*, et *coactum*, *et violentiam* appellari. Cujus quidem ad exempla illa, quæ ibi congessimus, pauca hic addemus. Clemens Alexandrinus in septimo Stromateo : « (1) Non est, *inquit*, bonus ingratiis Deus, quo modo calefaciendi vim habet ignis : sed voluntarie bona sua confert ; quamvis petitionem nostram antevertat. » Huic adjungendus similis locus Hieronymi in commentario ad epistolam Pauli ad Philemonem : ex quo itidem colligitur, tum naturali necessitati violentiæ nomen affingi, tum illi ipsi libertatem esse contrariam. Igitur ad illa Pauli verba [2], *Sine consilio autem tuo nihil volui facere* ; *ut non quasi ex necessitate bonum tuum esset*, *sed voluntarium* ; sic Hieronymus scribit [3] : «Hoc quod a plerisque quæritur, et sæpissime retractatur ; quare Deus hominem faciens, non eum bonum rectumque condiderit : de præsenti loco solvi potest. Si enim Deus voluntarie, et non ex necessitate bonus est ; debuit hominem faciens, ad suam imaginem, et similitudinem facere, hoc est ut ipse voluntarie, et non ex necessitate bonus esset. Qui autem asserunt ita eum debuisse fieri, ut malum recipere non posset, hoc dicunt ; talis debuit fieri, qui necessitate bonus esset, et non voluntate. Quod si talis fuisset effectus, qui bonum non voluntate, sed necessitate perficeret, non esset Deo similis ; qui ideo bonus est, quia vult, non quia cogitur. Ex quo manifestum est rem eos inter se postulare contrariam. Nam ex eo quod dicunt, debuit homo Deo similis fieri : illud petunt, ut liberi fieret arbitrii, sicut Deus ipse est. Ex eo autem quod inferunt, talis debuit fieri, qui malum recipere non posset : dum necessitatem ei boni important, illud volunt, ut homo Deo similis non fieret. Potuit itaque et apostolus Paulus, absque voluntate Philemonis, Onesimum sibi in ministerium retinere. Sed si hoc sine voluntate Philemonis fecisset, bonum quidem erat, sed non voluntarium : quod autem non erat voluntarium, alio genere arguebatur non esse bonum. Nihil quippe bonum dici potest, nisi quod ultroneum est. Ex quo Apostoli consideranda prudentia est ; qui idcirco fugitivum servum remittit ad dominum, ut prosit domino suo ; qui prodesse non poterat, si domino teneretur absente. Superior ergo quæstio ita solvitur ; potuit Deus hominem sine sua voluntate facere bonum. Porro si hoc fecisset, non erat bonum voluntarium, sed necessitatis. Quod autem necessitate bonum est, non est bonum, et alio genere malum arguitur. Igitur proprio arbitrio nos relinquens, magis ad suam imaginem, et similitudinem fecit. Similem autem Deo esse, absolute bonum est. »

XII. Hic Hieronymus *bonitatem* Dei non eam simpliciter intellexit, qua bonus in se est, sed hujus bonitatis effiicentiam, quæ in res procreatas effunditur ; quemadmodum Clemens Alexandrinus usurpavit. Nam libere Deus non necessario facit quidquid extra se molitur ; non solum quia non cogitur, sed etiam quia nulla naturæ necessitate ad bene merendum adstringitur : quemadmodum sol non invitus quidem, et coactus, sed necessario tamen lucem ac vitam mortalibus impertit. Hanc autem necessitatem cogentem, et quasi violentam abusione quadam nominis vocat Hieronymus.

Ita Chrysostomus homil. 45. in Matthæum naturalem necessitatem nominat violentiam, cum ait : « (2) Peccatum non esse naturale, neque necessitatis, et violentiæ. » Quod comparatione Judæorum cum apostolis probat ; quibus Dominus dixit [4], *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum*. Quod enim datum esse dicitur, non esse *necessitatis* asserit. Non enim beatos illos diceret [5], qui oculis spectarent, quæ multi reges, et prophetæ videre cupierant, nec tamen viderant, (3) nisi proprium illorum inesset laudabile factum, quod ex ipsorum electione penderet, et arbitrio libero : (4) quam *radicem* nominat *bonorum omnium*. Ita necessitati naturali, quam vim appellat, oppositam esse liberam voluntatis electionem docet. Vide insignem locum hac de

(1) CLEM. Alex. 7. Strom. pag. 519. ver. ult. Οὐ γὰρ ὁ Θεὸς ἄκων ἀγαθὸς, ὃν τρόπον τὸ πῦρ θερμαντικόν. Ἑκούσιος δὲ ἡ τῶν ἀγαθῶν μετάδοσις αὐτῷ, κἂν προλαμβάνῃ τὴν αἴτησιν.

(2) CHRYS. pag. 294. ver. 21. Ὅτι γὰρ οὐ φύσεως τὸ ἁμάρτημα, οὐδὲ ἀνάγκης, καὶ βίας.

(3) CHRYS. ibid. Οὐδὲ γὰρ ἂν ἐμακαρίσθησαν, εἰ μὴ αὐτῶν ἦν τὸ κατόρθωμα.

(4) Ibid. Ἐπειδὴ τὴν ῥίζαν τῶν ἀγαθῶν εἶχον, οὐ διακειμένην τὴν προαίρεσιν λέγω, καὶ τὴν γνώμην.

[1] Lib. 3. de Opif. c. 7. § 7. et seq. — [2] Epist. ad Philem. vers. 14.

[3] Hier. in Epist. ad Philem. tom. 3. col. 1076. — [4] Matt. 13. 1 1. — [5] Ibid. ver. 16.

re Philonis Judæi in libro, *Quod Deus sit immutabilis* [1]: quem alibi proferam.

XIII. Jam quod ad illud spectat τὸ ἀδιάφορον, quam *indifferentiam* solent dicere, perspicuum esse arbitror ex omnibus illis græcorum, latinorumque Patrum sententiis, quas aliquot capitibus complexi sumus, in libertatis, arbitriique liberi natura et essentia illam esse ponendam; nec sine indifferentis notione perceptionem ejus informari posse, quod sui juris in eligendo, liberumque dicitur. Non enim indifferentiam istam intelligimus sic, quemadmodum falso sumere adversarii solent, ut sit paribus librata momentis, et in neutram inclinata partem voluntatis propensio. Hoc enim vix in vita cuiquam potest evenire mortalium; cum et naturales affectiones, et virtutum habitus, ac vitiorum, et aliæ innumeræ causæ animos nostros certarum rerum amoribus, et desideriis implicatos habeant. Sed indifferentiam hujusmodi libertatis propriam esse volumus, quæ, propositis sibi duobus, horum altero rejecto, potest alterum eligere; neque quo minus possit, determinante aliqua necessitate prohibetur. Hæc enim vera, et unica, et οὐσιώδης, id est *essentialis* est notio libertatis, ac definitio; quæ non uni cuipiam ejus speciei, vel statui, ac conditioni convenit; sed per totius generis amplitudinem diffunditur.

XIV. Quamobrem otiosa, vel falsa potius, et male considerata est exceptio, quam ab magistro suo traditam apologista [2] contra illustrissimum D. Habertum Vabrensem episcopum adhibuit: indifferentiam non esse libertatis adeo propriam, ut sine ea non constet illius essentia : sed humanæ tantummodo, quamdiu in hoc corpore degitur, affectionem esse; quemadmodum fames, sitis, somnus, ceteræque necessitates, sine quibus hic non vivitur, non sunt humanæ naturæ *substantivæ* qualitates, sed indicia quædam, ac notæ : quæ et ab nobis aberunt, ubi, mortalitate posita, vitæ alterius compotes erimus; et nunc in Deo, ac beatis minime reperiuntur. Tum illud præterea perperam usurpant : indifferentiam istam, de qua cum ipsis contendimus, circa ea tantum versari, quæ bona vel mala, honesta vel vitiosa sunt : quod si ita foret, jam nullum dubium esset, quin ab Dei, beatarumque mentium libera voluntate prorsus abhorreret. Verum in utroque multum opinione falluntur. Siquidem indifferentia, quam insitam libertati esse volumus, nihil aliud est, quam potestas unius e duobus, vel pluribus optandi citra necessitatem ac determinationem, uti supra demonstravimus. Hac vero proprietate non humana solum, sed divina etiam, et angelica, et universe quælibet liberi arbitrii natura censetur. Etenim quæcumque Deus extra se molitus est, nulla inductus necessitate fecit; sed ita ut, si vellet, non faceret; aut alia, quam quæ procreare voluit, pro iis in lucem ex nihilo proferret. Quippe [3] « in Deo nulla est necessitas operandi, ut ait Lugdunensis Ecclesia, neque enim Deus necessitate, sed voluntate prædestinavit quæcumque prædestinavit. » Nam quod ad eam, quam *contrarietatis* vocant, libertatem attinet, non circa bona tantum malave consistit; sed in bonis etiam ipsis dijudicandis, et inter se comparandis vim suam experitur. Atque hoc modo considerata libertatis indifferentia inest divinæ voluntati; cum ex infinitis bonis, quæ efficere poterat, certa destinarit, et elegerit, quæ reipsa procrearet. De quo alias disputatum a nobis esse memini in tomo tertio [4], ubi quæ ex Augustino, et aliis Patribus, ac theologis in contrarium opponi solent, accurate diluimus : eidemque postmodum operæ alii successerunt; quorum in enucleandis potissimum Scholasticorum sententiis, et ad libertatis veram et catholicam rationem accommodandis strenue laboravit industria; ut per eos tractandis his, quæ ab instituto nostro alioquin aliena sunt, supersedere liceat. Non est hoc loco prætereunda Armacanorum arguta cavillatio : qui quod a magistro suo acceperant, libertati arbitrii solam opponi necessitatem cogentem, sive violentiam, id, quia invidia laborare doctorum omnium animadverterunt, sero tandem emendare conati sunt interpretatione falsa et ridicula. Nam violentam illam, et cogentem necessitatem sic explicat unus eorum Libertus Fromondus [5]; qui sibi Vincentii Lenis Arausicani nomen indidit; ut sit ejusmodi, quæ voluntatem sic impellit, ac premit, ut eam præcipitet, nec judicio utatur, sed cæco quodam feratur impetu : qualis est in brutis animantibus, aut in parvulis, antequam ratio in illis expedita sit. Hujusmodi porro necessitatem non pugnare cum *voluntario* sive *spontaneo*, Lenis affirmat : sed libertati esse contrariam. At vero necessitatem illam, quæ licet ad unum aliquod amplecten-

[1] Philo p. 300. et seq. — [2] Apol. 2. lib. 2. cap. 3. p. 28.

[3] Lugd. Eccl. to. 4. Par. 2. col. 261. — [4] Lib. 5. de Opif. c. 11. — [5] Vincent. Len. lib. 1. Ther. cap. 11. et seq.

dum voluntatem determinet, non tamen judicium opprimit, et obruit, nec vehementiori quadam impulsione præcipitem agit, eam cum libertate vult consistere : sic et beatos Deum, quem vident, quoque fruuntur, amare libere, et Deum ipsum eadem se amare libertate. Quæ omnia in Elencho theriacæ copiose refellimus.

Nam quod de judicio idem ille Vincentius obstrepit : tametsi uno aliquo circumscriptum sit, constare tamen libertatem sibi, dum ex eo agat : id prorsus est ἀφιλόσοφον. Etenim vulgatum illud est apud philosophos pariter ac theologos, stirpem, et radicem libertatis in ratione, et ejus judicio esse positam : quatenus non ad unum aliquod bonum affixa est, ac determinata ; sed uno plura potest comparare inter se, et ea voluntati proponere ; ut quod ei libebit, asciscat ex omnibus, et eligat. Quocirca si unum duntaxat judicare potest intellectus bonum esse, et amore dignum : ita ut nullum cum eo conferre queat, sed necessario id amandum esse præscribat : necessario in illud voluntas, non autem libere trahitur. Hæc est certissima non Aristotelis solum, sed etiam S. Thomæ, ac Peripateticorum, theologorumque omnium de libertate sententia. Certe S. Thomas [1] libertatis, sive liberi arbitrii rationem « ex ipso rationis judicio » repetit, « quod ad diversa se habet, et non est determinatum ad unum. » De quo fusius in Elencho theriacæ Vincentianæ disputavimus. Cujus et adversus auctoritatem sanctissimi illius Doctoris vana, et inepta est exceptio : aliam esse *libertatem voluntatis*, aliam *liberi arbitrii ;* quam ejus cavillationem in Elenchi capite sexto redarguimus.

Nunc hujus de liberi arbitrii radice communis προλήψεως adstipulatorem dabo Philonem Judæum : cujus luculentissimus est locus in libro de immutabilitate Dei, ubi et de libera hominis voluntate, ac libero arbitrio pulchre, accurateque disputat. Hinc igitur nonnulla delibabimus. « (1) Mentem, vel intelligentiam solam ex omnibus ab ejus genitore libertate donatas esse » dicit : « qui necessitatis vincula relaxans, solutam dimisit, et maxime conveniente illi, ac propria liberæ voluntatis possessione donatam. Etenim brutæ animantes, quarum animæ mentem non habent, quæ est libertate prædita, velut jugo, ac freno constrictæ, hominibus datæ sunt ad ministerium, sic tanquam famuli dominis. Homo vero, cui liberam facultatem, ac sui juris arbitrium nosse concessum est, quodque ex electione sæpius agit, merito in vituperationem incurrit, cum sciens, prudensque peccat : laudem vero meretur ob id, quod sponte sua recte facit. Nam ceterorum, velut stirpium, et animantium, neque fertilitates in laude ponuntur, neque sterilitates vituperantur : siquidem motiones in utramque partem, et mutationes in electione sua positas, ac liberas non habent. Sola autem hominis anima, spontis suæ motionem a Deo nacta, et eidem hac in re similis, cum ab molesta, et difficillima domina necessitate, quantum fieri potest, liberata sit, accusari jure meretur, quod liberatorem suum non colat. » Pergit deinde hominem a Deo creatum dicere solutum, ac liberum, qui spontaneis, ac liberis utatur operationibus ob eam rem, ut bona sciens et mala, et honestorum turpiumque cogitationem capiens, atque in justa et injusta, et, ut uno verbo complectar, in ea, quæ sunt virtutis et vitii propria, sincere animum intendens, meliora eligat, fugiatque contraria. Quo illud Deuteronomii pertinere ait [2], *Ecce posui ante faciem tuam vitam et mortem, bonum et malum : elige vitam.* Quibus expositis ita denique concludit : « (2) Hinc igitur ambo illa discimus ; tum homines ejusmodi esse factos, ut bonorum, et his contrariorum scientes sint ; tum eosdem

(1) Philo pag. 300. Μόνην γὰρ αὐτὴν ὁ γεννήσας Πατὴρ ἐλευθερίας ἠξίωσε, καὶ τὰ τῆς ἀνάγκης ἀνεὶς δεσμὰ, ἄφετον εἴασεν, δωρησάμενος αὐτῇ τοῦ πρεπωδεστάτου, καὶ οἰκείου κτήματος αὐτῷ τοῦ ἑκουσίου μοῖραν. Τὰ μὲν γὰρ ἄλογα ζῶα, ὧν ταῖς ψυχαῖς τὸ ἐξαιρούμενον εἰς ἐλευθερίαν νοῦς οὐκ ἔστι, καταζευχθέντα, καὶ ἐγχαλινωθέντα πρὸς ὑπηρεσίαν ἀνθρώποις παραδέδοται, ὥσπερ οἰκέται δεσπόταις. Ὁ δὲ ἄνθρωπος ἐλευθερουργοῦ, καὶ αὐτοκελεύστου γνῶσιν λαχῶν, καὶ προαιρετικαῖς χρώμενος τὰ πολλὰ ταῖς ἐνεργείαις, εἰκότως ψόγον μὲν ἔσχεν ἐφ' οἷς ἐκ προνοίας ἀδικεῖ· ἔπαινον δὲ, ἐφ' οἷς ἑκὼν κατορθοῖ. Τῶν μὲν γὰρ ἄλλων φυτῶν τε, καὶ ζώων οὔτε αἱ εὐφορίαι ἐπαινεταὶ, οὔτε αἱ κακοπραγίαι ψεκταί. Τὰς γὰρ ἐφ' ἑκάτερα κινήσεις, καὶ μεταβολὰς ἀπροαιρέτους, καὶ ἀκουσίους ἔλαβον· μόνη δὲ ἡ ἀνθρωπίνη ψυχὴ δεξαμένη παρὰ Θεοῦ τὴν ἑκούσιον κίνησιν, καὶ κατὰ τοῦτο ὁμοιωθεῖσα αὐτῷ, χαλεπῆς τε, καὶ εἰργαλεωτάτης δεσποίνης τῆς ἀνάγκης ὡς οἷόν τε ἐλευθερωθεῖσα, κατηγορίας ἂν δεόντως τυγχάνοι, ὅτι τὸν ἐλευθερώσαντα οὐ περιέπει.

(2) Ibid. pag. 301. Οὐκοῦν ἀμφότερα διὰ τούτου παρίσταται, ὅτι καὶ ἐπιστήμονες τῶν ἀγαθῶν καὶ τῶν ἐναντίων γεγόνασιν οἱ ἄνθρωποι, καὶ ὀφείλουσι πρὸ τῶν χειρόνων αἱρεῖσθαι τὰ κρείττονα, λογισμὸν ἔχοντες ἐν ἑαυτοῖς, ὥσπερ τινὰ δικαστὴν ἀδωροδόκητον, οἷς ἂν ὁ ὀρθὸς λόγος ὑποβάλλῃ πεισθησόμενον· οἷς δ' ἂν ὁ ἐναντίος, ἀπειθήσοντα.

[1] S. Thom. 1. Par. q. 83. art. 1. Vide Elench. Ther. Vincen. Lenis cap. 11.

[2] Deut. 30. 15.

debere pro deterioribus eligere potiora : cum ratiocinationem sibi insitam habeant, tanquam incorruptum judicem, quæ iis assentiatur, quæ recta ratio suggerit, et adversetur iis, quæ contraria præcipit. » Quibus verbis fons, et origo, sive radix liberæ voluntatis exprimitur, quæ in utriusque, boni scilicet ac mali, notitia, et judicio de utroque consistit, nec tantum in boni, et mali, verum etiam in bonorum duorum cognitione, ac dijudicatione, quod alias ostendimus. Denique cum libera electio ex deliberatione, ac consilio proficiscatur : non possit autem deliberari, aut consilium haberi, nisi de duobus saltem, quæ comparentur inter se, ut quid cui anteponi debeat æstimetur : prorsus ex eo sua voluntati constat libertas, quod plura proponi ab mente ac ratione possunt, et de singulis sua fieri judicia, quæ ancipitem, et in utrumque versatilem eligendi facultatem habent. Atque hoc præterea judicis illa similitudo, qua usus est Philo, demonstrat : necnon stateræ, quam Basilius adhibet[1] alibi citatus a nobis[2]. Utrobique enim necesse est uno plura in disceptationem venire, ex quibus fieri possit electio.

CAPUT SEXTUM.

1. Duas in Christo voluntates inesse demonstratur, primum e Scripturis ; — 2. præsertim quæ obedientiam illius exprimunt : — 4. tum ex Patribus græcis, — 7. necnon latinis. — 10. Item ex Conciliis. — 11. Horum omnium argumentum præcipuum fuit, quod natura quælibet suam et propriam operationem exigit.

I. Quemadmodum unicam in Christo, eamque divinitatis propriam, operationem Monotheletæ constituerint, in antecedente libro diligenter explicavimus ; tum qua ratione Catholici ex adversa parte pugnantes, duas omnino pro numero naturarum inesse decreverint. Qua in disputatione comprehensa sunt etiam illa, quæ ad voluntatem pertinent, quam genus ipsum τῆς ἐνεργείας, id est operationis, complectitur. Hanc igitur perinde duplicem in Christo extitisse, consequens est ex iis, quæ de operatione generatim illic exposita sunt. Sed quoniam in voluntate nescio quid tricati sunt, ut ibidem ostendimus, hæretici ; ac liberius in ea, quam in ἐνεργείᾳ, dogmatis sui pestilentiam afflarunt ; idcirco de hac ipsa speciatim agemus hoc capite : ut non una præditum divina voluntate monstremus fuisse Christum ; sed etiam præter hanc, humanam habuisse, liberam, et juris ac potestatis suæ, qualem in superioribus capitibus descripsimus.

Ad hujus catholici decreti roborandam fidem, primum Scripturæ sacræ testimoniis utemur, quæ a Patribus allata sunt contra unius defensores voluntatis hæreticos. Ex illis vero celeberrimum hoc est : de quo postea dicendum erit pluribus : quod a tribus evangelistis memoriæ traditum est ; Christum ea nocte, qua mortem subiturus Patrem oravit, hanc ipsam in hæc verba deprecatum esse[3], *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste : verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Vel ut Lucas habet[4] : *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Hinc enim perspicue constat, aliam fuisse Christi voluntatem, ac Patris ; non divinam utique ; quam unam et eamdem amborum esse, nemo Catholicus dubitat : sed hominis propriam ; quam proinde, præter divinam, solus habuit incarnatus qui loquebatur Filius.

II. Rursus ad Philippenses scribens Apostolus, de Christo sic ait[5] : *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.* Quem locum in disputatione cum Pyrrho Monotheleta, sic illustrat expenditque Maximus, ubi aliud agens ex epistola ad Hebræos sumptum esse dicit : « (1) Volens igitur, *inquit,* obedivit,

(1) Maxim. disp. cont. Pyr. tom. 8. Bar. p. 693. Θέλων οὖν ἄρα ὑπήκουσεν ἢ μὴ θέλων ; ἀλλ' εἰ μὲν μὴ θέλων, τυραννὶς ἂν εὐλόγως, καὶ οὐχ ὑπακοὴ λεχθείη· εἰ δὲ θέλων, ὑπήκοος δὲ, οὐ καθὸ Θεὸς, ἀλλὰ καθὸ ἄνθρωπος γέγονε. Καθὸ γὰρ

[1] Basil. in Ps. 61. to. 1. pag. 303. — [2] Tom. 3. Dogm. l. 3. de Opif. c. 11. § 1.

[3] Matt. 26. 39. Marc. 14. 36. — [4] Lucæ 22. 42. — [5] Phil. 2. 8.

an non volens ? Sed si non volens, tyrannica merito vis huic obedientiæ, non voluntas inscribetur. Sin volens, et obediens fuit, non quatenus Deus, sed quatenus homo, idipsum fuit: siquidem qua Deus nec obediens nec inobediens fuit, ut Patres loquuntur. Hæc enim eorum propria sunt, qui secundi ordinis sunt, et subjecti, ut divinus ait Gregorius. Quare voluntate, qua homo, fuit præditus. » Addit hanc Davidis e Psalmo 39. sententiam[1] : *Sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi*, etc. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui.* Quem locum Apostolus de Christo interpretatus est in epistola ad Hebræos[2]. Atque, ut Maximus argumentatur, pater æternus Christi Deus appellatur, non qua ille Deus, ac Verbum est, sed ut est homo. Quare non ut Deus, patri ac Deo suo Christus obtemperavit, ejusve voluntatem executus est, sed ut homo; ex quo necessario sequitur, eumdem Christum, qua homo erat, humanam habuisse voluntatem, quæ apta esset ad obediendum; nec non etiam ad merendum; hoc est ad liberandum, et redimendum obedientiæ merito genus humanum. Non enim divina mereri poterat voluntas.

Hunc locum Maximi pene ad verbum transcripsit Joannes Damascenus[3], ac similiter Gregorii Nazianzeni[4] verba posuit; in quibus pro ἀνήκοος, quod et Maximus habet, et vulgati Gregorii codices, legit παρήκοος, quod proprie *inobedientem*, et *contumacem* significat, et qui contra præceptum facit. Ἀνήκοος vero simpliciter *non obedientem* sonat; cujusmodi ille esse potest, qui non paret alteri, quia non est ei subjectus, velut par paris imperio non tenetur. Nihilominus apparet Gregorium ἀνήκοον pro eo, qui mandatum transgreditur, accepisse. Nam statim subjicit, ex duobus quæ dixerat, ὑπήκοον, et ἀνήκοον esse, « (1) prius convenire probis, et honestis; posterius, improbis, et supplicio dignis. » Itaque ἀνήκοος est, qui male, et improbe non obedit; sicut ἀσεβὴς *impium*, et *irreligiosum* significat, non eum, qui citra vitium, cultum non adhibet; quem videlicet præstare non tenetur: quemadmodum stulto non minus quam sacrilego joco lusit impius Eudoxius, qui Constantinopoli Patrem ἀσεβῆ pro concione dicere ausus est, eo quod neminem coleret, utpote omnibus major[5].

III. Ad eamdem Christi voluntatem humanam probandam, illa etiam accommodantur a Patribus Scripturæ loca, in quibus voluisse aliquid refertur, quod homini convenit, ejusque naturæ consentaneum est: cujusmodi nonnulla collegerunt Agatho papa[6], et Martinus item papa in Lateranensi concilio[7], Maximus in disputatione cum Pyrrho[8], Joannes Damascenus[9], Theorianus in legatione ad Armenos[10]. Sic supra mare ambulans, et ad apostolos accedens *volebat*, inquit Marcus[11], *præterire illos*. Item[12], *Ingressus in domum neminem voluit scire, et non potuit latere.* Quæ humanæ conditionis infirmitas, ut quod vellet reipsa non obtineret, ab Agathone certissimum esse signum perhibetur humanæ voluntatis. Sic « cum dederunt ei vinum cum felle mistum[13], gustans noluit bibere, » ait Martinus papa. Possunt et alia hujus generis innumera proferri testimonia. Sed hæc sunt satis.

IV. Ad sacrarum litterarum auctoritatem antiqui Patres adjungendi sunt; qui duas esse Christi voluntates primum universe testantur, dum ut naturas duas, sic ἐνεργείας, id est *operationes*, totidem affirmant: quorum sententias complures percensuimus in superiore libro[14]. His autem duplex quoque voluntas, divina et humana, comprehenditur; quoniam *voluntas*, ἐνέργεια quædam est, sive motio naturæ. Præter hæc vero generatim de operatione dicta, pauca saltem hic de voluntate perscribenda sunt, quæ disertam ejus mentionem continent.

Primus erit Athanasii cum primis celebris, et illustris locus ex libro, qui inscriptus hodie legitur: (2) *De adventu divini Verbi cum carne, et adversus Arianos.* In eo libro præclarum, et expressissimum est voluntatis duplicis testimonium: quod hic plane describi necesse

Θεὸς, οὔτε ὑπήκοος, κατὰ τοὺς πατέρας, οὔτε ἀνήκοός ἐστι. Τῶν γὰρ δευτέρων, καὶ τῶν ὑπὸ χεῖρα ταῦτα, φησὶν ὁ θεῖος Γρηγόριος. Ἄρα καὶ καθὸ ἄνθρωπος, θελητικὸς ἦν·

(1) NAZIANZ. Τὸ μὲν τῶν εὐγνωμονεστέρων, τὸ δὲ τῶν ἀξίων κολάσεως.

(2) ATHAN. tom. 1. pag. 464. Περὶ τῆς ἐνσάρκου ἐπιφανείας τοῦ Θεοῦ Λόγου, καὶ κατὰ Ἀρειανῶν.

1 Ps. 39. 7. — 2 Heb. 10. 5. — 3 Lib. 3. c. 14. p. 221. — 4 Naz. Or. 36. p. 580. — 5 Socrat. l. 2. cap 43. — 6 In epist. Syn. in Syn. 6. Act. 4 pag. 40.

7 Secret. p. 668. — 8 Max. Disp. p. 692. — 9 Lib. 3. c. 14. — 10 Pag. 467. — 11 Marc. 6. 48. — 12 Mar. 7. 24. — 13 Matth. 27. 34. — 14 Cap. 8. et seq.

sit: « (1) Et cum ait, *inquit*, Pater, si fieri potest, transeat calix iste; verumtamen non mea voluntas fiat, sed tua: et, spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: duas hic voluntates ostendit, unam videlicet humanam, quæ est carnis propria, alteram divinam. Nam humana propter carnis imbecillitatem, mortem deprecatur: divina vero ipsius est prompta. »

Hic Athanasii locus adeo disertus est, et ad Monotheletas convincendos utilis, ut in sexta Synodo sæpius inculcatus fuerit, ut in actione decima [1]: et in 18. in edicto Constantini imperatoris [2], nec non actione quarta, in epistola Agathonis papæ [3]. Quin et Macarius hæreticus cum eumdem in excerptis posuisset, Catholici duas ex eo voluntates adstrui dixerunt [4]. Ceterum ubique constanter sermo ille, unde sumptus est, Athanasii titulum præfert, *De Trinitate, et Incarnatione.*

Sic in libro *de communi essentia:* quem tamen Athanasii esse non arbitror: voluntas carnis, et voluntas Dei in eodem Christo discernitur, ut, cum dicit [5], *Non veni facere voluntatem meam,* « (2) intelligenda sit voluntas carnis; quandoquidem caro ipsius est propria. »

V. Gregorius Nyssenus in libro adversus Apollinarem, hæc de voluntatibus duabus habet non minus expressa: « (3) Hujus, *inquit*, perplexi, et difficilis nodi non alia solutio est, quam si veram adhibeamus illius mysterii professionem. Nimirum quod passionem reformidare, humanæ est imbecillitatis: quemadmodum Dominus ait, spiritum promptum esse, carnem autem infirmam. Porro suscipere passionem ex dispensatione inflictam, divinæ est et voluntatis, et virtutis. Quoniam igitur alia est voluntas humana, alia divina; tanquam ex natura hominis hoc loquitur, quod naturæ infirmitati consentaneum est, ille qui passiones nostras sibi proprias fecit. Post autem alteram subjicit vocem, volens sublimem, ac divinam voluntatem ratam potius esse, quam humanam, propter hominum salutem. Nam qui dixit, non mea, humanam significavit: addens vero, sed tua, ostendit divinitatis suæ cognationem cum Patre, quæ nullam voluntatis differentiam habet, ob naturæ communionem. »

Idem in actione citatus decima ejusdem synodi ex libro contra Apollinarem, hæc verba Christi declarans, *Non mea voluntas fiat, sed tua;* Apollinaris impiam vocem refert hujusmodi: « (4) Nec meminerunt, voluntatem hanc propriam, cujus ibi mentio fit, non hominis esse de terra exorti, ut ipsi putant; sed Dei, qui de cœlo descendit. » Quam vocem subinde tanquam impiam execratur, et acerrime refellit; maxime ex eo, quod si divinæ voluntatis propria essent illa verba, quibus mortem, ac passionem refugit, sequeretur diversam a Patre Dei Verbi voluntatem esse; adeoque naturam. « (5) Atqui naturam voluntas sequitur, et cum ea concurrit, quemadmodum alicubi Dominus ait: Non potest arbor bona, malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere. Est autem naturæ fructus libera electio; ut et bonæ bona sit, et malæ similiter mala. » Cui similem sententiam ejusdem ex capitulo 35. contra Eunomium paulo post refert [6].

VI. Joannes Chrysostomus homilia sexta contra Anomœos, qui Patrem et Filium non natura, sed voluntate unum esse dicebant, sic illos refutat. « (6) Si igitur Patris et Filii

(1) ATHAN. p. 477. Καὶ ὅταν λέγῃ, Πάτερ, εἰ δυνατὸν, τὸ ποτήριον τοῦτο παρελθέτω· πλὴν μὴ τὸ ἐμὸν θέλημα γένηται, ἀλλὰ τὸ σόν· καὶ, τὸ μὲν πνεῦμα πρόθυμον, ἡ δὲ σὰρξ ἀσθενής· δύο θελήματα ἐνταῦθα δείκνυσι, τὸ μὲν ἀνθρώπινον, ὅπερ ἐστὶ τῆς σαρκὸς· τὸ δὲ θεϊκόν· τὸ γὰρ ἀνθρώπινον διὰ τὴν ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς παραιτεῖται τὸ πάθος· τὸ δὲ θεϊκὸν αὐτοῦ πρόθυμον.

(2) ATHAN. de Comment. ess. p. 383. Οὐκ ἦλθον ποιῆσαι τὸ ἐμὸν θέλημα· τουτέστι τὸ τῆς σαρκὸς, ἐπειδὴ ἡ σὰρξ ἰδία αὐτοῦ.

(3) GREGOR. Nyss. citat. ad Agath. papa in sexta Syn. pag. 45. Τῆς τοιαύτης κατὰ τὸν λόγον ἀμηχανίας μία γένοιτο ἂν παραμυθία, ἡ ἀληθὴς τοῦ μυστηρίου ὁμολογία. Ὅτι τὸ μὲν δειλιᾷν πρὸς τὸ πάθος τῆς ἀνθρωπίνης ἀσθενείας ἐστὶ, καθὼς φησι καὶ ὁ Κύριος, τὸ πνεῦμα πρόθυμον εἶναι λέγων, ἀσθενῆ δὲ τὴν σάρκα. Τὸ δὲ ἀναδέχεσθαι τὸ ἐξ οἰκονομίας πάθος, τῆς θείας ἐστὶ καὶ βουλῆς, καὶ δυνάμεως. Ἐπειδὴ τοίνυν ἄλλο τὸ ἀνθρώπινον θέλημα, καὶ θεῖον ἄλλο, φθέγγεται μὲν ὡς ἐκ τοῦ ἀνθρώπου, τῇ ἀσθενείᾳ τῆς φύσεως πρόσφορον, ὁ τὰ ἡμέτερα πάθη οἰκειωσάμενος. Ἐπάγει δὲ τὴν δευτέραν φωνὴν, τὸ ὑψηλόν τε, καὶ θεοπρεπὸς βούλημα κυρωθῆναι παρὰ τὸ ἀνθρώπινον ὑπὲρ τῆς τῶν ἀνθρώπων σωτηρίας θέλων. Ὁ γὰρ εἰπὼν, μὴ τὸ ἐμὸν, τὸ ἀνθρώπινον τῷ λόγῳ ἐσήμανε. Προσθεὶς δὲ, τὸ σὸν, ἔδειξε τὸ συναφὲς τῆς ἑαυτοῦ πρὸς τὸν Πατέρα θεότητος, ἧς οὐδεμία θελήματός ἐστι διαφορὰ διὰ τὴν κοινωνίαν τῆς φύσεως.

(4) Ibid. pag. 124. F. Καὶ οὐ μνημονεύουσιν, ὅτι τὸ θέλημα τοῦτο ἴδιον εἴρηται οὐκ ἀνθρώπου τοῦ ἐκ γῆς, καθὼς αὐτοὶ νομίζουσιν, ἀλλὰ Θεοῦ τοῦ καταβάντος ἐξ οὐρανοῦ.

(5) Ibid. pag. 125. A. Ἀνάγκη γὰρ πᾶσα σύνδρομον εἶναι τῇ φύσει τὴν βούλησιν, καθὼς φησί που ὁ Κύριος· οὐ δύναται δένδρον καλὸν καρποὺς πονηροὺς ποιεῖν· οὐδὲ δένδρον σαπρὸν καρποὺς ἀγαθοὺς ποιεῖν. Καρπὸς δὲ ἂν εἴη φύσεως ἡ προαίρεσις, ὥστε ἀγαθῆς μὲν ἀγαθὴν εἶναι, κακῆς δὲ τοιαύτην.

(6) CHRYSOST. tom. 6. homil. 35. pag. 432. v. 23. Εἰ τοίνυν Πατρὸς καὶ Υἱοῦ μία βούλησίς ἐστι, πῶς φησιν ἐν-

[1] P. 124. — [2] P. 291. — [3] P. 38. — [4] Ibid. Act. 8. p. 114.

[5] Joan. 6. 38. — [6] Ibid. pag. 126.

una voluntas est, quomodo hic ita loquitur: Verumtamen non ut ego volo, sed ut tu? Etenim si ad divinitatem referatur hoc dictum, erit quiddam in eo repugnans, indeque multa sequentur absurda; sin de carne intelligatur, rationi sunt consentanea quæ dicuntur, nec reprehensioni locus erit. Non enim carni vitio istud verti potest, quod mori nolit: quippe naturale hoc est; et ipse omnia, quæ naturæ propria sunt, citra peccatum, præ se ferebat.»

Idem Chrysostomus in homilia quadam in Matthæum: « (1) Cum dixisset, *inquit*, Transeat a me calix; subjecit, Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Ac propriam quidem habere se voluntatem manifeste demonstrat, sed ubique paternam voluntatem anteponit suæ. » Hunc locum in Synodo sexta citatum invenies: qui in commentariis in Matthæum mihi non occurrit, in ea scilicet homilia, in qua Matthæi verba illa Chrysostomus explicat; quæ est octogesima tertia.

Testis ejusdem est voluntatum discriminis in Christo Cyrillus Alexandrinus; cujus præclarum, ac fuse est explicatum testimonium in quarto commentariorum in Joannem, capite primo, ad hæc verba Christi [1], *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Ibi θάνατον ait ἀνεθέλητον simul, et θελητὸν fuisse Christo, id est *mortem non voluntariam, et voluntariam:* idque probat ex illa oratione, qua Patrem in horto precatus est, « (2) Nam qua Deus erat Verbum, immortalis et incorruptus, non eum expavisse mortem, puto omnibus apprime perspicuum esse. Verum, tanquam assumpta carne, huic pati propria permittit, et imminentem velut pro foribus mortem sinit exhorrescere; ut verum se hominem probaret. » Ergo duæ in illo voluntates extiterunt; altera divina, timoris expers; altera humana, quæ mortem pertimescebat.

Paulo item postea, Filium asserit, quatenus Deus est, cum Patre eamdem habere voluntatem: ut autem est homo, « (3) a sua voluntate recedentem, paternam implere. »

His germana sunt, quæ ex commentario in Matthæum ejusdem Cyrilli recitata sunt in sexta Synodo [2]; atque inter alia locus expressissimus est ex tomo duodecimo: in quo orationem illam in horto fusam ad Patrem, argumentum ait humanæ fuisse naturæ: « (4) Quandoquidem quatenus est Deus, non abscedit a voluntate Patris, sive potius ipse voluntas Dei est, et Patris. »

Sic in libro 24. Thesaurorum, ut in eadem citatur synodo sexta, metum illum mortis, et horrorem, et voluntatem, qua illam detrectabat, non divinæ ait esse naturæ, sed humanæ. « (5) Non timebat, *inquit*, ipse, qua Verbum, ac Deus est, mortem: sed dispensationem ad finem usque festinabat perducere. Hæc enim voluntas erat Patris. Habet autem ut mori nolit, ex eo quod caro mortem naturaliter recuset. »

Vide Epiphanii locum, in quo humanæ naturæ propria voluntas aperte significatur, in libro octavo tomi hujus capite octavo [3], ubi græcorum Patrum de duabus operationibus complura testimonia proferuntur, quæ ad voluntates, ut jam dixi, accommodari possunt.

VII. His paucos ex Latinis adjungemus, qui voluntates duas nominatim declarant. Ambrosius in libro secundo de Fide, capite tertio [4], postquam docuit, eamdem, quæ in Patre inest, voluntatem in Christo esse divinam; ista subtexit: « Una ergo voluntas, ubi una operatio. In Deo enim voluntatis series, operationis effectus est. Sed alia voluntas hominis, alia Dei. Denique ut scias vitam in voluntate esse hominis, quia mortem timemus; passionem autem Christi in voluntate divina, ut pateretur pro nobis; cum Petrus Dominum vellet a

ταῦθα, πλὴν οὐχ ὡς ἐγὼ θέλω, ἀλλ' ὡς σύ; ἂν μὲν γὰρ ἐπὶ τῆς θεότητος τὸ εἰρημένον ῇ, τοῦτο ἐναντιολογία τις γίνεται, καὶ πολλὰ ἄτοπα ἐκ τούτου τίκτεται· ἂν δὲ ἐπὶ τῆς σαρκὸς, ἔχει λόγον τὰ εἰρημένα, καὶ οὐδὲν γένοιτ' ἂν ἔγκλημα. Οὐ γὰρ τὸ μὴ θέλειν ἀποθανεῖν τὴν σάρκα κατάγνωσις (φύσεως γάρ ἐστι τοῦτο) αὐτὸς δὲ τὰ τῆς φύσεως ἅπαντα χωρὶς ἁμαρτίας ἐπεδείκνυτο.

(1) Chrysost. cit. in Syn. 6. act. 10. pag. 124. Παρελθέτω οὖν τὸ ποτήριον εἰρηκὼς, ἐπήγαγε, πλὴν οὐχ ὡς ἐγὼ θέλω, ἀλλ' ὡς σύ. Καὶ ἴδιον μὲν θέλημα ἔχειν ἐναργῶς παρίστησι· προκρίνει δὲ πανταχοῦ τοῦ ἰδίου τὸ πατρικὸν θέλημα.

(2) Cyrill. 4. in Joan. pag. 331. D. Ὅτι μὲν γὰρ ᾗ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος, ἀθάνατός τε, καὶ ἀδιάφθορος, καὶ αὐτὸ κατὰ φύσιν ζωὴ, καταπτήσσειν οὐκ ᾔδει τὸν θάνατον, πᾶσιν οἶμαι προδηλότατον. Ἐπιτρέπει γε μὴν, ὡς ἐν σαρκὶ γεγονὼς, ὑπομένειν τὰ ἴδια τῇ σαρκὶ, καὶ γεγονότα λοιπὸν ἐπὶ θύραις ὑποπτήσσειν ἐᾷ τὸν θάνατον, ἵνα φαίνηται κατὰ ἀλήθειαν ἄνθρωπος.

(3) Ibid. pag. 334. A. Τῶν μὲν οἰκείων ἀπέστη θελημάτων, ἀποπληροῖ δὲ τὸ τοῦ Πατρός. Vide et pag. 338.

(4) In 6. Syn. p. 731. A. Ἐπεὶ κατὰ τὸ εἶναι Θεὸς οὐκ ἔξω τῶν τοῦ Πατρὸς θελημάτων ἐστὶ, μᾶλλον δὲ αὐτός ἐστιν βούλησις τοῦ Θεοῦ, καὶ Πατρὸς.

(5) Cyril. lib. 24. Thes. pag. 233. cit. in sex. Syn. act. 10. pag. 134. Οὐκ ἐφοβεῖτο μὲν γὰρ, καθὸ Λόγος ἐστὶ, καὶ Θεὸς, τὸν θάνατον αὐτός· ἀλλ' εἰς τέλος διεξάγειν τὴν οἰκονομίαν ἠπείγετο. Τοῦτο γὰρ ἦν τὸ θέλημα τοῦ Πατρὸς. Ἔχει δὲ τὸ μὴ θέλειν ἀποθανεῖν, διὰ τὸ παραιτεῖσθαι τὴν σάρκα τὸν θάνατον φυσικῶς.

[1] Jean. 6. 38. — [2] Act. 10. pag. 130. F. et 131.

[3] § 7. — [4] Amb. to. 4. col. 135. K.

passione revocare, Dominus ait [1], *Non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.* Suscepit ergo voluntatem meam; suscepit tristitiam meam. Confidenter tristitiam nomino, quia crucem prædico. Mea est voluntas, quam suam dixit; quia ut homo suscepit tristitiam meam; ut homo locutus est. Ideo ait, Non sicut ego volo, sed sicut tu vis. »

Idem in libro decimo commentariorum in Lucam [2]: « Quod autem ait, Non mea voluntas, sed tua fiat, *inquit*, suam ad hominem retulit, Patris ad divinitatem. Voluntas enim hominis, temporalis; voluntas divinitatis, æterna. Non alia voluntas Patris, alia Filii; una enim voluntas, ubi una divinitas. »

Rursus in enarratione Psalmi 38. de iisdem Christi verbis agens, *Pater si possibile est*, etc. sic scribit [3]: « Et videtur quidem esse distantia voluntatis; verum intelligimus aliud esse, quod secundum unitatem divinitatis exprimitur, ubi dicit [4]: *Ego et Pater unum sumus;* aliud quod secundum hominis est locutus affectum. »

VIII. Augustinus quoque voluntatem humanam, et cum divina duas Christi pulcherrime adversus Maximinum Arianum tuetur, qui ex eo probabat, diversum inferioremque Patre esse Filium, quod ejus voluntati se subjiceret. Hunc vero refellens ita loquitur [5]: « Ubi autem dixit Filius Patri, Verum non quod ego volo, sed quod tu vis: quid te adjuvat, quod tua verba subjungis, et dicis; Ostendit vere voluntatem suam subjectam genitori? Quasi nos negemus hominis voluntatem voluntati Dei debere esse subjectam. Nam ex natura hominis hoc dixisse eum cito videt, qui locum ipsum sancti Evangelii paulo attentius intuetur. Ibi enim dixit, Tristis est anima mea usque ad mortem. Numquid ex natura unici Verbi posset hoc dici? » Et paulo post: « Quanquam et in hoc quod ait, Non quod ego volo, aliud se ostendit voluisse quam Pater: quod nisi humano corde non posset; cum infirmitatem nostram in suum, non divinum, sed humanum transfiguraret affectum. Homine quippe non assumpto, nullo modo Patri diceret unicum Verbum, Non quod ego volo. Nunquam enim posset immutabilis illa natura quidquam aliud velle, quam Pater. » Item paucis interjectis: « Non absurdum est tamen, *inquit*, ut etiam hoc, secundum id, quod homo factus est, dixisse accipiatur: Descendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit. »

Idem in enarratione Psalmi 32. [6] « Quantum Deus distat, *inquit*, ab homine, tantum voluntas Dei a voluntate hominis. Unde gerens hominem Christus, et regulam nobis proponens, docens nos vivere, et præstans nobis vivere, ostendit hominis quamdam privatam voluntatem, in qua suam figuravit, et nostram; quia caput nostrum est, et ad eum, sicut nostis, tanquam membra utique pertinemus. Pater, inquit, si fieri potest, transeat a me calix iste. Hæc humana voluntas erat, proprium aliquid, et tanquam privatum volens. »

IX. Præterea Augustinus idem sæpe humanas affectiones in Christo fuisse veras asserit, ut et alii passim antiqui; cujusmodi sunt gaudium, tristitia, desiderium, et ceteræ. « Quamobrem etiam ipse Dominus, ait ille [7], in forma servi agere vitam dignatus humanam, sed nullum habens omnino peccatum, adhibuit eas, ubi adhibendas esse judicavit. Neque enim in quo verum erat hominis corpus, et verus hominis animus, falsus erat humanus affectus. » Atqui motus isti omnes voluntates sunt quædam, ut idem capite sexto ante docuit. « Voluntas est quippe in omnibus, *ait*, imo omnes nihil aliud quam voluntates sunt. Nam quid est cupiditas et lætitia, nisi voluntas in eorum consensionem, quæ volumus? Et quid est metus, atque tristitia, nisi voluntas in dissensionem ab his quæ nolumus? » Quare voluntates in Christo fuerunt hominis propriæ. In Lateranensi synodo contra Monotheletarum hæresim Martino Pontifice Romæ habita, in qua pleraque latinorum, nec non græcorum Patrum adversus illos collecta sunt testimonia, unum inter alia ex libro *de gratia novi Testamenti ad Honoratum*, citatum legitur, quæ est epistola 120. in quo ita scriptum est: « Nec enim Christus homo factus, sicut suspicantur Apollinaristæ hæretici, aut rationalem animam non habuit, aut sensum, aut voluntatem. » Verum aliter apud Augustinum hodie ista leguntur; nempe sic: « Neque enim homo Christus, ut Apollinaristæ hæretici putaverunt, aut non habuit animam, aut non habuit rationalem. » Nec postrema illa ibidem extant, *aut sensum, aut voluntatem.*

Leo papa sermone quinto de Passione, ca-

[1] Matt. 16. — [2] Amb. in c 22. Luc. col. 212. A. — [3] Amb. to. 1. col. 748. D. — [4] Joan. 10.

[5] Aug. 3. con. Max. cap. 20. — [6] Aug. to. 8. p. 83. A. 2. — [7] Aug. 14. de Civ. c. 9. p. 162. A. 1.

pite secundo, de hac eadem Christi oratione, et metu mortis agens, « Ut suscipientis, *inquit*, susceptæque naturæ esset manifesta distinctio; quod erat hominis, divinam desideravit potentiam; quod erat Dei, ad causam respexit humanam. Superiori igitur voluntati voluntas cessit inferior; et cito demonstratum est, quid possit a trepidante orari, et quid non debeat a medente concedi. »

Idem in epistola 97. ad Leonem imperatorem, « Secundum formam Dei, *inquit*, ipse et Pater unum sunt; secundum formam autem servi, non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus, qui misit eum. » Quem locum attulit Agatho papa in epistola synodica [1], necnon Martinus papa in Lateranensi synodo [2].

X. Verum testium satis superque hactenus allatum est; cum et illæ omnes Patrum sententiæ, quibus duas operationes in Christo inesse probavimus superiore libro, voluntates etiam duas, uti jam diximus, affirment; tum eæ quoque, quibus vel naturarum duarum in una persona copulatio [3], vel animæ rationalis assumptio contra Apollinarem demonstrata est [4]. Etenim complures illic adducti sunt in medium, qui humanas affectiones veras in Christo fuisse contendunt; ut tristitiam, ut misericordiam, et similes alias; quas esse voluntates humanas, paulo ante ex Augustino didicimus.

Adde nunc singillatim appellatis iis testibus, œcumenicas, et minores alias synodos, quæ vel nominatim, ac diserte voluntates, et operationes in Christo duas esse decreverunt, ut quæ post exortos Monotheletas habitæ sunt : vel naturas in eodem inesse duas, easque veras, et perfectas statuerunt, adversus Apollinarem, Eutychem, et id genus alias pestes. Nam in omnibus istis sacris conventibus, plures in unum Patres ac Doctores testimonium dixerunt ; quod ab illis in unum congregatis editum longe sanctius, et firmius est ; quam quod separatim ac diversis locis, et temporibus singuli perhibuerunt.

Horum conciliorum, in quibus aperte duas esse voluntates Ecclesia professa est, primum, et celeberrimum fuit Constantinopolitanum secundum, et œcumenicum sextum, de quo in primo libro, capite 19. diximus. In hoc vero, complurium aliarum τοπικῶν synodorum decreta continentur, ut Mediolanensis, cui Mansuetus præsedit, et Romanæ sub Agathone, necnon Hierosolymitanæ, Sophronio patriarcha præside. His addenda Lateranensis sub Martino primo pontifice Romæ celebrata. In quibus omnibus, Monotheletarum impietate damnata, voluntates duæ, ac totidem actiones Christi in catholicum dogma susceptæ sunt, cum ante has superiores omnes idem eo ipso constituissent, quod Christum Dominum verum Deum, ac verum hominem, et utrumque perfectum esse, auctoritate sua comprobassent. Ac posteriores insuper catholicæ synodi, tam generales, quam per provincias indictæ, illarum ratas sententias habuerunt. Imprimis septima Synodus in fidei decreto, quod est in ejus actione septima [5]; tum ex provincialibus, Toletana 14. et 16. quæ expresse duarum voluntatum discrimen auctoritate sua sanxerunt.

XI. Ut autem omnes isti et singillatim loquentes, et in synodalibus consessibus sacratiora responsa promentes, duas in Christo voluntates assererent, præter Scripturæ testificationem, una quadam, eaque necessaria ratione sunt adducti. Etenim unaquæque natura suam habet, ac propriam operationem, uti passim hoc in opere demonstravimus, præsertim capite primo libri antecedentis. Propria est autem, et consentanea ratione utenti, et intelligenti naturæ, volendi actio. Quare cum Christus duas in se perfectas naturas habeat, rationales, et intelligentes, totidem voluntates complectitur. « (1) Unius substantiæ, ait Cyrillus, una utique voluntas est, et unus scopus, nec ulla discrepantia, qua in diversa volendo nitantur. » Ergo, ut concludit Joannes Damascenus, « (2) Cum duæ sint Christi naturæ, ejusdem erunt et voluntates duæ naturales, et naturales operationes. »

Declarat hujus vim argumentationis Maximus martyr in disputatione cum Pyrrho [6], ubi tria vitæ genera distinguit, vegetantem, sentientem, intelligentem : quarum singulæ

(1) CYRIL. lib. 9. in Joan. pag. 128. Μιᾶς γὰρ οὐσίας ἓν δήπου τὸ θέλημα, καὶ σκοπὸς ἐφ' ἅπασιν εἷς, καὶ τὸ διαφωνοῦν οὐδὲν, ἤγουν εἰς ἑτέραν κατασχίζον θέλησιν.

(2) DAMASC. lib. 3. cap. 14. Ἐπειδὴ μὲν οὖν δύο φύσεις τοῦ Χριστοῦ, δύο αὐτοῦ καὶ τὰ φυσικὰ θελήματα, καὶ τὰς φυσικὰς ἐνεργείας φαμέν.

[1] In 6. Syn. Act. 4. pag. 40. — [2] Secret. 1. p. 668. — [3] Lib. 3. c. 6. et 7. et seq. et in lib. 4. — [4] Vide lib. 5. c. 11. et seq.

[5] Act. 7. p. 819. — [6] Max. in calce to. 8. Ann. Baron. p. 684. et ex ep. Joan. Damas. lib. 3. c. 14.

propria operatione censentur, et agendi facultate. Exempli causa, « (1) plantarum vitæ proprius est alendi, et augendi, ac gignendi motus : sentientis vitæ proprius est motus secundum appetitum ; intelligentis autem, motus liberæ voluntatis. » Atque « (2) hæc ratio est uniuscujusque speciei propria, et eam ab aliis distinguens, » ait ibidem Maximus. Unde sic colligit : « (3) Quamobrem si natura inest intelligentibus liberi arbitrii motus ; igitur omne intelligens etiam natura hoc habet, ut possit velle. Nam B. Diadochus Photices episcopus liberam potestatem definivit esse voluntatem. Jam vero cum omne intelligens natura sua volendi facultatem habeat, Deus autem Verbum caro factum sit, animata revera rationali et intelligente anima ; igitur quatenus homo, idem substantive volendi potestatem habuit. »

Sic in collatione cum principibus in Secretario habita, quæ est inter Anastasii Collectanea [1] : « Per totam ergo sanctam Scripturam, inquit idem Maximus, tam scilicet vetus, quam novum Testamentum, sanctosque doctores, ac synodos, edocemur voluntatis, et operationis tam in divinitate, quam in humanitate, incarnatum Deum esse capacem. In nullo enim eorum, quibus ut Deus scitur, vel eorum, quibus ut homo cognoscitur, excepto duntaxat peccato, est imperfectus. Si autem perfectus est in utroque, sicut in nullo ex ambobus est minoratus ; manifeste totum ipsius adulterat sacramentum, qui non confitetur eum esse, quod est, cum existentibus sibi omnibus naturalibus idiomatibus, ex quibus, et in quibus, et quæ esse probatur. »

XII. Ita Martinus papa in epistola ad Constantem imperatorem [2], docet eos omnes, qui unam tantum voluntatem Christo tribuunt, « omnium tum sanctorum Patrum, tum œcumenicorum quinque Conciliorum definitiones evertere, quæ per omnia perfectum eumdem in divinitate, et in humanitate perfectum prædicaverunt, tantum absque peccato. Nam in peccato naturæ perfectio non conspicitur, sed vitium agnoscitur nostræ transgressionis. Quod si perfectus est, est videlicet perfectus secundum divinam voluntatem, et operationem ; quemadmodum et juxta naturam principii expertem, atque increatam : et secundum humanam quoque tum voluntatem, tum operationem ; ut et secundum naturam creatam, et quæ principium habuit. Qui vero in aliquo eum imminuit, manifeste evertit perfecti rationem, eam conspici nullo modo permittens, propter ejus , quod naturæ convenit defectum. »

Eodem argumento Monotheletas confutat Stephanus Dorensis in Lateranensi concilio, cui Martinus præfuit [3]. « Nam si imperfectus esset, juxta sensum contrariorum, in divina, et humana ejus naturali voluntate, et operatione, perfectus non esset Deus, neque perfectus idem homo : magis autem nec penitus Deus, nec homo existeret. »

Hinc recte Maximus Aquileiensis in eadem synodo [4], qui voluntatem humanam Christo detrahunt, eos affirmat « sanctam Chalcedonensem respuere synodum, omnesque sanctos ac venerabiles Patres : » quippe de Christo ita statuisse synodum illam, « (4) ex duabus ipsum naturis, sine ulla divisione, vel confusione constare ; utpote cum nullo modo naturarum differentia propter unitionem amputetur ; sed potius utriusque naturæ proprietas servetur. » Ex quo sequitur e contrario, si proprietas naturæ tollitur, naturam ipsam non amplius existere.

Constantinus item imperator in edicto, quod sexta Synodus approbavit, ex duabus naturis, et earum integritate, ac perfectione, non secus duas inesse voluntates colligit. « (5) Humanæ perfectionis, *inquit*, indicium est, mens, qua et volumus, et ratiocinamur, et ab ratione carentibus animantibus discernimur. Nihil enim mentis expers volendi facultate

(1) MAXIM. ibid. Τῆς μὲν φυσικῆς ἴδιον ἡ θρεπτικὴ, καὶ αὐξητικὴ, καὶ γεννητικὴ κίνησις· τῆς δὲ αἰσθητικῆς ἡ καθ' ὁρμὴν κίνησις· τῆς δὲ νοερᾶς ἡ αὐτεξούσιος.

(2) Ibid. Τίς ὁ διακριτικὸς, καὶ ἰδιάζων ἑκάστου εἴδους λόγος.

(3) Ibid. Εἰ οὖν κατὰ φύσιν πρόσεστι τοῖς νοεροῖς ἡ αὐτεξούσιος κίνησις, ἄρα πᾶν νοερόν, καὶ φύσει θελητικόν. Θέλησιν γὰρ τὸ αὐτεξούσιον ὁ μακάριος Διάδοχος ὁ Φωτικῆς ὡρίσατο εἶναι. Εἰ δὲ πᾶν νοερὸν καὶ φύσει θελητικὸν, γέγονε δὲ ὁ Θεὸς Λόγος σὰρξ, ἀληθῶς λογικῶς τε, καὶ νοερῶς ἐψυχωμένη, ἄρα καὶ καθὸ ἄνθρωπος, οὐσιωδῶς ὁ αὐτὸς ἦν θελητικός.

(4) Chalced. conc. act. 5. pag. 340. Ἐκ δύο φύσεων ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, χωριζόμενον· οὐδαμοῦ τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης, διὰ τὴν ἕνωσιν· σωζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως.

(5) CONSTANT. in act. 18. sex. Syn. pag. 290. Ἀνθρωπίνης δὲ τελειότητος ἔνδειξις νοῦς, καθ' ὃν καὶ θελομέν τε, καὶ λογιζόμεθα, καὶ τῶν ἀλόγων ζώων διακρινόμεθα. Οὐδὲ γὰρ ἄνουν θελητικόν· πᾶν δὲ θελητικὸν νοερόν. Ὅπου γὰρ νοῦς, ἐκεῖ πάντως καὶ θέλησις. Εἰ οὖν τέλειος γέγονεν ὁ Σωτὴρ, ἐν τῇ τελειότητι μείνας τῇ θεϊκῇ, οὔτε ἄνους, οὔτε ἀθέλητος ἦν.

[1] Pag. 129. — [2] Mart. P. ep. 3. tom. 4. Conc. p. 647. A. 1. vide et in Lateran. Conc. Secret. 1. pag. 668.

[3] Later. Syn. Secret. 2. p. 674. — [4] Secret. 1. p. 670.

præditum est. Quidquid autem volendi facultatem habet, etiam habet intelligendi. Quare si perfectus homo fuit Salvator, in perfectione divina perseverans, neque mente, neque voluntate caruit. »

CAPUT SEPTIMUM.

De libera Christi voluntate, — 1. quæ naturalis primum hominis esse proprietas ostenditur : — 2. et argumentis probatur. — 3. De naturali, et hypostatica voluntate, sive γνωμικῇ : — 4. cur non hæc triplex in Deo sit. — 5. An γνωμικὴ fuerit in Christo : ubi primum explicatur quid sit γνώμη. — 6. Hanc in Christo negant aliquid fuisse ; — 7. quomodo nostra voluntas bono sit affixa, et quomodo idem in Christi voluntate fuerit. — 8. Γνωμικὴν voluntatem hypostaseon discrimen habere. — 9. Quibus de causis γνωμικὴν voluntatem Christo Patres ademerunt. — 10. Quo sensu sit admittenda.

I. Gravis, et acerbæ contentionis illius, quæ cum Monotheletis hæreticis Catholicos commisit, in eo fere tota ratio vertebatur, quod alii voluntatem φυσικὸν aliquid, id est *naturale*, statuerent : alii ὑποστατικὸν, id est *personale*. Si quidem ex eo utrum amborum decreveris, statim una, vel duplex Christi voluntas consequetur. Hæc vero quæstio generatim explicata est, ac decisa libro superiore, capite secundo, in quo demonstratum universe istud est ; naturæ tribuendam potius, quam supposito videri ἐνέργειαν : sub qua voluntas, tanquam forma, continetur.

Verum peculiaris est in voluntate dubitandi causa, quod ea libera sit, ac non violentiæ solum, sed etiam necessitatis inimica : quod autem a natura est insitum, id est necessarium : quod adversus Maximum disputans Pyrrhus hæreticus objecit. « (1) Si naturalem, *inquit*, asseris voluntatem ; quod autem naturale est, prorsus necessitate sit constrictum ; qui tandem necessario non sequetur, ex eo quod naturales ponimus in Christo voluntates, nos omnem ei funditus spontaneam eripere motionem ? » Neque tamen hæc arguta, et sophistica cavillatio impedire nos debet, quominus voluntatem, quamlibet liberam, naturale esse aliquid assentiamur.

Augustinus certe voluntatem ait esse motum naturæ, in illo celebri loco, quem Agatho papa in epistola sua synodica posuit [1] ; quippe inter alia Patrum testimonia contra Monotheletas collecta recitatus est in Synodo sexta, actione decima [2], ex libro quinto contra Julianum : « Motus animi quid est, nisi motus naturæ ? Animus enim sine dubitatione natura est. Proinde voluntas motus est naturæ, quoniam motus est animi. » Et paulo post : « Cur ergo negas, *inquit*, clausis oculis res apertas, de natura hominis exoriri hominis voluntatem ? » Tum, « Ipse animi motus, cogente nullo, voluntas est. Quapropter hoc est dicere, voluntas existit de animi motu, quod voluntas existit de voluntate. » Denique, « Potuitne ascendere in cor tuum, *inquit*, exoriri quidem hominis voluntatem, sed non de libero ejus arbitrio ? » Hæc, et his plura citantur ab Agathone, quibus probat humanæ naturæ propriam in Christo inesse voluntatem, ut qui veram habeat, et perfectam hominis naturam : cujus voluntas est motus, utique naturalis, et naturæ comes perpetua. Sic Hilarius in octavo libro voluntatem *motum mentis* appellat.

II. Idem docet Joannes Damascenus in libro de Duabus voluntatibus, ubi φυσικὰ, et ὑποστατικὰ ἰδιώματα, id est *proprietates naturales, et individuas*, sive *hypostaticas*, discernit : (2) ac naturales eas esse dicit, ex Patrum sententia, quæ omnibus insunt sub eadem specie comprehensis ; velut hominis propria natura, quæ

(1) Maxim. disput. cum Pyr. pag. 680. Εἰ φυσικὸν λέγεις τὸ θέλημα· τὸ δὲ φυσικὸν, πάντως καὶ ἠναγκασμένον· πῶς οὐκ ἀνάγκη, φυσικὰ λέγοντας ἐπὶ Χριστοῦ τὰ θελήματα, πᾶσαν ἐπ' αὐτοῦ ἑκούσιον ἀναιρεῖν κίνησιν ;

(2) Damasc. pag. 471. Ὅσα πάντες οἱ ἄνθρωποι ἔχουσιν ἐκ τοῦ δημιουργοῦ δοθέντα, φυσικά εἰσιν ἰδιώματα κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας, καὶ τον ἀληθῆ λόγον.

[1] In Syn. 6. Act. 4. p. 42.

[2] Pag. 136.

in omnibus reperiuntur hominibus, ab auctore ipso tributa. Et in libro tertio de Fide orthodoxa cap. 14. « (1) Velle, *ait*, naturæ est, ut et videre : quippe omnibus inest hominibus. » Cujusmodi « (2) substantive insita, et inseparabilia » vocat Maximus. Talem esse voluntatem aliquot argumentis demonstrat ibidem Joannes Damascenus, adeoque necessario ab Christo Domino una cum natura hominis assumptam fuisse. Sic autem fere disputat : primum ea dicit esse naturalia, quæ sine magistro, ac disciplina parantur ; uti vivere, ratiocinari, cibum ac potum appetere, et similia. Hujusmodi vero est velle, quod ab nullo discimus. Itaque naturalis est homini voluntas. Tum natura insitum homini est illud, quo a brutis animantibus differt. Hoc autem in eo consistit, quod hæc aguntur a natura, velut impetu, ac necessitate quadam ; ille autem naturam agit, et libera potestate regit, ac continet. Rursus ad imaginem Dei procreatus est homo, eaque similitudo maxime sita est in animo. Atqui natura sua liberi arbitrii, et voluntatis est Deus. Item quod in omnibus, et singulis hominibus liberæ voluntatis usus agnoscitur : quare naturalis ea sit oportet ; quoniam, ut paulo ante memini, naturale est, quod nulli deest individuo formæ cuipiam subjecto.

Sed præ aliis omnibus memorandum illud est argumentum, quo naturalem proprietatem, non personalem, esse voluntatem idem Joannes Damascenus ostendit[1]. Si enim ὑποστατικὸν aliquid foret, tres in Deo voluntates, quot personæ, distinguerentur. Quocirca Pater non qua Pater est, hoc est quatenus personalem habet proprietatem, velle dicitur, sed qua Deus est, ut Maximus in disputatione cum Pyrrho[2], ex eoque Joannes idem Damascenus[3] aliique tradunt.

III. Neque vero huic certissimo, et ab omnibus recepto tam philosophis, quam theologis decreto, quo voluntas naturalis quædam proprietas esse dicitur, illud alterum refragatur, quod hujus libri capite primo commemoravimus[4] : voluntatem aliam esse φυσικὴν, aliam ὑποστατικὴν ; tanquam alia naturæ sit affixa, eamque comitetur ; alia personæ, sive hypostasis propria sit. Quod quidem voluntatum discrimen adeo scitu esse necessarium Joannes Damascenus affirmat, (3) ut ejus inscitia, vel dissimulatione ortam esse, corroboratamque Monotheletarum hæresim existimet : quemadmodum ex perperam intellectis φύσεως et ὑποστάσεως vocabulis Nestoriana, et Eutychiana initium habuerunt.

Ac φυσικὸν θέλημα, id est *naturalem voluntatem*, dupliciter ab iisdem auctoribus, Maximo, et Damasceno, appellari video. Primum, quod facultas ipsa volendi, sive δύναμις, quam *voluntatis* nomine vulgo significari putant, a natura est generi hominum indita. Hanc enim et a Monotheletis ademptam esse Christo, et ab Catholicis e contrario vindicatam, non vero solam actionem, in libro superiore docuimus[5]. Quod quidem magnopere attinet ad eam, de qua modo agimus, *naturalis* appellationem. Non enim dubitari potest, quin *volendi facultas* natura sit omnibus attributa ratione præditis, cum de ipsa functione illius hæsitari utcumque possit.

Quocirca Maximus martyr in libro quodam, qui sic inscribitur, (4) *Nusquam Patres in Christo voluntatum, quas gnomicas vocant*, (quæ eædem sunt et hypostaticæ,) *numerum constituisse*, voluntatem naturalem describit sic : « (5) Voluntas naturalis est facultas ejus appetendi, quod est naturæ congruum, et eas, quæ substantive sunt insitæ naturæ, proprietates omnes conservans, ac continens : per quam ei, quod ad volendum natura sua factum est, ingenita vis est volendi. » Mox illud observat ; aliud esse natura ad volendum esse comparatum ; aliud, velle ; sicut aliud est natura esse aptum ad loquendum ; aliud loqui. Horum vero prius, naturæ, et essentiæ proprium esse ; posterius, voluntatis ; et ad hypostasim referri, cujus est certo modo loqui, cum naturæ sit absolute loqui. Ex quo ita colligit, Verbum incarnatum, tanquam ho-

(1) Id. pag. 218. Τὸ μὲν γὰρ θέλειν φύσεως, ὥσπερ καὶ τὸ ὁρᾷν· πᾶσι γὰρ ἀνθρώποις πρόσεστι.

(2) MAXIM. in disp. cum Pyr. pag. 704. Τὰ οὐσιωδῶς πρόσοντα, καὶ ἀναφαίρετα.

(3) DAMASC. lib. de Duab. volunt. pag. 480. Οὕτω καὶ τοῖς Μονοθεληταῖς, τὸ μὴ εἰδέναι τὴν διαφορὰν τοῦ φυσικοῦ, καὶ τοῦ ὑποστατικαῦ θελήματος, τουτέστι τοῦ γνωμικοῦ, αἴτιον γέγονε τοῦ ἓν λέγειν ἐπὶ Χριστοῦ θέλημα.

(4) Apud Euth. in Panopl. initio tit. 18. Ἐκ τοῦ λόγου, ὅτι οὐκ εἶπον οἱ πατέρες ἐπὶ Χριστοῦ ποσότητα γνωμικῶν θελημάτων.

(5) MAXIM. ibid. Θέλημά ἐστι φυσικὸν, δύναμις τοῦ κατὰ φύσιν ὄντος ὀρεκτικὴ, καὶ τῶν οὐσιωδῶς προσόντων συνεκτικὴ πάντων ἰδιωμάτων· καθ' ἣν ἀεὶ τῷ φύσει θελητικῷ τὸ πεφυκέναι θέλειν ἐμπέφυκεν.

[1] Lib. 2. c. 14. p. 218. et Theor. in Leg. Arm. p. 467. — [2] Max in Disp. p. 689.

[3] Lib. 3. cap. 14. — [4] § 3. — [5] Cap. 4.

minem, habuisse natura volendi facultatem.

Alio modo naturalis voluntas actionem aliquam volendi significat; quæ naturaliter, et citra deliberationem ex facultate proficiscitur, ut sunt appetitiones earum rerum, quæ ad vitam tuendam necessariæ sunt, velut integritatis et incolumitatis corporis sui, atque membrorum; motiones item sentientis, et intelligentis animæ : quæ in parvulis ipsis citra perfectæ usum rationis existunt; et in grandioribus, sponte, et aliud agentibus nobis oriuntur : nec ad eas deliberatione ulla opus est, aut electione, tametsi in illis gubernandis, ac moderandis arbitrii libertas, et ratio vim suam exerceat.

At ὑποστατικὸν θέλημα, id est *voluntas personalis*, ea dicitur, quæ ex uniuscujusque individui placito, et arbitrio modificatur : quale est hoc vel illo modo velle, et appetere; bene scilicet, aut male : temperate, vel plusquam oportet; denique particularibus adhibitis circumstantiis, quæ singularem, ac per se absolutam, et naturalem actionem determinant, et quodammodo afficiunt. Hujusmodi enim voluntates, quas proprie *volitiones* Scholæ nuncupant, liberæ sunt, et ideo contingentes, quæ ex consilio, et electione proficiscuntur : nec in singulis eædem sunt, sed pro cujusque captu, ac studio, et inclinatione variæ. Atque etsi naturales dici possint, quia sic est hominis natura, ut ita velle possit; habentque naturale principium, unde procedunt; non tamen uniusmodi sunt, ac necessariæ : eædemque propterea γνωμικαὶ vocantur, ut in capite primo libri hujus diximus.

IV. Hic nonnulla moveri potest, et antequam ultra disputando pergamus, explicari debet quæstio : cur non plures sint in Deo voluntates ὑποστατικαὶ, sive γνωμικαὶ, cum sint hypostases tres; quemadmodum naturalis una est, quia natura trium est una. Hujus dissolvendi nodi rationem Joannes Damascenus indicat in libro de Duabus voluntatibus, cum de differentia τοῦ φυσικοῦ, et ὑποστατικοῦ disputat. Ibi enim[1] naturale hoc esse docet, quod toti speciei, et ei subjectis omnibus individuis convenit, ut sunt esse creatum, esse præditum sensu, ac ratione, habere appetendi ac volendi facultatem : « (1) Horum autem proprio modo, et electione facta motio, *inquit*, differentia est hypostatica. Etenim hoc ipsum, illorum esse participem, eamdem naturam indicat; at existentiæ modus, et disjuncta, per seque constans, uniuscujusque subsistentia, et constitutio : tum proprio modo, et suapte motione transactus, et diversus naturalium usus, separatas hypostases ostendit, et ut plures dicantur homines efficit. Quamobrem in Patre, Filio, et Spiritu sancto, quoniam diversa singulorum est extantia, tres sunt hypostases; sed cum minime proprio modo, vel privata electione, ac divisim trium unaquæque velit, et operetur, sed singulari, et unica ratione; ideo non sunt dii tres; sed unus Deus. » Quod idem de voluntate usurpare licet, ut quia non separatam persona quælibet, et ab alia distinctam voluntatem habet, idcirco non sit triplex et diversus volendi usus, et impulsus. Ut enim voluntas pro hypostaseon numero varietur, necesse est tum naturam, et essentiam, tum naturæ motiones, et impetus numero esse distinctos, ac seorsim et separatim ad agendum incitari. Accedit etiam illud, quod quidquid est in Deo, præter hypostases, id est hypostaticas proprietates, ipsa Dei est essentia, et idipsum idem, ac numero unum est in tribus personis, qualis est voluntas libera, et electio, vel γνώμη, aut quidquid tandem est, quod utrique in excellenti, et inexplicabili illa substantia respondet : de quo mox viderimus. In creatis autem, velut in homine, non solum personæ, personalesque proprietates differunt; sed naturæ ipsæ singulares, et quæ his accedunt, ab iisque discrepant, naturales affectiones. Ita γνῶμαι in iisdem diversæ sunt; et ὑποστατικαὶ, ac γνωμικαὶ adeo voluntates; quæ in Deo, similiter atque essentia, plures esse nequeunt.

Clarius hoc eodem in libro Joannes Damascenus exponit his verbis, quæ utiliter adscribentur. « (2) In sancta, *inquit*, Trinitate, tres hypostases in se mutuo insunt : tum Verbum,

(1) DAMASC. pag. 471. Ἡ δὲ τούτων ἰδιότροπος, καὶ ἰδιαίρετος κίνησις ὑποστατικὴ διαφορά· τὸ μὲν γὰρ μετέχειν τούτων, τὸ ταὐτὸν τῆς φύσεως παρίστησιν. Ὁ δὲ τρόπος τῆς ὑπάρξεως, καὶ ἡ ὑποτετμημένη, καὶ ἰδιοσύστατος ὑπόστασις, καὶ σύμπηξις ἑκάστου, καὶ ἡ ἰδιότροπος, καὶ ἰδιοκίνητος, καὶ ἡ διάφορος τῶν φυσικῶν χρῆσις ἀποτετμημένας τὰς ὑποστάσεις δείκνυσι, καὶ πολλοὺς λέγεσθαι τοὺς ἀνθρώπους ποιεῖ. Ὥστε ἐπὶ Πατρὸς, καὶ Υἱοῦ, καὶ ἁγίου Πνεύματος, ἐπειδὴ μὲν διάφορος ἡ ἑκάστου ὕπαρξις, τρεῖς ὑποστάσεις εἰσίν. Ἐπειδὴ δὲ οὐκ ἰδιοτρόπως οὐδὲ ἰδιαιρέτως, καὶ ἀποτετμημένως ἑκάστη θέλει, καὶ ἐνεργεῖ, ἀλλ' ἑνιαίως, οὐ τρεῖς θεοὶ, ἀλλ' εἷς Θεός.

(2) DAMASC. ibid. pag. 482. Ἐπὶ μὲν γὰρ τῆς ἁγίας Τριάδος αἱ τρεῖς ὑποστάσεις ἐν ἀλλήλαις εἰσὶ, καὶ ὁ Λόγος, καὶ τὸ Πνεῦμα δυνάμεις εἰσὶ τοῦ Πατρός. Καὶ διὰ τοῦτο μία

[1] Damasc. p. 471. et seq.

et Spiritus virtutes sunt Patris. Propterea una est trium motio, ac similiter, et idem est quod volunt. Angeli vero et homines singuli suam habent disjunctam, ac divisam hypostasim, quamvis unius sunt naturæ; quo fit ut facultas volendi, et ipsum velle, unum sit, et naturale; sed aliquid, et aliquo modo velle propriæ sententiæ sit, et hypostasis : ac sit una quidem natura, quæ velle potest; multi autem volentes, ac diverso modo, aliudque volentes. »

V. His præmunita disputatio nostra ad eam promovenda est γνωμικῆς voluntatis inquisitionem, quam in hunc locum rejecimus [1] : ac videndum, utrum in Christo locum habuerit. Sed ante quid sit γνώμη, repetere oportet tum ex capite illo primo libri hujus, tum ex tomo tertio, et libro tertio de Opificio [2]. Ibi γνώμην ex Joanne Damasceno docuimus voluntatis actionem esse, quæ consultationem, ac deliberationem et judicium, quod vocant practicum, sequitur; et electionem proxime præcedit : eamdemque definiri ab Joanne Damasceno, affectum quemdam voluntatis, et amorem ejus quod in consultatione melius judicatum est, amplectentis, et amantis; quam *consensionem* dixi [3] appellare sanctum Thomam; quæ quidem non intellectus sit, sed appetitus, id est voluntatis : ex qua deinceps oritur electio. Maximus vero martyr in disputatione cum Pyrrho [4], γνώμην *vivendi modum* esse, hoc est τρόπον ζωῆς, ex Cyrillo affirmanti hæretico assentitur isti; ut sit genus ipsum vitæ, secundum virtutem, aut vitium institutæ, quod ita concipit Maximus : « (1) Igitur gnome nihil aliud est, nisi certo modo habens voluntas, quæ cum affectu rem quampiam, sive reipsa, sive opinione bonam amplectitur. » Hinc enim bona vel mala fit instituta vitæ ratio.

Et illud præterea notatione dignum, quod in eadem disputatione Maximus observat, totidemque verbis describit Joannes Damascenus. « (2) Liberam potestatem æquivoce dici, quemadmodum et naturæ nomen : et aliter in Deo accipi, aliter in angelis, aliter in hominibus. Nam in Deo supra omnem substantiam intelligitur. In angelis ita, ut cum habitu statim aggressio, et prosecutio ipsa concurrat, nec ullam interpositionem temporis admittat. In hominibus vero sic, ut habitus aggressionem ipsam intervallo temporis aliquo præcedat. » Addit ad ista Damascenus, « (3) Nam liberæ voluntatis est homo, et natura suo libero est arbitrio præditus; sed incursionem habet diaboli, et corporis motionem. Itaque propter incursionem illam, et corporis gravitatem, aggressio est habitu posterior.

VI. Jam uterque ὑποστατικὸν, et γνωμικὸν θέλημα, ut et γνώμην in Christo non fuisse asserit. Maximus quidem id primum levissimo probat argumento [5]; quia non debet appellari γνωμικὸν θέλημα : si enim γνώμη nihil aliud est, quam θέλησις, id est voluntas certo modo se habens, non recte dici videtur θέλημα γνωμικὸν, quasi voluntas ex voluntate procedens. Verum non est reprehendendus illius appellationis usus, apud græcos theologos longe frequentissimus. Nam quod absurdum putat Maximus, voluntatem dici ex voluntate procedere : non est; quippe voluntatis vox, sive *volitionis*, ut vulgo dicitur, generalis est, omnes appetentis cum ratione facultatis actiones complectens. Itaque tam finis appetitio, quam vocant *intentionem*, quam eorum inquisitio, quæ conducunt ad finem; necnon horum electio, ac motiones ceteræ, voluntatis nominantur : et cum aliæ ex aliis oriantur, posteriores e prioribus, quis neget ex voluntate voluntatem existere?

Probabilius est, quod subinde Maximus adjungit, non esse γνώμην in homine Christo, « (4) quod alioqui merus et simplex esset homo, nostro more consultans, ignorans, et

κίνησις, καὶ ὡσαύτως καὶ τὸ αὐτὸ θελητόν. Οἱ δὲ ἄγγελοι, καὶ οἱ ἄνθρωποι ἕκαστος ἀποτετμημένην, καὶ διῃρημένην ἔχει τὴν ἑαυτοῦ ὑπόστασιν, εἰ καὶ μιᾶς εἰσι φύσεως. Διὰ τοῦτο ἡ μὲν δύναμις τοῦ θέλειν, καὶ τὸ θέλειν, ἓν καὶ φυσικόν· τὸ δὲ πῶς καὶ τί θέλειν, ὑποστατικὸν, καὶ γνωμικόν· καὶ μία μὲν αὐτῶν θελητικὴ φύσις, πολλοὶ δὲ θέλοντες διαφόρως, καὶ ἀλλοθέλοντες.

(1) MAXIM. in disput. pag. 686. Οὐκοῦν ἡ γνώμη οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν, ἢ ποῖα θέλησις, σχετικῶς τινος, ἢ ὄντος, ἢ νομιζομένου ἀγαθοῦ ἀντεχομένη.

(2) MAXIM. ibid. pag. 693. E. Δεῖ δὲ εἰδέναι ὡς ἡ αὐτεξουσιότης ὁμωνύμως λέγεται μὲν ὥσπερ καὶ ἡ φύσις, ἄλλως δὲ ἐπὶ Θεοῦ λαμβάνεται, καὶ ἄλλως ἐπὶ τῶν ἀγγέλων, καὶ ἄλλως ἐπ' ἀνθρώπων. Ἐπὶ μὲν Θεοῦ ὑπερουσίως· ἐπὶ δὲ ἀγγέλων, ὡς συντρεχούσης τῇ ἕξει τῆς προχειρήσεως, καὶ παρενθήκην ὅλως χρόνου μὴ παραδεχομένης· ἐπὶ δὲ ἀνθρώπων, ὡς χρονικῶς τῆς ἕξεως προεπινοουμένης τῆς ἐπιχειρήσεως.

(3) DAMASC. lib. de Fide, cap. 14. pag. 221. Αὐτεξούσιος μὲν γάρ ἐστιν ὁ ἄνθρωπος, καὶ φυσικῶς ἔχει τὸ αὐτεξούσιον· ἔχει δὲ καὶ τὴν ἐκ τοῦ Διαβόλου προσβολὴν, καὶ τὴν τοῦ σώματος κίνησιν. Διὰ οὖν τὴν προσβολὴν καὶ τὸ βάρος τοῦ σώματος ἐφυστερίζει προχείρησις τῆς ἕξεως.

(4) MAXIM. in disput. pag. 687. Ἔπειτα δὲ καὶ γνώμην λέγοντες ἐπὶ Χριστοῦ, ὡς ἡ περὶ αὐτῆς ἔδειξε ζήτησις, ψιλὸν αὐτὸν δογματίζουσιν ἄνθρωπον βουλευτικῶς διατιθέμενον καθ' ἡμᾶς ἀγνοοῦντά τε, καὶ ἀμφιβάλλοντα, καὶ ἀντικείμενα ἔχοντα· εἴπερ τις περὶ τῶν ἀμφιβαλλομένων, καὶ οὐ περὶ τοῦ ἀναμφι-

[1] Cap. 1. lib. hujus § 7.— [2] C. 5. c. 5.— [3] C. 1. l. hujus § 6.

[4] Pag. 686. — [5] Max. in Disp. p. 687. A.

addubitans, atque in contraria distractus. Non enim de certis et indubitatis, sed de ambiguis, quilibet consultat. Siquidem nos id, quod simpliciter natura bonum est, naturaliter expetimus : quod vero quodammodo bonum est, inquisitione ac consilio illud experimur. Ideo gnome in nobis apte nominatur, quæ modus est utendi, non ratio naturæ; alioquin infinitas mutationes naturæ pateretur. At in humana Domini natura, quæ non mere, uti nos, per se, sed divinitus subsistit, (Deus enim erat, propter nos, secundum nos, ex nobis in carne conspectus,) gnome usurpari nequit. Nam esse ipsum, sive divinitus subsistere, naturalem cum bono conciliationem habebat, et alienationem a malo; » ut Basilius loquitur homilia in Psalmum 44 [1].

VII. Hic Maximus discrimen hoc esse vult inter ceteros homines, et Christum, qua homo est; quod illi generalem dumtaxat in bonum, et quidem honestum, quod universe ac simpliciter ejusmodi est, propensionem habent natura sua, qualis est Deus. Bonum autem quodlibet particulare, ac certo et definito modo bonum nonnisi inquirendo, ac deliberando appetunt. Christus autem naturalem habebat voluntatis inclinationem in bonum, non generale solum, sed quod in singulis etiam actionibus, ac motionibus voluntatis cernitur. Non enim deficere a bono, id est peccare poterat. Manifestum est autem Maximum non de bono universe loqui, sed de proprie dicto, et honesto. Alioqui nulla esset inter Christum, ac ceteros homines differentia, si de utili et jucundo sermo esset. Nam et universe bonum omnes appetunt, et in singulis actionibus idipsum assequi student : neque quisquam mali, qua malum est, gratia movetur ad appetendum. Itaque de honesto solo, et laudabili loquitur, quod naturaliter omnibus, etiam pessimis, generatim probatur, utpote rationi consentaneum. Verum in singulis actionibus corruptus ac depravatus vitiis animus, sive alia quacumque illecebra captus, bonum illud repudiat : eique quod deterius, ac diversi generis bonum est, anteponit. Quod in Christum minime cadebat, qui nihil, nisi vere, ac sincere bonum, hoc est divinæ rationi, ac voluntati congruens persequi potuit.

Licet autem ex eo perspicere cur γνώμην, et γνωμικὸν θέλημα in Christo non fuisse Maximus, aliique putaverint : nimirum quod ἀναμάρτητον illum fuisse constet, hoc est peccati nullo modo capacem. Ex quo consequens esse rati sunt, ut de rebus agendis minime consultaverit, tanquam dubius, et animi pendens inter boni et mali, hoc est virtutis ac vitii, delectum : quæ quidem humanarum deliberationum præcipua solet esse materia. Unde ceteras, quæ ex consultatione sequuntur, voluntatis motiones præciderunt; qualis est γνώμη, quam *consensionem* dixi appellari a S. Thoma; Latini autem *sententiam* vocant; et affectum animi circa bona et honesta, vel contra turpia et inhonesta, ex quo alterutrius optio, et electio gignitur; quam similiter Christo denegarunt.

VIII. Idem Maximus in libro de *gnomicis voluntatibus* apud Euthymium, γνωμηκὸν θέλημα personarum discrimen afferre dicit, cum adversus Monotheletas argumentatur, non unam posse esse voluntatem in Christo; neque naturalem, neque γνωμικὴν, quam *deliberatam* appellemus licet : atque ita de posteriore hac disserit. « (1) Si deliberatam hanc solam voluntatem constituas, erit propria nota illius hypostasis. Quod enim γνωμικὸν, id est deliberatum dicitur, vim habet personæ secernendæ.» Et in disputatione cum Pyrrho habita, cum hic unicam Christi voluntatem γνωμικὴν esse respondisset [2] ex opinione sectæ suæ, tum aliis argumentis instat illi Maximus, tum hoc objicit [3]; eo ipso consentire illos Nestorio, qui unam perinde γνωμικὴν voluntatem affinxerit Christo : quippe non φυσικὴν, id est naturalem, sive substantivam unitionem agnoscebat ambarum naturarum Nestorius; sed voluntatum, et affectuum : quam idcirco σχετικὴν, et γνωμικὴν vocabat, eaque personas connecti duas asserebat : cujus rei testem citat Ecthesim ab Heraclio promulgatam, in qua ita scriptum legi-

ϐόλου βουλεύεται. Ἡμεῖς μὲν γὰρ τοῦ μὲν ἁπλῶς φύσει καλοῦ φυσικῶς ἔχομεν τὴν ὄρεξιν· τοῦ δὲ πῶς καλοῦ τὴν πεῖραν διαζητήσεως, καὶ βουλῆς. Καὶ διὰ τοῦτο ἐφ' ἡμῖν καὶ γνώμη προσφυῶς λέγεται, τρόπος οὖσα χρήσεως, οὐ λόγος φύσεως· ἐπεὶ καὶ ἀπειράκις μετέϐαλλεν ἡ φύσις. Ἐπὶ δὲ τοῦ ἀνθρωπίνου τοῦ Κυρίου οὐ ψιλῶς καθ' ἡμᾶς ὑποστάντος, ἀλλὰ θεϊκῶς, (Θεὸς γὰρ ἦν ὁ δι' ἡμᾶς, καθ' ἡμᾶς, ἐξ ἡμῶν σαρκὶ πεφηνὼς) γνώνη λέγεσθαι οὐ δύναται· αὐτὸ γὰρ τὸ εἶναι, ἤγουν, τὸ θεϊκῶς ὑποστῆναι, φυσικῶς καὶ τὴν πρὸς τὸ καλὸν εἶχεν οἰκείωσιν, καὶ τὴν πρὸς τὸ κακὸν ἀλλοτρίωσιν, καθὼς καὶ ὁ μέγας τῆς ἐκκλησίας ὀφθαλμὸς Βασίλειος ἐν τῇ ἑρμηνείᾳ τοῦ μδ' ψαλμοῦ διδάσκων, ἔφη.

(1) MAXIM. apud Euth. tit. 18. in Panop. p. 650. Εἰ δὲ γνωμικὸν μόνον, ἔσται τῆς αὐτοῦ χαρακτηριστικὸν ὑποστάσεως. Προσώπου γὰρ ἀφοριστικὸν ὑπάρχει τὸ γνωμικόν.

[1] Basil. to. 1. p. 259. A.

[2] Pyr. apud Max. pag. 686. D. — [3] Max. ib. p. 689. B.

tur [1] : « Si enim insanus Nestorius licet dividens divinam Domini nostri humanitatem, et introducens filios duos, voluntates istorum dicere non ausus est ; e contrario autem consonantem voluntatem in eo, formatis duabus personis, confessus est ; quomodo possibile est, orthodoxam confitentes fidem, et unum Filium Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum glorificantes, duas, et has contrarias voluntates in eo suscipere ? »

IX. Sic alio in loco Maximus duas in Christo φυσικὰς, id est *naturales*, voluntates admittit; utpote minime inter se repugnantes, neque depravationis capaces ; quod enim a natura insitum est, vitiosum non est, tanquam ab auctore Deo profectum. At vero γνωμικὴν non posse hominis in Christo voluntatem inesse probat, quod, « (1) hujus liber sit, et suæ potestatis impetus, qui in utramque partem deflectat, nec naturam discernat, sed personam proprie, et hypostasim. Quod cum recte divisus ille, et hominicola Nestorius intelligeret, γνωμῶν, id est sententiarum unitionem libenter in suo dogmate posuit ; ut utramque per alteram hypostasim adstrueret, ac nudum hominem retineret, sententia quadam animi, et libera motione cum Deo Verbo, ut ipse loquitur, conjunctionem habentem : ex qua etiam voluntatum identitatem constituit, sive multitudinem potius, ac magis proprie dixeris : quandoquidem in unaquaque deliberatæ voluntatis motione, quæ particulatim fit, ab imperfectis ad perfecta ferri, et tendere, ac procedere illum existimat. » Qui Maximi locus præclare veterum mentem nobis explicat, qua γνωμικὸν θέλημα segregarunt a Christo, cujus tres causas fuisse deprehendimus : primam, ne hypostases duas cum Nestorio illi tribuerent, propterea quod γνώμη hypostasi sit affixa, sive naturæ per se subsistenti : alteram, ne peccato Christum obnoxium facerent, quatenus γνωμικὴ, et ὑποστατικὴ voluntas hominis, ac creaturæ cujuslibet mutabilis est, et versari in partem utramque ex sese potest : tertiam superius ex Maximo eodem attulimus [2], ne inscitia laborasse Christum putemus; qui inquisitione et consultatione opus habuerit : quandoquidem γνώμη consultatione posterior est, uti prior electione. Quem locum Maximi describit Joannes Damascenus [3], et ob hanc causam in Christo, ut et in Deo, neque προαίρεσιν, neque γνώμην proprie inesse scribit.

X. Verum ut hac de re certi aliquid habeatur, relegenda sunt ea, quæ de libero Dei arbitrio plenius exposita sunt alibi [4] : ubi ex S. Thoma, aliisque demonstravimus, ita inesse Deo voluntatem liberam, ut iis careat imperfectis, ac creatarum rerum propriis affectionibus, quæ ignorantiam, et id genus alia redolent : quibus segregatis, illa sola retinenda sunt, quorum notiones ab tantæ majestatis excellentia neutiquam abhorrent ; ut in tomo primo, cum de divinis proprietatibus ageretur, et passim alias docuimus. Hoc modo neque consilium, neque delectus, neque γνώμη, neque προαίρεσις, neque ceteræ liberi arbitrii functiones, quæ in usu illius expromuntur ab hominibus, a Deo erunt abjudicandæ ; dummodo « absque omni defectu accipiantur, qui invenitur in nobis, » ut scribit S. Thomas [5]. Atque hoc ipsum de homine Christo multo est magis intelligendum. Hujus enim voluntas vere humana fuit, et idcirco omnibus illis proprietatibus affecta, quæ ad humanæ libertatis essentiam pertinent : cujusmodi est τὸ ἀδιάφορον illud, quale in secundo capite libri hujus expositum est; sine quo nulla potest libertas consistere, ac ne informari quidem animi ulla cogitatione ; tum ex pluribus certi alicujus electio ; cetera denique ad libere agendum necessaria, inter quæ γνώμη numeratur.

In quo meminisse hujus oportet, quod diximus in tertio libro de Opificio, et in quinto tomi primi, ubi de libero arbitrio tum universe, tum divino egimus : libertati, quam *contrarietatis* vulgo nuncupant, non ea tantum subjici, quæ proprie inter se pugnant, ut bonum et malum, turpe et honestum ; sed omnia præterea, quæ utcumque voluntati ad

(1) Maxim. lib. de Duab. vol. apud Euth. Pan. tit. 18. pag. 658. Τὸ δὲ (γνωμικὸν θέλημα) αὐθαίρετος ὁρμὴ καθέστηκε, τὰς ἐφ' ἑκάτερα ποιουμένη παρεκτροπὰς, καὶ οὐ φύσεως ὑπάρχον ἀφοριστικὸν, ἀλλὰ προσώπου κυρίως καὶ ὑποστάσεως. Καὶ τοῦτο διαγνοὺς ὁ διῃρημένος, καὶ ἀνθρωπολάτρης Νεστόριος γνωμῶν ἕνωσιν ἀσμένως ἐδογμάτισεν· ἵνα ἑκατέραν δι' ἑκατέρας ὑπόστασιν κυρώσῃ, καὶ ὁ ψιλὸς ἄνθρωπος αὐτῷ τηρηθῇ, γνώμῃ τινὶ, καὶ αὐθαιρέτῳ κινήσει πρὸς τὸν Θεὸν Λόγον, ὡς αὐτός φησι, τὴν ἕνωσιν ποιησάμενος. Ἐξ ἧς καὶ τὴν ταὐτοβουλίαν συνίστησιν, ἢ πολυβουλίαν εἰπεῖν οἰκειότερον, ὅσον καὶ καθ' ἑκάστην τοῦ γνωμικοῦ θελήματος κίνησιν, κατὰ μέρος ἐκ τῶν ἀτελῶν ἐπὶ τὰ ἐντελῆ κατ' αὐτὸν ἵεται φερομένη τε, καὶ προκόπτουσα.

[1] Ecthesis Herac. in Lat. Syn. sub Mart. Papa recitata Secret. 4. p. 697. B. 2. — [2] § 6.

[3] Lib. 3. c. 14. p. 222. — [4] Tom. 1. lib. 5. c. 4. maxime § 5. — [5] In 2. 2. q. 14. art. 1. ad 2.

eligendum proposita inter se comparantur. Hic enim modus quidam est oppositionis, dum ex duobus utrum sit anteponendum vel deliberatur re adhuc integra, et incerta ; vel consilii, ac deliberationis simile aliquid exprimitur : quod in Deo plerumque litteræ divinæ ad humanæ intelligenti captumæ accommodate significant. Hujus illustre specimen extat in tertio libro Regum [1] : in quo divinæ consultationis formula prorsus ad humanam consuetudinem adumbrata legitur. Quamobrem omni peccati ac vitii, tum vero inscitiæ contagione sublata, (quam in γνώμῃ et προαιρέσει Christo detrahenda veteres devitare studuerunt) nihil causæ superesit, quin ut Deo, ita Christo omnia illa libertatis humanæ propria vindicentur.

CAPUT OCTAVUM.

Non solum voluntates in Christo fuisse duas, sed etiam liberas, et indifferentes utrasque, nec ulla necessitate determinante constrictas ostenditur. — 1. Duo in voluntate spectari, quod natura sit, et liberum arbitrium. Proponitur difficilis quæstio quomodo in Christo vere libera voluntas constiterit ex veterum opinione, qui solas naturales voluntates illi tribuerunt; non γνωμικάς. — 2. Respondetur ei quæstioni, atque imprimis docetur affectiones omnes naturales, et appetitiones in Christi libera fuisse potestate, ex quo summa illius libertas colligitur; — 3. tum etiam hypostaticas liberas fuisse. — 4. Cujusmodi Christum habuisse monstratur. — 5. Huic libertati Christi non obstare ejusdem impeccantia ; et novi dogmatistæ notantur. — 6. Itaque quæstio proponitur, quomodo Christus liber, et indifferentiæ voluntatis præditus esset, cum paternæ in omnibus voluntati paruerit. Et respondetur, nullum ei absolutum mortis obeundæ præceptum impositum fuisse. — 8. quod deinceps auctoritate Patrum adstruitur. — 12. Ex quibus tota quæstio deciditur.

I. Si recte, vereque constituta illa sunt, quæ de libertatis natura superioribus capitibus, et aliis in libris asseruimus, dubitare nemo poterit, uti voluntates fuerunt in Christo duæ, una divinitatis, altera humanitatis propria, easdem libere agentes, et necessitate solutas extitisse. In quo merito illud observandum venit, quod ex S. Thoma alibi notavimus[2], duo in voluntate spectari; alterum, quod est natura ; alterum quod est libera voluntas, sive arbitrium liberum. Priore modo considerata voluntas, necessariam boni habet appetitionem ; quia nonnisi bonum amplecti potest, et ut alia quævis naturalis facultas objecti sui finibus, sic illa boni amore circumscribitur. Ut autem liberum arbitrium est, et ea, quæ ad finem ultimum conducunt, ac vocantur *media,* persequitur, expers est necessitatis in agendo, et quod vult unum e pluribus vi ac nutu liberæ propensionis asciscit. Ad priorem voluntatis notionem, qua natura dicitur, revocandum est φυσικὸν illud θέλημα, quod ab ὑποστατικῷ distinxisse græcos theologos, capite superiori dixi [3]; quos quidem naturalis voluntatis nomine comprehendisse docui, præter δύναμιν, et facultatem ipsam a natura inditam, actiones minime liberas, et ex hujus fontibus sine ulla deliberatione manantes: quæ naturales propterea vocatæ sunt, quia naturam comitantur, et in omnibus cernuntur individuis, quæ sub eadem forma continentur. Ejusmodi sunt primigeniæ, ut ita dicam, motiones appetitus, quibus ea procurantur, quæ ad salutem, et conservationem hominis attinent : ac ceteri voluntatis impetus, qui in nobis necessario, ac citra deliberationem oriuntur. Posterius vero genus illud, quod ὑποστατικὸν appellant iidem græci Patres, adæquari cum ea voluntatis significatione videtur, cui ab S. Thoma liberi arbitrii vocabulum imponi diximus. Ex quo mirificum illud, et inopinatum exoritur; videri liberum arbitrium in Christo fuisse nullum : sed quidquid humana voluntate appetiit, necessario se motu ad illud applicasse. Siquidem ὑποστατικὸν θέλημα, quod idem esse censent ac γνωμικὸν, in Christo negant extitisse Patres illi, quos antecedenti capite percensui. At eo remoto, restat φυσικὸν, idemque necessarium, non liberum voluntatis genus. Vides quam justa sit, et attente consideranda illa quæstio; quæ tanto nobis optabilior, ac præsenti disputationi opportunior incidit, quod nulla peræque utilis ad illustrandam Christi libertatem, ejus-

[1] Cap. 22. v. 19.

[2] Tom. 3. lib 3. de Opif. c. 4. § 3. — [3] § 3.

que supra homines ceteros vim ac præstantiam declarandam excogitari potuerit.

II. Quamobrem ut illam nonnihil impeditam quæstionem breviter absolvam; primum de ea voluntate, quam *naturalem* vocant, ita statuo; hanc in Christo non necessariam fuisse, sed liberam, et ex ejus pendentem arbitrio; ut, si vellet, tam naturales necessitates omnes, quam earum appetitiones inhiberet, ac supprimeret. Habuit enim in potestate motus omnes animi, corporisque, qui in nobis necessarii sunt, nec ex voluntate nostra proficiscuntur. De quo nihil amplius explicandum superest hoc in loco : nam copiose tractatum istud est in libro superiore capite 12. Ex quo illud intueri, ac concludere licet, quanto majore ac pleniore liberi arbitrii potestate usus sit Christus, quam homines reliqui : cum in his longe maxima pars facultatum, et actionum ab eorum jure imperioque sit excepta. Quo illa sane Domini sententia refertur [1] : *Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* Necnon hæc altera [2] : *Neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum.* At in Christo naturales omnes motiones, et quidquid necessitate agimus, aut patimur, ad nutum voluntatis est liberæ transactum : uti fames, sitis, lassitudo, mors ipsa denique, quorum nihil nisi volens, ac permittens expertus est.

III. Altera porro voluntatis species, quæ ὑποστατικὴ vocatur, et γνωμικὴ, quam Christo detrahunt Patrum aliqui, quatenus tamen in illo extitit, liberrima fuit. Nam suo quodam et proprio modo extitisse diximus in proxime antecedenti capite; hoc est imperfectis omnibus, ac minime congruentibus secretis affectionibus : ut in rebus agendis, libere quod vellet, ac quod conducibile judicaret, ex multis eligeret, nec ulla vi quod nollet cogeretur suscipere; nulla item necessitate ad unum determinante traheretur; in iis duntaxat, quæ naturaliter liberi arbitrii potestati subjecta sunt : cujusmodi censentur ea, quæ citra finem ultimum consistunt, et *media* nominantur. Etenim liberæ vis voluntatis, et usus indifferentis arbitrii circa summum bonum nullus est omnino, ut ex S. Thoma alias docuimus. Ideo nec in Christo talis esse potuit; cujus mens ac voluntas, summæ compos ultimæque felicitatis, in Dei contuitu et amore immobiliter acquiescebat. In reliquis plena illi libertas electionis constitit, non solum ea, quam *contradictionis* nuncupant, qua facere, aut non facere possumus, sed etiam altera, quæ dicitur *contrarietatis*; non ut inter honestæ rei ac turpis appetitum velut media suspenditur, sed quatenus ex bonis pluribus quod libitum est optare ac persequi potest, ut in eodem capite superiori meminimus.

IV. Hanc in Christo voluntatem extitisse, nec solam φυσικὴν, atque in ceteris hominibus necessariam, argumento hoc approbare licet. Cum enim hypostasi propria sibi facta, et ab reliquis hominibus diversa homo iste substiterit, necesse est communem in ipso naturam certa illa proprietate modificatam, ac determinatam fuisse. Atqui personalis proprietas non naturam solam, sed etiam motiones ejus omnes, et actiones afficit, ac denominat; ut non homini duntaxat naturæve communi; sed huic etiam individuo naturæque tribuantur. Hinc illud scholarum usu detritum, *Actiones esse suppositorum*, hoc est naturarum particularium, ac subsistentium. Igitur ut ceteræ humanæ Christi naturæ functiones, sic voluntates determinatæ, et hypostaticæ fuerunt, tum vero liberæ : utpote revera humanitatis propriæ, et nostrarum, citra peccati labem, similes.

Demonstrat hoc erudite Maximus in disputatione cum Pyrrho; ubi Christi voluntates duas affirmat; easque αὐτεξουσίους, id est juris, et arbitrii sui. Quo vero illud argumento probat, idipsum de ὑποστατικῇ, et γνωμικῇ, sive προαιρετικῇ voluntate magis procedit, quam de φυσικῇ. Sic enim disputat : « (1) Cum volens Adamus obediverit, (uxori scilicet, aut diabolo,) et volens contemplatus sit, et volens comederit, sequitur primam in nobis affectam esse voluntatem. Hanc autem una cum natura nostra non assumpsit, ut isti putant, Verbum incarnatum. Igitur ego a peccato non sum liberatus. Quod si a peccato non sum liberatus, non sum salutem consecutus : quoniam quod non est assumptum, non est curatum. » Rursus alio id argumento demonstrat : quod opus Dei sit libera potestas humanæ naturæ; quam proinde insuper habere, ac relinquere non potuit in

(1) MAXIM. disp. pag. 693. Εἰ γὰρ θέλων ὁ Ἀδὰμ ὑπήκουσε, καὶ θέλων ἐθεώρησε, καὶ θελήσας ἔφαγεν, ἄρα πρωτοπαθὴς ἐν ἡμῖν ἡ θέλησις. Ταύτην δὲ μετὰ τῆς φύσεως, κατ' αὐτοὺς, οὐ προσείληφεν ὁ Λόγος ἐνανθρωπήσας. Οὐκ ἄρα ἐγὼ χωρὶς ἁμαρτίας γέγονα. Εἰ δὲ ἐγὼ χωρὶς ἁμαρτίας οὐ γέγονα, οὐκ ἄρα ἐσώθην· εἴπερ τὸ ἀπρόσληπτον, ἀθεράπευτον.

[1] Matt. 6. 27.

[2] Matt. 5. 36.

assumenda hominis natura Deus Verbum; ne aut opus suum damnare, aut ei salutem invidere putaretur. Hæc utraque ratio non minus ὑποστατικὴν, et γνωμικὴν voluntatem assumpsisse Dei filium, quam φυσικὴν ostendit. Quippe naturalis est illa proprietas hominis, opusque Dei; atque uti peccato primi parentis maxime est infecta, ita curari potissimum debuit. Vide Joannem Damascenum libro tertio, capite 14.[1] ubi αὐτεξούσιον voluntatem in humana Christi natura fuisse adstruit, eamque necessitatis expertem; quod iisdem illis Maximi argumentis approbat. Cujusmodi autem αὐτεξούσιον θέλησιν Joannes Damascenus esse velit, docuit in libro secundo, capite 22. et aliis in locis; et nos ex eodem sæpius exposuimus[2]. Nimirum, ut paucis exequar, talem esse dicit, ut propria illius actio sit προαίρεσις, id est electio, quæ circa *contingentia*, et ea, quæ fieri possunt, aut non fieri, nec determinata sunt, ac necessaria, versatur.

Idipsum et Amphilochius affirmat in epistola ad Pancharium diaconum, « (1) Christum esse libero arbitrio præditum, et ab omni necessitate liberum. » Sic Ambrosius[3], « Non utique, ait de Christo loquens, alieni fuit executor imperii, sed voluntarii liber arbitrii. »

V. Verum huic ipsi libertati, qualem in Christo fuisse volumus, intercedere videtur ejusdem *impeccantia* (sic enim appellemus licet eam, quam Græci ἀναμαρτησίαν nominant) quæ hoc effecit, ut contra Dei voluntatem, ac præceptum, nullo modo venire potuerit. Cum igitur[4] *quæ Deo placita erant fecerit semper:* et[5] *qui misit eum Pater, ipse ei mandatum dederit, quid diceret, et quid loqueretur:* non integrum habuit secus quam erat præscriptum agere, ac proinde nec deliberare, aut eligere quid potissimum vellet. Id enim præfinitum, ac determinatum a Patre jam præ oculis habebat. Sic eo res demum recidit, ut aut libere nihil fecerit Christus; quia necessitas hunc obsequendi unicuipiam adstrictum tenebat, ut potestate careret alterius: aut cum necessitate, ac determinatione possit libertas arbitrii consistere. Posterius hoc libenter amplexi sunt nuperi dogmatistæ, qui cum sola vi, et cogente necessitate pugnare libertatem existimant: non autem cum absoluta, sed spontanea; cujusmodi amor est, quo se Deus, vel hunc beati diligunt. Ex quo iidem τὸ ἀδιάφορον, hoc est indifferentem utriusque potestatem, negant ad arbitrii libertatem necessario pertinere; imo vero sine illa tum in Deo, beatisque mentibus inesse, tum in Christo quamdiu in terris degebat, extitisse. Ac præcipuum ex hoc etiam argumentum instituunt, quo universe suum illud, quod dixi, de libertatis natura decretum approbant. Facit hoc præ ceteris ejusdem sectæ maledicus apologista, qui adversus illustrissimum dominum Habertum Vabrensem episcopum de ea quæstione disputans, hoc potissimum telo catholicam aggreditur Tridentinam de libertate sententiam; quasi justa et probabilis causa sit, cur ab vero et Christiano dogmate discedas, quod hujus defensio magnis sit obsepta difficultatibus, quibus explicare te difficile possis. Sed non sunt tanti quæ vel ab isto satyricæ Apologiæ scriptore, vel ab aliis opponi solent, ut propterea vadimonium deseri oporteat. Ac pleraque plus minusve solerter apteque sunt excogitata ab eruditis theologis, ut salvo fidei decreto, liberi, in obeunda morte præsertim, arbitrii potestas in Christo statueretur. Quæ, quia legi apud illos, perpendique possunt, non habeo necesse hoc loco memorare. Quod unum itaque præstare opere in isto debeo, exequi conabor; ut quod Scripturis, ac veterum decretis Patrum maxime consentaneum hac in quæstione sentio, id exponam, et illustrem.

VI. Quæsitum est quo tandem modo liber et αὐτεξούσιος Christus Dominus fuerit, cum præter mandatum paternum facere nihil omnino potuerit; omnium vero, quæ erant agenda, præscriptum aliquod, et mandatum acceperit. Huic nos occurrimus sic: præceptum illud, et mandatum, quod Christo Pater edidisse dicitur, velut de perferendis suppliciis, ac luenda morte, non absolutum imperium videri fuisse; sed simplicem significationem consilii, ac voluntatis suæ, qua multa illi proponebat Pater ad humanam recuperandam salutem remedia, ex quibus quod vellet eligeret adeo, ut quidquid ex omnibus capesseret, id sibi gratum esse, ac placere monstraret, proindeque mandante se, ac præcipiente faceret.

Non fuisse præcepti necessitate aliqua circumscriptum Dominum Jesum, docere ipsemet videtur, apud Joannem ita loquens[6]: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso: et potestatem habeo ponendi eam; potestatem*

(1) AMPH. Αὐτεξούσιον, καὶ ἐνεργῆ, καὶ πάσης ἀνάγκης ἐλεύθερον.

[1] Pag. 219. et seq. — [2] Lib. 3. de Opific. c. 5. et hoc l. cap. 1 § 6. — [3] Lib. 2. de fide c. 4. col. 140. L. — [4] Joan. 8. 29. — [5] Joan. 22. 49. — [6] Joan. 10. 17.

habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo. In his verbis, cum se habere dicit ἐξουσίαν, id est *potestatem ponendi animam suam,* ex proprietate nominis intelligendum est, utriusvis amplectendi liberam ei optionem fuisse, non unius duntaxat. Nec enim potestatem, vel ἐξουσίαν homini datam esse quisquam sanus ac sobrius dicat, naturalis aliquando subeundæ mortis : vel, si ex alto præcipitet, in terram cadendi : vel eum denique, qui vinculis alligatus in carcere detinetur, potestatem illic habere manendi. Hæc enim ridicula sunt. At quorsum ridicula ? Nonne ideo, quod non fert communis sensus, ususque loquendi, ut in potestate nostra, vel arbitrio positum esse dicamus aliquid, quod unum penitus nobis est relictum, aliorum omnium facultate detracta ? Cum ergo Christus potestatem habere se dicat mortis obeundæ, eamque se ab semetipso, id est suapte voluntate, suscipere ; proculdubio demonstrat liberum sibi, integrumque fuisse, utrum mallet e duobus eligere, ut aut moreretur, aut se morti subtraheret.

VII. Hunc locum ita Joannes Chrysostomus enarrat, ut *potestatem habere ponendi animam suam*, sit idem, « (1) ac dominum esse ponendi: quod non est in nobis positum. » Atqui mori necesse nobis est, et si hoc libertati non est adversum, etiam in nostra potestate esse, negari non debet. Deinde quod mandatum moriendi a Patre Christus accepisse se dicit, id sic interpretatur, ut sit, « (2) placere illi, quod ego facio. » Ac subinde præceptum negat proprie dictum istud fuisse; quo nihil opus haberet. « (3) Nam si præcepto fuisset opus, quid attinebat illum dicere, a meipso pono ? Quippe qui a seipso ponit, nihil habet opus præcepto. »

Sic in epistola ad Hebræos Apostolus [1] : *Qui proposito sibi gaudio*, inquit, *sustinuit crucem, confusione contempta.* Quod sic idem exponit Chrysostomus : « (4) Hoc est, licebat ipsi nihil perpeti, si voluisset. Et potestatem habebat, si voluisset, crucem non adire. » Theodoretus item, « (5) Poterat, *inquit*, non pati, si ita voluisset. » Theophylactus quoque, necnon Œcumenius similiter exponunt. Atque hujus maxime verba ponderanda sunt : « (6) Licebat, *ait*, ipsi cum gloria, et gaudio in mundo degere. Quippe ita loquitur, Potestatem habeo ponendi animam meam, et accipiendi ipsam. Verum hoc noluit, sed sponte crucem sustinuit. »

Sic ad illa capitis decimi quinti epistolæ ad Romanos [2], *Etenim Christus non sibi placuit*, etc. Chrysostomus hæc adnotat : « (7) Licebat ipsi non perpeti probra : licebat non ea pati, quæ passus est , si quod sua intererat spectare vellet. Verumtamen id facere noluit. Sed quod nobis expediebat considerans, quod ad se pertinebat, neglexit. » Quibus Græci ceteri consentiunt.

Ad hæc Cyrillus Alexandrinus tam hoc de morte perferenda, quam alia, quæ præcepta nominantur, proprie esse præcepta negat ; sed quæ in mente, arcanoque consilio Patris inesse sciret, tanquam mandata sibi forent, sponte sua executum fuisse : cujus hic verba subjiciam. « (8) Quandoquidem, *ait*, ista sustinuit, Deus ipsum superexaltavit. Igitur habes in voluntaria subjectione, paternorum consiliorum executionem, quæ et mandatorum loco apud se esse, in ea quam ad illum habuit oratione Filius asserit. Nam cum, utpote Verbum, consilia Patris intelligeret, et genitoris sui profunda scrutaretur ; sive potius cum sit ipse sapientia Patris, et virtus, quod huic visum est reipsa præstat, et loco præcepti habet. »

(1) CHRYS. hom. 60. in Joan. pag. 805. Τουτέστιν, ἐγὼ μόνος εἰμὶ κύριος τοῦ θεῖναι αὐτήν· ὅπερ ἐφ' ἡμῶν οὐκ ἔστι.

(2) Ibid. Οὕτω καὶ ἐνταῦθα ἐντολὴν εἰληφέναι παρὰ τοῦ Πατρὸς εἰπὼν, οὐδὲν ἄλλο ἐμφαίνει, ἢ ὅτι ἐκείνῳ δοκεῖ τοῦτο, ὃ ἐγὼ ποιῶ.

(3) Ibid. pag. 806. Εἰ γὰρ ἐντολῆς ἐδεῖτο, πῶς ἔλεγεν, ἀπ' ἐμαυτοῦ τίθημι; ὁ γὰρ ἀφ' ἑαυτοῦ τιθεὶς, οὐ δέεται ἐντολῆς.

(4) CHRYS. hom. 28. in epist. ad Heb. pag. 572. Τουτέστιν, ἐξῆν αὐτῷ μηδὲν παθεῖν, εἴπερ ἐβούλετο.

(5) THEOD. ad cap. 12. epist. ad Heb. Ἠδύνατο, φησὶ, μὴ παθεῖν, εἴπερ τοῦτο ἠθέλησεν.

(6) ŒCUM. in id. cap. Ἐξῆν αὐτῷ, φησὶ, μετὰ δόξης, καὶ χαρᾶς διάγειν ἐν τῷ κόσμῳ. Ἐξουσίαν γὰρ, φησὶν, ἔχω θεῖναι την ψυχήν μου, καὶ λαβεῖν αὐτήν. Ἀλλ' οὐκ ἠβουλήθη, ἀλλ' ἑκουσίως ὑπέμεινε σταυρόν.

(7) CHRYS. in cap. 15. 3. ep. ad Rom. Ἐξῆν αὐτῷ μὴ ὀνειδισθῆναι, ἐξῆν μὴ παθεῖν, ἅπερ ἔπαθεν, εἴγε ἤθελε τὸ ἑαυτοῦ σκοπεῖν. Ἀλλ' ὅμως οὐκ ἠθέλησεν· ἀλλὰ τὸ ἡμέτερον σκοπήσας, τὸ ἑαυτοῦ παρεῖδε.

(8) CYRIL. in lib. 10. in Joan. pag. 882. Ἐπειδὴ δὴ ταῦτα ὑπέστη, φησὶν, ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσεν. Οὐκοῦν ἔχεις, ἐν μὲν τῇ κατὰ θέλησιν ὑπακοῇ τῶν τοῦ Πατρὸς βουλευμάτων τὴν πλήρωσιν, ἃ δὲ ἐν τάξει ἐντολῶν φησι γενέσθαι πρὸς αὐτὸν ὁ Υἱός. Συνεὶς γὰρ ὡς Λόγος τὰ ἐν Πατρὶ σκέμματα, καὶ τοῦ τεκόντος αὐτὸν τὰ βάθη διερευνώμενος, μᾶλλον δὲ αὐτὸς ὑπάρχων ἡ σοφία, καὶ ἡ δύναμις τοῦ Πατρὸς, εἰς ἔργον ἄγει δόξαν, εἰς τόπον αὐτὸ τιθεὶς ἐντολῆς.

[1] Hebr. 12. 2.

[2] Rom. 15. 3.

VIII. Quocirca græci illi Patres nullum Christo præceptum proprie dictum a Deo Patre censent editum fuisse; sed illum sponte, ac voluntate libera, quod gratum esse Patri noverat, egisse ac passum fuisse: adeo ut *mandati* vox τὴν εὐδοκίαν, id est consensum voluntatis, significet; quemadmodum etiam intellexisse videtur Ambrosius libro quarto de Fide, capite quinto, ubi inter alia: « Sicut potestatis, *inquit*, suæ esse significat ponere animam, et liberæ voluntatis: ita etiam quod secundum mandatum deposuit Patris, suæ, ac paternæ voluntatis significat unitatem. » Atque hic cum paterna voluntate consensus in Deo Verbo, atque Filio, nonnunquam iis vocabulis declaratur a Patribus, quæ obedientiam, et obsequium significant. Ut cum imperasse Patrem Filio dicunt, uti mundum crearet, vel ut carnem susciperet. Quorum prius multis antiquorum testimoniis illustratum est in libro secundo de Trinitate [1]; posterioris, quo incarnari Filium jubet, exemplum suppeditat modo Paulinus in panegyrico Celsi pueri, ubi sic canit:

Interea Pater ipse polo miseratus ab alto
Errantum lapsus pestiferos hominum,
Serpentemque truci dominantem in morte cadentum,
Non tulit, et Natum misit ad omne bonum.
Paruit ille libens, Deus omnia cum Patre concors
Communem curans rem pietate pari:
Advenit, et fit homo, et mistum perfectus utroque
Ostendit fragili carnis inesse Deum.

Hic igitur, et similibus in Patrum sententiis, quos constat catholice de Christi divinitate sensisse, imperium ac mandatum illo, quem diximus, sensu nihil vetat intelligi, ut Filium paterno mandato paruisse, nihil aliud sit, quam cum eo fuisse consentientem, ejusque consilium, ac decretum, quod cum natura et essentia ex omni æternitate communicatum sibi a Patre genitus accepit, executum esse pari cum eo auctoritate ac potestate. Nam « in Verbo unigenito Patris est omne mandatum; et Filio, quem perfectum genuit, omnia gignendo dedit, » ut ait Augustinus [2]. Sed hoc de Verbo ipso, et divina Christi natura duntaxat intelligi oportet. Idem vero, quatenus homo est, non eodem modo vel mandatum accepisse, vel ei paruisse dicendus est: verum utrumque in tempore significatum, oblatumque sibi sponte, ac voluntate suscepisse.

IX. Etenim nullam ei moriendi, vel supplicia luendi necessitatem impositam fuisse, declarat idem Augustinus libro de fide contra Manichæos, capite 26. [3] ex illis ipsius verbis: *Potestatem habeo ponendi animam meam*, etc. Quanquam de hoc libro utrum Augustini sit germanus ambigi video. At istud ipsum alibi non dubius Augustinus eodem ex Joannis loco colligit [4]. « Demonstravit, *inquit*, spiritus Mediatoris, quam nulla pœna peccati usque ad mortem carnis accesserit, quia non eam deseruit invitus; sed quia voluit, quando voluit, quomodo voluit. » Et in libro Octoginta trium quæstionum, quæstione octogesima, dicit, « Christum sic passiones animi, hoc est affectiones, voluntatis dispensatione, veras tamen, ut placuit, suscepisse, quemadmodum passiones corporis eadem dispensationis voluntate, sine ulla necessitate suscepisse. »

Sic in appendice tomi decimi sub Augustini nomine Sermo 52. « Nulla necessitate, *ait*, sed propria voluntate in ligno se suspendi permisit, clavis corpus suum perforari non renuit, animam ponendo mortem sustinuit, etc. » Item Arnobius in Psalmum 27. « Omnia, quæ passus est, *inquit*, pro voluntate sua passus est, sicut ipse ait, Potestatem habeo ponendi animam meam, etc. »

Leo quoque Romanus papa [5], « Quidquid Domino illusionis, *ait*, et contumeliæ, quidquid vexationis et pœnæ intulit furor impiorum, non de necessitate toleratum, sed de voluntate susceptum est. »

X. Anselmus vero diserte Christum asserit nullum a Patre moriendi accepisse mandatum, ut ei necessitas quæpiam imponeretur; sed sponte ac libere illud ab ipso esse susceptum, quod sic explicat. Cum ait Christus [6], *Non sicut ego volo, sed sicut tu*: et *Fiat voluntas tua*, hoc modo dictum interpretatur [7]: « Voluntatem vero Patris dicit, non quoniam maluerit Pater mortem Filii, quam vitam: sed quia humanum genus restaurari nolebat Pater, nisi facere homo tam magnum aliquid, sicut erat mors illa; quia non poscebat ratio, quod alius faceret non poterat. Idcirco dicit Filius illum velle suam mortem, quam ipse maluit pati, quam ut genus humanum non salvaretur; ac si diceret: Quoniam non vis aliter reconciliationem mundi fieri, dico te hoc modo velle mortem meam, fiat ergo voluntas tua, id est fiat mors mea, ut mundus tibi reconcilietur. Nam sæpe aliquem velle dicimus aliquid, quia non vult aliud, quod si vellet, non fieret illud,

[1] Cap. 7. § 7.— [2] Aug. tr. 48. in Joan. in calce.— [3] Joan. 10. — [4] Aug. l. de Trin. 4. c. 13.

[5] Ser. 3. de Pass. c. 2. — [6] Matt. 26. — [7] Ansel. l. 4. Cur Deus homo c. 9.

quod dicitur velle : ut cum dicimus illum lucernam velle extinguere, qui non vult fenestram claudere, per quam ventus introit, qui lucernam extinguit. Sic ergo voluit Deus Pater mortem Filii, quia non aliter voluit mundum salvare, nisi homo tam magnum aliquid faceret, ut jam dixi. Quod Filio volenti salutem hominum tantumdem valuit, quoniam hoc alius facere non valebat; quantum si illi mori præciperet : unde ille, sicut mandatum dedit illi Pater, sic fecit, et calicem, quem dedit ei Pater, bibit obediens usque ad mortem. » Quod in sequenti quoque capite repetit.

XI. Ad hæc Philippus abbas Bonæ Spei, qui eodem, quo Anselmus seculo vixit, et Bernardi fuit æqualis, in epistola septima [1], Christum libere mortuum esse dicit, ita ut, si voluisset, non esset mortuus. « Liber autem a debito, *inquit*, id est, tam pœna, quam peccato, cum posset non mori; non solum si Deo, sed etiam si ipsi homini complaceret; elegit tamen mori, ut æternæ nostræ mortis debitum aboleret. Reddens quippe quod non debuerat, solvens quod non rapuerat, quia elegerat Adam mori, elegit etiam ipse mori, ut par pari referret. »

Ita etiam Rupertus in calce libri decimi commentariorum in Joannem, Christum existimat sponte, ac citra necessitatem ullam mori voluisse, cum mortem vitare posset; nec Patrem de eo aliter statuisse, quam ut, si mortem obire vellet, tum ipse resurgens de illa gloriose triumpharet, tum alios ejusdem acquireret gloriæ, ac triumphi participes. Sic autem scribit [2] : « Sed ego, *inquit*, a meipso, scilicet spontanea morte moriendo, pono eam in manu Patris, dicens, Pater in manus tuas commendo spiritum meum, videlicet antea præfinita conditione hac, ut si ego talentum hoc, id est, animam meam, pro sanctificatione antiquæ prævaricationis persolvam, et ipsam et cunctas ovium mearum animas, Patre annuente, recipiam. Itaque propter morti nihil debentem innocentiam, potestatem habeo ponendi, vel non ponendi animam : quod si posuero eam, consequenter propter interpositæ conditionis justitiam, potestatem habeo sumendi eam, scilicet ut resurgam, et omnes mihi consurgere faciam. Forte dicis : Quare ergo pones pro ovibus animam tuam, cum potestatem habeas etiam non ponendi eam ? Ad hæc ille : Hoc mandatum accepi a Patre meo. Quod est hoc mandatum nisi charitas ? »

XII. His igitur veterum theologorum placitis mea consentanea est opinio : primum nullum absolutum a Patre mandatum accepisse Christum, quo ei necessitas allata sit, aut alterius erepta potestas; quæ in illo profecto non fuisset, si simplex, ac præcisum rei cujuslibet faciendæ præceptum esset impositum. Quamobrem exceptis iis, quæ ad finem ultimum proxime pertinent, ut est amor Dei, quem *beatificum* Scholæ nuncupant, tum etiam odio fugaque peccati, quod nullum omnino potuit admittere, uti postea demonstrabitur, ac reliquis ejusdemmodi, liberam et solutam ab omni necessitate facultatem habuit eligendi quod mallet. Ut enim Deus in iis, quæ extra se molitur, liberrimo utitur arbitrio, et indifferentem obtinet cujusvis eligendi, ac designandi potestatem; nec eam impedit, aut minuit perfectissima notitia ejus, quod magis aut minus expedit; ita neque de Christi libertate decerpsit aliquid, quod liquida, et perfecta notione res omnes, earumque causas, et principia cerneret; tum quid ex quo consequens esset, quaque serie inter se connexa forent, et colligata singula cognosceret. Quo sane disputatio illa pertinet, ac legi omnino debet, quam alibi instituimus [3] adversus aliquos, qui Deum neque aliud, quam quod reipsa creavit, efficere, neque perfectiora, quam condidit, potuisse facere dixerunt. Quorum hæc fuit ratio, quod Deus uno ac simplici contuitu quid factu esset optimum intelligeret; nec aliud, quam quod ejusmodi esse judicaret, posset asciscere. Verum hæc a nobis merito reprobata est opinio. Nam neque Deus id semper agit, quod absolute optimum est, ac perfectissimum, neque ulla est tam parvi æstimanda res, quæ non ad certos usus, opportunitatesque comparata, anteferri possit præstantiori alioquin alteri. Insunt autem in rebus, præsertim inter se collatis, ac se mutuo respicientibus, infinitæ rationes ejusmodi, ob quas præferri aliis, postponique debeant : quod ibidem uberius explanatum invenies. Videnda sunt etiam, quæ in secundo hujus operis libro, capite decimo tertio diximus de necessitate incarnationis, passionisque Christi; quam non tantam fuisse monstravimus, ut non aliter provideri humano generi potuerit.

XIII. Igitur quod antiqui illi diserte asserunt, lege nulla, præceptove paterno Christum Dominum obligatum fuisse, addictumque morti, ac supplicio; sed [4] *oblatum esse*

[1] Pag. 36. col. 2. — [2] Ruper. lib. 10. in Jo. p. 369.

[3] Tom. 1. lib. 5. c. 6. § 11. et 16. — [4] Isa. 53. 7.

quia voluit, ut de eo Propheta prædixit; id equidem sic interpretor. Patrem arbitror Deum homini Christo varios modos ostendisse, quibus recuperari salus humana posset, et alios aliis certa ratione consideratione-que potiores, et optabiliores. Aut enim exempli causa, licere sola et gratuita condonatione vel levi ac perfunctoria opera redimere hominem, nullo labore, cruciatuque suo; aut si ad exactæ, accuratæque justitiæ regulam satisfacere vellet, hoc quod reipsa fecit persequi potius. Ex his igitur, et aliis innumeris rationibus, quas in arcana Patris mente latentes intuebatur, uti quam mallet optaret, integrum fecit illi divina bonitas; adeo ut, quamcumque capesseret, gratam esse sciret, et acceptam, ac voluntati suæ consentaneam; nec defuturum obedientiæ meritum, cum id quod vellet Deus et Pater, non tamen absolute, sed conditionate præciperet, quatenus homo erat, Christus exequeretur. Neque enim vel nulla, vel minus perfecta constat obedientiæ virtus, si non severe aliquid imperatur, eoque modo, ut secus, quam præscriptum fuerit, agere citra culpam non liceat. Hoc enim obsequendi genus esse omnium infimum ab vitæ spiritalis magistris merito decernitur : et S. Thomas aperte significat [1], « tanto videri perfectiorem obedientiam, quanto expressum præceptum obediendo prævenit inferior, voluntate superioris intellecta. » Prorsus ergo Patribus illis assentior, qui mandatum ac præceptum, cui ad mortem usque Christus obtemperasse dicitur, non legem aliquam præstitutam ac definitam fuisse volunt, sed εὐδοκίαν, id est consensionem , ac promptam ejus, quod Deo placitum noverat, effectionem.

Nam et *conditionatum* alioqui præceptum, nihilominus præceptum est, velut Christo datum fuisse censet Anselmus, hac videlicet lege, ut, si homines redimere vellet, pro illis mortem toleraret. Et innumeræ aliæ conditiones eidem latæ probabiliter excogitari possunt; quod non est necesse.

Postremo nec illud improbabile est, quod mihi aliquando venit in mentem; potuisse Christum eodem momento quo paternum de redimendo genere humano consilium, sine ullo præciso mandato cognovit; ab eodem ultro petere, ut quod suæ voluntati, electionique permittebat, sibi hoc accuratiore imperio præciperet, quo tanto demissiore, et humiliore obsequio fungeretur. Nam utrumque sic obtinebimus, ut et liberrima optione Christus mortem per tot cruciatus obeundam susceperit, et in hoc ipso *strictæ*, ut vocant, ac rigidæ obedientiæ partes impleverit.

CAPUT NONUM.

1. An duæ fuerint in Christo contrariæ voluntates. — 2. Eas ex oratione colligi, qua in horto Patri supplicavit. In qua tamen nodus quidam inest ex Athanasii expositione. — 3. Qui ut dissolvatur, observari debet, ea quæ de Christo dicuntur, vel ratione personæ accipi, vel ratione naturarum. Christi duplex oratio secundum eamdem naturam. — 4. Posteriorem ex persona divinitatis non ab illo fusam esse. — 5. Non fuisse contrarias ambas istas voluntates. — 6. Quod deinceps ex Patribus ostenditur. — 7. Persona humanitatis quo sensu a Patribus usurpetur. — 8. Orationis Christi quædam interpretationes haud ita probabiles ex antiquis allatæ. — 10. Ideo non esse contrarias voluntates in illa oratione Christi, quoniam humana conditionata fuit.

I. Nota fraus et calumnia Monotheletarum, non semel exposita superioribus in libris, qua illudere Christiano dogmati veriti non sunt, ut duas idcirco negare se profiterentur in Christo esse voluntates, ne contrarias admitterent : quasi numerum necessario contrarietas, et pugna sequeretur. Verum nulla cogit ratio, adversari sibi mutuo duas illas ut naturas, ita naturales ambarum actiones, dum ab communi regula, hoc est æterna lege neutra dissideat. Quod quidem accuratius disceptari modo tempus est; idque non multis. Nam pleraque huc spectantia jam in capite sexto, et sequentibus delibata sunt, ubi duas illas Christi voluntates e Scripturis, Patrumque græcorum et latinorum testimoniis affirmavimus : præsertim ejusmodi, quæ conflictum illum, et ἀγωνίαν, ut Evangelista loqui-

[1] In 2. 2. q. 104. art. 2.

tur [1], explicant, quem Christus imminente morte perpessus est. Quod enim ad duas approbandas Christi voluntates evidentissimum ex isto loco deducitur argumentum, idcirco celebri apud antiquos theologos in usu versatur, et nos indidem depromptis illorum sententiis coacti sumus uti, dum eorum decretis ac vestigiis insistimus. Itaque si quibus in locis veterum, quos illic attulimus, solutus hic jam nodus est de contrarietate voluntatum in Christo, non erit impræsentiarum eosdem necesse repetere ; sed ex iis duntaxat, quæ ad propositam quæstionem proprie pertinent, summatim perstringere.

II. Igitur, quod ex illis Patrum sententiis intelligi potuit, hoc imprimis recordari convenit, duas Christi voluntates manifeste colligi ex illa multiplici oratione, qua idem, paulo ante quam comprehenderetur, Patri in horto supplicavit. Sed non est in ea re prætermittendum, posse minus attentis, et acutis lectoribus non levem erroris occasionem dare quædam verba sanctorum Patrum ; ut in illa narratione certaminis orationisque Christi, voluntates ejus duas aliorsum referant, quam ratio et catholica regula patiatur. Siquidem Athanasius in libro de Incarnatione, citatus in sexta Synodo [2], et in hujus libri capite sexto [3], ita voluntates duas accipere videtur, ut altera mortem deprecatus sit, altera promptum se ad illam tolerandam præbuerit : quarum illam, carnis sive hominis, hanc divinam esse dicit. Et addit ad ea quæ illic descripsimus, nonnulla, quæ rem magis declarare videntur ; simile quiddam huic Christi velitationi tum accidisse, cum, ut Matthæi decimo sexto [4] legimus, Petrus Dominum increpavit, quod indigna se ab Judæis passurum esse denuntiasset, *Absit hoc,* inquiens, *a te, Domine.* Cui statim Christus cum indignatione respondit : *Vade post me, Satana; scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominis.*

His ista subjicit Athanasius : « (1) Sic etiam istud intelligendum est ; factus enim in similitudinem hominum, passionem velut homo deprecatur. Idem vero cum Deus esset, et impatibilis in divina substantia, prompto animo passionem, mortemque suscepit. » Videamus nunc quibus in verbis testimonium illud extet passionis, et mortis prompto animo susceptæ. Nempe in illis, quæ Christus statim usurpavit post imploratam paternam misericordiam. *Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat ;* sive hoc modo : *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Hæc igitur divinitatis vox esse debuit, qua se prompto animo mortem testatus sit oppetere. At non Christi ut Dei, sed ut hominis potius, fuisse videtur. Ejusdem enim naturæ fuerit oportet, cujus erat illa vox et voluntas prior, *Transeat a me calix iste ;* quibus verbis voluntas illa continetur mortem detrectans, cui ne assentiatur Pater, subinde rogat : quam utique non qua Deus erat, concepit, explicavitque Christus. Nom enim postularet divinitas Filii, uti non sua, sed paterna voluntas fieret, quæ nonnisi una fuit amborum. Sed nec rogaret quidem ut Deus : quod observatum ab Gregorio Nysseno paulo post referam.

III. Facit enodandæ quæstionis istius ratio, ut hoc animadverti postulem ab erudito lectore : Cum de iis loquimur, quæ Christus egit, aut passus est utriusvis naturæ propria, dupliciter ea, quæ dicuntur, intelligi posse ; vel ratione personæ, vel respectu ad naturas habito : tum posteriorem hunc modum vulgo his, ac similibus formulis exprimi solere : *quatenus homo*, *quatenus Deus*, vel *ut homo, ut Deus*, vel *secundum humanam naturam*, *secundum divinitatem.* Ac prior quidem sensus directus, et absolutus est : ut cum dicimus, hic homo, Dei filius est; vel Deus mortuus est, ac passus. Posterior vero complexus est, et, ut scholæ nominant, *reduplicativus*, sive *formalis.* Non enim simpliciter, vel ex toto se Christus mortuus est, aut æternus Dei filius est, cum ad naturas, ex quibus constat, dicti sententiam referimus. Quippe nec æternus Dei filius est Christus, aut creator omnium, nisi quatenus Verbum est; nec initium accepit a Maria, nisi quatenus est homo. Quod si quis istiusmodi voces [5], *Pater major me est ;* vel [6], *Ego et pater unum sumus*; vel [7], *Antequam Abraham fieret, ego sum ;* non primo, sed secundo modo intelligeret, et utriusque naturæ ratione dictas crederet, vehementer erraret. Non enim vel Christo, secundum di-

(1) ATHAN. lib. de Hum. nat. susc. pag. 477. Οὕτω καὶ ἐνταῦθα νοεῖται· γενόμενος γὰρ ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων, παραιτεῖται τὸ πάθος, ὡς ἄνθρωπος. Θεὸς δὲ ὢν, καὶ κατὰ τὴν οὐσίαν τὴν θεϊκὴν ἀπαθὴς ὑπάρχων, προθύμως ὑπεδέξατο τὸ πάθος, καὶ τὸν θάνατον.

[1] Luc. 22. 44.— [2] Act. 10. p. 124.— [3] § 4.— [4] Mat. 16. 22.

[5] Joan. 14. 28. — [6] Joan. 10. 30. — [7] Joan. 8. 58.

vinitatem, major est Pater; vel unum est cum eodem Patre Christus, secundum humanam substantiam.

Qua constituta regula, facile est discernere quemadmodum Christus Patri supplicans utraque verba dixerit, *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste*; et hæc, *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Si enim personam loquentis consideres, idem ambo protulit Deus, ac Verbum; nec in duos loquentes licet ista dividere. Atque hoc modo Cyrillus quartum anathematismum in eos pronuntiavit, qui dissimiles voces, divinum aliquid humanumve sonantes, in duas partirentur: de personis videlicet loquens. Contra autem Theodoretus in naturas intentus a se invicem differentes, ac dissimiles, acrius in Cyrillum invehitur, ut in sexto libro pluribus dixi. At utraque illa vox, et oratio Christi non secundum naturas duas, sed secundum humanam duntaxat, emissa videtur. Etenim neque Christus, quatenus Deus, sive secundum divinitatem, supplicat Patri, quo non inferior est; neque petere potest ut non sua, sed Patris voluntas fiat: quam non aliam, nec diversam habet a paterna. Quare Christus idem, ut homo, dupliciter orat, primum secundum inferiorem animæ portionem, quæ imminentem mortem exhorrescebat: deinde secundum superiorem ejusdem animæ partem; quæ ab divinitate corroborata, in paternæ voluntatis potestate fuit, et ad eumdem inferiorem quoque transtulit: quod ex sequentibus subinde plenius constabit.

IV. Gregorius Nyssenus in Antirrhetico libro contra Apollinarem [1], hujus sententiam exagitat, qua Christi vocem hanc, *Transeat a me calix iste*, et alteram, *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat;* non hominis esse de terra exorti, sed Dei potius, asserebat, qui e cœlo delapsus est. Quam quidem opinionem impiam ac detestandam esse dicit, planeque satanicam. « (1) Non enim Deus, *inquit*, e cœlo delapsus propriam divinitatis voluntatem excludit, et id quod vult reipsa perfici prohibet. » Ergo quia Christus posteriore oratione rogat, ut non sua, sed Patris voluntas expleatur, non esse Dei propriam vocem Gregorius affirmat. Atqui si personam, et illam ab Cyrillo præscriptam in anathematismis regulam spectes; Dei propria est non ea modo vox habenda; sed etiam cetera omnia, quæ quamlibet vilia, et indigna nostra causa toleravit. Verum non personæ, sed naturæ cujusque rationem habuit ille, nec secundum divinam substantiam, sed secundum humanam, tum mortem deprecari Christum existimavit, tum paternam voluntatem suæ anteferri petere.

Joannes quoque Chrysostomus oratione sexta contra Anomœos, qui imbecilla ista, et vilia tum perpessam, tum elocutam esse divinitatem asserebant, neutiquam esse Dei propria demonstrat, (2) uti nec orare Patrem. Quæ cum ille, vel alii Patres usurpant, ut non Deum, sed hominem talia dixisse significent, perinde sunt intelligenda, ac si Christum Deum, et hominem affirmarent, non qua Deus erat, sed qua homo, sic locutum esse: sive ἐπὶ τῆς θεότητος, hoc est *de divinitate*, non illa dici; sed ἐπὶ τῆς σαρκὸς, hoc est *de carne;* ut ibidem ait Chrysostomus [2]: vel ut Gregorius Nyssenus, paulo ante citatus, ὡς ἐκ τοῦ ἀνθρώπου, *tanquam ex hominis natura.* Qui et ex oratione ipsa disputat sic: « (3) Qui orat, homo est, an Deus? Si Deum esse putat eum, qui orat, parem in ipso, atque in hominibus, imbecillitatem agnoscit. »

Igitur quod duas Christi voluntates illo ex loco demonstrare potissimum veteres instituerunt, ad hoc potissimum respexerunt, quod dixit, *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Nam, ut Gregorius idem Nyssenus [3], et ex eo Constantinus Pogonata in Synodo sexta [4] docent: « Qui dixit, non mea voluntas, humanam expressit: cum autem addidit, sed tua, conjunctionem suæ cum Patre divinitatis ostendit, in qua nulla voluntatis inest differentia, propter naturæ communionem. »

V. Nunc de voluntatum ipsarum ἐναντιοφανείᾳ dicamus, de qua illud imprimis pro certo, et explorato tenendum est, non fuisse revera contrarias inter se naturæ utriusque voluntates, sed perfecte consentientes, et concordes. « (4) Nam velle hominis assumpti a Deo non fuit contrarium Deo, utpote totum deificatum, » ait Gregorius Nazianzenus, cujus sen-

(1) GREGOR. Nyssen. in 6. Syn. Act. 10. p. 125. Ὁ Θεὸς ἐξ οὐρανοῦ καταβὰς τὸ ἴδιον τῆς θεότητος θέλημα παραγράφεται, καὶ οὐ βούλεται εἰς ἔργον ἐλθεῖν, ὅπερ βούλεται.

(2) CHRYS. hom. 35. tom. 6. pag. 432. vers. 19. Οὐκοῦν οὐδὲ εὔχεται Θεός.

(3) NYSSEN. in 6. Syn. pag. 125. Ὁ εὐχόμενος, ἄνθρωπος, ἢ Θεός; εἰ Θεὸν τὸν εὐχόμενον οἴεται, ἴσην αὐτῷ πρὸς τοὺς ἀνθρώπους ἐνορᾷ τὴν ἀσθένειαν.

(4) NAZIANZ. orat. 36. pag. 585. Τὸ γὰρ ἐκείνου θέλειν οὐδὲ ὑπεναντίον Θεῷ, θεωθὲν ὅλον.

[1] Cit. in 6. Syn. Act. 10. p. 124. — [2] Vide sup. c. 6. § 6.

[3] Vide sup. c. 6. § 6. verba Greg. — [4] Act. 18. p. 291. E.

tentiosum hoc dictum passim in Conciliis [1], et posteriorum scriptis usurpari videas. Quod autem in summa illa consternatione, pugnaque carnis, et spiritus, quam in horto pertulit Christus, primum mortem exhorruit, ac defugere est visus; postea, velut resumptis animis, audacter eam suscepit, ac priorem orationem rescidit : varie id solet ab antiquis theologis explicari. Communis ea maxime est interpretandi ratio ; Christum Dominum, ad fidem veræ assumptæ hominis naturæ sanciendam, hujus affectiones proprias in se recepisse; non corporis tantum, ut lassitudinem, famem, sitim, dolorem, cruciatum, ac mortem ; sed etiam animæ, ut tristitiam, timorem, gaudium, et alia id genus imbecilla, et molesta : quæ quidem culpæ dedecore carerent, atque ut reipsa hæc in se, non ficte, simulateque sentiebat, sic impulsos ab iis, commotosque sensus suos declarasse dicendo.

Testes sunt hujus rei pene omnes antiqui, græci, latinique Patres, quorum haud paucos hoc [2], et antecedente libro [3] citavimus, cum duas operationes, ac voluntates Christi auctoritate illorum adstruximus. Nunc eorumdem, et aliorum pauca cum istis consentientia, aut paululum etiam diversa testimonia proferam, quæ ad propositam illustrandam quæstionem momenti aliquid afferre videntur.

VI. Primus erit Origenes in libro secundo contra Celsum : ubi (1) in priori oratione, qua Patrem rogavit, ut si fieri posset, transiret a se calix iste, descriptam esse carnis imbecillitatem ait ; in posteriore, spiritus alacritatem, non divini utique, sed humani : quam potiorem, et superiorem animæ partem nominare solent. Quippe « in eadem humanitate utrumque declarasse » Christum asserit : quod expositæ a nobis supra sententiæ consentaneum est. Addit præterea posteriorem precationem majore cum affectu animi depromptam videri, utpote impensius, ac pluribus verbis expressam. Ergo ut imbecillam se habere carnem, et patibilem ostenderet, ita est locutus ; quod ante Justinus in dialogo cum Tryphone notaverat (2).

Athanasius in oratione ad illa verba, *Nunc anima mea turbata est*, hanc in Christo sensuum, et affectuum vicissitudinem accidisse dicit, « (3) divinitate cedente, insurgente vero carne : cum quidem turbationem istam prohibere illa posset, sed ideo nollet, ne quam nobiscum habebat similitudinem dissolveret. » Mox accommodata similitudine rem ita declarat : Ut si aquæ mel admisceatur, et interdum mellis copia, interdum aquæ superet. Prius enim simile esse illi in Christo statui, in quo divina voluntas prævaluit : posterius ei, in quo, cedente divinitate, carnis affectus et commotio impetum quemdam habuit. Hæc Athanasius, qui et libro quarto contra Arianos [4] demonstrat, voces istas ex diversis manasse carnis, et spiritus affectionibus, ut verus homo in illo fuisse probaretur.

Epiphanius adversus eosdem Arianos voces illas ad elevandam veræ divinitatis fidem objicientes, perinde contendit : « (4) omnia ista, uti vitam nostram præmuniret, dispensatione quadam suscepisse, et ex humano affectu sermones illos expressisse, non simulate, sed bona fide dicentem, Non mea voluntas, ut carnis veram extantiam approbaret, atque ut eos convinceret, qui humanam illum mentem negarent habuisse, aut qui carnem eidem detraherent. » Hic ὑπόστασιν σαρκὸς, *veram et solidam carnis extantiam* significat, simulatæ et apparenti duntaxat contrariam.

VII. Ut ὑπόστασις σαρκὸς hoc loco non *personam* carnis a divina distinctam, sed veram, et solidam extantiam significat, ita πρόσωπον τῆς ἐνανθρωπήσεως, *persona humanitatis*, apud eumdem non eam, quæ proprie persona dicitur, sed proprietatem, et rationem declarat. Et digna sunt Epiphanii verba quæ hic describantur. Hic igitur in eadem hæresi, Arianorum argumentum refutans ex illa Christi voce ductum [5],

(1) ORIG. 2. cont. Cels. pag. 78. Καὶ ἐνθάδε τοίνυν διαγράφει ἐν τῷ ἀνθρωπίνῳ αὐτοῦ, καὶ τὸ τῆς ἀνθρωπίνης σαρκὸς ἀσθενὲς, καὶ τὸ τοῦ πνεύματος πρόθυμον· τὸ μὲν ἀσθενὲς, ἐν τῷ, Πάτερ, εἰ δυνατόν ἐστι, παρελθέτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον τοῦτο· τὸ δὲ πρόθυμον τοῦ πνεύματος ἐν τῷ, πλὴν οὐχ ὡς ἐγὼ θέλω, ἀλλ' ὡς σύ.

(2) JUSTIN. pag. 255. Δηλῶν διὰ τούτων, ὅτι ἀληθῶς παθητὸς ἄνθρωπος γεγένηται.

(3) ATHAN. cit. act. 19. Syn. 6. pag. 127. Τοῦτο γὰρ ἐγένετο τῆς μὲν θεότητος εἰκούσης, τῆς δὲ σαρκὸς ἐγειρομένης· δυνατὸν ὂν τῇ θεότητι κωλῦσαι τὴν ταραχὴν, ἀλλ' οὐ βουλομένης αὐτῆς, ἵνα μὴ τὴν ὁμοίωσιν τὴν πρὸς ἡμᾶς διαλύσῃ.

(4) EPIPH. hær. 69. § 59. Ταῦτα δὲ πάντα, ἐπασφαλιζόμενος ἡμῶν τὴν ζωὴν, τὰ ὅλα ἀνεδέξατο οἰκονομικῶς, ἀνθρωποπαθῆ τινα διηγήματα ἔχων, οὐκ εἰρωνείᾳ, ἀλλ' ἀληθείᾳ, τὸ, Οὐκ ἐμὸν θέλημα· ἵνα δείξῃ σαρκὸς ὑπόστασιν ἀληθινὴν, καὶ ἵνα ἐλέγξῃ τοὺς λέγοντας νοῦν μὴ ἐσχηκέναι αὐτὸν ἀνθρώπινον, καὶ ἐλέγξῃ τοὺς μὴ λέγοντας σάρκα αὐτὸν ἐσχηκέναι.

[1] Ut in 6. Syn. ab Agathone, Act. 4. p. 46. et Act. 8. a p. 115. et Act. 18. Const. Imp. p. 295. a Maxim. etc.

[2] C. 6. et 7. — [3] Cap. 8. et seq. — [4] Atha. p. 276. et 292. — [5] Matt. 27. 46.

Quare me dereliquisti? sic scribit, « (1) Et cui non certo liquet, ex humanitatis illius persona et humano affectu hunc sermonem ab illo esse prolatum? Nam ejus humanitas non separatim existebat. Neque enim divinitate disjuncta, et seorsim posita humanitate talia dicebat, tanquam alius et alius loqueretur : sed ita ut humanitas esset cum divinitate conjuncta. » Tum paucis interjectis, « (2) Quinam igitur, *ait*, ex persona divinitatis ipsius dici ista poterant, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ? Restat igitur ut ex ejus humanitatis persona, et affectu quodam humano dictum illud videatur ; ut incarnationem non specie duntaxat adumbratam, sed reipsa, vereque administratam fuisse discamus. »

De qua personæ et προσώπου significatione diximus in quarto de Trinitate. Chrysostomus ad illa Christi verba Matthæi capite 26, *Pater, si fieri potest*, etc. recte, et ad sententiam nostram paulo ante propositam, eadem enarrat[1]. « (3) Quatenus ergo ita loquitur, *ait*, Pater, si fieri potest, transeat; quod humanum erat ostendit : eo ipso vero quod dixit, Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu ; virtutis ac philosophiæ specimen edidit, erudiens nos, ut, quamlibet in diversum trahente nos natura, Deum sequamur. » Ex persona itaque naturæ unius humanæ duæ illæ orationes emissæ sunt ; sed in altera, quæ priorem quodammodo correxit, duarum voluntatum, divinæ et humanæ, significationem Christus expressit : « Utique sicut erat Deus et homo, sic et duas voluntates, alteram divinitatis, alteram humanitatis habebat, sub ipso passionis articulo. Humanitas quippe gustum mortis naturaliter pavebat, et refugiebat; et naturali corporis amore anima tenebatur, et in carne manere volebat. Porro divinitas rationabili judicio aliud intendebat, scilicet quod ad salutem generis humani necessarium erat ; et ejus naturæ voluntatem suæ voluntati humanitas præ se ferebat , » ait Rupertus [2].

Isidorus Pelusiota primo libro, epistola 289. « (4) Dei Verbum, *inquit*, homo revera factus, vere quæ hominum propria sunt implevit. Ita et passionis tempore calicem deprecatur, ostendens non oportere se periculis objicere: verum cum ingressi in ea fuerimus, fortiter esse subeunda. Etenim crucem ipse, cum adhuc sibi compararetur, recusabat ; at idem judicis sententia illi addictus, eam tanquam victor humeris tollens incedebat. »

VIII. Non defuerunt tamen ex antiquis, qui Christum in illa precatione nec pro se orasse, nec mortem effugere voluisse, nec suapte adeo causa tristitiam hanc cepisse crederent : ac variis modis illa isti verba declarant, sed nullo satis probabili. Hilarii imprimis obscura est sententia [3]. Quantum autem consequi possumus, hoc fere videtur existimasse ; Christum minime pro se tristem, ac sollicitum fuisse, nec mortem timuisse, qua glorificandum se esse noverat, et ad quam sponte properabat. «Non ergo sibi tristis est, *inquit* [4], neque sibi orat ; sed illis, quos monet orare pervigiles, ne in eos calix passionis incumbat, quem a se transire orat, ne in his scilicet maneat. » Tanquam *calicem a se transire* postulet hoc sensu, ut cum ipse biberit, « consummata in se passione, metus calicis transeat ; qui nisi eum bibisset, transire non posset : » hoc est ut post se, terrore omni sublato, illum bibant apostoli, nec in tentationem inducantur, ac succumbant. Quin etiam hoc in sua interpretatione ponit ; idcirco illud adjecisse Christum, *si possibile est;* quoniam « impossibile est homini passionis terrore non vinci, nec possit nisi per probationem fides nosci. »

At idem canone 31. in Matthæum [5] observat non dixisse Dominum, *Transeat me calix iste.* «Hæc enim futura erat pro se timentis oratio.

(1) Epiph. ibid. § 62. Τίνι δὲ οὐ σαφὲς εἴη, ὅτι ἀπὸ προσώπου τῆς αὐτοῦ ἐνανθρωπήσεως ἀνθρωποπαθῶς προβάλλεται τὸ ῥῆμα ; ἡ γὰρ αὐτοῦ ἐνανθρώπησις οὐ κατ' ἰδίαν τις οὖσα· οὐ γὰρ ἀποκεχωρισμένης τῆς θεότητος, καὶ χωρὶς οὔσης τῆς ἐνανθρωπήσεως ἔλεγεν, ὡς ἄλλου καὶ ἄλλου· ἀλλὰ συνηνωμένης τῆς ἐνανθρωπήσεως τῇ θεότητι.

(2) Ibid. § 63. pag. 790. B. Πῶς ἄρα ἐκ προσώπου τῆς αὐτοῦ θεότητος ἠδύνατο ῥηθῆναι τό· Θεέ μου, Θεέ μου, ἵνα τί ἐγκατέλιπές με; ἀλλ' οὗτος ἐκ προσώπου τῆς αὐτοῦ ἐνανθρωπήσεως ἀνθρωποπαθῶς ἐδείκνυτο ὁ λόγος, ἵνα μάθωμεν ἀληθινῶς εἶναι τὴν ἔνσαρκον παρουσίαν, καὶ οὐ δοκήσει, ἢ φαντασίᾳ παρ' αὐτοῦ οἰκονομηθεῖσαν.

(3) Chrysost. hom. 83. in Mat. pag. 516. Τῷ μὲν οὖν εἰπεῖν, εἰ δυνατὸν, παρελθέτω, ἔδειξε τὸ ἀνθρώπινον· τῷ δὲ εἰπεῖν, πλὴν οὐχ ὡς ἐγὼ θέλω, ἀλλ' ὡς σὺ, ἔδειξε τὸ ἐνάρετον, καὶ ἐμφιλόσοφον, παιδεύων καὶ τῆς φύσεως ἀνθελκούσης ἕπεσθαι τῷ Θεῷ.

(4) Isid. Ἄνθρωπος κατὰ ἀλήθειαν ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος γενόμενος, πάντα σὺν ἀληθείᾳ τὰ τῶν ἀνθρώπων ἐπλήρωσεν· οὕτω καὶ ἐν τῷ τοῦ πάθους καιρῷ παραιτεῖται τὸ ποτήριον, δεικνὺς ὅτι οὐ χρὴ ὁμόσε τοῖς κινδύνοις χωρεῖν· εἰσελθόντας δὲ δέχεσθαι καρτερῶς. Μελετώμενον γὰρ τὸν σταυρὸν παρῃτεῖτο· ἀποφανθέντα δὲ, ἐπ' ὤμων ὡς νικηφόρος λαβὼν ηὐτομόλει.

[1] § 3. — [2] Rup. lib. 12. de Vict. Ver. Dei c. 17.

[3] Hilar. lib. 10. p. 72. E. F. — [4] Ib. 73. F. — [5] P. 185. A.

Sed aliud est, ut transeat se, aliud ut a se transeat, deprecari. In eo enim quod se transit, ipse ille a molestia transeunte excipitur. Qui autem ut a se transeat rogat, non ut ipse prætereatur orat, sed [1] ut in alterum id quod a se transit excedat. » Quod subinde clarius ita proponit. « Transeat calix a me : id est, quomodo a me bibitur, ita ab his bibatur, sine spei diffidentia, sine sensu doloris, sine metu mortis. Ideo autem si possibile est, quia et carni et sanguini horum gravis terror est, et difficile est eorum acerbitate et corpora humana non vinci. »

IX. Sic Hieronymus [2] postulasse Christum arbitratur, ut calix iste transiret, « non timore patiendi, sed misericordia prioris populi, ne ab illis bibat calicem propinatum. Unde et signanter non dixit ; transeat a me calix, sed, calix iste ; hoc est populi Judæorum, qui excusationem ignorantiæ habere non potest, si me occiderit, habens legem, et prophetas, qui me quotidie vaticinantur. » Quæ et Beda in commentario descripsit, et Paschasius Radbertus [3] tum hæc, tum illa Hilarii, ita tamen ut communem sententiam approbet.

Origenes postquam hanc eamdem veram, et tralatitiam interpretationem attulit, cujus verba supra memoravimus, aliam mox subjicit. « (1) Novi, *inquit*, aliquam, et quidem hujusmodi, loci istius enarrationem : nempe cum Salvator videret, qualia populus, et Jerusalem perpessuri essent in pœnam eorum, quæ ab Judæis perpetrata fuerant, nulla alia de causa, nisi propter benignum erga illos animi affectum, nolentem ea pati populum, quæ toleraturus erat, ipsum dixisse : Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste. » Quem sensum confirmat etiam Epiphanius [4], necnon Basilius quarto adversus Eunomium [5], et Theophylactus in Matthæum.

In eam porro minus utique probabilem opinionem hoc illos potissimum impulit, ne aut parum præsenti, ac forti animo Christus fuisse videretur, qui mortis ac supplicii tantum præ se metum tulisset : aut adversus Patris sui voluntatem aliquid postulasse. Quod posterius ut vitarent Monotheletæ, unam tantummodo Christo voluntatem attribuerunt. Quos verisimile est evangelicum illum locum, in quo duæ voluntates tam perspicue demonstrantur, simili quapiam elusisse verborum Christi sententia.

X. Ceterum nullam ex illis voluntatum repugnantiam colligi posse, facile est animadvertere. Hanc enim ratio ipsa postulationis excludit. Quippe non absolute mortem optat effugere, sed adhibita conditione, *si fieri potest*, si et Pater hoc velit concedere. Origenes in illo, quem citavimus, loco secundi libri contra Celsum, hanc conditionem vocat ὑποτίμησιν, ita scribens : « (2) Observandum hoc etiam, *ait*, non ita dictum esse, Abeat a me calix iste : sed pie, et cum exceptione ita totum illud pronuntiasse, Transeat a me calix iste. » Est autem ὑποτίμησις proprie *litis æstimatio*, cum reus, ne capitis in se sententia diceretur, pecunia eam æstimabat, gravioris deprecandæ mulctæ, pœnæque gratia. Hoc ergo vocabulo eleganter Origenes conditionem illam a Christo adhibitam in precatione sua, nominat. Quem Cyrillus Alexandrinus initio libri quarti in Joannem hoc modo concipit : « (3) Si fieri potest, *ait*, o Pater ! ut sine mortis perpessione vitam iis restituam, qui in illam incurrerint ; si mors emori potest, non moriente me, secundum carnem transeat calix. Verumtamen quoniam aliter fieri nequit, non sicut ego volo, sed sicut tu. » Non est autem contraria voluntas conditione affecta ei, quæ absoluta est, et simplex. Ita votum illud apostoli Pauli, quo se optare dicit anathema esse ab Christo, est hoc, ut Chrysostomus [6], Theodoretus, aliique probabilius exponunt, ab ipso separari penitus, et in sempiternum damnari ; citra peccatum tamen : illud, inquam, desiderium, quod absolute sumptum nefarium est, apposita conditione licitum est, ac laudabile : Quod recte Photius ita declarat : « (4) Si fieri posset, ut mea perditione

(1) Orig. 2. contra Cel. pag. 79. Οἶδα δέ τινα καὶ τοιαύτην εἰς τὸν τόπον διήγησιν, ὅτι ὁρῶν ὁ Σωτὴρ οἷα ὁ λαὸς, καὶ Ἱερουσαλὴμ πείσεται ἐπὶ τῇ ἐκδικήσει τῶν κατ' αὐτοῦ τετολμημένων ὑπὸ Ἰουδαίων, οὐ δι' ἄλλο τι, ἢ διὰ τὸ πρὸς ἐκείνους φιλάνθρωπον, θέλων μὴ παθεῖν τὸν λαὸν ἃ ἔμελλε πάσχειν. κ. τ. λ.

(2) Orig. 2. cont. Cels. pag. 79. Τηρητέον δὲ καὶ τὸ, μὴ εἰρῆσθαι μὲν, ἀπελθέτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον τοῦτο· λελέχθαι δὲ εὐσεβῶς, καὶ μεθ' ὑποτιμήσεως ὅλον τοῦτο· Πάτερ, εἰ δυνατόν ἐστι, παρελθέτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον τοῦτο.

(3) Cyril. pag. 331. E. Εἰ ἐνδέχεται, φησὶν, ὦ Πάτερ, μὴ παθόντα τὸν θάνατον, κατορθῶσαι τοῖς εἰς αὐτὸν πεσοῦσι τὴν ζωὴν· εἰ ἀποθνήσκειν θάνατος μή τε θνεῶντος ἐμοῦ, κατὰ τὴν σάρκα δὲ δηλονότι, παροιχέσθω, φησὶ, τὸ ποτήριον· πλὴν ἐπειδήπερ οὐκ ἂν γένοιτο, φησὶν, ἑτέρως, οὐχ ὡς ἐγὼ θέλω, ἀλλ' ὡς σύ.

(4) Phot. apud Œcum. Ὅτι εἰ ἦν δυνατὸν διὰ τῆς ἐμῆς ἀπωλείας δοξασθῆναι τὸν Χριστὸν, καὶ σωθῆναι τοὺς Ἰουδαίους, οὐδὲ τοῦτο ἂν παρῃτησάμην. Ηὐχόμην γὰρ, φησὶν, εἰ ἐνεχώρει, εἰ ἐνεδέχετο, εἴ τις ταύτην ἐδίδου μοι τὴν αἵρεσιν, πότερον βούλει διαστῆναι Χριστοῦ, ἵνα πᾶν τὸ Ἰουδαίων ἔθνος ἑνωθῇ, καὶ δοξασθῇ ὁ Χριστός ;

[1] For. *ut ne in alterum.* — [2] In cap. Matt. 26. 39. — [3] In Matt. c. 26.

[4] Hær. 69. § 58. — [5] Basil. to. 2. p. 101. — [6] In c. 9. epist. ad Rom. c. 3.

Christus glorificaretur, ac Judæi salutem consequerentur, ne hoc quidem recusarem. Optabam enim, ait, si liceret, si fieri posset; si quis mihi hanc optionem daret : visne ab Christo disjungi, ut tota Judæorum natio ad Ecclesiam aggregetur, et Christus glorificetur? »

CAPUT DECIMUM.

De iis quæ adversus Catholicos objecta sunt ab hæreticis pro unius voluntatis defensione. — Primum quæ ex Patribus collecta proponebant, ut ex Athanasio; — 2. cujus mens explicatur : — 3. tum ex Gregorio Nazianzeno; — 4. ex Ambrosio; — 5. ex Honorio papa, et aliis. — 7. Argumentum illorum præcipuum eluditur.

I. Etsi pleraque Monotheletarum argumenta, quibus unicam Christi voluntatem propugnare sunt conati, sparsim in hoc, et superiore libro comprehensa, et explicata sunt; non tamen inutile arbitror fore, si sub unum aspectum tum ex illis quæ jam commemorata sunt, præcipua quæque, tum si qua sunt omissa, quæ perpauca succurrunt, hoc in capite proponantur. Ex iis illa primum recensebimus, quæ ex veterum auctoritate petuntur. Inter quos Athanasius diserte suffragari videtur uni Christi voluntati, in libro de salutari adventu Christi, qui secundus contra Apollinarem inscribitur in sexta Synodo [1]; ubi nonnulla Patrum testimonia de una voluntate ab Macario hæretico collecta recitata sunt : in quibus ille est descriptus Athanasii locus. De quo ut melius judicari possit, eum integrum hic perscribam. Disputat vero illic Athanasius adversus Apollinaris opinionem; qui idcirco mentem humanam ab Christo removebat, ne humanas ei cogitationes, et carnales cogeretur adscribere, quæ sunt peccati semina: quod nullum in Christo fas est admittere. Contra quæ pugnans Athanasius sic inter cetera scribit : « (1) Propterea Verbum Deus advenit, primique hominis conditor, ut homo fieret, ad vitam homini dandam, et iniquum hostem subvertendum : ac genitus est e Virgine, prima ex creatione humanam sibi formam excitans, exhibita carne, sine carnalibus voluntatibus, et cogitationibus humanis in imagine novitatis. Siquidem divinitatis solius voluntas fuit : quoniam et tota natura Verbi in exhibitione formæ carnis humanæ visibilis, Adami secundi præsto fuit : non in personarum divisione, sed in extantia divinitatis, et humanitatis. » Ibi voluntatem solius fuisse divinitatis cum dicit, Monotheletarum favere videtur errori, sed non est ita.

II. Quippe Maximus martyr in disputatione cum Pyrrho, locum illum a Pyrrho sibi objectum explicans, omnem ab eo pravi dogmatis suspicionem amovet. «(2) Non enim de naturali ratione» loqui Athanasium existimat; «sed de modo, quo carnem suscepit; ut ostenderet, Incarnationem opus esse divinæ solius voluntatis, gratum id habente Patre; Filio vero per se operante, et cooperante Spiritu S. non autem carnalis esse motionis, nec humanarum cogitationum, sive ex nuptiis profectum. » Quocirca non dicit Athanasius voluntatem illam, quæ in Christo extitit, divinam tantum-

(1) ATHAN. tom. 1. pag. 500. C. Διὰ τοῦτο ἦλθεν ὁ Λόγος Θεὸς ὢν, καὶ τοῦ πρώτου ἀνθρώπου δημιουργὸς, γενέσθαι ἄνθρωπος, εἰς ζωοποίησιν μὲν τοῦ ἀνθρώπου, καθαίρεσιν δὲ τοῦ ἀδίκου ἐχθροῦ, καὶ ἐγεννήθη ἐκ γυναικὸς ἐκ τῆς πρώτης πλάσεως, τὴν ἀνθρώπου μορφὴν ἑαυτῷ ἀναστησάμενος, ἐν ἐπιδείξει σαρκὸς δίχα σαρκικῶν θελημάτων, καὶ λογισμῶν ἀνθρωπίνων ἐν εἰκόνι καινότητος· ἡ γὰρ θέλησις θεότητος μόνης, ἐπειδὴ καὶ φύσις ὅλη τοῦ Λόγου, ἐν ἐπιδείξει μορφῆς τῆς ἀνθρωπίνης σαρκὸς, τῆς ὁρωμένης τοῦ δευτέρου Ἀδὰμ, οὐκ ἐν διαιρέσει προσώπων, ἀλλ' ἐν ὑπάρξει θεότητος, καὶ ἀνθρωπότητος.

(2) MAXIM. in disp. cum Pyr. tom. 8. Ann. Bar. pag. 691. C. Ὅτι οὐ περὶ φυσικοῦ λόγου, ἀλλὰ περὶ τοῦ τρόπου τῆς κατὰ σάρκα αὐτοῦ ὑπάρξεως ταῦτα ὁ πατὴρ διεξῆλθε, δεῖξαι βουλόμενος τὴν σάρκωσιν ἔργον οὖσαν τῆς θείας, καὶ μόνης θελήσεως, εὐδοκοῦντος μὲν τοῦ Πατρὸς, αὐτουργοῦντος τοῦ Υἱοῦ, καὶ συνεργοῦντος τοῦ ἁγίου Πνεύματος· ἀλλ' οὐ σαρκικῆς κινήσεως καὶ λογισμῶν ἀνθρωπίνων, εἴτουν γαμικῆς ἀκολουθίας.

[1] Act. 8. p. 102.

modo fuisse ; sed efficientem causam Incarnationis non aliam extitisse, quam Dei voluntatem : eo quod divina ipsa natura Verbi per sese formam sibi hominis ex matre procreatam virgine copulavit. Ex quo factum est, ut quidquid ex Adamo corruptelæ in humanam naturam et generationem transiit, procul abfuerit a Christo ; cujusmodi sunt quas carnales vocat cogitationes, hoc est concupiscentiæ motiones, quæ sunt fomites, et irritamenta peccati. Hæc enim cum in prima humani generis institutione nulla fuerint omnino, nec iis infectus prior sit Adami status ; multo minus iisdem fuerit obnoxius Christus : « Cujus in singularem nativitatem nihil de carnis concupiscentia transivit, nihil de peccati lege manavit, » ut ait S. Leo [1].

III. Sequitur Gregorii Nazianzeni locus, quo et Macarii Monotheletæ discipulus Stephanus in Synodo sexta [2], et Pyrrhus ejusdem sectæ [3] ad probandam singularem Christi voluntatem abusi sunt, ex oratione secunda de Filio : in qua sententia illa continetur, quam supra retulimus, « (1) Voluntatem Christi non fuisse contrariam Deo, utpote totam deificatam. » Hinc enim sequi putabant, humanam in Christo nullam superesse voluntatem, quæ in divinam tota transisset. Sed futilis est ista ratiocinatio, recteque Basilius episcopus Gortynæ, ancipiti argumento ita constringit hominem : « (2) Quamnam, *inquit*, voluntatem dicis, quæ deificata sit, divinam, an humanam ? Si enim divinam dixeris, quod divinum est, deificatione non eget. Sin humanam, perspicue illa ipsa, quam profers, sententia duas voluntates vel invitus significas. » Sic etiam Maximus contra Pyrrhum disputans [4], ex eo, quod deificatam esse voluntatem humanam scribit Gregorius, duas esse demonstrat: quemadmodum cum dicimus, ignitum esse ferrum, duo intelligimus, ignem et ferrum. Deinde « (3) si voluntatis deificatio voluntatibus duabus repugnat, etiam naturæ deificatio naturis duabus adversabitur, » quod Monotheletæ minime fatebantur, qui naturas duas in Christo manere integras putabant : sed et Gregorius idem, aliique Patres cum de naturis idipsum sentirent, humanam deificatam esse dixerunt, ut in quarto libro dixi [5].

IV. Proferebant et iidem hæretici [6] Ambrosii sententiam ex libro secundo de Fide, capite tertio, quæ est hujusmodi [7] : « Eousque autem hominem, quem veritate corporis demonstrabat, æquabat affectu, ut diceret, Sed tamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis : cum utique similiter sit Christi velle quod Pater vult, cujus similiter est facere quod Pater facit. » Verum ridiculi erant, hoc abutentes Ambrosii testimonio. Nam et diserte Christi, qua homo est, affectu solo, non natura eamdem esse cum divina voluntatem asseverat, hoc est concordem et consentientem ; et in toto illo capite multa addidit alia, quibus humanam a divina manifeste discernit: quæ ad hæreticis dissimulata fuisse queruntur Catholici in sexta Synodo [8].

Ejusdem generis est, quod aliquanto post illa verba subjicit Ambrosius [9], « Christi voluntas eadem quæ paterna est. » Hoc enim ad concordiam refert. Sed et proxime post, « Alia voluntas hominis, *ait*, alia Dei. » Et hoc modo pugnam illam, quæ in Christi oratione significata videtur, tam naturarum, quam voluntatum distinctione conciliat.

Est etiam apud Augustinum [10] locus quidam ipsa verborum specie non dissimilis: « Quomodo, *inquit*, complexus est Dominus ex duabus voluntatibus unam factam in homine, quem portabat. » Sed quo sensu unam esse factam dixerit, indidem facile cognoscimus. Ibi enim homines improbos redarguit, qui voluntati Dei suam præferunt : « ut hoc faciat Deus, quod ipsi volunt, cum ipsi hoc debeant facere quod Deus vult. » Tum istam voluntatum conjunctionem exemplo Domini declarat, qui utramque primo voluntatem significavit, postea divinæ subjecit humanam, et unam videlicet ex ambabus fecit.

V. Objiciebant præterea Catholicis unius voluntatis defensores hæretici, Romani pontificis auctoritatem Honorii, qui unam Christi tum ἐνέργειαν, tum voluntatem esse decrevit.

(1) NAZIANZ. orat. 36. pag. 585. A. Τὸ γὰρ ἐκείνου θέλειν οὐδὲ ὑπεναντίον Θεῷ, θεωθὲν ὅλον.

(2) In 6. Syn. pag. 135. Ποῖον θέλημα λέγεις τὸ θεωθὲν, θεῖον, ἢ ἀνθρώπινον ; εἰ γὰρ τὸ θεῖον εἴπῃς, τὸ θεῖον θεώσεως οὐ δεῖται· εἰ δὲ τὸ ἀνθρώπινον, δῆλον ὅτι δύο θελήματα, καὶ διὰ τῆς παρούσης ἄκων σημαίνεις χρήσεως.

(3) MAXIM. in disp. pag. 690. Ἄλλως τε δὲ, εἰ ἡ τοῦ θελήματος θέωσις ἐναντία ἐστὶ τῶν δύο θελημάτων, καὶ ἡ τῆς φύσεως θέωσις ἐναντία ἔσται τῶν δύο φύσεων.

[1] Serm. 1. de Nativ.—[2] Act. 8. p. 115.—[3] Apud Max. in Disp. p. 690. B. — [4] Pag. 690. tom. 8. Baron. — [5] Cap. 8. — [6] In 6 Synod. Act. 8. p. 107. E. F.

[7] Amb. 2. de fide c. 3. tom. 134. F. — [8] Vide sup. c. 6. § 7. — [9] Ibid. 135. 1. — [10] Aug. in Ps. 93. pag. 430. A. 2.

Verum hæc ab illo propulsata labes est erroris in libro primo capite 21. ubi Monotheletarum patefactus est dolus, qui quod de duabus ejusdem humanæ naturæ voluntatibus, interroganti Sergio hæresis illius antistite, responderat Pontifex, hoc ad divinam, humanamque retulerunt, tanquam unam tantummodo, humana repudiata, divinam attribuerit: cum ille potius, carnali et vitio primi hominis insolita voluntate rejecta, solam in humanitate Christi rationi subjectam, minimeque contrariam admiserit. Cui quidem illustrandæ rationi plurimum illa proderunt, quæ in capite superiori de oratione Domini ad Patrem fusa, imminente jam morte, diximus. Hæc enim admonent nullam in eo tum voluntatum fuisse pugnam, et iteratam illam, ac posteriore velut correctam petitionem priorem, unius et ejusdem humanæ fuisse conditionis: quo nihil ad Monotheletarum fraudem aperiendam, et convincendam accommodatius esse potest.

Nam quod iidem insuper opponebant hæretici [1] : nullam ex quatuor, vel quinque generalibus Synodis, quæ ortum controversiæ illius antecesserant, de hac in utramvis pronuntiasse partem; nec aliud decrevisse amplius, nisi naturas in Christo inesse duas, easque perfectas, et distinctas; de una vel duabus operationibus et voluntatibus tacuisse: id est levissimum. Siquidem etsi nihil expresse sancitum est ac nominatim illa de re, quod nondum in quæstionem vocata fuerat; ea sunt tamen in illis fundamenta jacta catholici dogmatis, ut ex iis necessaria consecutione ducatur: quod in superioribus libris, præsertim in octavo, non semel exposui, neque hoc loco replicandum censeo.

Sane cum naturarum proprietates salvas manere, eoque plures intelligi, Chalcedonensis maxime synodus affirmet; inter proprietates vero primaria judicetur esse vis effectrix, et actio ipsa, cujus nulla expers potest esse natura; quis non videt eodem decreto, quo naturæ constitutæ sunt duæ, duas itidem operationes, et voluntates esse sancitas?

Itaque Martinus papa primus in epistola ad Constantem imperatorem, quæ est tertia [2], unius operationis, et voluntatis defensione, « omnium tum sanctorum Patrum, tum œcumenicorum quinque Conciliorum definitiones everti *ait*, quæ per omnia perfectum eumdem in divinitate, et in humanitate perfectum prædicaverunt, tantum absque peccato. Nam in peccato naturæ perfectio non conspicitur; sed vitium agnoscitur nostræ transgressionis. Quod si perfectus est, est videlicet perfectus secundum divinam voluntatem, et operationem; quemadmodum et juxta naturam principii expertem, atque increatam; et secundum humanam quoque tum voluntatem, tum operationem, ut et secundum naturam creatam, et quæ principium habuit. »

VI. Adhibebant et ementitos auctores ad hæresim suam roborandam Monotheletæ: velut Mennæ ad Vigilium papam epistolam; et Vigilii duas, alteram ad Justinianum, alteram ad Theodoram Augustam: quæ in actione tertia Synodi sextæ [3] falsitatis convictæ rejectæque sunt. Ac denique complures Patrum collectæ sunt ab illis in eumdem finem sententiæ, quæ a Macario Antiochiæ patriarcha hæretico Synodo sunt oblatæ; ut est in actione quinta, et sexta, in duobus tribusve codicibus. Sed in octava et nona deinde actione diligenter excussa testimonia illa nullius esse momenti ad fulciendam hæresim deprehensa sunt; tum multis amputatis quibus contrarium docebatur, fraudulenter excerpta.

VII. Jam argumenta, quibus unicam voluntatem asseverare conati sunt, præter auctoritatem veterum, haud sane multa sunt, neque firma satis, aut digna in quibus immoremur; tum si quid habent quæstione dignum, id sparsim in libris superioribus, et hoc ipso comprehensum, et explicatum reperies.

Horum illud primarium est, quod voluntates pro volentium numero multiplicari, verum esse dicebant; unum autem volentem esse Christum. Quæ argumentatio connexa est illi, quam sic instituebant, ut actiones personarum proprias esse vellent: de qua re proprium caput in octavo libro commentati sumus [4]. Nunc adjuvanda est, et fulcienda, quo dissolvatur penitus hæreticorum ista ratio, personæ commemorata proprietate, cujusmodi in quarto libro de Trinitate proposuimus [5]. Ibi πρόσωπον ab hypostasi differre in eo demonstravimus, quod hypostasis individuam substantiam significet solis proprietatibus individuis affectam, sed nihil agentem, ac velut inertem: persona vero, hanc eamdem substantiam, ut est actuosa, et in motione efficientiaque versatur, ut ex Joanne Damasceno, Theoriano, et aliis ostendimus. Hinc autem sequitur, pro

[1] In Syn. 6. Act. 8. pag. 91. — [2] Mart. epist. 3. tom. 4. Conc. p. 647.

[3] Pag. 27. Vide et Max. cum Pyr. Disp. p. 694. — [4] Lib. 8. c. 2. — [5] Lib. 4. c. 4. § 7.

actionum diversitate, diversas esse personas : ac si una est Christi persona, unam etiam actionem, et voluntatem esse ponendam.

Hoc loco necessario distinguendus est usus, acceptioque vocabuli *personæ*. Nam aliquando substantiam significat per se, ac separatim subsistentem : alias ejusdem substantiæ rationem multiplicem, prout varia molitur ac gerit ; ex quo dicimus interdum, hanc vel illam sustinere personam quempiam, vel ex hujus illiusve persona loqui, aut facere aliquid. Priori modo unica est in Christo persona ; posteriore multiplex interdum distinguitur : ut alias ex persona Dei, alias ex persona hominis gessisse aliquid, dixisseve memoretur ab antiquis. Cujus locutionis exempla nonnulla tum libro quarto de Trinitate, tum huic obiter inspersa sunt.

Perinde futile est illud eorumdem hæreticorum, et a nobis refutatum sæpius : non posse voluntates inesse plures, nisi sint contrariæ. Hoc vero etiam est ridiculum, quod Maximo Pyrrhus objecit [1] : si voluntates naturarum sunt indices, ac comites ; cum Patres Dei et sanctorum unam dixerint esse voluntatem , unam etiam naturam esse voluisse. Cui Maximus respondet, θέλημα, id est *voluntatem*, ab illis usurpari pro θελητῷ, id est re, quæ voluntate appetitur. Possumus et ex *unitatis* ὁμωνυμίᾳ certius afferre responsum : ita unam esse voluntatem, quomodo est una natura. Ubi enim est proprie dicta naturæ unitas, ibi uniusmodi est, sed consentanea naturæ, ejusque speciei actio, et voluntas : cum autem non est vera naturarum unitas ; neque actiones ac voluntates propria unitate censentur, sed conjunctione quadam inter se sociari possunt, si idem est ambarum principium, quod eas exercet, ut in Christi persona est eadem, sive unus utroque voluntatis genere volens.

[1] In Disp. p. 679.

LIBER DECIMUS.

IN QUO HUMANÆ IN CHRISTO NATURÆ PROPRIETATES EXPLICANTUR, QUAS ἐπιγεννηματικὰς GRÆCI, LATINI *ACCIDENTES*, ET *CONSECTARIAS* VOCANT : ET IMPRIMIS EÆ QUÆ AD CORPUS PROPIUS ATTINENT.

—

CAPUT PRIMUM.

De humanæ in Christo naturæ dotibus. — 1. Quarum radix est, quod illa sit natura Verbi propria. — 2. Hujus multa sunt consectaria : primum, quod substantivo nexu cum Verbo copuletur. — 3. Alterum, ut quidquid illi accidit, id Deo accidere dicatur. — 4. Tertium, ut unus sit filius Dei cum Verbo. Quartum, ut operationes carnis, propriæ sint Verbi. Quintum, ut caro deificata sit : Sextum, ut sit vivifica. — 5. De deificatione deinceps illius disputatur. — 6. De ea re Gregorii Nysseni memorabilis sententia. — 8. Ea ut exponatur, quiddam observatum de duplici genere proprietatum. — 9. De prioribus non est intelligendus Gregorius, cum humanitatis affectiones proprias dixit absorptas in Deum, sed de posterioribus. — 10. Quas post resurrectionem deposuit. — 11. Hanc etiam vim habere charitatem, ut totos nos in Deum transformet. — 12. De qua re Origenis excutitur opinio. — 13. Duo vitanda pericula, cum de his agimus : Alterum, ne naturarum in Christo conjunctionem solo affectu, et σχέσει metiamur. — 14. Alterum, ne a seipsa excidisse, et in divinitatem mutata esse putetur humanitas.

I. Propositum deinceps est agere nobis de iis ornamentis Christi, quæ in humanam ipsius naturam ex divinæ consortio redundarunt ; sed minime οὐσιώδη, ac substantiva censentur. Ordiemur autem ab illis, quæ φυσικὰ dici solent, et sunt naturales quædam qualitates, affectionesve, quibus ex adverso respondent, quas *morales* in scholis nominant. Ex his autem priore illas loco tractabimus, quæ in totam conveniunt hominis naturam ; sive in corpus, qua præditum est anima. Quibus absolutis, ad ea veniemus, quæ sunt animi solius propria ; quales sunt scientia, sanctitas, virtus, et similes aliæ qualitates.

Sed est imprimis origo consideranda, ac velut stirps, et radix, e qua tot in hominem assumptum, et ejus adeo partem infimam, carnem, decora, et insignia manarunt. Est autem unica hæc, quod Dei et Verbi propria caro sit ac dicatur ; ut de ea disputare potissimum incipiam. Hanc rationem græci præsertim Patres frequenter usurpant, ut Athanasius, et Cyrillus Alexandrinus, qui ἰδιοποιήσασθαι τὴν σάρκα, et σῶμα Verbum asserunt, vel οἰκειῶσαι, hoc est, *naturam nostram*, *et carnem suam fecisse*, ut Leo papa loquitur [1]. De quo genere sermonis vide quæ alibi passim hoc in opere dixi [2]. Ex quibus id colliges, quod ad institutum nostrum, et hominis in Christo commendandam dignitatem multum valet, ut ne cum Paulo Samosateno, ac Photino, et Nestorio denique simplicem, ac ceterorum similem hominem fuisse Dominum arbitremur, et a Deo persona, et hypostasi distinctum : ut sit inter ambos communio, et copulatio substantiva, quæ unum aliquem per sese constituat ; non *moralis*, id est humano ex usu et more sumptam, quam σχετικὴν appellant.

Quam posteriorem Nestorius asserere magna contentione studebat. De quo sunt observanda ista Cyrilli : qui post hæretici descripta verba divinam naturam ab humana disjungentis, ac Deum Verbum negantis a Patre esse missum, his illum redarguit, « (1) Unitionis, *inquit*, modum evertit, ut commune Christi corpus inveniatur, nec jam revera proprium illius, qui vivificare omnia potest. »

II. Quamobrem eo ipso, quod propriam esse Dei ac Verbi carnem profitemur, Nestorianam impietatem avertimus : ac multa sunt ex hoc uno consectaria, quæ mirum in modum decus

(3) Cyrill. ad anath. 11. cont. Orient. tom. 6. pag. 193. C. Τὸν γὰρ τῆς ἑνώσεως παραλύει τρόπον, ἵνα κοινὸν εὑρίσκηται τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, οὐκέτι δὲ ἴδιον ἀληθῶς τοῦ πάντα ζωοποιεῖν ἰσχύοντος.

[1] Leo ep. 10. c. 2.

[2] Ut in lib. 4. cap. 14. a § 6. et in lib. 6. ad Anath. 11. Cyr.

et excellentiam assumpti ab Verbo hominis extollunt. Quibus ordine percensitis, pauca ex illis eligam, quæ subinde copiosius explicanda sunt.

Horum illud est primum, quod attigi proxime ante, Deum cum homine naturali, id est substantivo nexu, ac vinculo colligari, de quo in libro tertio fusius egimus. Nisi enim ita connecterentur, non esset ἰδία σάρξ, id est *caro propria* Verbi, quam sibi hoc ascivit, potius quam alicujus ex hominum numero, quem κοινὸν ἄνθρωπον appellat Cyrillus. Quippe ἴδιον opponitur τῷ κοινῷ. Cum ergo Dei peculiaris sit caro Christi, et eo modo propria, ac sua, quo nullius alterius appellari meretur hominis caro : necesse est extraordinario, et proprio, non communi cum reliquis modo Deo illam esse conjunctam. Cujusmodi nullus est nisi οὐσιώδης, et qui unam ex ambabus naturis substantiam, id est personam constituat. Nam si non eadem cum Deo persona, sed diversa esset, ac separata ; et hypostatica sua proprietate subsisteret, non assumentis propria, neutiquam hujus *propria*, et *sua* diceretur. Quod egregie Rusticus diaconus in disputatione contra Acephalos his verbis declarat, quæ profecto commemoranda sunt [1]. Hic igitur de Christi humanitate disserens, « Ob hoc, *inquit*, eam creavit, non ut sua, sed ut ejus esset : et super semetipso eam fundavit, tanquam super basim quamdam, vel fundamentum, ut vera dicam ; ut per eam perficeret propositam suæ immensæ largitati pulcherrimam dispensationem. Igitur non omnis individua persona est, sed illa omnis, quæ non ad hoc creatur, ut alteri inseparabiliter unita permaneat. Nam et humanum corpus non est alterius personæ ab anima sua. » Ita Rusticus naturam humanam idcirco proprio spoliatam esse dicit modo subsistendi, ut tota esset Verbi propria ; ac sic hypostasim Verbi, illius hypostasim esse factam. De quo in lib 3. cap. 13. jam egimus.

III. Hinc alterum illud humanæ naturæ Christi consequens est ornamentum, ut quidquid illi accidit quantumvis humile, ac probrosum, id in Deum referatur, cujus est caro propria. « (1) Etenim quoniam pati voluit, qui pati nihil poterat, cum natura Deus esset, carnem induit patiendi capacem, ait Cyrillus, eamque propriam fecit, ut sibi adscriberetur passio ; eo quod non alterius cujuspiam, sed ipsius corpus pateretur. » Legendum ejusdem scholiorum de Incarnatione caput 28. et anathematismus duodecimus, cum ejus propugnatione contra Theodoretum. Porro qua ratione tum illius intelligenda sit propria caro, tum passio, et indigna omnia in eumdem referantur, recte Joannes Maxentius exponit in Dialogo secundo [2], ubi cum Nestoriano contendit, qui *Deum passum* negabat, « eo quod passibilis non est ; sed eum corporis fecisse proprias passiones, quatenus Dei ita dicitur corpus, ut alicujus hominis proprium, quo indutus est, vestimentum : quod cum ab aliquo scissum fuerit, injuria ad eum refertur, qui ipso indutus est. » Hunc igitur refellens, loquitur sic : « Facit ergo proprias Deus carnis suæ passiones secundum relationem, non secundum veram et intimam proprietatem. Et quomodo fecisse proprias Deus carnis suæ passiones prædicatur a vobis, qui non secundum proprietatem, sed secundum relationem facit carnis suæ proprias passiones ? Quam autem proprietatem potest habere vestimentum ad eum, qui ipso est indutus, cum nihil pertineat ad ejus substantiam ? Neque enim cum definimus quid sit homo, etiam vestimentum ejus complectimur, quod utique non ejusdem constat esse substantiæ. Facit ergo Deus juxta vos Ecclesiæ suæ potius proprias, quam sui corporis passiones. Illa enim corpus Dei dicitur, quia communicavit Deus carni, et sanguini, et caput factus est Ecclesiæ. Ecclesia vero per fidem rursum particeps ejus efficitur, accipiendo Spiritum sanctum. A vobis autem corpus Dei instar creditur vestimenti, quod nihil ad divinitatis, vel carnis ejus naturam pertinere videatur. »

De hoc etiam S. Thomas in opusculo tertio contra Græcos et Armenos, capite sexto, erudite disputat : ac mirabili quodam modo, « Deum unitum *ait* esse humanæ naturæ in Christo, ut humana natura esset quædam filii Dei natura : et sic quælibet partes humanæ naturæ ipsius filii Dei dici possunt Deus : et quidquid agit, vel patitur quælibet pars humanæ naturæ in filio Dei potest attribui unigenito Dei verbo. Unde non inconvenienter dicimus animam et corpus esse filii Dei, sed

(1) Cyrill. dial. de uno Christo, tom. 5. p. 766. D. Ἐπειδὴ δὲ ἠθέλησε διὰ τοῦτο παθεῖν ὁ παρὰ τοῦ δύνασθαι παθεῖν, διά τοι τὸ εἶναι φύσει Θεὸς, τὴν τοῦ παθεῖν δεκτικὴν ἠμπέσχετο σάρκα, καὶ ἰδίαν ἀπέφηνεν αὐτὴν, ἵνα καὶ αὐτοῦ λέγοιτο τὸ παθεῖν, ὅτι μὴ τὸ ἑτέρου τινὸς, ἀλλὰ τὸ αὐτοῦ πέπονθε σῶμα.

[1] Rust. tom 1. Bib. p. 1. col. 816. E.

[2] Max. tom. 4. Bib. 481. B.

et oculos, et manus; et quod filius Dei corporaliter videat per oculi visionem, et audiat per auris auditum, etc. »

De hoc eodem Theophanes Cerameus Homilia 28. « (1) Quoniam, *inquit*, carnem assumpsit, quæ glorificatione opus habebat; nec alterius cujuspiam, sed ipsius erat caro : merito ea sibi propria facit, quæ in ipsam et circa ipsam fiunt; ac tanquam homo non habens accipit a Patre quæ naturaliter habebat. »

IV. Illud præterea sequitur ex eo, quod caro Dei Verbi propria sit, ut unus cum Verbo filius sit homo. Ita Cyrillus libro decimo in Joannem de iis verbis disserens[1], *Et ego resuscitabo eum in novissimo die :* « (2) Cum unum sit, *inquit*, cum propria carne Deus Verbum existens in ea, illud, ego, dixit, idque recte. Non enim in filiorum binarium dividitur Christus : neque porro alienum ab Unigenito corpus ipsius suspicetur aliquis, non secus atque alienum ab anima nostra nemo, ut opinor, corpus ipsius appellaverit. »

Item istud quoque consectarium est, quod in libro octavo uberrime declaratum est, ἐνεργείας, id est operationes carnis sive hominis, Dei ac Verbi proprias haberi, et ab eo tanquam agente proficisci; quod non fieret, si caro non illius esset propria, sed aliena, et ab eo disjuncta. Tum hoc insuper, ut eadem humanitas, quæ passim carnis appellatione censetur, deificata sit, ac tota in divinitatem velut absorpta transierit. Ac denique ut *vivificandi*, hoc est vitæ non corporeæ solum, sed etiam divinæ, ac spiritalis impertiendæ ceteris vim, et efficientiam suo, ac proprio jure quodam obtineat. Quod Græci sic efferre solent, ut ζωοποιὸν dicant esse Christi carnem.

Hæc præcipua sunt decora carnis a Verbo susceptæ, ex eo nata, quod sic eam assumpsit, ut suam et propriam faceret : quod sine arctissima copulatione esse non potuit, qua unus ex ambobus extitit Christus. Ex illis autem dotibus, et insignibus sex, postrema duo seligam, quæ paululum collatanda, et oratione illustranda mihi videntur : propterea quod hæreticorum calumniæ, et nonnullorum obtrectationi ac petulantiæ in sanctos Patres occasionem dederunt. Cujus utriusque propulsandæ ac diluendæ tempus opportunum institutæ consequentia disputationis obtulit.

V. Naturam igitur humanam in Christo intima illa, et mirabili conjunctione cum Verbo divinam esse factam, docent sancti Patres, et in alterum quodammodo statum fuisse translatam. Idque Græci vocabulis fere istis exprimunt, θεωθῆναι, vel ἀποθεωθῆναι, et similibus, quæ in libro quarto, capite octavo, diligenter exposuimus. Docet hoc Origenes in tomo tertio contra Celsum, ubi de Christo illustre testimonium dicit his verbis : « (3) Quem nos arbitramur, et persuasum habemus a principio esse Deum, et Dei filium, is est ipsum Verbum, et ipsa sapientia, et ipsa veritas. At ejus mortale corpus, et quæ huic inest, humanam animam, ex ea, quam cum illo habet, non modo communione, sed etiam unitione, et commistione, maxima quædam percepisse dicimus, et illius participata divinitate, in Deum transiisse. » Quod prius in anima Christi, quam in corpore esse factum, idem Origenes ex peculiari errore tradidit[2]. Nam illam « ab initio creaturæ inseparabiliter Deo, atque indissociabiliter inhærentem, totam in eum cessisse » dixit. De qua hæresi Origenis actum est in primo libro.

Hinc merito divinitate, ejusque proprietatibus οὐσιωθῆναι, id est *substantiatum* esse, ut sic loquar, hominem assumptum, scripsit Gregorius Nazianzenus alibi laudatus a nobis[3]. Imo vero *supersubstantiatum*, si tali vocabulo fas esset uti, dicere possemus. Quippe Dionysius Epistola quarta, Christum ait « (4) supersubstantialitate superplenum esse, qui sit semper supersubstantialis; et ad substantiam revera venientem, super substantiam esse substantiatum. » Cujusmodi apud auctorem illum

(1) THEOPH. pag. 216. C. Ἐπεὶ σάρκα ἀνέλαβε τοῦ δοξάζεσθαι χρῄζουσαν, καὶ οὐχ ἑτέρου τινὸς, ἀλλ' αὐτοῦ γέγονε σὰρξ, εἰκότως ἰδιοποιεῖται τὰ εἰς αὐτὴν, ἢ περὶ αὐτὴν γινόμενα· καὶ ὡς ἄνθρωπος μὴ ἔχων δέχεται παρὰ τοῦ Πατρὸς ἅπερ ἔχει φυσικῶς.

(2) CYRIL. lib. 10. in Joan. pag. 863. E. Ἀλλ' ἓν ὑπάρχων μετὰ τῆς ἰδίας σαρκὸς ὁ ἐν αὐτῇ Θεὸς Λόγος, τὸ ἐγώ φησιν, καὶ λίαν ὀρθῶς. Οὐ γὰρ εἰς υἱῶν δυάδα τέμνεται Χριστός· οὔτε μὴν ἀλλότριον τοῦ μονογενοῦς ὑπονοήσαι τις ἂν τὸ σῶμα αὐτοῦ, ὥσπερ οὖν ἀμέλει καὶ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς οὐκ ἂν οἶμαί τις ἀλλότριον προσερεῖ τὸ σῶμα τούτου.

(3) ORIG. 3. cont. Cel. pag. 140. Ὅτι ὃν μὲν νομίζομεν, καὶ πεπείσμεθα ἀρχῆθεν εἶναι Θεὸν, καὶ Υἱὸν Θεοῦ, οὗτος ὁ αὐτολόγος ἐστὶ, καὶ ἡ αὐτοσοφία, καὶ ἡ αὐτοαλήθεια. Τὸ δὲ θνητὸν αὐτοῦ σῶμα, καὶ τὴν ἀνθρωπίνην ἐν αὐτῷ ψυχὴν τῇ πρὸς ἐκεῖνο οὐ μόνον κοινωνίᾳ, ἀλλὰ καὶ ἑνώσει, καὶ ἀνακράσει, τὰ μέγιστά φαμεν προσειληφέναι, καὶ τῆς ἐκείνου θεότητος κεκοινωνηκότα εἰς Θεὸν μεταβεβηκέναι.

(4) DION. epist. 4. Ἐκ τῆς τῶν ἀνθρώπων οὐσίας ὁ ὑπερουσίως οὐσιωμένος. Ἔστι δὲ οὐδὲν ἧττον ὑπερπλήρης ὁ ἀεὶ ὑπερούσιος, etc. καὶ εἰς οὐσίαν ἀληθῶς ἐλθὼν ὑπὲρ οὐσίαν οὐσιώθη· καὶ ὑπὲρ ἄνθρωπον ἐνήργει τὰ ἀνθρώπου.

[1] Joan. 6. 55. — [2] Orig. 1. Periar. c. 6. — [3] Lib. 3. c. 8. § 9.

passim occurrunt grandia, et, ut ait Synesius, (1) φλεγμαίνοντα ὀνόματα, *ne ingentes res infra dignitatem explicentur.* Vide quæ libro octavo ad hoc argumentum spectantia, capite præsertim undecimo, ac sequente, aliisque diximus.

VI. Sed hanc humanæ naturæ, carnisque Christi θέωσίν, et in divinitatem velut transitum, nullus antiquorum Patrum vehementius grandioribusque verbis illustravit, quam Gregorius Nyssenus ; adeo ut etiam modum excessisse videri possit in ea tractanda re, ac quædam explicatu difficilia jactasse : quæ partim errandi, partim calumniandi ansam præbere queant imperitis, aut novitatis plus æquo cupidis hominibus ; qualium nostra hæc apprime ferax est ætas. Itaque proponam illius sententias aliquot, quibus nonnullam carnis, humanitatisve *mutationem*, et quasi *commistionem*, ac *temperationem* cum divinitate videtur exprimere : quam ἀνάκρασιν, et μεταποίησιν appellat.

In libro quarto contra Eunomium, hæc de Christi corpore memoranda prodidit. « (2) Nos quidem, *ait*, etiam corpus, quo passionem suscepit, cum divina natura temperatum, illud esse factum per temperationem asserimus, quod est assumens ipsa natura. Tantum abest, ut parvum aliquid de Deo unigenito cogitemus ; ut si quid ex inferiore natura ob benignam dispensationem assumptum est, hoc ipsum credamus in illud, quod divinum, incorruptumque est, esse mutatum. » Et in eodem libro : « (3) Novit, *inquit*, omnino, Verbum, quod in carne apparuit, idem esse cum Verbo, quod apud Deum est ; at vero carnem non eamdem fuisse cum divinitate, antequam et ipsa mutaretur in divinitatem : ut necessaria alia Deo Verbo congruerent, alia formæ servili. » Ac subinde, « (4) Divina natura semper, *inquit*, una et eadem est, et eodem modo se habens. Verum caro per seipsam quidem istud est, quod de ea ratio, ac sensus percipiunt : postquam vero cum divinitate commista est, non amplius suis terminis, ac proprietatibus continetur ; sed ad id, quod dominatur, et excellit, assumitur. »

Item, « (5) Naturam *ait* corruptibilem ex ea qua cum Deo conjuncta est mistione, secundum id quod potentius est, reformatam, divinitatis participasse virtutem. Quemadmodum si quis dicat, aceti guttam pelago immistam, mare esse mistione factam ; quod non amplius naturalis qualitas in prævalentis immensitate maneat. »

VII. Sic in libro contra Apollinarem, ad Theophilum, hæresim illius refellens, quæ hominem in Christo perfectum esse minime fatebatur, ne duos filios admittere cogeretur, hoc utitur argumento : idcirco duos non inesse filios, quod divina natura, quæ cum mortali et corruptibili, immortalis et incorrupta conjuncta est, hanc ipsam, quam assumpsit, in ejus proprio statu, et conditione non reliquerit. « (6) Si enim hoc fecisset, merito, *inquit*, binarium in Dei filio consideraret ; dum utrumque contrariorum privatim in seipso numeraret. Cum autem mortale in immortalitate positum immortalitas sit factum, ac similiter corruptibile in incorruptionem mutatum fuerit, tum cetera omnia perinde in impatibilem, divinumque statum conversa sint ; quid tandem rationis habent ii, qui quod unum est in duorum differentiam dividunt ? »

Hic mirum videtur, quod argumentum fore duplicis in Christo personæ dicit, et naturæ utriusque per se subsistentis, si sic humana cum Verbo jungeretur, ut illius propriæ qualitates in ipsa remanerent ; nec in divinam

(1) Syn. epist. 4. pag. 162. A. Ἔδει γάρ μοι καὶ φλεγμαινόντων ὀνομάτων, ἵνα μὴ τὰ μεγάλα σμικροπρεπέστερον διηγήσωμαι.

(2) Gregor. Nyssen. 4. cont. Eunom. tom. 2. pag. 153. Ἡμεῖς μὲν γὰρ καὶ τὸ σῶμα, ᾧ τὸ πάθος ἐδέξατο, τῇ θείᾳ φύσει κατακραθὲν, ἐκεῖνο πεποιῆσθαί φαμεν, διὰ τῆς ἀνακράσεως, ὅπερ ἡ ἀναλαβοῦσα φύσις ἐστί. Τοσοῦτον ἀπέχομεν τοῦ μικρόν τι περὶ τὸν μονογενῆ Θεὸν ἐννοεῖν, ως εἴ τι καὶ τῆς κάτω φύσεως διὰ τὴν φιλάνθρωπον προσελήφθη οἰκονομίαν, καὶ τοῦτο πιστεύειν μεταπεποιῆσθαι πρὸς τὸ θεῖόν τε καὶ ἀκήρατον.

(3) Ibid. pag. 160. D. Οἶδε γὰρ πάντως ὅτι ὁ μὲν Λόγος ὁ ἐν σαρκὶ φανεὶς ὁ αὐτός ἐστι τῷ Λόγῳ, τῷ πρὸς τὸν Θεὸν ὄντι. Ἡ δὲ σὰρξ οὐχ ἡ αὐτὴ τῇ θεότητι, πρὶν μεταποιηθῆναι καὶ ταύτην πρὸς τὴν θεότητα· ὡς ἐξ ἀνάγκης, ἀλλὰ μὲν ἐφαρμόζειν τῷ Λόγῳ, ἕτερα δὲ τῇ τοῦ δούλου μορφῇ.

(4) Ibid. pag. 161. vers. 11. Ὅτι ἡ μὲν θεία φύσις ἀεὶ μία καὶ ἡ αὐτὴ καὶ ὡσαύτως ἔχουσα. Ἡ δὲ σὰρξ καθ' ἑαυτὴν μὲν ἔστι τοῦτο, ὅπερ καταλαμβάνει περὶ αὐτῆς ὁ λόγος, καὶ αἴσθησις· ἀνακραθεῖσα δὲ πρὸς τὸ θεῖον οὐκέτι ἐν τοῖς ἑαυτῆς ὅροις τε καὶ ἰδιώμασι μένει· ἀλλὰ πρὸς τὸ ἐπικρατοῦν τε, καὶ ὑπερέχον ἀναλαμβάνεται.

(5) Ibid. pag. 162. vers. ult. Ἀλλὰ τῇ πρὸς τὸ θεῖον ἀνακράσει κατὰ τὸ ἐπικρατοῦν ἀναποιηθεῖσαν τὴν ἐπίκηρον φύσιν, μεταλαβεῖν τὴν τῆς θεότητος δύναμιν, ὡς εἴ τις λέγοι, ὅτι τὴν σταγόνα τοῦ ὄξους ἐμμιχθεῖσαν τῷ πελάγει, θάλασσαν ἡ μίξις ἐποίησε, τῷ μηκέτι τὴν κατὰ φύσιν ποιότητα τοῦ ὑγροῦ τούτου, ἐν τῇ ἀπειρίᾳ τοῦ ἐπικρατοῦντος συμμένειν.

(6) Id lib. cont. Apollin. pag. 696. B. Εἰκότως ἄν τις δυάδα τῷ Υἱῷ τοῦ Θεοῦ ἐνεθεώρησε, τῶν κατὰ τὸ ἐναντίον θεωρουμένων ἑκάτερον ἰδιαζόντως ἐφ' ἑαυτοῦ ἀριθμῶν. Εἰ δὲ τὸ θνητὸν ἐν τῷ ἀθανάτῳ γενόμενον, ἀθανασία ἐγένετο, ὁμοίως καὶ τὸ φθαρτὸν εἰς ἀφθαρσίαν μετέβαλε, καὶ τὰ ἄλλα πάντα ὡσαύτως πρὸς τὸ ἀπαθές τε καὶ θεῖον μετεποιήθη. Τίς ὑπολείπεται λόγος τοῖς εἰς δυϊκὴν διαφορὰν τὸ ἓν διασχίζουσιν.

translata conditionem humanitas fuisset. Atqui quandiu vixit in terris Christus Dominus, mutabilitatis, ac mortis particeps fuit : nec tamen ideo filii duo numerati sunt, neque caro per sese subsistens fuit.

Quinetiam sequente pagina, de infirmæ, caducæque naturæ nostræ mutatione, ac profectu in melius ex divinitatis commercio disputans, « (1) Quidquid in illa est imbecillum, et morti obnoxium, divinitati commistum, *ait* illud ipsum, quod est divinitas, esse factum. » Ex quo concludit filiorum in Christo non esse binarium. Item, « (2) assumptas humanæ naturæ primitias ab omnipotenti divinitate si, quis explicare talia similitudine aliqua velit, instar esse » dicit « aceti stillæ, quæ immenso mari commiscetur. Ad hunc enim modum hominis naturam in divinitate sic inesse, ut in suis proprietatibus non maneat. Nam si hoc esset, filiorum binarium suspicari consequens foret, dum in Filii inexplicabili divinitate diversi generis natura quædam suis insignita notis agnosceretur : adeo ut alterum esset imbecillum, vel parvum, vel corruptibile, vel temporarium ; alterum potens, et magnum, incorruptibile, ac sempiternum. » Sic igitur humanam Christi naturam, velut exutam proprietatibus suis, hoc est *imbecillitate*, *corruptione*, ac ceteris ejusdemmodi, totam in Deum translatam, et quodammodo mutatam esse dicit. Quod etsi de illo statu intellexerit, qui resurrectionem est consecutus, in quo absorpta est infirmitas, et mortalitas, ut loquitur Apostolus; nihilominus singulare est, quod ait Gregorius, nisi ista naturæ hominis in divinitatem mutatio, et quasi transformatio fieret, duos videri filios existere. Etenim quamdiu vixit in terris Christus Dominus, et fragilem ac mortalem carnem circumtulit; non idcirco duo, ac distincti fuerunt, aut vero fuisse putandi sunt filii.

VIII. Quamobrem ex aliis ejusdem doctoris sanctissimi locis, non modo quæ diversis in operibus extant, sed etiam quæ in isto ipso leguntur, commoda est interpretatio illis adhibenda sententiis : quam ex attenta ejusdem lectione ita mihi confecisse videor. Proprietatum aliæ sunt essentiales, et εἰδοποιοὶ, quas *specificas* vocant, quæ speciem, et naturam ipsam sequuntur, et communes sunt individuis omnibus, sive ad essentiam ipsam definitionemque pertineant, sive ex natura ipsa proficiscantur, nec ab ullo absint sub eadem comprehenso specie. Sic ratiocinari posse, intelligere, loqui, libere agere, proprietates sunt hominis, quas οὐσιώδεις Græci nominant : iisque velut notis et characteribus propriis, homo quilibet, qua est homo, describitur. Aliæ sunt accidentes qualitates, sine quibus constare natura potest: et harum partim individuis omnibus competunt ; partim certis duntaxat, ut ægritudo, bona valetudo, vitium corporis aut animi, quæ non insunt omnibus. Item ægrotare posse, vel sanum esse posse, concupiscentia, et in peccandum propensio, quibus hominum nemo caret, citra singulare Dei beneficium. Hæc enim præter naturam homini accidunt, et ex peccati merito, ad ejusque pœnam inflicta sunt, ut defectus potius sint humanæ naturæ, quam ejus propriæ, ac naturales affectiones. Ejusdemmodi est etiam, morti et corruptioni obnoxium esse, vel esse moriturum. Non enim naturale id est homini : [1] *quia Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum*: ac « nisi Adam peccasset, non erat expoliandus corpore, atque etiam animale adhuc, ac mortale illud habens, non tamen esset mortuus [2]. »

IX. De priori genere proprietatum non est locutus Gregorius Nyssenus; sed de posteriori, cum humanæ naturæ proprias affectiones absorptas in divinitatem, ac velut extinctas esse significat. Etenim quæ sunt homini secundum naturam propria, nunquam abfuisse, ac perpetuo in Christo mansisse luculenter affirmat in eodem libro ad Theophilum adversus Apollinarem [3] : in quo non solum Verbum, id quod est, et ante assumptionem hominis, et post eam mansisse docet ; sed humanam quoque naturam salvam, et incolumem perseverasse : quem locum in libro tertio descripsimus [4]. In sexto vero libro [5] copiose demonstravimus, integram, nec ulla naturali proprietate diminutam hominis naturam in Christo persti-

(1) Ibid. pag. 697. Ἀλλὰ τὸ μὲν θνητὸν ὑπὸ τῆς ζωῆς κατεπόθη, etc. καὶ πᾶν ὅσον ἀσθενὲς τῆς φύσεως ἡμῶν, καὶ ἐπίκηρον ἀνακραθὲν τῇ θεότητι, ἐκεῖνο ἐγένετο ὅπερ ἡ θεότης ἐστί. Πόθεν οὖν ἄν τις τὴν δυάδα τῶν υἱῶν ἐννοήσειεν ; etc.

(2) Ibid. Ἡ δὲ προσληφθεῖσα τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἀπαρχὴ ὑπὸ τῆς παντοδυνάμου θεότητος, ὡς ἂν εἴποι τις εἰκόνι χρώμενος, οἷόν τις σταγὼν ὄξους ἀπείρῳ πελάγει καταχραθεῖσα, ἔστι μὲν ἐν θεότητι, οὐ μὴν ἐν τοῖς ἰδίοις αὐτῆς ἰδιώμασι. Οὕτω γὰρ ἂν ἡ τῶν υἱῶν δυὰς ἀκολούθως ὑπενοεῖτο, εἰ τῇ ἀφράστῳ τοῦ Υἱοῦ θεότητι ἑτερογενής τις φύσις ἐν ἰδιάζουσι σημείοις ἐπεγινώσκετο· ὡς εἶναι τὸ μὲν ἀσθενὲς, ἢ μικρὸν, ἢ φθαρτὸν, ἢ πρόσκαιρον· τὸ δὲ δυνατὸν, καὶ μέγα, καὶ ἄφθαρτον, καὶ ἀΐδιον.

[1] Sap. 1. 13. — [2] Aug. lib. de pec. mer. c. 2. et 3.

[3] Tom. 2. p. 696.— [4] C. 6. § 16.— [5] Præsertim c. 6. et 7.

tisse ex ejusdem Gregorii sententia, et conjectas in eum calumnias ab anonymo impostore discussimus.

Quod autem ad alterum proprietatum genus attinet, earum quasdam statim, ac funditus exclusit; quasdam, dum in terris viveret, procurandæ salutis humanæ gratia retinuit. Priores eæ sunt, quæ contagione culpæ aliqua sunt afflatæ, ob idque cum divina integritate minus consentiunt. Talis est peccandi potestas, et intestinus concupiscentiæ morbus, ac cetera hujusmodi, de quibus postea. Hæc enim ab homine Christo penitus abfuerunt. At quæ sunt alterius speciei, et procul ab vitio, peccatoque sunt, tametsi vilissima, et indignissima tanta majestate fuerint, aliquanto in se tempore suscepit; ut est moriendi conditio, tristitia, fames, lassitudo, sitis, ac reliqua id genus humanæ infirmitatis argumenta; quæque Græci ἀδιάβλητα πάθη vocant, hoc est *affectiones alienas a culpa et vituperatione.* Easdem tamen mortali vitæ statu perfunctus deposuit, et in præstantiorem ac divinum absorberi, abolerique voluit: nempe post resurrectionem; quo tempore humanæ redemptioni, functionique suæ terminum constituit: « (1) Ut universæ hominum naturæ resurrectionis ex mortuis consequentiam, et principium daret: uti corruptibile induat incorruptionem, et mortale immortalitatem; cum primitiæ nostræ in divinam naturam, ex quadam cum Deo temperatione, commutatæ fuerint, » ait Gregorius noster. Quemadmodum post sanctorum resurrectionem, anima beata « (2) totum in seipsam corpus absumet, ut alter Gregorius scribit, fietque cum ipso unus spiritus, et mens, et Deus; absorpto videlicet a vita eo, quod mortale est et diffluens. » Quo illa pertinere Apostoli [1], *Nunc ergo secundum hominem jam non novimus Christum,* putat Ambrosius.

X. Quamobrem illas humanæ imbecillitatis affectiones suscepit Dominus, quibus verum se probaret hominem, ac duplicem in se naturam esse monstraret. Easdem vero rursus exuta mortali conditione posuit, ut se verum Deum ostenderet. Quod si illas perpetuo retineret, unius, ejusque divinæ personæ fidem non faceret: ac merus, et ceterorum similis homo videretur; qui non solum natura, sed hypostasi quoque disjunctus esset a Deo, non unus cum ipso, nec substantiva aliqua junctione copulatus, sed affectu duntaxat, et σχέσει: quæ detestanda fuit opinio Nestorii, ac similium hæreticorum.

Hæc mens Gregorii fuisse Nysseni videtur, dum carnis proprietates illas, quæ ex peccato consecutæ, non ejus tamen macula sunt infectæ, neque dedecus, ac turpitudinem habent, assumptas quidem ait; sed ea causa sublata, propter quam erant ascitæ, prorsus exstinctas, et in divinitatis statum, ut ille loquitur, absorptas fuisse. Quod nisi ita factum foret, merito existimatum iri duas in Christo esse personas, ac filios duos. Quæ suspicio beata illa et admirabili humanæ naturæ commutatione tollitur Hæc enim Dei propriam, ac divinam, imo Deum esse carnem illam arguit, quæ in divinas qualitates tota concessit.

Huc stillæ aceti similitudo illa pertinet, quæ in immensum oceanum projecta, nativam, ac vitiosam proprietatem amittit. Quod ab Gregorio Nysseno commemoratum exemplum, aut etiam cetera, quæ de ἀνακράσει, et commistione humanæ cum Deo Christi naturæ disserit, nemo mirabitur, qui eamdem pene charitatis affectionem cum Deo, qua sancti copulantur, a Patribus usurpari meminerit: eamque non in beatæ duntaxat immortalitatis statu illis tribuit, sed etiam *peregrinantibus* adhuc *a Domino,* et ardentissimo interim illius amore flagrantibus.

XI. Ita quippe Bernardus in tractatu de diligendo Deo [2], quartum amoris Dei gradum explicans, quo nihil penitus, ac ne seipsum quidem, nisi propter Deum homo diligit. « Sic affici, *inquit*, deificari est. Quomodo stilla aquæ modica multo infusa vino deficere a se tota videtur, dum et saporem vini induit, et colorem: et quomodo ferrum ignitum, et candens, ignis simillimum fit, pristina propriaque forma exutum: et quomodo solis luce perfusus aer in eamdem transformatur luminis claritatem, adeo ut non tam illuminatus, quam ipsum lumen esse videatur: sic omnem tunc in sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit a semetipsa lique-

(1) GREG. Nyss. lib. 1. cont. Eun. pag. 56. Ὥστε ἀκολουθίαν, καὶ ἀρχὴν δοῦναι πάσῃ τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως, ἵνα τὸ φθαρτὸν ἅπαν ἐνδύσηται ἀφθαρσίαν, καὶ τὸ θνητὸν τὴν ἀθανασίαν τῆς ἀπαρχῆς ἡμῶν διὰ τῆς πρὸς τὸν Θεὸν ἀνακράσεως εἰς θείαν φύσιν μεταποιηθείσης.

(1) NAZIANZ. orat. 10. pag. 174. Ὅλον εἰς ἑαυτὸν ἀναλώσασα, καὶ γενομένη σὺν τούτῳ ἓν, καὶ πνεῦμα, καὶ νοῦς, καὶ Θεὸς, καταποθέντος ὑπὸ τῆς ζωῆς τοῦ θνητοῦ τε, καὶ ῥέοντος

[1] Ambros. ep. 8. ex 2. Cor. 15.

[2] Bern. de dilig. Deo col. 954. A.

scere, atque in Dei penitus transfundi voluptatem. Alioquin quomodo omnia in omnibus erit Deus, si in homine de homine quidquam supererit? Manebit quidem substantia; sed in alia forma, alia gloria, aliaque potentia. » Quem stupendum charitatis fructum utcumque mortali hac in vita provenire ibidem significat; sed nonnisi in futura perfecte constare, « in corpore spiritali, et immortali, in corpore integro, placido, placitoque, et per omnia subjecto spiritui. »

Non abhorret ab illa charitatis, amorisque vi, et efficientia, quæ unum ex pluribus facit, quod alias observare memini; conjunctionem illam, sive unitatem potius, qua nulla cogitari major, et arctior potest, tribui interdum a Patribus tanquam causæ, mutuo amori et concordiæ. Quid enim magis est unum, quam divinæ inter se personæ? At unitas earum, ad amorem et pacem, quæ est inter ipsos summa, revocatur ab Augustino, ut in libro septimo de Trinitate docuimus [1]; ex quo memorabile istud etiam attulimus, si Christianorum initio cor unum et animam unam mutua charitas fecit [2], multo magis eamdem charitatem, unum efficere Patrem, et Filium [3]: « Si enim hic tanta charitas est, ut animam tuam, et animam amici tui unam animam faciat, quomodo ibi non est unus Deus Pater, et Filius? » Unde etiam vinculum amborum, ac nexum appellari Spiritum sanctum ibidem ostendimus.

XII. Jam si tantæ illius unitatis, qua personæ inter se divinæ colligantur, mutuæ ipsarum dilectioni causa tribuitur, multo magis alterius unitionis, qua humana cum Verbo natura connectitur, indidem duci ratio poterit, ex affectu videlicet, charitateque mutua. Certe Bernardus ἀνάκρασιν illam, id est *temperationem*, *mistionemque* Verbi, et humanitatis, ut sæpe græci ac latini Patres nominant, qua hæc in illius divinitatem absorbetur, affectioni imputat in sermone quodam de beata Virgine, ita loquens [4]: « Absorpta videtur in deitatem humanitas, non quod mutata sit substantia, sed affectio deificata. »

Hæc de intima naturæ hominis cum Deo Verbo conjunctione, et in hunc illius, ut Græci loquuntur, *mutatione*, commentanti mihi, venit in mentem Origenes, qui firmissimam hanc, et perpetuam hominis cum Verbo consociationem ex illius libera voluntate profectam esse censuit [5]: « Cum liberi, *inquit*, arbitrii varietas unumquemque, ac diversitas habuisset animorum, ut alius ardentiore, alius tenuiore, et exiliore erga auctorem suum amore teneretur; illa anima de qua dixit Jesus [6], *quia nemo auferet a me animam meam*, ab initio creaturæ, et deinceps, inseparabiliter ei, atque indissociabiliter inhærens, utpote sapientiæ, et verbo Dei, et veritati, ac luci veræ, et tota totum recipiens, atque in ejus lucem, splendoremque ipsa sedens, facta est cum ipso primordialiter unus spiritus, sicut et Apostolus his, qui eum imitari deberent, promittit, quia [7] *qui se jungit Domino, unus spiritus est.* » Sed his perversi dogmatis, et hæretici virus admiscet, dum ut ante, significavi [8], animam Christi longe ante corpus a Deo procreatam existimat divinæ illius societatis compotem fuisse, et assumptum ejusdem fuisse conjunctionis particeps.

Verum de Origene minus laborandum nobis est, cujus ingenium talium commentorum, et ineptiarum ferax nemo prudens, et sanæ fidei laudaverit. De ceteris autem eximiis et integerrimis Patribus, qui tam personarum divinarum inter se, quam naturarum unitatem in Christo ad mutuum charitatis affectum, et concordiam retulisse videntur, dici hoc verissime potest; non eos primariam, et propriam illius conjunctionis hujusmodi esse causam arbitrari, sed quasi consequentem, et secundariam. Non enim οὐσιώδη, et substantivum, sive naturalem nexum intercedere vel nescierunt, vel dissimularunt. Sed ejus omissa mentione, quam luculentam alibi fecerant, pro eo ac sermonis, et argumenti ratio ferebat, posteriorem istam nonnunquam attulerunt.

XIII. Ad summam duo in hoc negotio vitandi sunt scopuli. Primus, ne nimis jejune de præstantissima illa humanæ cum Deo naturæ copulatione sentiamus; ut eam solo affectu, ac σχέσει metiamur. Quo quidem in loco Cyrilli Alexandrini notata est a nobis alias, et declarata sententia est, quæ huic, quod dicimus, adversari videtur. Nam humanæ cum Verbo naturæ coagmentationem sola σχέσει definire videtur. Ac primum unitionem istam recte his verbis explicat, quibus etiam naturarum discrimen aperit, et Apollinaris hæresim refellit. « (1) Igitur, *inquit*, quoniam non est consubstantialis Deo, et Patri, sed nec idem cum eo

(1) CYRILL. lib. 11. in Joan. pag. 1001. B. Οὐκοῦν ἐπειδήπερ οὐχ ὁμοούσιος τῷ Θεῷ καὶ Πατρὶ, ἀλλ' οὐδὲ ταὐτὸν εἰς φύσιν ἡ ἐκ γυναικὸς σάρξ ἐστιν, ἤγουν ὁλοκλήρως ὁ ἐκ τῆς Παρθένου ναὸς· παραδεχθεὶς δὲ ἅπαξ εἰς σῶμα τοῦ Λόγου, λοι-

[1] Lib. 7. c. 12. § 9. — [2] Act. 4. 32. — [3] Aug. tr. 14. in Jo. — [4] Bernard. col. 262. D.

[5] Orig. 2. Periar. c. 6. pag. 441. C. — [6] Joan. 10. 18. — [7] 1. Cor. 6. 17. — [8] Supra 5.

natura caro ex muliere nata, vel omnino templum, quod ex Virgine formatum est; nihilominus ubi hoc semel in Verbi corpus est assumptum, deinceps tanquam unum cum eo aliquid censetur. Unus enim Christus, et unus Filius, quando homo factus est. Ideo unitionem hanc intelligitur accepisse, quando ad hoc etiam cum carne est assumptus, quæ id ex seipsa non habebat, ut unum esset cum Deo.» Pergit deinceps, et quomodo ad illam copulationem pervenerit caro sic exponit : « (1) Sanctificatam a Spiritu illas esse » dicit, « et sic ad conjunctionem illam cum Deo Verbo citra confusionem, ac per ipsum cum Patre esse subvectam; quod nimirum habitudine, non natura perfectum est.» Ecce σχετικῶς, non φυσικῶς, cum Verbo conjunctam, et unum aliquid factam esse naturam humanam Cyrillus affirmat : cum tamen alias unitionem illam φυσικὴν vocet. Verum quo sensu hoc dixerit, expositum est in libro 3.[1] ubi de unitione φυσικῇ egimus. Natura humana Christi non per se cum Verbo copulatur, ita ut una fiat ex ambobus natura composita; sicut ex materia et forma : ex quibus natura una fit, propterea quod duæ illæ partes, qua naturæ sunt, hoc est naturales partes, inter se junguntur. Sunt enim *actus* et *potentia*, ex quibus unum per se aliquid efficitur. At humana Christi natura, qua natura est, perfecta est, et actu; ut et Verbum, quocum jungitur. Quare non possunt in unam ambo naturam coalescere. Proinde non φυσικῶς, id est, qua naturæ sunt, connectuntur, et unum sunt; sed σχετικῶς, quia mutuo se habent, et sibi cohærent. Quod si φυσικῶς pro eo, quod est οὐσιωδῶς, accipiatur, et substantivum aliquem modum conjunctionis significet, potest humanitas Christi cum Verbo φυσικῶς conjuncta dici.

XIV. Alterum hac in re cavendum erroris extremum; ne sic in divinitatem transiisse natura putetur hominis, ut sit abolita penitus, et extincta, nec ulla præter divinam relicta fuerit. Quod ex sanctorum Patrum quibusdam dictis, maxime ex Gregorio Nysseno, et Cyrillo, Monophysitæ concludebant; quæ summatim collecta sic ab illis objici solere, refert Anastasius Sinaita : « (2) Nos, *inquiebant*, subtilibus animi notionibus, sive mentis imaginationibus intelligimus, Christum ex duabus naturis unam esse naturam incarnatam. Nam post unitionem non sunt amplius naturæ duæ. Quippe deificata est caro, et commista est, velut aceti stilla in vasto mari : ac talis est facta, quale est id, a quo deificata est. Item, Verbum caro factum est, ut et caro Verbum fiat. Siquidem voluntas sola est divinitatis, sicut substantia est sola Verbi. Tum naturæ in Christo non sunt duæ, una adoranda, altera non adoranda.» Quæ omnia sparsim ex antiquis supra commemorata, et explicata sunt.

Ac meminisse in istis ejus oportet, quod recte Arnobius in conflictu cum Serapione scriptis prodidit[2] : « Non solum a statu suo non esse exclusam humanam substantiam, sed in statu suo magis esse roboratam. Nam sicut status virginitatis Mariæ, homine concepto, et parto, non est ex sua integritate dejectus, sed magis est integrior factus : ita status humanæ substantiæ in infusione divina ita, inquam, est fortior factus, ut quidquid per prævaricationem Adæ fragilitatis incurrerat, per assumptionem Dei penitus non haberet, et firmius suæ integritate substantiæ possideret, quam ipse Adam ante suam prævaricationem possedit.» Sed adeo inferiorem in se naturam suscepit, ac circumplexa divina est, «[3] ut hæc fallendi simplices, atque ignorantes hæreticis occasio fuerit : ut quæ ab eo secundum hominem dicta sunt, dicta esse secundum naturæ divinæ infirmitatem mentiantur : et quia unus, atque idem est loquens omnia quæ loquitur, de semetipso omnia eum locutum esse contendunt.»

Postremo ad obstruendum similium calumniarum aditum, observandum est theologo, cum dicitur caro τεθεῶσθαι, hoc est *deificata esse*, nomen Θεὸς ibi non essentiam ipsam proprie ac præcise significare, sed eamdem qua subsistit in Verbo, sive ipsummet Deum Verbum; ut sit idem θεωθεῖσα σὰρξ, quod λογωθεῖσα, id est *Verbificata*, de qua voce alias dictum est.

πὸν ὡς ἕν τι λελόγισται σὺν αὐτῷ. Εἷς γὰρ ὁ Χριστὸς, καὶ εἷς Υἱὸς, ὅτε γέγονεν ἄνθρωπος. Ταύτῃ τοι λαβεῖν νοεῖται τὴν ἕνωσιν, παραδεχθεὶς εἰς τοῦτο καὶ μετὰ σαρκὸς, οὐκ ἐχούσης οἴκοθεν τὸ ἓν εἶναι πρὸς Θεόν.

(1) Ib. D. Ἁγιαζομένης δῆλον ὅτι τῆς σαρκὸς, οὕτω τε πρὸς σύνοδον ἀσυγχύτως ἀναβαινούσης αὐτῆς πρὸς τὸν Θεὸν Λόγον, καὶ δι' αὐτοῦ πρὸς τὸν Πατέρα, σχετικῶς δηλονότι, καὶ οὐ φυσικῶς.

(2) ANAST. in Ὁδηγῷ, cap. 10. pag. 208. Ὅτι λεπταῖς τισιν ἐννοίαις, ἤτοι νοῦ φαντασίαις, νοοῦμεν τὸν Χριστὸν ἐκ δύο φύσεων μίαν φύσιν σεσαρκωμένην· μετὰ γὰρ τὴν ἕνωσιν οὐκέτι εἰσὶ δύο φύσεις. Ἐθεώθη γὰρ ἡ σὰρξ, καὶ ἀνεκράθη ὥσπερ σταγὼν ὄξους ἐν τῷ πελάγει· καὶ τοιαύτη γέγονεν, οἷον καὶ τὸ θεῶσαν αὐτήν. Καὶ ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, ἵνα καὶ ἡ σὰρξ γένηται Λόγος· ἡ γὰρ θέλησις θεότητος μόνη, ὥσπερ καὶ οὐσία μόνη τοῦ Λόγου. Καὶ οὐ δύο φύσεις ἐπὶ Χριστοῦ, μία προσκυνητὴ, καὶ μία ἀπροσκύνητος.

[1] C. 4. § 7. — [2] Pag. 544.

[3] Hilar. lib. 9. p. 56. B.

CAPUT SECUNDUM.

De virtute vivifica, sive vitæ maxime spiritualis communicandæ vi, quam ex consortio divinitatis accepit humana Christi natura.— 1. Probatur illa ipsa ex Cyrilli maxime testimonio. — 3. Tum aliorum. — 5. Objectus ex adverso locus ille, *Caro non prodest quidquam;* cujus interpretatio affertur. — 7. Idipsum ex Eucharistiæ sacramento demonstratur a Patribus. — 8. Quemadmodum caro vim illam exerceat : et anonymi calumnia discutitur. — 9. Cyrilli sincere catholica fides adversus eumdem anonymum approbata.

I. Quemadmodum duplex hominis est vita, naturalis una, altera naturæ conditione præstantior ; sive animæ propria quædam ; alia corporis : ita vis est utriusque dandæ, vel repræsentandæ duplex ; et de utraque hoc loco agimus, cum hoc inquirimus, utrum humana Christi natura, et ipsamet adeo caro vi ejusmodi prædita fuerit, ut tum corporis vitam, et incolumitatem, tum animæ gratiam, et salutem restitueret, duplici perinde vel ægritudine, vel morte depulsa.

Non longis ambagibus distinendus est lector: nec diutius cunctandum, quin statim, auctore freti maxime Cyrillo Alexandrino, respondeamus, vim generis utriusque vivificam ex eodem fonte derivatam in assumptam a Verbo naturam hominis fuisse, unde et ornamenta cetera profecta capite antecedente diximus : nimirum ex eo, quod caro ipsa propria sit Dei facta, et natura hominis, Dei propria natura. Hinc enim mutua est communicatio facta proprietatum, quarum hæc est capax. Nam quæ pugnant cum notione, et essentia creatæ rei, non sunt in humanitatem transfusæ : de quibus post erit disputandi locus. Igitur Cyrillus in priore ad Successum epistola, causam hanc fuisse dicit, cur Verbum carnem sibi copularet, quod cum ex Adami peccato natura humana corruptelam contraxisset, ac mens nostra carnis voluptatum, et insitorum motuum tyrannide premeretur, « (1) necesse fuerit nobis in terra positis, uti Dei Verbum hominem assumeret, quo humanam carnem corruptelæ subjectam, et voluptatum cupiditate laborantem propriam faceret. » Et paulo post, corpus Christi dicit esse *vivificum.* « (2) Est enim vitæ corpus, id est Unigeniti : idemque divina maxime gloria collustratum est, et intelligitur Dei esse corpus. Quare si quis perinde divinum illud nominet, ut humanum, hominis proprium, non a recta ratione abhorreat. » Siquidem « (3) cum sit Dei proprium, uti dixi, corpus, humana omnia transcendit. »

II. Idem in primo libro commentariorum in Joannem, hæc verba declarans, *Et Verbum caro factum est*, cur *carnis* nominatim meminerit, causam hanc reddit, quod præcipua labes, quantum quidem intelligere possumus, ex peccato Adami in carnem nostram trajecta fuerit ; hinc enim corruptelam, mortemque traximus : ideo hanc ipsam ad sese Verbum Deus applicavit.

Tum in quarto ejusdem operis, « (4) Quoniam, *inquit*, vivificum Dei Verbum habitavit in carne, transformavit ipsam in proprium bonum, nempe vitam ; et omnino inexplicabili quodam genere conjunctionis cum ea copulatum, vivificam eamdem reddidit ; quale ipsummet est natura sua. »

Est etiam insignis de eo locus in sexto libro, ubi sic scribit : « (5) Quemadmodum igitur vivificum esse credimus Christi corpus, quoniam viventis Dei Verbi templum est, et habitatio, omnem illius habens efficientiam : ita et

(1) Cyrill. tom. 5. par. 2. pag. 138. E. Ἀναγκαῖον γέγονεν ἡμῖν εἰς σωτηρίαν τοῖς ἐπὶ τῆς γῆς τὸ ἐνανθρωπῆσαι τὸν τοῦ Θεοῦ Λόγον, ἵνα τὴν σάρκα τὴν ἀνθρωπίνην ὑπενηνεγμένην τῇ φθορᾷ, καὶ νοσήσασαν τὸ φιλήδονον ἰδίαν ποιήσηται· καὶ ἐπειδήπερ ἐστὶ ζωὴ, καὶ ζωοποιὸς, καταργήσῃ μὲν τὴν ἐν αὐτῇ φθορὰν, ἐπιτιμήσῃ δὴ καὶ τοῖς ἐμφύτοις κινήμασι τοῖς εἰς φιληδονίαν δηλαδή. Ἦν γὰρ οὕτω νεκρωθῆναι τὴν ἁμαρτίαν τὴν ἐν αὐτῇ.

(2) Ibid. pag. 139. D. Ἀλλὰ καὶ ζωοποιόν. Ζωῆς γάρ ἐστι σῶμα, τουτέστι τοῦ μονογενοῦς. Κατελαμπρύνθη δὲ καὶ δόξῃ τῇ θεοπρεπεστάτῃ, καὶ νοεῖται Θεοῦ σῶμα. Τοιγάρτοι κἂν εἴ τις αὐτὸ λέγοι θεῖον, ὥσπερ ἀμέλει τοῦ ἀνθρώπου τὸ ἀνθρώπινον, οὐκ ἂν ἁμάρτοι τοῦ πρέποντος λογισμοῦ, etc.

(3) Ibid. Θεοῦ γὰρ, ὡς ἔφην, ἴδιον σῶμα ὑπάρχον, ὑπερέβη πάντα τὰ ἀνθρώπινα.

(4) Ibid. lib. 4. pag. 354. B. Ἐπειδὴ γὰρ ὁ ζωοποιὸς τοῦ Θεοῦ Λόγος ἐνῴκηκε τῇ σαρκὶ, μετεσκεύασεν αὐτὴν εἰς τὸ ἴδιον ἀγαθὸν, τοῦτ' ἔστι τὴν ζωὴν, καὶ ὅλως αὐτῇ κατὰ τὸν ἄῤῥητον τῆς ἑνωσέως λόγον συμβεβηκὼς, ζωοποιὸν ἀπέδειξε, καθάπερ οὖν ἐστι κατὰ φύσιν αὐτός.

(5) Cyril. 4. in Joan. 602. E. Ὅνπερ οὖν τρόπον ζωοποιὸν εἶναι πιστεύομεν τὸ σῶμα Χριστοῦ, ἐπείπερ ἐστὶ τοῦ ζῶντος Θεοῦ Λόγου ναός τε, καὶ ἐνδιαίτημα, πᾶσαν ἔχων αὐτοῦ τὴν ἐνέργειαν· οὕτως εἶναί φαμεν καὶ φωτισμοῦ πρόξενον.

illuminationem largiri dicimus. Est enim corpus ejus, quod natura sua, vereque lumen est. »

Sic in libro de Recta fide, capite 56. quod Christus dixit [1], *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : et qui manducat me, et ipse vivet propter me*, quærit qui tandem verum esse potuerit, ut qui carnem Christi comedat, vivat per Christum, eo ipso duntaxat, quod eum miserit Pater. Siquidem et nos per Patrem vivimus [2], *in ipso enim vivimus, movemur, et sumus* : nec tamen vivifica est caro nostra. Respondet autem, (1) idcirco solius Christi vivificam esse carnem, quia solius *caro propria est Verbi* ; quod est vita de Patre procedens, et vivificum, et vivificam adeo carnem suam efficiens : « utpote quod est corpus vivificantis omnia vitæ. » Quod ipsum et alibi passim repetit [3].

III. Maximus item martyr in epistola ad Nicandrum episcopum, observat, Verbum divinum, etsi natura Deus esset, non tamen solo omnipotenti imperio admiranda fecisse opera, velut cum vitam, et gratiam impertiit : sed carne sua ad id, tanquam instrumento, usum esse : « (2) per eamque vivificasse, et sanitatem reddidisse, ac per illius contactum, atque vocem : ut hanc ostenderet vivificare posse, eo quod unum cum ipso conjunctione facta sit, et illius, non alterius, proprie sit caro, qui natura sua cuncta vivificat. »

Subjicit deinde vulgatum apud antiquos Patres ad explicationem mysterii illius exemplum candentis ferri, quod una cum igne vim in se accipit urendi : adeo ut eadem actio ab utroque tanquam una causa proficiscatur, igne atque ferro. Sic etiam eadem communicandæ vitæ gratiæque actio ab Verbo simul et carne manavit. Tum itidem hoc ait fieri, ut ab anima pariter, et corpore, eadem vitalis efficientia progreditur.

Adhibet hanc eamdem ignis similitudinem [4] Cyrillus libro primo in Joannem, absurdumque esse judicat, vim illius hanc esse, ut admota quæque in se quodammodo transformet, iisque virtutem, et efficientiam suam tribuat; Verbum autem, non in assumptam carnem proprium bonum, hoc est vitam diffundere. Vide libri octavi superioris caput decimum, et sequentia, ubi de theandrica operatione disserimus, atque idem ignis, et ferri candentis exemplum adducimus.

IV. Sic illud etiam, quod a Maximo proxime est allatum, confirmat Cyrillus in quarto commentariorum in Joannem : imo Maximi locus ex hoc Cyrilli pene verbatim descriptus est, ubi Christum refert ad mira opera facienda, velut ad excitandos ad vitam mortuos, et alia ejusmodi, carnem, ejusque contactum et efficientiam accommodasse, « (3) ut ostenderet, posse hanc ipsam impertiri vitam, ac tanquam unum aliquid effectam esse cum ipso. » Neque vero quod ἓν, id est *unum cum Verbo*, factam esse carnem Cyrillus ait, inde calumniandus est, quasi Apollinaris imbutus hæresi, in unam confusas esse naturas duas existimaverit : ut anonymus impostor libro a nobis sexto confutatus objecit. Quippe τὸ ἕν, ut alias sæpe, non unam naturam, sed unam substantiam, sive personam significat.

Quinetiam in Catena græca in Matthæum a P. Petro Possino nuper edita, Cyrilli alius est locus sanctificandi vim carni ipsi deferens. « (4) Contingens, *inquit*, leprosum Salvator, ipsum curavit, ostendens spiritum, qui in se inerat, morbos sanare : corpus vero attactu suo sanctificationem præbere. » Ita etiam Chrysostomus in eadem Catena, idcirco Christum tetigisse leprosum illum ait, ut indicaret, « (5) carnem suam esse sanctam, et sanctificationis illis impertiendæ vim habere, qui eam tangerent. »

V. Adversus hæc opponere solebant hæretici Nestoriani dictum illud Christi Domini [5],

(1) Cyr. lib. de Recta fide, cap. 56. t. 5. par. 2. pag. 177. Ἐπειδὴ δὲ ἴδιον ἐποιήσατο τὸ σῶμα τὸ ἐκ τῆς ἁγίας Παρθένου ληφθὲν, ζωοποιὸν ἀπέφηνεν αὐτὸ, καὶ μάλα εἰκότως· σῶμα γάρ ἐστι τῆς τὰ πάντα ζωογονούσης ζωῆς.

(2) Maxim. apud Euth. in Panop. tit. 18. pag. lat. 654. Καὶ ζωοποιεῖν καὶ θεραπεύειν, δι' αὐτῆς, καὶ τῆς κατ' αὐτὴν ἁφῆς, καὶ φωνῆς· ἵνα ταύτην δεικνύσῃ ζωοποιεῖν δυναμένην, διὰ τὸ πρὸς αὐτὸν ἓν τῇ ἑνώσει γενέσθαι, καὶ αὐτοῦ τοῦ φύσει ζωογονοῦντος τὰ σύμπαντα, καὶ οὐχ ἑτέρου, σάρκα κυρίως ὑπάρχειν.

(3) Cyril. 4. in Joan. pag. 361. D. Ἵνα δεικνύῃ ζωοποιεῖν δυναμένην, καὶ ὡς ἓν ἤδη γενομένην πρὸς αὐτὸν.

(4) Cyril. in cat. in Mat. pag. 109. Ἁπτόμενος τοῦ λεπροῦ ὁ Σωτὴρ ἐθεράπευσεν αὐτὸν δεικνὺς ὡς τὸ πνεῦμα τὸ ἐν αὐτῷ θεραπεύει τὰς νόσους· τὸ δὲ σῶμα τῇ προσψαύσει τὸν ἁγιασμὸν παρέχεται.

(5) Ibid. Καὶ ὅτι ἁγία ἦν ἡ σὰρξ αὐτοῦ, καὶ ἁγιασμοῦ μεταδίδου τοῖς ἁπτομένοις αὐτῆς.

[1] Joan. 6. — [2] Act. 17. — [3] Ut in epist. ad Valer. to. 5. Par. 2. p. 162. D. et in Symb. p. 189. C. et lib. 10. in Joan. 863. et lib. 111. p. 979. et in Pasc. 17. p. 233.

[4] Cyr. 1. in Joan. p. 95. — [5] Joan. 6. 64.

Spiritus est qui vivificat; caro non prodest quidquam. Hoc eodem loco Nestorius, ut ex ejus anathematismo undecimo constat, et ante hunc Theodorus Mopsuestenus abutebatur, Nestorii magister; ut testis est Rabbula Edessenus episcopus in epistola ad Cyrillum [1]. « Iste, *inquit*, et carnem Domini pronuntiavit nihil omnino prodesse, (1) dissipans Domini vocem, quæ est, Caro non prodest quidquam. » Quod et longe antea, veteres illi hæretici, qui resurrectionem carnis negabant, contra Catholicos intentabant, ut ex Tertulliano colligitur in libro de Resurrectione carnis [2]; et hodieque contra nos telo eodem armantur hæretici Sacramentarii : qui carni Christi ut veram, ac realem in Sacramento altaris præsentiam, sic in eodem vivificam vim adimunt. Itaque trita est, et obsoleta hæc argumentatio, quam utrique, veteres scilicet, et novi catholicæ hostes fidei, ex illis Christi verbis instruunt. Et adversus hanc multiplex comparata responsio est, ex antiquorum Patrum responsis ac placitis, quæ aciem omnem sophisticæ illius cavillationis retundunt.

Cyrillus imprimis libro undecimo in Joannem, illa verba declarat sic : « (2) Hic, *inquit*, prodesse nihil posse carnem asserit, nempe ad sanctificationem et vivificationem eorum, qui illam recipiunt, quantum scilicet ad carnis humanæ naturam attinet. At cum eadem intelligatur, et credatur templum esse Verbi; omnino sanctificationis, et vitæ conciliatrix erit : verum non absolute propter seipsam, sed propter unitum sibi Verbum, quod sanctum est, atque vita. » Nam, ut alio loco idem disputat, « (3) Non alia ratione vivifica reddi caro poterat, quæ ex propriæ naturæ conditione corruptelæ necessitati erat obnoxia; nisi propria fuisset vivificantis omnia Verbi. Hoc enim modo quæ ipsius erant operabatur, cum vivifica illius virtute copulata. Neque mirum hoc videri debet. Etenim si verum istud est, ignem materiæ cuipiam admotum, eam natura sua minime calidam, nihilominus calidam efficere. Quippe huic insitæ sibi virtutis efficientiam large communicat : cur non multo magis Verbum, cum sit Deus, propriæ carni vivificam vim suam, et efficientiam immittet; cum eam secum unitam, propriamque reddiderit, sine ulla confusione, et mutatione, quemadmodum novit ipse ? »

Sic in libro de Recta fide [3], carnem et sanguinem, si ut hominis est unius e vulgo, et secundum naturam propriam spectetur, negat esse vivificam. Verum si in Christo consideretur, et cum eo, quod est vita, conjuncta Verbo, tum ea virtute præditam merito censeri ait. Idem et in libro 4. in Joannem [4], ad illa verba planius edisserit.

VI. Recte ad eamdem sententiam et Bernardus [5]. « Si caput, *inquit*, Christi Deus [6], proculdubio caput ungit, qui gratias agit, quoniam Deum tangit, non hominem. Non quia non sit homo qui Deus est : siquidem Deus et homo unus est Christus : sed quia omne bonum a Deo, non ab homine est, etiam ipsum, quod per hominem ministratur. Profecto enim [7] *Spiritus est, qui vivificat; caro non prodest quidquam.* Propterea et [8] *maledictus, qui spem suam ponit in homine :* quoniam etsi spes nostra tota merito pendet ex homine Deo; non tamen quia homo, sed quia Deus est. » Nempe quia « caro, etsi non erat Verbum, caro erat Verbi, » ait Ambrosius [9]. Ita Paschasius Radbertus in epistola ad Frudegarium : « Etsi caro, *inquit*, nihil prodest per se, Spiritus sanctus est, qui vivificat corpus, ut in nobis omnibus unus sit Christus. »

Est tamen alius illorum verborum magis proprius sensus, quem Augustinus [10], Cyrillus [11], aliique tradunt, ut *caro* pro carnali intelligentia sumatur : qua Judæi suspicati sunt, Christum carnem suam ipsis laniandam, et discerpendam præbere velle : de quo, cum de

(1) Dissipare est quod Græci dicunt διαθρυλλεῖν.

(2) Cyril. 11. in Joan. pag. 979. B. Κἀνταῦθα γὰρ πάλιν οὐδὲν ὠφελεῖν δύνασθαι τὴν σάρκα φησὶν, πρὸς ἁγιασμὸν δηλονότι, καὶ ζωοποίησιν τῶν δεχομένων αὐτὴν, ὅσον ἧκεν εἰς σαρκὸς ἀνθρωπίνης φύσιν. Ὅταν δὲ νοῆται, καὶ πιστεύηται τοῦ Λόγου ναὸς, τότε δὴ πάντως ἔσται καὶ ἁγιασμοῦ, καὶ ζωῆς πρόξενος, πλὴν οὐ πάντως δι' ἑαυτὴν, ἀλλὰ διὰ τὸν ἑνωθέντα Θεὸν, ὅς ἐστιν ἅγιος, καὶ ζωή.

(3) Idem in dial. quod unus sit Christus tom. 5. pag. 777. Οὐ γὰρ ἦν ἑτέρως ζωοποιὸν γενέσθαι τὴν σάρκα, καὶ κατ' ἰδίαν φύσιν ὑπενηνεγμένην τῷ φθείρεσθαι δεῖν, εἰ μὴ γέγονεν ἰδία τοῦ ζωοποιοῦντος τὰ πάντα Λόγου. Ἐνηργεῖτο γὰρ οὕτως τὰ αὐτοῦ τῇ ζωοποιῷ αὐτοῦ δυνάμει ὁμιλήσασα. Καὶ θαυμαστὸν οὐδέν· εἰ γάρ ἐστιν ἀληθὲς ὅτι ταῖς ὕλαις ὁμιλῆσαν τὸ πῦρ καίτοι θερμὰς οὐκ οὔσας αὐτὰς κατ' ἰδίαν φύσιν ἀποφαίνει θερμάς· ἐνίησι γὰρ καὶ μάλα πλουσίως αὐταῖς τῆς ἐνούσης αὐτῷ δυνάμεως τὴν ἐνέργειαν· πῶς οὐ μᾶλλον ἐνίησι Θεὸς ὢν ὁ Λόγος τῇ ἰδίᾳ σαρκὶ τὴν ζωοποιὸν ἑαυτοῦ δύναμιν, καὶ ἐνέργειαν, ἑνωθεῖσαν αὐτῇ, καὶ ἰδίαν αὐτὴν ἀποφήνας, ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, καὶ καθ' ὃν οἶδε τρόπον αὐτός;

[1] Extat in Syn. 5. Collat. 5. tom. 4. Conc. p. 237. — [2] Tert. de Resur. carn. c. 37. — [3] Cyril. de rec. fide tom. 5. Part. 2. p. 91. E. — [4] Id. 4. in Jo. p. 376.

[5] Bern. ser. 10. in Cant. col. 584. L. — [6] 1. Cor. 11. — [7] Jo. 6. 64. — [8] Jer. 17. 5. — [9] Ambr. l. de Incar. c. 5. col. 291. I. — [10] Tract. 27. in Jo. — [11] L. 4. in Jo. p. 374. E.

Eucharistia disputabimus, erit accuratius dicendum. Interim Tertullianum huic interpretationi suffragantem audiemus [1]. « Nam quia durum, *inquit*, et intolerabilem existimaverunt sermonem ejus, quasi vere carnem suam illis edendam determinasset, ut in spiritu disponeret statum salutis, præmisit, Spiritus est, qui vivificat : atque ita subjunxit, Caro nihil prodest, ad vivificandum scilicet. » Mox « Spiritum *ait* significare sermones Christi. Itaque sermonem constituens vivificatorem, quia spiritus, et vita sermo, eamdem etiam carnem suam dixit, quia et sermo caro erat factus, proinde in causam vitæ appetendus, et devorandus ambitu, et ruminandus intellectu, et fide digerendus. »

VII. Ac summopere illud animadvertendum est, antiquos, cum Christi carnem vitæ, immortalitatisque largitricem esse dicunt, et ζωοποιὸν, vitæ, inquam, utriusque, corporis, animæque fontem, sæpius ad carnem, et sanguinem, qua in sacramento Eucharistiæ continentur, sermonem reflectere, et ex propria hujus efficientia, quam in animis, corporibusque nostris ad vitam instaurandis exhibet, probare id, quod hoc capite docuimus, vivificam esse Christi carnem, ex divini Verbi consortio : tanquam ex confessa re, et communi Christianorum assensione certa, quod erat in quæstione deciderent. Ita passim Cyrillus Alexandrinus : ut in illis locis, e quibus superiores sententias exprompsimus, tum in postrema ad Nestorium epistola, et in anathematismo undecimo, ejusque declaratione : et ante hunc Irenæus libro 5. capite secundo, aliique complures. De quibus dicendum erit, cum de sacramento Eucharistiæ disseremus.

VIII. Ex hac tota disputatione constare arbitror, humanam Christi substantiam, ejusque carnem, vim quamdam mirificam accepisse ex divinitatis commercio ; ut voce, vel attactu, vel quolibet alio modo stupenda quædam, et extraordinaria opera faceret ; non ea modo, quæ ad vitam corporum, et incolumitatem spectant, sed etiam spiritalia, et quæ naturam superantia, *supernaturalia* dicuntur : ut est gratia sanctificans. Verum non hæc insita, et nativa sibi virtute, vel tanquam primaria, et principalis causa, sed velut instrumentum præstitit ; cujusmodi supra libro octavo, capite duodecimo descripsimus [2].

Hinc anonymi illius, quem in sexto libro confutavimus [3], ridicula et inscita calumnia refellitur, ex eo argumentantis Cyrillum hæresis auctorem Eutychianæ fuisse, quod operationes easdem Verbo et assumptæ hominis naturæ tribuit. Atqui non est illud consequens, eamdem esse naturam, cum eædem sunt operationes, ubi causæ, et efficientiæ, quam *causalitatem* Scholæ nuncupant, discrimen est : ut alia sit principalis, et ex seipsa moliens, et efficiens aliquid ; alia instrumenti locum habeat, et aliunde communicata virtute idem efficiat. Vide libri nostri sexti caput decimum, ubi anonymi frivolæ argumentationi huic occurrimus [4].

IX. Sane nullus fere locus est ab isto allatus ex Cyrillo ad Eutychianæ de illo suspicionem hæresis adstruendam, in quo non adjuncta sint aliqua, quæ contrarium persuadeant ; eumdem apprime catholicum fuisse, et ab errore Apollinaris, et Eutychis alienum. Quod exemplis aliquot in specimen hoc loco demonstrabimus ; ut tanto magis purgatus sit Cyrillus ab anonymi impostoris calumniis : quod in [5] sexto libro jam instituimus facere.

Igitur in libro tertio contra Nestorium, ex quo dictum hoc arripit, et admordet anonymus [6], in quo id habetur, [7] humanæ ac divinæ naturæ Christi mutuo communicatas fuisse proprietates : unde Apollinaristarum hæresis invidiam illi facit : in eo, inquam, loco, paucis post illa interpositis, duarum in Christo manentium naturarum differentiam apertissime declarat, cum ait, eumdem Christum Dominum « (1) nobiscum habere similitudinem, quatenus perinde ac nos homo est, ex anima et corpore constans : quamvis Deus sit natura, et figura substantiæ genitoris. Unus ergo et idem est, fratribus quidem secundum carnem similis, ostendens autem ipsum quoque in propria natura genitorem, quatenus, inquam, est Deus. » Potestne verbis ullis expressius, ac testatius esse naturarum duarum discrimen in Christo, quam hic declaratum habes a Cyrillo ? Quippe nostri similem ait

(1) Cyrill. 3. cont. Nest. pag. 78. C. Ὅτι καὶ τὴν πρὸς ἡμᾶς ὁμοίωσιν ἔχει, κατά γε τὸ εἶναι καθ' ἡμᾶς ἄνθρωπος, ὁ ἐκ ψυχῆς, καὶ σώματος, καί τοι Θεὸς ὢν φύσει, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ γεγεννηκότος. Εἷς οὖν ἄρα, καὶ ὁ αὐτὸς παραπλήσιος μὲν τοῖς ἀδελφοῖς κατὰ σάρκα, δεικνυὼν δὲ καὶ αὐτὸν ἐν ἰδίᾳ φύσει τὸν γεννήτορα, κατά τε, φημὶ, τὸ εἶναι Θεός.

[1] Tert. l. de resur. car. cap. 37. — [2] § 7. et seq. — [3] Pag. 127.

[4] § 7. — [5] C. 6. et seq. — [6] Anon. pag. 127. — [7] Cyr. to. 6. p. 77. D.

illum esse, qua est homo; quatenus vero est Deus, Patris esse similem. Quod in Apollinaris opinione secus se habet, et eorum, qui unicam inesse naturam existimant, ut suo loco diximus.

Rursus [1] in libro quarto contra eumdem Nestorium scribit Cyrillus, carnem Christi idcirco vivifica vi esse præditam, quod Verbo conjuncta sit, ejusque propria, qui vivificat omnia; imo vita ipsa natura. At ibidem [2], illam ipsam carnem ex sese nihil quidquam prodesse dicit : et « (1) si propria ipsius natura spectetur, corruptibilem esse, nec aliis vitam posse largiri, cum ipsa per sese corruptelæ sit obnoxia. » Item « (2) Verbum *ait* hominem esse factum nostri similem. » Tum postea, « (3) Quod in sanctis mensis Ecclesiarum proponitur, non esse » scribit « ipsam divinitatis naturam : verum proprium corpus a Deo geniti Verbi. » Quod verum non esset, si, ex Apollinaris sententia, caro Christi ipsamet esset divinitas.

Sic in libro quarto commentariorum in Joannem, ubi « vivificam carnem Salvatoris esse » scribit, et ad mortuos ad vitam excitandos adhibitam a Verbo; quem locum anonymus objicit [3]; paulo ante dixit : « (4) Templum illud, quod e Virgine procreatum est, non idem esse natura cum Verbo; non enim consubstantiale illi esse corpus, sed unum conventione, et incomprehensibili concursu. »

Ita in undecimo libro ejusdem operis, capite duodecimo, asserit (5) carnem Christi, templumve formatum ex beata Virgine, non ejusdem esse cum Patre substantiæ, nec idem cum eo natura : sed postquam semel assumptum est in corpus Verbi, deinceps tanquam unum cum eo censeri.

Ad hæc anonymus alium Cyrilli locum affert ex libro scholiorum de Incarnatione, in quo Verbum ait transmutasse naturam, quam assumpsit, in propriam gloriam, et operationem. Sed in eodem loco disertissime id esse factum indicat, sine ulla naturæ assumptæ mutatione. (6) Nam similitudine utitur ignis, qui lignum ita comburit, et subit, ut hoc a ligni natura, et statu non expellat : sed speciem illius, ac vim tantummodo commutet, ac quod suum est operetur in eo, et cum ipso jam velut unum æstimetur.

IX. Præterea in anathematismo undecimo, et ejus declaratione, carnem Christi vivificam esse statuit, eo quod propria sit Verbi : cumque reclamassent Orientales [4], et confusionem naturarum induci ab illo dicerent, exponit quo sensu propriam illam esse Verbi scripserit : eo videlicet, ut non sit alterius cujuspiam suppositi, personæve natura, sed Dei ipsius, et Verbi. Ac falsam in se conjectam suspicionem depellit, negans se naturas confundere, aut alterius, quam est nostra, naturæ, ac substantiæ Christi carnem esse credere. « (7) Quamvis, *inquit*, corpus Christi nostris corporibus cognatum, id est consubstantiale sit; est enim genitum ex muliere; tamen proprium, ut dixi, ipsius intelligitur, et dicitur. Et quoniam vita secundum naturam est Verbum a Deo Patre genitum, vivificam fecit carnem suam. Ob id vivifica nobis facta est Eucharistia. » Et [5] quoniam Nestorius, ad illudendam catholicam professionem, qua se Christi corpus in Eucharistiæ sacramento revera manducare, et sanguinem potare dicebant, observari jusserat; non ita loqui Christum, *Qui manducat meam divinitatem, et bibit meam divinitatem;* sed, *qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem;* ut ostenderet, divinitatem carni non esse revera, et οὐσιωδῶς unitam, sed aliquid ab ea separatum : propterea nominatim hoc se Cyrillus affirmasse scribit, carnem Christi

(1) CYRIL. ibid. Ὅσον γὰρ ἧκεν εἰς ἰδίαν φύσιν, φθαρτὴ μὲν ἡ σάρξ· ζωοποιήσει δὲ κατ' οὐδένα τρόπον ἑτέρους, οἴκοθεν αὐτὴ νοσοῦσα τὴν φθοράν.

(2) Ibid. pag. 110. Καὶ ἄνθρωπον καθ' ἡμᾶς γενέσθαι τὸν Λόγον.

(3) Ibid. pag. 116. Ὡς ἥκιστα μὲν θεότητος φύσις ἐστὶ τὸ προκείμενον ἐν ἁγίαις τραπέζαις ἐκκλησιῶν· πλὴν ἴδιον σῶμα τοῦ ἐκ Θεοῦ Πατρὸς φύντος Λόγου.

(4) Id. pag. 361. B. Οὐ ταὐτὸν μὲν ὄντα τῇ φύσει· οὐ γὰρ ὁμοούσιον τῷ ἐκ Θεοῦ Λόγῳ τὸ σῶμα· ἓν δὲ τῇ συνόδῳ, καὶ ἀπερινοήτῳ συνδρομῇ.

(5) Id. lib. 11. in Joan. pag. 1001. B. Οὐκοῦν ἐπειδήπερ οὐχ ὁμοούσιος τῷ Θεῷ, καὶ Πατρὶ, ἀλλ' οὐδὲ ταὐτὸν εἰς φύσιν ἡ ἐκ γυναικὸς σάρξ ἐστιν, ἤγουν ὁλοκλήρως ὁ ἐκ τῆς παρθένου ναὸς, παραδεχθεὶς δὲ ἅπαξ εἰς σῶμα τοῦ Λόγου, λοιπὸν ὡς ἕν τι λελόγισται σὺν αὐτῷ.

(6) CYRIL. in Schol. tom. 5. par. 1. pag. 783. E. Ὅνπερ γὰρ τρόπον τὸ πῦρ ὁμιλῆσαν ξύλῳ, καὶ εἰσδεδυκὸς αὐτὸ, καταδράττεται μὲν αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἐξίστησι μὲν τοῦ εἶναι ξύλον, μεθίστησι δὲ μᾶλλον εἰς τὴν τοῦ πυρὸς ὄψιν τε, καὶ δύναμιν, καὶ πᾶν αὐτῷ τὸ ἴδιον ἐνεργάζεται· καὶ ὡς ἓν ἤδη λελόγισται μετ' αὐτοῦ.

(7) CYR. cont. Orient. ad anath. 11. pag. 192. C. Καίτοι γὰρ ὑπάρχον τοῖς ἡμετέροις σώμασιν ὁμογενὲς, ἤγουν ὁμοούσιον· (γεγέννηται γὰρ ἐκ γυναικός·) ἴδιον αὐτοῦ, ὡς ἔφην, νοεῖται, καὶ λέγεται. Ἐπειδὴ δὲ ζωὴ κατὰ φύσιν ἐστὶν ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγος, ζωοποιὸν ἀπέφηνε τὴν ἑαυτοῦ σάρκα· ταύτῃ τοι γέγονεν ἡμῖν εὐλογία ζωοποιός.

[1] Anon. p. 128. ex Cyrill. p. 109. — [2] Ib. E. — [3] P. 130.

[4] Orient. ad anath. 11. p. 191. C. — [5] Cyr. ib. p. 194.

propriam esse Dei, ac Verbi, ut unus idemque sit naturam habens utramque, Deus et homo Christus. « (1) Verum, ait paulo post, etsi proprium dicatur Verbi corpus, est tamen ex muliere, et nostris corporibus cognatum, quatenus caro intelligitur. »

Non potuit demonstrare clarius, quam ab Apollinaris veneno esset alienus Cyrillus, quam iis verbis ostendit, dum carnis naturam in Christo ejusdem cum nostra esse substantiæ docuit. Neque vero, quod vivificam esse carnem dicit, idque adeo in Eucharistiæ sacramento, calumniæ illi locum relinquit. Non enim natura, ac secundum se hujusmodi esse putavit, quod solius Dei proprium est, sed communicatione, propter ejusdem personæ communionem. Itaque libro quarto commentariorum in Joannem [1], « Quoniam Verbum, *ait*, vivificum in carne habitavit, transformavit ipsam in proprium bonum, et eam fecit vivificam, cujusmodi est ipsum natura sua. » Non essentiam carnis immutasse dicit, sed ἐνέργειαν, et operandi vim illi impertisse, ut quod natura Deus possidet, id ex communione personæ, corpus, id est natura hominis, obtineret. Quod ferri candentis, et igniti similitudo declarat, quod naturam propriam retinens vim ignis et efficacitatem acquirit.

Sane Theodoretus Cyrilli tunc adversarius, et contra ipsum stilo depugnans, huic tamen assentitur in eo, quod vivificam carnem appellaverat. « (2) Nos, *inquit*, vivificam fatemur esse Domini carnem animatam, et rationalem, propter unitam ipsi vivificam divinitatem. »

Hæc satis sunt ad sinceram Cyrilli comprobandam fidem, et anonymi falsam diluendam calumniam; quam in sexto libro pluribus confutatam reperies.

CAPUT TERTIUM.

De carne, sive corpore Christi, an obnoxium corruptelæ fuerit. — 1. Imprimis constituitur, veram in illo fuisse carnem; nostræque per omnia citra peccatum similem. — 2. Duplex genus corruptionis. Acephalorum controversia de Christi corruptibili, an incorruptibili corpore. — 3. Leontii locus, in quo illorum opinionem exponit. — 4. Quam idem refellit, et naturalem corporis Christi statum in hac vita fuisse demonstrat corruptioni obnoxium. — 5. Duæ species affectionum corporis, quarum aliæ culpa carent; aliæ ad culpam incitant. Has non assumpsit Christus : sed priores tantum. — 6. Quod probat idem Leontius, et adversariorum argumenta dissolvit. — 8. Velut hoc inter alia, Christi corpus simile ei fuisse, quod Adamus habuit ante peccatum. Quod negat Leontius, et mortale, ac corruptibile docet fuisse ante resurrectionem. — 9. Idem et Patribus videri. — 10. Fulgentii de illa quæstione luculenta disputatio, 11. item Theodori Abucaræ.

I. Primum illud ex superioribus disputationibus pene omnibus confectum, fundamenti loco esse debet; veram in Christo carnem fuisse, ac nostræ similem in omnibus, excepto peccato, ejusque contagione; de quo postea. Nam ex fœmina concepta, genitaque est; neque vel e cœlo lapsa, vel ejusdem cum Deo substantiæ, ficta specie mortalitatis illusit oculis, ut stulte Apollinaris asserebat hæresis; quod adversus hunc egregie declarat Athanasius [2]. Hanc, inquam, illorum vocem, « qua se illum, qui ex Maria genitus est, consubstantialem Patri facere dicebant, » acriter refellit, et ex Scripturæ auctoritate convincit; quæ ex Abrahami semine oriundum esse Christum docet, illiusque filium. Quod si consubstantialis esset divinitati caro Christi, non jam trinitatem esse, sed quaternitatem oportere ait, aut in divinam naturam commutatam hominis abiisse substantiam; quod vel cogitatu impium, absurdumque sit.

Verum, cum salva naturæ proprietate, abesse

(3) Cyr. ibid. pag. 194. C. Πλὴν κἂν ἴδιον λέγηται τοῦ Λόγου τὸ σῶμα, ἀλλ' οὖν ἐστιν ἐκ γυναικὸς, καὶ τοῖς ἡμετέροις συγγενὲς, καθὸ νοεῖται σάρξ.

(4) Theod. cont. anath. 11. Cyril. tom. 6. Cyril. pag. 237. Ἡμεῖς δὲ ζωοποιὸν εἶναί φαμεν τὸν ἔμψυχον, καὶ λογικὴν τοῦ Κυρίου σάρκα, διὰ τὴν ἡνωμένην αὐτῇ ζωοποιὸν θεότητα.

[1] Pag. 354. B.

[2] Athan. de Incar. p. 485.

corruptela possit, et imbecillitas, atque obstricta patiendi lege conditio : et hæc ipsa fructus quidam sit peccati originali in Adami posteros labe transfusi ; non abs re quæri videtur, an qui peccatum in se nec alienum, nec proprium admisit ullum, ejus effecto illo caruerit, neque vel corrumpi potuerit, vel sensum doloris aliquem ceperit. Tum si est evidentius, hæc illum omnia suscepisse, quam ut inquiri necesse sit ; de modo certe, quo in divinam personam assumpta caro perpeti talia potuerit, non imprudenter ambigitur.

II. In quo illud ante omnia ex Joanne Damasceno notari debet [1], *corruptionis* nomine duo significari : alterum, quod proprie πάθος dicitur, ac *perpessiones* omnes, quæ vulgo *passiones* appellantur, continet, ut sunt, fames, sitis, labor, membrorum confossio, mors ipsa denique, sive corporis animæque dissolutio. Alterum, summam, et ultimam in ea, ex quibus constat, resolutionem corporis, et ejus dissipationem : quam vulgo διαφθορὰν nominari dicit ; uti priorem, φθορὰν. Harum priorem sine dubio in Christo fuisse, ex catholicæ fidei decreto confirmat, posteriorem vero minime fuisse.

Meminisse autem hic oportet controversiæ illius, ex eaque dissidii, quo Acephalorum secta bifariam est divisa ; cum alii, auctore Severo, Christi corpus, dum in terris viveret, passione tentatum, ac corruptela fuisse dicerent : alii ex adverso pugnantes negarent hæc illum revera pertulisse ; quorum dux fuit Julianus Halicarnassensis, ac postea Gaianus ; cui se Theodosius opposuit, Severi opinionem secutus. Qua de re fuse in exponenda Eutychianorum hæresi disputavimus [2]. Ac nonnulli eo vecordiæ progressi sunt, ut Christum putarent « corporalem magnitudinem non habuisse secundum carnem ; sed absque mole, et incorporaliter eum super mare deambulasse. » Quam fuisse Theodori Pharanitæ Monotheletæ sententiam, in Lateranensi synodo [3] Martinus primus testatus est : ejusque verba ibidem latine, græce vero in sexta Synodo recitantur [4].

III. Leontius Byzantinus, eruditus et antiquus theologus, in libro secundo de tribus, quos contra Eutychianos et Nestorianos edidit [5], quosdam ex Catholicis impugnat, qui, cum alioqui de duabus Christi naturis recte, catholiceque sentirent, in eorum tamen dogma prolapsi fuerant, quos ex Eutychianis *Aphthartodocetas* vocabant, « quod Christi corpus ante resurrectionem incorruptibile fuisse » jactarent. Horum unum, qui cum dialogismi more disputantem se facit, ita suam explicantem opinionem inducit [6] : « Impassibile natura corpus Christi factum esse ; sed unione cum Verbo. » Quippe « quod ad primam attinet naturæ constitutionem et principia, ex matre Dei, et sorore nostra secundum naturam, quæ omnem proprietatem humani corporis participavit, ortum habuisse. » Cumque aliqui ex eadem secta, « etiam Virginis corpus mutatum, et a propria natura, virtute Verbi alienatum esse » dicerent ; haud se illis assentiri ait ; nec ullam naturæ mutationem in Virgine esse factam. Verum [7] sic de carne Christi dicit, simul atque concepta est in matris utero, statim incorruptione donatam esse. « Quomodo enim fieri poterat, ut naturam corruptibilem non deponeret, quod Verbo immortali unitum erat? » Quocirca [8] naturalem humanæ Christi naturæ statum ejusmodi fuisse docet, ut nec pati quippiam, nec emori posset : quod autem passa sit, ac mortua, miraculo id imputat. Denique [9] tale corpus habuisse cum viveret, quale in Adamo innocente adhuc extitit. « Atqui, inquit hæreticus ille, et novus Adam vocatus est Dominus. Quomodo autem sic vocaretur, nisi corpus protoplasti tulisset ? Incorruptibilis autem erat protoplastus, antequam peccaret. Incorruptibile igitur fuit etiam corpus Domini : siquidem sine peccato perseveravit semper. »

IV. Verum catholicæ fidei regula huic adversatur errori. Hæc enim assumptam hominis a Verbo substantiam, per se, ac natura sua corruptelæ obnoxiam fuisse tradit, ac pati potuisse. Quod autem aliquando propriæ illæ, ac naturales affectiones impeditæ sunt, hoc ipsum divina virtute Verbi, nec sine miraculo esse factum. « Permittente scilicet ipso, ut quæ naturalia erant sine peccato, caro pateretur, quæ ad patiendum natura apta nata erat, etc. Non enim ex unione habuit non pati, sed ex voluntate uniti, hoc opportune, et ad aliquam utilitatem gubernantis, ac disponentis. » Itaque si natura sua caro passionis expers fuisset, fatendum horum esset alterum : vel nihil omnino passam esse ; quod falsum, et dictu nefarium est : vel si passa est, ab unitione penitus fuisse divulsam. Ita Leontius [10]. Qui et postea [11], « carnem Domini, similiter ac reli-

[1] Damasc. l. 3. c. 28. — [2] Lib. 1. c. 18. — [3] Consul. 2. pag. 691. — [4] Act. 13. p. 221. — [5] Tom. 4. Bibl. col. 985.

[6] Leon. ib. 988. C. — [7] Ib. 989. C. — [8] Ib. 991. C. — [9] Ib. 995. E. — [10] Leon. ib. 990. B. — [11] Ibid. 994. A.

quorum hominum corpora, ut mortuam esse, ita corrumpi potuisse » declarat; non tamen fuisse corruptam, conservante ipsam potentia divinitatis.

Tum erudite probat idem, etsi nonnunquam supra conditionem suam evecta est humanitas Christi, ita ut extraordinaria quædam, et mortalitatis soluta legibus experta fuerit, non propterea tamen hoc habitu metiendum naturalem illius statum, quamdiu vixit in terris[1]. « Lex enim naturæ non est quod rarum est, sed quod semper, vel ut plurimum cernitur, et permanet. Dominus autem noster totis triginta tribus annis nobiscum secundum carnem versatus, non abhorrendo ullo modo a nostra consuetudine, humanitatem honoravit, cibo et potu et somno utens, et alia omnia naturaliter adhibens, quæ veritatem sumpti corporis demonstrabant : et miracula non prius quam triginta annos natus facere cœpit. » Ac post id tempus, usque ad mortem, pro vero se homine gessit; quæcumque propria sunt ejus, et communis infirmitatis præ se ferens. Denique « miracula divina, et arcana quæ faciebat, notæ et indicia divinitatis erant : passiones vero, et ante eas conceptus, et partus, et fasciæ, et accretio ætatis, et cetera omnia, quæ lege naturæ circa corpus ejus facta sunt, verum hominem, et nostræ substantiæ esse demonstrabant. »

V. Sed nec illud ignorandum, tacendumve est, affectionum istarum, sive, ut vocant, passionum, duas esse species. Quædam enim naturales sunt, et vitii expertes; ut sunt fames, sitis, lassitudo, et ceteræ : aliæ macula quadam turpitudinis infectæ, ut est concupiscentiæ morbus, et quæ proprie *passionum* vocabulo censentur. Latini *morbos*, ac *perturbationes* animi vocant, Græci πάθη, generis nomine ad deteriorem hanc significandam speciem contracto. De qua posteriori post agemus, cum de Christi ἀναμαρτησίᾳ, id est impeccantia, disseremus. Harum igitur hanc ipsam secundam prorsus ab Christo Domino abfuisse ibi demonstrabimus. De priore modo disputamus, quam sic tollendæ ambiguitatis gratia solent appellare græci Patres[2], τὰ ἀδιάβλητα πάθη, καὶ φυσικὰ, hoc est *passiones naturales*, *minimeque vituperandas*. Item (1) *naturæ congruentes affectiones*. Tum (2) *naturales, et peccatum minime ferentes*. De his erudite disputat Joannes Damascenus in libro de Duabus voluntatibus[3]. Nos in libro octavo, capite octavo et nono, multis græcorum, latinorumque Patrum testimoniis ostendimus hujusmodi *passiones*, quamdiu vixit, habuisse, præque se tulisse Christum. Vide Leontium libro illo secundo contra Nestorium et Eutychem, ubi non paucas veterum sententias colligit idem asseverantes, tum quæ ab hæreticis ex adverso proponebantur, accurate diluit : ex quibus hic aliqua referam, ut tanto pleniorem hæresis illius notitiam indidem assequamur; quæ et adversus Catholicos quosdam haud recte sentientes usui nobis esse poterit.

VI. Imprimis ergo refellit illud Leontius[4], quod dimidiati illi Catholici dicebant, carnem Christi quam cum anima vere susceptam fatebantur; in quo ab Apollinari distabant; natura impatibilem esse factam, non ex se, sed virtute Verbi. Etenim quæ causa est cur non solam carnem, sed cum ea quoque Deus animam assumpsit, quod alioqui non perfecta salus homini comparata fuisset, si ea neglecta pars esset, quæ maxime laborans opis indigebat, eadem persuadet, eam ascitam esse carnem et animam, quarum ab nostris nihil substantia differret. Quippe «sicut si, cum animam sumpsit, non meam animam sumpsisset, si autem et meam, non tamen per omnia secundum substantiam sicut mea fuisset, aliud plane præter meam animam esset, quod factum est salvum : ad eumdem modum si carnem sumpsisset non meam, si vero meam, tamen aliquanto differentem, essetque differentia, si non esset similiter passibilis, et per omnia cum iis, quæ carnis nostræ, conveniens, necessario illius carnis esset, cui carnem sibi unitam assimilare voluisset : » non utique nostræ, quæ patiendi capax est, cujus nota propria impatibilis illa careret.

Nam quod Apollinaris aiebat[5], « Verum corpus fuisse Christi ex utero corruptibile, quod ex Virgine sumpsit, quod statim ad immortalitatem transtulit, » id sic refutat Leontius : Non fuisse rationis, corpus illud puncto, et momento tantummodo temporis, nostri

(1) Const. imper. in 6. Synod. act. 18. p. 290. B. Κατὰ δὲ τὴν ἀνθρωπίνην μορφὴν τὰ τῇ φύσει προσήκοντα, καὶ ἀδιάβλητα πάθη προσίετο.

Et, Οὐδὲ ἀπηξίωσεν ὁ φιλάνθρωπος τοῖς ἀνθρωπίνοις, καὶ ἀδιαβλήτοις πάθεσιν ὁμιλῆσαι.

(2) Sophron. in 6. Synod. act. 11. pag. 166. Ἐν πᾶσι τοῖς φυσικοῖς, καὶ ἁμαρτίαν οὐ φέρουσι.

[1] Ibid. 992. D. — [2] Ita Dam. lib. 3. c. 20.

[3] P. 476. et seq. — [4] Tom. 4. Bibl. 988. — [5] Ib. 989. D.

similitudinem habere, eamque repente dilabi : « quandoquidem non hoc solum indigebamus ; sed ut conversaretur nobiscum Dominus, et per omnia pergeret, per quæ natura humana principium capiens, et per media progrediens, ad finem suum evadit. »

Instante autem adversario [1], Christumque « non necessitate naturæ, verum ratione œconomiæ, permittente Verbo ut pateretur, » passum esse pugnante, contra Leontius absurdum esse contendit, affirmare natura factam esse carnem ab Verbo passionis expertem, et eamdem statim ab eodem Verbo dono illo spoliatam fuisse. Deinde sequi ex eo illud asserit, unitionem cum Verbo dissolutam esse. « Siquidem non poterat pati quod ex unione erat a passione liberum, nisi unione prius sublata. »

At enim [2] si caro natura patiendi capax erat, sublata nobis est de eo gloriandi materia, tanquam ipsa propter nos passa fuerit. Sed respondet Leontius, dupliciter passam eam propter nos dici ; vel quod permittente Verbo, cum prohibere posset, illi est inflicta perpessio, ut ait Athanasius ; vel quod peccati cum esset expers, cujus pœna mors est, mori illa non debuit : quod tamen sponte nostra causa sustinuit.

VIII. Pergit deinceps hæreticus, et contra Catholicos existimantes Christi corpus revera et natura sua corruptibile fuisse, quia pati potuit, probat aliud esse corruptibile esse corpus, aliud patibile. « Patiuntur enim, *ait* [3], in cruciatu (apud inferos) corpora peccatorum cum ipsis animis ; non tamen patiendo mortem vel interitum capient. » Huic vero sic occurrit Leontius, multum differre perpessiones illas, quibus in hac vita corpus afficitur, ab illis damnatorum cruciatibus. « Horum enim non est proprium naturam subjectam corrumpere. Si enim audacter dicendum est, conferunt etiam aliquid tortis, et cruciatis ad permanendum, etc. Humanæ vero, et naturales passiones carnis, quas Dominus suscepit, quodammodo erant natura aptæ ad debilitandam carnem, et defatigandum, ac dolore afficiendum, et denique ad dissolvendum : quod quidem in cruce factum esse cognovimus. Dissolutionem vero, quantum in natura est, corruptio sequitur. »

Rursus objicit hæreticus [4], Christi corpus ei simile fuisse, quod Adamus, antequam peccaret, habuit : eo quod novus Adam appellatus est. « Incorruptibilis autem erat protoplastus, antequam peccaret. Incorruptibile igitur fuit etiam corpus Domini. Siquidem sine peccato perseveravit semper. » At Leontius primo negat, Adami corpus vel *immortale* fuisse, *vel incorruptibile*, hoc est ab ea corruptela liberum, qua paulatim corpus consumitur, ut est inedia, sitis, fatigatio. Nam et mortuum est ; et cibo reficiendum fuit etiam in illo primo, beatoque statu. De statu primi parentis fuse diximus in libro secundo de Opificio, capite sexto. Ibi immortalem proprie negavimus Adamum fuisse, cum adhuc innocens esset ; verum nunquam fuisse moriturum, si in eo perseverasset : quod idem de incorrupto habitu corporis sentiendum est. Perspicuum est autem non fuisse tale Christi corpus ; quod et revera mortem, et corruptelam, hoc est varios defectus, et imbecillitatis argumenta præ se tulit, vera illa quidem, nec ficta specie oculis illudentia mortalium. Deinde recte Leontius ejusmodi assumpsisse carnem asserit Verbum, qualem habuit Adam post peccatum damnatus, et qualem nos habemus ex eadem massa procreati. « Non enim venit Dominus, ut salvaret Adam a peccato vacuum, ut ejus similis fieret : sed peccato irretitum, et jam lapsum, ut eum miseratio consuscitaret. »

De iisdem Aphthartodocetis, qui ab Juliano, et Gaiano propagati sunt, ex Leontii scholiis nonnulla descripsit Euthymius in Panoplia titulo 16. ubi illorum opinionem exagitat, et partim veterum Patrum, partim Scripturarum auctoritate convincit. Nam et esurisse, et lassatus esse, et alia imbecillitatis signa ostendisse memoratur : quæ incorrupto illo statu caruisse per id tempus Christi corpus indicant, antequam a mortuis excitatum est, ac nonnisi post resurrectionem illum obtinuisse.

IX. Leontio suffragatores accedunt antiqui theologi, qui Christi corpus omnia in se carnis incommoda, et vicissitudines, ac mutationes admisisse sentiunt, adeoque mortale, et corruptioni obnoxium fuisse. Ac si vere mortuus creditur, ut Christianorum nemo dubitat, multo magis affectiones ceteræ, quæ mortem antecedunt, et afferunt, eidem tribuendæ sunt : ut recte Tertullianus argumentatur adversus Marcionitas [5]. « Jam nunc, *inquit*, ut et cetera compendio absolvam, quæcumque adhuc, ut pusilla, et infirma, et indigna colligitis ad destructionem Creatoris, simplici, et certa ratione proponam : Deum non potuisse humanos congressus inire, nisi humanos et sensus,

[1] Ib. et col. 990. — [2] Ib. — [3] Ib. 992. D. — [4] Ib. 995. E.

[5] Tertull. 4. contra Marc. c. 27.

et affectus suscepisset; per quos vim majestatis suæ intolerabilem utique humanæ mediocritati, humilitate temperaret, sibi quidem indigna, homini autem necessaria, et ita jam Deo digna; quia nihil tam dignum Deo, quam salus hominis, etc. Si enim Deus, et quidem sublimior, tanta humilitate fastigium majestatis suæ stravit, ut etiam morti subjiceret, et morti crucis; cur non putetis nostro quoque Deo aliquas pusillitates congruisse, tolerabiliores tamen Judaicis contumeliis, et patibulis, et sepulcris ? » Sic Athanasius in libro de Incarnatione, « (1) Corpus, *ait*, Christi communem habens cum ceteris substantiam : quippe corpus erat humanum, tametsi novo, et inusitato miraculo ex sola Virgine conflatum : nihilominus mortale cum esset, itidem ut alia similia, mortem obiit. » Etenim, ut scribit Ambrosius [1], « Qui corpus suscepit, omnia debuit subire, quæ corporis sunt, ut esuriret, sitiret, angeretur, contristaretur. » Et Leo papa [2], « Salva igitur proprietate utriusque substantiæ, et in unam coeunte personam, suscipitur a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, et ad rependendum nostræ conditionis debitum, natura inviolabilis naturæ est unita passibili. » Tum Fulgentius [3], « Et carnem quidem nostram cum conditione humanæ mortalitatis induit, animam quoque nostram cum infirmitatibus sine macula humanæ infirmitatis accepit. » Et idem alio loco [4], « animæ tristitiam, et perturbationem, quam voluntariam in anima Dei filius habuit, sic habuisse » dicit, « ut etiam ipsas humanæ animæ passiones, ex voluntate veras, et in veritate voluntarias non neget. Et quia divinitas verum hominem suscepit, ideo cunctas naturæ humanæ infirmitates, veras quidem, sed voluntarias in eadem veritate naturæ duntaxat humanæ sustinuit. »

X. Quin iste ipse Fulgentius super hac quæstione, interroganti Regino, *utrum caro Christi corruptibilis, an incorruptibilis fuerit*, plane, accurateque respondit [5]. Corruptionem imprimis duplicem discernit; alteram, quæ in sola inest culpa; alteram, quæ in pœna consistit. Hanc rursus posteriorem bifariam partitur. Ut alia sit, qua pœna peccati simul est et peccatum, vel ad peccatum augendum pertinet. Nam et peccata nonnunquam peccatis ulciscitur Deus : et est in homine concupiscentia, vel libido, « quæ cum ex pœna peccati eveniat, peccatum multiplicat, et animam punitioni subditam noxia delectatione captivat. » « [6] Alia porro, quæ nec animam, nec corpus fidelis hominis polluit, sed affligit; quia nec ad inquinandum hominem, sed ad humiliandum militat peccatorem. » Quam nihil aliud esse dicit, nisi *privationem sanitatis*. Quibus constitutis, ita controversiam decidit. Christum asserit « carnem accepisse immunem ab omni peccato originali, et actuali. Ipsam tamen carnem non solum infirmam, sed etiam veraciter cognoscitur accepisse mortalem. Procul dubio in quantum corpori ejus inerat suscepta mortalitas, in tantum ei potuit inesse corruptionis infirmitas; illius scilicet corruptionis, quæ abest ab omni peccato. Ad talem corruptionem pertinet fames, et sitis, etc. » Tum ista pertexit [7] : « Fuit quippe in corruptione mortis, sed non in corruptione putredinis : quando caro Christi sic est mortua, ut ulla fuisset membrorum putredo, vel dissolutio subsecuta, etc. Christus ergo non vidit corruptionem, quia nullam sensit caro ejus putredinem. Hoc autem non ejusdem carnis incorruptibilitas, sed resurrectionis celeritas fecit. » Denique totam hanc disputationem absolvit sic : « Quocirca apparet Christum ante passionem, imo usque ad passionem, et mortem, mortale atque animale corpus habuisse; et pro nobis in eodem corpore veram famem, veram sitim, fatigationemque sensisse, vera clavorum, ac lanceæ percepisse vulnera, et ex hoc verum dolorem non necessitate, sed voluntate sensisse, veræque mortis acceptatione, pro nobis animam suam propria potestate posuisse. »

XI. Postremo Theodorus Abucara, in Opusculo quarto, illa de Adami ante et post lapsum corpore, affectionibusque corporis, necnon Christi Domini, quæ hactenus exposui, commode ac diserte declarasse videtur. Cujus verba, tum ob eam ipsam causam, quod recte ista tractavit; tum quod insequenti quæstioni viam aditumque præstruunt, describenda mihi videntur : « (2) Corpus, *inquit*, Adami ab omni

(1) ATHAN. pag. 52. D. Τὸ μὲν οὖν σῶμα, ὡς καὶ αὐτὸ κοινὴν ἔχον τοῖς πᾶσι τὴν οὐσίαν (σῶμα γὰρ ἦν ἀνθρώπινον), εἰ καὶ καινοτέρῳ θαύματι συνέστη ἐκ Παρθένου μόνης, ὅμως θνητὸν ὄν, κατα ἀκολουθίαν τῶν ὁμοίων καὶ ἀπέθνησκε.

(2) ABUC. tom. 11. bibl. pag. 398. B. Ὅτι τοῦ Ἀδὰμ τὸ σῶμα καθαρὸν ἀπὸ παντὸς μολύσματος ἔπλασεν ὁ Θεὸς, ὑπ' οὐδενὸς τῶν φυσικῶν ἀδιαβλήτων παθῶν ἀναγκαστικῶς κυριευόμενον, θανάτου τε, καὶ τῶν πρὸ τοῦ θανάτου, καὶ μετὰ θάνα-

[1] Lib. 7. in Luc. col. 148. — [2] Serm. 1. de Nativ. — [3] L. de Inc. cap. 8.

[4] Lib. 3. ad Tras. 27. — [5] Fulg. ad Reg. c. 2 — [6] Ib. c. 3. — [7] Ib c. 4.

labe purum effinxit Deus, cui nulla ex naturalibus, et inculpatis affectionibus necessitate dominabatur, veluti mors, et quæ mortem antecedunt, ac sequuntur. Verum postquam sponte sua, et voluntate, Adamus idem divinum præceptum transgressus est, seque peccato subjecit, et inquinavit, tum demum naturalibus, et inculpatis illis affectionibus, tanquam servus, obnoxius esse cœpit, nempe morti, ceterisque morti præeuntibus, aut eam sequentibus. Hinc Adamus esurire, sitire, ac mori necessitate quadam est coactus : et post obitum, corruptela ejus corpori dominata est, tum alia iis similia. Porro sempiternus Dei filius Adamæum corpus assumpsit; hoc est ipse sibi, ex purissimo sanctissimæ virginis Mariæ sanguine, illibatum, et ab omni macula peccati liberum finxit. Ob id nullum jus in ipsum mors habuit : nec illa quæ mortem antecedunt, uti fames, ac reliquarum culpa carentium multitudo passionum, ut jam ostendimus. Sed neque mortem consequens corporum corruptio : de qua Dei progenitor ille David in Psalmo ista prædixit [1], *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* »

Quocirca, « utique vulnerabile, atque mortale corpus habuit Christus, » quod Manichæi negabant, ut adversus horum antesignanum Faustum ait Augustinus [2]. Idemque alibi docet, etiam ad senectutem fuisse venturum, nisi mors ante illud occupasset [3]. « Sed quia in eo erat similitudo carnis, *inquit*, peccati, mutationes ætatum perpeti voluit, ab ipsa exorsus infantia : ut ad mortem videatur etiam senescendo illa caro pervenire potuisse, nisi juvenis fuisset occisus. Quæ tamen mors in carne peccati inobedientiæ debita redditur; in similitudine autem carnis peccati obedientiæ voluntate suscepta est. » At hoc nunquam Adamo contigisset, si in eo in quo creatus est, innocentiæ statu perstitisset, ut idem alibi tradit [4].

CAPUT QUARTUM.

De controversia quadam Philippi abbatis, et Joannis cujusdam, utrum natura humana Christi infirma fuerit, et naturaliter famem, sitim, dolorem, et id genus alia perpessa sit. — 1. Philippi negans opinio proponitur. — 3. Joannis contraria. — 4. Hunaldi cujusdam de utraque sententia; ita naturales fuisse passiones illas, ut non præter voluntatem obreperent. — 5. Fuisse infirmitatem in humana Christi substantia. — 6. Boetii locus insignis, quo proposita quæstio deciditur, ac de triplici Adami statu. — 7. Christum revera passiones illas sensisse. — 8. Excellenti tamen modo, ut eæ voluntatem non antecederent.

I. Superioris capitis disputatio non ignobilis mihi controversiæ memoriam renovavit, quæ sancti Bernardi tempore, inter eruditos quosdam agitata, et scriptis tradita, inter Philippi abbatis Bonæ spei, ex ordine Præmonstratensi, opera legitur. Est autem exorta illa quæstio ex Hilarii celebri illo loco, in quo Christi carnem nullum cepisse sensum doloris ex vulneribus existimasse videtur. De quo paulo post. Hunc igitur excusare interpretando dum studet Philippus, et cum Joanne quodam monacho, ac præposito acrius contendit, eo disputando lapsus est, ut Christi carnem, quia sine peccato concepta fuerat, nullis peccati pœnis obstrictam, et obligatam fuisse defenderet : adeoque nihil naturaliter pati potuisse, ac tantam vim ex admiranda sui generatione traxisse, ut supra patiendi conditio-

τον. Ἑκουσίᾳ δὲ γνώμῃ, καὶ ἑκουσιότητι τοῦ Ἀδὰμ τὴν θείαν παράβαντος ἐντολὴν, ὑποπεσόντος δὲ τῇ ἁμαρτίᾳ, καὶ μολυνθέντος, τοῖς φυσικοῖς ἀδιαβλήτοις ἐδουλώθη τε, καὶ κατεκυριεύθη πάθεσι, θανάτῳ τε, καὶ τοῖς πρὸ θανάτου, καὶ μετὰ θάνατον. Ὅθεν ὁ Ἀδὰμ πεινᾷν, καὶ διψᾷν, καὶ θνήσκειν ἀνάγκῃ κατεβιάζετο. Καὶ μετὰ θάνατον ἡ διαφθορὰ τοῦ σώματος αὐτοῦ κατεξουσιάζε, καὶ ὅσα τούτοις ἦσαν ὅμοια. Ὁ μέν τοι ἀΐδιος Υἱὸς τὸ Ἀδαμαῖον ἀνέλαβε σῶμα, τοῦτ' ἔστιν αὐτὸς ἑαυτῷ ἐκ τῶν ἀχράντων αἱμάτων τῆς παναγίας παρθένου Μαρίας διεπλάσατο καθαρὸν, καὶ παντὸς μύσους ἁμαρτίας ἐλεύθερον. Ταύτῃ τῷ θανάτῳ κατ' αὐτοῦ κράτος οὐκ ἦν, οὔτε τοῖς πρὸ θανάτου, πεῖνα δέ φημι, καὶ τῶν ἄλλων φυσικῶν ἀδιαβλήτων παθῶν ἑσμὸς, ὡς ἀπεδείξαμεν· οὔτε μὴν τῇ μετὰ θάνατον τῶν σωμάτων διαφθορᾷ, ἣν Δαβὶδ ὁ θεοπάτωρ μελῳδῶν προανεφώνησεν· ὅτι οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδην, οὐδὲ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν.

[1] Ps. 115. — [2] Aug. 14. contra Faust. c. 2.

[3] Aug. 2. de pecc. mer. c. 29. — [4] Id. l. 13. de Civ. c. 20.

nem evecta, quidquid nihilominus voluntarie passa est, non naturaliter, sed extraordinaria quadam lege, ac velut per miraculum sit experta. Huic reclamabat Joannes præpositus, et Christum asserebat necessitate quidem naturali, sed sponte tamen ascita et voluntaria, omnia pertulisse. Leguntur epistolæ amborum mutuæ in operibus, uti diximus, Philippi, ante annos sex et viginti Duaci editis; ex quibus pauca commemorabimus, quæ ad quæstionem ipsam proprie spectant, dilatis iis, quæ ad Hilarii post paulo tractandum locum illum referuntur. Philippus itaque [1] «Filium illum hominis, qui sic a Verbo Dei est susceptus, de Spiritu est conceptus, etsi ceteris hominibus humanæ substantiæ veritate consimilem, naturali tamen quadam virtute longe dissimilem extitisse » putat : « ut sicut in conceptione nil pertulit contrarium sanctitati, sic postmodum in anima, vel corpore nil sufferret suæ contrarium voluntati. »

II. Quare non illi naturalem infirmitatem, et perpessionem fuisse censet, uti nobis est, qui hæc, etiam inviti ac reluctantes, tolerare cogimur. « Jam ergo naturaliter infirmi sumus, jam naturaliter timore, et tristitia, fame et siti, calore et frigore, flagellis et vulneribus affligimur : ita ut hæc incommoda nec possimus penitus removere, nec possimus, cum acciderint, non dolere. Christum vero [2] « naturæ tanta potentia præditum ab ipso conceptu fuisse » dicit, « ut posset evitare molestiæ pœnas occurrentis, » etc. « Passiones igitur suam in illum non potuerunt naturam exercere, dum ejus voluntati nihil potuerunt contrarium admovere : et cum ille cuncta videretur occurrentia sustinere, tamen nihil horum adversus illum potuit obtinere. Tantæ quippe fuerat firmitatis, ut privari non posset jure proprio voluntatis; nec primatum in eo naturalis nostra infirmitas, sed vel infirma necessitas obtineret : sed cum sua in omnibus voluntas permaneret. Eapropter sicut natus est quando voluit, sic passus est quæ voluit, afflictus ut voluit : non habens naturam, ut sicut nos dolere cogeretur ; sed habens voluntatem, ut condolendo nostris doloribus mederetur. »

Quamobrem arbitratus est, Christum vere illa quidem tolerasse omnia, quæ sunt infirmitatis humanæ, famem, sitim, lassitudinem, tristitiam, dolorem, ac mortem denique ; sed voluntate, non infirmitate pertulisse. « [3] In hoc quippe corpus ejus, vel animus a nostro differebat, quod sua eum infirmitas dolere non cogebat ; sed quia ejus dolor nobis necessarius existebat, nobis, non sibi, dolorem voluntarium sufferebat. »

Paulo post etiam, « affectionem esuriendi in Christo fuisse *ait*, sine ulla necessitate comedendi : quia sicut potuit, cum voluit, esuriem sustinere, sic ad eam removendam nullo cibo inventus est indigere. »

III. Joannes vero præpositus, ut ex ejus epistola constat, quæ post Philippi epistolas est edita [4], in eo Philippo assentiebatur, quod Christum assereret, nulla necessitate coactum, sed voluntate cuncta sustinuisse : sed in eo dissidebat, quod etiam infirmitate tolerasse credebat. « Verus enim homo, *inquit*, doluit, habens naturam, ut nisi manducaret, deficeret ; mergeretur, si super undas ambularet ; moreretur, si crucifigeretur ; nisi miraculo id non fieri vellet : » cujusmodi in plerisque sanctis fecisse legitur, ut cum Petrum super aquas ambulantem ad se venire jussit. At vero Philippus negabat hoc in Christo miraculum fuisse [5], quod quadraginta dies, exempli gratia, jejunaret ; sed naturali, et ab ipso conceptu insita vi, ac fortitudine esse factum volebat. Quod Augustini testimonio comprobabat, ita scribentis [6] : « Sive ergo isto loco ipsum Judam pereuntem miserando turbatus est, sive sua morte propinquante turbatus est, non est tamen ullo modo dubitandum, non eum animi infirmitate, sed potestate turbatum, ne nobis desperatio salutis oriatur, quando non potestate, sed infirmitate turbamur. »

Sic etiam Maximus in homilia prima de jejunio Quadragesimæ : « Ignorabat nimirum diabolus, *inquit*, quia quod Christus nutrimenta perferebat infantiæ, quodque esuriebat ut homo, non erat fragilitatis corporeæ, sed cœlestis gratiæ sacramentum. »

Verum Joannes utrumque locum sic accipiebat, ut subaudiendam esse putaret particulam *tantum* : tanquam ita scripsisset Augustinus, « Christum non infirmitate tantum, sed etiam potestate esse turbatum : » et Maximus, « Non erat fragilitatis corpore tantum, sed cœlestis gratiæ sacramentum. » Sed hanc cavillationem merito reprehendit Philippus in epistola sexta. Et est sane ridicula, nec admitti ullo modo debet, uti mox ostendam.

[1] Philipp. ep. 5. p. 22. col. 2. — [2] Ib. p. 1. — [3] Ib. p. 14. — [4] Pag. 95. et seq.

[5] Epist. 6. p. 29. — [6] Aug. Tract. 60. in Joan. sub fin.

IV. Hanc Philippi, et Joannis litem, et contentionem dirimit tandem Hunaldus quidam, epistola, quam ad Joannem præpositum scribit, omnium postrema, et eruditissima [1] : cujus summam hic brevi complectar. Philippi primum sententiam eatenus improbat, quod Dominicum corpus tam firma constitutione fuisse crederet, ut inusitata illa et stupenda naturæ illius adscriberet : velut quadraginta dierum jejunium, et maris calcationem; « quod vero doluerit, et dolendo mortuus sit, præter naturam, et per miraculum factum esse » diceret. Quod secus se habuisse docet. Non enim *ex natura humanitatis* talem illum fortitudinem contraxisse, sed *ex gratia* habuisse censet. « Hoc enim divinitatis unio personalis eidem contulit, ut omni naturæ rerum imperaret, et nihil suæ resisteret voluntati. » Verum duplicem interim voluntatem discernit : unam *rationalem*, « secundum quam idem voluit homo quod Deus : » alteram *appetitus* (nempe inferioris et sensilis) « secundum quam dicitur velle comedere, qui etiam jejunium celebrans, ab escis vult abstinere. Vult igitur idem, et non vult comedere. Et huic quidem voluntati multa Christus tulit contraria : illi vero, nihil. »

Jam vero [2] cum necesse id esse dicatur, *quod impossibile est non esse*, non fuit talis in Christo patiendi necessitas; nec invitus illa passus est, tanquam vitare non posset. Nam si vellet, nihil horum omnino pateretur. Quare quod Maximus paulo citatus ante scripsit, « non fuisse fragilitatis corporeæ quod Christus esuriit ; » aut cum Augustinus infirmitatem a Christo removet : sic intelligenda ista sunt, non ut infirmitas illa revera in Christo non fuerit, « cum ipse esuriret ; alioquin esurire non posset : sed quia fragilitas suscepta non coegit, id est invitum non compulit, ut esuriem sustineret. »

Quod autem ita concepta Christi caro est, nihil ut vitii, ac labis contraxerit, non ex eo sequitur, nihil illum pati, aut non mori potuisse ex naturæ suæ conditione. Quippe [3] « munda illa hominis conceptio, quem Deus assumpsit, nihil ei contulit, præterquam quod assumens voluit. Nostræ vero infirmitatis statum sine peccato suscipere suæ benignitati complacuit. » Et infirmitatem ergo carnis habuit Christus, quam sponte suscepit, et eam non necessitate aliqua, vel invitus admisit. Habuit tamen illam ipsam, quam volens ascivit, in carne patiendi conditionem, idque illi naturale fuit. « Hoc enim naturale puto, ait Hunaldus, quod a Creatore res contrahit. Proinde non præter naturam, et per miraculum doluit, qui dolendi potentia carnali non caruit. » Nam cum duæ in Christo naturæ sint, « quidquid Christus fecit, vel passus est, secundum alterutram earum fecisse eum, vel sustinuisse necesse est. » Atqui nihil secundum divinam passus est. Igitur quidquid passus est, secundum humanam est passus; adeoque dolendi hæc proprietate non caruit. Hæc Hunaldus.

V. Porro non eo sensu negari ab Augustino, Christum ex infirmitate esse passum, ut nihil infirmitatis in eo fuisse sentiat, ex iis apparet, quæ in eodem tractatu sexagesimo in Joannem scribit : « Qui mortuus est, *inquit*, pro nobis, prius turbatus est idem ipse pro nobis. Qui ergo potestate mortuus est, potestate turbatus est. » Atqui vere, ac reipsa mortem pertulit ; ergo et turbationem, et reliquas passiones reipsa sustinuit. Item sub tractatus finem, « Carnis, *inquit*, ille gerebat infirmitatem, quæ infirmitas resurrectione consumpta est. » Non alia consumpta est infirmitas, quam quæ vere inerat ipsi. Habuit igitur in carne sua veram communemque cum ceteris infirmitatem ; sed neque peccati vestigium in ea fuit ullum : et hanc ipsam carnis infirmitatem non reliquorum more hominum suscepit, ut ea naturali quadam necessitate etiam invitum opprimeret ; sed ut eam haberet in potestate, ac pro libito suo, laxatis, aut adductis frenis regeret. Quod ibidem explicare pergit Augustinus. « Sed qui non homo, *ait*, verum etiam Deus erat, ineffabili distantia universum genus humanum animi fortitudine superabat. Non ergo aliquo est cogente turbatus, sed turbavit semetipsum, etc. Affectum quippe humanum, quando oportuisse judicavit, in seipso potestate commovit, qui hominem totum potestate suscepit. »

VI. Postremo huic absolvendæ, terminandæque controversiæ, utile quiddam conferet Boetius ex fine libri *de duabus naturis, et una persona Christi* : ubi etiam illud, quod in superiori propositum est capite, dissolvit, cujusmodi congruentem Adami statui Christus qualitatem corporis assumpsit. Quam quidem quæstionem maximi esse momenti ad diluendam Eutychianorum calumniam affirmat : quod illi carnem Christi idcirco de Mariæ

[1] Philipp. ib. p. 97.

[2] Ib. p. 98. — [3] Ib. 99.

carne non esse delibatam, ac decerptam assererent; ne qualem Adamus habuit, peccato videlicet obnoxiam, accepisse putetur: aut si ejusmodi suscepit, qualis ante lapsum illius extitit, neque mori, neque perpeti aliquid potuerit; quod hujus est proprium capitis argumentum.

Hic vero Boetius tres Adami status distinguit; duos extremos; tertium inter hos medium. Primus status est ante delictum, « in quo tametsi ab eo mors aberat, nec adhuc ullo se delicto polluerat, poterat tamen in eo voluntas esse peccandi. » Secundus status est, « in quem mutari potuisset, si firmiter in Dei præceptis manere voluisset. Tunc enim id addendum foret, ut non modo non peccaret, aut peccare vellet, sed ne posset quidem aut peccare, aut velle delinquere. » Tertius status est post delictum, « in quo mors illum necessario subsecuta est, et peccatum ipsum, voluntasque peccati. » Horum trium statuum extremi duo sunt, secundus, et tertius: medius et ambos inter interjectus est primus. Ex iis igitur statibus singulis, proprium quiddam Christus assumpsisse Boetius observat. « Nam quod mortale corpus assumpsit, ut mortem a genere humano fugaret, in eo statu ponendum est, qui post Adæ prævaricationem pœnaliter inflictus est, » et est ordine tertius. « Quod vero non fuit in eo voluntas ulla peccati, ex eo sumptum est statu, qui esse potuisset, nisi voluntatem insidiantis fraudibus applicasset. » Et hic secundus est status. Restat igitur medius status, qui primus est positus; « ille scilicet, qui eo tempore fuit, cum nec mors aderat, et adesse poterat delinquendi voluntas. In hoc igitur Adam talis fuit, ut manducaret, ac biberet, ut accepta digereret, ut laberetur in somnum, et alia, quæ ei non defecerunt. Humana quidem, sed concessa, et quæ nullam pœnam mortis inferrent; quæ omnia habuisse Christum, dubium non est. Nam et manducavit, et bibit, et humani corporis officio functus est. Neque enim [1] tanta indigentia in Adam fuisse credenda est, ut, nisi manducasset, vivere non potuisset. Sed si ex omni quidem ligno escam sumeret, semper vivere potuisset, hisque (forte *sicque*) non mori. Idcirco paradisi fructibus indigentiam explebat. Quam indigentiam fuisse in Christo, nullus ignorat; sed potestate, non necessitate. »

VII. Atque hoc diserte Romanum concilium sub Damaso papa statuit, ut ex epistola synodica constat ad Paulinum Antiochenum missa Thessalonicam; in qua anathema dicitur « (1) ei qui dixerit, in crucis passione dolorem sustinuisse Dei filium divinitate ipsa, et non carne, animaque rationali, quam assumpsit in forma servi, ut Scriptura sacra loquitur. » Igitur vere in carne dolorem sensit; ac revera passus est: quod fidei symbola omnia testantur. Si enim passiones istas, doloresque non reipsa in qua pati poterat natura persensit, non vere passus est, sed ficte ac sola specie. Nec illud verum est, quod de eo Propheta prædixerat [2], *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Tum quæ in Psalmo 21. de acerbissimo dolorum sensu, quem in cruce toleravit, ex Christi persona prædicta sunt, falsa et simulata erunt omnia. Itemque quod ipsemet Dominus *tristem esse suam animam usque ad mortem* professus est [3]. Aut quod *sitire* se dicit in cruce pendens [4]; vel *esurisse* ab Evangelista narratur [5]: hæc, inquam, omnia proprie debent accipi, et hujusmodi affectionibus illum obnoxium fuisse, ita, ut par est, accepta demonstrant.

Denique Paulus in epistola ab Hebræos, *Debuisse* Christum ait [6], *per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret peccata populi. In eo enim in quo passus est ipse, et tentatus, potens est et eis, qui tentantur, auxiliari.* Et in capite quarto: *Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia, pro similitudine, absque peccato.* Quæ inepte falsoque dicta viderentur, si non passiones istas revera, et humano more modoque susciperet.

VIII. Distabat tamen in eo plurimum ceteris ab mortalibus Christus, quod in his præter voluntatem, imo interdum ea reluctante, affectiones illæ, perpessionesque subeant, nec in hominum potestate sint: at in Christo voluntariæ prorsus extiterunt, ut jam supra dixi, nec, nisi permittente vel imperante voluntate, coortæ sunt. Declarat hoc Joannes

(1) DAMAS. apud Theod. in Hist. lib. 5. pag. 10. Εἴ τις εἴπῃ, ὅτι ἐν τῷ πάθει τοῦ σταυροῦ τὴν ὀδύνην ὑπέμεινεν ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ θεότητι, καὶ οὐχὶ σαρκὶ, καὶ ψυχῇ λογικῇ, ἥνπερ ἀνέλαβεν ἐν τῇ τοῦ δούλου μορφῇ, ὡς εἴρηκεν ἡ ἁγία γραφή. ἀνάθεμα ἔστω.

[1] Forte *nulla*. Hunaldus pro *fuisse* legit *defuisse*. Quid si *non fuisse* scribas?

[2] Isa. 53. — [3] Matt. 26. 38. — [4] Joan. 19. — [5] Matt. 4. — [6] Heb. 2. 17.

Damascenus in libro 3. capite 20. verbis istis : « (1) Quocirca naturales nostræ passiones, et secundum naturam et supra naturam in Christo fuerunt. Secundum naturam enim in ipso commovebantur, quando carni permittebat, ut quæ sunt ejus propria pateretur. Supra naturam vero, quoniam non antecedebant in Domino quæ naturalia erant illius voluntatem. Nam nihil coactum in eo consideratur ; sed voluntaria omnia. Itaque volens esuriit, volens sitivit, volens timuit, volens est mortuus. »

Quæ omnia divinitatis ad nutum, tanquam rectricis, ac moderatricis, administrabantur, ut alibi diximus. Est autem illa causa, quam Joannes Damascenus affert [1], cur non præirent voluntati passiones illæ, sed eam sequerentur ; quod nihil coactum erat in Christo, ab eo quod posterius est sumpta. Nam ideo nihil Christo contra voluntatem, et coactum accidit, quod nihil nisi ex ejus voluntate posset obrepere ; hoc est nihil nutum voluntatis ejus antecederet. Hæc est verbi τοῦ προηγεῖσθαι notio; non illa, quam eruditus theologus amplectitur [2] ; ut sit, non *antecedere* simpliciter; sed *præire ut ducem*, qui *alios ita post se trahat, ut sequantur*. Quod non magis hoc loco necesse est, quam ubi idem Damascenus voluntatem Dei, in *antecedentem*, et *sequentem* disstribuit; quod est προηγούμενον, καὶ ἑπόμενον θέλημα. Quippe ex eo quod passiones voluntatis nutu posteriores sunt, nec nisi ea volente consurgunt, sequitur nunquam eas violenter incurrere.

CAPUT QUINTUM.

Veterum quorumdam opiniones παράδοξοι de affectionibus, et passionibus, quæ humanæ Christi naturæ contigerunt, illustratæ, et expensæ. — 1. Hilarii locus, in quo sensum doloris detrahere Christo videtur; — 4. varie ab quibusdam explicatus. — 5. Nonnulli Hilarium retractasse sententiam volunt : et quo in libro id fecisse videatur. — 7. Refellitur hic error. — 8. Clementis Alexandrini non dissimilis notata sententia. Valentini hæretici jocularis error. — 9. Castigatur. — 10. Christum corpore deformem arbitrati quidam, — 11. sed refutati.

I. Celeberrimus est inter eos, quorum explicatu difficilia quædam loca scriptis prodita sunt, Hilarius Pictaviensis, gallicanæ quondam Ecclesiæ decus, et columen; cujus in libro decimo de Trinitate insignis est disputatio de hoc ipso, in quo modo versamur, argumento; utrum Christus, qua homo, doloris, et famis, ac sitis, affectionumque naturalium ceterarum sensum aliquem revera ceperit : an ad speciem duntaxat, earum in se vim, et efficientiam admiserit. Etenim multa constat illic ab eo esse scripta, quæ sine ullo sensu, passionum istarum appulsionem ad Christi carnem esse factam persuadeant. Quæ nonnulli pie interpretari potius, quam ut summo viro tantum erroris oblatum fateren-tur, impense studuerunt. Nos in medio positis Hilarii dictis, quæ offensionis aliquid habere videntur, quemadmodum ab aliis explicata ea fuerint, referemus; tum quod nostrum sit de hoc judicium, sincere profitebimur.

Non est ignota vel mediocriter hujus doctrinæ peritis, Arianorum fraus veterum, et versutia : qui ut dissimilis, inferiorisque substantiæ Filium esse, neque Patri consubstantialem probarent, qualemcumque divinitatem illius patiendi capacem, ac revera passam esse dicebant. Ex quo factum est, uti Scripturæ loca omnia, in quibus infirmum aliquid, et abjectum de Christo dicitur, ut est dolor, tristitia, metus, et similia, non ad susceptam a Verbo naturam hominis, sed ad ipsam illius divinitatem accommodarent. Quod in secundo libro de Trinitate fusius ostendimus.

(1) DAMASC. lib. 3. cap. 20. Ἀμέλει τὰ φυσικὰ ἡμῶν πάθη, κατὰ φύσιν, καὶ ὑπὲρ φύσιν ἦσαν ἐν τῷ Χριστῷ· κατὰ φύσιν μὲν γὰρ ἐκινεῖτο ἐν αὐτῷ, ὅτε παρεχώρει τῇ σαρκὶ πάσχειν τὰ ἴδια· ὑπὲρ φύσιν δὲ, ὅτι οὐ προηγεῖτο ἐν τῷ Κυρίῳ τῆς θελήσεως τὰ φυσικά. Οὐδὲν γὰρ ἠναγκασμένον ἐπ' αὐτοῦ θεωρεῖται. Θέλων καὶ ἐπείνησε, θέλων ἐδίψησε, θέλων δειλίασε, θέλων ἀπέθανεν.

[1] Lib. 8. c. 12. § 1.

[2] Vasq. in 3. par. Disput. 59. c. § 17.

II. Contra hanc hæreticorum istorum insaniam disputat in libro decimo S. Hilarius : et inter alia [1], « Volunt, *inquit*, plerique eorum ex passionis metu, et ex infirmitate patiendi, non in natura eum impassibilis Dei fuisse ; ut qui timuit, et doluit, non fuerit vel in ea potestatis securitate, quæ non timet, vel in ea spiritus incorruptione, quæ non dolet ; sed inferioris a Deo Patre naturæ, et humanæ passionis trepidaverit metu, et ad corporalis pœnæ congemuerit atrocitatem. » Deinde prolatis Scripturæ sententiis, quibus tristitia, vel metu affectus esse perhibetur, ostendere conatur causam nullam in Christo fuisse metuendæ mortis, aut doloris ; « cum omnem ab apostolis terrorem mortis propellens, ad gloriam eos sit martyrii adhortatus. » « [2] Quem autem dolorem mortis timeret, potestatis suæ libertate moriturus ? » Præsertim cum nec corpori, nec spiritui suo formidanda mors esset ; non corpori, quod sciret non esse corruptione dissolvendum ; non spiritui, cum *infernum chaos, Lazaro in Abrahæ sinibus lætante*, neutiquam illi timendum esset. Mox, uti corpus animamque multo ac nos præstantiore modo suscepit, « secundum animæ, corporisque naturam, necesse esse » dicit « et passionum fuisse naturam. » Ac postquam longa interposita oratione docuit, Verbum assumpsisse carnem ex Maria, et ex ea esse genitum eumdem verum Dei hominisque filium ; ut hac ratione demonstraret, non ejusdem nobiscum conditionis, sed longe præstantioris esse Christum ; demum aliter ac mortalibus usuvenire solet, ictus ac vulnera in eum incurrisse dicit [3]. « Homo itaque Jesus Christus, *inquit*, unigenitus Deus, per carnem, et Verbum, ut hominis filius, ita et Dei filius, hominem verum, secundum similitudinem nostri hominis non deficiens a se Deo, sumpsit : in quem quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret, quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent : ut telum aliquod aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aera vulnerans. Omnes quidem has passiones naturæ suæ infert, ut perforet, ut compungat, ut vulneret : sed naturam suam in hæc passio illata non retinet ; dum in natura non est vel aquam forari, vel pungi ignem, vel aera vulnerari : quamvis naturæ teli sit vulnerare, et compungere, et forare. Passus quidem Dominus Jesus Christus, dum cæditur, dum crucifigitur, dum moritur ; sed in corpus Domini irruens passio, nec non fuit passio, nec tamen naturam passionis exercuit : cum et pœnali ministerio illa desæviit, et virtus corporis sine sensu pœnæ vim pœnæ in se desævientis excepit. »

III. Quibus verbis sic inflicta corpori Christi tela esse significat, et impressa vulnera, ut eorum sensum non caperet, sic tanquam foderet aliquis ignem, aut aquam : cujus rei causam refert in corporis ejusdem extraordinariam excellentemque formationem, quæ ab communi hoc usu, et statu mortalitatis excepit. « Habuerit sane illud, *inquit*, Domini corpus doloris nostri naturam, si corpus nostrum id naturæ habet, ut calcet undas, et super fluctus eat, et non degravetur ingressu, neque aquæ insistentis vestigiis cedat ; penetret etiam solida, nec clausæ domus obstaculis arceatur. Ac vero si Dominici corporis sola ista natura sit, ut sua virtute, sua anima feratur in humidis, et insistat in liquidis, et extructa transcurrat, quid per naturam humani corporis concepta ex Spiritu sancto caro judicatur ? etc. Et homo ille de Deo est, habens ad patiendum quidem corpus et passus est ; sed naturam non habens ad dolendum. Naturæ enim propriæ, ac suæ corpus illud est, quod in cœlestem gloriam transformatur in monte, quod attactu suo fugat febres, quod de sputo suo oculos format. » Hæc Hilarius, in quibus Christi corpus naturaliter, et ex naturæ suæ statu, ac conditione, nullum potuisse doloris sensum percipere declarat ; neque vim suam in illud exercuisse ferrum, aliaque incutiendi doloris instrumenta. Quod quia falsum est, et ab regula Christianæ professionis alienum, idcirco certatim excusare, interpretarique dicta illa conati sunt pii, uti diximus, atque eruditi theologi.

IV. Communis est illa maxime ratio, quam Magister sententiarum amplexus est [4], Hilarium ideo dixisse « dolorem passionis in Christum non incidisse, et virtutem corporis Christi sibi excepisse vim pœnæ sine sensu pœnæ ; quia doloris causam, et meritum in se non habuit. » Hoc autem iis illius verbis expressum fuisse docet, *Non habens naturam ad dolendum*. Non enim naturam illius æstimandam ex nostræ conditione, cum inusitato modo procreata sit. Itaque nec dolendi, nec timendi necessitatem in illo fuisse dicit, qua-

[1] Hilar. lib. 10. p. 69. G. — [2] Ib. p. 70. A. — [3] Ib. p. 71. D.

[4] In 3. Disp. 15. sub fin et S. Tho. 3. Par. q. 15. art. 5. ad 1.

lis inest in nobis. Ab hoc non dissentiunt superiore capite laudati Philippus abbas, epistola quinta, et Hunaldus; qui necessitatem in Christo non fuisse dolendi duntaxat Hilarium docere volunt; licet revera dolorem senserit, non invite, sed voluntate susceptum. Quam etiam necessitatem, *naturæ* vocabulo significari suspicatur Hunaldus. Verum si quis attente Hilarii verba considerare velit, non omnino quadrare in hæc interpretationem illam sentiet. Etenim si hoc tantum demonstrare voluisset, ejusmodi fuisse corporis Christi naturam, et constitutionem, ut ex sese dolorem nullum caperet, etsi confossum, perforatumve esset; cur non etiam sauciatum, ac trajectum idem corpus fuisse negavit; cum non minus perfossionis, ac læsionis immunem, quam doloris, carnem istam conceptus ipsius, et omni culpæ contagione vacans origo præstiterit? Denique quis non cruciatu quovis, et sensu doloris acerbiorem, ac minus Deo congruentem putet peccati pœnam esse mortem? Nec tamen aut Hilarius, aut Catholicus quisquam, mortuum negavit esse Christum, quod neque moriendi conditione natura ipsius, neque necessitate voluntas oppressa sit.

Eadem præscriptione summovendi sunt, qui Hilarium asserunt [1] de divina, non humana, loqui natura, cum doloris sensum Christo detrahit; ut omittam cetera ejusdem loci, quæ huic interpretationi repugnant.

V. Sunt alii, qui Hilarium referunt quodam in libro ista retractasse, et contrarium docuisse [2]: quem *librum illius retractationis vidisse, et perlegisse se* Guillelmus Parisiensis episcopus, audiente S. Bonaventura, dixit. Sane tantus vir Guillelmus Parisiensis fuit, ut, cum eo ipso fateatur Hilarium errore lapsum esse, quod retractando illo correxisse significet, haud temere idem nobis asseverare liceat. Quonam vero in libro fecerit hoc Hilarius, hactenus incompertum est.

Mea hæc suspicio est, commentarium in Psalmos esse; in quo ad Psalmum sexagesimum octavum multa dicit superiori illi opinioni contraria, ut merito retractasse priora videri potuerit. Etenim verba ista declarans, *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam*, ita scribit [3]: « Introeuntibus enim aquis usque ad animam, subjectus morti crucis fiebat; cum passionum universarum impetus usque ad mortem animæ perrumperet. » Ac paulo post: « Verum ineuntium harum passionum non aliunde, quam ex assumptione carnis, et virtus est, et potestas. Non enim incidere in Deum hic infirmitatum nostrarum terror valebat, aux exerere se, nisi in carne corporis nostri, tanquam subjacente materia, poterant passiones. » Item, « Omnis in eum terror, *inquit*, desævientis in nos tempestatis incubuit, etc. Tunc et pati cœpit, et mori posse, per occasum mortis in ima descendens. » Ad hæc [4], « Quod autem, *inquit*, infirmitates nostras ad salutem generis humani ex paterna voluntate susceperit. » Et, « Non fuit ergo in unigenito Deo naturalis infirmitas, sed assumpta; quia propter Deum hæc improperia susceperit passionum. »

Hic revera dolorem, ac timorem suscepisse Deum non in natura sua, sed in assumpta carne testatur; et in hanc passiones impetu quodam irruisse.

VI. Post idem [5], « Veniens, *ait*, in altitudinem maris, ac tempestate demersus, nunc ne demergatur orat; ut superius assumptæ infirmitatis nostræ professio sit, cum se demersum esse profitetur. Nunc vero conscius in se salutis fiducia est, cum ne se aquæ tempestas demergat precatur. Nam ejusdem naturæ non est, et demersam jam esse, et ne demergatur orare: sed ejus, quæ per corpus licet mersa, non tamen sit detinenda per spiritum. » Hoc loco, *demergi in altitudinem maris*, idem est ac passiones sentire; a quibus cum liberari se postulat, et inde ubi demersa caro est, eam extrahi, haud dubium est, quin eidem verum sensum doloris, et passionis attribuat. Tum postea, « Omnia, *inquit*, ut homo et patitur, et loquitur. » Ut ergo vere loquitur ut homo, ita vere ut homo patitur. Rursus, « Et quia propter inimicos suos hæc perpetienda sibi fuerant, *inquit*, per quæ humanæ saluti, atque æternitati consulebat, hujus beneplaciti temporis testatur affectum, dicens, Improperium expectavit cor meum et miseriam, desideratas sibi esse hujus temporis significans passiones. » Præterea [6], « Percussus ergo est Dominus, *ait*, peccata nostra suscipiens, et pro nobis dolens, ut in eo usque ad infirmitatem crucis, mortisque percusso sanitas nobis per resurrectionem ex mortuis redderetur. » Denique carnem ejusdem naturæ cum Adami carne post peccatum infirma, Deum assumpsisse scribit, ac vere doluisse: « Non pepercerat autem primo illi de terræ limo Adæ,

[1] Apud Bonav. in 3. Dist. 16. Art. 1. q. 1. — [2] Ita Bonav. ib. — [3] Hilar. p. 244. B.

[4] Ib. p. 245. A. — [5] Ib. p. 246. A. — [6] Ib. 247.

inquit, quem de paradiso post culpam, ne lignum vitæ attingens in æternitatem pœnæ maneret, ejecit ; ut naturam corporis ejus Adam e cœlis secundus assumens, parique morte percussus, eam rursus in vitam æternam sine pœnæ æternitate revocaret. Hunc igitur ita a Deo percussum persecuti sunt, super dolorem vulnerum, dolorem persecutionis hujus addentes. Pro nobis enim secundum Prophetam dolet, et ideo esse in doloribus æstimatur. » Vides uti manifeste non vulnera solum, id est perforationes, sed et vulnerum dolores pertulisse dicatur : quod ei plane contrarium est, quod in decimi libri de Trinitate loco scripsit. Unde retractare quæ ibi dixerat, in commentario illo visus est Guillelmo Parisiensi.

Hilarium certe ita, uti dixi, de Christi carne sensisse, in libro decimo de Trinitate, non dubitavit Claudianus Mamertus in libro secundo de Statu animæ [1] ; ubi illum fatetur « inter complura præcelsarum disputationum suarum, quiddam secius sentientem, duo hæc veris adversa disseruisse : unum, quod nihil incorporeum creatum dixit : aliud nihil doloris Christum in passione sensisse. Cujus si passio vera non fuit, redemptio quoque nostra vera esse non potuit. Sed quando beatus Hilarius opinionis hujusce vitium virtute confessionis abolevit, sic sustinet reprehensionis stilum, quod non patitur detrimenta meritorum. » Sed de hac Claudiani sententia, quatenus priorem Hilario tribuit errorem, ut nihil corporis expers creatum a Deo putaverit, vide quæ alibi scripsi [2].

VII. Erit et qui eamdem de ἀπαθείᾳ Christi hominis opinionem Dionysio Alexandrino imputet. Hic enim Paulo Samosateno contra divinitatem Christi disputanti, quod natura homo sit, non Deus, cujus anima tristis est ; respondet, perinde ad passionem iturum Dominum Jesum, tristitia affectum esse, ut in Scripturis, Deo, et Spiritui sancto ira, tristitia, dolor, ceterique affectus humani nonnunquam affingi solent. Verum Dionysius de Christo ista scribens respectum habuit ad ipsius divinam substantiam, quam Paulus Samosatenus impugnabat ; quemadmodum Bonaventuram supra diximus Hilarium explicare voluisse.

Ceterum hunc errorem diserte, accurateque refellit Augustinus tractatu in Psalmum 93. « Nolite, *inquit*, putare non fuisse tristem Dominum. Si enim hoc dixerimus, quia non erat tristis, cum Evangelium dicat, Tristis est anima mea usque ad mortem : ergo et quando dicit Evangelium, Dormivit Jesus, non dormivit Jesus : et quando Evangelium dicit, Manducavit Jesus, non manducavit Jesus. Surrepit vermiculus putredinis, et nihil sanum relinquet, ut dicatur, qua et corpus non erat verum, et carnem veram non habuit. Quidquid ergo de illo scriptum est, fratres, factum est, verum est. Ergo tristis fuit ? prorsus tristis ; sed voluntate suscipiens tristitiam, quomodo voluntate suscipiens carnem. Quomodo voluntate carnem veram : sic voluntate tristitiam veram. » Sic etiam Origenes libro secundo contra Celsum : « (1) Si, ut ait Celsus, *inquit*, nihil doloris, ac molestiæ Jesus sensit per illud tempus ; quonam pacto qui postea secuti sunt, Jesum adhibere potuerunt in exemplum patiendi laboriosa quælibet, ac molesta propter pietatem, si humana non est revera, sed sola specie perpessus ? » Vide Tertullianum libro tertio contra Marcionem, capite octavo. Hieronymus item in Esaiam [3], « Qui vere languores nostros, et peccata portavit, et pro nobis dolet, non putative, id est οἰομένως, ut nova et vetus hæresis suspicatur ; sed vere crucifixus est, vere doluit. »

VIII. Pene mihi Clemens Alexandrinus exciderat ; qui in sexto Stromateo, de Christo non satis castigatam sententiam expromit, et Hilarianæ illi similem : « (2) In Salvatore, *inquit*, corpus, tanquam corpus, necessaria postulare ministeria, ridiculum fuerit. Manducabat enim, non propter corpus, quod divina virtute sustentabatur ; sed ne iis, qui

(1) ORIG. 2. cont. Cel. pag. 79. Ἀλλὰ καὶ εἰ, ὥς φησιν ὁ Κέλσος, μήτ' ἀλγεινόν τι, μήτ' ἀνιαρὸν τῷ Ἰησοῦ κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ἐγίγνετο, πῶς ἂν οἱ μετὰ ταῦτα παραδείγματι τοῦ ὑπομένειν τὰ δι' εὐσέβειαν ἐπίπονα ἐδύναντο χρήσασθαι Ἰησοῦ, μὴ παθόντι μὲν τὰ ἀνθρώπινα, μόνον δὲ δόξαντι πεπονθέναι ;

(2) CLEM. Alex. 6. Strom. pag. 468. B. Ἀλλ' ἐπὶ μὲν τοῦ Σωτῆρος τὸ σῶμα ἀπαιτεῖν, ὡς σῶμα, τὰς ἀναγκαίας ὑπηρεσίας εἰς διαμονὴν, γέλως ἂν εἴη. Ἔφαγεν γὰρ οὐ διὰ τὸ σῶμα, δυνάμει συνεχόμενον ἁγίᾳ· ἀλλ' ὡς μὴ τοὺς συνόντας ἄλλως περὶ αὐτοῦ φρονεῖν ὑπεισέλθοι· ὥσπερ ἀμέλει ὕστερον δοκήσει τινὲς αὐτὸν πεφανερῶσθαι ὑπέλαβον. Αὐτὸς δὲ ἁπαξαπλῶς ἀπαθὴς ἦν· εἰς ὃν οὐδὲν παρεισδύεται κίνημα παθητικὸν, οὔτε ἡδονὴ, οὔτε λύπη.

[1] Tom. 4. Bib. col. 637. A. — [2] Tom. 1. l. 2. c. 1. § 15. et Tom. 3. lib. 1. de Aug. c. 2. § 8.

[3] Hier. in c. 53. Esa. ver. 4.

versabantur cum ipso, in mentem veniret aliter de eo sentire. Quemadmodum sane postea nonnulli sola illum specie, et phantasmate apparuisse putarunt. Alioquin ipse penitus erat passionis expers, cui nullus obreperet passionis motus, neque voluntas, neque tristitia. » Quæ opinio si de simplici affectione, minimeque vitiosa intelligatur, prorsus explodenda est. Non recte autem, nec bono sensu usurpatam esse ab Clemente arguit illa ratio, quam subjicit : ob id solum cibo usum esse Christum, ne non vera suscepta caro, sed apparens, et adumbrata putaretur. Id enim falsum esse demonstrant quæ hactenus diximus. Ac revera Christum esurisse, sitisse, doluisse, et alias affectiones in se recepisse, catholicæ fidei decretum est, quod nulla nec auctoritate, nec argumentatione sollicitari debet.

Eadem censura notandum est, quod Valentinus hæreticus asserebat, ut ex ejus ad Agathopodem epistola refert idem Alexandrinus Clemens; usque eo temperantem fuisse Christum, ut « (1) peculiari quodam modo manducaret, ac biberet, nec egereret. Tanta vis in eo continentiæ fuit, ut in eo non corrumperetur alimentum; quando nec ipse corruptelæ capax erat. » Similis huic error in Theodoro Pharanita Monotheletarum principe ab Martino primo Romano pontifice notatus est in Lateranensi synodo[1] : quod Christum affirmaret, nec corporis molem habuisse, neque defluxum eorum quæ ad corpus adhærebant. Theodori verba in sexta Synodo græce recitata sunt[2], ubi non absolute caruisse istis dicitur; sed ea tantum habuisse in potestate, ut ab iis immunem se aliquando præstaret.

IX. Ceterum hanc opinionis insaniam castigat Martinus antiquorum auctoritate Patrum, præsertim Basilii, cujus egregius extat locus in homilia de gratiarum actione : in qua Christum affectiones omnes animi, corporisque, quarum significationes dantur in Scripturis, admisisse revera in se, ac suscepisse testatur; adeoque superfluorum expirationes, et ejectiones. Ac dicit quidem initio, « (2) Christum manducasse, ac bibisse, non cibo ac potu indigentem ipsum, sed ut nobis necessariarum hujusmodi affectionum animæ mensuras ac terminos præfiniret : quemadmodum et flevisse, ut in gemitum, luctumque propensorum immoderatos affectus, nimiumque dejectos corrigeret. » Sed non ideo negat in Christo revera talia fuisse ; verum minime necessaria, et in voluntatis arbitrio posita significat. Quare paucis interjectis, ita scribit : « (3) Quemadmodum igitur famem suscepit Dominus, exhausta per expirationem solidiore alimonia : et sitim admisit, humore in corpore consumpto : et lassatus est, musculis, ac nervis nimium ex ambulatione distentis : non divinitate ipsa labore fracta ; sed corpore ex natura consequentes affectiones admittente : sic etiam lacrymas suscepit, naturalem affectum ad carnem accidere permittens. » Tum de lacrymarum origine subtilius disputat, easque redundantis ex humoris excretione manare scribit.

X. Quamobrem non sunt ea Christo temere subtrahenda, quæ naturaliter, ac citra peccati dedecus, homini competunt; tametsi parum decora, et indigna summa Dei majestate videantur : recteque Leontius libro secundo adversus Nestorii et Eutychis hæresim, de præposteris istis cultoribus Christi, ac falsum ei honorem habentibus, ita loquitur[3]. « Ne existimemus, *inquit*, magnum aliquid de carne Domini dicere, si ei tribuamus, quod nec ipsam honoravit, et quod honorem nostrum abstulit. Nec enim Verbi erat privare eam nostris proprietatibus manentem alioqui nobiscum : nec erat humanitatis, affinitatem nobiscum habentis, delere similitudinem patiendi, nisi velimus excidere ab ejus imitatione, et similitudine. Nec vero ea, quæ communiter justi, et injusti, post resurrectionem habebunt, immortalitatem dico, et non posse interitum capere, et imprimis non esurire, non sitire, non expetere somnum, tanquam grande aliquid, carni Christi projiciamus. Hic enim vere dici potest, gloria in confusione eo-

(1) Clem. 3. Strom. pag. 329. Ἤσθιεν, καὶ ἔπινεν ἰδίως, οὐκ ἀποδιδοὺς τὰ βρώματα. Τοσαύτη ἦν αὐτῷ ἐγκρατείας δύναμις, ὥστε καὶ μὴ φθαρῆναι τὴν τροφὴν ἐν αὐτῷ· ἐπεὶ τὸ φθείρεσθαι αὐτὸς οὐκ εἶχεν.

(2) Basil. tom. 1. pag. 360. B. Ὅτι καὶ ἔφαγε, καὶ ἔπιεν, οὐκ αὐτὸς τούτων δεόμενος· ἀλλά σοι μέτρα, καὶ ὅρους τῶν ἀναγκαίων τῆς ψυχῆς παθημάτων καταλιμπάνων· οὕτω γοῦν καὶ ἐδάκρυσε, τῶν ὀδυρτικῶν, καὶ φιλοθρήνων τὸ ἄγαν περιπαθὲς, καὶ ταπεινὸν ὑπανορθούμενος.

(3) Ibid. 361. B. Ὡς οὖν κατεδέξατο τὴν πεῖναν ὁ Κύριος, τῆς στερεᾶς τροφῆς διαπνευσθείσης αὐτῷ· καὶ τὴν δίψαν προσήκατο, τῆς ὑγρότητος ἀναλωθείσης τῆς ἐν τῷ σώματι· καὶ ἐκοπίασε, τῶν μυῶν, καὶ τῶν νεύρων ἐκ τῆς ὁδοιπορίας ὑπερταθέντων· οὐ τῆς θεότητος τῷ καμάτῳ δαμαζομένης, ἀλλὰ τοῦ σώματος τὰ ἐκ φύσεως ἐπακολουθοῦντα συμπτώματα δεχομένου· οὕτω καὶ τὸ δάκρυον προσήκατο, τὸ φυσικὸν τῇ σαρκὶ ἐπιγίνεσθαι σύμπτωμα συγχωρῶν.

[1] Secret. 2. p. 691. — [2] Act. 13. p. 221.

[3] Leont. tom. 4. Bibl. col. 992. C.

rum, qui per honorem et nos, et carnem Domini inhonorant. Carnem quidem Domini, cum eam iis, quæ nostra sunt, privant; nos vero, cum faciunt, ut ab iis, quæ carnis Domini sunt, excidamus. Non enim glorificabit non compatiens, quæ per passionem glorificat. »

XI. Inter veterum inopinatas, id est παραδόξους opiniones de carne Christi, non est illa prætereunda, quæ est de forma ejus, ac specie; quam nonnulli pulchram fuisse negant. Ita Clemens Alexandrinus qui in Pædagogico, post multa de vera pulchritudine disputata, demum exemplo Christi probat eam in animo, et virtute, non in corporis elegantia collocari debere. « (1) Quippe Dominum ipsum, *ait*, aspectu deformem fuisse, per Isaiam testatur spiritus [1]. *Et vidimus eum, et non habebat speciem; nec pulchritudinem :* sed forma ejus indecora præter homines. Et quis est Domino præstantior? Verum non ille carnis pulchritudinem, quæ specie quadam illudit, sed veram animæ corporisque pulchritudinem ostendit; animæ quidem, beneficentiam; carnis vero, immortalitatem. »

Et in tertio Stromateo, « (2) Caput ipsum Ecclesiæ Christum in carne *ait* specie carentem, et deformem transiisse; ut nos doceret ad divini principii expertem speciei, et corporis statum respicere. » Et in sexto libro, « (3) Dominus, *inquit*, non frustra voluit vili uti forma corporis : ne quis elegantiam, et pulchritudinem admirans, ab iis, quæ dicuntur, absistat. » Sic apud Origenem Celsus Epicureus objicit, « (4) Christi corpus fuisse dici pusillum et deforme, ac minime generosum. » Cui respondet Origenes, « (5) extra controversiam scriptum esse, Jesu corpus deforme fuisse; non tamen minime generosum, ut exponit ille. »

Tertullianus quoque in libro de carne Christi, capite nono, carni Christi pulchritudinem detrahit, atque hoc ipsum magis admirabilem illum fecisse. « Sed carnis, *inquit*, terrenæ non mira conditio. Ipsa erat quæ cetera ejus miranda faciebat; cum dicerent, Unde huic doctrina, et signa ista? etiam despicientium formam ejus hæc erat vox. Adeo nec humanæ honestatis corpus fuit, nedum cœlestis claritatis. Tacentibus apud nos quoque prophetis de ignobili aspectu ejus, ipsæ passiones, ipsæque contumeliæ loquuntur : passiones quidem humanam carnem, contumeliæ vero inhonestam probavere. An ausus esset aliquis ungue summo perstringere corpus novum, ullam sputaminibus contaminare faciem, nisi merentem? » Idem et in capite 14. libri contra Judæos significat.

XII. Verum levissimo inducti sunt argumento veteres isti, ut de Christo tale quippiam assererent. Nam Esaiæ locus ille de Christo patiente, ac vulneribus, et vibicibus deformato prorsus intelligi debet : « Quando factus pro nobis maledictum peccata nostra portabat, » ait Hieronymus [2]. Cui et Vigilius libro secundo contra Eutychen [3], et alii adstipulantur. Quare nihil hoc ad naturalem corporis ipsius formam attinet. Quam quidem elegantissimam et pulcherrimam extitisse plerique testantur, adeo ut solo aspectu omnes ad se potenti illecebra traheret. « Fulgor ipse, inquit Hieronymus [4], et majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu. » Egregie de hac re, deque Esaiæ loco illo Chrysostomus homilia 27. in Matthæum; ubi Christi intuendi tanto desiderio flagrasse qui illum sequebantur ait, ut ægre ab eo divelli possent : « (6) Non enim miracula duntaxat faciens, admirabilis erat : sed etiam cum simpliciter aspice-

(1) Clem. Alex. 3. Pæd. cap. 1. Τὸν δὲ Κύριον αὐτὸν τὴν ὄψιν αἰσχρὸν γεγονέναι, διὰ Ἠσαΐου τὸ Πνεῦμα μαρτυρεῖ· Καὶ εἴδομεν αὐτὸν, καὶ οὐκ εἶχεν εἶδος, οὐδὲ κάλλος· ἀλλὰ τὸ εἶδος αὐτοῦ ἄτιμον παρὰ τοὺς ἀνθρώπους. Καὶ τίς ἀμείνων Κυρίου; ἀλλ' οὐ τὸ κάλλος τῆς σαρκὸς, τὸ φαντασιαστικόν· τὸ δὲ ἀληθινὸν, καὶ τῆς ψυχῆς, καὶ τοῦ σωματος ἐνεδείξατο κάλλος· τῆς μὲν, τὸ ἐνεργετικὸν· τὸ δὲ ἀθάνατον τῆς σαρκός.

(2) Idem 3. Strom. pag. 743. A. Ὅπου γε καὶ αὐτὸς ἡ κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας, ἐν σαρκὶ μὲν ἀηδὴς διελήλυθεν, καὶ ἄμορφος· εἰς τὸ ἀειδὲς, καὶ ἀσώματον τῆς θείας αἰτίας ἀποβλέπειν ἡμᾶς διδάσκων.

(3) Idem Strom. pag. 496. E. Αὐτίκα ὁ Κύριος οὐ μάτην ἠθέλησεν εὐτελεῖ χρήσασθαι σώματος μορφῇ· ἵνα μή τις τὸ ὡραῖον ἐπαινῶν, καὶ τὸ κάλλος θαυμάζων, ἀφίστηται τῶν λεγομένων.

(4) Orig. lib. 6. cont. Cel. pag. 337. Ἀλλ', ὥς φασι, μικρὸν, καὶ δυσειδὲς, καὶ ἀγεννὲς ἦν.

(5) Ibid. Ὁμολογουμένως τοίνυν γέγραπται τὰ περὶ τοῦ δυσειδὲς γεγονέναι τὸ Ἰησοῦ σῶμα, οὐ μὴν ὡς ἐκτέθειται, καὶ ἀγεννές.

(6) Chrys. ad Mat. cap. 8. vers. 18. pag. 190. Οὐδὲ γὰρ θαυματουργῶν ἦν θαυμαστὸς μόνον, ἀλλὰ καὶ φαινόμενος ἁπλῶς πολλῆς ἔγεμε χάριτος. Καὶ τοῦτο ὁ Προφήτης δηλῶν ἔλεγεν· ὡραῖος κάλλει παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων. Εἰ δὲ ὁ Ἠσαΐας λέγει· οὐκ εἶχεν εἶδος, οὐδὲ κάλλος· ἢ πρὸς τὴν τῆς θεότητος δόξαν τὴν ἀπόρρητον, καὶ ἄφραστον τοῦτό φησιν· ἢ τὰ ἐν τῷ πάθει συμβάντα διηγούμενος, καὶ τὴν ἀτιμίαν, ἣν ὑπέμεινεν ἐν τῷ καιρῷ τοῦ σταυροῦ, καὶ τὴν εὐτέλειαν, ἣν παρὰ πάντα τὸν βίον ἐπεδείξατο διὰ πάντων.

[1] Isa. 53. 2. — [2] Hier. ad c. 53. Esa. — [3] Vig. to. 4. Bib. PP. col. 50. — [4] In Mar. cap. 9. 9.

retur, ingenti abundabat gratia. Atque hoc Propheta significans canebat [1] : *Speciosus forma præ filiis hominum.* Quod autem Esaias dicit, Non habebat speciem, neque pulchritudinem ; vel ad divinitatis gloriam arcanam illam, et inexplicabilem respiciens ita loquitur ; vel ea narrans, quæ passionis tempore contigerunt, nempe dehonestationem illam, quam in cruce pendens sustinuit, et abjectionem, quam per omnia toto vitæ suæ tempore præ se tulit.

CAPUT SEXTUM.

De statu corporis Christi post resurrectionem. — 1. Incorruptibile qui dicatur ante, et post resurrectionem. — 2. Hæreticorum opinio, post resurrectionem mutatum esse corpus Christi putantium. Spiritalis illius conditio. — 3. De qua notanda Anselmi sententia. Ejusdem argumentum quod per clausas januas, et obstantia quæque penetraverit. — 4. Calvini calumnia, Ubiquistarum errorem Catholicis falso tribuentis. — 5. Refellitur græcorum primum Patrum auctoritate, qui Christum per clausa penetrasse obstacula docent, — 7. tum latinorum.

I. Quam ex divinitatis consortio redundasse diximus in carnem Christi dignitatis excellentiam, ea tum demum perfecte obtigit, cum se mortalitate perfunctus novam excitavit ad vitam. Tunc enim corruptela, et infirmitate posita, novum auspicatus est statum, et in Deum totus quodammodo absorptus est homo. Qua de re mirifica sunt, quæ Gregorius Nyssenus iis in locis tradidit, quæ capite primo libri hujus exscripsimus, et vero, quod erat necesse, declarando purgavimus ab suspicione labis hæreticæ, cujusmodi fuit Apollinaristarum, ac post eos Eutychianorum. Non illa repetam hoc loco ; sed valere tamen ad hoc monebo, ut naturam humanam intelligas in Christo, post resurrectionem, propius ad quandam pervenisse divinitatis participationem, hoc est in gloriæ, splendoris, immortalitatis, ac ceterorum illius ornamentorum communionem esse receptam : nec tamen id, quod erat, hominem esse desiisse ; aut ejus, quod naturale habebat, et insitum, jacturam aliquam fecisse.

Hac præscriptione Leontius [2] hæreticorum, quos *Aphthartodocetas* nominat, calumniis occurrit ; qui hujusmodi, quales illæ sunt Gregorii Nysseni, sententiis decepti veterum theologorum, quibus incorruptum Christi corpus, et ex Dei commercio, humano modo præstantius prædicari videtur, id illi statim ab ortu suo concessum arbitrati sunt ; nec animadverterunt idem corpus a Patribus « vocari corruptibile, et incorruptibile : et cum corruptibile nominant, ad tempus œconomiæ secundum carnem respicere : cum vero incorruptibile, ad tempus resurrectionis, et ad infinitum deinceps seculum. Si quis vero dicat, secundum arrhabonem incorruptibilitatis, jam corpus habere Verbi incorruptibilitatem, propter quam, licet naturam corruptibilem haberet, non est permissum ut corrumperetur, non contendam. » Quibus verbis incorruptibile Christi corpus perfecte quidem, post resurrectionem ; ante hanc vero, eatenus potuisse dici asserit, quod etsi naturaliter corrumpi poterat, non tamen ut hoc pateretur, permissurus erat Deus.

II. Quin ipsimet hæretici, qui incorruptibilem fuisse Christi carnem absolute, ac natura sua dixerunt, non tamen dubitarunt id illi post resurrectionem præcipue convenisse. Sic enim apud Theodoretum [3] illorum partes agens Eranistes, cum ab ipso conceptu Christi corpus in divinam mutatum esse substantiam antea dixisset, mox allatis in contrarium argumentis coactus cedere, ab ipsa resurrectione mutationis illius initium repetiit. « (1) Non accurate tempus, *inquit*, definii. Nam post resurrectionem a mortuis, caro mutationem in divinam naturam recepit. » Verum instat Orthodoxus, et hujusmodi mutationem non esse

(1) Ibid. Eran. Οὐκ ἀκριβῶς ὡρισάμην. Μετὰ γὰρ τὴν ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν ἡ σὰρξ ἐδέξατο τὴν εἰς θεότητος φύσιν μεταβολήν.

[1] Ps. 44. 2. — [2] To. 4. Bibl. col. 998. D. — [3] Theod. Dial. 2. p. 78. D.

factam adstruit, ut humanitatis natura penitus extincta sit : hoc est, ut substantia hominis ipsa in divinam tota cesserit. Cujus rei fidem faciunt manus ac pedes, cum latere, vulnerum impressa monstrantes vestigia : præsertim cum ipsemet Christus [1] iis ostensis, discipulorum animos rei novitate turbatos ad fidem confirmaverit veræ carnis, et ossium verorum, quibus caret spiritus : tum cibum coram illis ad idem persuadendum sumpserit. « (1) Igitur manet, inquit Orthodoxus, natura : mutatur autem quod est in ea corruptibile, in incorruptionem, et quod mortale est, in immortalitatem. » Tum paulo post : « (2) Dominicum itaque corpus, *ait*, incorruptibile quidem resurrexit, et impatibile, et immortale, ac divina honestatum gloria : atque ab cœlestibus virtutibus adoratur. Idem tamen nihilominus est corpus, priorem habens circumscriptionem. » Nec integram veramque substantiam hominis credi prohibet, quod divina, et spiritualis post resurrectionem facta dicitur. « Sicut enim spiritus carni serviens, ait Augustinus [2], non incongrue carnalis ; ita caro spiritui serviens, recte appellabitur spiritualis : non quia in spiritum convertetur, sicut nonnulli putant, eo quod scriptum est [3], *Seminatur corpus animale*, *resurgit corpus spirituale ;* sed quia spiritui summa, et mirabili obtemperandi facilitate subdetur usque ad implendam immortalitatis indissolubilis securissimam voluntatem, omni molestiæ sensu, omni corruptibilitate et tarditate detracta. »

III. De hoc spiritali statu corporis Christi disserit Anselmus in libro de Sacramento altaris [4]. Cujus libri capite quarto memorabile istud affirmat : « Istud corpus, quod super omnes cœlos in eo, qui super omnia est, meruit exaltari, dignius, et ad omnia, quæ voluit, subtilius, et efficacius esse, quam sint aliqui non solum inferiores spiritus; sed et omnes illi, qui cœlorum nomine meruerunt appellari. » Hujus summæ subtilitatis argumentum illud asserunt passim antiqui Patres, quod per obstantia quæque, ac solida corpora, nulla re impediente, penetravit. Velut cum januis clausis ad apostolos suos in cœnaculum ingressus est ; tametsi nondum resurrectionis, et gloriæ compos idem corpus per occlusum beatissimæ Virginis uterum in lucem prodiit. De quo sic Anselmus loquitur [5]. « Nam quod de humanitate ejus per resurrectionem glorificata secularis philosophiæ ratiocinationibus videtur insusceptibile, ut clausis januis ad discipulos intraret, mortalis exercuit. Verbi causa dum de thalamo uteri virginalis ad currendam viam dispensationis humanæ clausis naturæ januis processit. »

Ita Theodoretus in dialogo secundo : qui hinc etiam hæreticum refellit, carnem Christi nonnisi post resurrectionem putantem in Dei transiisse substantiam ; quando et nulla corporum intercludi mole potuit, quo minus in interiora penetraret. Nam et hoc ipsum ante resurrectionem, ac nascendo fecisse demonstrat, cum nondum mortalitatem exuisset. « (3) Atqui ingressus est, *inquit*, januis clausis, sicut ex utero est egressus, obsistentibus Virginis claustris. Necdum autem, ut fateris ipse, naturæ facta erat mutatio. » Ut igitur non est trahenda corporum illa penetratio ad mutatæ et extinctæ humanitatis argumentum; quod Aphthartodocetæ isti faciebant : sic non est diffitenda, præsertim in illo post resurrectionem immortalitatis et gloriæ statu : uti *seculari philosophiæ* plus quam Christianos decet addicti, Anselmo teste, fecerunt ; et hodieque Sacramentarii hæretici, de Berengarii stirpe propagati : cujus dogma illo in libro Anselmus oppugnat. Nam et hoc tempore qui verum in Eucharistiæ sacramento contineri Christi corpus negant, penetrabile illud idem per aliorum corporum moles nec ante mortem fuisse ; nec esse modo, beatum licet, ac spiritale, dictitant. Contra quos obiter hoc loco, paucisque disputandum videtur, quandoquidem nos in eum sermonem institutæ series orationis induxit.

IV. Ac primum manifesta Calvini [6] ridenda magis, quam propulsanda calumnia est, qui Catholicis, quos Papistas vocat, ineptam Ubiquistarum, de quibus paulo post, fabulam af-

(1) Theodor. pag. 81. D. Οὐκοῦν μένει μὲν ἡ φύσις· μεταβάλλεται δὲ αὐτῆς τὸ φθαρτὸν εἰς ἀφθαρσίαν, καὶ τὸ θνητὸν εἰς ἀθανασίαν.

(2) Ibid. pag. 82. C. Καὶ τὸ δεσποτικὸν τοιγαροῦν σῶμα ἄφθαρτον μὲν ἀνέστη, καὶ ἀπαθὲς, καὶ ἀθάνατον, καὶ τῇ θείᾳ δόξῃ δεδοξασμένον, καὶ παρὰ τῶν ἐπουρανίων προσκυνεῖται δυνάμεων. Σωμα δὲ ὅμως ἐστὶ, τὴν προτέραν ἔχον περιγραφήν.

(1) Theodoret. dial. 2. pag. 79. Ἀλλὰ εἰσῆλθε τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, ὡς ἐξῆλθεν ἐκ μήτρας τῶν τῆς Παρθένου κλείθρων ἐπικειμένων, ὡς ἐπὶ θαλάττης ἐβάδισεν. Οὐδέπω δε κατὰ τὸν σὸν λόγον ἐγεγόνει τῆς φύσεως ἡ μεταβολή.

[1] Luc. 24. — [2] Lib. 13. de Civ. c. 20. — [3] 1. Cor. 15. — [4] Vide c. 3. et 4. Ansel.

[5] Ibid. c. 3. — [6] In com. in Jo. c. 20. vers. 19.

fingit. Nam « Christum non sine miraculo ingressum esse » confitetur. Sed verum esse minime concedit, quod asserunt, inquit, Papistæ, « Christi corpus penetrasse per januas clausas. Hoc ideo contendunt, ut corpus gloriosum non modo reddant simile spiritui ; sed immensum esse, nulloque loco contineri obtineant. » Tum miraculum in eo constituit, quod « ingressus est, quum tamen clausæ essent januæ, nec aditus illi esset patefactus manu hominis. » Nam et Petrum ait e carcere obserato egressum esse : nec tamen quisquam dixerit, eum per ferrum, et asseres transiisse.

Sed est apertum, ut dixi, crassumque mendacium, quod Catholicorum mentem sic interpretatur, ut ab iis dicat affirmari immensitatem corporis Christi. Consultius Beza [1] ; qui non Catholicos, sed eos reprehendit, qui corpus Christi ἀπερίγραπτον, id est *nullo circumscriptum loco fuisse* jactitant. Atque ipse, quod a magistro suo infinite, obscureque traditum erat, diserte declarat : vel sponte patuisse Christo fores domus illius, vel ipsos etiam parietes illi pervios fuisse. Adeo displicet illis, Christi corpus per occlusas fores, vel parietes ipsos penetrando transiisse.

V. Verum aliter veteres de ea re judicarunt, qui hoc non solum ad divinitatis fidem faciendam ; sed etiam resurrectionis, et translati in spiritalem conditionem corporis pertinere voluerunt. Ut idem nobis etiam confideremus, post generalem corporum resurrectionem, illius merito, ac beneficio tribuendum ; quando [2] quod *animale* modo est, *resurget spirituale* : et [3] *Salvator noster reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corporis claritatis suæ.*

Recte hoc ab Amphilochio declaratum est in oratione, quam de illis verbis scripsit, *Pater major me est*, apud Theodoretum. Idcirco primus ille testis ex antiquorum numero procedet : maxime, quod accommodate ad id, quod hoc in libro potissimum agimus, ex illo Christi ad discipulos adventu approbatum esse confirmat, (1) Dominicum corpus post resurrectionem, neque tale fuisse, quale antea fuerat ; neque non idem, quod erat, extitisse. Ubi illud insuper animadvertit, Christum non ante resurrectionem tale aliquid fecisse, ut per interjectas corporum moles sese penetraret, ne veræ, ac communis cum ceteris hominibus substantiæ fidem minueret. Post ista pertexit : « (2) Propterea igitur, non ante passionem, sed post passionem, januis clausis, stetit in medio discipulorum Dominus ; ut cognoscas, etiam tuum corpus animale seminatum, spiritale resurrecturum. » Atque uti ne corpus esse, quod eo modo transiisset, iidem apostoli diffiderent, neve spiritum quemdam, aut spectrum putarent, ultro illis manus et pedes, atque ipsum adeo corpus attrectandum obtulisse dicit.

VI. Post hunc, merito commemorandus est Epiphanius, qui disertissimis verbis idipsum asseverat, et Calvinum silere jubet. Sic enim ille scripsit in hæresi Pharisæorum, quæ est vicesima. « (3) Surrexit, *inquit*, et januis clausis ingressus, ut crassum, concretumque corpus, tenue ac subtile faceret ; istud ipsum, quod carne, ossibusque constabat. »

Et in Hæresi septuagesima septima, « (4) Cum divinitate conjunctus, *inquit*, homo quod erat crassum, et concretum, tenue ac subtile reddidit, ingrediens januis clausis. »

Joannes item Chrysostomus homilia 87. in Joannem, cum quæsisset, quomodo post resurrectionem immortale Christi corpus, et incorruptum vulnerum vestigia retineret, respondet, « (5) id esse factum benigna quadam accommodatione. Nam quod ita subtile, et agile fuit, ut clausis intraret januis, crassitudinem nullam habebat. »

Cyrillus Alexandrinus libro duodecimo in Joannem : « (6) Nemo dicat, *inquit*, quomodo

(1) AMPHIL. apud Theod. dial. 2. pag. 100. Μετὰ γὰρ τὴν ἀνάστασιν ὁ Κύριος τὰ συναμφότερα δείκνυσι, καὶ ὅτι οὐ τοιοῦτον σῶμα, καὶ ὅτι τοῦτο ἀνιστάμενον.

(2) Ibid. pag. 101. Διὰ ταῦτα μὲν οὖν πρὸ τοῦ πάθους, ἀλλὰ μετὰ τὸ πάθος τῶν θυρῶν κεκλεισμένων ἐστὶ τῶν μαθητῶν μέσος ὁ Κύριος· ἵνα γνῷς, ὅτι καὶ σοῦ τὸ ψυχικὸν σῶμα σπαρὲν ἐγείρεται σῶμα πνευματικόν.

(3) EPIPH. hær. 20. pag. 49. D. Ἀνέστη, καὶ θυρῶν κεκλεισμένων εἰσῆλθεν, ἵνα τὸ παχυμερὲς λεπτομερὲς ἀποδείξῃ, αὐτὸ τὸ ὂν σὺν σαρκὶ καὶ ὀστέοις.

(4) Idem hær. 77. § 29. pag. 1023. Τῇ δὲ θεότητι συνηνωμένος τὸ παχυμερὲς λεπτομερὲς ἐτελείου, εἰσερχόμενος θυρῶν κεκλεισμένων.

(5) CHRYS. in cap. 21. Joan. vers. 29. Ἀλλὰ μὴ θορυβηθῇς. Συγκαταβάσεως γὰρ ἦν τὸ γινόμενον. Τὸ γὰρ οὕτω λεπτὸν, καὶ κοῦφον, ὡς κεκλεισμένων τῶν θυρῶν εἰσελθεῖν, παχύτητος πάσης ἀπήλλακτο.

(6) CYRIL. 12. in Joan. pag. 1090. Μὴ γὰρ δή τις λεγέτω, πῶς ἐν σώματι τῷ παχεῖ τυγχάνων ὁ Κύριος, ἀδιακωλύτως εἰσήλασε καί τοι τῶν θυρῶν κεκλεισμένων ; ἐννοείτω δὲ μᾶλλον, ὡς οὐ περί τινος τῶν καθ' ἡμᾶς τὰ τοιαῦτά φησιν ὁ θεσπέσιος Εὐαγγελιστής· περὶ αὐτοῦ δὲ μᾶλλον, τοῦ συνδρεύοντος τῷ Θεῷ, καὶ πάντα δρῶντος εὐκόλως ὅσα περ ἂν βούλοιτο. Vide et pag. 1107. E.

[1] In cap. idem Jo.

[2] In 1. Cor. 15. 44. — [3] Phil. 3. 20.

in crasso corpore cum esset Dominus, nulla re obstante, etiam clausis januis ingressus est: sed hoc potius cogitet, non de quocumque homine nostri simili divinum Evangelistam talia narrare ; sed de illo ipso, qui Deo assidet, ac facile omnia perficit, quæcumque voluerit. »

Theodotus etiam Ancyranus in homilia Ephesi dicta in natali Domini, gentilium proprium esse dicit hoc ipsum, quod Calvinus, et similes faciunt hæretici, ut corpus Christi minime credant solida per obstacula intro sese penetrasse. « (1) Audiens, *inquit*, gentilis clausa janua ingressum esse Salvatorem transducens crassum istud corpus, et loco indigens irridet, nec miraculo fidem adhibet ; sed rei rationem inquirit. »

Theodoretus quoque in dialogo secundo, ex persona Orthodoxi, idem asserit, cujus verba paulo ante descripta sunt [1].

VII. Ex Latinis Hilarius libro tertio de Trinitate miraculum istud prædicat, et latere modum illius, ac rationem affirmat [2]. « Quæro ergo per quas clausæ domus partes, *inquit,* sese corporeus intulerit. Diligenter Evangelista expressit dicens : Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio discipulorum. An constructa parietum penetrans, et solidam lignorum naturam impenetrabilem transcurrit ? Stetit namque corporeus, non simulatus, aut fallax. Sequantur ergo oculi mentis tuæ penetrantis ingressum, et cum eo clausam domum intelligentiæ tuæ visus introeat. Integra sunt omnia, et obserata. Sed ecce assistit medius, cui per virtutem suam, universa sunt pervia. Invisibilibus calumniaris : ego a te visibilium exposco rationem. Nihil cedit ex solido, neque per naturam suam aliquid, tanquam lapsu insensibili, ligna et lapides admittunt. Corpus Domini a sese non deficit, ut sese resumat ex nihilo : et unde qui assistit in medio est ? » Perspicue hic Hilarius, nec apertam ingressuro fuisse januam, aut sponte patuisse dicit, quod hæretici stulte cavillati sunt ; nec interruptum fuisse parietem, ac mox coiisse: sed per clausa, et obstructa penetrasse Christi corpus. Eadem verba ab illo repetita leguntur in libro primo ad Constantium Augustum [3].

Sic Ambrosius in commentario in Lucam [4]: « Habuit autem, *inquit*, admirandi causam Thomas, cum videret clausis omnibus per invia septa corporibus inoffensa compage corpus insertum. Et ideo mirum, quomodo se natura corporea per impenetrabile corpus infuderit, invisibili aditu, visibili conspectu, tangi facilis, difficilis æstimari. » Et paulo post : « Non ergo per incorpoream naturam, sed per resurrectionis qualitatem, impervia usu clausa penetravit. Nam quod tangitur, corpus est ; quod palpatur, corpus est : in corpore autem resurgemus. Seminatur enim corpus animale, surget corpus spiritale. Sed illud subtilius, hoc crassius ; utpote adhuc terrenæ labis qualitate concretum. » Et in tractatu in symbolum Apostolorum, capite vicesimo nono, multis illud miraculum approbat. « Illud autem, quod post resurrectionem, *inquit*, ad discipulos clausis ingressus est januis, ejusdem virtutis fuit, cujus et ut ex eorum oculis evanuit, etc. Lynceus, ut fabulæ ferunt, videbat ultra parietem ; Dominus Christus, clausis ostiis, nisi phantasma fuerit, intrare non poterit? qui certe et ante resurrectionem pendulo super mare ambulavit incessu, etc. Ad postremum dicas velim mihi, quid majus sit, an tantam terræ magnitudinem pugillo appendere, et cœlum palmo, et aquas manu, et rupes statera metiri ; an Deum transire per clausam creaturam ? »

Hæc omnia, ut et alia multa, totidem verbis apud Hieronymum leguntur in libro contra Joannem Hierosolymitanum ad Pammachium [5]. Ut, quod alias dixi, merito liber ille, qui Ambrosio tribuitur, pseudepigraphus, aut certe interpolatus mihi esse videatur.

Hieronymus porro, cujus illa lacinia est, in libro primo contra Jovinianum [6] imprimis diserta, et gravi oratione hæreticorum hujus ætatis in Joviniano pervicaciam frangit, dum ita scribit : « Porro si clausis ingressus est ostiis, quod humanorum corporum natura non patitur ; ergo et Petrum, et Dominum negabimus vera habuisse corpora, qui ambulaverunt super aquas ; quod contra naturam est. »

VIII. Augustinus vero pluribus in locis Calvinianum commentum redarguit, et Christi corpus per clausa ostia penetrasse confirmat. Ut in libro de agone Christiano, capite 24. « Nec nos moveat, *inquit* [7], quod clausis ostiis

(1) Theodot. in Par. 3. Eph. syn. pag. 531. C. Καὶ ἀκούων ἕλλην, ὅτι κεκλεισμένης τῆς θύρας, εἰσῆλθεν ὁ Σωτὴρ, διαγαγὼν τὸ παχὺ τοῦτο σῶμα, καὶ τόπου δεόμενον, γελᾷ, οὐ πιστεύων τῷ θαύματι, ἀλλὰ ζητῶν τὸν λόγον τοῦ πράγματος.

[1] § 3. — [2] Hilar. p. 14. G. — [3] Hilar. pag. 98. — [4] Col. 231. H. — [5] Col. 681.

[6] Hier. con. Jo. col. 490. — [7] Tom. 3. pag. 290.

subito eum apparuisse discipulis scriptum est, ut propterea negemus illud fuisse corpus humanum, quia contra naturam hujus corporis videmus illud per clausa ostia intrare. Omnia enim possibilia sunt Deo. Nam et ambulare super aquas contra naturam hujus corporis esse manifestum est; et tamen non solum ipse Dominus ante passionem ambulavit, sed etiam Petrum ambulare fecit. Ita ergo et post resurrectionem suam de corpore suo fecit quod voluit. Si enim potuit ante passionem clarificare illud, sicut splendorem solis; quare non potuit et post passionem, ad quantam vellet subtilitatem in temporis momento redigere, ut per clausa ostia posset intrare ? »

Et tractatu 121. in Joannem : « Moli autem corporis, *ait*, ubi divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente virginitas matris inviolata permansit. » Item sermone 160. de Tempore, « Audivit charitas vestra, *inquit*, cum sanctum Evangelium legeretur, Dominum nostrum Jesum Christum post resurrectionem suam, clausis ostiis, introisse ad discipulos suos. Magnum miraculum : sed mirari desinis, si Deum cogitaveris. Mirum enim esset, si solus homo hoc fecisset. Refer ad omnipotentiam, non ad phantasiam. Ostiis clausis intravit, respondeo tibi; ut scias, quia vera caro fuerat, cicatrices tangendas monstravit. Sed sicut non est, inquis, naturæ corporalis per januam clausam intrare; sic non est naturæ corporalis, super fluctus maris ambulare. Intravit per clausa ostia. Responde mihi; da mihi soliditatem carnis. Ambulavit super aquas maris : da mihi et tu pondus carnis. Vis nosse hoc omnipotentiæ fuisse? Et Petro dedit. Qui quod voluit dedit; quod proprium erat sibi servavit. Ille enim vivens per clausas januas intravit, qui nascendo integritatem carnis non violavit. »

Rursus sermone 60. de Diversis, « Cur ergo qui potuit, *ait*, per clausa ostia magnus intrare, non potuit etiam per incorrupta membra parvus exire ? Sed neque hoc, neque illud volunt credere increduli. Ideo potius utrumque fides credit, quia infidelitas utrumque non credit. Ipsa quippe infidelitas, cui nulla in Christo videtur fuisse divinitas. Porro si fides Dominum natum credit in carne, Deo non dubitet utrumque possibile: ut et corpus majoris ætatis, non reserato aditu domus, intus positis præsentaret; et sponsus infans de thalamo suo, hoc est utero virginali, illæsa matris virginitate procederet. » Vides uti, quod Calvinus irridet, et errori imputat, *Christi corpus per clausas januas penetrasse*, id Augustinus negare *infidelitatis* esse dicat, quæ Christo divinitatem detrahit : et ideo fide credendum, quia infidelitas hoc non credit ?

Idem sermone 102. de Diversis : « Dominus noster, *inquit*, quod radius oculi nostri non potest, corpus etiam per claustra trajecit. »

IX. Gaudentius Brixianus Tractatu nono, simili argumento, quo usus est Augustinus, integritatem B. Virginis in partu, Christo per clausum uterum penetrante, probat, ex eo quod per clausas januas ad discipulos intraverit. « O miranda fides ! *ait*, reseratæ non sunt januæ; et ipse intrinsecus cum vero corpore apostolicis non solum videtur oculis, sed et manibus pertractatur. Veritas mirabilis facti, cujus rationem nonnisi sola fides assequitur, omnipotentiam clamat actoris : nec ideo negabitur factum, quia magnitudinem divini operis pusillitas mentis humanæ non tenuerit. Eadem ergo divinitatis virtute per inviolabilem fœminam, mundi hujus intravit hospitium : claustrum virginei pudoris etiam nascendo conservans, qui post resurrectionem januis obseratis domum potuit corporeus introire. »

Eodem modo ratiocinatur Gregorius papa [1], « Illud, *inquit*, corpus Domini intravit ad discipulos januis clausis, quod videlicet ad humanos oculos per nativitatem suam clauso exivit utero Virginis. Quid ergo mirum, si clausis januis post resurrectionem suam in æternum victurus intravit, qui moriturus veniens, non aperto utero Virginis exivit? » Quod Albinus Flaccus ex illo transcripsit.

Anonymus quidam sub Eusebii Emisseni nomine : « Nemo autem miretur, *ait*, si clausis januis, corpore jam per resurrectionem glorificato, ad discipulos Jesus intravit, qui corpore mortali adhuc, et corruptibili, de matris utero exivit, clausa et incorrupta semper Virgine matre permanente. »

Ad hæc Beda [2], « Moli autem corporis, *inquit*, ubi divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe eis non apertis intrare potuit, quo nascente virginitas inviolata permansit. »

X. Rupertus libro decimo quarto commentariorum in Joannem [3], aliter sentientes acriori oratione castigat. « Quomodo vero, *ait*, inquit aliquis, corpus verum fuit, quod clausis

[1] Hom. 26. in Evang.

[2] In Joan. c. 20. to. 5. col. 613. — [3] Tom. 2. pag. 443.

foribus introivit? Quod qui infideliter quærit, et verum corpus sic potuisse inferri non concedit, superest, et multo minus illud concedat, quod corruptibiles, atque mortales adhuc apostoli sic educti sunt, quomodo in Actibus apostolorum scriptum est ; Carcerem quidem clausum invenimus cum omni diligentia, et custodes stantes ante januas. Aperientes autem carcerem neminem intus invenimus. Superest ut istos quoque, qui necdum resurrexerant, in ventos, et aerem subtilem, quo per patentes rimas efflari possent, evanuisse asserant, siquidem sacram recepturi non sunt Scripturam. Quam qui non recipiunt, nec audiendi, sed ut infideles omnino vitandi sunt. Nobis credentibus illud pro argumento sufficit, quia de nihilo Deus cuncta creavit, et cuncta quasi nihilum, et inane reputanda sunt ei, ad agendum quidquid voluerit, ad traducendum quidpiam, quocumque voluerit. Meumque hoc potius esset, si ita non posset ; cum nemo fere tam imperitus artifex sit, ut quod composuit, penetrare ipse vel aperire non possit. »

Demum ita concludit : « Sed verba in ventum jactare videbor, si contra tales fidei Christianæ inimicos multa respondere tentavero. Illæ namque vulpeculæ jamdudum tonitru cœli, id est clamore fulminantis Ecclesiæ conteritæ, ubicumque sunt, latitant in cavernis subterraneis, nec prodire audent, etc. »

Non est pluribus opus testibus ad refellendam, traducendamque Calvini, et fautorum ejus inscitiam, ac procacitatem ; qui Papistarum commentum esse credunt, veterem, et usu auctoritateque firmatam Ecclesiæ catholicæ professionem. Nam quod instat Calvinus, non esse consequens, per carceris januam, aut parietem, transisse Petrum, quando ab Angelo est eductus, ridicule facit. Etenim diserte testatur Lucas [1], *portam ferream ultro eis apertam.* Quod in illo loco minime legitur.

XI. Postremo non aliena est ab hoc argumento disputatio contra Celsum Origenis de qualitate corporis Christi ; cum hoc Epicureus iste Christianis probro verteret, quod pro Deo haberent, et colerent eum, qui mortali corpore constaret. Huic porro sic respondet Origenes : « (1) Mortale Christi corpus, et humanam in ipso animam ex illa, qua Deo Verbo conjuncta sunt, non solum communione, sed et unitione ac contemperatione, maxima quædam accepisse, et, divinitate ipsius communicata, in Deum transisse. » Quod exemplo declarat materiæ primæ : quæ per se nullam habens qualitatem, capax est omnium, quas ei rerum omnium opifex attribuere voluit. « (2) Quod si verum est ; nihil mirum esse, si qualitas illa mortalitatis in Christi corpore, Dei ita volentis providentia, in ætheream mutata sit, divinamque qualitatem. » Hic non satis explicat, utrum qualitas illa cœlestis ac divina, corpori Christi statim ab eo momento, quo assumptum est a Verbo, communicata sit ; an id post resurrectionem evenisse putet.

Atque his similia quædam disputat Gregorius Nyssenus in libro quarto adversus Eunomium ; de cujus sententia dixi capite primo libri hujus.

(1) ORIG. 3. cont. Cel. pag. 140. Τὸ δὲ θνητὸν αὐτοῦ σῶμα, καὶ τὴν ἀνθρωπίνην ἐν αὐτῷ ψυχὴν τῇ πρὸς ἐκεῖνο οὐ μόνον κοινωνίᾳ, ἀλλὰ καὶ ἑνώσει καὶ ἀνακράσει τὰ μέγιστά φαμεν προσειληφέναι, καὶ τῆς ἐκείνου θεότητος κεκοινωνηκότα εἰς Θεὸν μεταβεβηκέναι.

[1] Act. 12. 10.

(2) Ibid. Εἰ γὰρ ὑγιῆ τὰ τοιαῦτα, τί θαυμαστὸν, τὴν ποιότητα τοῦ θνητοῦ κατὰ τὸ τοῦ Ἰησοῦ σῶμα, προνοίᾳ Θεοῦ βουληθέντος, μεταβαλεῖν εἰς αἰθέριον, καὶ θείαν ποιότητα ;

CAPUT SEPTIMUM.

De Immensitate, quam Ubiquitatem vocant : utrum carni, vel humanæ Christi naturæ communicata sit. — 1. Monophysitarum varia sententia de naturæ humanæ in divinam mutatione, quam aliqui post resurrectionem demum esse factam asseverarunt. — 2. Eusebius Cæsariensis ubiquitatis propugnator creditus. — 3. Lutherus, ejusque asseclæ eamdem adstruxerunt. — 4. Ubiquistarum opinio proponitur. — 5. Ea generatim in Conciliis damnata est. — 6. Atque ex Scripturis primum refellitur, — 8. tum ex generalibus Synodis, et Symbolis. — 10. Sancti Nicephori insignis locus de eadem hæresi decretis synodalibus proscripta.

I. In Monophysitarum, et Eutychianorum hæresi non eumdem insaniæ modum extitisse, constat ex iis quæ in primo libro de variis illorum sectis exposuimus. In tantis autem opinionum varietatibus, hic illa maxime consideranda est, quæ ad præsens institutum attinet : cum naturas Christi duas in unam confusas esse, coaluisseque communiter sentirent; ac plures mutationem, et in alienam transitum, humanæ potius naturæ, quam divinæ tribuerent; hoc ipsum alios statim ab ipso conceptu, et incarnatione esse factum arbitratos fuisse : alios post mortem, et resurrectionem. Cujus dissidii ex Theodoreti dialogis supra mentionem fecimus. Nunc ex alio ejusdem opere idipsum approbabimus ; quod opus inter illius lucubrationes non extat, sed sub ementito Athanasii titulo inter hujus rejicula legitur. Etenim Photius[1] Theodoreti λόγους, id est *orationes* seu *libellos*, percenset viginti septem, et singulorum inscriptiones refert. Quorum plerique in tomo secundo Athanasii operum editi sunt[2]; estque prima omnium epistola ad Eustathium : quem λόγον septimum Theodoreti numerat Photius. Postremus autem in illo tomo Athanasii, quartus et vicesimus apud Photium numeratur ; ac tres alii adjunguntur, qui in Athanasii tomo desiderantur. Ergo novem in totum opuscula ab Photio recensita, desunt in Athanasii codicibus, nempe sex priora, et postrema tria.

II. Igitur vicesimo quarto opusculo, quod ultimum est apud Athanasium, lemma hujusmodi præfigitur : (1) *Adversus eos, qui naturarum discrimen post passionem, et ascensionem tollunt.* Deinde sic Theodoretus hæreticos illos obloqui ait : « (2) Etsi quispiam concedat, *inquit,* duarum in Christo naturarum conjunctionem esse factam ; tamen post passionem, et ascensionem, non amplius duas intelligemus ; nec ullam secundum naturam differentiam inter Verbum, et carnem esse credemus. » Sic hæretici isti, quamdiu mortalis inter mortales vixit Dominus, naturas in eo differentes fuisse putarunt; cum autem ascendit in cœlum, discrimen illud esse sublatum : quandoquidem proprietates divinitatis omnes, quæ hactenus suppressæ, et quasi cohibitæ fuerant, post illud tempus, in humanam naturam redundarunt. Quod etiam in epistola quadam ad Constantiam Augustam[3], Eusebium Cæsariensem scripsisse ferunt, quæ in actione sexta Synodi septimæ recitata legitur. In hac epistola cum imaginem Christi mitti ad se postulasset Constantia, Eusebius negavit ullam Christi posse imaginem fieri : quoniam post ascensionem, servilis Christi forma in divinam tota commutata fuit; cum vel ante hoc tempus, quando mortali adhuc in carne degebat, extraordinario splendore collucentem illam discipuli ferre nequiverint. « (3) Si igitur, *inquit,* forma ipsius carne vestita tantam vim adepta est, ab ea, quæ habitabat in se, divinitate mutata ; quid de eo tempore dicendum, quo exuta mortalitate, et abstersa corruptela, servilis formæ speciem in Domini, ac Dei gloriam transmutavit ? »

Sed hæc epistola non videtur Eusebii esse, nec ejus stilum redolere. Ex ea tamen illud, quod hic quærimus, intelligitur, hæreticorum talem errorem fuisse, naturam hominis in Christo divinas in se proprietates nondum ex-

(1) ATHAN. tom. 2. pag. 273. Πρὸς τοὺς ἀναιροῦντας τὴν τῶν φύσεων διαφορὰν, μετὰ τὸ πάθος, καὶ τὴν ἀνάληψιν.

(2) Ibid. C. Εἰ καί τις δοίη, φησὶ, δύο φύσεων ἐν Χριστῷ γεγεννῆσθαι σύνοδον· ἀλλ' οὖν γε μετὰ τὸ πάθος, καὶ τὴν ἀνάληψιν, οὐκέτι δύο νοήσομεν· οὔτε τινὰ διαφορὰν κατὰ φύσιν μεταξὺ τοῦ Λόγου καὶ τῆς σαρκὸς πιστεύσομεν ὑπάρχειν.

(3) EUS. ibid. pag. 784. Εἰ γοῦν τότε ἡ ἔνσαρκος αὐτοῦ μορφὴ τοσαύτης ἔλαχε δυνάμεως πρὸς τῆς ἐνοικούσης αὐτῇ θεότητος μεταβληθεῖσα, τί χρὴ λέγειν ὅτε τὴν θνητότητα ἀποδὺς, καὶ φθορὰν ἀπονιψάμενος, τὸ εἶδος τῆς τοῦ δούλου μορφῆς εἰς τὴν τοῦ δεσπότου, καὶ Θεοῦ δόξαν μετεσκευάσατο.

[1] Cod. 46. — [2] Pag. 245.

[3] Extat in Syn. sept. Act. 6. p. 784. to. 5. Conc.

pressisse, donec morte perfuncta, et in cœlum subvecta, penitus in divinitatem est absorpta, ita ut nullum illius vestigium superesset.

III. Hujus contagione erroris afflati sunt Lutherus, et Lutheri discipuli quidam; de quibus actum est in libro primo; qui tantam proprietatum divinarum cum humana natura communicationem esse factam asserunt, ut hæc illis affecta, et eas habens in sese, tanquam formas, ut sic dixerim, earumdem et effectum, et appellationem susceperit. Quanquam non de omnibus hoc Dei proprietatibus existimant, sed de quibusdam solum : imprimis autem de *immensitate*, quam *omnipræsentiam* vocant; rati, ex eo quod Verbum, sive Deus ubique est, et locorum omnium immensitate sua occupat spatia, idipsum et humanitati assumptæ fuisse concessum. Hanc *Ubiquitatem* nominare vulgo solent, et hujus defensores *Ubiquistas :* tametsi hanc illi appellationem iniquo animo ferant, eique reclamare soleant. Sed cum de re ipsa consentiant, non est quod de vocabulo controversiam moveant. Scripserunt adversus recentem hanc fæcem Eutychianæ hæresis complures e catholicis theologis. Sed præ aliis Societatis nostræ insignes duo, cardinalis Bellarminus, et Gregorius de Valentia : atque hic præsertim uberrima, et accuratissima librorum aliquot disputatione omnia complexus est, quæ ad illorum tum explicandam hæresim, tum refellendam, et evertendam utilia sunt homini theologo. Quare non multum ad id opera nostra necessaria videtur; nisi quod unum istud conferri a nobis potest, instituti nostri proprium, ut eumdem hunc errorem, veterum judiciis ac decretis, tam græcorum, quam latinorum, notatum et confixum fuisse monstremus. Quod illi duo parcius fecerunt, quam pro argumenti gravitate, et hæreticorum istorum querela : qui antiquorum Patrum auctoritatem a se esse; humanam rationem, et argumentationem contra se videri esse stulte gloriantur. Quam eorum querimoniam ante annos aliquot Roma ad me perscriptam accepisse memini : cum quidem illi, qui eam exponebant, a me peterent, ut veterum, si qua legendo notata suppeterent contra illos testimonia, proferrem, ad seque mitterem. Quod in hunc locum ac tempus dilatum, opportune modo incidit, ut fieri necesse sit. Verum prius de illorum hæresi, et sententia pauca saltem exponenda sunt; ut qua de re controversia sit, ante omnia declaretur.

IV. Immensitas, sive, ut modo loquuntur, *omnipræsentia*, vel *ubiquitas*, proprietas est quædam naturalis Dei, de qua in primo tomo accurate disputatum est [1]. Hæc autem in eo sita est, quod paucis Gregorius Nazianzenus ita complectitur : « (1) Ut in hoc toto universo sit, et extra universum. » Et Cyrillus in dialogo de Incarnatione; « (2) Ut admirabiliter, et supra rationem omnem, impleat omnia, præsensque adsit omnibus; et sit tamen superius omni loco, et circumscriptione, ac mensurabili magnitudine divinum numen, et a nullo capiatur. » Quo fit ut non solum ubique modo sit, et præsens universa impleat, quæ reipsa sunt, et existunt : sed extra omnia sit, et immensi cujusdam oceani instar illa eadem velut in punctum contracta contineat; et quæ nondum sunt, simul atque cœperunt esse, naturaliter in iis existat, et statim penetret, ac repleat. Hæc est divinæ naturæ propria conditio; quam nulli rei creatæ naturaliter convenire, non minus perspicuum est, et confessum. Utrum vero naturæ alicui vel spiritali, vel corporeæ illius effectus communicari possit divinitus, ut ubique sit, exempli causa, corpus aliquod, non hoc loco a nobis inquiritur : et si quæreretur, non dubitamus quin posse fieri respondeamus. Verum an reipsa sit ubique Christus, qua homo est, ac totam rerum universitatem occupet locali præsentia, ita ut nusquam absit, illud in quæstionem adducitur.

De hac recentes ita, uti dixi, sentiunt hæretici, humanam naturam cum Verbo copulatam esse, hoc ipso [2], « quod omnis illi plenitudo divinitatis ita communicata sit, ut ad parem sit præstantiam, ac majestatem evecta cum Deo. » « Non quidem hoc modo, *inquiunt* [3], quasi divina natura sit mutata in humanam, aut humana in divinam conversa : sed quod Deus homini omnem suam majestatem, et gloriam communicaverit, ut, quatenus homo, omnem potestatem habeat in cœlo, et in terra, et præsens omnia administret. » Cum autem, uti jam dixi, *ubiquitatis* vocabulum, tanquam contumeliosum sibi, Wirtember-

(1) NAZIANZ. orat. 1. pag. 32. B. Ὃς ἐν τῷ παντὶ τῷδε, καὶ τοῦ παντός ἐστιν ἔξω.

(2) CYRIL. tom. 5. pag. 693. Παραδόξως δὲ, καὶ ὑπὲρ λόγον πληρῶν μὲν τὰ πάντα, καὶ τοῖς πᾶσιν ἐπιδημῶν. Ἀνωτέρω γὰρ τόπου, καὶ περιορισμοῦ, καὶ μεγέθους μετρητοῦ τὸ θεῖον, αὐτὸ δὲ ὑπὸ μηδενὸς χωρούμενον.

[1] Lib. 3. cap. 7. — [2] In lib. Concor.

[3] Epit. Colloq. pag. 74.

genses Ubiquistæ in colloquio cum Palatinis Sacramentariis habito repudiarint, pro eo *majestatis* nomen usurpari maluerunt [1] : ac Palatinis sciscitantibus, quodnam extaret in sacris litteris testimonium ex quo probari posset, « majestas hominis Christi, qua omnibus in locis, rebus administrandis adesset, » responderunt, « his quidem verbis in Scriptura non reperiri hanc propositionem ; Humanitas Christi est ubique præsens ; sententiam autem horum verborum illustribus, et perspicuis Scripturæ testimoniis demonstrari posse. » Cujusmodi est quod in primo capite epistolæ Pauli ad Ephesios scriptum est [2], *Constituens eum ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum*, etc. Tum, *qui omnia in omnibus adimplet*. Et ad Colossenses scribens [3], *In ipso*, inquit, *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Item [4], *Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra*. Et Joannis primo, *Verbum caro factum est*. Et [5], *Sedet ad dexteram majestatis in excelsis*. Ex his, aliisque locis confirmari putabant « majestatem hominis Christi, quæ ei data est, propterea quod cum Deo personaliter unitus, et ad dexteram Dei collocatus sit, et omnia in omnibus adimpleret ; qui omnem potestatem habet in cœlo, et in terra, constitutus super omnia opera manuum Domini. Quod si omnia in omnibus implet, necessario sequitur, eum quoque omnibus rebus adesse, qui est in omnibus creaturis, et in omnibus operatur. »

V. Igitur Ubiquistarum hæc opinio est : ex eo quod *Verbum caro factum est*, omnia, quæ divinitatis propria sunt, in carnem esse transfusa sic, ut hæc in illa vere, proprie, et, ut loqui solent, formaliter insint, et eam afficiant. Quam quidem meram esse Apollinaristarum hæresim, necnon Eutychianorum, et omnino Συγχυτῶν, hoc est naturas duas *confundentium*, omnia illa persuadent, quæ toto hoc in opere hucusque disputavimus. Eamdem porro magno Ecclesiæ consensu damnatam, et anathemate notatam fuisse ex Conciliorum generalium decretis, et innumeris græcorum, latinorumque Patrum testimoniis evidens est; quæ superius allata plenissimam faciunt fidem, duas in Christo naturas esse, perfectas, et essentia proprietatibusque distinctas : quarum nulla perit omnino ; sed salvæ omnes, integræque manent ; eo quod non naturæ per se ipsæ copulantur, ut ex ambabus una quædam tertia consurgat ; verum in persona, modoque subsistendi uno et eodem, ac divino, fit illa naturarum societas, et unitio : ex qua illud sequitur, mutuam inter naturas istas communicationem esse proprietatum ; non ut singulas omnes afficiant, et in iis, tanquam in subjecto resideant ; sed ut habeant se mutuo, et pro suis quæ sunt alterius altera possideat. Quoniam humana natura in Verbi persona, hoc est divinitate, ejusque proprietatibus suo ac proprio modo subsistentibus, ipsa quoque subsistit. Nihil enim est aliud persona Verbi, quam divina natura, cum suis proprietatibus, omnipotentia, immensitate, bonitate, et reliquis, personali affecta, et quodammodo formata proprietate Filii. Ideo subsistere in divina persona non aliud est, quam in ipsa divinitate, et illis ejus dotibus proprio modo determinatis subsistere. Sed qui de istis plura percipere, ac plenius erudiri voluerit, legat illa, quæ in quarto libro, maxime tribus postremis capitibus, exposuimus, quibus mutuam proprietatum communionem diligenter enucleavimus.

VI. Nunc ad opprimendam, et evertendam hæresim istam, Christianæ antiquitatis sententiæ, ac decreta proferenda sunt ; quibus partim universe illa notatur, ac damnatur, iis videlicet constitutis de Christi humana natura, quibus cum immensitatis hujus, et *ubiquitatis* fabula non potest consistere ; partim ea nominatim, ac diserte configitur.

His autem omnibus præire debet firmior, ac sanctior auctoritas divini verbi ; qua impietas illa convincitur, et circumscriptum loco aliquo Christum esse, qua homo est, aperte significatur. Ac sunt illa Scripturæ testimonia generum trium. Quippe alia Christum hominem verum extitisse demonstrant, et in omnibus ceterorum similem, uno excepto peccato : alia, quamdiu mortalis inter homines vixit, non ubique fuisse : alia denique post resurrectionem, et receptum illius in cœlum, certum occupare locum, unde digressurus aliquando sit.

Ad primum genus illa pertinent, quibus vera, et integra, itidem ut in reliquis hominibus, in Christo natura fuisse humana perhibetur; quæ in superioribus libris plerisque sunt locis collecta, maxime in quinti libri capite undecimo. Hujusmodi est imprimis quod Apostolus primo epistolæ ad Hebræos capite scribit [6] : *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eis-*

[1] Epit. Coll. 22. — [2] Eph. 1. 20. et 23. — [3] Col. 2. 9. — [4] Matt. 27. 18. — [5] Heb. 1. 3.

[6] Hebr. 2. 14.

dem, etc. *Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret*, etc.

VII. Quin etiam ubicumque filius Dei, filius hominis, vel homo, vel caro, vel ejusmodi aliquid esse legitur : adeoque tritum illud ex Joannis Evangelio, *Verbum caro factum est;* quia verum indicant hominem, et communem cum ceteris naturam, et essentiam, ac naturalem proprietatem, haud dubie quæ sunt solius propria divinitatis excludunt ab humanæ naturæ notione, atque forma, nec minus *ubiquitatem* illam, quæ ab natura est hominis aliena. Certe hoc ipso, quod homo vel caro est, uti non æternus, ita nec immensus est, neque hoc esse factus dicitur; sicut homo factus, et caro. Quare cum Scripturæ verba ipsa, quæ humanitatis, aut carnis intellectum præ se ferunt, non perinde *ubiquitatem* exprimant; sed, quod ei contrarium est, circumscriptionem, ac determinationem localem, utpote finiti, et quanti corporis; magis consentaneum est, ut ex iis locis, hoc, quam illud colligi, credendumque proponi videatur.

Atque ut adversus Monotheletas satis firmum argumentum visum est Ecclesiæ, humanæ in Christo defendendæ voluntatis, quod verus sit homo, veraque præditus, et integra hominis natura : quoniam quæ est ejusmodi, omnia, quæ quidem humanæ naturæ insita sunt, obtinere debet : ita cur ubique non sit caro Christi, sed certo loco comprehensa, causa hæc idonea videtur, quod caro est hominis veri, adeoque certo spatio contineri eam oportet. Ac tametsi divina vi, et potentia, usquequaque diffundi possit, et cum omnibus adæquari locis; non tamen hoc reipsa factum esse, temere suspicari licet : nec uspiam hoc in Scripturis proditum est; imo contraria ex illis omnia perspicue probantur.

VIII. Jam quæ speciatim hominem in Christo spatio aliquo determinatum, non ubique præsentem fuisse persuadent, antequam resurgeret; innumera coacervari possunt : totidem scilicet, quot illum ambulasse, ac de uno alium in locum transiisse testantur. In historia certe Lazari e morte, ac sepulcro suscitati, Jesus aberat ab eo loco, ubi erat ille mortuus [1] : *Et gaudeo propter vos*, inquit, *ut credatis, quoniam non eram ibi; sed eamus ad eum.* Martha quoque [2], *Domine, si fuisses hic, frater meus*, inquit, *non fuisset mortuus.* Tum Angelus ad fœminas parentandi causa venientes [3], *Surrexit*, ait, *non est hic : ecce locus ubi posuerunt eum.* Post autem resurrectionem, gloria jam et immortalitate donatum, certo loco contineri Christum, testatur apostolus Petrus [4]. *Quem oportet quidem*, inquit, *cœlum suscipere, usque in tempora restitutionis omnium.* Et Angelus post ascensum Domini : *Hic Jesus*, inquit, *qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Sed frustra in tam obvia re, Scripturæ testimonia conquirimus. His generalium maxime Synodorum, et in iis editarum fidei formularum , necnon Symbolorum, quæ velut Christianæ militiæ tesseræ sunt, adjungenda est auctoritas. Nam quod in illis profitemur, incarnatum esse Dei Filium, et in utero Virginis conceptum; indeque in lucem editum; cum eo, quod evangelica refert historia [5], novem in utero illo mensibus inclusum; et, postquam natus est, in stabulo atque in præsepi collocatum fuisse : quod item eadem Symbola declarant, descendisse Christum ad inferos, et indidem resurgentem , in cœlum ascendisse, atque inde postea venturum ad judicium : hæc et ejusdemmodi alia, non ubique esse Dominum Jesum Christum, qua homo est, sed definito aliquo spatio comprehensum indicant.

IX. Posteaquam autem exortæ sunt hæreses illæ, quæ humanam Christi naturam, sive *carnem*, in majus attollere, et cum divinitate permiscere, ac confundere cupiebant; tum paulo disertius ad eas refellendas, Ecclesiæ ac generalium Synodorum conceptæ sunt fidei formulæ : quæ quod humanæ est conditionis proprium, distincte illi tribuerunt. Ut in quarta Synodo, quæ est Chalcedone habita [6], statutum est, duas in Christo convenisse naturas, easdemque sine ulla confusione mansisse : ac perfectum in utraque esse Christum, Deum verum, hominemque verum, ex corpore, et rationali anima constantem, per omnia similem nobis absque peccato; quippe consubstantialem Patri secundum divinitatem, et consubstantialem nobis secundum humanitatem. De quo abunde in superioribus est actum, ac præsertim in secundo libro, capite secundo, in quo generalis expositio dogmatis istius, ex synodalibus est contexta decretis.

Idipsum quoque sequentes œcumenicæ Synodi ratum, et auctoritate sancitum sua posteris tradiderunt : nominatim Quinta, et

[1] Jo. 12. 15. — [2] Ibid. ver. 21. — [3] Marc. 16. 6. — [4] Act. 3. 21. — [5] Luc. 2.

[6] Chalced. Syn. Act. 5. in form. fidei p. 345.

Sexta, quæ Monotheletas plus quam humanitatis natura postulat assumptæ huic ab Christo tribuere molientes compescuit.

De quibus omnibus memorabilis est Nicephori locus Constantinopolitani patriarchæ, ejus, qui circa annum octingentesimum Christi floruit; in opusculo quodam capitulorum duodecim, quæ adversus Iconoclastas edidit[1]: in quibus tam hos, quam alios hæreticos, qui de humana Christi natura perperam existimarunt, ut eam ad divinam sortem intemperantius eveherent; illos, inquam, significat, circumscriptum loco minime putasse esse Christum; quod idem est atque ambas in se confudisse naturas.

X. Ergo in secundo capitulo, ait illos primam repudiasse Synodum, Eusebii auctoritatem amplexos, qui in epistola ad Constantiam Augustam, Constantini sororem, et Licinii conjugem, « Christum salvatorem incircumscriptum esse » dixit. Hujus epistolæ supra meminimus[2], extantque fragmenta ejus in actis septimæ Synodi, ut ibidem scriptum est. Sed de *incircumscripto* nominatim nihil in istis legitur; tametsi ex his, quæ illic habentur, consequens sit: cum videlicet affirmat, ideo pictura non posse Christi carnem exprimi, (1) quia tota in divinitatem absorpta, et cum ea commista fuerit. Qui enim sic loquitur, profecto carnem desiisse carnem esse, adeoque circumscriptam, existimat, sed natura demutatam, in divinitatis transiisse sortem. Pergit Nicephorus, et[3], « Præterea, *inquit*, a sancta Synodo tertia anathema in eos decretum est. Siquidem ipsa sancta tertia Synodus prædicavit circumscriptum esse Christum Deum nostrum secundum carnem; et in eos, qui hanc vocem non reciperent, anathema decrevit. » Utrum hoc tertia illa Synodus, quæ est Ephesina, decreverit, expresse scilicet, et diserte, non satis memini. De quarta vero[4] eodem quo nos paulo ante fecimus modo, argumentoque concludit Nicephorus, *circumscriptum* in ea asseverari Christum, eo quod in duabus naturis perfectum illum esse statuit, « quod nihil aliud est, quam confiteri incircumscriptum esse secundum divinitatem, circumscriptum vero secundum humanitatem. »

Rursus sanctam œcumenicam septimam synodum Nicænam ab iisdem hæreticis Iconoclastis rejectam queritur Nicephorus[5]: quatenus illa « consuetudinem, quæ a principio in Ecclesia viguerat, sancivit; et mysterium Incarnationis rejicientes, ac contumelia afficientes anathemate affecit. »

In hac ipsa Synodo septima, lectum est decretum pseudosynodi contra venerandas imagines sub Constantino Copronymo habitæ, cum ejusdem refutatione, tota actione sexta. Ubi cum inter alia, hæreticum illud conventiculum ita constituisset: « (2) Si quis incircumscriptam Dei Verbi substantiam, et hypostasim, eo quod incarnata sit, studuerit materialibus coloribus, in imaginibus humana forma circumscribere; et non potius Deum ipsum profitetur, ut qui nihilominus post Incarnationem sit incircumscriptus, anathema sit. » Contra hoc decretum, qui id refutavit, legente Epiphanio diacono, sic invectus est, « (3) Deceptos illos esse, qui incircumscriptam divini Verbi naturam, cum circumscripta carne, ab eo assumpta confuderint. » Quem errorem aliquot Scripturæ locis refellit, quibus certo loco circumscriptus ostenditur Christus Dominus, ut ex historia Lazari; tum quod se post resurrectionem discipulis obtulit videndum, attrectandumque: quod januis clausis ad eos introierit, et alia, quorum supra mentionem fecimus.

(1) Euseb. ad Constant. in act. 6. Synod. sept. pag. 784. Ἀλλὰ πάντως που τῆς τοῦ δούλου μορφῆς ἐπιζητεῖς τὴν εἰκόνα, καὶ οὗ δι' ἡμᾶς περιεβλήθη σαρκίου. Ἀλλὰ καὶ τοῦτο τῇ δόξῃ τῆς θεότητος ἀνακεκρᾶσθαι μεμαθήκαμεν, καὶ καταπεπόσθαι τὸ θνητὸν ὑπὸ τῆς ζωῆς.

(2) In Syn. sept. act. pag. 797. Εἴ τις τὴν ἀπερίγραφον τοῦ Θεοῦ Λόγου οὐσίαν, καὶ ὑπόστασιν διὰ τὸ σεσαρκῶσθαι ἐπιτηδεύοι δὲ ὑλικῶν χρωμάτων ἐν εἰκόσιν, ἀνθρωπομόρφως περιγράφειν, καὶ οὐχὶ μᾶλλον θεολογεῖ αὐτὸν οὐδὲν ἧττον καὶ μετὰ τὴν σάρκωσιν ἀπερίγραφον ὄντα, ἀνάθεμα ἔστω.

(3) Ibid. Καὶ ἐξαπατῶνται τὸν νοῦν εἰς τὴν ἀπερίγραφον φύσιν τοῦ θείου Λόγου τὴν περιγεγραμμένην, καὶ παρ' αὐτοῦ ληφθεῖσαν σάρκα συγχέοντες.

[1] Tom. 4. Bibl. col. 1121. — [2] § 2.

[3] Ib. c. 3. — [4] Ib. c. 4. — [5] Ib. c. 6.

CAPUT OCTAVUM.

Ubiquistarum hæresis antiquorum testimoniis oppugnata, primum græcorum, — 1. quæ generatim concepta: — 2. post singulorum, ut Hippolyti, Athanasii, — 4. Cyrilli Hierosolymitani, Eustathii Antiocheni, — 5. Gregorii Nazianzeni, Nysseni, Chrysostomi, Titi Bostrensis, Theodoreti, — 6. Cyrilli Alexandrini, — 7. Amphilochii, — 8. Justini, Ephræmii, Maximi, Andreæ Cretensis, — 9. Anastasii Sinaitæ, — 10. Joannis Damasceni, Abucaræ, Theophanis Ceramei, — 11. sancti Nicephori contra Iconoclastas, Œcumenii.

I. Antequam singulorum sententias corrogem, qui hæresim istam suffragiis suis aperte condemnarunt, nonnullorum generatim commemoranda est auctoritas, qui illam improbasse videntur eo ipso, quod de Christo agentes, divinitatis propriam esse decreverunt immensitatem loci, eamque humanæ naturæ detraxerunt. Sic enim plerique, cum de missione Filii disputarent, negarunt, eam Christo, qua Deus est, tribuendam esse; eo quod Deus locum non mutet, sed sit ubique; mitti autem sit loco moveri. Itaque de assumpta natura prorsus interpretandam esse Christi missionem, et eatenus vocari Apostolum [1] existimant, quod sit homo factus. Horum verba ipsa descripta leges a nobis alio in loco [2].

Qui autem nominatim carnem Christi, certo loci spatio circumscriptam esse, testati sunt, ii partim absolute hoc, et universe pronuntiarunt, idque propterea quod hanc illius esse naturam arbitrati sunt, ut et aliorum corpore constantium : partim de statu illo, qui resurrectionem antecessit : partim denique de eo, qui est secutus, manifeste sunt locuti. Quæ omnia, si recte judicamus, eamdem vim habent. Quod enim natura est insitum, et οὐσιῶδες, id eam perpetuo comitatur, nec divelli potest. Quamobrem quamdiu integra manet natura, inest illud quod naturaliter convenit. Præsertim cum in humana Christi natura non essentiam duntaxat hominis, sed etiam proprietates omnes naturales perpetuo extitisse, Conciliorum omnium, ac Patrum consensus habeat.

II. Græcorum Patrum primus nobis occurrit Hippolytus Portuensis : cujus fragmenta quædam extant latine a Turriano edita ex opere, quod inscribitur contra Beronem et Helicem [3] ; quæ græce pariter excusa sunt inter Anastasii bibliothecarii Collectanea. Horum in primo fragmento illud est scriptum : « (1) Ideo Verbum Deus similiter ac nos vere homo factum, citra peccatum, operatum, et passum humano modo, quæcumque naturæ hominis propria, culpa carent, et naturalem circumscriptionem carnis propter nos sustinens, mutationem non pertulit. » Ac subinde, Christum ait « (2) simul et immensum esse, intelligique Deum, et circumscriptum hominem, qui utriusque perfectam substantiam perfecte habeat. »

Idem in fragmento tertio, « (3) Divinitatis operationem mansisse » scribit « extra naturæ circumscriptionem omnem ; tametsi per carnem natura terminatam fulserit. Non enim natura fert, ut quod secundum naturam factum non est, ab ea, quæ facta est, natura circumscribatur. »

III. Athanasius vero Christi corpus, ac totam ipsius humanitatem non ubique esse, sed loco aliquo determinatam, luculenter asserit apud Theodoretum, in majori oratione de Fide, ex iis Davidis verbis in Psalmo 109. *Sede a dextris meis*, « (4) Quæ ad Dominicum, *inquit*, corpus pertinent. Nam si cœlum et terram ego impleo, ait Dominus, ut loquitur Hieremias [4], Deus autem omnia continet, nec ab ullo ipse continetur, quonam in throno sedebit ? Itaque

(1) HIPPOLYTUS in coll. Anast. pag. 210. Διὸ καὶ καθ' ἡμᾶς ἀληθῶς γενόμενος ἄνθρωπος χωρὶς ἁμαρτίας ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος, ἐνεργήσας τε, καὶ παθὼν ἀνθρωπίνως ὅσα τῆς φύσεως ἐστὶν ἀναμάρτητα, καὶ φυσικῆς σαρκὸς περιγραφῆς ἀνασχόμενος δι' ἡμᾶς, τροπὴν οὐχ ὑπέμεινεν.

(2) Ibid. Θεὸν ἄπειρον ὁμοῦ, καὶ περιγραπτὸν ἄνθρωπον ὄντα τε, καὶ νοούμενον, τὴν οὐσίαν ἑκατέρου τελείαν τελείως ἔχοντα.

(3) In opusc. 3. pag. 220. Ἡ παντοκρατορικὴ, καὶ τῶν ὅλων ποιητικὴ θεότητος ἐνέργεια διαδείκνυται πάσης ἐκτὸς κατὰ φύσιν περιγραφῆς διαμένουσα, κἂν διὰ σαρκὸς διέλαμψε φύσει πεπερασμένης. Οὐ γὰρ πέφυκε περιγράφεσθαι γεννητῇ φύσει τὸ κατὰ φύσιν ἀγέννητον.

(4) ATHANASIUS apud Theodoret. dial. 2. p. 92. C. Ὅτι εἰς τὸ κυριακὸν σῶμα λέλεκται. Εἰ γὰρ τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν ἐγὼ πληρῶ, λέγει Κύριος, ὥς φησιν Ἱερεμίας, πάντα δὲ χωρεῖ ὁ Θεὸς, ὑπ' οὐδενὸς δὲ χωρεῖται, εἰς ποῖον καθέζεται θρόνον; τὸ σῶμα τοίνυν ἐστὶν ᾧ λέγει· κάθου ἐκ δεξιῶν μου.

[1] Heb. 3. 1. — [2] Lib. 8. de Trin. c. 1.

[3] In to. 4. Bibl. PP. Part. 2. col. 951. — [4] Hier. 23.

corpus est, cui dicit : Sede a dextris meis. » Quamvis autem sessio illa naturalem corporis situm minime significet ; certum est tamen, definitum aliquod indicare spatium loci, in quo comprehendatur, veluti cœlum. Igitur cum hanc opponi sentiat Athanasius immensitati illi, qua Deus est ubique, non ubique esse corpus ipsum putavit, quod utcumque sedere in cœlo ex illis Prophetæ verbis cognoscimus. Hic vero locus eo firmiorem habet auctoritatem, quod ad statum beatæ immortalitatis proprie pertinet.

Idem in libro de Humana natura suscepta, Christum dicit « (1) secumdum carnem (hoc est humanam naturam) et mortuum, et sepultum esse, et resurrexisse : cum secundum spiritum (id est divinitatem) in cœlo, et in terra esset, et ubique. »

Sic in oratione de incarnatione Verbi, « (2) non fuisse circumclusum corpore Verbum *ait*, nec in eo sic fuisse, ut alibi non esset. » Ac subinde Christum præstantius aliquid homine probat extitisse, nec animam solam præter corpus habuisse : « (3) propterea quod animæ proprium est duntaxat ea cogitando contemplari, quæ sunt extra corpus ; non autem extra proprium corpus operari, aut ea, quæ procul sunt ab ipso, præsentia sua movere, » etc. « (4) At non ejusmodi fuit, *inquit*, Dei Verbum, quod erat in homine. Non enim alligatum erat corpori, sed potius ipse continebat. Ita et in illo erat, et in omnibus residebat. »

Est et alius Athanasii liber de communi essentia Patris et Filii, etc. quem tamen germanum illius esse non arbitror. In eo vero libro, quisquis est auctor, animadvertit ad illa Davidis, *Sede a dextris meis*, « (5) id quod sedere dicitur, esse circumscriptum eo, in quo sedere dicitur, loco : at vero Deum nostrum natura minime circumscriptum esse. » Quod ipsum et in perexiguo alio opusculo legitur, quod inter Athanasii rejicula est editum, cum sit Apollinaris, ut alibi demonstravimus [1].

IV. Cyrillus Hierosolymitanus ab Joanne Cyparissiota citatus [2], in Catechesibus eidem dogmati subscribit his verbis, « In mera divinitate supervacaneum est cogitare ascensum, et descensum. Potentia enim illa, quæ omnia continet ; ille, qui ubique omnibus adest, qui universa spiritu suo circumdat, non transfertur a locis in loca ; ipsius est vox, Cœlum et terram ego impleo. Si igitur implet, quo transmittatur ? Ita fit, ut, ascendit, et descendit, supervacuum sit in divinitate. In Salvatore autem, et in dispensatione adventus ejus in carne, proprie dicitur, ascendit, et descendit. »

Eustathius Antiochenus in quodam tractatu apud Theodoretum in dialogo tertio, egregie Ubiquistas refellit, ita scribens : « (6) Corpus, *inquit*, sublime in cruce pendebat ; at divinus sapientiæ spiritus et intra corpus degebat, et cœlestibus insidebat, et totam ambiebat terram, et abyssos continebat, et singulorum animas perlustrans dijudicabat, atque omnia, uti solebat, tanquam Deus administrabat. Non enim intra corporeas moles suprema sapientia inclusa continetur : quemadmodum humida, et sicca intra vasa conclusa, comprehenduntur magis conceptaculis suis, quam ea comprehendunt. Verum cum sit divina quædam, et inexplicabilis potentia, intima et extima templi complectendo roborat ; indeque dimanans ulterius, moles simul universas continendo cohibet. »

V. Gregorius Nazianzenus in priore ad Cledonium epistola, unum, eumdemque Christum vocat, « (7) patibilem carne, impatibilem divinitate ; corpore circumscriptum, incircumscriptum spiritu ; eumdem terrenum, et cœlestem ; visibilem, et intelligibilem ; comprehensibilem, et incomprehensibilem. »

Gregorius quoque Nyssenus in libro Catechetico, laudatus a Theodoreto : « (8) Quis hoc,

(1) Idem tom. 1. pag. 470. D. Διὰ τοῦτο κατὰ σάρκα λέγομεν, ὅτι καὶ ἀπέθανε, καὶ ἐτάφη, καὶ ἠγέρθη ἐκ νεκρῶν· κατὰ δὲ τὸ πνεῦμα, καὶ ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ γῆς ἦν, καὶ πανταχοῦ.

(2) Idem pag. 49. D. Οὐ γὰρ δὴ περικεκλεισμένος ἦν ἐν τῷ σώματι· οὐδὲ ἐν τῷ σώματι μὲν ἦν, ἀλλαχόσε δὲ οὐκ ἦν.

(3) Ibidem pag. 50. Ψυχῆς μὲν οὖν ἔργον ἐστὶ, θεωρεῖν μὲν καὶ τὰ ἔξω τοῦ ἰδίου σώματος τοῖς λογισμοῖς· οὐ μὴν καὶ ἔξωθεν τοῦ ἰδίου σώματος ἐνεργεῖν, ἢ τὰ τούτου μακρὰν τῇ παρουσίᾳ κινεῖν.

(4) Mox : Οὐ δὴ τοιοῦτος ἦν ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος ἐν τῷ ἀνθρώπῳ. Οὐ γὰρ συνεδέδετο τῷ σώματι, ἀλλὰ μᾶλλον αὐτὸς ἐκράτει τοῦτο· ὥστε καὶ ἐν τούτῳ ἦν, καὶ ἐν τοῖς πᾶσιν ἐτύγχανε.

(5) Ibid. pag. 377. D. Ὁ γὰρ καθήμενος, ἐμπερίγραφός ἐστιν ἐν ᾧ κάθηται τόπῳ· ὁ δὲ Θεὸς ἡμῶν ἀπερίγραφὸς ἐστιν φύσει.

(6) EUSTATH. apud Theodoret. pag. 158. B. Τὸ μὲν γὰρ σῶμα μετάρσιον, etc.

(7) NAZIANZ. orat. 51. pag. 738. Παθητὸν σαρκὶ, ἀπαθῆ θεότητι· περιγραπτὸν σώματι, ἀπερίγραπτον πνεύματι· τὸν αὐτὸν ἐπίγειον, καὶ οὐράνιον· ὁρώμενον, καὶ νοούμενον· χωρητὸν, καὶ ἀχώρητον.

(8) NYSSEN. apud Theod. dial. 2. pag. 69. C. Καὶ τίς τοῦτό φησιν, ὅτι τῇ περιγραφῇ τῆς σαρκὸς καθάπερ ἀγγείῳ τινὶ, τὸ ἄπειρον τῆς θεότητος περιείληπται ;

[1] Lib. 4. c. 5. § 4. et seq.

[2] Cyparis. lib. 7. c. 1.

inquit, dixerit, circumscriptione carnis, velut quodam vase, immensitatem divinitatis fuisse comprehensam? » Item, « (1) Quod si hominis anima, naturæ necessitate, commista corpori, libere ubique versatur; quæ necessitas cogit dicere, divinitatem natura carnis includi ? » Non igitur corpus est ubique, sed loco circumscribitur; extraque illud divinæ naturæ immensitas diffunditur.

Ita Chrysostomus oratione in quatriduanum Lazarum, de verbis illis Marthæ ad Christum agens, *Domine, si fuisses hic*, etc. « (2) Infirma es, o mulier. Nescit modo mulier, Christum etiam corpore minime præsentem, divinitatis adesse potentia. Sed præsentia corporis vim præceptoris metitur. »

Titus Bostrensis (tametsi supposititium est hoc nomen) in commentario ad caput Lucæ 23. hæc verba Christi in cruce pendentis enarrans, *Hodie mecum eris in paradiso*, hæc adnotat : « (3) Implens omnia divinitate, et in cruce propter carnem erat, et in cœlo propter divinitatem : ac rursus de cruce descendens, et in inferno erat, et latronem in paradisum introduxit divinitatis suæ præsentia. »

Theodoretus in Dialogo secundo, qui *inconfusus* inscribitur, « (4) Corpus Dominicum, *inquit*, incorruptibile quidem resurrexit, impatibile, et immortale, ac divina majestate glorificatum; et a cœlestibus adoratur virtutibus : sed nihilominus est corpus, priorem habens circumscriptionem. » Hic Theodoretus diserte Christi corpus etiam post resurrectionem, divinæ compos claritatis et gloriæ, non ubique esse demonstrat; sed, perinde ut ante, spatio aliquo circumscribi.

VI. Cyrillus vero quamplurimis in locis eamdem Christi secundum humanam naturam circumscriptionem egregie comprobat, eoque ipso falsam ab sese calumniam propulsat obtrectatorum quorumdam, qui Apollinaris hæresi affinem illum esse mentiti sunt : velut post alios novissimus iste, omniumque pestilentissimus hæreticus anonymus, quem libro sexto confutavimus. Valent igitur ad diluendam suspicionem hanc innumera loca, quibus Christi carnem certo aliquo loci definitam esse spatio docuit, cum interim divinitas usquequaque diffusa sit. Libro certe commentariorum in Joannem undecimo, Christum docet sic ab apostolis recessisse, et hodieque ab fidelibus post resurrectionem abesse corpore, ut divinitate præsens esset. Hoc ergo « scire apostolos oportuisse » dicit, « (5) etsi Christus ab eorum consuetudine carne disjungeretur, neque corporeis oculis amplius videretur; divinitatis tamen potentia præsentem adesse semper, et cum ipsis versari, etc. Hæc enim Deo congruens operatio est, ac virtus, ut sit ubique, et tam cœlum inexplicabili quodam modo, quam terram impleat, ac per omnia ita permeet, ut a nullo ipse capiatur. Non enim comprehendi loco potest Deus, aut intervallis definiri : sed nec intra ullam est circumscriptionem. Hujusmodi enim aliquid pati, quantitatis et magnitudinis expers, ut et corporis, natura non sustinet. Quare quoniam Deus et homo simul erat Christus, oportebat nimirum hoc nescire discipulos, etsi corpore abesset ille, non tamen penitus absentem fore; sed omnino affuturum, inexplicabili divinæ potestatis ratione. » Eadem fere disserit in sexto libro [1], et in nono [2] et decimo [3], et undecimo [4], atque aliis pluribus in locis : quæ quidem majoris momenti sunt, et eo magis ad negotium nostrum pertinent, quod absolute,

(1) Ibid. Εἰ δὲ ἀνθρώπου ψυχὴ, κατὰ τὴν φύσεως ἀνάγκην, συγκεκραμένη τῷ σώματι πανταχοῦ κατ' ἐξουσίαν γίνεται, τίς ἀνάγκη τῇ φύσει τῆς σαρκὸς τὴν θεότητα λέγειν ἐμπεριείργεσθαι;

(2) Chrys. tom. 5. hom. 41. pag. 272. Ἀσθενεῖς, ἡ γυνή. Οὐκ ἐπίσταται νῦν ἡ γυνὴ, ὅτι καὶ μὴ παρὼν ὁ Χριστὸς σωματικῶς παρῆν τῇ τῆς θεότητος ἐξουσίᾳ. Ἀλλὰ τῇ τοῦ σώματος παρουσίᾳ ἐπιμετρεῖται τοῦ διδασκάλου τὴν δύναμιν.

(3) Tit. tom. 13. bib. pag. 833. Πληρῶν τὰ πάντα τῇ θεότητι, καὶ ἐν τῷ σταυρῷ ἦν διὰ τὴν σάρκα, καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ, διὰ τὴν θεότητα. Καὶ πάλιν καταβὰς ἀπὸ τοῦ σταυροῦ καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ ὑπῆρχε, καὶ τὸν λῃστὴν εἰς τὸν παράδεισον εἰσήγαγε τῇ παρουσίᾳ τῆς θεότητος.

(4) Theodoret. pag. 82. Καὶ τὸ δεσποτικὸν τοιγαροῦν σῶμα ἄφθαρτον μὲν ἀνέστη, καὶ ἀπαθὲς, καὶ ἀθάνατον, καὶ τῇ θείᾳ δόξῃ δεδοξασμένον, καὶ παρὰ τῶν ἐπουρανίων προσκυνεῖται δυνάμεων· σῶμα δὲ ὅμως ἐστὶ, τὴν προτέραν ἔχον περιγραφήν.

(5) Cyrill. lib. 11. in Joan. pag. 973. Εἰδέναι δὲ δὴ ὅτι καὶ εἰ τῆς πρὸς αὐτοὺς συνηθείας ἀπονοσφίζοιτο κατὰ σάρκα, καὶ εἰ μὴ τοῖς τοῦ σώματος ὁρῷτο τυχὸν ὀφθαλμοῖς· ἀλλά γε παρόντα, καὶ συνόντα διὰ παντὸς τῇ τῆς θεότητος ἐξουσίᾳ χρῆν δήπου πάντος ἐννοεῖν, etc. Mox : Ἐνέργεια δὲ, καὶ δύναμις θεοπρεπὴς, τὸ εἶναι πανταχῆ, καὶ πληροῦν μὲν ἀῤῥήτως τὸν οὐρανὸν, πληροῦν δ' αὖ πάλιν τὴν γῆν, καὶ χωρεῖν μὲν ἐν πᾶσι, χωρεῖσθαι δὲ ὑπὸ μηδενός. Οὐ γὰρ τόπῳ περιληπτὸς ὁ Θεὸς, ἢ διαστήμασι περιορισμένος· ἀλλ' οὐδὲ περιγραφῆς εἴσω τινός. Παθεῖν γάρ τι τοιοῦτον ἡ ἄποσός τε, καὶ ἀμεγέθης, καὶ ἀσώματος οὐκ ἀνέχεται φύσις. Οὐκοῦν ἐπείπερ ἦν ἅμα Θεός τε ὁμοῦ, καὶ ἄνθρωπος ὁ Χριστὸς, χρῆν δήπου πάντως μὴ ἀγνοῆσαι τοὺς μαθητὰς, ὡς εἰ καὶ ἀπεῖναι γένοιτο σωματικῶς, οὐκ ἀπολειφθήσεται παντελῶς· συνέσται δὲ πάντως, κατὰ τὸν ἄῤῥητον τῆς θεοπρεποῦς ἐξουσίας λόγον.

[1] Lib. 6. p. 600. — [2] Lib. 9. p. 747.

[3] Lib. 10. pag. 837. — [4] Lib. 11. pag. 977.

et in quolibet statu, adeoque beato illo, et immortali, non ubique secundum corpus præsentem esse Christum nos docent.

Idem in vicesimo libro Thesaurorum, de ascensione Christi loquens, et illis Davidis verbis[1], *Attollite portas, principes, vestras*, quibus in cœlum subvectum Dominum angeli prosecuti sunt, ait Cyrillus, Christum, qua Deus est, in cœlo jam fuisse præsentem. « (1) Quid igitur, *inquit*, tali mandato Spiritus opus fuit ? aut quomodo qui intus est, introire dicitur ? » Et respondet, « illum non qua Deus, sed quatenus homo est, propter nos, et pro nobis cœlestes ingredi portas. » Sic in libro de Recta fide, capite decimo tertio[2], et contra Anthropomorphitas, capite 18. et 19.[3] tametsi liber iste non sit Cyrilli.

VII. Auctor sermonis de inventione Crucis, qui Gregorii thaumaturgi nomine inscriptus est, Christum loquentem sic inducit : « (2) Oportet eo me carne ascendere, ubi sum divinitate. »

Amphilochius in quodam excerpto Photii, uberrime de hac immensitate disputat, explicatque quomodo sine ullo detrimento hypostaticæ conjunctionis, non sit humana Christi ubique natura. Ita ergo quæstionem proponit : « (3) Si minime circumscripta Filii est divinitas, caro, quam assumpsit, vel est ubique, (siquidem ubi est divinitas, ibi illam oportet esse,) vel si loco circumscripta est, ab eo qui assumpsit disjungatur necesse est. » Huic quæstioni respondet Amphilochius, Dei proprium esse, ut ubicumque est, totus ibi sit ; adeoque sit ubique totus, quo fit, ut *in conjuncta sibi carne totus sit, et ex toto*. « (4) Neque propterea quod ubique est ipse, humana vero natura loco, tempore, initio, fine, et partibus aliis definita est ; idcirco vel minimus separationi aditus conceditur. Quam quidem is demum invehit, qui Deum etiam citra carnem assumptam loco circumscriptum falso sibi finxerit ; et ubique per partes adesse, non ex toto, quibuscumque præsens adest Deus. »

Hoc vero, scilicet Deum loco circumscribi sic, ut partes ejus partibus loci respondeant, imprudentem dicere ait, qui sic disputat : nisi cum divina Verbi hypostasi exæquetur extensa natura hominis assumpta, non illi esse copulatam. Quippe voces istæ, *coextendi*, et *assistere*, et hujus generis aliæ, divisionem in partes significant. Postremo ad hoc pertinere conjunctionem cum Verbo humanæ naturæ, ut in hac totum illud sit ; non tamen efficere, ut non in aliis, et cum aliis existat, quibus nec adest, nec est humanitas ipsa conjuncta. Hæc fere Amphilochius.

VIII. Declarat hoc auctor Expositionis fidei sub Justini nomine, qui cum dixisset, « (5) Verbum ubique præsens esse secundum substantiam, sed præcipua quadam ratione in templo suo ; » postea solis hoc illustrat exemplo : qui cum omnibus in commune propositus sit, et luce sua impleat universa, nec majorem aliis, minorem aliis impertiat ; tamen pro cujusque captu, nec ex æquo, illam omnia participant. « (6) Ut igitur sol efficientia sua omnia similiter attingit, non tamen similiter ab omnibus capitur : ita Verbum cum secundum substantiam suam præsens adsit omnibus, non similiter ceteris adest præsens, ac templo proprio. » Quæ similitudo ne quid offensionis habeat, ad reliqua debet exigi mysterii illius dogmata, quæ hactenus explicata sunt.

Sic Ephræmius Antiochenus patriarcha, vir peræque sanctus et eruditus, contra Monophysitas strenue decertans, duas in Christo contendit esse naturas ; ob quas « (7) idem est incircumscriptus, et circumscriptus, utpote

(1) Cyril. lib. 2. Thes. pag. 195. Τί οὖν ἔδει τῶν τοιούτων τοῦ Πνεύματος προσταγμάτων ; ἢ πῶς ὁ ἔνδον ὢν εἰσέρχεσθαι λέγεται ; ὥσπερ οὖν οὐ καθὸ Θεός ἐστιν, ἀλλὰ καθὸ ἄνθρωπος, δι' ἡμᾶς, καὶ ὑπὲρ ἡμῶν τὰ τῶν οὐρανῶν εἰσέρχεσθαι πύλας.

(2) Tom. 7. Chrys. pag. 660. Δεῖ με ἀνελθεῖν τῇ σαρκὶ, ὅπου εἰμὶ τῇ θεότητι.

(3) Amphil. oper. pag. 226. Ἀπορ. Εἰ ἀπερίγραπτος ἡ ἐν τῷ Υἱῷ θεότης, ἡ σὰρξ ἣν ἀνέλαβεν, ἢ πανταχοῦ· (ἔνθα γὰρ ἡ θεότης, κἀκείνην παρεῖναι δεῖ), ἢ περιγραφομένη τόπῳ, τοῦ προσειληφότος διέστηκεν.

(4) Amphil. ibid. Εἰ δὲ ὅλων ὁλικῶς πανταχοῦ καὶ τῇ ἡνωμένῃ σαρκὶ ὅλος ἐνυπάρχων ὁ Υἱός. Εἰ πάρεστι μὲν αὐτὸς πανταχοῦ, ἡ δ' ἀνθρωπίνη φύσις περιώρισται τόπῳ, καὶ χρόνῳ, ἀρχῇ τε, καὶ τελευτῇ, καὶ μορίοις ἄλλοις, οὐ μὲν οὖν οὐδεμίαν πάροδον τῷ χωρισμῷ συνεπινοηθῆναι παραχωρήσειεν. Ἐκεῖνος δ' ἂν εἴη, ὁ τὸ θεῖον, καὶ χωρὶς τῆς προσληφθείσης σαρκὸς περιγενόμενον τόπῳ φανταζόμενος, ὃς καὶ τὰ μέρη τερατεύετα πανταχοῦ παρεῖναι, ἀλλὰ μὴ καθόλου οἷς ἂν πάρεστι τὸ θεῖον.

(5) Justin. pag. 303. Πίστευε καὶ παρεῖναι πανταχοῦ κατ' οὐσίαν τὸν Λόγον, καὶ κατ' ἐξαίρετον ὑπάρχειν ἐν τῷ οἰκείῳ ναῷ.

(6) Ibid. Ὡς γὰρ ὁ ἥλιος ὁμοίως κατ' ἐνέργειαν τοῖς πᾶσι προσβάλλων, οὐχ ὁμοίως ὑπὸ πάντων χωρεῖται· οὕτως ὁ Λόγος κατ' οὐσίαν τοῖς πᾶσι παρὼν, οὐχ ὁμοίως τοῖς ἄλλοις καὶ τῷ ναῷ οἰκείῳ πάρεστιν.

(7) Ephræm. apud Phot. cod. 229. pag. 417. Οὗτος οὖν ἐστὶν ὁ αὐτὸς ἀπερίγραπτος, καὶ περίγραπτος, ὡς δύο γενέσεις ἔχων, καὶ δύο οὐσίας ὁ εἷς.

[1] Psal. 23. — [2] Tom. 5. part. 2. p. 136. et seq.

[3] Tom. 6.

duas habens unus generationes, ac naturas duas. » Et postea, « (1) Deum, *inquit*, et hominem confiteor Christum filium Dei; unum vero filium, naturis duabus præditum, patibili, et impatibili; mortali, et immortali; intelligibili, et invisibili; attrectabili, et tactum fugiente; initio carente, et initium habente; incircumscripta, et circumscripta. » Ut igitur natura humana quocumque in statu ceteras retinet affectiones, ut quod visibilis sit, et ab initio aliquo esse cœperit, nec sit ab æterno; ita etiam ut circumscripta loco, non ubique diffusa sit, quamlibet spiritalis, et immortalitate donata.

Easdem fere oppositas sibi mutuo proprietates, ob naturas duas eidem inesse Christo, asserit Maximus martyr in disputatione cum Pyrrho, (2) eoque utitur argumento, ut duas inesse voluntates probet; quoniam non naturæ solum insunt duæ, sed earum quoque proprietates, et indicia, ex Synodorum et Patrum sententia : adeo ut non tantum naturas perfectas habeat, sed etiam perfectarum proprias notas : cujusmodi sunt, *visibile, et invisibile; mortale, et immortale; corruptibile, et incorruptibile; attrectabile, et contactum fugiens; creatum, et increatum.* Et aliquot interjectis paginis, quod in Evangelio scriptum est, voluisse aliquo intrare Christum, humanitati adscribendum esse dicit, « (3) secundum quam ibi non erat, quo ingredi volebat; quippe divinitate est ubique. »

Rursus Andreas Cretensis oratione in quatriduanum Lazarum, de Christi voce hac agens, *Non eram ibi,* ita disserit : « (4) Quippe secundum id quod extrinsecus apparebat, non aderat. Corpus enim, quod trifariam dimetimur, natura hoc habet, ut circumscribatur, et de loco in locum motionem capiat. Hujusmodi enim illius est natura ».

IX. Transeo ad Anastasium Sinaitam; cui persuasum adeo fuit, carnem Christi spatio aliquo circumscriptam esse, perinde ac creatam, et in tempore factam, ut hac ratione usus sit ad refellendos Acephalos, qui carnem in Verbum mutatam asserebant. Nam cum hæreticum induxisset Athanasii verba illa sibi objectantem ex epistola ad Jovinianum imperatorem, « (5) Verbum caro factum est, ut caro fieret Verbum, » quæ quidem in epistola, quæ hodie extat Athanasii ad Jovinianum minime leguntur [1] : sed cum ex illis Athanasii verbis, colligeret Acephalus, unam tantum, non duas esse naturas; (id quod in vulgata Athanasii ad Jovinianum epistola legitur, nempe unam esse naturam, et hypostasim incarnatam;) Anastasius e contrario negat ab Athanasio id esse scriptum. Siquidem ut hoc verum sit ut caro Verbum facta sit, id est in ejus mutata substantiam, « (6) perspicuum est, illius proprietatibus affectam esse carnem oportere; nempe ut sit incircumscripta, et increata, initio carens, et figura; necnon Patri coæterna. »

Idem ab Euthymio citatus in Panoplia, « (7) Si natura Christi, *inquit,* sola est divinitas, quomodo Christus, qui ubique secundum naturam suæ divinitatis existit, discipulis suis dixit : Lazarus mortuus est, et gaudeo quia non eram ibi ? Quomodo etiam Angelus dixit de illius corpore, Surrexit, non est hic ? »

X. Non aliter Joannes Damascenus naturas duas adstruit in Christo, « (8) quod impossibile sit, unam duntaxat, eamdemque naturam esse creatam, et increatam; mortalem, et immortalem; circumscriptam, et incircumscri-

(1) Ibid. pag. 434. Οὕτω Θεόν τε, καὶ ἄνθρωπον ὁμολογῶ τὸν Χριστὸν τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ· ἕνα δὲ Υἱὸν δύο φύσεων, παθητῆς τε, καὶ ἀπαθοῦς, θνητῆς τε, καὶ ἀθανάτου, νοητῆς, καὶ ἀοράτου, ψηλαφητῆς, καὶ ἀνεπάφου, ἀνάρχου, καὶ ἀρχομένης, ἀπεριγράφου, καὶ περιγεγραμμένης. Ibi pro νοητῆς, forte ὁρατῆς legendum.

(2) MAX. disp. pag. 683. Ἀναθεματιζέσθωσαν αἱ σύνοδοι, καὶ πρὸ τούτων οἱ πατέρες, οὐ μόνον τὰς φύσεις, ἀλλὰ καὶ τὴν ἑκάστης φύσεως ἰδιότητα ὁμολογεῖν ἡμῖν νομοθετήσαντες· καὶ οὐ μόνον Θεὸν τέλειον, καὶ ἄνθρωπον τέλειον τὸν αὐτὸν, ἀλλὰ καὶ τῆς τελειότητος τὰ γνωρίσματα· τουτέστιν ὁρατὸν, καὶ ἀόρατον, τὸν αὐτὸν, καὶ ἕνα λέγοντες· θνητὸν, καὶ ἀθάνατον· φθαρτὸν, καὶ ἄφθαρτον· ἁπτὸν, καὶ ἀναφῆ· κτιστὸν, καὶ ἄκτιστον.

(3) Ibid. pag. 692. A. Πρόδηλον δὲ ὅτι καθὸ οὐκ ἦν ἐκεῖ, ἠθέληκεν εἰσελθεῖν. Οὐκ ἦν δὲ ἀνθρωπότητι· θεότητι γὰρ οὐδενὸς ἄπεστιν.

(4) ANDREAS pag. 61. Κατὰ γὰρ τὸ φαινόμενον οὐ παρῆν. Σῶμα γὰρ τὸ τριχῆ διαστατὸν, ἐν περιγραφῇ πέφυκε, καὶ τὸν τόπον ἐκ τόπου μετάβασιν δέχεται. Τοῦτο γὰρ φύσις αὐτῷ.

(5) ANAST. in Ὁδηγῷ, cap. 13. pag. 230. Ὅτι ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, ἵνα καὶ ἡ σὰρξ γένηται Λόγος.

(6) Ibid. Πρόδηλον λοιπὸν ὅτι καὶ ἐν τοῖς τοῦ Λόγου ἰδιώμασι χρὴ ὁμολογεῖν τὴν σάρκα· τουτέστιν ἀπερίγραπτον, καὶ ἄκτιστον, καὶ ἄναρχον, καὶ ἀσχημάτιστον, καὶ συναΐδιον τῷ Πατρί.

(7) Id. apud Euth. tit. 15. lat. pag. 630. Εἴπερ ἡ φύσις τοῦ Χριστοῦ μόνη θεότης ἐστὶν, ὡς ὑμεῖς φατε, πῶς ὁ Χριστὸς ὁ πανταχοῦ ὢν κατὰ τὴν τῆς θεότητος αὐτοῦ φύσιν, εἶπε πρὸς τοὺς μαθητάς· Λάζαρος ἀπέθανε, καὶ χαίρω, ὅτι οὐκ ἤμην ἐκεῖ; πῶς δὲ καὶ ὁ Ἄγγελος ἔλεγε περὶ τοῦ σώματος αὐτοῦ, ὅτι ἠγέρθη, οὐκ ἔστιν ὧδε.

(8) DAMASC. lib. 3. cap. 3. pag. 172. Πῶς γὰρ δυνατὸν τὴν αὐτὴν φύσιν κατὰ ταὐτὸ κτιστὴν εἶναι, καὶ ἄκτιστον, θνητὴν, καὶ ἀθάνατον, περίγραπτον, καὶ ἀπερίγραπτον.

[1] Tom. 2. pag. 40.

ptam. » Et paulo post declarat quemadmodum post unitionem substantivam, naturæ singulæ proprias affectiones servaverint ; « (1) ut quod creatum est, manserit creatum ; et quod increatum, increatum : quod mortale est, manserit mortale ; quod immortale, immortale : quod circumscriptum est, circumscriptum manserit ; et quod incircumscriptum, manserit incircumscriptum. »

Sic in primo libro, capite 18. Christum ait, qui ad dexteram Patris modo residet, « (2) corporaliter, tanquam hominem descensurum, et in throno gloriæ sessurum. Quippe corporis esse circumscripti descensionem, et sedem. » Igitur post ascensum in cœlum non est ubique Christus homo.

Et in libro 3. cap. 7. diserte asserit, « (3) secundum divinitatem, incircumscriptum esse Christum ; adeo ut caro ipsius non coextensa sit incircumscriptæ divinitati ejusdem. »

Item in quarto libro, capite primo, « (4) ascendere in cœlum e terra, et rursus descendere, actiones *ait* esse circumscripti corporis. Porro sic illum rursus esse descensurum Scriptura dicit, quemadmodum vidistis eum, inquit, euntem in cœlum. » Quid apertius dici potuit, contra Ubiquistarum commentum ?

Theodorus Abucara in Opusculo 16. differentiam explicans, qua Verbum in rebus omnibus existit, et in utero Virginis fuit, ac modo in unita sibi carne, satis demonstrat non hanc ubique esse, nec adæquari cum immensitate divina.

Theophanes Cerameus Tauromenitanus episcopus Homilia tertia præclare istud ipsum asseverat, de proprietatibus naturarum, et communione illarum disputans, atque hoc, quod Christus Magdalenæ dixit [1] : *Nondum ascendi ad Patrem meum*, comparans cum eo, quod Nicodemo ait [2] : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo* ; quæ quidem usitata ratione, ex proprietatum communicatione petita conciliat ; itaque loquitur : « (5) Cum igitur audieris, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Verbi divinitatem intellige. Nam propterea statim illud adjecit, qui est in cœlo. Stultum est enim hoc de carne cogitare, eam simul et in cœlo fuisse, et cum Nicodemo collocutam esse, cum et natura triplicem habeat dimensionem, et loco circumscripta sit. »

XI. De hac Christi, qua homo est, circumscriptione ingens olim in Ecclesia certamen extitit ; cum adversus Catholicos imaginum cultores, earum hostes contenderent Iconoclastæ, non eas esse fingendas, neque Christi similitudinem exprimendam ; ne immensus, et incircumscriptus Dei filius, humana arte circumscribetur. Ex quo multa de circumscriptione inquisitio fieri cœpta, quam late S. Nicephorus exponit in opusculis quibusdam contra hæreticos illos editis [3]. Quorum in uno, quod de Cherubinis a Mose factis inscribitur, capite octavo, erudite disputat, Christum absolute, et καθόλου dici non oportere circumscriptum, vel incircumscriptum, quandoquidem Christi appellatio naturas duas complectitur ; quarum neque divina circumscribi potest, nec humana non esse circumscripta. Tum de circumscriptionis multiplici specie disserit, quæ ex loco, tempore, aliisque petitur : e quibus maxime loco res definiri dicitur ; non solum corporata, sed etiam spiritus, qui eatenus loco definitur, quod in diversis locis ne uno quidem esse momento, operarive potest, non tamen proprie circumscribitur. Quoniam id corporum est proprium, quibus carent angeli. Hæc summatim Nicephorus tum in capite illo octavo, tum in fragmento libri cujusdam de imaginibus.

Nominatim vero de Christo scribit [4], ipsum modis omnibus, quibus res corporeæ circumscribuntur, fuisse circumscriptum. « Siquidem corpus vere sicut nos, non ficte gestavit : loco circumscribitur, qui est incorporeus ; et qui non cœpit esse principium, cœpit in tempore ; et cum hominibus corpore versatus comprehensus est, qui erat incomprehensus. »

(1) Ibid. pag. 173. Τὸ γὰρ κτιστὸν μεμένηκε κτιστὸν, καὶ τὸ ἄκτιστον, ἄκτιστον· τὸ θνητὸν ἔμεινε θνητὸν, καὶ τὸ ἀθάνατον, ἀθάνατον· περίγραπτον, περίγραπτον, καὶ τὸ ἀπερίγραπτον, ἀπερίγράπτον.

(2) Idem pag. 60. Αὐτὸν δὲ ὁ Υἱὸς, ὡς ἄνθρωπος, σωματικῶς καταβήσεται, καὶ καθιεῖται ἐπὶ θρόνου δόξης· σώματος γὰρ περιγράπτου ἡ κατάβασις, καὶ ἡ καθέδρα.

(3) Idem pag. 194. Καὶ θεϊκῶς ἐστιν ἀπερίγραπτος, οὐ συμπαρεκτεινομένης τῆς σαρκὸς αὐτοῦ τῇ ἀπεριγράπτῳ αὐτοῦ θεότητι.

(4) Id. p. 280. Καὶ τὸ ἀναβῆναι δὲ ἐκ γῆς εἰς οὐρανὸν, καὶ τὸ καταβῆναι δὲ πάλιν, ἐνέργειαί εἰσι περιγραφομένου σώματος. Οὕτω γὰρ πάλιν ἐλεύσεται, φησὶ, πρὸς ἡμᾶς, ὅν τρόπον ἐθεάσασθε αὐτὸν πορευόμενον εἰς τὸν οὐρανὸν.

(5) Theoph. pag. 15. Ὅταν οὖν ἀκούῃς· οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν, εἰ μὴ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς, τὴν τοῦ Λόγου θεότητα νόησον. Διὰ τοῦτο γὰρ ἐπήγαγε μάλα γοργῶς· ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ. Εὔηθες γὰρ περὶ τῆς σαρκὸς τῇγε νοεῖν, ὡς ἐν οὐρανῷ τε ἦν', καὶ τῷ Νικοδήμῳ ἐφθέγγετο, τριχῇ φυσικῶς ἐχούσης διάστασιν, καὶ τὴν ἐν τόπῳ περιγραφήν.

[1] Joan. 20. 17. — [2] Joan. 3. 13.

[3] To. 4. Bib. col. 1133. et 1135.— [4] Niceph. ib. col. 1137.

Œcumenius denique in commentario in epistolam Pauli ad Colossenses, ad illa verba[1], *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, hanc vocem *corporaliter* significare ait οὐσιωδῶς, id est *substantive*, et ait, « (1) Verbum ita carni copulatum esse, ut non ea conclusum sit, sed omnia repleat. » At subinde, « (2) Totum, *inquit*, incarnatum est Verbum, et cum Patre totum est, corpore circumscriptum, divinitate vero incircumscriptum. » Hoc autem eleganti similitudine declarat primigeniæ lucis : quæ ante solem condita, postea in solem tranfusa fuit; in quo velut corporata, sic existit, ut tamen eo minime circumscribatur, sed ubique sit, et illuminet universa.

CAPUT NONUM.

Latinorum Patrum testimonia, quibus eadem carnis in Christo omnipræsentia, sive ubiquitas refellitur, — 1. Hilarii, Ambrosii, — 2. Hieronymi, — 3. Augustini, — 4. Gregorii papæ, Cassiani, Capreoli, — 5. Leonis papæ, Chrysologi, — 6. Fulgentii, — 7. Ferrandi, Maxentii, — 8. Vigilii. — 9. Arnobii junioris, Bedæ, Stephani Æduensis, Adelmani, — 10. Anselmi, Ruperti, Hugonis a S. Victore.

I. Cum græcis latini Patres in eamdem *Ubiquitatis* repudiandam fabulam egregie concordant. Hilarius certe in libro decimo, cum illa verba Joannis expendit[2], *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo*, demonstrat, divinitatis esse, quod in cœlo se esse dicit, non carnis. « Quod autem in cœlis est, *ait*, naturæ semper manentis potestas est ; quæ initiata, conditaque per se carne, non se ex infinitatis suæ virtute, intra regionem definiti corporis coarctavit, spiritus virtute, ac verbi Dei potestate, in forma servi manens, ab omni intra, extraque cœli mundique circulos, cœli, ac mundi Dominus non abfuit. Per hoc ergo et de cœlo descendit, et filius hominis est, et in cœlo est: quia Verbum caro factum non amiserat manere, quod Verbum est. Nam dum Verbum est, et in cœlis est : dum caro est, et hominis filius est : dum Verbum est caro factum, et de cœlo est, et filius hominis est, et in cœlo est : quia et Verbi virtus non corporalibus modis manens, non deerat unde descenderat, et caro non aliunde originem sumpserat, quam ex Verbo. »

Ambrosius in secundo libro de Fide, capite quarto. « Verum quia alibi dicitur[3], *inquit*, Exivi a Patre, et veni in mundum ; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem : quomodo vadit, nisi per mortem, et venit nisi per resurrectionem ? etc. Neque enim Deus de loco ad locum transit, qui ubique semper est. Ut homo est qui vadit, ipse qui venit. Denique et alibi dicit, Surgite, eamus hinc. In eo ergo vadit et venit, quod est commune nobiscum. »

Et in libro de Incarnatione, capite quinto, « Ipsa anima etsi fuit, *inquit*, in abysso, jam non est, quia scriptum est, Quoniam non relinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. [4] Mare ergo dicit, Non est mecum, hoc est, vita nostra dicit fluctibus seculi inquieta. Non est enim inter homines caro ejus, quia secundum carnem jam non novimus Christum. Terra dicit, Non est mecum, quia resurrexit. » Et in tractatu in symbolum Apostolorum, « Licet eum, *inquit*, unius loci spatio contineri ratione corporis pro nostra salute suscepti putemus, non tamen circumscriptam divinitatis, et incorporalitatis suæ naturam. Diversitate enim locorum divinitas non potest separari. »

II. Hieronymus item in epistola 148. ad Marcellam[5], sciscitanti huic, « An post resurrectionem, quadraginta diebus Dominus cum di-

(1) ŒCUM. Οὕτως ὁ ἐν ἀρχῇ ἄσαρκος Θεὸς Λόγος, σαρκωθεὶς, οὐ κωλύεται καὶ σαρκὶ ἡνῶσθαι καθ' ὑπόστασιν, καὶ μὴ συγκεκλεῖσθαι ἐν αὐτῇ· ἀλλὰ τὰ πάντα πληροῖ.

(2) MOX : Καὶ γὰρ ἐσαρκώθη ἅπας, καὶ μετὰ τοῦ Πατρός ἐστιν ἅπας σώματι περίγραπτος ὤν, θεότητι δὲ ἀπερίγραπτος.

[1] Col. 2. 9. — [2] Joan. 3. — [3] Joan. 16. 28.

Job. 28. 14. — [5] Hier. to. 1. col. 1213.

scipulis conversatus sit, et nunquam alibi fuerit; an latenter ad cœlum ascenderit, atque descenderit, et nihilominus apostolis suam præsentiam non negarit, » respondet secundum divinitatem ubique fuisse, nec parvo corpusculo fuisse comprehensum. « Si Dominum Dei filium consideres, *inquit*, de quo sermo est, et illum esse, qui loquitur [1], *Nonne cœlum et terram ego repleo ? dicit Dominus*, etc. Profecto non ambiges etiam ante resurrectionem sic in dominico corpore habitasse Deum Verbum, ut et in Patre esset, et cœli circulum clauderet, atque in omnibus infusus esset, et circumfusus, id est, ut cuncta penetraret interior, et contineret exterior. Stultum est igitur, illius potentiam unius corpusculi parvitate finiri, quem non capit cœlum. Et tamen qui ubique erat, etiam in filio hominis totus erat. Divina quippe natura, et Dei sermo in partes secari non potest, nec locis dividi: sed cum ubique sit, totus ubique est. Erat igitur uno, eodemque tempore et cum apostolis quadraginta diebus, et cum angelis, et in Patre, et in extremis maris finibus erat: in omnibus locis versabatur, cum Thoma in India, cum Petro Romæ, cum Paulo in Illyrico, cum Tito in Creta, cum Andrea in Achaia, cum singulis apostolis, et apostolicis viris in singulis, cunctisque regionibus. »

Hic ubique Christum, qua Verbum est, esse concedit ; ut autem homo *unius corpusculi parvitate finiri*, etiam post resurrectionem.

III. Sequitur Augustinus; cujus tam crebra, tamque diserta sunt testimonia contra figmentum illud Ubiquistarum, ut mirum sit eos, qui in aliquo pretio tantum virum habent, in stolidissimo errore perseverare. Ac vel una epistola quinquagesima septima luculentam copiam sufficere potest, in qua de Dei præsentia, et immensitate late disserit. Ibi primum vocem illam Christi Domini [2], *Hodie mecum eris in paradiso*, « non secundum id quod homo erat, sed secundum id quod Deus erat, » usurpatam fuisse putat [3]. « Homo quippe Christus illo die secundum carnem in sepulcro, *inquit*, secundum animam in inferno futurus erat. Deus vero idem ipse Christus ubique semper est. » Mox vero, « Secundum hominem namque in terra erat, *ait*, non in cœlo, ubi nunc est, quando dicebat, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis, qui est in cœlo : quamvis secundum id, quod filius Dei erat, esset in cœlo ; secundum id vero, quod filius hominis erat, adhuc esset in terra, nondumque ascendisset in cœlum. »

Sed quod subjicit, multo est expressius, et efficacius ad elidendam *ubiquitatis* fabulam, non solum mortalis adhuc hominis Christi, verum etiam regnantis in cœlo. Postquam enim dixit, *ibi nunc esse hominem Christum Jesum, unde venturus est*, ita subinde loquitur : « Secundum hanc formam non est putandus ubique diffusus. Cavendum est enim, ne ita divinitatem adstruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus. » Et in fine epistolæ, « Christum autem Dominum nostrum unigenitum Dei filium, æqualem Patri, eumdemque hominis filium, quo major est Pater, et ubique totum præsentem esse non dubites, tanquam Deum, et in eodem templo Dei esse, tanquam inhabitantem Deum ; et in loco aliquo cœli, propter veri corporis modum. »

Idem tractatu 31. in Joannem, de eo disserens, quod ait Christus [4], *Ubi ego sum, vos non potestis venire*, adnotat, hoc dici a Christo propter divinam naturam. « Homo enim secundum corpus in loco est, et de loco migrat, et cum ad alium locum venerit, in eo loco, unde venit, non est. Deus autem implet omnia, et ubique totus est, non secundum spatia tenetur locis. Erat tamen Christus secundum visibilem carnem in terra, secundum invisibilem majestatem in cœlo, et in terra. Ideo ait : Ubi ego sum, vos non potestis venire. »

Et alibi de eo quod Dominus dixit [5], *Amicus noster Lazarus mortuus est, sed gaudeo propter vos, quia non eram ibi;* observat, divinitate et illic, et ubique præsentem fuisse, sed absentem corpore. « Non erat ibi secundum carnem, hic erat secundum divinitatem, quia Deus ubique est. »

Item ad Psalmum 75. [6] « Si Filium cogites, *inquit*, secundum formam divinitatis, et ipse cum Patre ubique est, etc. Si autem Filium sic intelligas, secundum quod assumpsit carnem, et visus est inter homines, et crucifixus est, et resurrexit, novimus quia ascendit in cœlum, etc. Si sepultus Dominus noster hic esset in terra, et jaceret corpus ipsius, quomodo alicujus martyris, vel apostoli; attenderemus eos, qui in circuitu ejus sunt, etc. Nunc autem ascendit, sursum est. » Sed innumera passim

1 Jerem. 23. 24. — 2 Lucæ 23. — 3 Aug. ep. 57. p. 104. D. 1.

4 Joan. 7. — 5 Serm. 10. de Temp. p. 292. B. — 6 Tom. 8. p. 342. B. 1.

per Augustini libros ejusdemmodi occurrunt loca. Itaque paucis istis contenti hic erimus.

IV. Gregorius papa homilia 29. de Christo in cœlum ascendente: « Illo etenim revertebatur, *inquit*, ubi erat; et inde redibat, ubi remanebat: quia cum per humanitatem ascenderet in cœlum, per divinitatem suam, et terram pariter continebat, et cœlum. »

Cassianus quoque in libro quarto de Incarnatione, capite sexto, naturarum duarum discrimen inde sumpto argumento probat, quia « idem Verbum Dei, quod descendisse de cœlo dixit, etiam tunc, cum in terra loquitur, in cœlo esse testatur Scriptura. *Nemo enim*, inquit [1], *ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis, qui est in cœlo.* Quis quæso est, qui hic loquitur? Christus utique. Ubi autem tunc erat, cum loqueretur? In terra scilicet. Et quomodo se et e cœlo, cum natus est, descendisse; et cum loquitur, in cœlo esse testatur; et eumdem se filium hominis esse dicit, cum utique et e cœlo, nisi Deus, descendere non potuerit; et cum in terra loquitur, in cœlo utique nisi per Dei infinitatem esse possit. » Denique: « Descendit e cœlo Verbum Dei; ascendit autem filius hominis: ipsum autem ascendisse dicit, quem descendisse. Ergo vides quod idem et filius hominis, qui et Verbum Dei. »

Ita Capreolus Carthaginensis episcopus in epistola ad Vitalem et Constantium [2] eadem Christi apud Joannem verba declarans, « Certe adhuc, *inquit*, loquebatur in terra, nec ad Patrem, post victoriam passionis, et gloriam resurrectionis ascenderat; et tamen filium hominis jam in cœlo esse dicebat. Hoc utique omni veritate testificans, quia et propter hominem Deus conversabatur in terra, et propter Deum homo habitabat in cœlo. » Non ergo ubique caro, id est homo, erat; sed quia unus, id est una est cum Verbo persona, ubi natura erat una, ibi secundum hanc tota fuisse persona dicitur. Itaque nonnullis interpositis, de Dei filio sic ait [3]: « Nam et in cœlum receptus, illuc eum levavit, unde nunquam ipse discessit. »

V. Idipsum et Leo papa non obscure significat, dum per ascensionem in cœlum humanitate longius a terris abfuisse Christum asserit. « Tunc igitur, *inquit*, dilectissimi, filius hominis Dei filius, excellentius, sacratiusque innotuit, cum in paternæ majestatis gloriam se recepit: et ineffabili modo cœpit esse divinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior. »

Et in epistola decima ad Flavianum aperte satis, quod naturæ corporis convenit, ut certo loco contineatur, id in Christo eamdem habere demonstrat, cum naturam utramque proprietates suas retinere salvas, et integras sine aliqua decessione docet [4]. « Tenet enim, *ait*, sine defectu proprietatem suam utraque natura. Et sicut formam servi Dei forma non adimit; ita formam Dei servi forma non minuit. » Eodem et illa spectant: « Invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris. Incomprehensibilis voluit comprehendi. » Item, « Agit utraque forma cum alterius communione quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est. » Proprium autem carnis est de loco in locum migrare. Tum illud: « Et sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recessit, ita caro naturam nostri generis non reliquit. »

Chrysologus Sermone 63. qui est de suscitatione Lazari, de his agens Christi verbis, *Quia non eram ibi*, sic scribit: « Et erat locus, ubi non erat Christus? Et quomodo non erat ibi, unde mortuum Lazarum discipulis nuntiabat? Fratres, erat ibi Christus Deus, sed ibi non erat homo Christus. »

VI. Fulgentius iis accedat: qui in Responsione ad inquisitionem secundam Ferrandi, « Sicut eodem tempore totus, *inquit*, in cœlo, et in terra non cessabat Christus operari: sed solius divinitatis fuit, et loco non teneri, et quæ ad gubernationem universitatis pertinent, cum Patre naturaliter et æqualiter operari. » Et in libro secundo ad Trasimundum, diserta, et exquisita disputatione confirmat Christum ita immensum esse divinitate, ut humanitate sit localis. Nam cum in antecedentibus capitibus [5], Christum probasset, qua Deus est, immensum esse, idque capite 17. ita conclusisset; « Filius ergo Dei tam auctoritate divina, quam sanctorum Patrum fideli veracique sententia, secundum divinam naturam, infinitus, immensusque probatur, ubique præsens, omnia replens; » mox de humanitate ista subtexit: « Quia vero idem filius Dei verus Deus natus de Deo Patre, verus homo pro nobis factus est ex homine, etc. quæ fuerunt veræ divinitatis non amisit, et quæ sunt veræ humanitatis accepit. Unus idemque secundum carnem de matre temporaliter natus, qui secundum divinitatem de Patre permanet sempiter-

[1] Jo. 3. 17. — [2] Pag. 46. — [3] Ibid. pag. 57.

[4] Leo ad Flav. c. 3. — [5] Maxime 15. et 16.

nus : unus idemque homo localis ex homine, qui est Deus immensus ex Patre ; unus idemque secundum humanam substantiam, absens cœlo, cum esset in terra, et derelinquens terram, cum ascendisset in cœlum: secundum divinam vero immensamque substantiam, nec cœlum dimittens, cum de cœlo descendit, nec terram deserens , cum ad cœlum ascendit. Quod ipsius Domini certissimo potest cognosci sermone ; qui ut localem ostenderet humanitatem suam, dicit discipulis suis [1], *Ascendo ad Patrem meum, et ad Patrem vestrum*, etc. » Addit et alia Scripturæ loca, quæ nos capite septimo fere commemoravimus. Ac sequenti capite, quod est 18. idem Fulgentius Christum hominem hoc etiam tempore, cum in cœlo cum Patre regnat, ubique sola esse divinitate, humanitate vero non ubique esse demonstrat. Ac recensitis illis verbis Actuum apostolorum, quibus videntibus discipulis ascendisse narratur in cœlum, et inde venturus ad judicium, « Cum ergo caro Christi localis, *inquit*, absque dubitatione monstraretur, divinitas tamen ejus ubique semper esse, Paulo testante, cognoscitur, qui fidelibus dicit [2], *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur, Christi ?* Quomodo autem in eo loqui potuit, si in illo non fuit ? vel quomodo corporaliter ascendit in cœlum, et in suis fidelibus esse prædicatur in terra, si non est in illo divinitatis immensitas, quæ cœlum implere possit et terram ? » Rursus in libro tertio ad Trasimundum, capite 34. « Idem, *ait*, atque inseparabilis Christus, secundum totum hominem, quem accepit, terram localiter deserens, ad cœlum ascendit, et in dextris Dei sedet, secundum eumdem totum hominem venturus ad judicandum vivos, et mortuos. »

VII. Fulgentii discipulus Ferrandus in epistola ad Severum, naturas Christi duas hoc ipso probat argumento, quod ceteroqui non posset in certo loco eadem, et ubique esse natura [3] : « Movetur adhuc quæstio, *ait*, si una est natura Christi, aut ubique diffusa est, aut localis. Si ubique diffusa, quare verba Symboli sic recitamus : Tertia die a mortuis resurrexit, ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Patris ? Quis respondebit mihi, si ubique diffusa est natura Christi, quomodo ascendit in cœlos ? si ubique diffusa est, quomodo specialiter de ea dicitur, Sedet ad dexteram Patris ? Sed si localis est, certe sapientia Dei, quæ est Christus, attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter, et ubique est. Quod recedens a discipulis suis secundum præsentiam carnis, Ecce ego, ait, vobiscum sum , usque ad consummationem seculi. Erubescamus ergo duas negare naturas, ut in uno Christo appareat quæ natura sit æqualis Patri, quæ minor Patre ; quæ passibilis, quæ impassibilis ; quæ visibilis, quæ invisibilis ; quæ ubique diffusa, quæ localis ; dum tamen unus sit Christus, et æqualis et minor, et impassibilis et passibilis, et invisibilis et visibilis, et ubique diffusus et localis ; totus æqualis, non totum æqualis ; totus minor, non totum minor ; totus invisibilis, impassibilis, ubique diffusus, sed non totum. »

Maxentius in Dialogo secundo [4], asserente Nestoriano, non posse divinam naturam in unius personæ compositionem cum humana venire ; « quia non potest incircumscripta, et ubique diffusa natura, circumscriptæ, et in parvo loco constitutæ naturæ secundum compositionem uniri, nisi forte aut divinitatis contractionem, aut carnis extensionem factam impie fateris : » refellit eum exemplo animæ rationalis, quæ cum corpore conjungitur [5]. « Si ergo, *inquit*, anima quæ non est corpus, sed spiritus, carni secundum compositionem unita , nullam contractionem in minore , nullam extensionem in majore patitur membro, sed sine sui confusione, tota in majore , tota esse creditur in minore : quo pacto divinitas Dei Verbi secundum compositionem propriæ carni unita, contractionem , aut extensionem , sive confusionem sustinuisse credenda est ? Exemplo enim animæ ad carnem factæ unitionis, quam secundum compositionem fieri non negasti, omnes doctores Ecclesiæ, et illustres viri, Dei Verbi ad propriam carnem factam docere monstrantur. »

VIII. Vigilius in libro contra Eutychen [6], similiter naturas Christi duas affirmat, ut unius ratione sit ubique ; secundum alteram certo loco contineatur. Nam iturum se ad Patrem, et a discipulis suis, atque ab mundo ipso recessurum se esse dixit, cum tamen a Patre nunquam discesserit, « nec sit aliquis locus divinitatis ejus præsentia vacuus. Sed hoc erat ire ad Patrem, et recedere a nobis , auferre de hoc mundo naturam, quam susceperat ex nobis. » Tum angelorum vocem refert [7], qui Jesum ita venturum in fine mundi dixerunt, quomodo eum discedentem vide-

[1] Joan. 20.— [2] 2. Cor. 13. 3.— [3] Ferrand. to. 3. Bib. PP. col. 340.

[4] Tom. 4. Bibl. col. 475 A.— [5] Ibid. E. — [6] Vigil. lib. 1. to. 4. Bibl. 495. C. D. — [7] Act. 1.

rant. Necnon illud ab eodem Christo promissum apostolis [1], *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* « Quia quos reliquit, et a quibus discessit, humanitate sua non reliquit, nec deseruit divinitate sua. Per formam Dei, quæ non recedit a nobis, in terris præsens est nobis ; tamen et præsens, et absens ipse unus idemque est nobis. » Idem et in libro secundo disserit [2]. Et in quinto pulcherrime, ac disertissime [3], « Deinde, *inquit*, si Verbi, et carnis una natura est, quomodo cum Verbum ubique sit, non ubique inveniatur et caro ? Namque quando in terra fuit, non erat utique in cœlo. Et nunc quia in cœlo est, non est utique in terra : et in tantum non est, ut secundum ipsam Christum spectemus venturum de cœlo, quem secundum Verbum nobiscum esse credimus in terra. Igitur secundum vos, aut Verbum cum carne sua loco continetur, aut caro cum Verbo ubique est, quomodo una natura contrarium quid, et diversum non recipit in seipsa ? Diversum est autem, et longe dissimile, circumscribi loco, et ubique esse. Et quia Verbum ubique est, caro autem ejus ubique non est, apparet unum, eumdemque Christum utriusque esse naturæ, et esse quidem ubique secundum naturam divinitatis suæ, et loco contineri secundum naturam humanitatis suæ ; creatum esse, et initium non habere ; morti subjacere, et mori non posse. Quorum unum illi est ex natura Verbi, qua Deus est ; aliud ex natura carnis, qua idem Deus homo est. »

IX. Arnobius junior in conflictu cum Serapione naturas Christi duas eodem modo discernens, unam dicit esse, « qua videntibus apostolis, elevatus est in cœlos, et sedet ad dexteram Patris : alteram, qua de sinu Patris non abscessit : sed semper in Patre, et cum Patre fuit, et esse non desinit. » Quod enarrare pluribus pergit.

Beda insuper ad illa Joannis verba, capite primo, *Erat lux vera*, sic adnotat : « Cujus utramque naturam, et divinam videlicet, qua semper ubique totus manet, et humanam, ex qua in tempore natus, loco inclusus apparuit, consequenter Evangelista describit dicens, In mundo erat. »

Stephanus Æduensis episcopus libro de Sacramento altaris, capite sexto [4], « Qui spiritus est incircumscriptus, *ait*, Sanctus Sanctorum, Deus homo factus, in utero Virginis circumscriptus. »

Sic Adelmanus in epistola ad Berengarium, « Quia enim ex duabus naturis, *inquit*, diversis, altera circumscripta, altera incircumscripta, compersonatus erat ; per circumscriptam de loco ad locum transmigrabat ; per incircumscriptam vero, qua illocabiliter ubique est totus, cum eis remanebat : nec tamen filium Dei a filio hominis separabat. Denique et priusquam filius hominis actu ascenderet in cœlum, cum filio Dei ibi erat, ipso attestante, ubi ait [5] : Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo. Si ergo ibi erat per unitatem personæ, quo nondum ascenderat per proprietatem naturæ ; propter eamdem unitatem cœlum ascendens, cum hominibus in terra remanebat. »

X. Anselmus in libro de Sacramento altaris, capite tertio, recte admonet, « Christi carnem [6] non debere sapere nos secundum carnem. Nam etsi Christum secundum carnem novimus, sed nunc jam non novimus. » « Rursumque carnis veritatem non sic debemus, *inquit*, quasi spiritaliter ruminando attenuare, ut naturam Verbo Dei unitam, non tamen in Verbum mutatam, quasi ratiocinando videamur destruere. » Itaque spiritale corpus illud esse, et post ascensum ad dexteram Patris elevatum, id est ad majestatem, *et ea, quæ majestas illa habet potiora,* docet in capite sequenti [7]. « Nec tamen naturam corporis Dominici, *ait*, ubique esse dico ; quia nec opus est, nisi ubi ipse vult, et nisi fidei certo sacramento hoc operatur, ad quod assumpta est, et glorificata, mysteriis videlicet salvationis humanæ, etc. Deus enim solus necessario ubique est, quia cum omnia in ipso constent, nec posset esse, ubi illum constringeret deesse. » Mox « in diversis locis uno horæ momento esse posse corpus Christi » asserit, « sed lege creatricis naturæ, non creatæ. »

Denique cum nec ubique sit corpus Christi, et tamen alibi, quam in cœlo, esse constet, hanc regulam proponit, ut ibi sit, *ubicumque exigit res salutis humanæ ;* et ita sit, uti eadem postulat salus. « Sicut enim exigit necessitas salutis humanæ (pergit capite quinto) ut adsit ubi opus sit ; sic etiam exigit, ut sic adsit corpus ejus, sicut opus est. » Quare non amplius aspectabilem se hominibus præbet : cujusmodi præsentia necessaria tunc erat, « cum natura nostra ejus morte redimenda fuit. Non enim aliter crucifigi potuit, nisi ex infirmitate, et nisi in manifestatione carnis, et distinctione

[1] Matt. 28. — [2] Col. 502. — [3] Id. lib. 5. col. 515. E.

[4] To. 6. Bib. 371. E.—[5] Joan. 3.—[6] 2. Cor. 5.—[7] Ans. c. 4.

membrorum exhiberet se talem, qui crucifigi posset. » Nunc autem necessaria nobis ejus est præsentia, qua manducari, bibique possit, factus nobis cibus et potus. Quæ obiter dicenda fuerunt, ne ex *Ubiquistarum* confutatione, et inepti reprehensione dogmatis, aliquid ad causam suam profici putarent non minus impii *Sacramentarii*, qui in alterum revoluti morbum insaniæ, Christum ita cœlo alligant, ut ne sacramentali quidem præsentia nobiscum versari patiantur. De quo dicetur suo loco pluribus.

Rupertus in commentario in Joannem, ejusque verba ista, *In propria venit*, hæc scribit[1] : « Venit autem non localiter. (Deus quippe est, unde et constat, quia ubique est.) Venit sane non de loco ad locum transeundo ; sed qui erat invisibilis, visibilem se exhibendo. Nam in mundo erat per divinitatem, cujus est esse, vel manere : venit autem in mundum per humanitatem, cujus est ire, et de loco ad locum transire. »

Hugo item a S. Victore, quæstionem hanc ex professo disceptans[2], « Noli itaque dubitare, *ait*, ibi nunc esse hominem Jesum Christum, unde venturus est, (nempe in cœlo,) quo ire visus est, in forma carnis, atque substantia. Cui profecto immortalitatem dedit, carnem non abstulit. Secundum hanc formam non est putandus ubique diffusus. Cavendum est enim, ne ita divinitatem astruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non est consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique sicut Deus. » Quod pluribus demonstrat ; atque ita demum concludit[3] : « Christum autem Dominum nostrum unigenitum Dei filium, æqualem Patri, eumdemque hominis filium, quo major est Pater, et ubique non dubites esse totum præsentem, tanquam Deum, et in eodem templo Dei esse totum præsentem, tanquam inhabitantem Deum ; et in loco aliquo cœli, propter veri corporis modum.

CAPUT DECIMUM.

Ex superioribus Patrum testimoniis colliguntur rationes, ob quas immensitas divina naturam humanam formaliter non afficit. — 2. Quarum præcipua est, quod non possit communicari proprietas aliqua divina, quin natura ipsa communicetur, ita ut Deus formaliter sit id, cui applicatur. — 3. Non eo modo communicari divinam naturam, ejusve proprietates humanæ naturæ. Enuntiationum genera duo, συμβάματα, et παρασυμβάματα, ex Stoicis explicata. — 4. Ubiquistarum sophisticæ cavillationes diluuntur. — 6. Ex æternitate maxime confutantur : quæ certe humanitati non communicatur, cum non sit ab æterno. Fucus eorumdem negantium immensitatem esse proprietatem divinitatis. — 7. Eorumdem hæreticorum latens venenum, opinantium in unitione hypostatica non divinas ipsas proprietates, sed dona Spiritus sancti creata in communionem cessisse. — 8. Quæ opinio confutatur. — 9. Anonymi Cyrillomastigis, qui libro sexto refutatus est, calumniæ in Cyrillum, quem Ubiquistam facit. — 10. Evertuntur eædem, locis iis expositis, unde falsa suspicio petitur.

I. Veterum illæ sententiæ Patrum, quas superioribus duobus capitibus collectas dedimus, utilitate duplici probantur. Nam et argumenta continent ad astruenda dogmatis catholici fidem idonea ; et ad illa dissolvenda, quæ ab hæreticis opponuntur, rationes offerunt firmas imprimis et expeditas. De utroque dicam breviter. Ut enim pluribus opus minime sit, fecit aliorum diligentia, qui hoc jam argumentum occuparunt. Si quis igitur antiquorum illa testimonia, et quæ a nobis omissa forsitan legendo reperiet, accurate perpendat, in eam conspirare rationem animadvertet, quæ ex naturarum perfectione, ac discrimine petitur. Idcirco enim circumscriptum loco esse hominem in Christo, nec divinitatis instar immensum, et usquequaque diffusum sentiunt ; quod ea sit humanæ naturæ proprietas, et corporis, sine quo constare non potest, uti certos habeat terminos, ac sua quantitate definiatur. Quare utut ἐνεργείᾳ, et derivatione quadam omnipotentis efficientiæ, quemadmodum in pluribus reipsa locis inest, sic in omnibus collocari potest Christi corpus ; non ita tamen ut immensitatem ipsam habeat in sese, qua immensum est Verbum, et ea, velut forma quadam interiore, sit affectum : verum ut effectu solo, et adventitio quasi fructu gaudeat, non tam immensitatis divinæ, quæ actuosa non est, quam omnipotentiæ, ac voluntatis.

[1] To. 2. p. 213. col. 1.

[2] To. 3. l. 2. de Sac. fid. Par. 1. c. 13. — [3] 276.

II. Ac profecto, cum eadem sit ratio proprietatum omnium, quæ Deo tribuuntur, tum inter se, tum cum ipsa Dei natura, et essentia, fieri nequit omnino, quin, una aliqua communicata cum altero proprietate, reliquæ omnes, et ipsa quoque natura communicetur: atque eodem modo participentur omnes, quo illarum quælibet applicata fuerit. Itaque si est *essentialis*, et *formalis*, ut vocant, cujuslibet proprietatis, vel divinitatis communicatio, necesse est totum illud, quod est Deus, vel quod nostro intelligendi modo habere dicitur, in acceptum transeat, et in eo, quod subjecti instar est, *formaliter* insit, et illud denominet. Atque hoc principium latissime patet, et in omni Theologia dominatur. Huic enim, velut fundamento, illa est innixa demonstratio, qua Verbum, adeoque Christum, verum esse Deum, ejusdemque cum Patre dignationis Catholici adversus Arianos comprobarunt. Sive enim germanum illum Dei Patris esse filium, ac vere ab eo genitum, e Scripturarum auctoritate confecerant; ut propterea transfusam in ipsum Dei esse naturam necessario sequeretur: quod reliquum erat, facile colligebant, eadem cum Patre esse præditum æternitate, omnipotentia, immensitate, ceterisque, quæ dici attributa solent. Sive unum aliquod ex iis attributis convenire Dei filio eadem Scriptura teste persuaserant: perinde hoc in essentia, et proprietatibus reliquis obtinebant. Simili in propugnanda Spiritus sancti divinitate contra Pneumatomachos via grassati sunt nostri. Quod utrumque ex secundo tomo dogmatum nostrorum constare potest, in quo de divinis personis, et earum statu adversus hæreticos illos disputantes, illa ipsa ratiocinandi præsidia comparavimus.

III. Quocirca propter hanc divinarum personarum in eadem essentia communionem, vel identitatem potius, earum quælibet Deus est, et omnipotens, et æterna, et immensa, et si quid aliud de Deo convenienter dicitur; quoniam tum divinitas ipsa, tum ejus *attributa* omnia tres ex æquo personas afficiunt; imo et divinitas, et omnipotentia, et æternitas, et immensitas, est persona quælibet. At in Verbi incarnatione, pro eo atque dissimilis est mutua inter se naturarum accommodatio, dispar est etiam communio proprietatum, ac denominandi usus a priore diversus. Non enim natura divina cum humana per se conjungitur, neque tanquam forma in ea recipitur: ut quemadmodum Verbum, sic assumptam humanitatem Deum faciat, vel omnipotentem, vel immensam. Verum humana cum Verbo natura, hoc est cum persona divina conjungitur, in eaque subsistit, et ab illa terminatur. Itaque Deus, et omnipotens, et æternus, non humanitas ipsa, sed persona in utraque natura subsistens dicitur: humanitas vero quatenus et ipsa subsistit in Verbo, in Deo, omnipotente, et æterno, immensoque subsistit; et hæc habere omnia dicitur, divinitatem, omnipotentiam, æternitatem. Deus autem, et omnipotens, et æternus, homo, id est suppositum hominis, perinde ac Dei, et omnipotentis, æternique, nominatur. Nec est consequens hunc hominem, qui est Christus, qua est homo, Deum esse, vel æternum, vel immensum: sicut filius Dei, qua filius Dei est, Deus est, et omnipotens, et immensus. Siquidem reduplicantes enuntiationes sensum, ut dialecti loquuntur, *formalem* continent, qui *essentialem*, et *formalem* unitatem sequitur: cujusmodi in naturis Christi duabus neutiquam cernitur.

Hinc apparet, alio prædicandi modo divinas proprietates humanitati Christi tribui, quam Christo ipsi, vel supposito. Siquidem de illa non recte, nec absolute dicuntur, hoc modo: *Natura humana est Deus, vel omnipotens*, etc. sed oblique: *Natura humana subsistit in Deo*; vel *habet divinitatem, et omnipotentiam*; aut in eamdem cum illis personam convenit. At vero de Christo recte, absoluteque prædicantur; sed ita ut de duabus, quas obtinet, naturis unius duntaxat ratione dici illud intelligamus. Atque hæc duo sunt *enuntiationum*, vel *constructionum* genera, quæ ita distinguebant Stoici, Prisciano teste [1]; ut alia sint ἀξιώματα, vel συμβάματα, *quæ per nominativum absolvuntur*; velut est, Cato philosophatur, Petrus est albus: alia παρασυμβάματα dicantur, in quibus obliquus casus assumitur; ut cum dico, *Cicero patriam servat*. Cui simile hoc est, humana natura divinæ conjungitur, vel in ea subsistit.

IV. Hujus in affirmando, enuntiandoque diversæ rationis et proprietatis veram, ac germanam attigit causam Athanasius, et quemadmodum nuperis istis hæreticis resistere oporteat, ostendit in libro de incarnatione Christi; ubi adversus Apollinaristas disserit, quorum propago quædam est Ubiquistarum hæresis. Sic enim illos argumentantes inducit: « (1) Increatum quiddam facta est caro ex eo, quod

(1) ATHAN. tom. 1. pag. 481. Ἀλλὰ λέγετε, ὅτι ἄκτιστον γέγονεν ἐν τῇ ἑνώσει τῇ πρὸς τὸν ἄκτιστον.

[1] Prisc. initio l. 18.

increato est unita. » Quibus ita respondet. Primum absurdum esse docet increatam dicere esse carnem ; cum in tempore, et ex utero B. Virginis initium ceperit, nec statim perfectus homo prodierit, sed per ætatum incrementa progressum habuerit. « (1) Atqui si eo ipso, quod cum increato copulatus est homo, increatus est factus, cur non statim absolutus, ac perfectus apparuit ? » Deinde veram ac germanam rationem subjicit, qua proprietates hujusmodi in hoc incarnati Verbi mysterio de homine prædicentur. « (2) Nam quod increatum est, secundum naturam increatum dicitur : ac neque incrementum, neque diminutionem recipit. Quod autem communionem habet cum increato, vel ei unitur, proprium quidem dicitur increati ; non tamen ipsummet increatum vocatur. » Præclare omnino prædicationis, enuntiationisque modum aperit Athanasius, quo de assumpto homine divinæ proprietates affirmantur. Non enim, ut homo est, increatus, aut omnipotens, aut immensus dicitur : quoniam hæc attributa secundum naturam, et essentiam usurpantur, in qua proprie, ac *formaliter* non fit unitio. Dicuntur tamen illa hominis propria, propter ambarum naturarum conjunctionem. Quemadmodum et divinitas ipsa non sic assumptam naturam afficit, uti Deus denominetur ; sed tantummodo divina, hoc est a Deo possessa peculiari, tamen et substantiva ratione, et illius propria.

V. Ex his omnes Ubiquistarum cavillationes, et παραλογισμοὶ nullo negotio diluuntur. Qui quidem in hoc propemodum argumentum recidunt[1] : *Deus omnipotens est, et ubique præsens. Homo in Christo, Deus factus est. Igitur homo in Christo omnipotens, et ubique præsens est.* Sed perspicuus est fucus istius syllogismi. Nam vox *homo* non suppositum ipsum Christi, sed humanam naturam significat. Non enim persona ipsa Christi, Deus esse factus dicitur. Itaque Verbum illud *factus est*, sive simplex substantivum *est*, non habet *formalem* sensum, sed *personalem*, et obliquum : ut sit, homo, vel natura hominis in Christo, in eamdem personam cum Deo conjungitur. At in conclusione, verbum *est*, in *formali* sensu capitur ; ut et in majori propositione. Quæ notionum eidem verbo subjectarum ambiguitas, captionis sophisticæ laqueos innectit. Quod si sublata voce, *factus*, in minori propositione, ita diceretur : Homo Christus Deus est, vel potius, hic homo Deus est : igitur hic homo est omnipotens, etc. tunc recto et *formali* sensu enuntiatio procederet. Quippe hic homo Deus est, sed non ut homo est. Quare non ut homo est, omnipotens, et immensus erit ; sed qua idem Deus est : cum sit homo pariter, ac Deus.

Sic illud hæresis ejusdem firmamentum, nec diversum a priori refellitur[2] : *Cui omnia data sunt, huic nihil denegatum est.*[3] *Christo homini omnia data sunt. Nihil ergo illi denegatum est a Deo.* « Cum igitur inter ceteras partes majestatis, hæc quoque non sit postrema, ut pro ratione, et natura dexteræ Dei ubique præsens sit ; sequitur, eam Christo homini non negatam, sed vere etiam communicatam esse. » Hæc Ubiquistæ contra Palatinos disputantes. Quibus respondendum est, Christo homini revera data illa omnia, quæ sunt propria divinitatis, sed non eo modo, quo sunt hujus propria ; hoc est ut *essentialiter*, ac *formaliter* insint, et afficiant humanam naturam : verum ut *personaliter*, sive ratione personalis unitionis conveniant. Ex hoc vero personalis communicationis modo, non efficitur recta et *formalis* affirmatio unius de altero, quam enuntiatio directa significat ; sed obliqua duntaxat, quam παρασύμβαμα Stoici nominabant.

VI. Atque hoc in aliis quibusdam Dei proprietatibus licet cernere, quæ Ubiquistarum insulsam hæresim apertius convincunt : ut est illa, de qua proxime ante diximus ex Athanasio, æternitas, initioque carens perpetuitas existendi. Hæc enim non minus, quam reliquæ proprietates, cum divinitate connexa sic est, ut hæc absque illa communicari nequeat. Ecquis autem ex eo colligat, humanam Christi naturam, æternam et initio carentem fuisse ? Atqui vere dicimus, Christum, sive hunc hominem, qui non homo simplex, sed Deus et homo est, æternum esse, et *ininitiabilem*, ut latini Patres loquuntur : sed ejus, quam habet, et in qua ut homo subsistit, naturæ divinæ personæve ratione ; non humanæ, vel quatenus homo est.

In quo illud eorumdem hæreticorum valde est ineptum, quod Palatinis adversariis responderunt[4]. Nam cum negarent isti, ob eam

(1) Ibid. Εἰ τοίνυν ἄκτιστος τῇ ἑνώσει γέγονεν, πῶς οὐχ αὐτοτελὴς ὤφθη ;

(2) Ibid. Τὸ γὰρ ἄκτιστον, τῇ φύσει λέγεται ἄκτιστον, μήτε αὔξησιν, μήτε ἐλάττωσιν ἐπιδεχόμενον. Τῷ δὲ ἀκτίστῳ κοινῆσαν, ἢ ἑνωθὲν, ἴδιον μὲν τοῦ ἀκτίστου λέγεται· οὐ μὴν αὐτὸ ἄκτιστον.

[1] Vide Epit. Coll. pag. 68. — [2] In Epit. pag. 82.

[3] Joan. 3. et Matt. 28. — [4] In Epit. ibid.

causam, quod omnia Christo data sunt a Patre, præsentiam omnibus in locis esse concessam, « quod ea non sit donum Spiritus sancti : quæ communicata naturam humanam in Christo aboleret. Esse enim proprietatem Dei substantialem, sive essentialem, quæ nulli creaturarum possit communicari. » Ubiquistæ vicissim hoc objecerunt : « In omnibus locis esse præsentem, non posse dici proprietatem essentialem in Deo. Deus enim fuit, priusquam cœlum, et terra essent condita. »

Verum ridicula est, et puerilis hæc animadversio. Ac primum illud sine ulla dubitatione tenendum est; non minus immensitatem, sive ut illi vocant, *omnipræsentiam*, proprietatem esse Dei *substantivam* et *essentialem*, quam ceteras omnes, et ipsam adeo omnipotentiam, et æternitatem. Deinde non est existimandum, immensitatis istius in eo sitam esse rationem, ut reipsa, et *actu* in omnibus existat Deus, cum infinito ante spatio, quam creata res extaret ulla, Deus æternus, omnipotens, et immensus fuerit. Sed eam notionem illius esse, ut nulla res possit esse, in qua non insit Deus, eamque repleat. Sicut omnipotens non propterea dicitur, quod reipsa dominatum, et potentiam in res omnes exequatur ; vel quod aliquid effecti, ac procreati habeat : pro diversa omnipotentiæ significatione, de qua alibi scripsi [1]. Sed quod omnia, quandocumque libitum erit, efficere, et effectis dominari possit.

VII. Neque vero prætereundum hic est, majus quoddam, et exitiosius sub illa Ubiquistarum ratiocinatione latere venenum, cum ex eo datam homini Christo immensitatem esse probant, quod omnia illi data esse dicantur. Non enim proprietates ipsas divinas, ac cujusmodi in Deo, vel potius Deus sunt, intelligi volunt : sed dona quædam Spiritus sancti, et divinis illis respondentes, creatas nescio quas proprietates, velut omnipotentiam creatam, et creatam similiter immensitatem; ut hæ qualitates quædam, ac formæ sint, in humanitatem ipsam receptæ, quibus omnipotens, et immensa *formaliter* sit, et esse dicatur.

Sic Ubiquistarum sententiam interpretati sunt Palatini Sacramentarii in Mulbrunnensi colloquio. Cum quidem illi sic essent locuti [2]: « Naturam humanam non commutatam esse in divinam : sed divinam naturam humanæ suas proprietates communicare : hinc sequi, alio modo hominem Christum sapientem, justum, omnipotentem, et ubique præsentem dici, quam Deum ipsum. Siquidem in Deo hæc commemorata omnia οὐσία sunt, et simplicissima essentia : in homine autem Christo, non essentia, sed donum, eique omnipotenti virtute Dei communicata esse. » Ex his verbis illud recte colligitur, omnipotentiam, et immensitatem illam, quæ humanæ Christi communicata naturæ est, et qua omnipotens, et immensa facta est, ex Ubiquistarum opinione, non eam esse, quæ in Deo ipso residet, et qua omnipotens hic est, et immensus ; sed esse creatum quippiam, utpote donum, et ab omnipotenti Dei virtute profectum. Nam si easdem illas proprietates, quæ in Deo sunt, communicatas esse naturæ humanæ crederent, frustra negarent eodem modo hominem Christum sapientem, justum, et omnipotentem, immensumque esse, quo Deum ipsum. Quamvis enim *modi* vox ambigua est, et vel agentem ad causam, vel ad *formalem* refertur : tamen in istis locutionibus, cum formæ, et qualitates subjectis rebus attributæ, inter se comparantur, nonnisi causa formalis solet intelligi. Sic enim Sethum, exempli causa, non alio modo esse ratione præditum, vel doctrinæ capacem dicimus, quam illius parentem Adamum. Quippe formam ipsam significari intelligimus in *modi* vocabulo, qua est intelligens, et rationis disciplinæque particeps, nempe rationalem animam. Atqui non eodem, quo Adamus, modo procreatus est Sethus, et naturam hominis, ejusque dotes proprias accepit. Verum ad efficientem causam, non ad *formalem*, discrimen illud pertinet. In ejusmodi vero loquendi generibus, non tam illius, quam hujus haberi ratio consuevit. Filium ecce si quis asserat, non eodem modo esse sapientem, vel æternum, vel omnipotentem, quo est Pater ; aut idem de sancto Spiritu affirmare audeat : quis illum Catholicus ferat, et non tanquam hæreticum detestetur ? Et tamen non est dubium, interesse plurimum inter eum modum, quo Pater Deus, et omnipotens est, et quo Filius vel Spiritus sanctus. Sed hæc differentia, ex originis modo, non ex proprietatis ipsius conditione petitur.

VIII. Haud absimili ratione, Ubiquistæ dupliciter usurpare poterunt hanc enuntiandi formulam, Homo Christus non eodem modo omnipotens est, et immensus, quo Deus est. Primum, ut quamvis eadem omnipotentia, et

[1] Tom. 1. l. 5. c. 5.

[2] Epit. pag. 84.

immensitate, quæ est in Deo, ambo esse ista, dicatur; non eadem tamen ratione sit consecutus, quoniam Deus ex se ipso, et ab omni æternitate illa possidet; homo vero gratuito quodam munere, et in tempore idem illud obtinuit. Deinde, ut alia sit forma talem reddens ac denominans hominem Christum; utpote creata, et genere, essentiaque dispar: qui sensus illorum dictis subesse videtur; uterque autem ex æquo falsus, et execrandus est.

Nam prior naturas inter se duas miscet ac confundit, divinitatem humanitate commutans, et hanc illa vicissim. Siquidem humanæ ipsi naturæ, tanquam formam, applicat divinitatem, ejusque proprietates omnes; quæ Deum *essentialiter* faciunt id, quod *formaliter* afficiunt. At posterior non minus impius, ac ridiculus est. Non enim creata ulla potest esse omnipotentia, aut æternitas, aut immensitas. Et quamvis præfracte quis ejusmodi dari posse contendat; certe non potest in Christum illa convenire. Quippe communio illa proprietatum, quæ ex substantiva unitione oritur, mutuam substantiarum ipsarum, sive naturarum communicationem sequitur; ejusdemque modi, ac rationis est, hoc est personalis, non *essentialis*, ac formalis ex Catholicorum sententia. Etenim qua ratione divinitas ipsa humanitati, ac vicissim hæc illi communicatur, et adjungitur; eadem, et proprietates ambarum sibi invicem attribuuntur, et adhærescunt: ut quoniam divina humanæ natura, non per se, nec proxime, sed per subsistendi modum proprium copulatur, et in unum coalescit, non essentiali sed personali conjunctione, sic etiam divinæ proprietates humanitati, et humanæ divinitati communicentur, quatenus in unam ex ambabus naturis conflatam personam conveniunt. Quamobrem ex posteriori Ubiquistarum interpretatione, consequens erit, creatam aliquam divinitatem in humanitatem esse transfusam, et ad hanc adhærescere; uti et omnipotentiam immensitatemque creatam. Quod dictu non magis est impium, quam absurdum ac stolidum. Tum hoc ipso naturarum, proprietatumque communio funditus tolletur. Non enim divinæ proprietates revera communicantur : quæ creatæ esse nequeunt : atque ita sensim ab Eutychiana hæresi ad Nestorianam, et Photinianam, Ubiquistarum opinio devolvitur. Sed de hoc ludicro et inepto commento nimium multa; de quo plura nosse qui volet, habet unde desiderio suo satisfaciat, luculentos de hoc argumento commentarios Gregorii a Valentia. Nos pauca his addemus contra recentiorem hæreticum, qui fœdissima hac labe beati Cyrilli famam, ac memoriam contaminare est ausus, asserens eum Christi carnis *omnipræsentiam*, et immensitatem statuisse. De hoc igitur, postremo loco hic agendum.

IX. Sed ante omnia conflictio secum ipsius, et dictorum repugnantia prætermitti non debet. Cum enim propositum ei sit, Cyrillum Apollinaristarum, et Monophysitarum hæresis arguere; non vidit, parum cum ea congruere, quod Ubiquistarum eidem imputando errore suadere studet; carnem dici ab illo Christi ubique esse : quæ nulla profecto restare debet, si Apollinarem secutus, Cyrillus unicam tantummodo naturam admisit in Christo, humana videlicet sublata, et extincta. Itaque non cohæret illius commentum. Verum ne quid in præteritis relinquatur, ita pro Cyrillo contra vanissimum calumniatorem hic agemus, tanquam justa sit, et animadversione digna contra Cyrillum illius expostulatio.

Anonymus igitur ille, quem libro sexto confutavimus, inter alia, quæ Cyrillo nefanda, et indigna objicit, ait « illum tribuere humanitati Christi immensitatem, seu omnipræsentiam, et ubiquitatem; ita tamen ut humanitas non operetur ubique, sed tantum ubi vult : potissimum autem existere, et virtutem suam vivificam erga nos exercere in Eucharistia, et baptismo. » Cujus ille conjecturam capit ex eo primum quod Christum unam tantum esse naturam statuit incarnati Verbi; tum quod omnes ei naturæ, Verbi proprietates attribuit; vivificam nempe vim, et *omniscientiam*, ac divinitatis dotes ceteras. Atqui stulta hæc et frivola suspicio tum ex libro quarto facile discutitur [1]; in quo quæ sit illa incarnati Verbi natura declaravimus : tum e sexto [2], ubi idem adversus anonymum explicatum est : ac demum ex hoc ipso libro, cum de vivifica carnis Christi virtute disputavimus.

X. Præcipuum vero istius calumniæ capit argumentum anonymus ex Cyrilli quadam opinione, qua Christi carnem in Eucharistiæ sacramento receptam in nostris habitare corporibus existimat; nec solam vim illius, sed etiam substantiam. Ex quo effici putat, ubicumque divinitas est, ibi et humanam esse naturam. Primum [3] « quod virtus vivifica, et

[1] Cap. 5. 6. et 7.

[2] Sup. c. 2. — [3] Anon. p. 154.

suscitativa mortui sit infinita, quæ non potest recipi in subjectis finitis, qualia sunt corpora nostra, et Sacramenta. Cum igitur Cyrillus tribuat Sacramentis vim vivificam, et nostris corporibus vim quamdam seminalem effectivam resurrectionis, necessario ponit in illis naturam infinitam, quam vocat naturam Verbi incarnati. »

Ad hæc, « Nihil agit, *inquit*, in distans, quod non agat in medium. Sed si humanitas Christi in cœlo tantum existat, non aget in medium aerem. Ergo etiam non aget in terram, atque adeo nec in Sacramenta, aut corpora nostra in terra existentia. At juxta Cyrillum agit in Sacramenta, et corpora nostra, vim vivificandi eis tribuendo. » Postremo [1] ut ubique esse Christi corpus ostendat, si revera in Sacramento, et nostris corporibus existit, ea adhibet argumenta, quibus probare Sacramentarii solent, non posse corpus unum in pluribus locis simul, eodemque esse tempore.

XI. Hæc quam inepta sint, et jocularia, neque vel mediocri philosopho, nedum gravi theologo digna, per seipsa res docet. De Sacramentorum efficientia, et Eucharistiæ præsertim, differenda disputatio est in locum proprium, ubi de Sacramentis, ac de Cyrilli aliorumque veterum opinione illa disseremus. Nunc animadvertenda est anonymi stulta ratiocinatio, qui *ubiquitatem*, et *omnipræsentiam* operantis in hominibus carnis Christi, ex hac ejus operatione non aliter probare potest, quam si ubique illam agere, operarique constet. At hoc fieri nequit, nisi et ubique homines existant, in quibus operetur. Quota vero pars universitatis erunt fideles omnes, si in unum locum congregentur quotcumque fuerunt, ac deinceps sunt futuri? Ac licet totum mundum occuparent, nec pars ejus esset vacua corporibus, et in eis residente homine Christo; nondum tamen ejusmodi huic *ubiquitas*, et *omnipræsentia* conveniret, quam *Ubiquistæ* Lutherani commenti sunt; et quæ naturarum permistionem, et extinctionem trahit secum, ob idque catholica auctoritate damnatur : quam quidem solam anonymus Cyrillo conatur impingere. Etenim, uti supra notavimus, *ubiquitas* illa divinum est attributum, quod solam divinitatem afficit, nec inferiori cuipiam naturæ communicari sic potest, ut *formaliter* in ea sit, et hanc, velut rem subjectam qualitas, aut forma, denominet. Quare non est hoc divinæ omnipotentiæ detrahendum : nec temere negandum, idem corpus ubique collocari posse : non eo modo quo est ipse Deus ; *sed lege creatricis naturæ*, non creatæ, ut scribit Anselmus [2].

XII. Nam quod « virtutem vivificam, et suscitativam mortui infinitam esse » dicit, et idcirco « non posse in subjectis finitis recipi ; » hoc de principali causa, et virtute, non de administra, et instrumenti locum obtinente par est accipi, uti supra meminimus. Est autem caro Christi divinitatis instrumentum ; quod libro octavo jam ostendimus [3] : eademque Sacramentorum est ratio. Quare frustra est anonymus, nec argumentatione sua quidquam efficit. Nec minus inanis illius est labor, dum idem corpus pluribus in locis eodem tempore probat non posse constitui. Porro ineptissima illius est collectio, qua « existentiam corporis Christi in Sacramentis, et in corporibus nostris » affirmat « invehere secum immensitatem : » neque quid sit immensitas intelligit. Est enim propria illa Dei, de qua hic agitur, immensitas ejusmodi, ut omnem locum, qui reipsa, et actu est, suapte vi, et natura impleat, ita tamen ut non eo comprehendatur, sed eum potius contineat : tum ut, si quis novus aliquis existat locus, hunc ipsum eadem suapte vi occupet. Hoc vero cum nullo corpore communicari potest ; tametsi concedamus in omni penitus loco divina virtute constitutum esse quadam, ut philosophi loquuntur, replicatione sui. Sed enim oppido ridicula sunt argumenta illa, quæ ex trivio sumpsit, ut probet idem corpus pluribus in locis esse non posse. Sed non est præsentis instituti quæstionis hujus tractatio : quæ alioqui philosophi potius, quam theologi curam, ac disceptationem requirit.

Postremo, quod ad Cyrillum attinet, satis ab eo calumniam istam anonymi depellit, ac mendacii arguit, quod de integra, et sincera illius fide alibi demonstravimus, ut in libro toto fere sexto, et in hujus capite secundo : ubi naturas ambas a se mutuo differentes, salvis earum proprietatibus, ab Cyrillo agnitas esse citra confusionem, et alterutrius damnum, ex ejus verbis, ac sententiis ostendimus.

[1] Anon. p. 156. — [2] Supra c. 9. § 10.

[3] Cap. 12. § 7. et seq.

LIBER UNDECIMUS.

QUI EST DE ANIMÆ CHRISTI PROPRIIS ORNAMENTIS.

CAPUT PRIMUM.

1. De scientia Christi primo agendum proponitur; et ea multiplex distinguitur. — 2. Generatim aliam in Christo increatam, et divinam esse scientiam; aliam creatam, et humanam. — 3. Utrum hac posteriore omnia cognoverit Christus, quæ in aliqua differentia temporis existunt. Negasse Theodorum Mopsuestenum, — 4. necnon Nestorium; et, quod incredibilius est, Eutychianos aliquos. — 5. Etiam nonnullos e Catholicis existimasse, non omnia nosse Christum : cujus tamen opinionis mitigatur offensio. — 9. Opponuntur his alii, qui nihil ignorasse sentiunt. — 12. Idipsum rationibus tribus ex Joanne Damasceno collectis probatur. — 15. Deciditur controversia, et docetur nihil penitus ignorasse Christum, ne judicii quidem extremi diem.

I. Quo præstantior humani est animi, quam corporis dignitas ; eo majora, excellentioraque illius in Christo, quam hujus, esse ornamenta necesse est. De quibus agere hoc in libro decrevi, ab iis exorsus, quæ mentis, intelligentiæque propria sunt. Hæc autem ad cognitionem et scientiam omnia referuntur. Itaque de cognitione Christi prima in hac tractatione esse debet inquisitio.

Cum autem multiplex ea sit cum ex sese, tum ut in Christo Domino spectatur, prima ex omnibus, maximeque generalis est illa divisio, qua pro naturarum numero bifariam tribuitur; ut alia divina, increataque sit; alia creata, et hominis propria. Atque hæc deinde varias in species funditur. Quædam enim humano labore, et industria parta, *acquisita* dicitur : alia divinitus est infusa : tertia, omniumque primaria, *beatifica* vulgo nuncupatur, qualis inest in beatis. De his, quatenus ex theologicis nostris principiis consequi poterimus, deinceps acturi, ab illa, quam generalem esse diximus, disputandi faciemus initium, et hujus ea parte, specieque, quam humanam vocamus. Nam de divina scientia quod erat necesse, in primo tomo disseruimus toto in quarto libro.

Quamobrem illud præsentem in quæstionem deducitur, utrum in Christo, præter divinam, quæ est in Verbo, creata quæpiam, et humana scientia fuerit. Quo in loco *scientiæ* nomen latius intelligi volumus, ut non solum ejus habitum, sed etiam actionem ipsam sciendi, id est notionem, cognitionemque significet : imo hanc modo potius, quam illam ; uti tanto liberior sit, et a Scholarum dumetis longius sermo noster excurrat.

II. Duplicem in Christo scientiam, id est notitiam inesse, nec hominis deesse propriam, et creatam, eadem probant argumenta, quibus ostensum est [1], duas in eodem esse naturas, easque perfectas, et proprietatibus suis, ac naturalibus dotibus omnibus instructas : præsertim vero cum adversus Apollinarem demonstravimus, animam hominis a Verbo esse susceptam. Cujus cum duæ sint οὐσιώδεις, et substantivæ facultates, cognoscendi scilicet, et appetendi, neutra suis caret operationibus ; imo ex his illius extantia deprehenditur, et probatur. Eodem spectant illa quoque, quibus in octavo, et nono libro Monotheletarum hæresim oppugnavimus : ubi distinctas naturarum duarum functiones adstruximus, non solum carnis proprias, sed multo magis animæ, et hujus utriusque partis. Valent etiam ad idem affirmandum, quæ in quarto libro ex antiquorum sententia memoravimus [2]; Verbum interventu animæ ac mentis, cum carne esse conjunctum. Ac præ ceteris expendenda, et ad præsentem adhibenda disputationem est Apollinaristarum confutatio ; quorum argumenta omnia dissolvimus in duodecimo capite libri quinti. Horum illud erat usitatissimum, animam idcirco, vel mentem Christo detrahendam videri, ne si hanc haberet ille, humanæ in eo cogitationes po-

[1] Vide lib. 5. cap. 11. et 12.

[2] Vide lib. 4. cap. 12.

nerentur; quæ sunt peccati semina: ex quo Christum delicti capacem fuisse consequens foret. Huic argumentationi ita Patres occurrebant, ut et humana præditum cognitione Christum hominem esse faterentur, nec ea re τὸ ἀναμάρτητον illius eripi, vel imminui putarent: hos autem hæreticos ob hoc ipsum judicarent, quod humanam scientiam minime illi concederent.

Quocirca dubitari non potest, quin hæretica sit opinio, nullam in Christo creatam, et humanam esse scientiam arbitrari; ac totidem Scripturæ testimoniis, et Conciliorum decretis, Patrumque sententiis damnata sit, et confixa, quot adversus Arianos, et Apollinaristas, ac Monophysitas, necnon Monotheletas illis in libris attulimus.

Itaque recte Joannes Damascenus hanc quæstionem paucis absolvit, Christum asserens perfectum Deum, et hominem esse perfectum: « (1) ob idque consentanee naturis duabus, quæ his naturalia sunt, habere duplicia; nempe duas naturales voluntates, divinam, et humanam; et naturales operationes duas, divinam, et humanam; et naturales duas voluntates liberas, divinam, et humanam; et sapientiam ac cognitionem divinam pariter et humanam. Nam cum sit Deo, et Patri consubstantialis, libera potestate vult, et agit ut Deus: et cum nobis quoque consubstantialis sit, libera potestate vult, et agit ut homo. »

III. De hac humana cognitione proxima est, et longe celeberrima quæstio, utrum plena illa, et ita perfecta fuerit, nihil ut eam penitus latuerit; an sit ignoratum ab eo fuisse fas aliquid dicere. Nam de divina nemo, præter Arianos, et simili pestilentia erroris infectos, controversiam movit. De iis autem in præsentia quærimus, quæ reipsa vel fuerunt, vel sunt, vel aliquando futura sunt. Nam de his, quæ possunt esse, cum nunquam sint futura, disputabimus postea. Duo genera veterum hæreticorum invenio a se mutuo dissidentium in eam convenisse opinionem, ut ignorantiam Christo tribuerent; Nestorianos videlicet, vel horum antecessores ac parentes, et Eutychianos Acephalos. Quod ad priores attinet, auctorem horum, et stirpem fuisse Theodorum Mopsuestenum, consentiunt antiqui, et nos superius, maxime in primo libro demonstravimus. Porro Theodorum ignorantiam impegisse Christo, testis est auctor gravissimus Leontius Byzantinus in libro tertio contra Nestorium[1]: cujus verba notanda sunt. « Ignorantiæ etiam caligine, *inquit*, eum tegis, nihil scientem, præterquam quod Verbo ei secundum dignitatem unito videbatur. Quomodo ignorantia oppletum introducis eum, et non peccato? Ex ignorantia enim peccatum, sicut ex fonte fluvius manat. Aut fortasse docebis ignorantiam ei opem tulisse, quia ut plurimum veniam fert quod per ignorantiam fit præter rationem, si non sit quidem valde grave. Usque adeo autem ignorasse eum dicis, ut cum tentaretur, nesciret quis esset qui eum tentabat, et a peccato κατὰ διάνοιαν, id est a peccato cogitationis concedis nec ipsum mundum fuisse, nedum sanctos: neque ipsum peccatum cogitationis peccatum esse putas. »

Verum de Theodoro Mopsuesteno, qui Christum hominem propemodum in ordinem redegit, ac Nestorio impietatis auctor extitit, mirandum non est, inscitiam ab eo imputatam esse Christo. Quod et Felix Urgelitanus Nestoriana afflatus hæresi postea defendit, ut testatur Agobardus Lugdunensis in libro contra ejus dogma[2]. Ubi illum affirmat viventem adhuc docuisse, « Dominum nostrum Jesum Christum secundum carnem veraciter nescisse sepulcrum Lazari, cum diceret sororibus[3]: Ubi posuistis eum? et veraciter ignorasse diem judicii: veraciter etiam ignorasse[4] quid conferretur a duobus discipulis ambulantibus in via de his, quæ facta fuerant in Hierusalem: veraciter quoque ignorasse[5], utrum plus diligeretur a Petro, quam ab aliis discipulis, cum diceret, Simon Petre, amas me plus his? » Qua de causa cum præsens illum objurgasset, et tum Scripturæ loca, quibus abutebatur, interpretatus esset, tum Patrum contrariis missis ad eum sententiis, errorem istum refutasset, emendaturum se promisisse ipsum ait Agobardus.

IV. Sed Nestorianos minime, uti dixi, mi-

(1) Damasc. lib. 3. cap. 13. pag. 216. Ἔχειν δὲ αὐτὸν καταλλήλως ταῖς δύο φύσεσι διπλᾶ τὰ τῶν δύο φύσεων φυσικὰ, δύο θελήσεις φυσικὰς, τήντε θείαν, καὶ τὴν ἀνθρωπίνην, καὶ ἐνεργείας δύο φυσικὰς, θείαν τε, καὶ ἀνθρωπίνην, καὶ αὐτεξούσια δύο φυσικὰ, θεῖόν τε, καὶ ἀνθρώπινον, καὶ σοφίαν τε, καὶ γνῶσιν θείαν τε, καὶ ἀνθρωπίνην. Ὁμοούσιος γὰρ ὢν τῷ Θεῷ καὶ Πατρὶ, αὐτεξουσίως θέλει, καὶ ἐνεργεῖ ὡς Θεός. Ὁμοούσιος δὲ ὢν καὶ ἡμῖν, αὐτεξουσίως θέλει, καὶ ἐνεργεῖ ὡς ἄνθρωπος ὁ αὐτὸς.

[1] Tom. 4. Bibl. col. 1008. § 32. — [2] Agob. cont. Felic. sub init.

[3] Joan. 11. — [4] Luc. 24. — [5] Joan. 21.

rum est in eam opinionem incurrisse, quæ reliquo illorum dogmati connexa est, et apprime consentanea. De Apollinaristis, et Eutychianis, qui in contrariam hæresim prolapsi sunt, justa est admiratio, qui factum sit, ut illorum aliqui multa nescisse Christum putaverint. Nam ex Acephalorum, qui iidem Eutychiani fuerunt, secta nova est factio coorta, cui *Agnoetarum*, ab ignorantia quam in Christo fuisse dicebant, nomen est inditum; ut et Themistianorum, ab auctore Themistio diacono. De quo vide quæ in primo libro scripsimus [1]. Atqui cum unicam in Christo naturam inesse hæresis ista sentiret, et in divinam substantiam totam hominis absorptam esse naturam; merito dubitatur, quomodo ignorantiæ locum in Christo vindicare potuerint, qui quod hominis proprium fuit in divinitatem cessisse crederent. Verum quis decretorum constantiam ab hæreticis requirat, aut pugnare secum ipsos incredibile censeat, qui ab veritate semel abstracti, novis in dies errorum ambagibus implicantur? Certe nihilo est mirabilius, fuisse ignorantiam in Christi anima persuasum illos habuisse, quam corruptionem in corpore. Quod sectæ coryphæus istius opinatus est Severus : cui Julianus Halicarnassensis restitit : a quibus *Corrupticolarum*, et *Incorrupticolarum* factiones in eadem hæresi coortæ sunt duæ, ut in libro primo meminimus [2].

Quamobrem sic illos unam asseverasse naturam in Christo putandum est, ut eam compositam ex divina humanaque facerent; et quamvis hanc cum illa in unius constitutionem coaluisse dicerent, nihilominus quasdam ejus servatas esse proprietates, et in compositam redundasse fingebant : eas nimirum, quas assumenti Verbo retinere placuisset, velut ignorantiam, patibilitatem, et corruptelam : quas quidem, ubi visum est, postea deposuerit. Hanc, ut in opinionum figmentis, rationem ab illis initam fuisse, verisimile arbitror, nec eam nimis exacte, aut ad vivum esse resecandam. Sed pergamus porro.

V. Præter hæreticos istos, Catholici quoque nonnulli inscitiam homini Christo tribuerunt, iique magni in Ecclesia quondam nominis, ac celeberrimi, præsertim autem novissimi temporis, extremique judicii, quod ignoratum ab illo fuisse, non dubitarunt dicere. Horum nonnullos citavimus in libro secundo de Trinitate [3], velut Athanasium, Eustathium Antiochenum, Gregorium Nazianzenum, Cyrillum, Hilarium, Ambrosium. Nunc plenius de iis agemus modo, ac tum in eorum sententiam accuratius inquiremus, tum alios adjungemus, quos simili diligentia scrutabimur.

Est autem imprimis tenendum illud; complures eorum Patrum, qui Christo quarumdam rerum scientiam detraxerunt, non hoc proprio ex sensu, nec absoluto, destinatoque judicio fecisse; sed quadam veluti concessione: ut eorum, quibus resistebant, hæreticorum impios conatus, atque impetus eluderent. Erant isti potissimum Ariani, qui Christi divinitatem alterius a Patre substantiæ profitentes, defectus huic omnes, et imbecillitates affingebant; utpote quam animæ loco extitisse homini Christo putabant; ideoque sustinuisse omnia, quæ infirmitatis humanæ propria sensisse idem, ac suscepisse legitur. Hanc igitur injuriam a divinitate plerique veterum avertere cupientes, eam derivare postremo in humanam naturam studuerunt. Neque vero promiscue hoc in omnibus imbecillitatis argumentis, et eodem modo fecerunt. Nam alia plane sine ulla tergiversatione, et constanter, asseveranterque fuisse in Christo fassi sunt, ut sitim, famem, dolorem, tristitiam, vulnera, mortem; alia non primario, affirmateque, sed secundo veluti loco defensionis admiserunt : ac sæpe post alia responsa, quibus ab Christo quæ objiciebantur abfuisse monstrabant, ad extrema velut ista tuendæ causæ subsidia confugerunt; tanquam ita dicerent : si omnino vitari non potest, neque per adversarios licet ab Christo penitus ista segregare; certe nihil est necesse ad divinitatem illa Christi referre, cum in humanam naturam potius competere videantur. Hujus generis ea sunt, quæ ignorantiam aliquam significare videntur, et ejusdemmodi alia. Siquidem vel illi ipsi, qui nonnulla Christum nescisse perspicue dixisse videntur, non tam audacter de eo, ac certo pronuntiarunt, quam de aliis, quæ nemo Catholicorum dubitat vere ab Christo esse suscepta.

VI. Ut ab Athanasio incipiam, qui in quarto libro contra Arianos fuse quæstionem istam explicat [4] : is hæreticis opponentibus Christum aliqua nescisse, primum negat hoc esse verum, et argumenti, quod ex interrogationibus velut ignotis de rebus sæpe ab illo editis ducebant, vim ac pondus elevat. Non enim ex

[1] C. 16. § 12. — [2] Ib. § 11.

[3] Tom. 2. lib. 2. c. 3. § 5. — [4] Pag. 279.

inscitia perpetuo istud fieri : sed plerumque iis de rebus nos percontari solere, quas perfecte novimus. « (1) Verumtamen si contentiosius, *inquit*, in eo perseverent, quod Christus interrogaverit, audiant a nobis, nullam in divinitate ignorantiam esse : carnis vero esse proprium ignorare. » Ac deinceps cur humana cum natura ignorantiam quoque susceperit, causas edisserit nonnullas. Ut appareat posterius hoc responsum, in quo ignorantiam admittere videtur, non principaliter, nec ex firma, certaque persuasione Athanasium attulisse; sed quasi ex abundanti, ad præcipuum adversariorum frangendum impetum, quo in Christi divinitatem irruebant. Sic et judicii tempus ignorare se dixisse Christum, non qua Deus erat, sed qua mortali carne vestitus, idem disputat Athanasius : ac docet, illum θεϊκῶς non nescisse, sed σαρκικῶς, hoc est *divinitus* scisse, non *carnaliter ;* quod eo quoque sensu licet interpretari, ut quamvis humana notitia judicii diem, ac momentum cognoverit, non tamen humanitatis proprie vi, sed divina, sit illud assecutus. Quippe post resurrectionem, cum in cœlum ascensurus a discipulis interrogaretur, quandonam venturus esset ad judicium, etsi tunc probe sciret, non tamen significare voluisse. « (2) Jam enim caro surrexerat, *inquit,* et posita mortalitate deificata fuerat : nec jam decebat ipsum carnaliter respondere, cum in cœlum ascenderet. »

Nec tamen negandum videtur, affirmate dixisse nonnunquam Athanasium, ignoratum ab Christo, tanquam homine, fuisse judicii tempus, eamque propterea inscitiam assumptam una cum carne, carnisque propriis infirmitatibus, ut ab illis omnibus purgatos homines redderet. Quod quidem in calce libri ad Serapionem profitetur his verbis : « (3) Hominum, *inquit*, proprium est nescire, sicut esurire, et cetera. Propterea ignorantiam hominum, tanquam homo factus, ostendit : primum quidem, ut demonstret, humanum habere se revera corpus : deinde ut et hominum ignorantiam habens in corpore, ab omnibus liberatum, et repurgatum hominem, perfectum ac sanctum Patri repræsentaret. »

VII. Sic etiam Basilius in epistola 391. ad Amphilochium, qui de ea quæstione sciscitatus erat, respondet, ignorasse Christum ut hominem judicii tempus : « (4) Ac si quis ignorantiam illam ad eum referat, qui dispensatione quadam omnia in se susceperit, et sapientia, atque gratia apud Deum et homines profecerit, non aberraturum a pio Scripturæ sensu. » Cui consentaneus est et Gregorius Nazianzenus, et similiter, atque ille, quod apud Marcum legitur [1], *nec Filius quidem, nisi Pater,* exponit, parum probabili ratione, ut in secundo de Trinitate dixi. Atque hic « (5) nosse quidem *ait,* tanquam Deum ; ignorare vero, ut hominem, si quis quod apparet in Christo ab eo secernat, quod mente percipitur. »

Cyrillus Alexandrinus multis in locis idem paulo etiam, quam alii copiosius, et manifestius tradidit, ut in libro Thesauri 22. [2] et in refutatione Theodoreti ad Anathematismum quartum. Quo in anathematismo, cum voces illas, quæ de Christo in evangelicis, vel apostolicis libris expressæ sunt, dispares admodum, quod aliæ divinum aliquid, et magnificum præ se ferunt, aliæ imbecillum, et humile, dividi in personas, vel hypostases duas vetuisset ; Theodoretus illud reprehendit, asserens indignum esse, divinitati non solum famem, sitim, et hujus generis alia tribuere, sed etiam ignorantiam diei novissimi, quam de se Christus profitetur, ut homo. At Cyrillus de persona loqui se demonstrat, quæ eadem naturis constat duabus : cujus diversas proprietates unus, idemque Christus in se suscipit. Quare Christus ipse, qua Deus est, omnia cognovit ; qua homo, diem judicii nescivit. Ambo itaque in eo consentiunt, hominem Christum ignorasse judicii tempus,

(1) ATHAN. orat. 4. pag. 279. Ἂν δὲ καὶ φιλονεικῶσιν ἔτι διὰ τὸ ἐπερωτᾷν, ἀκουέτωσαν, ὅτι ἐν μὲν τῇ θεότητι οὐκ ἔστιν ἄγνοια, τῆς δὲ σαρκός ἐστι τὸ ἀγνοεῖν.

(2) ATHANAS. ibid. pag. 286. E. Λοιπὸν γὰρ ἦν ἡ σὰρξ ἀναστᾶσα, καὶ ἀποθεμένη τὴν νέκρωσιν, καὶ θεοποιηθεῖσα· καὶ οὐκέτι ἔπρεπε σαρκικῶς αὐτὸν ἀποκρίνασθαι ἀνερχόμενον εἰς τοὺς οὐρανούς.

(3) Idem pag. 349. A. Ἀνθρώπων δὲ ἴδιον τὸ ἀγνοεῖν, ὥσπερ καὶ τὸ πεινᾷν, καὶ τὰ ἄλλα. Διὰ τοῦτο καὶ τὴν ἄγνοιαν τῶν ἀνθρώπων, ὡς ἄνθρωπος γεγονὼς, ἐπιδείκνυται· πρῶτον μὲν, ἵνα δείξῃ, ὅτι ἀληθῶς ἀνθρώπινον ἔχει σῶμα· ἔπειτα δὲ, ἵνα καὶ τὴν ἄγνοιαν τῶν ἀνθρώπων ἐν τῷ σώματι ἔχων, ἀπὸ πάντων λυτρωσάμενος, καὶ καθάρας, τέλειον, καὶ ἅγιον παραστήσῃ τῷ Πατρὶ τὸν ἄνθρωπον.

(4) BASIL. tom. 2. pag. 1168. Οὕτω καὶ νῦν τὸ τῆς ἀγνοίας ἐπὶ τὸν οἰκονομικῶς πάντα καταδεξάμενον, καὶ προκόπτοντα παρὰ Θεῷ καὶ ἀνθρώποις σοφίᾳ, καὶ χάριτι λαμβάνων τις, οὐκ ἔξω τῆς εὐσεβοῦς ἐνεχθήσεται διανοίας.

(5) NAZIANZ. orat. 36. pag. 588. Ἢ πᾶσιν εὔδηλον ὅτι γινώσκει μὲν ὡς Θεός, ἀγνοεῖν δέ φησιν ὡς ἄνθρωπος, ἄν τις το φαινόμενον χωρίσῃ τοῦ νοουμένου ;

[1] Marc. 13. 32.

[2] Pag. 218. et seq.

« (1) Non erat, inquit Theodoretus, ignorantia ista Dei Verbi, sed servilis formæ, quæ tanta per id tempus noverat, quanta habitans in ea divinitas revelarat. » Cyrillus vero hoc solum excipit, uni et eidem personæ loquenti tam infinitam, et omnia scientem sapientiam, quam nonnullorum inscitiam imputari debere. « (2) Igitur novit quidem ipse divinitus, *inquit*, utpote sapientia Patris. Sed quoniam ignorantis humanitatis mensuram subiit, per dispensationem istud etiam cum aliis sibi, tanquam proprium ascivit. »

Item in libro secundo de fide ad *Imperatrices*, planissime diei illius ignorantiam adscribit humanitati Christi. « (3) Non enim indecorum esse creaturæ, nec inusitatum divina ignorare mysteria, etc. » Tum, « Quid mirum est, si cum angelis divinum hoc mysterium ignorare dicatur, quamvis sapientia sit, et virtus Dei? » Quæ Cyrilli loca ad purgandam suspicionem valent, qua imperiti quidam illum notant, quasi unam in Christo naturam statuerit. Siquidem aperte proprietates amborum discernit, et quæ θεϊκῶς, quæ ἀνθρωπίνως conveniant explicat. Vide librum Thesauri 22. ubi eadem exponit, necnon et 27.

VIII. Quanquam aliter interdum de ea re sensisse videtur, ac plenam et perfectam sapientiam, sine ullo incremento, Christo tribuisse: uti paulo post dicam. Quæ opinionis, ac sensus non satis firma constantia arguit id, quod paulo ante docui, non tam accurate constitisse priscis illis de inscitia hominis in Christo, ac de ceteris imbecillitatibus præsertim corporis, velut siti, fame, tristitia: quas iidem illi, qui de priore dubitando pronuntiarunt, sine ulla mutatione sententiæ, prorsus a Verbo susceptas arbitrati sunt.

Ad eamdem opinionem de Christi hominis ignorantia adscribendi videntur Patres illi, qui profectum in illo sapientiæ secundum humanam naturam agnoscunt. De quibus non multo postea.

Sed sunt aliqui, qui alias aliter scriptis suis prodiderunt; ut Hilarius et Ambrosius. Quorum abunde mentionem fecimus in secundo de Trinitate libro [1].

At Fulgentius in primo ad Trasimundum regem, capite septimo, videtur ignorantiam in homine Christo reipsa confessus; et inde argumentatur veram in ipso fuisse animam, veramque intelligendi in anima facultatem. « Nam si vera caro, *inquit*, in Christo non fuit, quid in utero Virgo concepit? et si anima, vel intellectus naturæ in Christo defuisse credatur humanæ; quid in infante bonum, malumque dicitur ignorasse? An illam divinam filii Dei naturam ignorantiæ boni, malique subjicimus, ut humanam in Christo animam denegemus? » Tum subinde, « Anima igitur humana, quæ rationis capax naturaliter facta est, bonum, malumque in infante Christo nescisse dicitur, quæ secundum evangelicam veritatem, in puero Jesu sapientia, et gratia profecisse narratur, etc. Nam sicut carnis est ætate proficere; sic est animæ, sapientia, et gratia profecisse: quæ tamen in sapientia nullatenus proficeret, si naturalem intelligentiam, quæ hominibus rationis causa concessa est, non haberet. » Ergo uti vere Christus, nec specie, vel significatione sola corporis incrementum habuit: ita et in anima, sapientiæ, si Fulgentium audimus. Ac proinde aliquanto tempore quorumdam ignorantiam habuit, antequam plenissimam, et, ut idem existimat, infinitam rerum omnium, adeoque divinitatis ipsius, notitiam homo ille Dominicus obtineret.

Sunt qui auctorem operis imperfecti in Matthæum [2] inter eos numerent, qui homini Christo inscitiam tribuunt diei judicii. Verum ille non hominis, sed Dei filio illam imputat, Ariani se fautorem dogmatis ostendens. Ideo apud Matthæum dixisse Christum notat, οὐδὲ ὁ Υἱὸς, *neque Filius*, absolute, nec addita voce *hominis*, ne hanc ignorantiam ad humanitatem referres.

IX. Nunc superioribus illis, qui inscitiam Christi humanitati non denegarunt, subjungamus alios, qui perpetuam in eodem omnium

(1) THEODORET. tom. 6. oper. Cyril. pag. 215. Οὐκ ἄρα τοῦ Θεοῦ Λόγου ἡ ἄγνοια, ἀλλὰ τῆς τοῦ δούλου μορφῆς, τῆς τοσαῦτα κατ' ἐκεῖνο τοῦ καιροῦ γινωσκούσης, ὅσα ἡ ἐνοικοῦσα θεότης ἀπεκάλυψε.

(2) CYRIL. ibid. pag. 218. B. Οὐκοῦν οἶδε μὲν καὶ αὐτὸς θεϊκῶς ὡς σοφία τοῦ Πατρός. Ἐπειδὴ δὲ τὸ τῆς ἀγνοούσης ἀνθρωπότητος ὑπέδυ μέτρον, οἰκονομικῶς οἰκειοῦται καὶ τοῦτο μετὰ τῶν ἄλλων.

(3) Idem tom. 5. par. 2. pag. 139. cap. 17. Φαμὲν οὖν, ὅτι τὸ ἀγνοῆσαι τυχὸν τὰ ἐν Θεῷ μυστήρια, οὔτε ἀσύνηθες, οὔτε μὴν ἑτέρως ἀπρεπὲς ἂν εἴη τῇ κτίσει, etc.

Ibid. Τί τὸ θαῦμα, κἂν ὁμοῦ τοῖς ἀγγέλοις ἀγνοεῖν λέγηται τὸ ἐν Θεῷ μυστήριον, καί τοι σοφία καὶ δύναμις ὑπάρχων αὐτοῦ; Vide Thes. 22. tom. 5. p. 218. et lib. 28. p. 251. et 252.

[1] C. 3. § 7.

[2] Hom. 30.

cognitionem, et ipsius etiam postremi judicii fuisse docuerunt.

Horum unus fuisse putandus est Origenes in commentario ad caput 13. Matthæi, et ad illa verba Christi, *Intellexistis hæc omnia?* ad quæ istud adnotat [1] : « Qui novit quæ sunt in cordibus hominum Christus Jesus, sicuti de hoc docuit in Evangelio Joannis, non ignarus interrogat. Sed quoniam semel assumpserat hominem ; utitur omnibus, quæ sunt hominis : quorum unum illud est, interrogare. Nec mirandum si id facit Servator, quum ipse etiam omnium Deus, moribus hominum sese accommodans, perinde ac si quis homo morem gerat filio suo, percontetur : velut in hoc, [2] *Adam ubi es?* et [3], *Ubi est Abel frater tuus?* »

Joannes item Chrysostomus homilia 41. in quatriduanum Lazarum [4] absolute negat ignorantiam in Christo fuisse, dum Judæos refutans illius divinitatis elevantes ex eo fidem, quod de multis ignorantium more sciscitatus legitur : velut de Lazaro [5], *Ubi posuistis eum?* Contra quos præscribens Chrysostomus, vicissim objicit similia ex veteri Testamento loca, in quibus interrogat Deus ; ut cum ait [6], *Adam ubi es?* et ad Cainum [7], *Ubi est frater tuus?* et cum ad Sodomitas puniendos venit [8], ejusdem præ se tulit ignorantiæ speciem. Ex quibus concludit, non recte ignorantiam in Filio ex ejus percontatione Judæos colligere, nisi eamdem et in Patre fuisse concedant.

Verum de Christo, qua Deus est, potest locutus videri Chrysostomus. De eodem, ut homo est, universe Cyrillus ita testificatur, ut nec eum latuisse quidquam, nec ullam accessionem scientiæ capere potuisse confirmet, in tertio libro adversus Nestorium incrementum in illo sapientiæ fuisse dicentem. « (1) Credimus, *inquit,* ex ipso ventre, uteroque Virginis Emmanuelem ipsum, qui Deus erat, hominem prodiisse, plenum omnino sapientia, et gratia, quæ illi naturaliter inerat. Quodnam igitur incrementum caperet ille, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, qui cœlestis gratiæ una cum Deo Patre largitor est ? »

X. Eulogius vero Alexandrinus patriarcha in libro adversus Agnoetas, copiose, eruditeque quæstionem hanc pertractans, ostendit ne secundum humanam quidem, nedum divinam naturam, aliquid nescire Christum ; neque Lazari sepulcrum, neque postremum judicii diem. « (2) Non enim humanitas, *inquit,* in unam hypostasim cum inaccessa, et substantiva sapientia conveniens, ignorare aliquid potest, neque præsentium, neque futurorum. Sed nec falsum potest illud esse, quod ab eo dictum est : Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt. » Deinde rationem explicat, cur Christus de iis, quæ non ignorabat, interrogaverit. Ac duobus modis ea dicit accipi, quæ de Christo prædicantur. Quædam enim κατὰ ἀναφορὰν usurpantur, quæ videlicet non ad ipsum pertinent, sed ad alios referuntur, velut ad membra sua. Ut cum peccatum, et maledictum factus esse dicitur. Quædam κατ' ἀλήθειαν, hoc est ex rei veritate, tribuuntur : ut cum esuriisse, dormiisse, et hujus generis alia fecisse, aut tolerasse legitur. Igitur quod ignorasse nonnulla e Scripturis colligi videtur, nihil obstare putat, quominus priore modo intelligantur, ut idcirco nescisse illa dicatur, quod ea nesciant ipsius membra. Ejusdemmodi esse credit illud ipsum, quod se diem ignorasse judicii asserit ; quale est quod ait, *Tu scis insipientiam meam*, et, *Quare me dereliquisti ?* Addit quorumdam sententiam, ita Christum novissimi temporis inscitiam de se professum esse, ut quod humanæ naturæ proprium est ab eo, quod ratione divinitatis obtinet, mentis consideratione distingueret : non autem sic, ut revera illud ignoraverit. « (3) Siquidem neque secundum divinitatem, neque secundum humanitatem, affirmare in illo ignorantiam extitisse, periculosæ temeritatis est expers. » Hæc Eulogius.

XI. Cujus librum illum valde collaudat magnus Gregorius Romanus pontifex in epistola, quam ad eum scripsit [9] : « Quia de doctrina vestra contra hæreticos, *inquit*, qui dicuntur Agnoitæ, fuit valde quod admiraremur ; quod autem displiceret, non fuit. » Ac deinceps

(1) CYRILL. 3. cont. Nestor. pag. 87. Πεπιστεύκαμεν γὰρ ἐκ νηδύος αὐτῆς, καὶ μήτρας τῆς παρθενικῆς Θεὸν ὄντα τὸν Ἐμμανουὴλ ἄνθρωπον προελθεῖν, πλήρη που πάντως σοφίας, καὶ χάριτος τῆς ἐνούσης αὐτῷ φυσικῶς. Ποίαν οὖν ἐπιδέξοιτο τὴν ἐπίδοσιν ὁ ἐν ᾧ πάντες εἰσὶν οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας, ὁ τῆς ἄνωθεν χάριτος συνδοτὴρ τῷ Θεῷ, καὶ Πατρί ;

(2) EULOG. apud Phot. cod. 230. pag. 465. Οὔτε γὰρ τὸ ἀνθρώπινον εἰς μίαν ὑπόστασιν συνελθὸν τῇ ἀπροσίτῳ, καὶ οὐσιώδει σοφίᾳ, ἀγνοήσει ἄν τι, ὥσπερ οὐδὲν τῶν παρόντων, οὕτω δὴ οὐδὲν τῶν μελλόντων.

(3) Ibid. pag. 466. Οὔτε γὰρ κατὰ τὴν θεότητα, οὔτε κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, τὴν ἄγνοιαν λέγειν ἐπ' αὐτοῦ, θράσους ἐπισφαλοῦς ἠλευθέρωται.

[1] Orig. to. 2. p. 6. M. — [2] Gen. 3. 9. — [3] Gen. 4. 9. — [4] Tom. 5. pag. 271. — [5] Jo. 11. 34. — [6] Gen. 3. 9. — [7] Gen. 4. 9. — [8] Gen. 18. 9. — [9] Lib. 8. ep. 42.

rationes ab eo allatas, et locorum illorum Scripturæ, quæ ignorantiam affirmare videntur, interpretationes approbat. Eidem Eulogio subscribit et Joannes Damascenus [1], quatenus ignorasse ideo dici ait, quod humana ex sese natura, et a Verbo ratione ac cogitatione sejuncta, judicii tempus nesciat : quod Gregorius Nazianzenus supra laudatus a nobis his verbis explicat [2], « Si quis quod apparet in Christo, ab eo secernat, quod mente percipitur ; » ut idem Damascenus observat. « (1) Quippe humana natura secundum essentiam, futurorum notitiam non possidet : verum Domini anima, propter unitionem cum ipso Deo Verbo, et hypostaticam identitatem, una cum aliis stupendis divinitatis miraculis, etiam futurorum cognitione ditata est. »

Animadvertendum est autem, Joannem Damascenum plenam, et incremento majorem omni scientiam Christi humanitati concedere, ex vi hypostaticæ conjunctionis : quod in capite sequente, vicesimo secundo ejusdem libri disertius affirmat : estque locus hic observatione dignus. Nam cum de profectu agit Christi Domini in sapientia, et gratia, scribit, « (2) illos, qui in ea progressum habuisse dicunt ipsum, tanquam ad illas aliqua facta sit accessio, non a primo existendi initio unitionem carnis esse factam arbitrari ; nec eamdem unitionem hypostaticam statuere. Sed vanissimo Nestorio potius auscultantes, hanc ipsam copulationem, solius habitudinis, ac meræ inhabitationis, falso esse fingere, etc. Nam si vere caro est conjuncta Deo Verbo, ab ipso extandi primordio ; vel potius in ipso extitit, et hypostaticam cum illo identitatem habuit ; qui fieri potuit, ut non perfecte omni sapientia, et gratia locupletata sit ? Non ut ipsa gratiam participaret, neque ut ex gratia in communionem admitteretur eorum, quæ ad Verbum pertinent : sed ea potius ratione, quod, propter unitionem hypostaticam, humanis ac divinis omnibus unius Christi propriis factis (quandoquidem Deus idem et homo simul erat) illa ipsa caro gratiam, et sapientiam, plenamque bonorum omnium copiam in mundum fontis instar exundaverit. »

XII. In hoc Damasceni loco, rationes tres theologicæ continentur, cur Christum hominem oportuerit *plenum gratiæ, et veritatis*, quæ est scientia, perpetuo fuisse, sine ullo earum incremento ; quæ quidem paululum contemplandæ, illustrandæque sunt. Prima est, quod ab eodem puncto temporis, quo existere humana natura cœpit, cum Verbo conjuncta fuit. De qua quæstione alibi ex instituto disseruimus [3]. Ἐξ ἄκρας τῆς ὑπάρξεως græce istud dixit Joannes Damascenus. In quo plurimum aberravit latinus interpres Jacobus faber Stapulensis, qui *extremam existentiam* vertit. Cujus sensum non minus hallucinatus scholiastes Clichtoveus ita reddidit, ut humana natura vocetur *extremæ existentiæ*, quasi dicas, infimæ substantiæ, ac dignitatis, quod postremum in rerum natura locum habeat, ob terrenam molem et cum materia concretam. Quod mirum est viris græce non indoctis in animum venire potuisse. Ὕπαρξις illic est *productio* ipsa, et *extantia ;* ἄκρα vero pro *ineunte*, et *incipiente* sumitur. Ergo quoniam humana Christi natura, simul atque cœpit existere, cum Verbo ipso sapientiæ fonte copulata fuit, et una cum eo persona facta, idcirco statim compos fuit decorum omnium, et ornamentorum, quæ in ipsam redundare conveniebat ex fonte ipso divinitatis. Quæ ratio saltem de donorum istorum jure, ac potestate, sive *substantia* debet accipi ; non de usu, et *possessione*, quam *realem*, et *actualem* nuncupant ; ut ex carnis ipsius habitu, et qualitate licet intelligere. Ac de animæ dotibus primariis, ut scientia, gratia, et virtutibus ; et iis omnino, quæ ἔνσαρκον πολιτείαν, hoc est mortalis inter mortales vitæ, et administrationis obeundæ cursum et ordinem decebant, illa potissimum interpretanda regula est, ex mente Joannis Damasceni : ut hæc humanæ naturæ statim divina repræsenta-

(1) DAMASC. lib. 3. cap. 21. Οὕτως ἡ μὲν ἀνθρωπίνη φύσις οὐσιωδῶς οὐ κέκτηται τῶν μελλόντων τὴν γνῶσιν. Ἡ δὲ τοῦ Κυρίου ψυχὴ, διὰ τὴν πρὸς αὐτὸν Θεὸν Λόγον ἕνωσιν, καὶ τὴν ὑποστατικην ταὐτότητα κατεπλούτησεν, ὡς ἔφην, μετὰ τῶν λοιπῶν θεοσημειῶν, καὶ τὴν τῶν μελλόντων γνῶσιν : quod et l. 4. cap. 19. repetit.

(2) Idem lib. 3. cap. 22. Οἱ δὲ προκόπτειν αὐτὸν λέγοντες σοφίᾳ, καὶ χάριτι, ὡς προσθήκην τούτων δεχόμενον, οὐκ ἐξ ἄκρας ὑπάρξεως γεγενῆσθαι τὴν ἕνωσιν λέγουσιν, οὐδὲ τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν πρεσβεύουσι. Νεστορίῳ δὲ τῷ ματαιόφρονι πειθόμενοι σχετικὴν ἕνωσιν, καὶ ψιλὴν ἐνοίκησιν τερατεύονται, etc. Εἰ γὰρ ἀληθῶς ἡνώθη τῷ Θεῷ Λόγῳ ἡ σὰρξ ἐξ ἄκρας ὑπάρξεως, μᾶλλον δὲ ἐν αὐτῷ ὑπῆρξε, καὶ τὴν ὑποστατικὴν πρὸς αὐτὸν ἔσχε ταὐτότητα, πῶς οὐ τελείως κατεπλούτησε πᾶσαν σοφίαν, καὶ χάριν; οὐκ αὐτὴ τῆς χάριτος μεταλαμβάνουσα, οὐδὲ κατὰ χάριν τῶν τοῦ Λόγου μετέχουσα· ἀλλὰ μᾶλλον διὰ τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν, τῶν τε ἀνθρωπίνων, τῶν τε θείων τοῦ ἑνὸς Χριστοῦ γεγονότων (ἐπειδὴ ὁ αὐτὸς ἦν ὁμοῦ Θεός τε, καὶ ἄνθρωπος) τὴν χάριν, καὶ τὴν σοφίαν, καὶ πάντων τῶν ἀγαθῶν τὴν πληρότητα τῷ κόσμῳ πηγάζουσα.

[1] Lib. 3. c. 21. — [2] § 7.

[3] Lib. 4. c. 10.

verit; reliqua, quibus οἰκονομία, id est dispensatio præpediebatur, dilata fuerint in id tempus, quod resurrectionem est consecutum.

XIII. Altera est Damasceni ratio, quæ proxime ante positam natura præcedit, ipsa in eamdem personam, et hypostasim humanæ cum Deo naturæ conjunctio. Hinc enim compos est facta omnium ornamentorum, ac proprietatum, quibus insignita Verbi est divinitas; eaque non paulatim, nec ad mensuram, sed eodem momento, quo est assumpta, et, ut Patres loquuntur, *deificata*, recepit, non rivulis irrigata, sed ipso fonte donata bonorum, et charismatum omnium, quibus divina natura censetur. Ad hanc communionem respectum videtur habuisse Joannes Damascenus, cum negat humanam Christi naturam participatas illas dotes divinitatis accepisse, sed in solidum possedisse, gratiam videlicet, et sapientiam, ac plenam omnium bonorum copiam. Verum hæc communicatio nihil ad præsens institutum attinet. Non enim *personalis*, ut ita dicam, applicatio proprietatum illarum agitur, qua homo Christus ut Deus, ita omnipotens, et immensus, et æternus, et hujus generis cetera merito dicitur; sed *formalis*, ut vocant, et interius formæ et qualitatis instar afficiens, ac denominans, non termini duntaxat, et sustentantis, ac definientis modi. De qua re vide quæ superiore libro contra Ubiquistas attulimus [1]. Hoc igitur in loco de scientia, et aliis dotibus disputamus, quibus tanquam formis in subjecto hærentibus, Christi anima decorata, et affecta fuit: quas nemo sanus dixerit easdem illas esse, quibus divinitas ipsa sapiens est, aut sancta, aut ejusdemmodi alia, quorum titulis gaudet. Quare creatæ sunt, ac finitæ qualitates illæ, adeoque participatæ. Sed earum immensam vim, et inexhaustam copiam recte illa Damasceni approbat ratio ex hypostatica junctione deducta.

Cui tertia ex eodem debet accedere, quod cum omnium hominum salus, et sanctitas, ac perfectio in uno illo, tanquam in capite vel fonte, contineatur, necesse sit summam in eo abundantiam inesse donorum omnigenorum, et charismatum; ut hæc in universos perpetua, et nunquam exarescente ubertate diffundat.

XIV. Rursus Augustinus libro secundo de Peccatorum meritis, capite 29. existimat, nullam ne in infante quidem Domino ignorantiam extitisse, uti nec alios inquietos motus, originalem redolentes culpæ maculam [2]. « Quam plane ignorantiam, *inquit*, nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis: nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo parvulo fuerim suspicatus, quam videmus in parvulis. Per hanc enim etiam cum motibus irrationabilibus perturbantur, nulla ratione, nullo imperio, sed dolore aliquando, vel doloris terrore cohibentur: ut omnino videas illius inobedientiæ filios, quæ movetur in membris repugnans legi mentis, nec cum vult ratio, conquiescit: utrum et ipsa sæpe vel dolore corporis, tanquam vapulando compescitur, vel pavescendo, vel tali aliquo animi motu, non tamen voluntate præcipiente, comprimitur. »

Sic Leporius in libello Emendationis, qui Africanorum quorumdam antistitum, et inter eos Augustini subscriptione approbatus est, quod alias inscitiam in Christo fuisse dixerat, contraria professione revocavit his verbis: « Ut autem et hinc nihil cuiquam in suspicione derelinquam, tunc dixi, imo ad objecta respondi, Dominum nostrum Jesum Christum secundum hominem ignorare. Sed nunc non solum dicere non præsumo, verum etiam priorem anathematizo prolatam in hac parte sententiam: quia dici non licet, etiam secundum hominem, ignorasse Dominum prophetarum. »

His addere libet auctorem quæstionum ad Orthodoxos in responsione ad quæstionem 58. ubi cum ita proposuisset; « (1) Quandoquidem Christo ignorantiam tribuere est impium, quod ille futura omnia præsciat, » cur Judæ ac Petri peccata non prohibuit? Cui respondet, eum, qui futurum aliquid prævidet, ejus non esse causam. Quo responso, confirmat id, quod inquirendo, velut indubitatum sumpserat, nullius inscitiam rei in Christo fuisse.

XV. Harum duarum opinionum, quarum auctores percensuimus, posterior usu jam recepta, consensuque theologorum, merito anteponitur alteri. Nam [3] et Christi dignitati consentanea magis est; et huic, quam gerebat, personæ, officioque mediatoris, et capitis, hoc est omnimodæ gratiæ, ac sapientiæ fontis,

(1) JUST. quæst. 58. ad Orth. Εἰ τὸ προσάπτειν τῷ Χριστῷ ἄγνοιάν ἐστιν ἀσεβὲς, δῆλον ὅτι πάντων ἔχει τελείαν τὴν πρόγνωσιν.

[1] C. 10.— [2] Aug. lib. 2. de Peccat. mer. c. 29. to. 7. p. 302. — [3] Vide supr. § 12. et 13.

aptior, necnon judicis; cujus interest nosse functioni illi exercendæ præstitutum tempus. Quamobrem prior illa, tametsi summis quibusdam viris olim non displicuit, postea hæresis est notata; eoque nomine pro hæreticis damnati sunt Agnoetæ cum eorum parente Themistio diacono. Quem imperite Nicephorus Callixti F. philosophum illum insignem fuisse putat [1], qui Valentis, et Theodosii primi tempore floruit : quem gentilem constat fuisse. Atque hæc Agnoetarum secta, Severitarum quoque dicta est, ut ait Nicephorus, quod ex Severi radice pullulavit, et quod in eam ab discipulo suo Themistio fabricatam propensior erat Severus; utpote qui Christi carnem corruptibilem fuisse defenderet.

Addit Nicephorus (1) hanc hæresim rivum quemdam Arianæ labis extitisse. Atqui « (2) Deum Verbum affirmare Agnoetas eosdem » scribit ille, « omnia cognoscere : sed multa nescire conjunctam cum illo hypostatice naturam hominis. » Ariani vero Filii divinitati rerum omnium scientiam, maximeque novissimi temporis detrahebant; ut idem refert Nicephorus. Itaque Arianis eatenus accenset Agnoetas, quod illos imitati ignorantiam adspergerent homini Christo.

Melius Gregorius papa Nestorianis affines illos facit [2]. « Res autem valde manifesta est, *inquit*, quia quisquis Nestorianus non est, Agnoita esse nullatenus potest. Nam qui ipsam Dei sapientiam fatetur incarnatam, qua mente valet dicere, esse aliquid, quod Dei sapientia ignoret? » Mox illo Joannis hoc testimonio probat, *Omnia per ipsum facta sunt;* unde argumentatur sic : « Si omnia; profecto diem judicii, et horam. Quis ergo ita desipiat, ut dicere præsumat, quia Verbum Patris fecit, quod ignorat? » Verum hanc rationem facile hæresis hæc eluderet. Non enim Deo Verbo inscitiam tribuit. Efficacius est quod statim opponit ex eodem Joannis Evangelio [3] : *Sciens Jesus, quia omnia dedit ei Pater in manus.* « Si omnia; profecto diem judicii, et horam. Quis ergo ita stultus est, ut dicat quia accepit Filius in manibus quod nescit? » Ergo hæreticos suo judicio pronuntiat Agnoetas Gregorius : quos et alii in illorum numerum adscribunt, ut Joannes Damascenus in libro de Hæresibus, qui eosdem refert non solum ignorantiæ, sed etiam « timiditatis, et ignaviæ Christum arguisse. »

Horum vero impietatem, et amentiam æmulati sunt complures hujus ætatis hæretici; præsertim Calvinus [4], necnon Lutherus, et amborum propagines : quorum in scholiis ad Irenæum meminit Franciscus Fevardentius, pius et eruditus scriptor [5].

CAPUT SECUNDUM.

1. De eo, quod sapientia profecisse dicitur Christus; utrum ex eo colligi possit, in illo inscitiam fuisse. — 2. Hæretici hoc affirmarunt, Theodorus Mopsuestenus, et Nestorius Christum revera profecisse putantes. — 3. Nonnulli e Patribus idem asseverarunt. — 4. Ambrosii locus de ea re perplexus illustratur. — 7. Alii Patres negant verum illum fuisse profectum : sed sic eum interpretantur, ut pro ætatis incremento, majoris cujusdam indicia sapientiæ dederit. — 8. Quorum deinceps expenduntur sententiæ, quæ ab iisdem interdum contrariæ proficiscuntur.

I. Eorum, qui in homine Christo plenam negarunt omnium rerum fuisse notitiam, perpauca sunt argumenta, nec ea multum explicatu difficilia. Ac duo potissimum occurrunt totidem e Scripturæ testimoniis confecta. Quorum alterum ex ignoratione diei postremi judicii petitum hoc loco prætermittam. Dixi enim de illo copiose in secundo [6] et tertio libro de Trinitate [7] : ut nihil hic immorari necesse sit. Alterum ex illis locis affertur, in quibus

(1) NICEPH. lib. 18. c. 50. Ἔστι δ' ὡς ἄν τις εἴποι, ἀπόῤῥοιά τις καὶ αὕτη ἡ αἵρεσις Ἀρειανική.

(2) Ibid. Οἱ καὶ λέγουσι τὸν Θεὸν Λόγον πάντα μὲν γινώσκειν, πάμπολλα δὲ ἀγνοεῖν τὴν ἡνωμένην αὐτῷ καθ' ὑπόστασιν ἀνθρωπότητα.

[1] Lib. 18. cap. 50. — [2] Lib. 8. ep. 42. — [3] Joan. 1. — [4] Comment. in Harm. — [5] Lib. 2. Iren. c. 49. — [6] Cap. 3. § 5. et seq. — [7] Cap. 1. § 16. et cap. 4. § 1.

Christus profecisse ætate, et sapientia dicitur. De quo paucis modo disputandum. Ac sciendum illud imprimis, non esse consequens, ut, si Christus judicii diem nesciverit, sapientiæ, ac virtutis, et gratiæ progressum habuerit. Fieri enim potuit, ut ille, ceteroqui scientia perfectus et gratia, hoc unum ignoraret ad tempus : ita dispensante divina sapientia, quo tolerabiliorem hominibus prædicando faceret diei ejusdem inscitiam. Certe nihil incrementum istud scientiæ, si quod esset in humana Christi natura, ad virtutis accessionem, et gratiæ pertineret. Quare de hac integra restat adhuc quæstio, sive plena illi statim ab conceptu scientia tribuatur, quæ est catholica veraque sententia; sive aliquid ei subtrahatur. Nos tamen universe de profectu Christi, an ullus, et cujusmodi fuerit, inquiremus ; quoniam adversariæ partis firmamenta penitus labefactare volumus.

II. Hæretici iidem illi, qui judicii diem ignorasse Christum hominem, primi omnium errori suo consentanee docuerunt, Theodorus Mopsuestenus, et Nestorius, illum in sapientia, et gratia revera progressus habuisse rati, illo Evangelistæ testimonio sunt usi [1], *Jesus proficiebat sapientia, et gratia apud Deum, et homines.* Theodori Mopsuesteni verba, quæ hoc veneno delibuta sunt, refert Leontius in libro tertio contra Nestorianos et Eutychianos [2]. « Ætate quidem, *inquit*, proficit, processu temporum : sapientia vero, secundum progressum temporum intelligentiam acquirens; gratia autem, suscipiens virtutem, intelligentiæ, et cognitioni consentaneam : deinceps gratia, quæ illi erat apud Deum, accessionem, et incrementum accipiebat. »

Cum hoc consentiens Nestorius, Christum paulatim aiebat profecisse, et ad perfectum venisse; ex quo argumentabatur, alium esse hominem, cujus propria est ista progressio, ab Verbo, Deique filio. Adjungebat autem dictum illud Apostoli ad Hebræos [3] : *Et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Ubi græca vox τελειωθεὶς *perfectionis incrementum* significare videtur. « (1) Nam perficitur, *inquit*, quod paulatim progreditur. » Verum τελειωθῆναι hoc in loco non est progressum *facere*, ac *perfectiorem fieri ;* sed *pœnis, et cruciatibus ad mortem adigi*, vel *morte consummari.* Sic martyres τελειωθῆναι dicuntur, et τελείωσις pro *martyrio* sumitur. Christus ipse de se apud Lucam, *Ecce ejicio*, inquit, *dæmonia, et sanitates perficio hodie, et cras ; et tertia die consummor.* Καὶ τῇ τρίτῃ τελειοῦμαι. Chrysostomus, Œcumenius, Theophylactus hoc sensu illum epistolæ ad Hebræos locum intellexerunt. Inter quos Œcumenius ex Photio, « (2) Consummatus, *inquit*, hoc est, per passiones, et mortem perfectus a nobis cognitus. » Theodoretus de resurrectione, et in cœlum ascensu dictum esse credidit : qui finis, et clausula totius in carne administrationis extitit. Sed est aptius quod dixi. Sic in eadem epistola, capite secundo, commate decimo, *docuisse* ait *auctorem salutis per passiones consummare.* Nestorium porro insectatur, et refellit Cyrillus, nec patitur dici Christum paulatim ad majorem evasisse perfectionem. De cujus opinione paulo post.

III. Quod ad Catholicos spectat, non idem de hac re sensus est Patrum; aliis profectum hominis admittentibus in Christo; aliis negantibus. Eustathius Antiochenus in libro contra Arianos profectum illum, ut ætatis, ita et sapientiæ, ac gratiæ videtur agnoscere, ab Gelasio papa laudatus in libro contra Eutychem et Nestorium [4].

Epiphanius in hæresi Dimœritarum, quæ est 77. contra hæreticos istos, qui sunt Apollinaristæ, ex illo ipso Evangelii testimonio, quo *profecisse* Christus *ætate, et sapientia* dicitur, adeo vere progressum in sapientia fecisse putat; ut inde contra hæreticos illos argumentetur, neutiquam assumpto homini defuisse mentem : « (3) Quippe si ab humana mente vas illud alienum extitit, *inquit*, quomodo in sapientia procedebat ? Et si mentis expers fuit, quomodo sapientia ipsa in anima procedebat, et corpore ? » Ut igitur ætate, et statura corporis revera profecit, ita et sapientia ; si quid virium habet Epiphanii ratio. Cujusmodi et Procli est in epistola ad Armenos. « (4) Ipse est,

(1) Nest. apud Cyr. 3. in Nest. p. 84. Τελειοῦται δὲ τὸ κατὰ μικρὸν προκόπτον, αἱρετικέ.

(2) Phot. Τελειωθεὶς, τουτέστι διὰ παθημάτων, καὶ σταυροῦ, καὶ θανάτου τέλειος ἡμῖν ἐπιγνωσθείς.

(3) Epiph. hær. 77. § 26. Πῶς προέκοπτεν ἐν σοφίᾳ εἰ ἀλλότριον ἦν τὸ σκεῦος νοῦ ἀνθρωπίνου ; καὶ εἰ ἄνευ νοὸς ἐτύγχανε, πῶς σοφία ἐν ψυχῇ, καὶ σώματι προέκοπτε ; Idem repetit § 30.

(4) Procl. ad Arm. Αὐτός ἐστιν ὁ εἷς, καὶ μόνος Υἱὸς, ὁ πρινὴ τὸν Ἀβραὰμ γενέσθαι ὤν, καὶ ἐπ' ἐσχάτων προκόψας σοφίᾳ, καὶ ἡλικίᾳ κατὰ σάρκα. Ἔχει γὰρ ἀεὶ ἡ θεότης αὐτοῦ το τέλειον.

[1] Luc. 2. 52. — [2] Leont. tom. 4. Bibl. col. 1015.

[3] Heb. 5. 9. — [4] To. 4. Bib. 424.

inquit, unus, et solus filius, qui antequam esset Abraham, extitit, et in novissimis temporibus processit sapientia, et ætate secundum carnem. Etenim illius divinitas semper id obtinet quod perfectum est. »

Cyrillus Alexandrinus in dialogo de uno Christo idipsum affirmare videtur, verum fuisse sapientiæ, ut et gratiæ progressum. Sic enim ait : « (1) Facile hoc fuisse Deo, admirabilem quamdam ab infantia in assumpto homine sapientiam exhibere; sed hoc monstri simile futurum fuisse, et ab Incarnationis rationibus alienum. Quippe mysterium ipsum tacite, ac sine strepitu gerebatur. Itaque dispensatione quadam permittebat, ut in seipso humanitatis præscripta valerent. » Addit, divinum Verbum, quatenus Deus est, « (2) ipsum quidem omni ex parte perfectum esse, nec ullius rei, nedum incrementi capax : verum quæ naturæ nostræ conveniunt, ea sibi propria fecisse, quandoquidem nostri simile est factum. » Quibus verbis indicare videtur, veram in eo progressionem fuisse. Non enim alioqui diceret, ea, quæ naturæ nostræ congruunt, usurpasse sibi, ac propria fecisse. Quod de externa specie, et adumbratione non satis apte interpretari possis. Atque hoc in Paschali oratione 17. distinctius aperit : ubi scribit, « (3) Dei filium carnis suæ generationem propriam sibi dispensatione fecisse; eodemque modo, cum genitoris sui esset sapientia, progressus habere dici in sapientia, quamvis omni esset ex parte perfectus ut Deus : eo quod quæ humanitatis propria sunt, ob summam conjunctionem, merito in seipsum assumeret. »

Præterea in libro Thesauri 28. hoc quod Evangelista narrat, Christum *ætate, et sapientia profecisse, atque gratia*, quod Eunomius objiciebat, contendit ad illum referri non posse, qua Dei filius, et Verbum est : « (4) Qui enim progressionem ullam caperet; aut quomodo imperfectus esset ille, qui est æqualis Deo? Necesse est enim et illum esse imperfectum, cui est æqualis, si sic habet filius ejus, ut vos dicitis. » Vide ejusdem scholia de Incarnatione [1], capite 14. et 27.

IV. Ambrosius vero reipsa Christum profecisse, et incrementum cepisse, ut ætatis, ita sapientiæ, gratiæque, perspicue magis quam ceteri omnes affirmare videtur in libro de Incarnatione : « Quomodo proficiebat, *inquit*, sapientia Dei? Doceat te ordo verborum. Profectus est ætatis, et profectus sapientiæ, sed humanæ est. Ideo ætatem ante præmisit, ut secundum hominem crederes dictum. Ætas enim non divinitatis, sed corporis est. Ergo si proficiebat ætate hominis, proficiebat sapientia hominis. Sapientia autem sensu proficit, quia a sensu sapientia. Jesus autem proficiebat ætate, et sapientia. Quis sensus proficiebat? Si humanus; ergo et ipse susceptus est. Si divinus; ergo mutabilis per profectum. Quod enim proficit, utique mutatur in melius. Sed quod divinum est, non mutatur. Quod ergo mutatur, non utique divinum. Sensus igitur proficiebat humanus : sensum ergo suscepit humanum. Et ut sciamus, quia secundum hominem loquebatur, præmisit dicens : Puer autem crescebat, et confortabatur, et implebatur sapientia, et gratia Dei erat cum illo. Et puer nostræ nomen ætatis est; nec confortari virtus poterat Dei, nec crescere Deus, nec altitudo sapientiæ Dei, nec plenitudo divinitatis impleri. Quæ igitur implebatur, erat non Dei, sed nostra sapientia. » Tum Isaiæ locum eodem accommodat, qui est in octavo capite, *Priusquam sciat puer patrem, aut matrem, accipiet virtutem Damasci, et spolia Samariæ*; quibus ista subtexit : « Sapientiam enim Dei futura, et occulta non fallunt. Expers autem agnitionis infantia, per humanam utique imprudentiam, quod adhuc non didicit, ignorat. »

Quo in loco Christum secundum humanam naturam vere profecisse, adeo existimare videtur; ut ex eo contra Apollinaristas probet duplicem in Christo inesse sapientiam, et ex

(1) Cyril. tom. 5. par. 1. pag. 760. Φαίην δ' ὅτι καὶ ἐν νηπίῳ σοφίαν ἐκφῆναι τεθαυμασμένην ῥᾴδιόν τε, καὶ εὐήλατον ἦν αὐτῷ, ἀλλ' ἦν τὸ χρῆμα τερατοποιΐας οὐ μακρὰν, καὶ τοῖς τῆς οἰκονομίας νόμοις ἀνάρμοστον. Ἐτελεῖτο γὰρ ἀψοφητὶ τὸ μυστήριον. Ἠφίει δὴ οὖν οἰκονομικῶς τοῖς τῆς ἀνθρωπότητος μέτροις ἐφ' ἑαυτῷ τὸ κρατεῖν.

(2) Mox : Οὐκοῦν παντέλειος μὲν, καὶ ἀπροσδεὴς παντὸς ὁτουοῦν, καὶ γοῦν αὐξήσεως ὡς Θεὸς, ὁ ἐκ Πατρὸς Λόγος· οἰκειοῦταί γε μὴν τὰ ἡμῶν, ἐπεί τοι γέγονε καθ' ἡμᾶς.

(3) Id. Pasch. 17. pag. 230. Τῆς ἰδίας σαρκὸς τὴν γένvησιν οἰκειούμενος οἰκονομικῶς· οὕτω καὶ ὑπάρχων σοφία τοῦ γεγεννηκότος, προκόπτειν ἐν σοφίᾳ λέγεται· καί τοι παντέλειος ὢν ὡς Θεὸς, τὰ τῆς ἀνθρωπότητος ἴδια, διὰ τὴν εἰς ἄκρον ἕνωσιν, εἰς ἑαυτὸν εἰκότως ἀναλαβών.

(4) Id. 21. Thes. pag. 230. Ποίαν ἐπιδέξεται προκοπὴν; ἢ πῶς ἀτελής ἐστιν ὁ ὑπάρχων ἴσα Θεῷ; ἀνάγκη γὰρ ἀτελῆ κἀκεῖνον ὑπάρχειν, ᾧ ἐστιν ἴσος, εἰ οὕτως ἔχει καθ' ἡμᾶς. Idem repetit pag. 231. Vide et Eulogium apud Phot. cod. 229. pag. 425.

[1] To. 5. p. 789. et 796.

consequenti, substantiam. Siquidem divina sapientia, cum perfectissima sit, nullis auctibus succrescit : « sed humana, quæ quod adhuc non didicit, ignorat. »

V. At Petrus Lombardus Magister sententiarum [1], hujus Ambrosiani loci invidiam emollire conatur, asserens, id quod res ipsa monstrat, duplicem in Christo reperiri sapientiam; unam divinam, et increatam; alteram animæ propriam, et creatam; quam Propheta significat dicens [2], *Requiescet super eum spiritus sapientiæ, et intellectus.* Hanc igitur humanam, et creatam sapientiam profecisse dici ab Ambrosio credit; « ut quantum ad visum hominum, et sui sensus ostensionem, Christus profecisse dicatur. Proficiebat ergo humanus sensus in eo, secundum ostensionem, et aliorum hominum opinionem. Ita etiam patrem, et matrem dicitur ignorasse in infantia; quia ita se habebat, et gerebat, ac si agnitionis expers esset. » Hæc quanquam vera sunt, ut paulo post dicam, tamen difficile cum Ambrosii verbis conciliari possunt. Nam nihil Apollinarem, et similem hæreticum offenderent, si sic intelligerentur; nec duplicem fuisse sapientiam in Christo, satis inde constaret; cum de divina sola recte dici possit, eam, pro ætatis, et corporis incremento, majora sui paulatim indicia protulisse; non ut ipsa cresceret, sed ut apta cuique, et congruentia opera intuentibus exhiberet. Idem enim est minorum in mundo, qui et majorum auctor operum Deus: et idem viventibus progressiones, et incrementa constituit ætatum, quibus adolescerent, et ex imperfectis perfectiora pedetentim fierent. Quare ut eamdem, sine ulla sui mutatione, vim ac virtutem, imo et sapientiam, ac bonitatem, minorem, majoremque prodit externa significatione operum suorum; ita et in humano corpore vices illas, et accessiones una, eademque poterat exercere divina sapientia. Non igitur firmo satis argumento Apollinaris insaniam, aut Arii compesceret Ambrosius, si ex Magistri sensu illa scripsisset. Sed de Ambrosio satis.

VI. Fulgentius in primo libro ad Trasimundum, capite septimo, similiter atque Ambrosius verum agnoscit in Christo ut ætatis, ita sapientiæ profectum : cujus verba superius attulimus [3]. Quibus adjicienda modo sunt, quæ in tertio libro, capite 28. ejusdem operis scribit : « Sapientia quoque novimus, *ait*, Christum secundum animam profecisse; sed sapientia Christus non potuit cum anima proficiente proficere : ac per hoc idem Christus et in carne sua crevit, et in anima sua profecit, qui tamen et in carne sua crescens, et in anima sua proficiens, nec cum anima sua proficere, nec cum carne sua potuit ætatis incrementa sentire. » Quod Fulgentii dictum consentaneum est alteri illi, quod generatim edidit in capite 16. ejusdem libri: « Quia totum hominem Deus ille suscepit, ideo totius hominis in se passiones in veritate monstrasse; et animam quidem rationalem habentem, quidquid fuit infirmitatis animæ, sine peccato, et suscepisse, et pertulisse, etc. » Est autem infirmitas animæ ignorantia, et profectus sapientiæ.

Luculenter quoque Vigilius libro quinto contra Eutychen, eidem suffragatur opinioni [4], dum adversus Monophysitas totus incumbit in utramque probandam Christi substantiam, ac præsertim humanam : ad cujus adstruendam fidem, Scripturæ sententias assumit illas, quibus [5] *electus et servus* appellatur Christus, aut [6] *crevisse, et confortatus esse, impletusque sapientia* dicitur. « Non enim, *ait*, natura Verbi est confortari, cum ipsa sit virtus : nec crescendi augmenta suscipere, cum perfecta sit in seipsa : nec sapientia impleri, cum ipsa impleat omnia, etc. Quia ergo Verbi naturæ ista non conveniunt in Christo, carni ejus congruant necesse est : secundum quam jure dicitur servus electus, jure confortatus, jure sapientia impletus, jure crevisse. » Subjicit Isaiæ verba illa de puero [7], *Antequam sciat respuere malum, et eligere bonum;* ad quæ ita disputat: « Numquid naturam Verbi tantæ audemus ignorantiæ subjicere, cui nec præterita nec futura habentur occulta? » Deinde Lucæ ista profert [8] : *Jesus autem proficiebat ætate, et sapientia, et gratia apud Deum, et homines.* Et, « Si Verbi proficiebat, *inquit*, in eo natura; ergo mutabilis facta est per profectum. Quod enim proficit, mutatur in melius. » Quod ex Ambrosio sumpsit.

His accedit Rupertus libro primo in Genesim, capite 21. ubi locum illum Isaiæ [9] tractans, in quo *requievisse super Christum* dicitur *spiritus sapientiæ, et intellectus*, sic scribit : « Quia ille, in quem hæc dicuntur, cum non tantum homo, sed et Deus sit, licet secundum humanitatem, sapientia, ætate, et gratia profecerit; attamen secundum id, quod

[1] In 3. Dis. 13. D. — [2] Isa. 11. — [3] Cap. 1. § 8.

[4] Vigil. lib. 5. to. 4. Bibl. col. 528. — [5] Isa. 42. — [6] Luc. 2. — [7] Isa. 7. — [8] Luc. 2. — [9] Isa. 11.

est, et erat Deus, nullum profectum habuit: sed cum esset ipsa sapientia, de supernis suis ad ima nostra descendit. Verum creatura non solum humana, sed et angelica profecit. »

VII. Sunt tamen plerique, qui profectum illum Christi in scientia, et gratia sic interpretantur, ut ad speciem referant, et ostensionem, id est φανέρωσιν: quod pedetentim majoribus, ac perfectioribus indiciis latentem in se gratiam, ac sapientiam proderet.

Athanasius in oratione quarta contra Arianos, etsi primum veram videatur agnoscere progressionem, subinde tamen ad hoc, quod dixi, reflectit orationem suam. Sic enim ille, « (1) Non igitur Verbum, qua Verbum, *inquit*, erat id, quod proficiebat: utpote quod perfectum est e perfecto Patre, rei nullius indigens, sed et alios ad profectum deducens. Verum humano more dictum est hoc loco proficere, quandoquidem proprius est hominum profectus. » Idcirco prius Evangelistam observat ætatis posuisse profectum, quam sapientiæ, ut hoc de homine dictum intelligeres, qui solus istius est incrementi capax.

Mox autem quæ ratio fuerit augmenti illius, declarat sic: « (2) Corporis igitur proprius est ille profectus. Etenim proficiente ipso, proficiebat in eo divinitatis apud illos, qui intuebantur, ostensio. Quanto autem magis divinitas aperiebatur, tanto copiosius augebatur apud omnes homines, tanquam homini, gratia. » Quare profectum istiusmodi in eo consistere putat, quod evidentiora dabat signa divinæ sapientiæ, ac virtutis, pro eo ac se quotidianis auctibus ætas explicabat. « (3) Quid est, *inquit*, ille qui dicitur profectus? Nempe, ut dixi, deificatio illa est, et gratia hominibus ab sapientia communicata: cum in ipsis peccatum et insita corruptela deleretur, ad similitudinem, et cognationem carnis Verbi. Sic enim augescente secundum ætatem corpore, augebatur etiam in eo divinitatis ostensio: palamque monstrabatur omnibus, templum ipsum esse Dei, ac Deum in corpore. » Quod si quis tamen pertinacius obluctetur, pergit idem [1], et de Christo ipso profectum illum intelligi oportere contendat; id eatenus concedendum esse dicit, ut non de divinitate ipsius, sed de humana natura dici istud existimetur.

VIII. Hoc illud nimirum est, quod superiori capite dixi [2], complures illorum Patrum, qui inscitiæ aliquid in homine Christo initio fuisse significant, et videlicet sciendi accessionem, et profectum; magis id κατὰ συγχώρησιν, et concessione quadam usurpasse, ut Arianos, et Eunomianos abundantiore vi argumentationis obruerent, quam quod revera, et ex animi sui sententia istud asseverarint: cum satis haberent in præsentiarum, quoquo modo testimonium de Christo illud acciperetur, nihil ad Christi divinitatem, ejusque cum paterna substantia cognationem infringendam pertinere. Sic enim Athanasium hoc loco videmus, qui ignorantiam in Christo fateri visus est, non tam affirmate profectum in eodem sapientiæ liquidum ac verum agnoscere; et quem hominis proprium esse dixerat, eo subinde modo declarasse, qui sit ipsi divinitati minime pœnitendus. Quis enim non eo genere profectus Deum ipsum in Christo progressus habuisse confiteatur, quo homini tribuit Athanasius, ut clariora in dies signa, et effecta sui daret iis, qui intuebantur hominibus? tum quod robustiora eadem, et vegetiora proferret effecta bonitatis, ac munificentiæ, quibus filios Dei, ac deos quodammodo mortales efficeret?

Quo illud Gregorii Nazianzeni spectat in epistola priore ad Cledonium; ubi anathema dicit iis, qui Christum asserunt ex operibus perfectum fuisse; vel post baptismum, aut resurrectionem adoptatum esse in filium; ejusque rei rationem istam subjicit: « (4) Quod enim initium habuit, aut proficit, aut perficitur, non est Deus; tametsi hæc idcirco de eo dicantur, quod paulatim sese patefecerit. » Quod igitur in Evangelio proditum est, Christum *sapientia et gratia profecisse*,

(1) ATHAN. pag. 289. Οὐκ ἄρα ὁ Λόγος ἦν, ᾗ Λόγος ἐστὶν, ὁ προκόπτων, ὁ τέλειος ἐκ τελείου τοῦ Πατρὸς ὢν, ὁ μηδενὸς δεόμενος, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους εἰς προκοπὴν ἀνάγων. Ἀλλὰ ἀνθρωπίνως εἴρηται καὶ ἐνταῦθα προκόπτειν· ἐπεὶ καὶ τῶν ἀνθρώπων ἐστὶ πάλιν ἡ προκοπή.

(2) Ibid. Τοῦ σώματος ἄρα ἐστὶν ἡ προκοπή. Αὐτοῦ γὰρ προκόπτοντος, προέκοπτεν ἐν αὐτῷ καὶ ἡ φανέρωσις τῆς θεότητος τοῖς ὁρῶσιν. Ὅσῳ δὲ ἡ θεότης ἀπεκαλύπτετο, τοσούτῳ πλέον ἡ χάρις ηὔξετο ὡς ἀνθρώπῳ παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις.

(3) Ibid. Τίς δέ ἐστιν ἡ λεγομένη προκοπή; καθὰ προεῖπον ἡ μεταδιδομένη παρὰ τῆς σοφίας τοῖς ἀνθρώποις θεοποίησις, καὶ χάρις, ἐξαφανιζομένης ἐν αὐτοῖς τῆς ἁμαρτίας, καὶ τῆς ἐν αὐτοῖς φθορᾶς, κατὰ τὴν ὁμοιότητα, καὶ συγγένειαν τῆς σαρκὸς τοῦ Λόγου. Οὕτω γὰρ αὐξάνοντος ἐν ἡλικίᾳ τοῦ σώματος, συνεπεδίδοτο ἐν αὐτῷ ἡ τῆς θεότητος φανέρωσις· καὶ ἐδείκνυτο παρὰ πᾶσιν ὅτι ναὸς Θεοῦ, καὶ Θεὸς ἦν ἐν τῷ σώματι.

(4) NAZIANZ. pag. 739. Τὸ γὰρ ἠργμένον, ἢ προκόπτον, ἢ τελειούμενον, οὐ Θεὸς, κἂν διὰ τὴν κατὰ μικρὸν ἀνάδειξιν οὕτω λέγηται

[1] Athan. ib. p. 290.

[2] § 5

de sola interpretatur ἀναδείξει, quæ est φανέρωσις, id est *manifestatio* ; etiam quatenus ad humanam naturam refertur. Nam de Christo loquitur, non qua Verbum est; sed qua est ejusmodi, ut de eo quæri possit an adoptivus filius dici debeat, quod utique ad hominem pertinet. Quare ne ut homo quidem erat profecisse videtur Gregorio, præter quam ostensione sola : qua ratione minime sit indignum profecisse Deum credere.

Idem in oratione 20. quæ est funebris in S. Basilium, disertius hoc ipsum explicat, non habuisse progressus ullos in sapientia, et gratia Christum Dominum. « (1) Ille, *inquit*, proficiebat ut ætate, ita sapientia, et gratia; non quod incrementum ista caperent. Quid enim eo, quod ab initio perfectum extitit, posset esse perfectius ? sed quod hæc paulatim aperirentur, ac sese proderent. » Quem locum Gregorii Nazianzeni refert in Catena sanctus Thomas.

IX. Amphilochius quoque adeo persuasum habet, ne ut hominem quidem profecisse Christum, ut ejus vitandi gratia Lucæ locum interpretatione haud sane consentanea detorserit. Nam profecisse dicit illum « (2) sapientia, propter eos, quos sapientes reddebat : gratia vero, ea scilicet, qua oblectati nos ipsi proficimus, credentes ea perfectum iri, quæ de nostra spe ille prædicavit. » Sic apud Deum profecisse ait idem, quatenus opus Patris implevit, assumpta carne, et nobis redemptis : apud homines vero, quod ab idolorum superstitione, ad Trinitatis illos notitiam transtulit. « (3) Hoc modo profecisse Christum » asserit, « non autem a deteriori in melius esse promotum, ut stultis placet. » Verum ut vera hæc Amphilochii est opinio, ita nec necessaria, nec probabilis est illa profectus ratio, expositioque Lucæ; multoque est expeditior communis altera, quæ sola ἐκφάνσει, vel φανερώσει, id est *significatione*, et *ostensione* illa sapientiæ incrementa metitur.

Quam et Cyrillus Alexandrinus in tertio contra Nestorium ita confirmat. Cum enim Emmanuelem, qui Deus erat, ex utero matris hominem prodiisse dixisset, plenum omni sapientia, et gratia; ideo revera illum profecisse negat : et quod ab Evangelista scriptum est, profecisse ut ætate, ita et sapientia, gratiaque Christum, id ad solam refert eorum, quæ perfectissima jam ipsi inerant, ornamentorum significationem et ἔκφανσιν. Cujus loci priora verba jam retuli antecedenti capite [1]. Posteriora, quibus profectum illum declarat, sunt hujusmodi : « (4) Quomodo igitur profecisse dictus est ? Nimirum, ut ego arbitror, quod Deus Verbum cum incremento, et ætate corporis sui, divinorum bonorum significationem commensus fuerit. » Quocirca profecit ideo Christus homo sapientia, et virtute, quod pro ætatum modulo illius argumenta, et indicia præbuit : neque qualis maturo jam, et viro congruebat indoles, eam in infantili, aut puerili habitu corporis expressit, ne non satis pro vero sese homine gereret, vel monstri et ostensi instar haberetur.

Sed rationem cur minime profecerit statim subjicit Cyrillus observatione non indignam. Cum enim Nestorius Christum, « (5) paulatim progressione facta, pervenisse » diceret « ad pontificiam dignitatem : » arguit hoc Cyrillus, et quærit de illo, quomodo ad sacerdotalem functionem sensim profecerit, et utrumnam accessione virtutis id sit aliqua factum. Hoc vero dictu nefas esse, probat ex eo « (6) quod quidquid abest a perfectione virtutis, vituperatione dignum est, neque per omnia laudandum, imo vero fortasse culpæ tribuendum est. Atqui verum istud est [2], non eum fecisse peccatum, neque inventum esse dolum in ore

(1) NAZIANZ. orat. 20. pag. 343. Ἐκεῖνός τε γὰρ προέκοπτε, φησὶν, ὥσπερ ἡλικίᾳ, οὕτω δὴ καὶ σοφίᾳ, καὶ χάριτι· οὐ τῷ ταῦτα λαμβάνειν αὔξησιν· (τί γὰρ τοῦ ἀπ' ἀρχῆς τελείου γένοιτ' ἂν τελεώτερον); ἀλλὰ τῷ κατὰ μικρὸν παραγυμνοῦσθαι, καὶ παρεκφαίνεσθαι.

(2) AMPHIL. pag. 130. Σοφίᾳ, διὰ τοὺς παρ' αὐτοῦ σοφιζομένους· χάριτι, ἐφ' ᾗ εὐφραινόμενοι προκόπτομεν, πιστεύοντες ὅτι ἔσται τελείωσις τοῖς ὑπ' αὐτοῦ λελαλημένοις περὶ τῆς ἐν ἡμῖν ἐλπίδος.

(3) Ibid. Κατὰ τούτους οὖν τοὺς τρόπους προέκοπτε, καὶ ἀληθεύει· οὐ γὰρ κατὰ τοὺς ἄφρονας ἀπὸ τοῦ χείρονος ἐπὶ τὸ κρεῖττον.

(4) CYRIL. tom. 6. pag. 87. A. Πῶς οὖν ἄρα προκόπτειν εἴρηται ; συμμετροῦντος, ὥς γε οἶμαι, τοῦ Θεοῦ Λόγου τῇ τοῦ ἰδίου σώματος αὐξήσει τε, καὶ ἡλικίᾳ τῶν ἐνόντων αὐτῷ θεοπρεπεστάτων ἀγαθῶν τὴν ἔκφανσιν.

(5) NESTOR. apud Cyrill. lib. 3. cont. Nest. t. 6. pag. 84. Οὗτος, ὁ κατὰ μικρὸν, αἱρετικὲ, εἰς ἀρχιερέως προκόψας ἀξίωμα.

(6) Ibid. pag. 87. Εἶτα πῶς ἄν ; ἢ πόθεν ενδοιάσειέ τις, ὅτι τὸ ἡμαρτηκὸς τοῦ τελείως ἔχοντος κατὰ ἀρετὴν, ὑπὸ μῶμον ἔσται, καὶ οὐκ εἰς ἅπαν τεθαυμασμένον, μᾶλλον δὲ τάχα που καὶ ὑπὸ γραφὴν ἁμαρτίας ; ἀλλὰ μὴν ἀληθὲς, ὅτι οὐ πεποίηκεν ἁμαρτίαν, οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ, καθὰ γέγραπται. Παντέλειος οὖν ὁ τοιόσδε πρὸς πᾶν ὅ, τιοῦν, καὶ κατ' οὐδένα τρόπον ἂν ἔχοι τὸ ἐνδεὲς τοῦ ἀρτίως ἔχοντος εἰς κατόρθωσιν ἀρετῆς.

[1] § 9.

[2] 1. Pet. 2.

ejus, uti scriptum est. Ejusmodi igitur omni ex parte perfectus est, nec illi quidquam deest ad absolutam numeris omnibus virtutem. » Verum non videtur consequens, ibi esse culpam, ac peccatum, ubi non est absoluta perfectio. De qua re dixi alibi [1], cum de perfectione Dei agebatur, et quemadmodum dextre illud accipi debeat, exposui. Idem in commentariis in Joannem [2], profectum illum refert ad speciem, et externam significationem eodem se habentis ex sese modo sapientiæ.

X. Theodoretus in libro quinto de Hæreticis fabulis, cap. 13. adversus Apollinaristas probat, Christum animam suscepisse cum corpore, hoc ipso Evangelii testimonio, quod non solum ætate, sed etiam *sapientia, et gratia* illum profecisse dicit. Atqui profectus iste animæ proprius est, non divinitatis. Modum autem proficiendi sic explicat : « (1) Merito, *inquit*, cum ætatis incremento, conjunxit profectum sapientiæ. Nam pro mensura ætatis corporeæ, divina natura propriam revelabat sapientiam. » Quæ ratio non satis ad institutam argumentationem facere videtur. Non enim ex eo sequitur, humanam cum carne animam assumpsisse Christum, quod sapientia, et gratia profecisse legitur, si profectus ille in sola sapientiæ declaratione consistit: quoniam, etsi animæ locum, aut mentis, divinitas impleret, ut Apollinari visum est, posset eodem modo dici, profecisse sapientia Christus; quatenus latens in carne divinitas, pro ætatis incrementis, diversa, et prioribus perfectiora consequentia daret indicia virtutis, et sapientiæ.

Joannes vero Damascenus diserte accurateque pronuntiat, solius demonstrationis, et significationis talem Christi profectum extitisse : « (2) quod videlicet sapientiam, quæ inerat ipsi, in apertum promeret.» Addit huic alteram profectus illius interpretationem, quam ex Amphilochio paulo ante commemoravimus, minimeque probabilem esse diximus: nempe Christum in se illa transtulisse, quæ nostra sunt; ut, quoniam homines illius hoc adventu, ac beneficio sunt adepti, ut sapientia perficerentur, et gratia, istud ipsum, quod membris ejus convenit, capiti tribuatur. Ceterum eos, quibus vere profecisse Christus videtur, pessime sentire, et Nestorianæ perfidiæ affines esse judicat. Quem locum superiori capite reddidimus [3].

XI. Hieronymus in commentariis ad Hieremiam, hæc verba capitis 31. *Fœmina circumdabit virum*, interpretatur de Christo, « qui juxta incrementa quidem ætatis, per vagitus, et infantiam proficere videbitur sapientia et ætate : sed perfectus vir, in ventre fœmineo solitis mensibus continebitur. » Ubi perfectum virum nonnisi sapientia fuisse significat, in qua nullum progressum habuit. Ita nulla inscitia fuscatus est. Quod ita sensisse videtur Augustinus, ut eamdem illam, quæ minus probata nobis est, de profectu Christi sententiam approbet in libro Octoginta trium quæstionum, quæstione 75. Ibi enim sic [4] *hæredem* appellari Christum asserit, cujus et nos *cohæredes* dicimur, quemadmodum idem *profecisse ætate, ac sapientia* legitur: quod de ejus corpore, hoc est Ecclesia, debet accipi. « Si enim pietas, *inquit*, hoc non admittit, ut primo ex parte videret homo Dominicus, deinde ex toto, quanquam in sapientia proficere dictus sit, in corpore suo intelligatur hæres : id est Ecclesia, cujus cohæredes sumus. » Proficere sapientia Christum ecce sic explicat, ut hoc de membris ejus, id est Christianis intelligatur, qui in Dei cognitione progressum faciunt.

Alias autem sic de eo profectu loquitur, ut verum in Christo significare videri possit, ut in sermone 57. de Diversis, « In hac forma descendit, (inquit de humanitate agens Christi Domini,) in hac forma secundum Evangelium sapientia, et studio profecit ; in hac forma patiens fuit, in hac forma fortiter dimicavit, in hac forma mortuus est, etc. » Ut igitur non specie sola, et ostensione, sed reipsa, vereque passus, et mortuus est ; sic eumdem vere profecisse sapientia consequens videtur. Alioqui causæ nihil esse dixerit aliquis, cur hæc omnia, quæ in unum recensendo collegit, non eodem illi modo tribuantur.

XII. Solet ab infimæ vetustatis scriptoribus laudari Gregorius papa, contrariæ et veræ auctor opinionis, quæ sola patefactione scientiæ hujus in Christo progressum æstimat : qui locus minime est omittendus. « Juxta hominis, *ait*, naturam proficiebat sapientia, non quod

(1) THEODORET. lib. 5. de Hær. cap. 13. Εἰκότως δὲ συνέζευξε τῇ τῆς ἡλικίας αὐξήσει τὴν τῆς σοφίας ἐπίδοσιν. Πρὸς γὰρ τὸ μέτρον τῆς τοῦ σώματος ἡλικίας ἀπεκάλυπτεν ἡ θεία φύσις τὴν οἰκείαν σοφίαν.

(2) DAMASC. lib. 3. cap. 22. Διὰ δὲ τῆς αὐξήσεως τῆς ἡλικίας τὴν ἐνυπάρχουσαν αὐτῷ σοφίαν εἰς φανέρωσιν ἄγων.

[1] Tom. 1. l. 6. c. 7. § 6. et seq.

[2] Cyr. l. 1. in Joan. pag. 96. — [3] § 11. — [4] Rom. 8.

ipse sapientior tempore, qui a prima conceptionis hora spiritu sapientiæ plenus permanebat: sed eamdem, qua plenus erat, sapientiam ceteris ex tempore paulatim demonstrabat. Juxta hominis naturam proficiebat gratia; non quod ipse non habebat, per accessum temporis accipiendo, sed pandendo donum gratiæ, quod habebat apud Deum, et homines. Quia quantum proficiente ætate patefaciebat dona gratiæ hominibus, quæ sibi inerant, et sapientiæ, tantum eos ad laudem Dei excitabat per considerationem ipsius sapientiæ et gratiæ, quas Deus ipsi contulerat. Sic et Deo Patri ad laudem, et hominibus ad salutem proficiebat. » Hic locus Gregorii papæ nomine in Glossa ordinaria descriptus est; et ab Magistro sententiarum itidem citatus [1]. Sed Bedæ est in homilia Dominicæ primæ post Epiphaniam. Cujus tamen contrarius videtur esse sensus in commentariis ad illud Lucæ caput, ubi reipsa profecisse sapientia Christi animam indicat, ita scribens: « Sicut est carnis ætate proficere, sic est animæ rationalis sapientia et gratia proficere: non quod hoc eguerit susceptor Deus; præsertim cum supra plenus fuisse sapientia describitur: sed quia hoc pro remedio nostræ salutis suscipere elegit ut, cum caro et anima rationalis a Deo suscipitur, utraque pariter salvaretur. » Quæ sane verba verum fuisse sapientiæ, et gratiæ in anima progressum declarant, sicut verus fuit ætatis in carne profectus.

At Joannes geometra [2] verum hunc non putat extitisse profectum, in illo scilicet, « in quo ab ipsamet unione omnis plenitudo inhabitaverit divinitatis: sed tanquam divina gratia, atque virtute paulatim ab ipso demonstrata, aut etiam corpori, quasi instrumento ad operandum sensim capaciori reddito, coaptaretur cum ficta ars, tum scientia. »

Ita etiam Titus Bostrensis vulgo nominatus in commentario ad Lucæ caput secundum. « (1) Implebatur, *ait*, sapientia, et gratia, non quod ejus accessionem ullam caperet: semper enim ex divinitate quod plenum, et perfectum est habebat: verum ideo quod Deus Verbum una cum corporis ætate, paulatim sapientiæ, atque gratiæ ostensionem explicaret. »

Ut huic capiti, controversiæque clausulam apponam, hoc pro certo, communiore, ac recepto magis, ex sensu et auctoritate veterum asseveraverim: nihil neque sapientiæ, ac scientiæ, neque gratiæ aut virtutis acquisisse progressu ætatis hominem Christum; sed nec eum latuisse quidquam eorum, quæ præterita jam erant, aut præsentia, aut vero futura essent aliquando. Utrum autem quidquid a Deo potest fieri, id clare, distincteque norit, id alterius est controversiæ, quam in capitibus sequentibus disceptare conabimur: ac simul varia scientiæ perstringemus genera, quæ vulgo illi ab theologis solent tribui: ex quibus nonnullæ sunt, in quibus verior, ac magis proprie dictus profectus inveniri possit.

Interim communem illum nostrum cum Catholicis omnibus de Christo Domino sensum generalis decreto Synodi firmiorem faciemus. Quinta Synodus in canone 12. sic contra Theodorum Mopsuestenum sancivit: (2) *Si quis defendit impium Theodorum Mopsuestenum, qui dixit, alium esse Deum Verbum, et alium Christum a passionibus animæ, et desideriis carnis molestias patientem, et a deterioribus paulatim recedentem, et sic ex profectu operum melioratum, et a conversatione immaculatum factum, et tanquam purum hominem baptizatum esse in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et per baptisma sancti Spiritus gratiam accepisse, et filiationem meruisse, etc. anathema sit.*

Verum pene imprudentibus nobis luculentissimus excidit Bernardi locus ex homilia secunda de laudibus B. Mariæ virginis, in illa verba, *Missus est*, etc. In qua uberrime declarat, nullum perfectionis incrementum in anima Christum habuisse: sed virum etiam tum fuisse, cum adhuc infans vel in utero gestaretur, vel materno foveretur in gremio. « Neque enim, *inquit*, minus habuit sapientiæ, vel potius non minor fuit sapientia Jesus conceptus, quam natus; parvus, quam magnus. Sive ergo latens in utero, sive vagiens

(1) TITUS Bostr. tom. 13. bibl. p. 778. Ἐπληροῦτό τε σοφίας, καὶ χάριτος, οὐκ ἐν τῷ προσλαμβάνειν, (ἀεὶ γὰρ τῇ θεότητι τὸ πλῆρες εἶχεν·) ἀλλὰ τοῦ Θεοῦ Λόγου τῇ τοῦ σώματος ἡλικίᾳ συνεκτείνοντος κατὰ βραχὺ τῆς σοφίας, καὶ τῆς χάριτος τὴν ἐμφάνειαν.

(2) Quinta syn. coll. 8. can. 12. Εἴ τις ἀντιποιεῖται Θεοδώρου τοῦ ἀσεβοῦς τοῦ Μομψυεστίας, τοῦ εἰπόντος ἄλλον εἶναι τὸν Θεὸν Λόγον, καὶ ἄλλον τὸν Χριστὸν ὑπὸ παθῶν ψυχῆς, καὶ τῶν τῆς σαρκὸς ἐπιθυμιῶν ἐνοχλούμενον, καὶ τῶν χειρόνων κατὰ μικρὸν χωριζόμενον, καὶ οὕτως ἐκ προκοπῆς ἔργων βελτιωθέντα, καὶ ἐκ πολιτείας ἄμωμον καταστάντα, ὡς ψιλὸν ἄνθρωπον βαπτισθῆναι εἰς ὄνομα Πατρὸς, καὶ Υἱοῦ, καὶ ἁγίου Πνεύματος, καὶ διὰ τοῦ βαπτίσματος τὴν χάριν τοῦ ἁγίου Πνεύματος λαβεῖν, καὶ υἱοθεσίας ἀξιωθῆναι, etc. ἀνάθεμα ἔστω.

[1] In 3. Dis. 13. B.

[2] In Cat. Lucæ a P. Cord. edita.

in præsepio, sive jam grandiusculus interrogans doctores in templo, sive jam perfectæ ætatis docens in populo : æque profecto plenus fuit Spiritu sancto. Nec fuit hora in quacumque ætate sua, qua de plenitudine illa, quam in sui conceptione accepit in utero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adjiceretur. Sed a principio perfectus, a principio, inquam, plenus fuit spiritu sapientiæ et intellectus, spiritu consilii et fortitudinis, spiritu scientiæ et pietatis, et spiritu timoris Domini. » Mox illud Evangelistæ de profectu Christi declarans, « Nam quod de sapientia et gratia hic dictum est, *inquit*, non secundum quod erat, sed secundum quod apparebat, intelligendum est ; non quia videlicet aliquid ei novum accideret, quod ante non haberet; sed quod accidere videretur, quando volebat ipse ut videretur. Tu homo cum proficis, non quando, nec quantum vis, proficis : sed te nesciente, tuus moderatur profectus, tua vita disponitur. At vero puer Jesus, qui disponit tuam, ipse disponebat et suam , et quando volebat, et quibus volebat, sapiens apparebat ; quando et quibus volebat, sapientior ; quando et quibus volebat , sapientissimus ; quanquam in se nunquam esset nisi sapientissimus. Similiter et cum semper omni gratia plenus fuisset, sive quam apud Deum, sive quam apud homines habere deberet, pro suo tamen arbitrio, eam nunc plus (nunc) minus ostentabat, prout cernentium vel meritis congruere, vel saluti expedire sciebat. »

CAPUT TERTIUM.

Ecquid perfecta cognitione Christus homo divinitatem comprehendat. — 1. Ferrandus hanc quæstionem proposuit Fulgentio. Hic autem affirmando respondit ; — 2. et rationibus aliquot probavit. — 3. Discrimen tamen constituit inter divinam, et humanam scientiam. — 4. Hugo Victorinus in eadem fuit opinione. — 6. Sed ea refellitur ; — 7. et ejus firmamenta labefactantur. — 8. Magistri sententiarum eadem fuit sententia. — 9. Cujus ludicra ratio refutatur. — 10. Excusantur probabili ratione Patres illi, qui animæ Christi omniscientiam, et comprehensionem divinitatis imputant.

I. Ferrandus Carthaginensis diaconus, ac Fulgentii discipulus quæstionem hanc magistro proposuit ita conceptam [1] : « Utrum anima Christi susceptricis deitatis plenam habeat omnino notitiam : et quemadmodum se invicem Pater, et Filius, et Spiritus sanctus ; ita idem Filius seipsum per id, quod homo est, in eo quod Deus, noverit, ex utraque, atque in utraque substantia totum capiens Patrem. An forte sicut oculis corporalibus Deum spiritum minime videt, ne non homini dignitas addita, sed natura credatur penitus commutata : sic rationalis animæ quamvis pio intellectu, et corde mundissimo, non videri, neque comprehendi omnem divinitatis essentiam ; ne quælibet creatura inveniatur capere Creatorem. »

Huic quemadmodum Fulgentius respondeat, operæ pretium sit cognoscere. Longa est ejus illa de re disputatio : in qua plene Deum nosse Christi animam statuit. « Anima quippe, *inquit*, illa cum Verbo unus est Christus, anima illa cum Verbo, unus est unigenitus Deus. Et quia unigenitus Deus æqualis est Patri, nec potest totum nosse Filium, qui totum non noverit Patrem, caveamus ne cum anima Christi totum Patrem nosse non creditur, ipsi uni Christo ex aliqua parte, non solum Patris, sed etiam sui, et Spiritus sancti cognitio denegetur. Quam vero perdurum est, et a sanitate fidei penitus alienum, ut dicamus animam Christi non plenam suæ deitatis habere notitiam, cum qua naturaliter unam creditur habere personam. » Hæc Fulgentii ratiocinatio, Deum Patrem, adeoque divinitatem ipsam, quanta est ab anima Christi comprehendi cognitione probat ; et hoc uno firmamento nititur, quod anima illa cum Verbo copulata, unus est unigenitus Deus ; qui autem unigenitus est Deus, cum Patre uti natura, ita cognitione penitus adæquatur. Deinde nisi totum Patrem notitia complectitur, ne suam quidem divinitatem perfecte noverit , quod absurdum videtur.

[1] Apud Fulg. q. 3. Ferr. pag. 222.

II. Præterea Christus homo *singularem*, *ac sine mensura largitatem spiritus* accepit. *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum,* ait de Christo Joannes Baptista [1]; significans, ceteros quidem, uti prophetas, aliosque sanctos, « mensuram largitatis accepisse; in Christo autem plenitudinem manere sancti Spiritus. » Ex quo sequi putat Fulgentius, « animæ Christi plenam totius divinitatis inesse notitiam; » quia si non ex toto cognosceret, partem haberet illuminationis, hoc est illuminantis Spiritus, non plenitudinem; et in creatarum rerum, ac participantium ordinem quodammodo redigeretur. « Ubi enim mensura non esse dicitur, ait idem Fulgentius [2], plenitudo perfectionis, et perfectio plenitudinis invenitur. » Mox Isaiæ testimonio [3] utitur, quo multiplex dari Christo spiritus dicitur, ac nominatim *sapientiæ*, et *intellectus*, ac *scientiæ*. Ex quo ita concludit [4]: Christum accepisse spiritum illum, non ad mensuram, sed totam ejus plenitudinem: ac proinde animam ejus (hæc enim est quæ illum accepisse dicitur, non autem divinitas ipsa) totam vim divinæ *sapientiæ*, ac *scientiæ*, et *intellectus* accepisse, hoc est [5] *thesauros omnes sapientiæ, et scientiæ Dei.* Quod si quippiam de illa cognitionis plenitudine detrahitur, ad mensuram spiritum excepisse dicetur: eo quod « in quantum spiritus datur, in tantum cognitio divinitatis accipitur. »

Ac subinde ista pertexit: « Non enim existimo illi animæ in aliquo plenam divinitatis deesse notitiam, cujus una est persona cum Verbo: quam sic sapientia suscepit, ut eadem sapientia ipsa sit; quæ rerum omnium in tantum facta est domina, ut cum ipsa divinitate sua una sit in Trinitate persona. » Siquidem Paulus apostolus Christum crucifixum *Dei virtutem* esse dicit [6], *Deique sapientiam.*

Ad hæc [7], « Christum, *inquit*, non solum secundum divinitatem, sed etiam secundum humanitatem vera fides totum altissimum confitetur, etc. Si autem non plenam habet anima Christi notitiam divinitatis suæ, non pervenit ad altitudinem plenam sapientiæ, et scientiæ Dei. Non ergo totus, sed ex parte Christus prædicetur altissimus, si anima ejus infra altitudinem divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei a fidelibus prædicatur. »

III. At enim si anima Christi totam divinitatem notitia complectitur, sequitur sic illam suam deitatem nosse, quemadmodum seipsa divinitas novit. Hoc cum sibi Fulgentius objecisset, statim dissolvit sic [8]: nosse quidem suam divinitatem Christi animam, *quantum illa*, sed non *sicut illa*, se novit; nimirum quod divinitas ipsa ita se norit, ut sit ipsa cognitio sua, et notitia, anima autem ejusque cognitio non sit deitas ipsa.

Hunc locum Fulgentii attulimus, et expendimus in libro septimo de Deo, capite extremo quarto; in quo de divinæ naturæ comprehensione disputavimus. Hic autem ejusdem meminisse nos oportuit, ut sapientiæ, ac scientiæ Christi ratio constaret; iis fere Fulgentii verbis omissis, quæ illic sunt descripta. Ac, quod ibidem notavimus, vera, proprieque dicta comprehensione Christi animam divinitatem suam nosse, Fulgentius existimavit, sed non eodem genere, quo se divinitas ipsa cognoscit. Qui modus divinitati peculiaris ille est ipse, in quo theologi recentiores veram et unicam proprietatem comprehensionis statuunt; nempe ut cognitio ipsa divinitas sit: quod Christi hominis scientiæ non convenit. Sed hoc alienum esse ab intima, et germana comprehensionis natura illic ostendimus. Quare ex Fulgentii mente liquet Christi animam totam comprehendisse divinitatem, etsi non tam perfecta fuit ipsa, ut ita loquar, cognitionis *substantia*, quam est illius, qua se divinitas ipsa cognoscit.

IV. Fulgentio subscripsit, imo ejus verba descripsit Albinus Flaccus in secundo libro de Trinitate, capite 12.

Hugo etiam monasterii S. Victoris ad Lutetiæ mœnia canonicus regularis, huic assentitur, scripto hac de re peculiari libello, in quo quæstionem hanc disceptat, *Utrum anima Christi æqualem cum divinitate scientiam habuerit.* Ac [9] primum rationem ponit eorum, qui æqualem negabant, quod nimirum creatura Creatori æqualis esse non possit. Cui sic ille respondet, etsi sit æqualis in anima Christi cognitio; non tamen eamdem inesse: siquidem « illa sapiens est, quia in ipsa sapientia est; Deus autem sapiens est, quia ipse sapientia est. » Ac post interjectam longissimam disputationem, quæ arguta magis est, quam necessaria, ita statuit [10]: ceteros participatione sapientiæ sapientes esse, prout magis, minusve communicatur; Christi vero animam plenitudine ipsa divinitatis, ac sapientiæ esse donatam [11]. « Una, *inquit*, est sapientia Dei, qua sapiens est anima Christi: nec par-

[1] Jo. 3. 34. — [2] Fulg. ib pag. 223. D. E. 1. — [3] Isa. 11. — [4] Fulg. ib. in Resp. ad qu. 3. Ferrandi, p. 223. E. 1.

[5] Col. 22. 3.— [6] 1. Cor. 1. — [7] Ibid.— [8] Ib. p. 224. B. 1. — [9] Hugo to. 3. p. 26. col. 2. — [10] Ib. f. 27. col. 1. — [11] Ibi

ticipando sapiens est, ut hoc vel illud in illa, et per illam sapiat; sed plenitudinem habendo, ut totum possideat. Non ergo dicamus tanta, aut quanta; sed dicamus, tota sapientia Dei in anima Christi est, et ex tota sapientia Dei anima Christi sapiens est, nec tamen æqualis Deo anima Christi est, quia sapientia Dei non est. Porro longe aliud est, sapientia sapere, et aliud, sapientiam esse: quia qui sapientia sapit, quod habet aliunde accepit; qui sapientia est, ex semetipso habet quod sapit. Illic gratia, hic natura, et idem illic gratia, quod hic natura: nec tamen illic gratia naturam ad immensitatem commutat, nec hic natura ad mensuram gratiam coarctat. Qui ergo audet dicere plenitudinem sapientiæ non fuisse in anima Christi, dicat plene sapientem non fuisse animam Christi. Tota igitur sapientia Dei erat in anima Christi, quia tota sapientia Dei unita erat, et corporata animæ Christi: nec tamen æqualis Deo erat anima Christi. »

Item, « Quid ergo, *inquit*, accepit anima Christi? Plenitudinem divinitatis, plenitudinem sapientiæ, plenitudinem virtutis. Totum, quod Deus est, accepit. Quomodo accepit? Non versibilitate naturæ, sed firmitate personæ. Accepit, non quia in illud essentialiter mutata est, sed quia ineffabiliter illi unita est. » Quinetiam « immensitatem *ait* habere, et æternitatem, et habere omnia per gratiam, quæ Deus habet per naturam. » Nec tamen sequi, « quod æterna, aut immensa esse possit; sed quod æterno, et immenso unita sit. »

V. Idem rursus in tractatu primo summæ Sententiarum, capite 16.[1] « quæri *ait* a quibusdam solere, utrum anima Christi sapientiam omnium rerum habuerit. » Quod ita esse sine ulla dubitatione confirmat, iisdem fretus argumentis, quæ ex Fulgentio, quem etiam nominatim ille laudat, supra retuli. Hæc eadem, nec diversis pleraque verbis, apud Magistrum sententiarum leguntur[2]: (ut alibi passim alter ex altero descripta verba reddidit.) Et animam Christi asserit « per sapientiam sibi gratis datam in verbo Dei, cui unita est; unde etiam perfecte intelligit; omnia scire, quæ Deus scit; sed non omnia posse, quæ potest Deus, nec ita clare et perspicue omnia capere, ut Deus: et ideo non æquatur creatori suo in scientia, etsi omnia sciat, quæ et ipse: nec est ejus sapientia æqualis sapientiæ Dei, quia illa multo est dignior, digniusque et perfectius omnia capit quam illius animæ sapientia. » Igitur quoniam Verbo et sapientiæ conjuncta est anima Christi, idcirco plene omnia scisse illam existimat; nec ad mensuram communicatam habuisse sapientiam, ex quo in personæ divinæ unitatem est assumpta: quod idem de omnipotentia usurpari vetat. At hanc etiam Christo homini tribuit Eusebius ille, qui de morte Hieronymi fabulosum commentarium scripsit ad Damasum papam[3]. « In te, *inquit*, fuit corporaliter, et est omnis plenitudo gratiæ. Non enim data fuit tibi gratia ad mensuram. Tua enim anima statim, cum unita inseparabiliter fuit divinitati, omnia perfecte scivit, et potuit, quæ ipsa scit, et potest divinitas. »

VI. Omnes illi, quos in medium adduximus, in eo conveniunt, ut in Christi anima plenam, et perfectam rerum omnium notitiam fuisse sentiant: omnium, inquam, excepta nulla, tam quæ olim extiterunt, aut modo sunt, aut in omnem æternitatem futuræ sunt: tum quæ possunt esse, sed nunquam erunt; quas *possibiles* Scholæ nuncupant. Harum enim nullam penitus excludunt rationes illæ, quas Fulgentius adhibet. Ceterum si in hac quæstione quid sit veritati maxime consentaneum petitur; dixi jam in septimo libro de Deo: ac totam hanc controversiam ita composui, ut animam Christi docerem omnia illa duntaxat cognoscere, quæ sunt, eruntve in perpetuam æternitatem, aut aliquando fuerunt. Quæ autem esse possunt, nec ullo tempore reipsa sunt, et *possibilia* vocantur, ea non penitus exhauriri creatæ rei ullius notitia; sed soli esse Deo, hoc est infinitæ sapientiæ perspecta: propterea quod id sit comprehendere Deum, quæcumque ab eo, tanquam a causa, proficisci queunt, scrutari, ac pervidere omnia. Quæ cum latissime illic exposita[4], disputataque sint, ex antiquorum theologorum, necnon recentiorum, imprimisque S. Thomæ sententia, nolo hic in iisdem inculcandis, ac repetendis tempus conterere.

VII. Quæ autem ab Fulgentio, aliisque, quos supra commemoravi, opponuntur argumenta, ea facile dissolvuntur, iis præsertim cognitis, et notatis, quæ in libro superiore adversus Ubiquistas explicata sunt. Etenim præcipuum illud est, quod ex arctissima naturæ humanæ cum Verbo conjunctione ducitur; qua fit ut tum divinitas ipsa, tum ejus proprietates omnes illi intime communicentur. Verum

[1] Eod. to. 3. f. 194. — [2] In 3. Disp. 14.

[3] To. 4. Oper. Hier. col. 1079. B. — [4] Vide lib. 7. de Deo, c. 3. et 4.

non eo modo, quo divinitati ipsi conveniunt, quam videlicet interius afficiunt, imo idem omnino sunt cum ipsa : tametsi a nobis intelligantur velut formæ quædam modificantes, et qualitatum instar in eadem hærentes. Non ita naturam humanam, animamve Christi divinæ illæ proprietates complent, et perficiunt ; sed *personaliter* tantum, non *essentialiter*, ut mos est in Scholis loqui. Siquidem divina natura, et quidquid hujus proprium est, humanitatem Christi velut externa quædam, hoc est non *inhærens* forma, circumscriptam, ac determinatam tenet. Quo fit ut non sapientia ipsa, vel scientia, qua Deus scit, et sapit, anima ipsa sciat et sapiat ; uti nec bonitate bona est, nec immensitate immensa ; nec æternitate divinitatis æterna : sed in illis subsistat, et cum iis copulata sit, et unita.

Quocirca uti humanitas Christi natura quædam, et essentia est, sive *entitas*, ut sic dicam, generis sui ; neque hoc illi divina præstat essentia et natura ; alioqui non humana esset natura, sive essentia, sed divina. Quippe divina natura, cuicumque tandem applicatur, uti formæ instar afficiat, hoc ei tribuit, ut quod est ipsa sit ; nimirum divinitas, vel Deus, non creatura : quemadmodum personalis proprietas, cui tanquam forma convenit, personam hoc esse divinam facit, non alterius notæ, ac generis. Quemadmodum ergo præter illam ipsam divinitatem, propriam quamdam habet humanitas Christi, naturæ rationem, et essentiæ, quæ creata est, et suis determinata modulis, ac numeris : sic præter divinitatis proprietates, peculiares habet alias, creatas et humanas ; sapientiam, scientiam, extantiam in tempore, et hujusmodi ceteras. Est autem ex creatarum genere proprietatum, uti substantiam, et extantiam in se vel in loco, sic notitiam, et intelligentiam habere certis finibus ac terminis circumscriptam. Quare non videtur in immensum patere hominis in Christo sapientia, ut cum divina paria faciat, non solum essentia, quod manifeste impium dictu sit, et hæreticum, sed etiam *extensione*, ut sic loquar, *objectiva*. Præsertim cum ex Scripturæ, communique Patrum decreto, cognitionis infinitas, sive comprehensio, et adæquata Dei cum ipsius immensitate notitia, creatæ cujuslibet substantiæ captum superans, uni sit attributa Deo.

VIII. Neque vero propterea de Christi dignitate detrahitur aliquid, aut eo minus verum est quod Joannes dixit, non esse Christo datum ad mensuram Spiritum sanctum ; vel *plenitudinem* in eum bonorum omnium, opumque divinarum esse transfusam ; si non tanta, quantam Deus obtinet, inesse illi sapientia dicatur, ac ceterarum dotum et ornamentorum opulentia. Nec ideo defectus aliquis scientiæ, aut virtutis, vel inopia cadit in Christum : nisi illa communis, minimeque dicta proprie, qua creatæ res ab Creatore, et perfectione illius absunt. Tum autem verus esse defectus, eoque manca res atque imperfecta censetur, cum hoc deest, quod natura, et status illius postulat. Cujus autem capax non est, ejus defectus in vitio non ponitur : velut in homine quod non avium more per aera volitet. Satis est enim, uti res quælibet defectu carere dicatur, eam in suo genere, et pro conditione sua esse perfectam. Sic plenitudo scientiæ nihilominus in Christi anima constabit ; si tantum sciat, quantum ejus natura capit. Non capit autem, ut omnia, quæ Deus novit, intelligat ; aut ut ipsum, et quæ ab eo fieri possunt, universa comprehendat. Neque vero consequens magis est, ut, si humana Christi natura in eamdem cum omnisciente, ac seipsum comprehendente Verbo personam conveniat, norit et comprehendat omnia, quæ Deus scit ; quam ut ex æterno fuerit, aut immensa sit, et omnipotens ; quoniam cum æterno, et immenso, et omnipotente Deo conjungitur. Est enim par eademque ratio proprietatum omnium, quod ad mutuam inter se naturarum communionem attinet ; una excepta sanctitate, de qua postea. Nec illa probanda est Magistri sententiarum ratio, certas ab illo commercio proprietates excipientis, quarum natura humana capax non est, velut omnipotentiam. Nam quærit quid causæ sit, *cur Deus humanæ naturæ non dederit potentiam faciendi omnia, ut scientiam*. Et id eo factum respondet, « quia naturaliter capax est scientiæ : et ideo id congrue ei datum est sine mensura, cujus ipsa naturaliter capax est. Non est autem ei datum posse omnia facere, quæ Deus facit, ne omnipotens, et per hoc Deus putaretur. Verumtamen forte nec potentiam faciendi omnia ei Deus præstare potuit. »

IX. Atqui ludicra est hæc argumentatio, et seipsam evertit. Tam enim potentiæ capax est humana natura, quam scientiæ : ac proinde si *omniscientia* huic idcirco tribui potest, quia tanquam semen, et inchoationem illius habet, scientiæ particulam ; poterit et plena communicari omnium illi potentia, quæ per sese potentiæ parte est aliqua prædita. Sed neutrum profecto potest in illam transferri ;

eo quod utrumque creaturæ modulum excedit, et est infinitæ virtutis. De cognitione, id est comprehensione, paulo ante diximus. De omnipotentia vero, et quemadmodum derivari in rem creatam nequeat, non est loci hujus disserere.

Nam quod Christus ipse, sive hic homo, tum omnipotens esse, tum divinitatem comprehendere, tum ex omni æternitate fuisse dicitur ob communionem proprietatum : non est inde consequens, humanam Christi naturam vel comprehendere quidquid est in Deo, vel omnia posse facere, quæ potest Deus. Quo argumento superiores illi theologi sunt inducti, ut omnium, quæ sunt in Deo, perfectam animæ Christi comprehensionem attribuerent. Sed non est necesse. Non enim, uti jam dixi, habet ex eo, quod divinitati est unita Christi anima, ut sit divinitas : nec ex eo, quod cum omnipotente, et omnisciente personam constituit unam, omnipotens est in sese, et omnia sciens, sive potius *omnipotentia*, et *omniscientia :* quod prorsus esset, si posset, aut comprehenderet omnia. Sed de hac re satis actum est superiore in libro, capite decimo.

X. Ad extremum minime prætermittendum istud est, quod ad Fulgentii, ac ceterorum Patrum interpretandam sententiam, et ejus tollendam invidiam valet; commodo aliquo sensu, plenam, et adæquatam cum divina omnium rerum notitiam, Christi animæ posse tribui : quem clarissimi de Schola magistri, sancti Thomas [1], et Bonaventura [2], et Scotus usurpant [3]. Cum enim duplex in Deo scientia sit [4]; altera, qua res per sese, citra existentiæ, vel temporis implicatam notionem intelligit, quæ vulgo *simplicis intelligentiæ* dicitur; altera, qua res ad producendum destinatas, et existentes in temporis differentia aliqua contemplatur, quæ *visionis* scientia vocatur : Christi animam placet iisdem illis theologis omnia cognita, comprehensaque habuisse, quæ posteriore hac scientia Deus intelligit; non autem omnia percepisse, quæ priore cognoscit. Non enim *possibilia* omnia nosse, uti jam diximus. « Hoc enim esset comprehendere omnia, quæ Deus potest facere ; quod esset comprehendere divinam virtutem, et per consequens divinam essentiam. Virtus enim quælibet cognoscitur per cognitionem omnium, in quæ potest; » ut ait S. Thomas [5]. Qui et duo quædam animadvertit scitu necessaria. Alterum [6], id simpliciter dici *ens*, quod est *actu :* quod autem potentia est, *ens* esse *secundum quid.* Porro cum, auctore Aristotele, unumquodque cognoscatur, qua est actu; non autem qua potentia est : scientia enim primo ac præcipue spectat id, quod est *actu* ; quod autem *potentia* est, secundo loco. Non enim per se cognoscitur; sed quatenus illud cognoscitur, cujus potentia continetur. Alterum. beatos in Verbo non omnia quidem cognoscere, quæ possunt esse; sed tanto plura, quanto perfectius Verbum intuentur : prorsus autem omnes id cognoscere, quod ad statum suum pertinet. Quibus ex duobus illud efficitur; imprimis Christi animam omnia nosse, quæ quovis existunt tempore; quippe cui subjecta sunt omnia, in quæ summum jus, et dominatum obtinet. Deinde, licet non omnia, quæ dicuntur *possibilia*, cognoscat; posse tamen universe illud asseri, omnia illi esse cognita, eo quod sub generali hoc nomine, cum *omnia* dicimus, ea potissimum continentur, quæ simpliciter *entia* sunt, hoc est *actu.* Atque hoc sensu licet interpretari quæ ab Fulgentio, ceterisque, quos supra commemoravimus, usurpata sunt; idcirco nihil animæ Christi latere notitiam, quod alioqui deesset illi quippiam de plena, et perfecta sapientia. Hoc enim recte ab illis dicitur, si de earum rerum intelligatur scientia, quæ ut vere sunt, ita proprie *res,* et *entia* nominantur : hoc est quæ certo existunt tempore, neque sunt omnino nihil : ut sunt ea, quæ etsi possunt esse, nunquam tamen erunt, et *non entia* vocantur absolute.

[1] In 3. Dis. 14. et 3. par. qu. 10. art. 3. — [2] In 3. Dis. 14. — [3] In 3. Dis. 14. qu. 2.

[4] Vide to. 1. nostrum lib. 4. c. 7. § 10. — [5] S. Th. 3. part. qu. 10. art. 2. — [6] Ib. art. 3.

CAPUT QUARTUM.

De multiplici animæ Christi scientia. — 1. Hugonis Victorini falsa opinio, nullam aliam, præter increatam, in Christo homine fuisse sapientiam. — 2. Ea vero refellitur : et quæstio proponitur, an Christi anima beata Dei visione potita sit ab ortu ipso : respondeturque, sine ulla dubitatione, vel controversia, illam habuisse. — 3. Quod deinceps probatur e Scripturis, et Patribus. — 4. Joannis locus in Evangelii capite primo illustratus. — 5. Augustini de ea re testimonium. — 6. Alia, quæ ab nonnullis afferuntur, haud satis expressa. — 7. Eusebii Cæsariensis locus expenditur. — 8. Christi animam beata Dei visione, cum in terris degeret, potitam esse certissime credendum. — 9. De scientia Christi acquisita.

I. Restat ut de multiplici scientiæ genere, quo Christus homo præditus fuit, agamus; idque paucis. Nam parcius apud antiquos Patres rei hujus occurrit mentio, accurata quidem, et expressa : ut scholarum magis esse propria videatur.

Cujus disputationis ansam, et initium dabit quoddam dictum Hugonis illius, quem capite antecedenti, Christi scientiæ penitus omnia subjicientem induximus. Qui cum id sibi objecisset [1], si Christi anima cognoscit omnia, falsum esse, « Deum in omni bono majorem habere sufficientiam, quam creaturam ejus; » hoc ita dissolvit : verum esse, Deum in omni bono creaturis suis antecellere, « ubi aliud creaturæ bonum a bono Creatoris invenitur. Sed cum sapientia illius animæ non sit alia, quam divina sapientia, quomodo potest fieri comparatio ? » Cui incontinenti ista subjicit : « Indubitanter namque dicendum est, quod alia sapientia,quam divina, non fuit in Christo. Si enim sapientia animæ Christi alia esset a divina sapientia, minor esset, etc. Ideo ut illam veritatem firmiter teneamus, quod illa anima nihil ignoravit, sed omnia scivit; dicendum est, quod non alia sapientia erat illa anima sapiens, sed in Deo per naturam, in illa anima per gratiam. » Hic eadem prorsus, qua Verbum, adeoque divina et increata scientia, Christi animam putat Hugo cuncta cognoscere, nec ab eo ita dissentit Magister sententiarum, ut putat Gabriel Vasquezius : qui Magistrum scripsisse refert, « per scientiam creatam omnia videre Christum in Verbo, quæ cognoscit ipse Deus. » Quippe *creatæ* vox apud Magistrum non extat illo quidem in loco, quem Vasquezius citat, nempe tertio Sententiarum, distinctione 14. sed istud unum, « per sapientiam sibi gratis datam in Verbo, cui unita est, omnia scire, quæ scit Deus. » Atqui ipsamet increata sapientia, etiam ex Hugonis opinione, gratis est animæ Christi concessa; nec tamen est creata. Verum aliunde constat, non eamdem amborum de increata illa sapientia fuisse sententiam; et Magistrum omnino creatam agnovisse, qua Christi anima prædita fuerit. Asserit enim, quamvis omnia norit, quæ Deus scit, « non tamen ejus sapientiam æqualem esse sapientiæ Dei, quia illa multo est dignior, digniusque et perfectius omnia capere, quam illius animæ sapientiam. » Quæ verba demonstrant, creatam in anima Christi fuisse sapientiam.

II. Porro quod ad Hugonem spectat, qui non aliam in Christo sapientiam agnoscit, nisi increatam; si eam, quam vocant *actualem*, cognitionem intellexerit, prorsus absurde sensit. Non enim divina illa, et non creata cognitio ab ulla re creata produci potest, nec actio vitalis esse cujusquam animæ, qualis esse debet intuitus mentis aut cognitio, qua aliquid reipsa, et *actu* percipitur. Sin increatam illam sapientiam habitus instar, aut interjecti, ac medii fuisse credidit, per quod anima suapte cognitione omnia viderit; quemadmodum passim in Scholis, in *Verbo*, vel *per Verbum* beatos cognoscere creaturas affirmant, quantum singulorum meritis, et conditioni congruit; non erit firma satis Hugonis argumentatio, qua Christi animam tantumdem scire concludit, quantum Deus ipse cognoscit. Alioqui sanctos omnes, qui in Verbo res creatas contuentur, nulla omnes excepta, ne *possibili* quidem, contueri necesse foret. Quod non est consequens : et vera sunt illa, quæ capite antecedente diximus, ne animam quidem Christi omnem assequi creatarum rerum possibilium infinitatem, ne Deum ipsum comprehendere dicatur; quæ est communis Scholasticorum ratio a beato Thoma tradita [2].

Quocirca verissimum est, Christum hominem rerum omnium plenissimam habuisse notitiam; nec de ista plenitudine quidquam ea ratione decerpi, quod non omnia, quæ po-

[1] Hug. Tract. 1. sum. sent. c. 16. to. 3. fol. 194. P.

[2] Par. 3. qu. 10. art. 2.

test Deus facere, cognoscit, hoc est divinam minime comprehendit essentiam, ut in calce capitis antecedentis ostendimus. Illud item peræque certum oportet esse, non solum divina scientia nosse ipsam omnia; de quo nemo Christianus dubitat; sed etiam humana, quantum creaturæ conditio postulat. Quam quidem inesse Christo demonstrant, quæ libri hujus capite primo de duplici scientia illius exposita sunt.

Cum autem multiplex sit creata Christi cognitio, ut initio capitis primi dictum est, de ea, quæ beatarum mentium propria est, et beatifica vocatur, præcipue hic agendum est; et illud inquirendum, an ab eo momento, quo existere cœpit anima ipsius, compos supremæ beatitudinis, et perspicuæ Dei visionis fuerit.

Nulla est hactenus, non dicam inter doctos, ac theologos, sed inter Christianos de ea re controversia; affirmantibus universis, nullum, ex quo primum extitit, vacuum præteriisse tempus homini Christo ab intuitu divinitatis. Tametsi nec Scripturæ disertis hoc verbis, expressisque testificentur; et paucissimi ex antiquis Patribus illud aperte prodiderint κατὰ τὸ ῥητόν. Quamvis in quibusdam tum illius, tum horum sententiis, κατὰ τὴν ἔννοιαν contineri videatur.

III. Valet autem ad id probandum, persuadendumque, quod in primo, et secundo capite de perfecto Christi animæ statu disseruimus; ubi sine ullo ignorantiæ, vitiique defectu, summam in ea, et quantam capere poterat, sapientiam, et gratiam extitisse docuimus; adeo ut nullum revera interiorem in utraque profectum, et incrementum habuerit. Etenim haud pauci veterum, Christum, etiam qua homo est, negant sapientiæ, et gratiæ ullam accessionem habuisse, eo quod plenus ab ortu ipso, et conceptu fuit utriusque; *ac de plenitudine ejus omnes accepimus*, ut testatur Joannes [1]. Tum quod [2] *thesauri omnes erant in eo sapientiæ, et scientiæ Dei:* atque hanc perfectæ scientiæ plenitudinem ex ipsa humanæ naturæ cum Verbo conjunctione manasse contendunt. Ita Cyrillus, Joannes Damascenus, aliique, quos illic adduximus. Cum igitur ἐξ ἄκρας ὑπάρξεως, ut loquitur Damascenus, hoc est *ab ortu ipso, et initio existendi*, plenam perfectamque sapientiam, et gratiam acceperit, nec incrementum illius ullum postea capere potuerit; manifestum est, ex eorum sententia, qui sic disputant, animam illius summa, et absoluta numeris omnibus felicitate fuisse cumulatam. Nam si nondum eam assecuta foret, infinito discrimine abfuisset a perfecta sapientia, et gratia: si quidem Apostolus præsentem hunc statum, [3] *in quo peregrinamur a Domino*, hoc est nondum æterno beatoque Dei conspectu fruimur, *cognitione ex parte* duntaxat esse præditum affirmat; futuræ vero felicitatis, *perfectum* vocat. Itaque illum infantilem, hunc virilem esse dicit. *Ex parte*, inquit [4], *cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Item [5], *Videmus nunc per speculum, in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.* Quæ si vera sunt, profecto Christus homo, nisi plenam illam et perfectam scientiam, quæ in aperto divinitatis contuitu sita est, ab ortu ipso nactus sit, nonnisi μερικὴν γνῶσιν, hoc est *rudem*, et *inchoatam cognitionem*, non autem plenam et perfectam est assecutus; nec habuit *thesauros omnes sapientiæ, et scientiæ Dei*; et a puerili cognitione ad virilem profecit. Frustra ergo *plenum illum gratiæ et veritatis* visum a se testatur evangelista Joannes. Nam plenum non est, quod adhuc implendum est.

IV. De quo Joannis loco ut obiter dicam, illud observandum venit, non satis expeditam illius esse rationem. Nam græca lectio, πλήρης χάριτος καὶ σοφίας, in *nominandi* casu, ac genere masculino, quorsum pertineat, ut et latina, *plenum gratiæ et veritatis*, non constat eruditis. Chrysostomus πλήρη in accusandi casu legisse videtur, et ad δόξαν referre, tanquam latine scribas, *gloriam ejus plenam gratiæ, et veritatis:* quod apertius expressum est a Theophylacto. Ita etiam Cyrillus (1); etsi in excuso codice πλήρης legatur, parum commodo sensu. Quod mihi non placet. Nugantur porro Cajetanus, et Erasmus, qui *plenus gratiæ et veritatis* ad Joannem Baptistam probabiliter referri putant posse. In quo audiendi non sunt.

Plerique post *habitavit in nobis*, interclusis parenthesi sequentibus, πλήρης χάριτος cum Λόγος committunt; ut et latinum, *plenum gratiæ cum Verbo*. Omnino cum *Unigeniti* voce κατὰ χάριτος conjungendum est, quasi πλήρους, id est

(1) CYRILL. in Joan. pag. 96. Ὅτι πλήρης χάριτος ἔχειν τὴν δόξαν ἔφη τὸν Υἱὸν ὁ πνευματοφόρος.

[1] Joan. 1. 14. et 16. — [2] Col. 2. 3. — [3] 2. Cor. 5. 6. — [4] 1. Cor. 13. 9. — [5] Ibid. ver. 12.

pleni, legatur, ut arabicæ paraphrasis vertit interpres. Ac recte illud animadversum est ab erudito viro, nonnunquam rectum casum cum obliquis construi, ut in epistola ad Ephesios [1] : *Ut det vobis , secundum divitias gloriæ suæ*, etc. *Christum habitare per fidem in cordibus vestris*, *in charitate radicati*, *et fundati*, pro *radicatis*, *et fundatis*. Et in Apocalypsi, *Ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est*: græce, ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. Ubi *nominativus* pro *genitivo* redditur. Eadem et in sequente versu, et crebrior etiam enallage. Ita ergo, πλήρης pro πλήρη, vel πλήρους, ut ad μονογενοῦς pertineat.

Hinc igitur complures veterum, uti diximus, ex hoc loco, et similibus, quæ Christum adhuc in terris viventem, plenitudinem habuisse gratiæ, sapientiæque testificantur, concludunt, nullam ad illas accessionem esse factam. Ex quo argumentari licet, beatam illius animæ visionem Dei esse concessam. Alioqui multo ampliorem postea sapientiam adeptus esset, et revera auctus esset sapientia.

Sunt et alia Scripturæ testimonia, ex quibus idem colligi solet ab eruditis theologis, de quibus legi potest Melchior Canus in libro duodecimo de locis Theologicis, capite 14. in quo fuse quæstionem istam pertractat.

V. Nam quod ad sanctorum Patrum auctoritatem attinet, perpauca sunt expressa, et nominatim de suprema ante mortem et resurrectionem Christi felicitate concepta testimonia. Et quæ proferri solent a quibusdam, uno forsitan excepto, liquido rem minime demonstrant. Unus hic, quem dico, locus est Augustini e quæstione 65. de Octoginta tribus [2] : ubi suscitati a Domino Lazari allegoricam significationem explicans , sudarium , quo tecta erat ejus facies, figuram esse dicit præsentis in nobis visionis, qua [3] *per speculum videmus in ænigmate* ; quod cum auferri jubet Christus, « hoc est, quod post hanc vitam auferentur omnia velamenta, ut facie ad faciem videamus. Quantum autem intersit inter hominem, quem Dei sapientia gestabat, per quem liberati sumus, et ceteros homines, hinc intelligitur, quod Lazarus nisi exiens de monumento non solvitur : id est, etiam renata anima, nisi resolutione corporis libera ab omni peccato, et ignorantia esse non potest, quamdiu per speculum, et in ænigmate videt Dominum. Illius autem linteamina, et sudarium, qui peccatum non fecit, et nihil ignoravit, in monumento inventa sunt. Ipse solus in carne, non tantum in monumento non est oppressus, ut aliquod peccatum in eo inveniretur ; sed nec linteis implicatus, ut eum aliquid lateret, aut ab itinere retardaret. »

Hic Augustinus indicare videtur, Christi animam adhuc in mortali corpore degentis, sublato velamine, *facie ad faciem* Deum vidisse, nec eam latuisse quidquam.

VI. Verum in altero ejusdem Augustini loco, quem nonnulli afferunt [4], fugit eos ratio. Sumptus ille est e libro quarto de consensu Evangelistarum, capite decimo, et ultimo [5] ; in quo allegorice item exponens id quod Petro de Joanne evangelista Dominus dixit [6], *sic eum se velle manere*, *donec veniat*, sic scribit : « Ubi etiam mihi videtur alto docuisse mysterio, istam ipsam Joannis evangelicam dispensationem, qua in lucem liquidissimam Verbi sublimiter fertur, ubi Trinitatis æqualitas, et incommutabilitas videri potest, et qua maxime proprietate distat a ceteris homo, cum susceptione Verbum caro factum est, perspicue cerni, cognoscique non posse, nisi cum ipse Dominus venerit. » Ibi S. Augustinus asserit, Christi verba illa, *Sic eum volo manere donec veniam*, perinde accipienda, ut si diceret ; volo secretum illud, et ignotum hominibus esse mysterium, quod Joannes in Evangelio prædicavit, de trium personarum *æqualitate*, *et incommutabilitate*, et de *proprietate, qua maxime distat* a ceteris homo ille, quem Deus suscepit. Nec dicit, ea proprietate distare susceptum hominem ab aliis, quod mysteria illa vivens adhuc in carne manifeste cerneret : ut recentiores suspicantur theologi.

Sic iidem in alio loco, quem proferunt ex Richardo Victorino, parum attenti fuisse videntur. Scripsit ille in secundo libro de Emmanuele, capite 22. de Christo sic : « Quod igitur accepturi sumus in vita futura, ille accepit in vita ista : quod nobis dabitur in consummatione, illi datum est ab hora conceptionis suæ. » Quibus verbis declarari putant beatum Dei conspectum. Sed ex antecedentibus liquet, non tam de felicitate animæ loqui, quam de hac ejus affectione, quam butyri nomine significari ait, « qua illi suave, ac delectabile erat quidquid summa puritas, quidquid summa pietas exigebat. » Quod nos hac in vita non assequimur, in qua reluctantem experimur concupiscentiam : adeo ut quæ ho-

[1] Eph. 3. 16. — [2] To. 4. p. 248. A. 2. — [3] 1. Cor. 13. 12.

[4] Suar. in 3. part. Disp. 25. Sect. 1. — [5] To. 4. p. 228. B. 2. — [6] Jo. 21. 25.

nesta sunt, et laudabilia, sine molestia et repugnantia exequi nequeamus. Christus autem qui peccati expers erat, et concupiscentiæ, suavissime, ac citra conflictum, quandocumque volebat, quæ sunt recta, et rationi voluntatique divinæ consentanea, vivens adhuc in carne præstabat.

VII. Postremus superest locus ex Eusebio in libro decimo de Demonstratione evangelica, capite 21. et ultimo : ubi Psalmum 21. qui de Christi passione totus est, enarrat ; et ad illa verba, *In te projectus sum ex utero*, *de ventre matris meæ Deus meus es tu*, sic scribit : « Cum enim adhuc in penetrali gestantis me genitricis essem, te Deum meum intuebar, tanquam in tanta carnis communione manens impermixtus, et sincerus : sive potius vel tunc incorporeus existens, et vinculis solutus omnibus. » Ex iis verbis effici credunt, Christum hominem jam tum in utero matris latentem, aspectu divinitatis fuisse præditum. Sed de humanitate ipsa intelligi nequeunt. Ea quippe corpore constabat, nec incorpoream illam putavit Eusebius, cum tamen Christum sic inducat loquentem ; « quoniam etiam in utero incorporeus erat, neque carnis communione sordidatus, et infectus idcirco Deum se vidisse. » De Christi ergo divinitate omnino interpretandus est hic locus ; quam paterna minorem, eique subjectam, Ariana lue contactus existimavit Eusebius : ut minime mirum sit, ex ejus persona Christum, auctore Eusebio, Deum suum appellare patrem, et eo inferiorem se profiteri. Vide quæ de hoc in primo libro de Trinitate fuse disseruimus, capite 11. et 12.

Quocirca pauci occurrunt modo veterum, qui diserte aperteque dicant, Christum, qua hominem, cum in utero gestaretur, sive ante resurrectionem, supremæ felicitatis, hoc est visionis divinæ, compotem esse factum.

VIII. Facile tamen assentior gravissimis, ac doctissimis theologis ; qui, licet nondum hoc ad fidei dogma pertinere putent, quod locus in Scriptura sit nullus, qui id perspicue declaret; nec ullius auctoritate synodi generalis, aut alia quapiam fidei regula decretum, et constitutum fuerit : errori tamen, et hæreticæ impietati proximum censent, negare Christi animam etiam mortali circumfusam corpore, Deum retecta vidisse facie, summumque felicitatis æternæ gradum attigisse.

Quod quidem, rationibus ceteris omissis, quas non improbabiles paulo ante reddidimus, una mihi res, credo et aliis, persuadere solet ; admirabilis omnium in eo Christianorum, doctorum pariter, imperitorumque consensio. Nam nemo hactenus bona fide Christianus, id est catholicus scriptor, extitit, qui de Christo aliter existimaret, quam eum nunquam, ex quo vivere cœpit, divino aspectu caruisse : nec hodie quisquam est, rudis licet litterarum et idiota, qui si utcumque quid Christus sit noverit, non idem de eo rogatus respondeat. Quæ communis singulorum Ecclesiæ membrorum professio, illum esse totius corporis sensum certissime demonstrat : « Nemini enim dubium est, Ecclesiam a Spiritu sancto regi, ut ait Joannes Fischerus Rossensis episcopus [1], nisi quis forte Christi non crediderit Evangelio, etc. Certum est ergo, quod Spiritus ipse sanctus, quem et Spiritum veritatis Christus appellat, in Ecclesia perpetuo maneat, Ecclesiam instruens, et Ecclesiam ducens in omnem veritatem, eique annuntians, et suggerens, ac subministrans, et demum insinuans quidquid est Christi. » At vero qui toti adest Ecclesiæ, et per totum corpus infunditur, veritatis Spiritus idem singulos regit, iisque lucem suæ veritatis aspirat : ut quod sigillatim universi firma, et inconcussa persuasione, non ex composito, præceperint, id illius instinctu Spiritus exceptum, et eorum animis consignatum merito videatur.

IX. Ad extremum, præter illam scientiam, quam *visionis*, et *beatificam* nominant scholæ, aliæ quædam tribui Christo solent a scholasticis theologis, eæque maxime duæ : quarum altera divinitus *infusa* fuit, altera paulatim acquisita usu, et experientia. Ita S. Thomas [2]. Qui de acquisita sese aliter antea [3] sensisse fatetur [4] ; ac nullam prorsus in Christo constituisse. Verum in Summa theologica illam vindicat Christo Domino. Contra quem Scotus disputat ad tertium librum Sententiarum, distinctione 14. Hanc etiam controversiam attigit Lyranus ad Lucæ caput secundum ; ubi Christus *profecisse sapientia dicitur*. Sed Lyranum more suo Paulus Burgensis exagitat [5], et in Scoti sententiam inclinantem ex S. Thomæ decretis refellit : quemadmodum vicissim Paulo Burgensi pro Lyrani, et Scoti opinione Matthias Thoringus acrem se, ac vehementem adversarium objicit. De hac lite

[1] Lib. cont. Luth. de Cap. Bib. cap. 3. col. 134. — [2] Part. 3. quæst. 9.

[3] In 3. Dis. 14. qu. 3. art. 3. — [4] Part. 3. qu. 9. art. 4. — [5] In Glos. Ord.

neutram in partem pronuntiare audeo. Hujusmodi enim quæstiones ad scholas relegandæ sunt, de quibus nihil apud antiquos liquidi, ac definiti reperitur.

Sed ut habent illorum de profectu Christi sententiæ, capite secundo a nobis expositæ, quarum una verum fuisse progressum asserit, negat altera; tum vero de acquisita scientia varia possunt esse judicia. Nam si vere incrementum cepit scientiæ Christus, de acquisita commode potest illud accipi, quam experientia usuque collegerit. Sin specie sola, et ostensione creverit, supervacua ista censebitur.

Addam insuper, videri sanctum Ambrosium acquisitæ illi refragari scientiæ, sermone in Psalmum 21. ubi vestem Christi mystice interpretans [1], « Vestem autem ejus, *inquit,* quæ non erat consuta, sapientiam ejus cœlestem possumus approbare, quia erat desuper contexta. Nostra enim sapientia, hoc est humana, consuitur. Assuitur enim cum liberos damus ad studia grammaticis, tradimus philosophis; erudimus eos, ut sapientia in illis, quæ non erat, acquiratur. Domini autem sapientia non assuta est, non quæsita. Non enim didicit a magistro, sicut ipsi Judæi dicunt [2], *Quomodo hic litteras novit, cum non didicerit?* Et ipse dicit, *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui me misit*; hoc est quod ait, desuper contexta. » Hic solam infusam Ambrosius videtur agnoscere. Alibi tamen [3] ut verum scientiæ profectum, sic acquisitam scientiam admittit. Et alioqui variant in hac re antiquorum Patrum sententiæ, ut incerta, nec satis explorata; dum hoc unum asseverare, obfirmareque student, adversus Apollinaris, et Monophysitarum insaniam: genere diversam, pro naturarum discrepantia, cognitionem, et scientiam habuisse Christum, creatam, et increatam; qualiscumque vero sit illa, dum creata ponatur, nihil admodum illorum interfuit.

CAPUT QUINTUM.

De Christi hominis Sanctitate. — 1. Quid sit Sanctitas. — 2. Triplici ex capite colligitur quanta in illo sanctitas fuerit, quam quidem requirebat primum Capitis dignitas, — 3. ex Adami comparatione illustrata. — 6. Tum Mediatoris functio: necnon Pontificis. — 7. Adeo ut infinita fuerit.

I. Ad primarium, et præstantissimum Christi hominis decus, et ornatum institutæ nos disputationis ordo perduxit, qui in gratia, et Sanctitate consistit. De qua nos acturi, primum illud constituere debemus, quænam sit sanctitati vocabulo subjecta notio.

Sanctum proprie veteres appellavere Romani, quod sanctione aliqua, id est pœnæ constitutione, ab injuria, vel usu promiscuo munitum est atque defensum. Ita sanctæ leges, quæ impune violari nequeunt, eo quod pœna sit apposita, quam proprie *sanctionem* vocant: et legati jure gentium sancti, quos violare non licet. Proprie tamen sanctum dicitur, quod profano et polluto contrarium est, estque purum et incorruptum. Quo sensu hic a nobis sumitur, et opponitur peccato: ut hoc sanctum habeatur, quod culpa vacat: et sanctitas, animæ sit status a lethalis criminis contagione purus, ac divinæ gratiæ splendore decoratus. Quam ita definit Dionysius: « (1) Sanctitas est, *inquit*, ut more nostro dicam, omni labe vacua, et perfecta, penitusque illibata puritas. »

Hanc in Christo homine sanctitatem fuisse, nec eam quidem vulgarem, sed excellentem, et affluentem, communis habet Christianorum omnium sensus, adeo ut proprie sit hæc illius appellatio. Ita Gabriel archangelus Mariam alloquens [4], *Quod nascetur*, inquit, *ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Itaque dæmones ipsi apud Marcum sic eum appellabant [5], *Scio quis sis sanctus Dei.* Et a Daniele [6] *Sanctus sanctorum* vocatur: tanquam eximia, et exquisita sanctitate ceteris antecellens, ut ait Dionysius.

(1) DION. de div. nom. cap. 12. Ἁγιότης μὲν οὖν ἐστιν, ὡς καθ' ἡμᾶς εἰπεῖν, ἡ παντὸς ἄγους ἐλευθέρα, καὶ παντελὴς, καὶ πάντη ἄχραντος καθαρότης.

[1] Amb. to. 1. col. 674. I. — [2] Joan. 7. — [3] Vide sup. cap. 1. § 4. — [4] Lucæ 1. 35. — [5] Marc. 1. 24. — [6] Dan. 9. 24.

Hieronymus illud Matthæi [1] explicans, ubi Christum Nazarethi habitasse scribit, *ut adimpleretur quod dictum est per prophetas; quoniam Nazaræus vocabitur*, notat « non verba de Scripturis Evangelistam sumpsisse, sed sensum. Nazaræus quippe sanctus interpretatur. Sanctum autem Dominum futurum, omnis Scriptura commemorat. »

II. Hæc porro sanctitatis excellens, exuberansque copia tribus potissimum ex capitibus ducitur. Primum ex munditia, quæ peccati inquinamenta omnia funditus interclusit : ita ut nullum unquam peccatum fuerit, « non dico in Verbo Dei, ait Augustinus [2], sed nec in ipsa quidem anima sancta, et mente hominis, quem sibi ad unitatem personæ Verbum Dei, et sapientia coaptaverat; sed nec in ipso corpore peccatum ullum erat : sed similitudo carnis peccati erat in Domino, quia mors non est nisi de peccato, et utique corpus illud mortale erat. » Neque vero peccatum ita duntaxat exclusit, ut reipsa nullum irreperet; sed ut ne posset quidem aditum habere, non solum *actuale*, quod vocant, sed etiam ab origine contractum. Itaque ἀναμαρτησία illa plena fuit, et singularis homini Christo : qualis in nullam creaturam simplicem convenire potest, ut postea dicetur. Deinde perpetua fuit, et ab eo progressa momento, quo anima illius in rerum natura cœpit existere, uti sequentia demonstrabunt. Denique tanta in illo integritas extitit, ut esse major ne absoluta quidem Dei potestate queat; ut merito plenitudo in eo gratiæ dicatur esse [3], ac [4] *thesauri omnes sapientiæ, et scientiæ absconditi.*

Hoc enim postulabant tot in illum congesti tituli, ac functiones, ad quas obeundas divinitus erat destinatus : quarum vim liber sequens enucleatius exponet; nunc summatim tantum præcipuas libabimus.

Harum prima est *Capitis* dignitas. Etenim [5], *Omnia subjecit*, ait Apostolus, *sub pedibus ejus; et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.* Quod in eadem epistola semel, iterumque repetit [6], et in ea quæ est ad Colossenses [7]. At vero cum sint eæ capitis partes, ut ab illo vis omnis animalis in reliquum corpus, et sentiendi vigor, efficientiaque permanet, hoc ipsum necesse est inexhaustam quamdam in se continere copiam bonorum eorum, quæ ab ipso, velut ex fonte, perenni decursu per universa membra funduntur. Quoniam igitur gratiæ largitas omnis, ac donorum cœlestium ubertas ab Christo in Ecclesiæ corpus, ac mortales adeo omnes, pro cujusque captu, et opportunitate profluit; perque præterita tempora non minus, quam succedentia, illius efficacitas propagata pertinet : infinitam in eo gratiæ charitatis, ac virtutum omnium, et χαρισμάτων opulentiam recidere necesse est; et, quod de illo Joannes Baptista testificatus est, *quia super omnes est, non ad mensuram datum huic esso Spiritum sanctum.*

Hanc capitis prærogativam illustrat Augustinus sub finem epistolæ 57. ad Dardanum, humani exemplo corporis. « Nam et in nostro corpore, *inquit*, inest sensus singulis membris; sed non tantus, quantus in capite, ubi prorsus omnis est quinque partitus. Ibi enim et visus, et auditus, et olfactus, et gustus, et tactus. In ceteris autem solus est tactus. »

III. Primum illum generis humani parentem Adamum, Philo Judæus scribit in libro de mundi Opificio, omnium hominum corpore animoque fuisse præstantissimum, quod stirpis totius caput et principem ceteros par esset longo intervallo post se relinquere. « (1) Ille, *inquit*, primus homo terrigena, totius princeps generis nostri, utraque parte mihi videtur fuisse præstantissimus, anima, et corpore, ac longe omnibus, qui postea fuerunt, utriusque dotibus antecelluisse. » Ac corpore quidem omnium fuisse formosissimum, quod ex pura, et sincera adhuc humo, ejusque defæcatissima particula finxit illud Deus, tum quod ejusdem artificis excellentissimi manibus elaboratum, et perpolitum fuit : quod quidem in tomo tertio, ubi de hominis opificio est actum, ex antiquis Patribus observavimus. Anima porro multo magis Adamum præstitisse, idem existimat Philo, quod et a solo Deo procreata, et ad nullum alterum exemplar, præterquam ad divinum Verbum, exacta conformataque sit : cujus effigies esset, et imitatio quædam. Ex quo ita concludit. « (2) Talis quidem corpore ani-

(1) PHILO de Opif. pag. 31. B. Ἐκεῖνος δ' ὁ πρῶτος ἄνθρωπος ὁ γηγενὴς, ὁ παντὸς τοῦ γένους ἡμῶν ἀρχηγέτης, ἑκάτερα ἄριστος, ψυχήν τε καὶ σῶμα, γεγενῆσθαί μοι δοκεῖ καὶ μακρῷ τινι τοὺς ἔπειτα διενεγκεῖν, καὶ τὰς ἐν ἀμφοτέροις ὑπερβάσεις.

(2) Ibid. pag. 32. Τοιοῦτος μὲν ὁ πρῶτος ἄνθρωπος κατά

[1] Matt. 2. 23. — [2] Aug. in Psal. 34. pag. 104. — [3] Jo. 1. 16. — [4] Col. 2. 3.

[5] Eph. 1. 22. — [6] Eph. 4. 16. et c. 5. 23. — [7] Col. 1. 18.

maque primus homo mihi videtur extitisse, qui et eos, qui nunc sunt homines, et qui ante nos vixerunt, universos præstitit. Quippe generatio nostra ex hominibus est; hunc autem Deus ipse fabricavit. Atqui quanto præstabilior est artifex, tanto melius est opus. »

Denique, « (1) Primus a Deo formatus homo, vis et robur generis nostri fuisse videtur; » ceteri vero deinceps consecuti, utpote usitata generatione producti, et longius ab archetypo progressi, deteriores paulatim evaserunt: quemadmodum in pictura præstantissimum esse solet exemplar, quod ab excellenti artifice magno studio, et industria elaboratum prodiit; quæ autem ex illo figuræ deinceps aliæ ex aliis imitando sunt expressæ, longius a perfecto recedunt, quamlibet peritus sit apographi illius auctor.

IV. Quod de priore Adamo dixit Philo, idem de secundo proportione usurpare liceat; fuisse Christum Dominum mortalium omnium, et corpore, et anima longe præstantissimum. Cujus imprimis corpus, ex purissima, et integerrima sanctissimæ Virginis carne ac sanguine compactum est, nec ab alio, quam ab ipsomet Deo ac Spiritu sancto, productum et effectum. Anima vero proxime ad exemplar assumentis, et procreantis ipsius est Verbi condita; ut quoad fieri posset, illius virtutes, ac dotes in sese haberet expressas: cumque destinatus esset a Deo princeps, et caput electorum omnium, et tanquam exemplar absolutissimum, in quod justi omnes, et sancti intueri jubentur, et in ejus imitatione incumbere. Nam [1] *quos præscivit, et prædestinavit, conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Idcirco communem, et usitatum modum sanctitatis, et gratiæ longo intervallo supergredi debuit. « (2) Etenim si communionis cum eo, et societatis desiderio tenemur, ait Dionysius, oportet ut in divinissimam ipsius in carne vitam intueamur, et expressa sacræ in nobis impeccantiæ similitudine, ad deiformem, et immaculatum illum evehamur habitum. »

V. Eleganter Ambrosius observat [2], Christum appellari *principium viarum Domini* capite illo Proverbiorum octavo, ubi scriptum est, *Dominus creavit me principium viarum suarum*, tum Joannis octavo, ubi interrogatus quis esset, respondit, *Principium, quod et loquor vobis*. « Quod non solum ad substantiam divinitatis, *inquit*, æternæ refertur, sed etiam ad documenta virtutum. Ex hoc enim et Deum se probavit æternum, quia omnium ipse principium est, et uniuscujusque virtutis auctor, quia Ecclesiæ caput est; sicut scriptum est [3], *Quia ipse caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis*. Liquet igitur et de Incarnatione dictum esse principium viarum suarum; quod ad sacramentum suscepti corporis videtur esse referendum. Ideo enim carnem suscepit, ut ad cœlum nobis sterneret iter. » Et paulo post: « Principium itaque nostræ virtutis est Christus, etc. Ex illo enim accepit virtus unaquæque principium. Et ideo ut hæc virtutum genera disceremus [4], *filius datus est nobis, cujus principium super humeros ejus*. »

Sic in Catena græca in Psalmos, ita scriptum reperi: « (3) Græcorum legislatores sermone tenus gratiam obtinent. Dominus autem, ut qui revera universi dominus est, et operum suorum curam gerens, non solum leges præscribit; sed etiam seipsum tanquam formam, et exemplar proposuit, ut omnes, qui vellent, nossent faciendi potestatem. »

Et Zacharias Mitylenæus, « (4) Opificem *ait* ipsum, manentem Deum, hominem esse factum, in quo nullam sui speciem, neque motionem pravitas invenit. Quippe qui fons erat virtutum, et sanctitatis, et immutabilitas, impeccantiaque ipsa. »

VI. Eamdem sanctitatem, et munditiem postulat *Mediatoris* conciliatorisque functio; tum Salvatoris. Neque enim peccatis irretitum,

τε σῶμα, καὶ ψυχὴν γεγενῆσθαί μοι δοκεῖ, τούς τε νῦν ὄντας, καὶ τοὺς πρὸ ἡμῶν διενεγκὼν ἅπαντας. Ἡ μὲν γὰρ ἡμετέρα γέννησις ἐξ ἀνθρώπων· τὸν δὲ Θεὸς ἐδημιούργησεν. Ἐφ᾽ ὅσον δὲ κρείττων ὁ ποιῶν, ἐπὶ τοσοῦτο καὶ τὸ γενόμενον ἄμεινον.

(1) Ibid. Οὕτως ἔοικεν ὁ μὲν πρῶτος διαπλασθεὶς ἄνθρωπος ἀκμὴ τοῦ ἡμετέρου παντὸς ὑπάρξαι γένους.

(2) DION. cap. 3. de Eccles. hier. Χρὴ γὰρ ἡμᾶς, εἰ τῆς πρὸς αὐτὸν ἐφιέμεθα κοινωνίας, εἰς τὴν θειοτάτην αὐτοῦ κατὰ σάρκα ζωὴν ἀποσκοπεῦσαι, καὶ τῇ πρὸς αὐτὸν ὁμοιώσει τῆς ἱερᾶς ἀναμαρτησίας εἰς τὴν θεοειδῆ, καὶ ἀλώβητον ἕξιν ἀναδραμεῖν.

(3) Catena in prooem. ad Psal. Οἱ μὲν γὰρ παρ᾽ Ἕλλησι νομοθέται ἄχρι τοῦ λέγειν ἔχουσι τὴν χάριν. Ὁ δὲ Κύριος ὡς ἀληθῶς κύριος ὢν τοῦ παντὸς, καὶ κηδόμενος ὧν εἰργάσατο, οὐ μόνον νομοθετεῖ, ἀλλὰ καὶ τύπον ἑαυτὸν δέδωκεν, εἰς τὸ εἰδέναι τοὺς βουλομένους τὴν τοῦ ποιεῖν δύναμιν.

(4) ZACHAR. tom. 11. bib. pag. 361. C. Τούτῳ τῷ λόγῳ αὐτοῦ τοῦ δημιουργοῦ τοῦ μείναντος Θεοῦ, καὶ ἀνθρώπου, ἐν ᾧ μηδὲν εἶδος, μηδὲ κίνημα ἑαυτῆς ἡ κακία εὕρετο· ἦν γὰρ ἡ πηγὴ τῶν ἀρετῶν, καὶ τῆς ἁγιότητος, καὶ ἡ ἀτρεψία, καὶ ἡ ἀναμαρτησία.

[1] Rom. 8. 29. — [2] Ambros. 3. de fide, cap. 4.

[3] Col. 1. — [4] Isa. 9.

et obrutum genus hominum liberare posset a peccatis, et in gratiam amicitiamque cum Deo reducere, nisi a peccato ipse alienus esset, ac prorsus ἀναμάρτητος. « Non enim solveret a vinculis, nisi liber a vinculis, ait Augustinus [1]. Ille liber mortem occidit, vinculum vinxit, captivitatem captivavit. » Et Ambrosius [2], « Qui ergo alios a carnis lubrico vindicabat, numquid formidare poterat, ne etiam ipse dominatu quodam carnis istius vinceretur ? » Quod Paulinus his versibus declarat in panegyrico Celsi :

> Quare opifex hominum mortali in corpore venit,
>   Non et mortali crimine factus homo.
> Nam neque deleret culpas, nisi liber ab illis ;
>   Nec laxare reos posset et ipse reus.
> Nec peccatori mors cederet, utpote vinctum
>   Peccati vinclis legitime retinens.
> Jure igitur cessit rumpenti Tartara Christo,
>   In quo quod posset nectere, non habuit.

Hanc ipsam rationem τῆς ἀναμαρτησίας Christi indicat Joannes evangelista in prima Canonica [3]: *Scitis*, inquit, *quia ille apparuit, ut peccata nostra tolleret ; et peccatum in eo non est*. Quem locum Augustinus enarrans, « In quo non est peccatum, *ait*, ipse venit auferre peccatum. Nam si esset et in illo peccatum, auferendum esset illi, non ipse auferret. »

Cyrillus item Alexandrinus in dialogo de Incarnatione : « (1) Quemadmodum igitur, *inquit*, quoniam caro facta est vivificantis omnia Verbi, mortis, et corruptelæ superat imperium; eodem opinor modo, quandoquidem anima ejus, qui non novit peccare, propria facta est, firmum deinceps, et immutabilem in bonis omnibus obtinet statum, et tyrannidem olim exercente peccato sine comparatione fortiorem. » Hæc vero comparatio *incorruptelæ*, et *impeccantiæ* non sic intelligenda est, ut utrinque paria fiant; quippe major hæc illa est, et absoluta magis : cum neque corruptelæ omni ex parte fuerit expers; et corrumpi penitus, ac dissolvi ex sese caro potuerit; uti et mori, nisi divina vis obstitisset : peccare autem anima cum Verbo copulata nullo modo potuerit. Cujus statim causam eamdem, quam attulimus, subjicit Cyrillus.

« (2) Primus enim homo Christus est, *inquit*, qui peccatum non fecit ; nec inventus est dolus in ore ejus. Est autem positus, velut radix, et primitiæ omnium eorum, qui ad vitæ novitatem reformantur in spiritu. »

Non minus perfectam in Christi anima sanctitatem, et puram ab omni macula requirit Sacerdotis magni, et Pontificis dignitas.

Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, ait Apostolus [4], *sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus :* [5] *qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi*. Dicemus de pontificio hoc munere plura libro sequenti.

VII. Ad hujus porro gratiæ, qua beata illius anima cumulata est, magnitudinem, sive, ut Scriptura loquitur, plenitudinem, et quasi infinitatem æstimandam, pertinet, quod antiqui Christum asserunt, non aliunde illam accepisse; nec tanquam precariam et adventitiam, ab alio communicatam habuisse, sed a seipso, ut sibi gratiæ largitor esset, et eam propriam, ac velut domesticam, et naturalem possideret. Hoc enim est, fontem in seipsum obtinere gratiæ ; adeoque totam ipsam, nec participatione veluti sectam, et concisam ; et, quod est consequens, sine modo ac mensura prorsus infinitam ac nullis terminis circumscriptam. Etenim hoc de Christi gratia proportione quadam usurpare possumus, quod de immensa, et in omni genere infinita divinitatis perfectione vulgo theologi prædicant. Hanc enim ex eo argumentando colligunt, quod non ab alio, sed a seipso habet ut sit : tum cetera, quæ indidem consequentia sunt, bonitatem, sapientiam, potentiam. Quæ propterea infinita sint oportet; quod nullus sit velut ὁροθέτης, ac finium regendorum arbiter, qui modum ac limitem præscribat. Sic etiam Christus merito creditur non particula quapiam esse sanctitatis adspersus; sed eam totam quanta quanta est, in se continere, etiam ut homo est, sed cum Deo sociatus, et in divinitate, ac per eam subsistens.

Ac fatentur illi quidem omnes, quos dixi, Patres, hominem in Christo, et in Verbo subsistentem, gratiam illam proprie dictam ac-

(1) CYRIL. tom. 5. pag. 691. E. Ὥσπερ οὖν ἐπειδὴ γέγονε σὰρξ τοῦ ζωοποιοῦντος τὰ πάντα Λόγου, τὸ θανάτου, καὶ φθορᾶς ὑπερθρώσκει κράτος· κατὰ τὸν αὐτὸν οἶμαι τρόπον, ἐπεί τοι γέγονε ψυχὴ τοῦ πλημμελεῖν οὐκ εἰδότος, ἐρηρεισμένην ἔχει λοιπὸν τὴν ἐφ' ἅπασι τοῖς ἀγαθοῖς ἀμεταποίητον στάσιν, καὶ τῆς πάλαι τυραννούσης ἁμαρτίας ἀσυγκρίτως εὐσθενεστέραν.

(2) Ibid. Πρῶτος γὰρ ἄνθρωπος ὁ Χριστὸς, ὃς οὐκ ἐποίησεν ἁμαρτίαν, οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ· ῥίζα δὲ ὥσπερ καὶ ἀπαρχὴ τεθειμένος τῶν εἰς καινότητα ζωῆς ἀναμορφουμένων ἐν Πνεύματι.

[1] Aug. in Psal. 142. p. 675. C. — [2] Amb. de Inc. c. 7.

[3] Joan. 1. can. c. 3. 5. — [4] Heb. 7. 26. — [5] Levit. 16. 6.

cepisse, hoc est tanquam gratuitum donum, et nullis partum meritis, sed sola Creatoris largitate concessum. Sed cum eumdem non simpliciter asserunt accepisse; verum addunt a seipso illam accepisse, ut sit idem dator, et acceptor : profecto illa ipsa, quæ attigi paulo ante, perspicue demonstrant, tum naturalem, minimeque peregrinam, et accidentem suscepisse gratiam, tum fine nullo, ac modo determinatam. Sed hæc antiquorum theologorum de Christi gratia constans, et præclara sententia, ne nimis compressa, minus, quam pro merito suo, splendoris, ac dignitatis habeat, collatanda videtur oratione nostra, et in bona luce ponenda : quod in sequentibus efficere conabimur.

CAPUT SEXTUM.

De gratia Christi : — 1. quid eo nomine significetur. Hujus specimen in Incarnatione potissimum extitit. — 2. Quod nullis omnino meritis ei concessa fuerit. — 4. Eamdem et ipse sibi tribuisse dicitur. — 5 Fulgentii locus illustratur, et Augustini. — 6. Plenitudinem gratiæ, et Spiritus S. quomodo habuit Christus.

I. Gratiæ nomen ex vi sua, propriaque notione hoc habet, ut gratuitum quoddam, nec pretio aliquo, vel merito redemptum beneficium significet : ac mercedi, et compensationi ex justitia debitæ ex adverso respondet. Sic enim apud jurisconsultos [1] gratis, et mercede data, aut constituta, opponi censentur : et Apostolus [2], *Ei, qui operatur*, inquit, *merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*. Et alibi [3] : *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia*. Atque hoc passim contra Pelagianos scribens inculcat Augustinus : ut cum ait [4], « Quomodo est gratia, si non gratis datur ? quomodo est gratia, si ex debito redditur ? » Ea porro ex omnibus Dei operibus, et beneficiis, in Incarnatione potissimum spectanda proponitur, quam « summum exemplum esse gratiæ » scribit Augustinus [5]. Quippe « gratia Dei non potuit gratius commendari, quam ut ipse unicus Dei filius in se incommutabiliter manens indueret hominem. » Quod etsi propter illius fructum, et gratuita quæ indidem humanum in genus commoda redundarunt, dictum fuerit; potest nihilominus, teste eodem Augustino, gratiæ vocabulum, ac titulum vindicare sibi præ ceteris, quod illius causa, et origo, nullis prorsus ex meritis ejus, qui in Incarnatione est susceptus, hominis, sed ex gratuita Dei bonitate profluxerit. Quam nos gratiæ rationem, et significationem hoc loco præsertim intuemur, ubi de gratia disputamus, et sanctitate Christi. Cum enim, ut postea docebimus, humanæ naturæ in illo sanctitas in divinitate, et personali ad eam applicatione præcipue sita sit, quo magis hæc gratuita, id est a mercede ac debito longius remota censebitur, eo magis habenda erit, appellandaque gratia.

II. Hanc igitur humanæ naturæ susceptionem, et hujus ad consortium divinitatis evectionem, nullis omnino ex ejus, qui susceptus est, hominis constare meritis ; sed omnino gratis esse factam, ob idque insigniter gratiæ vocabulo donandam, passim prædicat Augustinus, cum adversus gratiæ inimicos hæreticos Pelagianos decertat. Quorum cum in eo primigenia, ut ita dicam, hæresis consisteret, ut *gratiam Christi ex meritis dari* dicere auderent, ex adverso nititur Augustinus, ut probet *gratiam Dei non secundum merita nostra dari*. Cujus rei primarium, et invictum argumentum ducit, ex incarnatione filii Dei ; maxime in libro de Prædestinatione sanctorum. Cujus in decimo quinto capite memorabilia sunt verba : « Est etiam præclarissimum lumen prædestinationis, et gratiæ, ipse Salvator, ipse mediator Dei et hominum homo Christus Jesus; qui hoc ut esset, quibus tandem suis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo est, comparavit ? Respondeatur

[1] Leg. 22. § 1. D. de præs. ver. — [2] Rom. 4. 4. — [3] Ro. 11. 6.

[4] L. de grat. Chr. c. 23. Vide et ep. 5. et 6. — [5] Lib. 10. de Civ. c. 29.

quæso. Ille homo, ut a Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit ? quod ejus bonum qualecumque præcessit ? Quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret ? » Et subinde : « Appareat itaque nobis in nostro capite ipse fons gratiæ, unde secundum uniuscujusque mensuram se per cuncta ejus membra diffundit. Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus : de ipso spiritu et hic renatus, de quo est ille natus : eodem spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo spiritu factum est, ut nullum haberet ille peccatum. » Et in libro eodem capite 12. ait, cum ceteris rationibus, quibus contra Pelagianos utebantur Catholici ad hoc probandum, gratiam Christi « vere esse gratiam, id est non secundum merita nostra dari, » minus aperte convincerentur illi, ac cederent ; « ubi venitur ad ipsum mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum, omnem deficere præcedentium gratiam Dei humanorum assertionem meritorum : quoniam ille nullis præcedentibus meritis, cum ipse sit homo, liberator factus est hominum. » Et in libro 13. de Trinitate, capite 17. « gratiam *ait* nobis, sine ullis præcedentibus meritis in homine Christo commendari, quia nec ipse, ut tanta unitate Deo vero conjunctus, una cum illa persona, id est ipse homo assumptus, mox ut homo, etiam Deus filius Dei fieret, ullis est præcedentibus meritis assecutus. » In libro item de Correptione et gratia, capite undecimo, « Deus ergo naturam nostram, *inquit*, id est animam rationalem, carnemque hominis Christus suscepit susceptione singulariter mirabili, vel mirabiliter singulari, ut nullis justitiæ suæ præcedentibus meritis, filius Dei sic esset ab initio, quo esse homo cœpisset, ut ipse et Verbum, quod sine initio est, una persona esset. Neque enim quisquam tanta rei hujus, et fidei cæcus est ignorantia, ut audeat dicere, quamvis de Spiritu sancto, et virgine Maria filium hominis natum, per liberum tamen arbitrium bene vivendo, et sine peccato bona opera faciendo, meruisse ut esset Dei filius. »

III. Tractatu item 82. in Joannem, sub finem : « Cum ad naturam Dei, *inquit*, non pertineat natura humana, ad personam tamen unigeniti filii Dei per gratiam pertinet humana natura ; et tantam gratiam, ut nulla sit major, nulla prorsus æqualis. Neque enim illam susceptionem hominis ulla merita præcesserunt ; sed ab illa susceptione merita ejus cuncta cœperunt. » Et alibi [1], « Quantum pertinet ad ipsius hominis susceptionem, tota gratia, singularis gratia, perfecta gratia. Quid meruit homo ille, qui Christus est, si tollis gratiam, et tantam gratiam, qua unum oportebat esse Christum, et ipsum esse, quem novimus ? Tolle gratiam istam ; quid Christus, nisi homo ? quid nisi quod tu ? »

Sic Albinus Flaccus libro tertio de Trinitate variis, ut solet, ex Augustini sententiis eamdem inculcat gratiam, qua Deus homo factus est : « Quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitate personæ unici filii Dei singulariter esset assumpta ? quæ bona voluntas ? cujus boni propositi studium? quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur iste homo una fieri persona cum Deo ? etc. Unde naturæ humanæ tanta gloria, nullis præcedentibus meritis ? Sine dubio gratuito munere. Nisi quia magna hic, et sola Dei gratia fideliter, et sobrie considerantibus evidenter ostenditur ; ut intelligant homines, per eamdem gratiam se justificari posse a peccatis, per quam factum est, ut homo Christus nullum possit habere peccatum. » Ita beatam Virginem « gratia plenam, invenisse apud Deum gratiam *ait*, ut Domini sui, imo Domini omnium, salva virginitate, mater esset. » Vide Agobardum libro contra Felicem Urgelitanum [2].

Habes itaque Christum hominem singulari donatum gratia, hoc est nullis acquisita meritis, sed gratuita Dei liberalitate concessa, qua Dei filius, et Deus existeret. Qua et sanctificatum fuisse, mox dicturi sumus.

IV. Hanc vero rursus gratiam ipsum sibi dedisse complures ex antiquis prædicant. Athanasius libro secundo contra Arianos, verba Christi, quæ sunt Joannis capite 17. [3] *Et pro eis sanctifico meipsum* ; *ut sint et ipsi sanctificati in veritate*, ad illum sensum accommodat, ita scribens : « (1) Non enim ab altero sanctificatur, sed se ipse sanctificat, ut nos in veritate sanctificemur. Porro qui seipsum san-

(1) ATHAN. pag. 171. C. Οὐ γὰρ παρ' ἑτέρου ἁγιάζεται· ἀλλ' αὐτὸς ἑαυτὸν ἁγιάζει· ἵνα ἡμεῖς ἐν τῇ ἀληθείᾳ ἁγιασθῶμεν. Ὁ δὲ ἑαυτὸν ἁγιάζων, κύριός ἐστι τοῦ ἁγιάζειν. Πῶς οὖν τοῦτο γίνεται ; πῶς δὲ τοῦτο λέγει, ὅτι ἐγὼ, Λόγος ὢν τοῦ Πατρὸς, αὐτὸς ἐμοὶ τῷ ἀνθρώπῳ γενομένῳ δίδωμι τὸ Πνεῦμα, καὶ ἐμαυτὸν ἄνθρωπον γενόμενον ἐν τούτῳ ἁγιάζω.

[1] Ser. 8. de ver. Dom. sec. Matt. cap. 4.

[2] Tom. 9. Bibl. PP. 1185. — [3] Jo. 17. 19.

ctificat, sanctificandi arbiter est, ac dominus. Quinam ergo fit hoc? quomodo istud ait, Ego, qui Patris sum verbum, ipse mihi homini facto spiritum tribuo, et meipsum factum hominem in illo sanctifico. »

Egregie illud idem Cyrillus docet Alexandrinus multis in locis; ut in dialogo sexto de Trinitate, ubi illum Joannis locum, in quo Christus se ipse sanctificare dicitur, perinde ut Athanasius de vera sanctitate, et communicatione sanctificantis spiritus interpretatur. « (1) Natura, *inquit*, cum sit sanctus, tanquam Deus; sanctificabatur nobiscum, tanquam homo, templum proprium inungens Spiritu sancto. » Tum quærenti quo cum loquitur, cur ergo sanctificatus a Patre dicitur; respondet, id eo dici, « quod omnia sunt a Patre per Filium in Spiritu sancto. »

Et in libro undecimo in Joannem; « (2) Sanctificatur propter nos, *inquit*, in Spiritu sancto, non eum sanctificante altero quopiam, sed ipsomet sanctificationem propriæ carnis operante. Recipit enim spiritum suum: et accipit quidem, quatenus est homo; sibi vero dat, tanquam Deus. » Quod deinceps latius explanat. Idem tradit et in libro tertio adversus Nestorium: et eodem modo sanctificari nobiscum dici asserit, quo et frater noster appellatur.

Plenius quoque libro vicesimo Thesaurorum universe disserit, Deum hominem factum usurpasse, et in se transtulisse, quæ sunt humanæ propria naturæ, ut et exaltari, et accipere dicatur. « (3) Accepit itaque tanquam homo, secundum gratiam, quæ, ut Deus, naturaliter habebat. » Ac subinde Joannis similiter locum illum explicat de sanctificante gratia, quam cum addit « (4) non ipsum sibi, hoc est sui accepisse causa, quippe cum ipse sanctificans esset: sed ut eamdem sanctificationem per sese naturæ nostræ conciliaret; » de Christo, qua Verbum ac Deus est, loquitur. Idem tamen Cyrillus in libro undecimo commentariorum in Joannem, docet vocem *sanctificandi*, quam in Christo de vera sanctitatis communicatione accipit, alias de sola consecratione ac dedicatione rei cujuspiam usurpari: ut cum donarium aliquod offertur Deo; aut ad ejus cultum, et honorem quippiam ab usu profano secernitur. Quæ videtur germana ejus vocis interpretatio in illo Joannis loco, cum ait Christus, *Pro his sanctifico meipsum:* hoc est, « (5) In sacrificium, et hostiam offero, » ut explicat Chrysostomus, « siquidem sacrificia omnia sancta dicuntur; et proprie sancta sunt, quæ Deo sunt dicata. » Et ita Theophylactus, qui eodem etiam sensu exponi posse adnotat illud verbum, quod paulo ante posuit, *Sanctifica eos in veritate.* Nempe ut sit, « (6) Segrega illos ad verbi prædicationem, et sacrificium eos facito: ut huic veritati ministrent. »

Augustinus tamen utrobique sanctitatis largitionem intelligit; quam cum apostolis dedit Christus, sibi ipse contulit, eo quod membra erant ipsius: sicut hominem in seipso sanctificavit Deus Verbum. Sed hunc Augustini locum expendemus sequenti capite.

V. Fulgentius in Responsione ad interrogationem tertiam Ferrandi, idipsum, quod adnotare cœpimus, docet, eumdem dare sibi, et accipere gratiam, et Spiritum sanctum, Augustini auctoritate fretus, qui tractatu 14. in Joannem enarrans illa Joannis de Christo Baptistæ verba [1], *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum;* ita scripsit: « Christus qui dat, non ad mensuram accipit. » Cui Fulgentius assentiens: « Ipse est enim qui dat, *inquit*, ipse est qui accipit. Et quia potens est ad mensuram dare; ideo non potuit ad mensuram accipere. In forma enim Dei manens, Spiritum dat; formam servi accipiens, spiritum accipit: sed quia ipse ad mensuram dat, ideo non ad mensuram accipit. Ad mensuram quippe dat multis filiis, sed non ad mensuram accipit unicus filius; quia sic est verus homo, ut sit verus Deus. » Quem imitati Etherius et Beatus in libro primo contra Elipandum [2], « Dominus,

(1) Cyrill. tom. 5. pag. 596. D. Ὅτι κατὰ φύσιν ἅγιος ὢν ὡς Θεὸς, ἡγιάζετο μεθ' ἡμῶν, καθὸ ἄνθρωπος, τῷ ἰδίῳ Πνεύματι τὸν οἰκεῖον αὐτὸς καταχρίων ναόν.

(2) Cyril. 11. in Joan. pag. 991. D. Ἁγιάζεται δι' ἡμᾶς ἐν ἁγίῳ Πνεύματι, οὐχ ἑτέρου τινὸς αὐτὸν ἁγιάζοντος, αὐτουργοῦντος δὲ μᾶλλον ἑαυτῷ πρὸς ἁγιασμὸν τῆς ἰδίας σαρκός. Δέχεται γὰρ τὸ Πνεῦμα τὸ ἑαυτοῦ, καὶ λαμβάνει μὲν καθόπερ ἦν ἄνθρωπος· ἑαυτῷ γε μὴν τοῦτο δίδωσιν ὡς Θεός.

(3) Idem 20. Thes. tom. 5. pag. 196. Εἴληφεν ἄρα ὡς ἄνθρωπος κατὰ χάριν, ἅπερ εἶχεν ὡς Θεὸς φυσικῶς.

(4) Ibid. pag. 197. Οὐχ ἑαυτῷ δεχομένου τὸν ἁγιασμόν· αὐτὸς γὰρ ἦν ὁ ἁγιάζων· ἀλλ' ἵνα τοῦτον τῇ φύσει δι' ἑαυτοῦ προξενίσῃ.

(5) Chrysost. in Joan. hom. 82. Προσφέρω σοι θυσίαν. Αἱ δὲ θυσίαι πᾶσαι ἅγιαι λέγονται, καὶ κυρίως ἅγια τὰ τῷ Θεῷ ἀνακείμενα.

(6) Theoph. Τουτέστιν, ἀφόρισον αὐτοὺς τῷ λόγῳ, καὶ τῷ κηρύγματι, καὶ θυσίαν αὐτοὺς ποίησον, ἵνα τῇ ἀληθείᾳ ταύτῃ λειτουργησάτωσαν.

[1] Joan. 3.

[2] Tom. 4. Bibl. PP. part. 2. 473. E.

inquiunt, Jesus Spiritum sanctum non solum dedit ut Deus, sed et accepit ut homo. » Quanquam ibi de largitione Spiritus loquitur, non qua Verbum assumpto illum homini tribuit, sed qua in homines eumdem ad mensuram distribuit : ex quo plane Deus, et Patri consubstantialis, atque æqualis ostenditur, ut alibi disputavimus [1]. Quo sensu et ipse Fulgentius dari ab eodem, qui accipit, Christo Spiritum sanctum intelligit. Verum ex hoc ipso potest et illud confici quod nunc agitur ; Christum, qua Deus est, Spiritum sanctum, et sanctitatem gratiamque sibimet ipsi conferre. Cum enim quæcumque extra se Pater operatur, id personæ duæ reliquæ faciant ; non potest humanæ Christi naturæ sanctitas a Patre communicari ; quæ est externa quædam efficientia, quin ejusdem in seipsum, qua homo est, sit operis effector Filius.

Ceterum Augustinus illum Joannis locum, *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum*, alias [2] non de Christo præcipue dictum acceperat, sed universe de omni spiritalium donorum largitione. Quod in libro primo Retractationum capite 19. postea retractavit, et de Christo verius accipi docuit : ut Fulgentius ibidem observat.

VI. Igitur ex Augustini, et Fulgentii sensu, « Illi homini singulariter, non ad mensuram (verba sunt Fulgentii) sed omnem inesse plenitudinem dicimus ; qui est naturaliter homo verus, ut idem sit naturaliter etiam Deus verus, totum accipiens in veritate carnis, quem ad mensuram largitur munere deitatis. » Et mox : « Non ergo accipit Spiritum sanctum divinitas Filii, cum qua unius naturæ est Spiritus sanctus, et ex qua habet quidquid habet ; imo de qua est hoc quod est : quia quod naturaliter habet hoc est. Restat itaque ut anima Christi Spiritum sanctum accipiat, quem tamen non ad mensuram accipit, sed totum accipit. Ubi enim mensura non esse dicitur, plenitudo perfectionis, et perfectio plenitudinis invenitur. » Quod ibi quidem Fulgentius eo scribit, ut in Christi anima perfectam omnium, et ipsius adeo divinitatis fuisse notitiam approbet, ut supra capite tertio diximus. Verum non minus ad gratiæ sanctitatisque plenitudinem eidem vindicandam animæ Christi, tam illa tota Fulgentii pertinet oratio, quam Joannis testimonium, quo *non ad mensuram datum esse Christo Spiritum*, ait : imo hic locus potissimum de sanctitate est intelligendus.

Hanc ergo plenam, et mensuræ ac modi prorsus expertem, hoc est immensam, et infinitam, et dedit sibi, et a seipso Christus accepit. Hanc divinitatis plenitudinem, adeoque gratiæ, ac sanctitatis peculiarem illi, tanquam capiti, ut supra diximus [3], nec alteri concessam, quantumvis sancto, declarat Augustinus Epistola 57. sub finem [4] : ubi et meram esse gratiam ex eo probat, quod nulla eam merita possint assequi. « An etiam præter hoc, *inquit*, quod tanquam in templo in illo corpore habitat omnis plenitudo divinitatis, est aliud, quod intersit inter illud caput, et cujuslibet membri excellentiam ? Et plane, quod singulari quadam susceptione hominis illius, una facta est persona cum Verbo. De nullo enim sanctorum dici potuit, aut potest, aut poterit, Verbum caro factum est. Nullus sanctorum qualibet præstantia gratiæ unigeniti nomen accepit, ut quod est ipsum Dei Verbum ante secula, hoc simul cum assumpto homine diceretur. Singularis est ergo illa susceptio, nec cum hominibus aliquibus sanctis, quantalibet sapientia, et sanctitate præstantibus, ullo modo potest esse communis, ubi divinæ gratiæ satis perspicuum, clarumque documentum est. Quis enim tam sit sacrilegus, ut audeat affirmare aliquam posse animam per meritum liberi arbitrii, ut alter sit Christus, efficere ? Ut ergo ad personam Verbi unigeniti pertineret, quo pacto per liberum arbitrium communiter omnibus, et naturaliter datum una sola anima meruisset, nisi hoc singularis gratia præstitisset, quam fas est prædicare, de qua nefas est velle judicare ? »

Ambrosius quoque illam gratiæ plenitudinem, ac Spiritus sancti in Christum ex toto profusi largitatem præclare in primo libro de Spiritu sancto, capite septimo explicat his verbis [5] : « Ita etiam, *inquit*, de Spiritu sancto Pater se dicit effundere super omnem carnem. Non enim totum effundit, sed quod effudit, omnibus abundavit. Supra nos ergo effusum est de Spiritu. At vero super Dominum Jesum, cum in forma esset hominis, manebat Spiritus, sicut scriptum est : Super quem videris Spiritum descendentem de cœlo, et manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. Circa nos ex affluenti commodo liberalitas largientis est, in illo totius manet in æternum Spiritus plenitudo. »

[1] Lib. 3. de Trin. c. 5. § 10. — [2] Lib. 1. de Ser. Dom. in monte c. 6. to. 4.

[3] C. 5. § 2. — [4] Aug. ep. 57. p. 109. C. 1. — [5] Ambr. de Spir. S. cap. 7. col. 223. F. 1.

Huc illud Joannis Chrysostomi spectat ad Psalmi quadragesimi verba ista, *Diffusa est gratia in labiis tuis.* « (1) Gratiam, *inquit*, eam intelligit, quæ in car nem venit. Super *quem*, inquit [1], *videris Spiritum descendentem, sicut columbam, et manentem super ipsum, hic est qui baptizat.* Omnis enim gratia effusa est in templum illud. Non enim in mensura dat illi Spiritum. Quippe nos de plenitudine ejus accepimus : at illud templum totam gratiam accepit. » Subjicit Esaiæ locum [2], in quo *requievisse super illum spiritum* ait *sapientiæ, et intellectus, etc.* « (2) Verum illic quidem integra est, totaque gratia : in hominibus vero, pusillum aliquid, et tanquam stilla gratiæ illius. Propterea non dixit, Do spiritum meum ; sed [3], *Effundam de spiritu meo super omnem carnem.* »

Postremo quoniam Christus non solum gratiam, et sanctitatem, tanquam donum gratuitum accepisse, sed etiam sibi ipse contulisse ab antiquis Patribus dicitur : eo fit, ut naturalis eadem illi esse statuatur, nec extrinsecus communicata ; sed οἴκοθεν, et de suo sibi præsens, et affluens. Quæ res immensam, et nullo fine ac termino circumscriptam eam esse demonstrat. Siquidem fons ipse gratiæ, hoc est Spiritus sanctus, in solidum transfusus est in assumptum hominem, eoque ipso sanctificatus est ; ut ejus sanctitas, ipsamet illi data et copulata divinitas fuerit : quod deinceps exponendum videtur.

CAPUT SEPTIMUM.

De formali, ut vocant, causa sanctitatis humanæ Christi naturæ. — 1. Hanc ipsam esse divinitatem ex Patribus ostenditur ; ex quibus insuper ad idem probandum argumenta colliguntur. — 5. Velut quod naturalis, non adoptivus sit Dei filius : tum quod naturalis illi sit sanctitas, et gratia ; — 6. non adventitia : nisi quatenus humana in se, ac citra Verbi conjunctionem, natura consideratur. — 7. Aliud argumentum ex eo, quod deificari natura humana dicitur ; necnon ex variis similitudinibus, quæ a Patribus adhibentur. — 8. Item ex eo, quod in novo Testamento sancti ac filii Dei per ipsammet divinitatem efficimur. — 9. Eximius Cyrilli locus de sanctificatione Christi, et humanæ naturæ unitione cum Deo, illustratur et enodatur. — 10. Duplex in eo conjunctionis ratio : altera per hypostaticam unitionem ; altera per mutuam dilectionem, quæ σχετικὴ ab Cyrillo vocatur. — 11. Christi sanctificatio exemplar est nostræ secundum utrumque modum unitionis. — 12. Apostoli ad id loca pertinentia declarantur.

I. Nunc de causa ipsa sanctitatis, hoc est de forma sanctificante, unde Christus homo tantam habuit gratiam, quantam hactenus illi tribuimus, agendum superest nobis : quæ quidem ex iis, quæ jam explorata sunt, dubia, et obscura esse non potest. Manifestum enim est, ipsam Verbi divinitatem, sive personam, quæ essentia sua sanctitas est, humanam per sese, vique propria sanctam facere naturam.

Communis hæc antiquorum Patrum est sententia, quam variis modis explicare, atque adstruere solent : de quibus agam deinceps. Et quoniam, ut ex antecedentibus patet, duplex est *sanctitatis* ratio ; una, quam θετικὴν, id est *positivam* appellant ; quæ in forma quadam, vel quasi forma sanctificante posita est : altera, quam *negativam* vocant, quam Græci ἀναμαρτησίαν vocant, Hieronymus *impeccantiam* ; quæ peccati maculam excludit : de utraque ordine disputandum, ut excellentem in Christo fuisse veterum illorum testimoniis approbemus.

Igitur divinitate ipsa, et ejus applicatione, humanam Christi naturam sanctificatam fuisse,

(1) CHRYSOST. tom. 1. pag. 633. Τὴν χάριν ἐνταῦθα λέγει τὴν ἐλθοῦσαν ἐπὶ τὴν σάρκα. Ἐφ' ὃν ἄν ἴδῃς τὸ Πνεῦμα, φησὶ, καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν, καὶ μένον ἐπ' αὐτὸν, οὗτός ἐστιν ὁ βαπτίζων· πᾶσα γὰρ ἡ χάρις ἐξεχύθη εἰς τὸν ναὸν ἐκεῖνον· οὐ γὰρ ἐν μέτρῳ δίδωσιν ἐκείνῳ τὸ Πνεῦμα. Ἡμεῖς μὲν γὰρ ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ ἐλάβομεν· ὁ δὲ ναὸς ἐκεῖνος ὁλόκληρον τὴν χάριν ἔλαβε.

(2) Ibid. pag. 634. Ἀλλ' ἐκεῖ μὲν ὁλόκληρος ἡ χάρις· ἐπὶ δὲ τῶν ἀνθρώπων, μικρόν τι, καὶ ῥανὶς ἀπὸ τῆς χάριτος ἐκείνης. Διὰ τοῦτο, οὐκ εἶπε, δίδωμι τὸ Πνεῦμα· ἀλλ', ἐκχεῶ ἀπὸ τοῦ Πνεύματός μου ἐπὶ πᾶσαν σάρκα.

[1] Jo. 1. 33. — [2] Esa. 11. 2.

[3] Joel. 2. 28.

luculenter docet is, qui ad Incarnationis enucleandum, illustrandumque mysterium singularem a Deo lucem, ac facultatem est consecutus Cyrillus Alexandrinus. Cujus in quinto libro commentariorum in Joannem eximia est de hoc argumento disputatio, cum illa Christi verba declarat [1], *A meipso facio nihil.* Hæc enim sic intelligenda dicit, non ut nihil ex seipso, propriaque vi moliatur, et solius duntaxat instrumenti locum habeat; sed ut nihil paternæ voluntati dissentaneum faciat. « (1) Neque tamen ideo nos existimabimus, *inquit,* in absurdas opiniones delapsi, Filium virtutem nescio quam ex electione, habituque profectam, illis verbis præ se ferre : quin potius naturæ immutabilis fructum, quæ quod Deo conveniens est agere, neutiquam deliberando dignum arbitratur. Etenim in creaturis, ut quæ ad deteriora converti queunt, et mutationibus iis subjectæ sunt, quæ a melioribus ad turpiora fiunt; fructus animi fuerit Dei ac virtutis studiosi bonitas : at in divina, et omnia supergressa substantia non ita res habet. Siquidem omni mutatione, conversioneque sublata, ita ut nulla in ea insit omnino, fructus erit naturæ ab omni alienissimæ mutatione bonum : quemadmodum in igne calor, aut in nive frigus. Non enim in voluntate propriam ignis efficientiam habere cernitur, sed naturalem magis, et substantivam, ut aliter affici nequeat. »

II. Hæc et iis plura Cyrillus : quæ etsi de divinitate ipsa Verbi dici videantur, quæ eadem est cum paterna, nihilominus ad ipsum quoque Christum hominem ex illius mente referenda sunt. Agit enim ibi de Christo pro homine se gerente, et paternam in humana natura voluntatem exequente. Ita ut perinde qua hic homo est, ab hac discordare nequeat, atque ut est Deus : eo quod eadem utraque natura sanctitate prædita sit, et impeccantia; diversa tamen ratione congruente. Nam subjicit paulo post istud : « (2) Ecquis enim, dicito mihi, quæ Dei sunt, ut est dignum Deo, et immutabiliter sapiet, nisi qui et ipse natura sit Deus ? aut quis perpetuo faciet quod illi placitum est, nisi naturam habeat deterioribus inaccessam, et eximiam divinæ naturæ dignitatem sortitus fuerit ? nempe ut peccare prorsus nesciat ? » Atqui de homine Christo ista potissimum, ad quæ alludit, loca Scripturæ interpretanda sunt, ubi ita legitur [2], *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Et [3], *Quæ placita sunt ei facio semper.* Non dubium est igitur, quin Cyrillus Christum, etiam ut hominem, eodem modo sanctum fuisse velit, hoc est in omni actione paternæ consentaneum voluntati, et peccati nulla prorsus aspersum macula, quo Verbum ipsum, ac Dei filium unigenitum. Nam et illud Petri [4], quod ad idem probandum adjicit Cyrillus, *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, ad Christum, non qua Deus est, sed qua homo, pertinet : ut tam antecedentia, quam sequentia demonstrant ; illa quidem, quæ sunt ejusmodi : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus ;* hæc vero, *Qui cum malediceretur, non maledicebat : cum pateretur, non comminabatur*, etc. Quare ut hæc homini Christo congruunt ; sic illa de sanctitate, et innocentia vitæ, cujus in divinitatem causa, et origo refunditur, ad eamdem naturam pertinent.

III. Sic in libro undecimo commentariorum eorumdem, capite decimo late illud probat; « (3) Non esse Christum participatione cum altero sanctum, » hoc est adventitiam, et ex parte communicatam obtinere sanctitatem; « nec alienam ab substantia sua per spiritum habere sanctificationem. » Quod subinde accuratius enarrans, docet, carnem Christi, hoc est humanam naturam, per sese sanctitatem non habere insitam sibi ac propriam ; uti nec rem

(1) CYRIL. lib. 5. in Joan. pag. 530. B. Καὶ οὐδήπου νομιοῦμεν εἰς ἐκτόπους ἐννοίας κατολισθαίνοντες, προαιρετικήν τινα, καὶ ἑκτικὴν ἀρετὴν ἐνδείκνυσθαι τὸν Υἱὸν ἐν τούτοις, φύσεως δὲ μᾶλλον ἀτρέπτου καρπὸν, οὐκ ἀξιούσης τὸ θεοπρεπὲς ἐν τῷ τι βουλεύεσθαι δρᾷν. Ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν κτισμάτων, ἅτε δὴ καὶ τραπέσθαι δυναμένων ἐπὶ τὰ χείρω, καὶ μεταβολαῖς ὑπέχειν ταῖς ἐξ ἀμεινόνων ἐπὶ τὰ αἰσχίονα, καρπὸς ἂν εἴη θεοσεβοῦς τε, καὶ φιλαρέτου γνώμης τὸ ἀγαθόν. Ἐπὶ δέ γε τῆς θείας, καὶ τὰ πάντα ὑπερκειμένης οὐσίας οὐχ οὕτως. Ἀλλοιώσεως γὰρ καὶ τροπῆς ἁπάσης ἐξῃρημένης, καὶ τόπον οὐκ ἐχούσης οὐδένα, καρπὸς ἔσται λοιπὸν οὐσίας ἀπαραποιήτου τὸ ἀγαθόν· ὥσπερ οὖν ἀμέλει καὶ ἐν πυρὶ τὸ θερμὸν, ἢ ἐν χιόνι τὸ ψυχρόν. Οὐ γὰρ ἐν θελήσει τὸ πῦρ τὴν ἰδίαν ἐνέργειαν ἔχον ὁρᾶται· φυσικὴν δὲ μᾶλλον καὶ οὐσιώδη, ἑτέρως ἔχειν οὐ δυναμένην.

(2) Ibid. pag. 531. Τίς γὰρ ἂν, εἰπέ μοι, φρονήσει τὰ Θεοῦ θεοπρεπῶς τε, καὶ ἀπαραλλάκτως, εἰ μὴ καὶ αὐτὸς ὑπάρχοι κατὰ φύσιν Θεός; ἢ τίς ἂν ἐπιτελέσαι πάντοτε τὸ ἀρέσκον αὐτῷ, μὴ οὐχὶ τὴν φύσιν ἄβατον ἔχων τοῖς χείροσι, καὶ τὸ ἐξαίρετον τῆς θείας φύσεως ἀξίωμα λαχὼν, τὸ μὴ εἰδέναι, φημὶ, τὸ ἁμαρτεῖν;

(3) CYRIL. pag. 986. Ὅτι οὐκ ἐκ μετοχῆς τῆς πρὸς ἕτερον ἅγιός ἐστιν ὁ Χριστὸς, οὐδὲ ξένος τῆς οὐσίας αὐτοῦ ὁ διὰ Πνεύματος ἁγιασμός.

[1] Jo. 8. 28. — [2] 2. Cor. 5. 21. — [3] Jo. 8. 29. — [4] 1. Pet. 2. 22.

creatam quamlibet : sed aliunde transfusam : verum quatenus in divinæ substantiæ consortium est evecta, et cum ea copulata, eo ipso non modo sanctitatem, sed etiam sanctificandi vim solius propriam divinitatis accipere. « (1) Quoniam igitur, *inquit*, non est per sese sancta caro Christi, propterea sanctificata est etiam in Christo ; quoniam Verbum, quod habitavit in illa, per Spiritum sanctum proprium templum sanctificavit, et in propriæ naturæ transmutavit efficacitatem. Etenim ideo sanctum, et sanctificum Christi corpus intelligitur, quod, ut paulo dixi, templum factum est uniti sibi Verbi corporaliter, ut ait Paulus. »

Augustinus tractatu in Joannem in fine de his verbis agens [1], *Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate*, docet in Verbo sanctificatum esse assumptum filium hominis per hypostaticam unitionem. « In quo et ipse filius hominis, *inquit*, sanctificatus est ab initio creationis suæ, quando Verbum factum est caro : quia una persona facta est Verbum, et homo. Tunc ergo sanctificavit se in se, hoc est hominem se in Verbo se : quia unus est Christus Verbum, et homo, sanctificans hominem in Verbo. »

Sic Albinus Flaccus libro primo commentariorum in Joannem [2], ad illa verba, *Plenum gratiæ, et veritatis*, « Gratiæ plenus erat, *inquit*, et est homo Christus Jesus, cui singulari munere præ ceteris mortalibus datum est, ut statim ex quo in utero Virginis concipi, et homo fieri inciperet, verus esset Deus. » Quibus verbis significat, eo ipso gratia, et veritate fuisse plenum, quod ad societatem est divinitatis assumptus.

IV. Joannes item Cassianus libro secundo de Incarnatione, capite sexto, Nestorio sic objicienti, « Sed dicas forsitan gratiam hanc Domini nostri Jesu Christi, de qua Apostolus scribit, (iis nimirum verbis [3], *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri*,) non cum ipso natam, sed postea ei illapsu divinitatis infusam : quia et homo ipse a te Dominus noster Jesus Christus, quem solitarium dicis, non cum Deo natus, sed postea a Deo dicatur assumptus ; ac per hoc totum, homini illi gratiam, quando et divinitatem datam ; » respondet his verbis : « Neque nos aliud dicimus, quam quod divina gratia cum divinitate descenderit ; quia et divina gratia Dei sit et largitio quodammodo ipsius divinitatis, ac donum munificentiæ gratiarum. » Agit autem ibi Cassianus de illapsu divinitatis in hominem, et substantiva utriusque conjunctione, quam Nestorius negabat ab ipso conceptus initio esse factam ; sed formato jam, et nato homini insinuasse se Dei filium : quam quidem *gratiam* appellat, gratiæque plenitudinem, ac fontem. De qua Apostolus scribit [4], *Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum*. « Qui scilicet jam docuerat, pergit Cassianus [5], eumdem Deum esse, quem Christum, cunctamque in illo majestatem deitatis esse, et omnem in eo corporaliter plenitudinem divinitatis habitare ; recte utique jam sine adjectione nominis Dei, solam precatur gratiam Dei. Quia cum eamdem docuerit sæpius gratiam Dei esse, quam Christi, plenissime nunc solam precatur gratiam Christi ; quia in gratia Christi omnem scit gratiam contineri. » Quocirca Christi gratia eadem est et Dei gratia : Christi, inquam, non tantum, qua Deus est, sed etiam ut est homo ; nempe in quo *divinitatis habitat plenitudo corporaliter*. Ac proinde uti divinitas ipsa gratia est, sive sanctitas, qua Deus sanctus est : sic eadem sanctitas est, sive gratia, qua Christus homo sanctus est.

Titus quoque Bostrensis, ut quidem inscribitur, commentario in Lucam, ad illa verba [6], *Ideo et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*. « (2) Non ob id, *ait*, sanctum vocabitur, quod velut inhabitatorem habiturum sit filium Dei, et participatione sanctificandum sit : sed quod homo natura sua, idem est, et unus Dei filius. » Cum ergo non participatione et divisione gratiæ præditus sit, sed eatenus quod Dei sit filius et unus cum Verbo, sanctus appelletur, et sit : necesse est illum divinitate ipsa quam habet, esse sanctum.

V. Indidem præclarum nobis suppeditatur argumentum, quo istud ipsum efficitur. Nam si ideo sanctus est, homo Christus, quod verus sit Dei filius, non adoptivus ; sequitur

(1) CYRIL. ibid. pag. 992. Ἐπειδὴ τοίνυν οὐχ ἁγία καθ' ἑαυτὴν ἡ σάρξ, ἡγιάσθη διὰ τοῦτο καὶ ἐν Χριστῷ, τοῦ ἐν αὐτῇ κατοικήσαντος Λόγου, διὰ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, τὸν οἰκεῖον ναὸν ἁγιάζοντος, καὶ εἰς ἐνέργειαν αὐτὸν τῆς ἰδίας μεταποιοῦντος φύσεως. Ἅγιον γὰρ διὰ τοῦτο νοεῖται, καὶ ἁγιαστικὸν τὸ σῶμα Χριστοῦ, ἅτε δὴ, καθάπερ ἔλεγον ἀρτίως, ναὸς γεγονὼς τοῦ ἑνωθέντος αὐτῷ Λόγου σωματικῶς, ὡς ὁ Παῦλός φησιν.

[1] Joan. 17. — [2] Col. 393. C. — [3] Tit. 2.

(2) TITUS Bostr. tom. 13. bib. pag. 767. E. Ἅγιον δὲ κληθησόμενον, οὐχ ὡς ἔνοικον ἕξοντα τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐκ μετοχῆς ἁγιασθησόμενον· ἀλλ' ὡς ἄνθρωπον κατὰ φύσιν, τὸν αὐτὸν ὑπάρχειν Υἱὸν Θεοῦ, καὶ ἕνα.

2. Cor. 16. — [5] Cass. 2. de Inc. c. 5. — [6] Lucæ 1.

propria illi, et naturalia esse divinitatis ornamenta, quorum primarium est sanctitas. Non potest autem naturale censeri humanitati Christi divinitatis ullum bonum, nisi quod divinitati ipsi est annexum, et unum cum ea. Ideo enim quæ divinæ propria sunt, humanæ fiunt propria naturæ, eique οὐσιωδῶς, hoc est *substantive*, ut nos loqui solemus : ut autem nonnulli Patres, *naturaliter*, et *essentialiter* conveniunt; quia substantivo et, οὐσιώδει, vel etiam φυσικῷ nexu ambæ inter se copulantur. Itaque substantive, ac naturaliter sanctitas ipsa divinitatis, humanam naturam sanctam efficit, adeoque semetipsa; non manante duntaxat a se, derivataque ut in ceteris, efficientia creatæ sanctitatis, et gratiæ. Vide quæ de naturali Christi *filietate* libro septimo quatuor capitibus primis exposuimus.

Huic solidissimæ, ac certissimæ rationi suffragatur imprimis veterum auctoritas Patrum, qui sanctitatem et gratiam naturalem Christo asserunt fuisse, non adscititiam, ac velut accidentem.

Affirmat hoc Dionysius Alexandrinus in epistola synodica ad Paulum Samosatenum, sub initium : ubi Christum Dominum infinito intervallo probat Joanni Baptistæ antecellere. « (1) In eo, *inquit*, ostendebatur Christi ab Joanne discrimen ex summa munditia, et incomparabili justitia : quod opus quidem justitiæ Joannes erat; Jesus autem, natura. »

Item, « (2) Naturalis, *ait*, justitia, et divina virtus existit. » Mox Samosatenum increpat, instar ceterorum hominum adstruentem justificatum esse Christum. « (3) Neque enim natura justum, *inquit*, ipsum esse dicis, tanquam Deum, Christum. Quippe Deus est natura, quidquid de ipso boni dicitur. Tu vero justum eum asseris, sic tanquam in justitia exercentem se hominem. » Augustinus quoque in Enchiridii capite 40. « Profecto modus iste, *ait*, quo natus est Christus de Spiritu sancto, non sicut Filius, et de Maria virgine, sicut filius : insinuat nobis gratiam Dei, qua homo, nullis præcedentibus meritis, in ipso exordio naturæ suæ, quo esse cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ unitatem, ut idem ipse esset Filius Dei : qui filius hominis, et filius hominis, qui Filius Dei, ac sic in naturæ humanæ susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum possit admittere. »

VI. Basilius præterea homilia in Psalmum 44. hunc versum explicans, *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem*, hæc scribit : « (4) Pro eo quod est, ceteri quidem homines labore, exercitatione, et attentione animi hoc assequuntur, ut ad honestatem bene sint affecti, et a malo aversi. Tibi vero naturalis est quædam cognatio cum bono, et alienatio ab iniquitate. »

Ita Cyrillus libro 11. in Joannem, « (5) Sanctum, *inquit*, illud est omne, quod a mundi sordibus est immune. Quod quidem naturaliter est in Christo, ad Patris similitudinem; adscititium vero, et adventitium inest sanctis discipulis, per sanctificationem, quæ est ex gratia, et splendorem vitæ, ac probitatem. »

Maximus etiam martyr in dialogo cum Pyrrho, γνώμην, quæ est animi ex deliberatione, ac consultatione sententia, in Christo negat fuisse, idque Basilii testimonio illo, quod proxime posuimus, demonstrat. « (6) Etenim eo ipso quod erat, hoc est divine subsistebat, naturaliter, et cum honestate cognationem, et a malo alienationem habebat. » Eodem etiam illud accommodat Esaiæ, (7) *Priusquam cognoscat puer bonum, aut malum, repugnat malitiæ, ut eligat bonum*, ut habent græci codices. « (8) Nam vox priusquam, ait Maximus, indicat, non illum, uti nos facimus, quærendo, et consultando, sed divine subsi-

(1) DION. Alex. tom. 11. bib. pag. 274. C. Καὶ παρὰ τοῦτο ἐδείκνυτο τοῦ Χριστοῦ διαφορὰ πρὸς Ἰωάννην μεγάλῃ τῇ καθαρότητι, καὶ ἀσυγκρίτῳ δικαιοσύνῃ, ὅτι Ἰωάννης μὲν ἔργον ἦν δικαιοσύνης, Ἰησοῦς δὲ φύσις.

(2) Ibid. pag. 278. A. Φυσικὴ γὰρ δικαιοσύνη, καὶ θεϊκὴ δύναμις ὑπάρχει.

(3) Idid. Οὔτε γὰρ φύσει δίκαιον αὐτὸν λέγεις, ὡς Θεὸν, τὸν Χριστὸν. Θεὸς γάρ ἐστι πᾶν φύσει, ὅπερ ἂν ἀγαθὸν λέγεται περὶ αὐτοῦ. Σὺ δὲ δίκαιον αὐτὸν λέγεις, ὡς ἄνθρωπον δικαιοσύνης ἀσκητήν.

(4) BASIL. tom. 1. pag. 259. A. Ἀντὶ τοῦ οἱ μὲν λοιποὶ ἄνθρωποι πόνῳ, καὶ ἀσκήσει, καὶ προσοχῇ πολλάκις κατορθοῦσι τὴν πρὸς τὸ καλὸν διάθεσιν, καὶ τὴν τῶν φαύλων ἀποστροφήν. Σοὶ δὲ φυσική τίς ἐστι πρὸς τὸ ἀγαθὸν ἡ οἰκείωσις, καὶ πρὸς τὴν ἀνομίαν ἡ ἀλλοτρίωσις.

(5) CYRIL. 11. in Joan. pag. 985. D. Ἅγιον δὲ πᾶν ὅπερ ἂν φαίνοιτο τῆς ἐν κόσμῳ κηλίδος ἀπηλλαγμένον· ὅπερ ἐστὶ φυσικῶς μὲν ἐν Χριστῷ, καθ' ὁμοιότητα τοῦ Πατρὸς, εἰσποιητὸν δὲ, καὶ εἰσκεκριμένον ἐν τοῖς ἁγίοις μαθηταῖς, διά τε τοῦ κατὰ χάριν ἁγιασμοῦ, καὶ τῆς ἐν βίῳ φαιδρότητος, καὶ ἐπιεικείας.

(6) MAXIM. pag. 687. Αὐτῷ γὰρ τῷ εἶναι, καὶ τῷ θεϊκῶς ὑποστῆναι φυσικῶς καὶ τὴν πρὸς τὸ καλὸν εἶχεν οἰκείωσιν, καὶ τὴν πρὸς τὸ κακὸν ἀλλοτρίωσιν.

(7) ISA. 7. 16. Ὅτι πρὶν ἢ γνῶναι τὸ παιδίον ἀγαθὸν, ἢ κακὸν, ἀπειθεῖ πονηρίᾳ, τοῦ ἐκλέξασθαι ἀγαθόν.

(8) Ibid. Τὸ γὰρ πρὶν ἢ, δηλοῖ, ὅτι οὐ καθ' ἡμᾶς ζητήσας, καὶ βουλευσάμενος, ἀλλὰ θεϊκῶς ὑποστὰς, αὐτῷ τῷ εἶναι τὸ ἐκ φύσεως εἶχεν ἀγαθόν.

stendo, per ipsum suum esse naturale, bonum habuisse. »

Igitur non ἐπίκτητον, hoc est *adscititium*, et quasi ex accidenti superfusum, sed naturale bonum obtinebat; id est honesti, rectique voluntatem, et studium. Hoc autem creaturæ nulli convenit, ut mox dicemus. Igitur non ratione creati cujuspiam, insitam, et naturalem habuit propensionem in virtutem, et ab vitio abhorrentem voluntatem : sed propter increatum aliquid, nempe divinitatem, Verbique, quo cum οὐσιωδῶς copulatum erat, hypostasim.

Atenim Eustathius Antiochenus in oratione in Psalmum 92. hominem in Christo ἐπίκτητον, id est adventitiam, ait virtutem habuisse : « (1) Perspicuum igitur est, *ait*, si ungens Deum designat, cujus thronum sempiternum vocavit, manifeste constare, Deum natura ex Deo genitum, qui unxit : porro qui unctus est, adventitiam virtutem accepit, singulari templi ornamento, ac titulo decoratus, ex habitantis in ipso divinitate. » Sed nimirum eadem increata sanctitas, virtus, et gratia, humanæ per sese consideratæ naturæ, fuit adscititia, minimeque naturalis, et propria : verum qua Verbo copulata est, et consors est facta divinitatis, in illius censu, ac proprietate numerari cœpit. Atque ut Verbi persona, id est divinitas affecta filietate, humanæ Christi naturæ per substantivam, et naturalem conjunctionem propria facta est : sic etiam sanctitas divinitati peculiaris, ad eamdem est hominis applicata substantiam ; et ei velut propria, et dotalis attributa.

VII. Ad hoc suadendum multum illa pertinent, quæ in quarto, et decimo libro [1] de dignitate diximus evectæ ad divinitatis commercium humanæ Christi naturæ, quo factum est, ut hæc θεωθῆναι, id est *deificata esse* dicatur, et in divinitatem velut absorpta. Huic enim statui consentaneum est, hominem in Christo omni ex parte sanctum esse, idque communione ipsa, et adjunctione totius, et primigeniæ sanctitatis, id est divinitatis, esse consecutum. Quod variis similitudinibus declarare veteres solent ; velut ferri candentis, quod non solo calore, id est qualitate, sed ipsamet ignis substantia in se recepta, et conjuncta, calidum, et ignitum efficitur : de quo exemplo postea dicam. Tum carbonis ardentis, cujusmodi unus e Seraphimis [2] *forcipe tulit ex altari*, et ad Prophetam advolans ejus labra contigit. Quem quidem *carbonem*, uti 70. Interpretes reddiderunt, plerique Patrum ad Christum referunt : præsertim Cyrillus Alexandrinus, cujus insignem locum prætermittere non debeo. Hic enim Prophetæ locum illum explicans, aptissime cadere in Christum ait igniti carbonis figuram : quoniam Deus passim cum igne comparatur, et ea specie sæpius apparuit. « (2) Ut igitur carbo natura sua lignum est, et nihilominus totus per totum igne repletus est, ejusque vim, et efficientiam habet : eodem, opinor, modo merito Dominus noster ipse Jesus Christus intelligi poterit. Etenim Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Verum licet homo nostri similis quadam dispensatione videbatur ; tamen omnis in eo plenitudo divinitatis habitavit, secundum unitionis modum. » Ex quo factum illud observat ; ut vel ejus ipsa caro, vim quamdam beneficam, et sospitatricem obtineret, ac solo contactu sanitatem ægris, mortuis vitam redderet. Quod et Procopius imitatus est. Sic in libro secundo contra Nestorium, eodem sensu carbonem illum propheticum exponit ; quod duæ similiter in Christo naturæ nexæ inter se copulatæque conveniant. « (3) Siquidem ignis, *ait*, in lignum penetrando subiens, in propriam transire ipsum facit gloriam, ac virtutem ; etsi id, quod erat, sine ulla mutatione retineat. »

Ejusdem generis est similitudo ab ignito aere petita, quam ex Euthymio, et Elia Cretensi retulimus libro quarto [3]. Si enim totus aer non ignitus esset, sed ignis ; in eoque globulus ferreus poneretur, totus in ignis qualitatem transiret, manente nihilominus natura,

(1) EUSTATH. apud Theodoretum dial. 1. pag. 38. C. Πρόδηλον οὖν, εἴπερ ὁ χρίων ἀποδεικνύει Θεὸν, οὗ τὸν θρόνον εἶπεν αἰώνιον, δῆλος μὲν ἔστι φύσει Θεὸς ἐκ Θεοῦ γεννηθεὶς ὁ χρίσας· ὁ δὲ χρισθεὶς ἐπίκτητον εἴληφεν ἀρετὴν, ἐκκρίτῳ ναουργίᾳ κοσμηθείς, ἐκ τῆς τοῦ κατοικοῦντος ἐν αὐτῷ θεότητος.

(2) CYRILL. in Is. tom. 2. oper. pag. 107. E. Ὥσπερ οὖν ὁ ἄνθραξ ξύλον ἐστὶ τῇ φύσει· πλὴν ὅλος δι' ὅλου μεμέστωται τοῦ πυρὸς, καὶ τὴν αὐτοῦ δύναμίν τε, καὶ ἐνέργειαν ἔχει· κατὰ τοῦτον, οἶμαι, τρόπον νοοῖτ' ἂν εἰκότως καὶ αὐτὸς ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς. Γέγονε γὰρ σὰρξ ὁ Λόγος, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. Ἀλλ' εἰ καὶ ἦν καθ' ἡμᾶς ὁρώμενος ἄνθρωπος οἰκονομικῶς, ἀλλ' οὖν ἅπαν τὸ τῆς θεότητος πλήρωμα κατῴκηκεν ἐν αὐτῷ, κατά γε, φημὶ, τὸν τῆς ἑνώσεως τρόπον.

(3) CYRILL. idem lib. 2. cont. Nestor. to. 6. p. 32. Εἰσδεδυκὸς γὰρ τῷ ξύλῳ τὸ πῦρ, εἰς οἰκείαν αὐτὸ μεταστοιχειοῖ τρόπον τινὰ δόξαν τε, καὶ δύναμιν, καίτοι τετηρηκὸς ὅπερ ἦν.

[1] C. 8. et 13. et 14. et l. 10. cap. 1.

[2] Isa. 6. 6. — [3] C. 13. § 5.

quæ fervore obducta igneo non appareret. Sic natura hominis tota divinitate velut contecta, et absorpta, vix in sese conspicitur. Ita Elias Cretensis illic citatus.

Accedunt et aliæ similitudines ibidem, et aliis in locis allatæ, uti stillæ aceti in mellis, aut vini vastissimum oceanum infusæ; de quibus lege ea præsertim, quæ in primo capite libri superioris explicata sunt.

VIII. Est insuper eximium ad idem probandum argumentum ex communi sumptum, et admirabili quamplurimorum Patrum sententia, de justificationis, et adoptionis in Dei filios gratia, quæ singularis, propriaque novi Testamenti, Christi demum merito ac beneficio in Christianam est Ecclesiam importata: ut non accidenti aliqua qualitate, vel omnino creata re sola, velut forma, sancti, et adoptivi Dei filii homines fierent, sed ipsamet explicata nobis divinitate, ac persona increati, ac primarii doni, qui est Spiritus sanctus. Quam quidem vulgo in theologorum scholis traditam, et usu receptam opinionem, apud græcos latinosque Patres passim occurrere, crebris illorum et expressis testimoniis fidem fecimus, in octavo de Trinitate libro [1]: quem accurate relegere, multum præsentis disputationis intersit. Hinc enim efficitur, idipsum potiori de Christo jure pronuntiandum esse, justum eum ac sanctum increata sanctitate, hoc est divinitate fuisse. Sed hoc arcanum, ac stupendum mysterium: illud, inquam, angelorum pariter, et hominum intelligentia, prædicationeque præstantius specimen inexhaustæ bonitatis, ac potentiæ divinæ, ne rudis nostræ orationis infantia deteratur; egregia beati Cyrilli sententia, et verbis illustrare libet; quibus modum illum sanctificandæ tam in Christo, quam in ceteris, humanæ naturæ, cum utriusque discrimine, declaravit: imo declarantem pressius, ac reconditius sanctum Joannem evangelistam uberioris enarrationis luce patefecit.

IX. Cum igitur hæc verba Joannis interpretatur Cyrillus Alexandrinus [2], *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus: ego in eis, et tu in me;* hoc primum velut fundamenti loco statuit, « (1) habere unigenitum Dei filium substantivam, et naturalem unitionem cum Patre; quoniam ab eo genitus est vero generationis modo, atque ex ipso intelligitur, et cum ipso: ita ut, licet privatæ extantiæ diversitate distare videatur, tamen propter maxime connexam identitatem substantiæ, tanquam unum aliquid cum Patre censeatur. » Quoniam vero humanam naturam sibi ipsi copulans, quasi capite minutus, et ab illa dignitate dejectus videtur; unde et [3] *seipsum exinanisse*, id est, ut Tertullianus ait [4], *nullificasse* dicitur: idcirco eamdem illam, quam ut Deus naturaliter obtinet, (2) unitatem cum Patre, gratia est, ut homo, consecutus. « (3) Itaque cum caro de muliere sumpta non sit ejusdem cum Deo et Patre substantiæ, nec idem natura cum ipso; nempe templum illud, ut universe dicam, ex Virgine fabricatum; nihilominus postquam semel in Verbi corpus assumptum est, deinceps tanquam unum cum Patre quippiam habetur. Siquidem unus est Christus, et unus filius, quando est homo factus. » Hanc vero *unitionem*, sive *unitatem* cum Patre, Dei filius accepisse qua homo dicitur. Non enim id ex se habebat humanæ naturæ conditio. Et quod carni suæ, sive humanitati tributum est, id sibi concessum Verbum ipsum profitetur. Quemadmodum autem unitio ista cum Deo carnis, et humanæ naturæ perficiatur, egregie subinde Cyrillus idem explicat. Scribit enim, « (4) datum illud humanitati Christi munus a Patre esse per Filium in Spiritu. » « Quippe unitionis, *ait*, cum Deo modus non aliam viam tenet, etiam in Christo ipso consideratus, quatenus apparuit, et fuit homo, unitione cum Spiritu, secundum inexplicabilem conjunctionis rationem, sanctificationem accipiente carne, et ita citra confusionem

(1) Cyril. lib. 11. in Joan. 12. pag. 1000. E. Οὐσιώδη τε, καὶ φυσικὴν τὴν ἕνωσιν ἔχειν εὖ μάλα φρονοῦντές φαμεν πρὸς τὸν ἑαυτοῦ Πατέρα τὸν μονογενῆ, καθὸ καὶ γεγέννηται κατὰ τὸν ἀληθῆ τῆς γεννήσεως τρόπον, καὶ ἐξ αὐτοῦ νοεῖται, καὶ ἐν αὐτῷ· τῇ μὲν κατ' ἰδίαν ὕπαρξιν ἑτερότητι διεστάναι τε, καὶ διωρίσθαι δοκῶν, τῇ γε μὴν συμφυεστάτῃ τῆς οὐσίας ταὐτότητι, καὶ ὡς ἕν τι μετὰ Πατρὸς νοούμενος.

(2) Ibid. pag. 1001. B. Καθάπερ ἐν χάριτος μέρει τὸ φύσει προσὸν αὐτῷ.

(3) Ibid. Οὐκοῦν ἐπειδήπερ οὐχ ὁμοούσιος τῷ Θεῷ, καὶ Πατρὶ, ἀλλ' οὐδὲ ταὐτὸν εἰς φύσιν ἡ ἐκ γυναικὸς σάρξ ἐστιν, ἤγουν ὁλοκλήρως ὁ ἐκ τῆς παρθένου ναὸς, παραδεχθεὶς δὲ ἅπαξ εἰς σῶμα τοῦ Λόγου, λοιπὸς ὡς ἕν τι λελόγισται σὺν αὐτῷ. Εἷς γὰρ ὁ Χριστὸς, καὶ εἷς ὁ Υἱὸς, ὅτε γέγονεν ἄνθρωπος.

(4) Ibid. C. Δοθὲν δὲ δὴ πάντως παρὰ Πατρὸς δι' αὐτοῦ ἐν Πνεύματι. Ὁ γὰρ τῆς πρὸς Θεὸν ἑνώσεως τρόπος οὐχ ἑτέραν ἔχει τὴν ὁδὸν, καὶ εἰ νοοῖτο τυχὸν ἐπὶ Χριστοῦ, καθὸ πέφηνε τε, καὶ κεχρημάτικεν ἄνθρωπος, ἑνώσει τῇ πρὸς τὸ Πνεῦμα, κατὰ τὸν ἄῤῥητον τῆς συνόδου τρόπον ἁγιαζομένης δηλονότι τῆς σαρκὸς, οὕτω τε πρὸς ἕνωσιν ἀσυγχύτως ἀναβαινούσης αὐτῆς πρὸς τὸν Θεὸν Λόγον, καὶ δι' αὐτοῦ πρὸς τὸν Πατέρα, σχετικῶς δηλονότι, καὶ οὐ φυσικῶς.

[1] Cap. 4. 5. 6 et 7. — [2] Jo. 17. 22. — [3] Phil. 2. 8. — [4] Tert. 4. contra Marc. c. 14.

ascendente ad unitionem cum Deo Verbo : et per hunc cum Deo Patre, habitudine videlicet, non natura. »

X. Hoc in loco, sane difficili, Cyrillus humanam Christi naturam uniri cum Deo Patre, id est unum fieri dicit non alio modo, quam ceteros sanctos, nempe per Spiritum sanctum, qui a Patre per Filium datur. Quippe sanctificari illam eamdem naturam per ineffabilem conjunctionis modum, nimirum hypostatice, et hac ratione provehi ad unitionem cum Deo Verbo; et per hoc etiam cum Patre: quam unitionem σχετικὴν, hoc est *moralem* ait esse, non naturalem. Quid hic obsecro, Cyrille, loqueris? Tunc φυσικὴν, id est *naturalem*, esse negas humanæ cum Verbo naturæ junctionem, nec nisi σχετικὴν esse concedis? Quid aliud Nestorius affirmabat, aut cur ei bellum tam acre, vehemensque denuntiasti ob hoc unum, quod φυσικὴν unitionem Verbi et humanitatis appellari minime pateretur? Nempe σχετικὴν solam ἕνωσιν inter utrumque constituebat Nestorius, eamque συνάφειαν vocabat. De qua dictum est abunde præsertim in libro tertio, capite tertio, et libro sexto, capite secundo. Quocirca ne tantus vir a seipso, imo ab catholica fide tam fœde aperteque dissentiat; necesse est ἕνωσιν illam σχετικὴν ab naturarum duarum copulatione secerni.

Prorsus ita sese res habet: aliud hoc quidem in loco σύνοδον, id est *conventionem*, et *conjunctionem* humanitatis cum Verbo; aliud ἕνωσιν ejusdem cum Verbo, et per hoc cum Patre, nominavit. Illam non dubitavit esse φυσικὴν, id est *naturalem*, et quod idem esse ratus est [1], ὑποστατικὴν; σχετικὴν vero dici, haberique non est passus. Ergo humana Christi natura cum Verbo conjuncta, hac ipsa conjunctione sanctificata est, ut ait Cyrillus: et hoc modo provecta ad ἕνωσιν, id est *unitionem* cum Verbo, et per idem Verbum cum Patre, interventu Spiritus sancti. Quod ad dilectionem, quam *actualem amorem* nominant, Christi, ut homo est, et mutuum ejus in Deum Patrem affectum referri necesse est; quam amicitiam proprie nuncupant. Etenim amicitia neque benevolentia est simplex, nec *amatio*, ut ita dicam, solitaria: « sed requiritur quædam mutua amatio, quia amicus est amico amicus, » ait sanctus Thomas [2]. Quare homo assumptus a Verbo prius cum eo φυσικῶς, id est *naturaliter*, et *hypostatice* conjunctus est, unumque cum eo factus, quam ipsum, ejusque Patrem redamaret, ac mutuum redderet; in quo proprie sita est amicitia, et σχέσις illa, a qua σχετικὴ ἕνωσις appellatur mutua voluntatum concordia, vel affectus mutuus. Hæc enim germana est, et græcis usitata scriptoribus notio τῆς σχέσεως, ut amicitiam, et cognationem, atque usum mutuum significet. Unde et τῶν πρός τι, id est *relativa* esse vox ab iisdem traditur: quam *habitudinem* vocant, ut in libro tertio fusius ostendimus [3].

XI. Hoc sensu vere ab Cyrillo proditum est, Christum hominem humano modo, ac ceterorum more hominum, ad unitionem cum Deo Patre, hoc est mutuam ad amicitiam pervenisse, per Spiritum sanctum; cujus instinctu dilectionis affectum vicissim exhibuit; qua σχετικῶς cum illo conjunctus est: cum jam sanctus esset divinitate ipsa, quæ naturam illam sibi substantivo nexu, et φυσικῇ συνόδῳ copularat, quatenus sanctitas est, hoc est fœcunda charitatis et amoris, adeoque Spiritus sancti, in quo sanctitas vera consistit. Nam et sanctitatem ipsam, qua Deus sanctus est, Spiritum esse sanctum, antiquorum nonnulli arbitrati sunt: de quo dubitavit Augustinus [4]. Vide quæ in sexto de Trinitate libro hac de re diximus [5].

Ex hac Cyrilli disputatione, ac modo communicatæ homini Christo sanctitatis, quem hoc capite veterum ex dictis collegimus, magnum quoddam, et admiratione dignum Christiani status decus, ac splendor existit; cujus tum exemplar, ac velut idea, tum efficientia et origo, incarnato Verbo continetur. Quod ut breviter explicemus, illud imprimis memoria tenendum, quod in octavo de Trinitate libro fusius expositum paulo ante perstrinximus: hanc bene multorum ex antiquis esse sententiam; justos homines, et sanctos, ac Dei filios adoptivos fieri applicatione ipsa Spiritus sancti, hoc est οὐσιωδῶς, et *substantive*, non ἐνεργείᾳ sola Spiritus ipsius, ut ait Gregorius Nazianzenus [6]: neque per creatam rem ullam, ut scribit Cyrillus Alexandrinus [7]; nempe sic tanquam primariam formam; atque hanc prærogativam novi esse Testamenti propriam; nec talem sanctificandi in adoptivos Dei filios gratiam priori sub Testamento fuisse: quod diserte iidem illi Patres asseverant [8]. Hujus vero decreti theologorum veterum certa jam ratio constat ex iis, quæ hoc capite pertractavimus;

[1] Vide sup. lib. 6. c. 2. — [2] S. Th. in 2. 2. qu. 23. art. 3. — [3] C. 3. § 7. — [4] Lib. 11. de Civ. c. 24.

[5] Lib. 6. de Trin. c. 9. § 5. — [6] Orat. 34. p. 712. — [7] Lib. Thes. 34. p. 352. Vide l. 8. de Trin. c. 4. et 5. — [8] Vide ib. cap. 7.

nimirum exemplo et imitatione Christi, ut et merito, singulare hoc beneficium Christianis attributum fuisse, uti sancti, et adoptivi Dei filii per ipsius infusionem Spiritus sancti, ac divinitatem fierent; quam in nos diffundi testatur Apostolus [1]; quemadmodum Christus ipse, qua homo, divinitate est ipsa sanctus, eademque Dei filius, non tamen uti nos, adoptivus: siquidem magnum est inter ambo illa unitionis genera discrimen; neque nos perinde hypostatico, et substantivo nexu cum Spiritus sancti persona copulamur, ut humana natura Christi cum persona Verbi: nec perinde naturales sumus filii; sed similitudine quadam, et adumbratione primarium illud archetypum, planeque rudibus lineamentis assequimur: ut pluribus capite septimo libri illius octavi docuimus.

XII. Ac fortassis eo spectans Apostolus in epistola ad Romanos ita scripsit, de electis loquens [2]: *Nam quos præscivit, et prædestinavit, conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Quippe eadem divinitate, sed diverso, longeque inferiore modo nobis applicata, sic tanquam forma sancti efficimur, et filii Dei, ad naturalis, et veri similitudinem. Quin etiam, perinde ut Christus, σχετικὴν in nobis ἕνωσιν exprimimus mutuo in Deum affectu dilectionis; in quo propius ad illum accedimus: ut ejusdemmodi sit in adoptivis filiis, qualis in naturali ac primogenito inest, amicitiæ ratio, quæ vicissim reddito *actualis*, ut vocant, amoris officio utrobique constat. Hoc vero amplum, et illustre Christianæ dignitatis ornamentum commendare videtur his verbis Christus: *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea; sicut ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione.* Nam *servare præcepta,* dilectio est mutua Dei, et *actualis amatio*, in qua vera est amicitiæ ratio posita; quæ in Christo, perinde ut in nobis, creatum quiddam extitit: ac proinde in amicitia, quam in sanctitate, et *filietate*, ut sic dicam, propiores, et quasi familiariores illi sumus. Hæc stupenda, incredibilia, divina prorsus decora in nos et commoda ex perenni, et largissimo incarnati Verbi fonte derivata sunt: quæ sine ulla intermissione recordari, ac perpetua grati animi significatione prosequi, et omnibus, quoad situm in nobis est, officiis compensare, nisi ingrati et indigni volumus esse, debemus.

CAPUT OCTAVUM.

Argumento alio probatur, ex antiquorum sententia, humanam naturam in Christo sanctificari divinitate ipsa: quoniam ungi hac illa dicitur. — 1. Quo nomine gratia significatur. Ea porro unctio, divinitas ipsa constituitur a Patribus in Christo; — 2. aut Spiritus sanctus. — 3. Quæ et inhabitatio hujus in illo vocatur. — 5. Cur Spiritu sancto unctus dicatur. — 6. Non divinæ naturæ, sed humanæ ratione unctum esse Christum, late ex antiquis ostenditur. — 9. Nonnulli tamen Christi nomen divinitati, tanquam proprium, vindicant.

I. Duo supersunt argumenta, quæ in eo consentire veteres ostendunt, quod capite antecedente posui, Christum hominem divinitate ipsa, et cum ea conjunctione esse sanctum: quorum alterum in præsenti capite, in sequentibus alterum tractabitur. Horum ergo prius est, quod ex unctione ducitur, a qua Christi nomen est ortum. Quo quidem vocabulo gratiam, et sanctitatem adumbrari, res est nota per sese. Atque ita Joannes apostolus in Canonica prima [3]: *Sed vos unctionem*, inquit, *habetis a sancto.* Et, *Unctio ejus docet vos de omnibus.* Quem ad locum Augustinus [4], «Unctio, *ait*, invisibilis Spiritus sanctus: unctio invisibilis charitas illa est, quæ, in quocumque fuerit, tanquam radix illi erit, quamvis ardente sole, arescere non potest.» Christus itaque unctus illo sensu dicitur ab apostolo Petro [5]: *Quomodo*, inquit, *unxit eum Deus Spiritu sancto, et virtute.* «Unctus est, inquam, Jesus, non oleo visibili, sed dono gratiæ:

1 Rom. 5. — 2 Rom. 8. 29. — 3 Joan. ep. 1. c. 2. ver. 20. et 27.

4 Aug. Tract. 3. in c. 2. epist. 1. Joan. — 5 Act. 10. 38.

quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia. »

Imo vero, unguentum ipsum, Christum esse docet Dionysius, quoniam « (1) Fontalis est, *inquit,* copia fragrantissimorum odorum, quæ divinissimos vapores inhalat mentibus illis, quæ Deo quam simillimæ sunt. » Nam tota spiritus, et gratiæ plenitudo in illum exundavit, uti supra capite sexto demonstravimus, ut merito gratia et sanctitas ipsa nominari possit.

Hanc igitur unctionem, in homine Christo, divinitatem ipsam fuisse, si ex antiquorum testimoniis probari potest; hoc quod proposuimus assequemur, ut gratiæ, sanctitatisque locum, qua sanctus est factus, divinitatem in illo tenere monstremus, sive, quod idem est, ipsummet Spiritum sanctum.

De divinitate ipsa disertus est Gregorii Nazianzeni locus in calce Orationis quintæ : ubi « (2) Deum Patrem *ait* unxisse Christum oleo exultationis præ consortibus suis, cum humanitatem divinitate unxit : ut ambo unum faceret. » Et in Oratione 36. ubi de variis Christi nominibus agens, quæ ei in Scriptura tribuuntur, « (3) Christus, *ait,* dicitur propter divinitatem. Hæc enim unctio est humanitatis ; non operatione, ut in Christis ceteris, ungens, sed totius ungentis præsentia : cujus hic effectus est, ut quod ungit, homo nuncupetur ; et quod ungitur, Deus fiat. » Hic divinitatem Verbi, unctionem fuisse ait hominis Christi, eumque præsentia sua et copulatione fecisse sanctum ; et eadem unctione Deum, hominem ; et hominem, Deum esse factum. Quod Joannes Damascenus secutus « divinam naturam humanæ unctionem esse » dicit [1].

Idem porro Joannes Damascenus in libro primo de Imaginibus, unctionem humanitatis eamdem plane constituit cum unitione hypostatica. « (4) Quemadmodum, *inquit*, qui unitur igni, non natura, sed unitione, et accensione, et communione fit ignis ; sic etiam de incarnati filii Dei carne idem assero. Nam illa, divinitatis secundum hypostasim communione non mutata, Deus extitit ; non operatione Dei uncta, ut unusquisque prophetarum; sed totius ungentis præsentia. »

Germanus quoque Constantinopolitanus patriarcha in Contemplatione mystica rerum ecclesiasticarum, « (5) Christum » dicit « unctum esse, tanquam regem, et sacerdotem, unctione Incarnationis. » Titus item Bostrensis commentario in caput quartum Lucæ, « (6) Unctum *ait* esse Filium, non alio modo, quam quod secundum carnem nostri similis, et homo factus est. »

II. Complures vero unctionem Christi ipsum affirmant esse Spiritum sanctum, quo unctus est : atque hoc apostolus Petrus in illo loco paulo ante citato ex decimo capite Actorum asserit : *Unxit eum*, inquit, *Deus Spiritu sancto, et virtute.*

Qua auctoritate freti plerique, uti dixi, unctum esse Christum Spiritu sancto prodiderunt. Eusebius initio eccles iasticæ Historiæ de Christo loquens, « (7) Unguentum, *ait*, non quod ex corporeis rebus conficitur, sed ipsomet Dei spiritu, Deo congruens, participatione ingenitæ et paternæ divinitatis acceperat. » Quod Isaiæ verbis illis capitis 61. demonstrat, *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me Dominus;* tum illud e Psalmo 44. citat, *Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*

Irenæus libro tertio, capite 20. « In Christi, *inquit*, nomine subauditur qui unxit, et ipse, qui unctus est, et ipsa unctio, in qua unctus est. Et unxit quidem Pater, unctus est vero Filius in Spiritu, qui est unctio : quemadmo-

(1) DION. cap. 4. de Eccles. hier. pag. 170. Αὐτὸν ἡμῖν ὑπογράφει τὸν Ἰησοῦν, πηγαῖον ὄντα τῶν θείων εὐώδων ἀντιλήψεων ὅλων, ἀναλογίαις θεαρχικαῖς, εἰς τὰ θεοειδέστατα τῶν νοερῶν ἀναδιδόντα τοὺς θειοτάτους ἀτμοὺς.

(2) NAZ. pag. 136. C. Οἶδε τοῦτο ὁ Πατὴρ τοῦ ἀληθινοῦ, καὶ ὄντως Χριστοῦ, ὃν ἔχρισεν ἔλαιον ἀγαλλιάσεως παρὰ τοὺς μετόχους αὐτοῦ, χρίσας τὴν ἀνθρωπότητα τῇ θεότητι, ὥστε ποιῆσαι τὰ ἀμφοτερα ἐν.

(3) Id. p. 592. A. Χριστὸς δὲ διὰ τὴν θεότητα. Χρίσις γὰρ αὕτη τῆς ἀνθρωπότητος, οὐκ ἐνεργείᾳ, κατὰ τοὺς ἄλλους Χριστοὺς ἁγιάζουσα, παρουσίᾳ δὲ ὅλου τοῦ χρίοντος· ἧς ἔργον ἄνθρωπον ἀκοῦσαι τὸ χρίον, καὶ ποιῆσαι Θεὸν τὸ χριόμενον.

(4) DAMASC. pag. 709. fin. Ὥσπερ ὁ τῷ πυρὶ ἑνούμενος οὐ τῇ φύσει, ἀλλὰ τῇ ἑνώσει, καὶ πυρώσει, καὶ μεθέξει πῦρ γίνεται· οὕτω καὶ τὴν σάρκα φημὶ τοῦ σαρκωθέντος Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. Ἐκείνη γὰρ τῇ καθ' ὑπόστασιν μεθέξει τῆς θείας φύσεως ἀτρέπτως Θεὸς ἐχρημάτισεν, οὐκ ἐνεργείᾳ χρισθεῖσα Θεοῦ, ὥσπερ τῶν Προφητῶν ἕκαστος, παρουσίᾳ δὲ ὅλου τοῦ χρίοντος.

(5) GERM. tom. 12. bib. PP. pag. 376. B. Χριστὸς ἐχρίσθη, ὡς βασιλεὺς, καὶ ἱερεὺς, τῷ χρίσματι τῆς σαρκώσεως.

(6) TITUS Bostr. tom. 13. bib. pag. 783. B. Κεχρίσθαι γὰρ οὐχ ἑτέρως φαμὲν τὸν Υἱὸν, ἢ ὅτι κατὰ σάρκα γενόμενον, δηλονότι καθ' ἡμᾶς, καὶ ἐνανθρωπήσαντα.

(7) EUSEB. 1. Hist. cap. 4. fol. 4. pag. 1. Τὸ δὲ χρίσμα οὐ τὸ διὰ σωμάτων σκευαστὸν, ἀλλ' αὐτῷ δὴ Πνεύματι θείῳ τὸ θεοπρεπὲς, μετοχῇ τῆς ἀγεννήτου καὶ πατρικῆς θεότητος ἀπειλήφει.

[1] L. 3. c. 3. p. 172.

dum per Esaiam ait sermo, Spiritus Dei super me, propter quod unxit me; significans et ungentem Patrem, et unctum Filium, et unctionem, qui est Spiritus. » Sic Ambrosius libro primo de Spiritu sancto, capite tertio : « Si Christum dicas, *ait;* et Deum Patrem, a quo unctus est Filius; et ipsum, qui unctus est, Filium; et Spiritum, quo unctus est, designasti. » Et Basilius homilia in Psalmum 44. ad illa verba, *Unxit te Deus*, etc.

Cyrillus item Alexandrinus in tractatu de Symbolo [1], locum usurpat ex Actorum capite decimo, qui *Jesum Nazarenum unctum* ait *a Deo*, *Spiritu sancto.* Et Theodoretus libro quinto de Hæreticis fabulis, capite 11. tum hunc, tum alia, quæ commemoravimus, affert loca, ut probet, « (1) Christum hoc nomen consecutum esse propter unctionem Spiritus. » Et Joannes Damascenus, « (2) Christus, *inquit*, est filius Dei viventis, quem unxit Pater sancto Spiritu. » Idipsum in Catena in Psalmos complures antiqui testantur, ut Didymus, Apollinarius, Nicephorus, Theodoretus : tum Nicetas in Catena ad Matthæum a P. Corderio edita [2].

III. Hanc vero per Spiritum sanctum Christi hominis unctionem, *inhabitationem* ejusdem Spiritus in ipso, et quidem plenissimam, ac possessionem, interdum Patres appellant. De qua inhabitatione pulchre Novatianus in libro de Trinitate, capite 29. « Habitans, *inquit*, in solo Christo plenus, et totus; nec in aliqua mensura, aut portione mutilatus, sed cum tota sua redundantia cumulate distributus, et missus; ut ex illo delibationem quamdam gratiarum ceteri consequi possint, totius sancti Spiritus in Christo fonte remanente, ut ex illo donorum, atque operum venæ ducerentur, Spiritu sancto in Christo affluenter habitante. » Quam habitationem describens Esaias [3], *requiescendi* verbo utitur, cum ait, *Requiescet super eum Spiritus Domini.* Et ad hunc Esaiæ locum, alium mox accommodat Novatianus, in quo unctum se Christus a Deo testatur; quem et de se Christus interpretatur Lucæ capite quarto.

Est ad eamdem sententiam præclara Hugonis Etheriani disputatio, qua Spiritum sanctum habere Christum probat; non solum qua Deus est, sed etiam ut hominem [4]. « Si hominum, *inquit*, in animabus pie, ac religiose degentium, non tamen absque sorde penitus existentium, Spiritus sanctus habitare pollicetur; multo magis in Christi anima, quæ inviolata, et immaculata sine sorde semper existit, nullum omnino peccati vestigium habens, idem Spiritus habitavit. Hoc Propheta vaticinabatur, quando dicebat, Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ, præ participibus tuis. Fratres Christi, et participes secundum humanitatem sumus : oleum, Spiritus signum est : unctus est autem Christus, non ut Deus, sed ut homo. Nequaquam enim ut Dei filius, ungitur, sed caro Christi vera unctione uncta est, adventu scilicet Spiritus sancti, in ipsa filii hominis conceptione. Et præ participibus, quia illis, ut capere poterant, particularis quædam sancti Spiritus emanatio tributa est. Ad instar enim humani spiritus hominibus videtur distribui Spiritus sancti gratia : quemadmodum utique is a cerebro descendens per sensibiles nervos, non omnibus membris, sed secundum proportionem unicuique potenti suscipere. »

IV. Auctor quæstionum ex novo Testam. inter Augustini opera editus [5], causam inquirens cur Christus jam purus ac sanctus baptismum susceperit, necnon Spiritum sanctum aspectabili in se delapsum specie, id illum ad exemplum hominibus præbendum usurpasse respondet. « Nam qui credentibus Spiritum sanctum a Deo dari promittebat, debuit istud in semetipso visibiliter demonstrare; quo comperto, credentes invisibiliter se posse Spiritum sanctum habere sperarent. Nam Salvator utique, cum de Spiritu sancto nasceretur, purificatum corpus habuit. Unctio enim carni ejus spiritaliter in utero Virginis data est. Spiritus enim sanctus purificavit quod de Maria virgine corpus Salvatoris profecit. Et hæc est unctio carnis Salvatoris : quare et natus Christus est appellatus. »

Hinc autem Fulgentius divinitatem Spiritus sancti recte adversus Arianos approbat [6] : « Quod si, *inquit*, homo Christus, sine sancti Spiritus gratia plene sanctificari potuit, superflua dicetur collatio illius unctionis. Si autem sine sancto Spiritu plene sanctificari non

(1) Theod. tom. 4. pag. 279. A. Χριστὸς δὲ προσηγορεύθη διὰ τὸ χρίσμα τοῦ Πνεύματος.

(2) Damasc. lib. 4. cap. 5. pag. 296. Χριστὸς γάρ ἐστιν ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, ὃν ἔχρισεν ὁ Πατὴρ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι.

[1] Cyr. tom. 5. par. 2. pag. 191. — [2] Catena in Matt. P. Corderii, pag. 3. — [3] Esa. 11.

[4] Hugo Ether. lib. 3. contra Græcos, c. 10. to. 9. Bib. 531. E. — [5] Tert. August. p. 437. D. — [6] Lib. 5. ad Trasim. cap. 14.

potuit, et plenam sanctificationis gratiam sine Spiritu sancto Christus homo non habuit, utpote quem Pater sanctificavit, et misit in mundum; qui de seipso dixit, Et ego sanctifico meipsum; et in quo sancti Spiritus sanctificatio similiter agnoscitur, quoniam unxit eum Deus Spiritu sancto, et virtute: quomodo quis Spiritum minorem Patre, vel Filio audet dicere, sine quo sanctificationis perfectionem videt constare non posse? Quid autem dubitatur olei nomine Spiritum sanctum demonstratum, cum David et Petrus tam olei, quam Spiritus sancti vocabulo unum prædicent unctionis nomine sacramentum? David enim dicit; Unxit te Deus Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. »

V. Cur autem Spiritu sancto potissimum unctus esse Christus homo dicitur, hæc afferri causa potest, quod operatio illa, qua Dei filius humanam sibi naturam adjunxit etsi personis reipsa sit tribus communis, nihilominus Spiritui sancto proprie solet accommodari: unde et conceptus, ac natus de Spiritu sancto esse dicitur; et *propitiatorium*, sive *mensa ex duabus naturis in unam personam Spiritus sancti artificio compacta*, a Petro Cellensi vocatur [1]. Cum igitur susceptione ipsa, et applicatione divinitatis, quæ est naturalis sanctitas, homo Christus sanctificatus sit, merito eidem auctori Spiritus unctio, id est gratia et sanctitas, humanæ Christi naturæ tribuitur; qui eam formasse in utero Virginis, et cum Verbo in eamdem personam junxisse creditur. Hanc rationem pulchre Beda, ex eoque Amalarius, tum Etherius ac Beatus indicant in libro primo adversus Elipandum his verbis [2]: « Sed ista mystica, et invisibili unctione tunc intelligendus est unctus, quando Verbum Dei caro factum est: id est, quando humana natura, sine ullis præcedentibus bonorum operum meritis, Deo Verbo est in utero Virginis copulata, ita ut cum illo fieret una persona. Ob hæc eum confitemur natum de Spiritu sancto et virgine Maria. » Et alioqui constat, omnia bonitatis effecta, quibus charitas, et sanctitas communicatur a Deo, imputari solere Spiritui sancto; qui et ipse charitas, et sanctitas peculiari progressionis suæ ratione nominatur, et unguentum ob idipsum, oleumque dicitur: cujus appellationis causa postea reddetur.

VI. Quoniam autem ille ipse, qui unctus Spiritu sancto memoratur, Christus Dominus, duplici constat substantia: non est dubium, cujusnam e duabus ratione perunctus sit; vel quænam ambarum unctione delibuta, hoc est perfusa sanctitate sit, et gratia. Hoc enim humanæ naturæ convenire communis antiquorum est sensus. Sic Irenæus supra allatus in tertio libro, capite vicesimo; ubi unctum a Patre unctione illa, quæ est Spiritus sanctus, eum asserit, qui passus est. Idipsum Athanasius accurate declarat in libro de salutari adventu Christi adversus Apollinarem. Ac primum Dei filium ait, ante susceptam carnem, patibilem non fuisse; qua ex utero B. Virginis adscita, et homo factus, talem in passione se præbuit. Deinde ita loqui pergit: « (1) Propterea et unctio facta est, non tanquam Deus unctione opus haberet, nec tanquam unctio sine Deo facta sit: sed ut Deus quidem unctionem adhibuerit, hanc vero in unctionis capaci corpore receperit. »

Cyrillus item Alexandrinus pluribus in locis idem attestatur: ut in libro undecimo commentariorum in Joannem. « (2) Existimamus tamen, *inquit*, sanctificatam esse carnem per Spiritum, Verbo scilicet quod natura sanctum est, et a Patre procedit, proprium templum, instar creaturæ alterius, per ipsum inungente. » Subjicit Davidis e Psalmo 44. ad illud confirmandum vulgatum testimonium, *Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.* Tum de ungente ipso minime prætereundum hoc annectit: « (3) Etenim ungente Filio proprium templum, hoc ipsum facere dicitur Pater. Non enim aliter operatur, quam per Filium: et quidquid fecerit Filius, ad Patrem id refertur omne, a quo est Filius. Quippe

(1) ATHAN. tom. 1. pag. 495. B. Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ ἡ χρίσις ἐγένετο· οὐχ ὡς Θεοῦ χρίσεως δεομένου, οὐδ' αὖ πάλιν τῆς χρίσεως δίχα Θεοῦ γενομένης· ἀλλὰ Θεοῦ μὲν τὴν χρίσιν προσαγομένου, ἐν δὲ τῷ δεκτικῷ τῆς χρίσεως σώματι δεχομένου.

(2) CYRILL. in Joan. lib. 11. pag. 993. B. Λογιζόμεθα δ' οὖν ὅμως ἡγιάσθαι τε τὴν σάρκα διὰ τοῦ Πνεύματος καθ' ὁμοιότητα τῆς ἄλλης κτίσεως τὸν ἴδιον ἐν αὐτῷ καταχρίοντος ναόν.

(3) Ibid. Καταχρίοντος γὰρ τοῦ Υἱοῦ τὸν ἴδιον ναὸν, ὁ Πατὴρ λέγεται τοῦτο δρᾷν. Ἐνεργεῖ γὰρ οὐχ ἑτέρως ἢ δι' Υἱοῦ. Ἀναφέρεται δὲ πᾶν, ὅπερ ἂν δράσειεν ὁ Υἱὸς, εἰς τὸν ἐξ οὗπέρ ἐστι Πατέρα. Ῥίζα γὰρ ὥσπερ τίς ἐστι, καὶ πηγὴ τοῦ ἰδίου γεννήματος ὁ Πατήρ.

[1] Petr. Cell. l. de Pan. c. 1. tom. 9. Bib. 827. A. — [2] Beda in Acta. c. 10. Amalar. 1. de Off. Eccles. c. 12. et tom. 4. Bib. PP. part. 2. col. 473. Ether. ac Beat.

tanquam radix quædam, et fons est prolis suæ Pater. » Addit præterea, mirum non esse, Deum Verbum unctum dici a Patre ; vel a seipso, quatenus homo est ; cum et mortem eadem ratione subiisse dicatur. Sic enim missum eumdem esse legimus in mundum ; « (1) eaque missio non alio modo facta significatur, quam quod sancto Spiritu est unctus, quatenus homo factus est, et magni consilii Angelus apparuit. »

VII. Ad hæc in dialogo de uno Christo, hoc ipsum *Christi* nomen, necnon χρίσεως, id est *unctionis*, nonnisi post Incarnationem, in Dei filium quadrare scribit ; nec divinitatem ipsam inunctam fuisse. Tum in libro secundo contra Nestorium, « (2) Christi nomen, et res, *inquit*, nullo modo cadere potest in nudum, per seque spectatum, et intellectum a nobis sine carne Verbum. Quod si semetipsum exinanisse dicatur, et in servi forma descendisse, ac nostri similis fuisse carne, vocabitur et ipse Christus, quoniam unctus est. Non enim in natura propria inunctus est Deus Verbum. Sed unctio ipsa potius in humana est facta natura. » Atque hoc paulo post mystica interpretatione sacræ cujusdam historiæ declarat, nimirum Jacobi ex paterna domo in Mesopotamiam proficiscentis : qui in eo loco, ubi apparuit Dominus scalæ innixus, lapidem erexit in titulum, *et infundit oleum in extremum ipsius*, ἐπὶ τὸ ἄκρον αὐτοῦ, ut habent Septuaginta. Nam latinus noster vertit, *fundensque oleum desuper*, hebraice על ראשה, quod est *super caput ejus*, hoc est in summum lapidem. Ex quo ita ratiocinatur Cyrillus : quemadmodum totus lapis non est imbutus oleo, sed ejus tantummodo pars, et summitas : sic totum Christum neutiquam oleo perfusum esse, eo quod divinitas ipsa nihil illo eguit ; verum sola humana substantia, quæ pars est Christi, et extrinsecus incurrit in sensus.

Rursus in epistola prima, quam ad monachos scripsit contra Nestorii hæresim [1], idem de Christi nomine et unctione non divinæ, sed humanæ substantiæ confirmat : et quidem γραμμικῇ, ut Græci loquuntur, ἀποδείξει. Nam si Verbum, quando assumpsit hominem, in propria, divinaque substantia esset unctum Spiritu sancto, unctione ac sanctitate per seipsum indigeret ; eaque re inferius esset sanctificante Spiritu : ex quo et de Patre idem esset consequens. Siquidem id quod sanctificat, eo præstantius est, quod sanctificatur. At illud absurdum est. « (3) Quippe natura sancta est consubstantialis Trinitas ; sanctus, inquam, est Pater, sanctus Filius essentialiter eodem modo. Similiter et Spiritus. Quare, quod ad naturam propriam spectat, non est privatim sanctificatus Dei filius Verbum. »

Eadem tradit in Expositione symboli sub finem [2], et in dialogo de uno Christo [3]. Necnon in expositione anathematismi septimi [4].

VIII. Porro argumentatio illa, qua Cyrillus probat non esse sanctitate velut unctam divinitatem Christi ab Spiritu sancto, quod ipsa per se, et essentia sua, Trinitas sit sancta, dubitationem Augustini perimit, cujus capite antecedenti meminimus [5], ecquid Spiritus S. sanctitas sit ipsa, qua Deus est sanctus. Manifestum est enim essentiæ propriam sanctitatem, et communem tribus, a personali distingui, quæ est Spiritus sanctus : cujus efficientia manat in solas res extra Deum procreatas, quibus adventitia, et accidens est sanctitas.

Hanc ipsam rationem usurpavit Fulgentius in libro tertio ad Trasimundum capite 13. ac similiter demonstrat, « hanc unctionem ad hominem potius referendam, » nimirum eam, quæ, ut ait apostolus Petrus [6], *a Nazareth prædicari cœpit*. Nam si in eo, quod dicitur [7], *Unxit te Deus Deus tuus*, « divina creditur accipienda natura, in qua putatur Filius a Deo unctus, eguit profecto Deus verus sanctificationis munere, priusquam homo verus idem nasceretur in carne. » Quod et in sequenti capite 14. latius edisserit.

Tertullianus item libro tertio adversus Marcionem, capite 15. hæreticum hunc refellens,

(1) Ibid. pag. 994. A. Τὸν τῆς ἀποστολῆς τρόπον οὐχ ἑτέρως γενέσθαι σημαίνων, ἢ ὅτι κέχρισται τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, καθὸ γέγονεν ἄνθρωπος, καὶ τῆς μεγάλης βουλῆς πέφηνεν ἄγγελος. Vide et pag. 998. C.

(2) Lib. 2. cont. Nest. pag. 37. B. Τὸ δέ γε Χριστὸς ὄνομά τε, καὶ χρῆμα πρέποι ἂν κατ' οὐδένα τρόπον τῷ ἐκ Πατρὸς ὄντι Λόγῳ γυμνῷ, καὶ καθ' ἑαυτὸν, καὶ ἔξω σαρκὸς πρὸς ἡμῶν νοουμένῳ. Εἰ δὲ δὴ λέγοιτο κενῶσαί τε ἑαυτὸν, καὶ ἐν τῇ τοῦ δούλου καθικέσθαι μορφῇ, καὶ καθ' ἡμᾶς γενέσθαι διὰ τὴν σάρκα, κεκλήσεται καὶ αὐτὸς διά τοι τὸ κεχρίσθαι Χριστός. Οὐ γὰρ κέχρισται κατ' ἰδίαν φύσιν Θεὸς ὢν ὁ Λόγος. Γέγονε δὲ μᾶλλον ἡ χρίσις αὐτῷ περὶ τὸ ἀνθρώπινον.

(3) Cyrill. ad mon. pag. 11. D. Ἁγία γὰρ κατὰ φύσιν ἡ ὁμοούσιος Τρίας· ἅγιος ὁ Πατὴρ, ἅγιος καὶ ὁ Υἱὸς οὐσιωδῶς κατὰ τὸν ἴσον τρόπον. Ὁμοίως δὲ καὶ τὸ Πνεῦμα. Οὐκοῦν ὅσον ἧκεν εἰς ἰδίαν φύσιν, οὐχ ἡγίασται καταμόνας ὁ ἐκ Θεοῦ Πατρὸς Λόγος.

[1] Cyrill. ep. 1. ad Mon. tom. 5. par. 2. p. 10. E. et p. 11. — [2] Tom. 5. par. 2. p. 190. E. et 191. [3] Tom. 5. Par. 1. p. 727. et seq. — [4] Tom. 6. pag. 153. — [5] § 11. — [6] Act. 10. — [7] Psal. 44.

qui Christum duplicem constituebat, et horum alterum veræ carnis expertem, ex ipso *Christi* vocabulo eum redarguit. « Si enim Christus unctus est, *ait,* ungi utique corporis passio est. Qui corpus non habuit, ungi omnino non potuit. Qui ungi omnino non potuit, Christus vocari nullo modo potuit. Aliud est, si et nominis phantasma affectavit. » Hic Tertullianus videtur unctionem ejusmodi, unde Christi nomen sumptum, externam, et spectabilem putare. Quod sane joculare est, et ineptum. Sed ea prorsus spiritalis extitit. Verum « non aliter ungi poterat Deus, cujus thronus est in seculum, nisi fieret homo, » ait Petrus diaconus [1].

Pertinet ad idem adstruendum illa Patrum quamplurimorum locutio, cujus sparsim in antecedentibus exempla posuimus, qui Christum a se ipso perunctum asserunt, prout natura duplici constat. Ita Joannes Damascenus. « (1) Ipse, *inquit,* semetipsum inunxit, ac tanquam Deus corpus unxit divinitate sua: unctus est autem, tanquam homo. Idem enim hoc et illud est. Porro unctio humanitatis est divinitas. » Qui sic sentit ac loquitur, profecto uti solam divinitatem unctricem, sic unctam solam fuisse humanitatem necesse est existimet.

IX. Non deerit fortasse, qui supervacaneam hanc operam esse nostram arbitretur, in re minime dubia tot argumentis, ac testimoniis approbanda. Quis enim facile hoc non intelligat, *unctum,* hoc est sanctificatum hominem in Christo solum fuisse, non Deum, unde Christi appellatio profluxit? Sed si is animadverterit, tum hæreticos quosdam, tum etiam catholicos theologos, ipsam *Christi* appellationem, et ea significatam unctionem, soli imputasse divinitati, antequam cum humana natura jungeretur; alios ex adverso uni duntaxat humanitati *Christi* nomen indidisse; alios denique tam utrique separatim, quam conjunctim duabus attribuisse; diligentiam hac in parte nostram minime reprehendet: imo, ut ex consequenti oratione melius percipiet, necessariam prorsus fuisse judicabit.

Igitur Christi vocem nudo, ac citra carnis consortium spectato Dei convenire filio, ut et rem vocabulo subjectam, putavit Justinus martyr in Apologia prima: ubi Dei Patris nomina primum, deinde Filii explicans, de hoc ita scribit: « (2) Porro filius illius, qui solus proprie filius appellatur, ante res creatas simul existens cum eo, et nascens: quando primitus per ipsum omnia creavit, et ordinavit: Christus quidem vocatur, eo quod unctus est, et per hunc Deus ordinavit omnia; quæ appellatio minime cognitam significationem continet, quemadmodum Dei vox, non est nomen, sed opinio quædam de re ineffabili naturæ hominum insita. At vocabulum Jesus, hominis, et servatoris nomen et notionem habet. Nam et homo factus est, ut supra diximus, de Dei ac Patris voluntate partu editus, tum ad credentium hominum salutem, tum ad evertendos dæmones. » Perspicuum est hoc in loco Justinum Christi nomen Verbo ipsi tribuere etiam ante susceptum hominem. Siquidem hoc habuisse vocabulum ait, ex eo quod Deus Pater omnia per illud creavit, et ordinavit: unde *uncti* nomen obtinuit. Quod sic illum intellexisse puto: Filium Justinus Deo Patri subjectum, ejusque voluntatis administrum fuisse credidit [2]. Quod si dextre accipiatur, eo sensu dictum interpretabimur: quod per illum tanquam per virtutem, et sapientiam suam, et, ut Scriptura loquitur, brachium, nec non imperium, universa condidit, et administravit. Hoc igitur nomine, Χριστὸν, id est *unctum,* appellatum fuisse Justinus credidit, quod ad illam functionem adhibitus a Patre fuerit; tum etiam rex omnium, moderatorque constitutus: quemadmodum et Apostolus significat in epistola ad Hebræos, ita scribens [3], *Quem constituit hæredem universorum: per quem fecit et secula.* Deinde post Christi nomen, Jesu vocabulum subjicit, et quasi discrimen hujus ab illo statuit, quod Jesus hominis appellatio sit, adeoque divinitatis vox sit propria *Christus.*

Nec ab eo videtur abhorrere Ambrosius in

(1) DAMASC. lib. 3. cap. 3. pag. 172. Αὐτὸς γὰρ ἑαυτὸν ἔχρισε· χρίων μὲν ὡς Θεὸς τὸ σῶμα τῇ θεότητι αὐτοῦ, χριόμενος δὲ ὡς ἄνθρωπος· αὐτὸς γάρ ἐστι τοῦτο, κἀκεῖνο. Χρίσις δὲ ἡ θεότης τῆς ἀνθρωπότητος.

(2) JUST. pag. 34. vers. ult. Ὁ δὲ Υἱὸς ἐκείνου, ὁ μόνος λεγόμενος κυρίως Υἱος, ὁ Λόγος πρό τῶν ποιημάτων καὶ συνὼν, καὶ γεννώμενος, ὅτε τὴν ἀρχὴν δι' αὐτοῦ πάντα ἔκτισε, καὶ ἐκόσμησε. Χριστὸς μὲν κατὰ τὸ κεχρίσθαι, καὶ κοσμῆσαι τὰ πάντα δι' αὐτοῦ Θεὸν, λέγεται· ὄνομα δὲ καὶ αὐτὸ περιέχον ἄγνωστον σημασίαν· ὃν τρόπον καὶ τὸ Θεὸς προσαγόρευμα, οὐκ ὄνομά ἐστιν, ἀλλὰ πράγματος δυσεξηγήτου ἔμφυτος τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων δόξα. Ἰησοῦς δὲ, καὶ ἀνθρώπου, καὶ Σωτῆρος ὄνομα, καὶ σημασίαν ἔχει. Καὶ γὰρ καὶ ἄνθρωπος, ὡς προέφημεν, γέγονε, κατὰ τὴν τοῦ Θεοῦ, καὶ Πατρὸς βουλὴν ἀποκυηθεὶς ὑπὲρ τῶν πιστευόντων ἀνθρώπων, καὶ ἐπὶ καταλύσει τῶν δαιμόνων.

[1] Lib. de Inc. c. 4. inter oper. Fulg. pag. 229. — [2] Dial. p. 220. 221. et 279. 1. Vide l. de Trin. c. 3. § 2.

[3] Heb. 1. 2.

libro de Fuga seculi [1], « Talis ergo [2], *inquit*, nobis decebat, ut esset sacerdos justus, sanctus, innocens, immaculatus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus. Hoc est igitur Verbum, quod supra cœlos habitans, illuminat omnia. Unde et unctus naturaliter legitur a Deo Patre; quia lumen est verum [3], quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Hoc est Verbum Dei, in quo est magnum sacerdotium. » Vides ut Christum, id est unctum, appellari dicat Filium Dei, quia lumen est, quod totum mundum illuminavit, nempe Verbum Dei. Nam de Christi divinitate usurpantur ista ab evangelista Joanne, antequam caro fieret.

X. At Nestorius Christi appellationem arbitratus est partim soli divinitati convenire; partim soli humanitati; partim ex naturis ambabus compositæ personæ. Quod Cyrillus Alexandrinus refellit in libro de Recta fide : « (1) Nomen, *inquit*, Christi nescio quemadmodum aliqui convenire putent etiam privatim, ac seorsim, et extra carnem existenti, itaque spectato Verbo Dei filio : et idem nihilominus perinde congruere illi, qui ex sancta Virgine genitus est, quantumvis separatim, ac per seipsum intelligatur existere : ac tertio denique ambobus simul convenire; tanquam conjunctionis ratio, ut illi volunt, in unam naturas istas personam devinciat. Siquidem unitionis naturalis veræ nullam isti curam habent. » Tum paucis interjectis [4], falsos illos esse dicit, eo quod tunc demum Jesus Christus appellatus sit, cum *Verbum caro factum est ;* quandoquidem unctio soli humanitati competit, nec ea divinitas eget.

Idem præterea Nestorius observabat [5], Scripturam, quoties Christi de Maria virgine generationem, ortumque memorat, nunquam uti nomine *Dei*, sed *Christi*, vel *Filii*, vel *Domini:* quod hæc tria « (2) naturas ambas significent, ac vel unam interdum solam, vel alteram, vel duas simul sumptas. » Contra quem Cyrillus disputans contendit Christi nomen, et rem eo significatam non convenire soli Verbo in se, ac citra carnem considerato. At in dialogo de uno Christo [6], Nestorianum hæreticum Cyrillus inducit asserentem, Christi nomen non posse tribui soli Verbo; ne et personis ceteris accommodari debeat : sed soli homini congruere, ex Davidis stirpe procreato. Quemadmodum et Maxentius in dialogo primo [7], Nestorianum, qui cum disputat, argumentantem facit, eum, qui unctus est, « non esse natura Deum, sed unitione tantum, quem præ participibus unctum Propheta testatur [8]. Nam quomodo non est impium, unctum credere natura Deum, cui sine dubio nulla valet natura resistere ? sed ille ungitur, qui erat præliaturus contra diabolum. » Vides hæresis istius inconstantiam.

XI. Res ipsa porro sic habet. Christi vox, et appellatio, neque soli Deo Verbo, neque soli homini, tanquam a Verbo persona disjuncto, ut ex Nestorii hæresi consequens erat, attribuitur; sed Verbo incarnato, sive Verbo secundum assumptam hominis naturam; ut Cyrillus, aliique Patres asseverant. Docuit hoc ipsum Marcellus Ancyranus, ut refert Eusebius Cæsariensis in libro secundo adversus illum, capite tertio : quem et observasse narrat, ante susceptam hominis naturam, Dei filium, Verbum duntaxat fuisse nominatum. « (3) Quod si quis, *ait*, ante novum Testamentum Christi Jesu vocabulum soli Verbo tributum demonstrare se posse profiteatur, inveniet id prophetice duntaxat usurpatum fuisse. »

Athanasius in libro de salutari adventu Christi, « (4) Christi nomen, *inquit*, sine carne non accommodatur. » Quod subinde probat ex eo, quod alioqui Pater, et Spiritus sanctus eadem appellatione donandi forent. Proinde Verbum in assumpta carne perunctum, uncti, hoc est χριστοῦ, nomen inde promeruit.

Cyrillus idem Alexandrinus in libro de Recta fide ad imperatorem Theodosium, quæstione hac sibi proposita, quid revera significent hæc duo nomina, Jesus Christus; utrum

(1) CYRIL. tom. 5. par. 2. pag. 53. D. Ὄνομα δὲ τὸ Χριστὸς, πρέπον μὲν οὐκ οἶδα πῶς διαβεβαιοῦνταί τινες, καὶ ἰδικῶς τε, καὶ καταμόνας, καὶ ἔξω σαρκὸς ὄντι τε, καὶ νοουμένῳ τῷ ἐκ Θεοῦ φύντι Λόγῳ· πρέπειν δὲ ὁμοίως καὶ τῷ ἐκ τῆς ἁγίας παρθένου γεγεννημένῳ, κἂν εἰ νοοῖτο ὑπάρχων κατὰ μόνας ἔτι, καὶ καθ' ἑαυτόν· καὶ τρίτως δὲ πρέπειν ἀμφοῖν· ὡσανεὶ τοῦ τῆς συναφείας λόγου, καθάπερ αὐτοί φασιν, εἰς ἓν αὐτοὺς πρόσωπον συνεσδέοντος. Ἑνώσεως γὰρ τῆς κατὰ φύσιν ἀληθοῦς οὐδεὶς λόγος αὐτοῖς.

(2) CYRILL. Ἐπειδὴ ταῦτα τὰ τρία τῶν δύο φύσεων εἰσὶ σημαντικά· ποτὲ μὲν ταύτης, ποτὲ δ' ἐκείνης, ποτὲ δὲ ταύτης, κἀκείνης.

(3) MARCEL. apud Euseb. lib. 2. cap. 3. pag. 43. Εἰ δέ τις καὶ πρὸ τῆς νέας διαθήκης τὸ τοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ ὄνομα ἐπὶ τοῦ Λόγου μόνου δεικνύναι δύνασθαι ἐπαγγέλλοιτο, εὑρήσει τοῦτο προφητικῶς εἰρημένον.

(4) ATHAN. pag. 494. D. Οὔτε οὖν τὸ Χριστὸς ὄνομα δίχα τῆς σαρκὸς προσάγεται.

[1] Ambr. de fuga sec. c. 3. tom. 1. col. 355. E. — [2] Heb. 7. — [3] Joa. 1. — [4] Cyrill. tom. 5. par. 2. p. 54.

[5] Apud Cyrill. l. 2. cont. Nest. to. 6. p. 36. — [6] Tom. 5. part. 1. p. 726. E. et 727. — [7] Tom. 4. Bibl. 468. E. — [8] Ib. 469. 4.

hominem ex muliere natum, an Verbum ex Deo procedens; respondet, non oportere in hæc separata dividi, sed simul conjungi: « (1) Ego, *inquit*, affirmo, neque Verbum ex Deo, sine humanitate, neque templum ex muliere editum, tanquam Verbo minime copulatum, nominandum esse Christum Jesum. » Et in homilia Paschali octava, notat Apostolum unicum in duabus naturis Dei filium agnoscere, nempe Verbum hominem factum: quem et Jesum vocat, et Christum. « (2) Quandonam enim, *ait*, ostendet aliquis Jesum, vel Christum nominatum esse Verbum, nisi quod homo factus est? »

Ita Theodoretus libro contra Hæreses quinto[1], capite 11. et in opusculo quodam, quod inter Athanasii spuria ponitur. « (3) Qui dixerit, *ait*, Deum Verbum, simplicem expressit substantiam; qui autem appellat Christum, naturarum duarum conjunctionem indicat. »

Sic Augustinus[2], « Si Jesum Christum, *ait*, plusquam hominem non noverunt, Jesum Christum utique non noverunt. Si enim tantummodo homo est, et nihil amplius, non est ipse Jesus Christus. »

XII. Huc illa spectant, quæ de Christi nomine supra, libro maxime tertio diximus[3], non unam aliquam naturam ab eo significari, sive divinam, aut humanam, sive ex utraque compositam: sed duas illas ἀμέσως subesse. « (4) Christi enim vocabulum, ait Theorianus in legatione Armeniaca, proprie utrumque significat, Deum simul, et hominem. » Tum idem non naturæ nomen esse, sed hypostasis, et personæ. Est autem persona Christi ex duabus naturis composita, ut in eodem libro pluribus ostendimus[4]. Quo fit, ut illud personale vocabulum naturas duas proxime notione sua exprimat, sive naturam unam, personamve Verbi incarnatam, ut Cyrillus loquitur.

Quanquam ita fert usus, consuetudoque sermonis græcis, latinisque familiaris Patribus, ut illa ipsa vox nonnunquam uni tantum adhibeatur Dei, vel hominis significandæ naturæ: quo quidem argumento usum me esse memini, ut naturam in Christo compositam non esse aliquam ostenderem. Nam si hujusmodi esset, non posset unius appellatione totus ipse nominari Christus: quemadmodum totus homo proprie, ac citra tropum, non dicitur corpus, vel anima: sed deflexis ab utroque vocibus exprimitur, nominaturque corporeus, aut animatus.

Athanasius, sive quis alius auctor, in Expositione fidei Jesum Christum pro sola humanitate sumpsisse videtur, cum sic scribit, Dei filium Verbum « (5) in consummatione seculorum descendentem de sinu Patris, ex immaculata Virgine nostrum hominem assumpsisse, nempe Christum Jesum; quem et tradidit, ut propria voluntate pateretur. »

Et auctor homiliæ in Dominicam infra Octavam Epiphaniæ, quæ inter opera Bernardi locum habet[5], « Mihi, *inquit*, sufficit scire, et credere, Dominum Jesum, ex quo in unam est assumptus personam, fuisse perfectum Deum. »

Euthymius in Panoplia, Athanasii quædam habet excerpta, contra illos, qui unam Christo naturam compositam affingebant: quos illo ipso convincit argumento, cujus paulo ante meminimus, quod si una aliqua composita natura constaret Christus, non posset unius partis appellatione affici: quod tamen usuvenit: ut cum ex duabus perfectis naturis compositus sit, unius in se nomen totum assumat. « (6) Quippe Christus Dominus duo perfecta nominatur, Deus et homo, propter amborum perfectionem. Sic igitur Christi salutaris appellatio, nunc solam divinitatem significat, tanquam nulla re indigentem, et perfectam: nunc humanitatem solam, tanquam nulla re in sua constitutione defectam: nunc utrumque, ut et duarum naturarum discrimen, et

(1) Cyr. de Rec. fide tom. 5. par. 2. pag. 25. B. Χρῆναι γὰρ ἔγωγέ φημι, μήτε τὸν ἐκ Θεοῦ Λόγον ἀνθρωπότητος δίχα, μήτε μὴν τὸν ἐκ γυναικὸς ἀποτεχθέντα ναὸν, ὡς μὴ ἑνωθέντα τῷ Λόγῳ, Χριστὸν Ἰησοῦν ὀνομάζεσθαι.

(2) Idem Pasch. 8. pag. 101. Πότε γὰρ ἂν ἐπιδείξειέ τις Ἰησοῦν, ἢ Χριστὸν ὀνομασθέντα τὸν Λόγον, εἰ μὴ ὅτι γέγονεν ἄνθρωπος;

(3) Theodoretus tom. 2. Athan. pag. 261. Ὁ μὲν γὰρ εἰπὼν τὸν Θεὸν Λόγον, ἁπλῆν οὐσίαν ἐσήμανεν. Ὁ δὲ προσαγορεύων Χριστὸν, τὴν συνάφειαν τῶν δύο φύσεων ἐφανέρωσε.

(4) Theor. tom. 11. bibl. PP. Τὸ γὰρ Χριστὸς ὄνομα κυρίως τὸ συναμφότερον δηλοῖ, Θεὸν ὁμοῦ, καὶ ἄνθρωπον.

(5) Athan. tom. 1. pag. 394. Ὃς ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων κατελθὼν ἐκ τῶν κόλπων τοῦ Πατρὸς, ἐκ τῆς ἀχράντου παρθένου Μαρίας τὸν ἡμέτερον ἀνείληφεν ἄνθρωπον, Χριστὸν Ἰησοῦν, ὃν ὑπὲρ ἡμῶν παθεῖν παρέδωκεν ἰδίᾳ προαιρέσει.

(6) Athan. apud Euth. in Pan. tit. 15. pag. 593. lat. Τοῦ δεσπότου Χριστοῦ τὰ δύο τέλεια καλουμένου, Θεοῦ, καὶ ἀνθρώπου, διὰ τὸ τέλειον ἀμφοτέρων. Οὕτω γοῦν ἡ σωτήριος τοῦ Χριστοῦ προσηγορία νῦν μὲν δηλοῖ μόνην τὴν θεότητα, ὡς ἀνενδεῆ, καὶ τελείαν, νῦν δὲ τὴν ἀνθρωπότητα, ὡς μηδὲν ἔχουσαν τῇ κατασκευῇ ἐλλιπὲς, νῦν δέ τε τὸ συναμφότερον, ἵνα δειχθῇ καὶ τῶν δύο φύσεων τὸ διάφορον, καὶ τέλειον, καὶ τῆς ξένης ἑνώσεως τὸ πρόσωπον ἄτμητον.

[1] Tom. 4. p. 279. A.— [2] Aug. Ser. 31. de verb. Apost. c. 2.

[3] Cap. 9. — [4] Cap. 12. et seq. — [5] Bernar. col. 86. A.

unitionis inusitatæ insecabilis persona monstretur. »

XIII. Ceterum pro sola divinitate interdum accipi vocabulum Christi luculenter docet Dionysius Alexandrinus in epistola synodica ad Paulum Samosatenum : « (1) Christus, *inquit*, non solo nomine, sed revera ante secula est Verbum, Christus Jesus. Ipse enim homo factus est, incarnatus ex Maria. Non enim sortito unctionem est adeptus, ut nos eam adventitiam sortiti sumus, cum antea Christi minime vocaremur. At ille semper Christus Dominus prædicatur, ut qui est revera. Nisi enim proprie, ac vere ipse Christus esset; supervacanee Paulus scriberet, dicens[1], Israel bibebat ex spiritali consequente petra : quam petram ait fuisse Christum. »

Hic vero plane, ac diserte tum appellationem ipsam Christi, tum ea significatam unctionem, ex omni æternitate convenisse Christo asserit, etiam ante susceptum hominem : idque Pauli testimonio confirmat, qui Christum Hebræis olim affuisse per solitudinem iter habentibus refert. Novatianus quoque in libro de Trinitate, capite 13. cum sic scribit : « Quis igitur dubitet, cum in extrema parte dicitur, Verbum caro factum est, et habitavit in nobis ; Christum, cujus est nativitas, et quia caro factus est, esse hominem ; et quia Verbum Dei, Deum incunctanter edicere esse ? » Christum ecce factum hominem cum dicit, eo nomine Deum ipsum Verbum afficit, non ex utraque natura complexum. Nec simile huic est, quod Tertullianus in libro secundo contra Marcionem, capite 27. dicit : « Nam et profitemur Christum semper egisse in Dei Patris nomine ; ipsum ab initio conversatum ; ipsum congressum cum patriarchis, et prophetis, filium Creatoris, sermonem ejus. » Hoc enim de Christo recte usurpari potest, qui in utraque natura spectatur, et singularum propria merito in se recipit, iis duntaxat exceptis, quæ unitionem ipsam significant ; ut est Incarnatio ipsa : quam nos regulam nonam ex duodecim numeravimus, quas ad proprietatum communionem moderandam ex antiquis collegimus in quarto libro capite 15[2]. Quamobrem notabilis est, et parum propria Novatiani, et multo magis Dionysii Alexandrini locutio ; quorum ille Christum incarnatum ait, qui incarnatione ipsa Christus factus est : hic autem non solum factum esse dixit hominem Christum ; sed etiam unctionem, a qua Christi appellatio profecta est, illi convenisse antequam homo fieret. Nec illud, ut dixi, simile est, quod Christus nonnulla gessisse dicitur, quæ ante susceptum hominem, a solo Verbo administrata leguntur : cujusmodi est populi Israelitici gubernatio Mosis tempore. Siquidem gestiones istæ, neutiquam naturarum conjunctionem ipsam significant ; sed absolutas ab alterius commercio naturæ divinæ notiones, et efficientias : quæ quidem nihilo secius, ac natura ipsa communicantur homini assumpto ; ut in regula secunda capitis illius decimi quinti libri quarti docuimus, ex qua constat, Christum totum interdum ab una natura, ejusque proprietatibus denominari : quod in illis loquendi formulis Patres isti licere sibi arbitrati sunt.

(1) Dion. Alexand. tom. 11. bibl. PP. pag. 274. D. Ὁ γὰρ Χριστὸς οὐκ ὀνόματι μόνῳ, ἀλλ' ἀληθείᾳ πρὸ αἰώνων ὢν Λόγος, Χριστὸς Κύριος Ἰησοῦς· Αὐτὸς γὰρ γέγονεν ἄνθρωπος ὁ σαρκωθεὶς ἐκ Μαρίας. Οὐ γὰρ κεκλήρωται χρίσιν, ὡς ἡμεῖς ἐπίκτητον ἐκληρώθημεν, οὔπω χριστοὶ πρὸ τούτου καλούμενοι. Αὐτὸς δὲ ἀεὶ Χριστὸς Κύριος κηρύττεται ὡς ὢν. Εἰ γὰρ μὴ ἦν αὐτόχρημα ὁ Χριστὸς, ἄρα περισσῶς γράφει Παῦλος, λέγων· ὅτι ὁ Ἰσραὴλ ἔπινεν ἐκ πνευματικῆς πέτρας· καὶ ὅτι Χριστὸς ἦν ἡ πέτρα.

[1] 1. Cor. 10.

[2] § 14.

CAPUT NONUM.

De Christi, id est uncti, vocabulo. — 1. Summa eorum quæ capite antecedente dicta sunt. Nestorii de Christi nomine sensus. — 2. Veterum Patrum usus in eodem naturis duabus accommodando. — 3. Explicatur appellatio ipsa Christi; et quibus personis olim tributa sit. — 5. Eusebii de illa sententia perpenditur. — 6. Cur Christo conveniat, variæ causæ recensentur, velut quo luctator fuerit contra diabolum : — 7. quod illuminaverit : tum ob perpetuitatem gratiæ et sanctitatis ; cujus symbolum est oleum. — 8. Quandonam unctus fuerit Christus. Nestorii de tempore falsa opinio refutata. — 9. Cur in baptismo Spiritus sanctus in Christum sit illapsus. Cyrilli locus difficilis exponitur, qui plusculum tribuere videtur unctioni illi in baptismo factæ. — 10. Et aliorum deinceps expositæ sententiæ; ut Hieronymi, — 13. et Ruperti. — 24. Explicatur locus e Psalmo 44. *Propterea unxit te Deus*, etc. ac probatur unctionem illam non in baptismo, sed in conceptu esse factam.

I. Eorum omnium, quæ hactenus de unctione, deque Christi vocabulo diximus, ad hoc summa revocatur, ut utrumque Dei filio, Verbique personæ proprie, ac directe conveniat, sed non propter divinam naturam, verum propter assumptam humanitatem, quemadmodum fames, sitis, lassitudo, dolor, mors denique Verbo, ac Deo, sed qua homo est, sive incarnato, tribuitur. Qua ratione veteres inter se conciliantur; quorum nonnulli Christi nomen, et eo significatam unctionem, ipsi Deo; alii, homini imputari docent; alias utrique. In quo minime reprehendendus erat Nestorius; nec eo nomine traductus est a Cyrillo, quod utcumque de usu nominis ita sentiret; sed quod parum sincera fide communionem appellationis ejusdem duabus naturis aspergeret, sic eas coire in societatem nominis unius asserens, quemadmodum in personalis unitatem extantiæ copulari statuebat, hoc est σχετικῶς, et *morali* congruentia, non naturali et substantiva. Quod in hunc modum constituisse Nestorius, argumento esse potest ejusdem opinio illa, quam supra perstrinximus, et subinde accuratius expendemus; unctionem, qua Christus homo a Patre delibutus est, illapsumque sancti in eum Spiritus, non ab ipso, quo in utero conceptus est, momento contigisse, sed in baptismo.

II. Ac de instituto veterum theologorum in usurpandis Jesu Christi nominibus illud animadverti placet, pro eo atque sensus, et opinio erat hæreticorum, quibuscum certabant, ita illos appellationum istarum usum, et interpretationem accommodasse. Nam quoties adversus Apollinarem, aut hujus discipulos Eutychianos, ac Monophysitas res illis erat; id potissimum persuadere studebant, nomina illa naturæ hominis assumptæ, vel carni, aut hujus certe ratione, incarnato Verbo congruere. Cum autem Pauli Samosateni, et Theodori Mopsuesteni, ac Nestorii oppugnarent hæresim, eadem illa vocabula ἐθεολόγουν, ut apta, et illis usitata voce rem explicem, hoc est ad divinam referebant, velut propriam naturam. Testes hujus rei sunt, Justinus, et Dionysius Alexandrinus; quorum ille contra Judæos, adversus Paulum iste Samosatenum disputans, utrosque socios ejusdem erroris, qui Christum in ordinem cogebat, Christi vocabulo divinitatis meræ notionem subjecerunt; quod ipsum et de Novatiano dicendum est, cujus hoc præcipuum illo in libro de Trinitate studium fuit, ut Christum Dominum non hominem simplicem fuisse monstraret. Athanasius autem, et eum secutus Cyrillus, aliique, iis in libris, quibus Apollinarem, aut Theodorum, ac Nestorium confutarunt, illud enixe admonent, Christi nomen Verbo per sese considerato, et sine carnis consortio, minime tribuendum; sed eidem homini facto : quæ certa, et catholica, imo unice Christiana est professio, quam in quarto libro postremo, ubi de περιχωρήσει, et communione proprietatum egimus, copiose declaratam invenies.

III. Huic vero minime dubiæ rationi nominis, ipsa ejus origo suffragatur. Nam *Christi*, id est *uncti*, nomen, ex Hebræorum instituto, certis functionibus, ac dignitatibus attributum est, quæ in redemptorem nostrum congestæ ac cumulatæ, tum illam appellationem ex communi propriam ei fecerunt; tum naturam indicant non unam, ac simplicem, eamque divinam, sed cum humana in eadem persona, et hypostasi conjunctam.

Hic qui Χριστὸς est Græcis, Hebræis est משיח, quæ vox, ut diximus, *unctum* significat, ac duobus præsertim generibus hominum apud hos imponi consueverat, regibus et sacerdotibus; quos ad utramvis potestatem capessendam unctione consecrari mos fuit. De quo memorabilis est Lactantii locus, quem præterire non possum, ex libro 4. cap. septimo. Ibi de Dei filii nomine agens, quem a Patre geni-

tum, et ad hominum salutem horum similem factum esse contra gentiles disputat, ita scribit [1] : « Sed quamvis nomen ejus, quod ei a principio Pater summus imposuit, nullus alius præter ipsum sciat, habet tamen et inter angelos aliud vocabulum, et inter homines aliud. Jesus quippe inter homines nominatur. Nam Christus non proprium nomen est, sed nuncupatio potestatis, et regni. Sic enim Judæi reges suos appellabant. Sed exponenda hujus nominis ratio est, propter ignorantium errorem, qui eum, immutata littera, Chrestum solent dicere. Erat Judæis ante præceptum, ut sacrum conficerent unguentum, quo perungi possent ii, qui vocabantur ad sacerdotium, vel ad regnum : et sicut nunc Romanis indumentum purpuræ insigne est regiæ dignitatis assumptæ ; sic illis unctio sacri unguenti, nomen, ac potestatem regiam conferebat. Verum quoniam Græci veteres χρίεσθαι dicebant ungi, quod nunc ἀλείφεσθαι, sicut indicat Homericus versus ille,

Αὐτοὺς καὶ δμωαὶ λοῦσαν, καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ.

Ob hanc rationem nos eum Christum nuncupamus, id est unctum, qui hebraice Messias dicitur. Unde in quibusdam græcis scripturis, quæ male de hebraicis interpretatæ sunt, ἠλειμμένος, id est, ungendo curatus, scriptum invenitur, ἀπὸ τοῦ ἀλείφεσθαι. Sed tamen utrolibet nomine rex significatur : non quod ille regnum hoc terrenum fuerit adeptus, cujus capiendi nondum tempus advenit, sed quod cœleste, ac sempiternum. »

IV. Addunt Hebræi tertium genus, cujus propria fuit unctio, propheticum. Augustinus in libro primo Retractationum, capite 26. quod in libro Octoginta trium quæstionum scripserat [2], duos pisces, quos cum panibus quinque famelicæ turbæ Dominus apponi jussit [3], « duas illas personas significare, quibus populus ille regebatur, ut per eas consiliorum moderamen acciperet, regiam scilicet, et sacerdotalem, ad quas etiam sacrosancta illa unctio pertinebat; » id ita castigat : « Dicendum potius fuit, maxime pertinebat; quoniam unctos aliquando legimus et prophetas. » Idem tamen in enarratione secunda Psalmi 26. « prioribus veteris Testamenti temporibus ad duas solas personas pertinuisse » ait *unctionem*, reges et sacerdotes. De regum inunctione, et ipsius divini Verbi, eximius est Athanasii locus in oratione secunda adversus Arianos, ubi illud ait : « (1) Non ideo unctum esse, ut Deus fieret ; quippe qui hoc jam esset : nec ut rex constitueretur ; cum ex æterno rex esset : » sed nostra id causa suscepisse. « (2) Etenim reges Israelitici, quando ungebantur, tunc reges fiebant, cum hoc antea non fuissent : velut David, et Ezechias, et Josias, et alii. At salvator noster e contrario, qui Deus est, et in regno Patris perpetuo regnat, ipseque solus sanctum Spiritum præbet, nihilominus inungi nunc dicitur : ut iterum tanquam homo Spiritu perunctus, nobis hominibus, ut exaltari, ac resurgere dedit, ita Spiritus inhabitationem, et familiaritatem conciliet. » Tertullianus vero adversus Praxeam Patrem confundentem cum Filio, ex ipsa Christi appellatione, et unctione differre ambos adstruit, et de ipsa Christi voce memoratu quiddam dignum refert [4]. « Itaque Christum facis Patrem, *ait*, stultissime, qui nec ipsam vim inspicias nominis hujus : si tamen nomen est Christus, et non appellatio potius. Unctus enim significatur. Unctus autem non magis nomen est, quam vestitus, quam calceatus, accidens nomini res. » Mox Patrem unctum non esse probat, nec ab alio, nec a seipso ; cum id de Filio Scriptura testetur. « Itaque sive Jesus tantummodo positum est, intelligitur et Christus, quia Jesus unctus est : sive solummodo Christus, idem est et Jesus, quia unctus est Jesus. Quorum nominum alterum est proprium, quod ab Angelo impositum est ; alterum accidens, quod ab unctione convenit. »

V. Idem etiam in libro de Baptismo, capite septimo, de unctione sacerdotali agit, qua Judæi quondam sacerdotes, nunc Christiani perunguntur. « Ex quo, *inquit*, Aaron a Moyse unctus est [5], unde Christus dicitur a chrismate, quod est unctio, quæ Domino nomen accommodavit facta spiritalis, quia Spiritu unctus est a Deo Patre. » Hic spiritalem unctionem

(1) ATHAN. orat. 2. pag. 171. Καὶ ἐνταῦθα γοῦν χρίεται, οὐχ ἵνα Θεὸς γένηται· ἦν γὰρ καὶ πρὸ τούτου· οὐδ' ἵνα βασιλεὺς γένηται· ἦν γὰρ ἀϊδίως βασιλεύων.

(2) Ibid. Οἱ μὲν γὰρ κατὰ τὸν Ἰσραὴλ βασιλεῖς, ὅτε ἐχρίοντο, τότε βασιλεῖς ἐγίνοντο, οὐκ ὄντες πρότερον βασιλεῖς, ὡς Δαβὶδ, καὶ Ἐζεκίας, ὡς Ἰωσίας, ὡς οἱ ἄλλοι. Ὁ δὲ Σωτὴρ τὸ ἔμπαλιν Θεὸς ὢν, καὶ τῇ βασιλείᾳ τοῦ Πατρὸς ἀεὶ βασιλεύων, τοῦ τε Πνεύματος τοῦ ἁγίου αὐτὸς ὢν χορηγὸς μόνος, ὅμως λέγεται νῦν χρίεσθαι· ἵνα πάλιν ὡς ἄνθρωπος λεγόμενος τῷ Πνεύματι χρίεσθαι, ἡμῖν τοῖς ἀνθρώποις, καθάπερ τὸ ὑψωθῆναι, καὶ τὸ ἀναστῆναι, οὕτω καὶ τὴν τοῦ Πνεύματος ἐνοίκησιν, καὶ οἰκειότητα κατασκευάσῃ.

[1] Lactant. l. 4. c. 7. — [2] Quæst. 61. — [3] Jo. 6. 9.

[4] Tertull. contra Prax. c. 28. — [5] Levit. 18.

esse dicit, qua Dei filius homo factus, unctus dicitur; multo sane melius, quam in tertio contra Marcionem, capite 15. corporalem fuisse docuit, et *corporis passionem* : ex quo corpus habuisse Christum adversus Marcionitarum hæresim probat; prorsus insulse. Non enim corporea fingi potest ulla Christi unctio; quod complures antiquorum nominatim observant, et insigniter Eusebius Cæsariensis in primo libro ecclesiasticæ Historiæ, capite quarto. In quo primum scribit, (1) tam sacerdotes, et pontifices, quam reges ungi solitos apud Hebræos, necnon prophetas aliquos. Tum hos omnes figuras quasdam repræsentasse divini, cœlestisque Verbi Dei filii : « qui solus universorum est pontifex, ac solus rex omnis creaturæ, solusque prophetarum Patris archipropheta. » Deinde χρίσμα, id est *unctionem*, unde Christi appellatio profluxit, « (2) non ex corporeis rebus confectum fuisse, sed ipso divino spiritu constare, utpote Deo conveniens, quod participatione ingenitæ, ac paternæ divinitatis accepit. » Quare præstanti quadam, et eximia ratione Christi vocabulum illi congruere. Hæc pluribus Eusebius; qui videri potest tam nomen ipsum Christi, quam unctionem non propter assumptam carnem imputare filio Dei, sed ob ipsam divinitatem : adeoque sacerdotalem, et regiam, ac propheticam dignitatem, ad quam spiritalis unctio ista refertur, divinitati ipsi Verbi tribuere. Quod sane ab illius dogmate non abhorret haud sincere catholico; ut in primo libro de Trinitate demonstravimus.

VI. Tot igitur nominibus Christi appellatio non Deo Verbo, sed homini carnive facto assignanda venit; quod sacerdos, quod rex regum, ac dominus omnium, quod Patris apostolus, ac nuntius, id est *magni consilii angelus*, est ad homines homo destinatus, et humano generi præpositus. Accedunt et aliæ causæ, quas ex olei proprietate, usuque nonnulli veterum asciscunt : quarum hæc sane primaria est, quod cum luctatores, et athletæ ad certandum olim ungi solerent, merito Dei filius homo factus, spiritali unctione delibutus fuerit, ac nominatus *Christus*. Qui ideo in hunc mundum, et in illam humanæ sortis conditionem venerat, ut pro nobis cum diabolo, et contrariis luctaretur potestatibus. Hanc illius luctam, et palæstram pulchre describit Ambrosius in Psalmum 39. [1] « Suscepit, *inquit*, infirmitates omnium in sua carne, erexit se in crucem, et versavit omnium infirmitates in sui corporis infirmitate. Unde dicit Esaias, Livore ejus nos sanati sumus. Habent hoc luctatores, ut se subjiciant iis, quibus congrediuntur, atque luctantur, ut opprimi posse videantur; et subito, cum æstimantur elisi, quadam arte se versant, ut effundant superiorem. Cadit qui portabatur; et is, qui portabat, superior invenitur, ut sternat urgentem. Spiritali itaque palæstra Dominus Jesus onera nostra suscipiens, in illa se passionis suæ congressione subjecit, et in infirmitatis specie, ut eum adversarius hominem parem ceteris judicaret, quem facile posset opprimere; divinitatis arma deposuit, humanitatis tegmen assumpsit, securus victoriæ propius tentator accessit. » Quin etiam specie angeli cum Jacobo luctatus est [2], ut plerique veterum interpretati sunt : aut, ut alii, is, qui colluctatus est, angelus, Christi in se figuram expressit. Quod Augustinus multis in locis affirmat [3]. Idem porro Christum a *chrismate*, id est *unctione nuncupatum*, alibi dicit [4]. Tum, « Ideo nos unxit, *inquit*, quia luctatores contra diabolum fecit. » Quare et nos quoque *Christi* nominamur; quia « non solum caput nostrum unctum est, ait idem [5], sed et corpus ejus nos ipsi, etc. Inde autem apparet Christi corpus nos esse, quia omnes ungimur, et omnes in illo et Christi, et Christus sumus, quia quodammodo totus Christus caput, et corpus est. » Hinc illa Christianis imposita necessitas cum hoste luctandi, quam enixe adeo commendat Apostolus [6], et eleganter exponit Ambrosius libro de Elia et jejunio, capite 21. [7] « Athletæ sumus, *inquit*, in quodam stadio decertamus spiritali. Denique bonus athleta dicebat, Facti sumus spectaculum hujus mundi. Et alibi : Sic curro, non ut in incertum;

(1) Euseb. 1. Hist. cap. 4. Ὡς τούτους ἅπαντας τὴν ἐπὶ τὸν ἀληθῆ Χριστὸν τὸν ἔνθεον, καὶ οὐράνιον Λόγον ἀναφορὰν ἔχειν, μόνον ἀρχιερέα τῶν ὅλων, καὶ μόνον ἁπάσης τῆς κτίσεως βασιλέα, καὶ μόνον προφητῶν ἀρχιπροφήτην τοῦ Πατέρος τυγχάνοντα.

(2) Ibid. Τό τε χρίσμα οὐ τὸ διὰ σωμάτων σκευαστὸν, ἀλλ' αὐτῷ δὴ Πνεύματι θείῳ τὸ θεοπρεπὲς, μετοχῇ τῆς ἀγεννήτου, καὶ πατρικῆς θεότητος ἀπειλήφει.

[1] Ambr. to. 2. col. 756. B. — [2] Gen. 32. — [3] Ut in 16. de Civit. cap. 39. — [4] August. Tract. 33. in Joan. — [5] Idem in psal. 26. Enar. 1. pag. 53. D. 2.

[6] Eph. 6. 12. et 1. Cor. 9. 5. et 2. Tim. 2. — [7] Ambr. to. 1. col. 542. G. Vide et Enar. Ps. 43. to. 2. col. 777.

sic enitor, non ut aerem cædens; sed castigo corpus meum. Et alibi; Superiora obliviscens, et quæ sunt priora appetens, ad destinatum sequor bravium. Athletæ ergo sumus, legitime certandum est. Multa certamina sunt; et qui hodie victus est, cras se reparet. Ante ad bravium contenditur, postea ad coronam. Numquid athleta otio vacat, cum semel dederit certamini nomen suum? Exercetur quotidie, ungitur quotidie. Ipse cibus ei agonisticus datur, disciplina exigitur, castimonia custoditur. Et tu dedisti nomen tuum ad agonem Christi, subscripsisti ad competitionem coronæ. Meditare, exercere, ungere oleo justitiæ, unguento exinanito. »

VII. Aliam *unctionis*, et appellationis *Christi*, proprietatem idem Ambrosius suggerit libro de Fuga seculi, capite tertio[1], quod mundum illuminet, quasi lucerna quædam oleo referta. Quem locum antecedenti capite descripsi; et ex eodem modo illa repetemus, quæ ad præsens argumentum attinent. « Hoc est igitur, *inquit*, Verbum, quod supra cœlos habitans illuminat omnia. Unde et unctus naturaliter legitur a Deo Patre: quia lumen est verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. » Quæ Ambrosii verba ambiguum faciunt, utrum unctionem illam, Verbi, ac Dei filii propriam fuisse senserit; ut naturaliter unctus a Patre dicatur, quod ab eo tum essentiam ipsam, tum naturalem, et primigeniam unctionem, ac sanctitatem, hoc est Spiritum sanctum acceperit; sive illam ipsam divinitatem, quæ, qua amor est et charitas, adeoque fœcunda, sic tanquam fructus et termini notionalis, ut vocant, amoris et dilectionis, sancta est, vel potius sanctitas. A quo non abhorret Okami sententia, qui Spiritum sanctum ideo esse donum asserit, quod ex omni æternitate sibi mutuo illum donarunt Pater et Filius. Quæ a nobis est allata, refutataque in octavo de Trinitate libro[2].

Postrema potest his accedere ratio, propter quam filius Dei homo factus, insigniter *unctus*, et *Christus* appellatur, *oleo lætitiæ præ consortibus suis*, hoc est angelis et hominibus. Quæ ratio ex olei proprietate et efficientia petitur. « Existimatur, ait Plinius[3], et oleum vindicando a carie utile esse. Certe simulacrum Saturni Romæ intus oleo repletum est. »

Memorabilis de ea re locus est apud Methodium in libro de Resurrectione ab Epiphanio descriptus in Hæresi 64. ubi conditori hominis Deo curæ fuisse dicit non solum operis sui pulchritudinem, sed etiam perennitatem, quemadmodum et statuariis; velut Phidiæ: de quo istud refert, «(1) Hic, *inquit*, cum Pisæum simulacrum finxisset ex ebore, oleum ad pedes ante statuam jussit effundi; quo immortale illud, quoad posset, efficeret. »

Quocirca copiosa illa, et exuberans unctio in Christo perpetuitatem quamdam, et immortalitatem gratiæ, ac sanctitatis significat; quam nulla vel levissimi labes delicti carpsit unquam, neque carie, ac putredine aliqua carnis corruptela contaminavit. Quæ est ἀναμαρτησία illa perfecta, et soli concessa huic homini pariter ac Deo: de qua sequenti agetur capite. Cujus qualicumque stilla, si cum illo comparentur, contacti homines sancti, et ejusdem Spiritus participes, nonnullam adipiscuntur hac in vita perennitatem gratiæ, ac velut immortalitatem, ut cum Apostolo dicere audeant[4]: *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames?* etc. Hoc, inquam, spiritalis illa facit unctio, ac Spiritus S. « inhabitator corporibus nostris datus (ait Novatianus libro de Trinitate, capite 29.) et sanctitatis effector; qui id agens in nobis, ad æternitatem, ad resurrectionem immortalitatis corpora nostra producat: dum illa in se adsuefacit cum cœlesti virtute misceri, et cum Spiritus sancti divina æternitate sociari. »

VIII. Nunc illud declarandum est, quandonam unctione illa, et sancti Spiritus abundantia, Christi humanitas perfusa, imo inundata fuerit. Non enim defuerunt, qui id in baptismo, quo ab Joanne tinctus est, evenisse dicerent. Nestorius certe « gratiam hanc Domini Jesu, de qua Apostolus scribit (verba sunt Cassiani[5]) non cum ipso natam, sed postea ei illapsu divinitatis infusam putabat; » ut supra capite septimo memoravi.

Sed huic reclamant catholici doctores, et absurdum impiumque judicant, arbitrari Spiritum sanctum, gratiæque plenam illam, et affluentem ubertatem, quam in Christo fuisse

(1) METHOD. apud Epiph. hær. 64. § 18. Καθάπερ καὶ Φειδίας. Οὗτος γὰρ μετὰ τὸ κατασκευάσαι Πισαῖον εἴδωλον (ἐξ ἐλέφαντος δὲ τοῦτο ἦν), ἔλαιον ἐκχεῖσθαι προσέταξεν ἀμφὶ τοὺς πόδας ἔμπροσθεν τοῦ ἀγάλματος, ἀθάνατον εἰς δύναμιν φυλάσσων αὐτό.

1 Tom. 1. col. 355. F. — 2 C 3. § 10. — 3 L. 15. c. 17.

4 Rom. 8. 35. — 5 Cass. lib. 2. de Inc. cap. 6.

monstravimus, non ab eo temporis puncto communicatam esse, quo *Verbum caro factum est* : sed aliquando post ; velut cum a Joanne baptizatus fuit, atque illapsus in eum est Spiritus sanctus. Nam si, ut nos ostendimus, ipsius applicatione divinitatis Verbi assumpta hominis natura sanctificata est ; prorsus ex quo ambæ inter se conjunctæ sunt, communicata quoque est illa sanctitas, hoc est Spiritus sanctus. Certe ille ipse Cassianus, postquam Nestorii falsam illam opinionem proposuit, eamdem mox refutans, non alio utitur argumento, uti « munificentiam illam gratiarum » approbet « cum divinitate descendisse. » Cum autem hæreticus ille ipsammet Verbi « divinitatem cum Domino Jesu Christo natam negaret, et postea infusam esse diceret ; » rursus instat Cassianus [1], et Christum, filium Dei pariter et hominis filium extitisse, cum primum in utero formatus est, contendit. « Ac per hoc intelligis, *ait*, quod Domini, salvatorisque nostri inde est origo, unde conceptus : et cum descendente in Virginem totius divinitatis plenitudine natus sit, filius esse hominis non potuerat, nisi prius Dei filius fuisset, etc. Dei ergo filius Jesus Christus ; quia et a divinitate genitus, et a divinitate conceptus. Si autem Dei filius, ergo indubitanter Deus : si autem Deus, ergo gratia Dei non carens : neque enim ea re unquam caruit, quam ipse fecit. [2] *Gratia enim, et veritas per Jesum Christum facta est.* » Ac deinceps capite septimo, ex eo colligit sic : « Omnis ergo in eo gratia, omnis virtus, omnis potentia, omnis divinitas, omnis denique divinitatis, ac majestatis ipsius plenitudo cum eo, atque in eo semper fuerunt, sive in cœlo, sive in terra, sive in utero, sive in ortu : nihil unquam Deo de Deo defuit, etc. Idem ergo in terris, qui in cœlis : idem in humilibus, qui in excelsis : idem in hominis exiguitate, qui in Dei majestate. » Quod subinde disertius explanans, « Quia Christus, *inquit*, totum erat quod Deus, omnis in ipsa statim hominis conceptione Dei virtus, omnis divinitatis venit plenitudo. Inde enim illi omnis divinitatis perfectio, unde et origo. Neque enim unquam sine Deo fuerat homo ille, qui utique hoc ipsum quod erat, a Deo cœperat. » Hoc in loco Cassianus egregie illud affirmat, quod supra demonstravimus, hominem in Christo divinitate ipsa Verbi sanctificatum fuisse, idque momento illo eodem accidisse, quo amborum est facta conjunctio. Cui posteriori omnes illi subscribunt Patres, qui prius asseverant. Hinc enim necessario consequens est alterum.

IX. Quid igitur in baptismo, et illapsu sancti Spiritus in Christum gestum fuisse, Nestorio, et similibus respondebimus? Varia sunt hac de re Patrum judicia, et nonnunquam plusculum illi tribuere videntur : quorum breviter commemorandæ sunt, et expendendæ sententiæ. Cyrillus imprimis in declaratione Anathematismi septimi, « (1) Christum *ait* nominatum fuisse, quod nobiscum humanitus sit unctus. » Quemadmodum in Psalmo 44. scriptum est, *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Ac « (2) licet ipse sit largitor Spiritus sancti, plenusque gratia, et de ejus plenitudine omnes acceperimus, tamen dispensatione quadam, tanquam homo, unctus esse dicitur, intelligibiliter, et non humanitus delapso in eum Spiritu sancto ; ut et in nobis remaneret, quamvis propter transgressionem in Adamo, initio recesserit. » Hic cum asserat, Christum nobiscum humano modo unctum fuisse ; idque in illo sancti Spiritus allapsu baptismi tempore esse factum, quid est quod statim idipsum negat, *humano more* contigisse ? Non est facile dictu ; et possunt variæ interpretandi rationes excogitari. Ac verba ista, *intelligibiliter et non humanitus*, vel ad antecedentia referri, hoc est ad unctionem : vel ad consequentia, et ad sancti Spiritus descensum. Priore modo significatur, Christum secundum œconomiam, tanquam hominem, unctum fuisse ; quod in tempore unctionem illam, et gratiam acceperit : sed hoc gestum esse non humano modo, hoc est non corporea unctione, qua reges, et sacerdotes ungi consueverant. Ad hanc interpretationem præeuntem nobis habemus Hieronymum in commentario ad caput Esaiæ 61. ubi illa Psalmi verba, *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, enarrat sic : « Quando consortes nominantur, naturam carnis intellige, quia Deus consortes substantiæ suæ non habet.

(1) CYRIL. ad anath. 7. Ὠνόμασται δὲ καὶ Χριστὸς διὰ τὸ κεχρίσθαι μεθ' ἡμῶν ἀνθρωπίνως.

(2) Ibid. Καίτοι γὰρ ὑπάρχων αὐτὸς τοῦ ἁγίου Πνεύματος χορηγὸς, etc. οἰκονομικῶς ὡς ἄνθρωπος κεχρίσθαι λέγεται νοητῶς, καὶ οὐκ ἀνθρωπίνως καταπτάντος ἐπ' αὐτὸν τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ἵνα καὶ ἐν ἡμῖν καταμείνῃ, καίτοι διὰ τὴν ἐν Ἀδὰμ παράβασιν ἀποφοιτῆσαν ἐν ἀρχαῖς.

[1] Cass. ib.

[2] Joan. 1.

Et quia erat unctio spiritalis, et nequaquam humani corporis, ut fuit in sacerdotibus Judæorum, idcirco præ consortibus, id est ceteris sanctis, unctus esse memoratur. » Sin vox ἀνθρωπίνως, ad illapsum Spiritus sancti pertineat; hoc sensu dictum illud erit, ut Spiritus ipse sanctus non humano corpore vestitus, neque corporeo modo, sed spiritali, tunc affuerit, qui humanum captum superat. Harum prior interpretatio mihi magis probatur. Interim illud animadvertes, unctum ab Cyrillo tunc asseverari fuisse Christum per adventum Spiritus sancti; non quod primitus illo tempore sanctificatus fuerit, sed συμβολικῶς, ut ita dicam, hoc est ad mysticam significationem : ut esset indicio, Deum humano generi reconciliatum, spiritus sui copiam illi deinceps facere Mediatoris interveniu.

Huic expositioni nostræ lucem præfert Athanasius in oratione secunda; cujus verba supra reddidimus [1] : ut appareat Cyrillum ex illo mutuatum esse. Nam et Christum, itidem ut ille, χορηγὸν appellavit Spiritus sancti.

X. Rursus idem Cyrillus libro secundo adversus Nestorium [2], impii hujus sententiam confutans, qui incarnatum Verbum perinde Christi nomen adeptum esse dicebat, ac Cyrum, et Babylonium, qui ab Esaia *Christi* vocantur; sic illum redarguit : « (1) Quinam vero congruit, ita Dominum appellari Christum, atque sanctum, quemadmodum Cyrus Persarum rex; necnon Persæ ipsi, ac Medi, Christi nominantur? Sic enim dicere fas erit, ne humano quidem modo, Christum Dominum fuisse sanctificatum, etsi descenderit in ipsum Spiritus sanctus columbæ specie. » Sanctificatum ecce Christum illo tempore fuisse significat, quo sub columbæ specie delapsus est in eum Spiritus sanctus, videlicet cum a Joanne baptizatus est. Verum concessione quadam, et, ut loqui mos est, *ad hominem* argumentatur hoc in loco Cyrillus. Cum enim Nestorius hominem in Christo tunc demum assumptum a Verbo, adeoque Christum, et sanctum cœpisse esse crederet, quando ad Jordanem in illum demissus est Spiritus sanctus; ne istud ipsum quidem, quod de eo fatebatur hæreticus iste, consequens esse contendit Cyrillus, ut sanctificatus a Spiritu sancto fuerit, si eodem modo Christi nomen meruerit, quo Cyrus, gentilis utique, et sanctitatis expers.

Idem porro libro undecimo commentariorum in Joannem, postquam docuit, Deum Verbum per Spiritum sanctum, templum suum, hoc est assumptam hominis sanctificasse naturam, quæ per se sanctitatis erat expers; quæ verba capite septimo descripsi [3] : subinde ista pertexit : « (2) Propterea descendit in ipsum de cœlo Spiritus sanctus in columbæ specie, idque testatur sapiens Joannes; ut rursus intelligamus, quemadmodum tanquam in primitias instauratæ naturæ, in primum omnium Christum illapsus est Spiritus sanctus, quatenus apparuit homo, qui sanctificationis capax esset. Neque vero dicimus, Christum carne tunc factum esse sanctum, quando descendentem in eum Spiritum sanctum Baptista conspexit. Etenim sanctus erat jam tum, cum adhuc in utero gestaretur, etc. Quare tanquam signum illud datum est Baptistæ spectaculum. » Mox [4] Verbum ait natura sanctum, proprium unxisse ac sanctificasse templum, instar creaturæ reliquæ, per Spiritum sanctum. Ex quibus constat, quo sensu scripserit Cyrillus [5], humano modo Christum inunctum esse : nimirum quod non ex sese, naturaque sua caro illius sanctitatem possideret, (hoc enim soli Deo convenit,) sed gratia, et beneficio singulari velut adventitiam obtineret.

XI. Atque hoc in libro de Recta fide ad imperatrices accuratius explicat, negatque Christum in baptismo suo eguisse gratia, et communicatione Spiritus sancti; ac nihilominus hunc, tanquam hominem, recepisse, idque susceptæ carnis rationem postulasse. « (3) Quippe non tam illum suapte causa, quam

(1) CYRILL. lib 2. contra Nestor. pag. 43. Πῶς δὲ καὶ οὕτω Χριστὸς, καὶ ἅγιος, ὡς ἂν εἶναι λέγοιτο Χριστὸς Κῦρός τε ὁ τῶν Περσῶν βεβασιλευκὼς, καὶ μὴν καὶ αὐτοὶ Πέρσαι τε, καὶ Μῆδοι; ὥρα γὰρ εἰπεῖν μηδὲ ἡγιάσθαι Χριστὸν ἀνθρωπίνως, καίτοι καταπτάντος ἐπ' αὐτὸν τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐν εἴδει περιστερᾶς.

(2) CYRILL. 11. in Joan. pag. 993. A. Διὰ τοῦτο κάτεισι μὲν ἐπ' αὐτὸ ἐξ οὐρανοῦ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐν εἴδει περιστερᾶς· μεμαρτύρηκε δὲ τοῦτο λέγων ὁ σοφὸς Ἰωάννης· ἵνα γνῶμεν πάλιν ὅτι, καθάπερ ἐν ἀπαρχῇ τῆς ἀνανεουμένης φύσεως, ἐν πρώτῳ Χριστῷ τὸ Πνεῦμα κατέβη, καθὸ πέφηνεν ἄνθρωπος ὁ τὸ ἁγιάζεσθαι δεκτικὸς. Καὶ οὐ δήπου λέγομεν, ὅτι τότε γέγονεν ἅγιος ὁ κατὰ σάρκα Χριστὸς, ὅτε τὸ Πνεῦμα τεθέαται καταβαῖνον ὁ Βαπτιστής. Ἅγιος γὰρ ἦν καὶ ἐν ἐμβρύῳ, καὶ μήτρᾳ, etc.

Ἀλλὰ δέδοται μὲν εἰς σημεῖον τῷ Βαπτιστῇ τὸ θέαμα.

(3) CYRILL. de Rec. fide tom. 5. par. 2. pag. 155. C. Δέχεται γὰρ οὐχ ἑαυτῷ μᾶλλον, ἀλλ' ἡμῖν· ἵνα ἐπείπερ

[1] § 4. — [2] Nest. apud Cyr. lib. 2. p. 40. — [3] § 3.

[4] Verba ista græce habes c. 8. § 6. — [5] Sup. § 9.

nostra, in seipsum admisisse : ut quoniam ab consortio terrenorum hominum avolaverat, eo quod prona mens illorum erat in malum a juventute sua; idem in Christum delapsus Spiritus, in eo, sic tanquam in principe generis altero, commoraretur, et in nobis iterum requiesceret, utpote qui impeccantiam in Christo, et immunem ab omni peccati macula vitam essemus adepti. »

Quapropter, ut ait Beda[1], ex eoque Amalarius Fortunatus[2], « non tunc unctus est Spiritu sancto, quando super eum baptizatum velut columba descendit. Tunc enim corpus suum, id est Ecclesiam suam, præfigurare dignatus est, in qua præcipue baptizati accipiunt Spiritum sanctum. » « Absurdissimum est enim, aiunt Etherius ac Beatus[3], ut credamus eum, cum jam triginta esset annorum ætatis, et a Joanne baptizatus est, accepisse Spiritum sanctum. Sed venit ad baptisma Joannis sicut sine peccato, ita plenus Spiritu sancto. Si enim de servo suo, et præcursore ipsius Joanne scriptum est[4], *Spiritu sancto replebitur adhuc in utero matris suæ;* quia quamvis seminatus a patre, tamen Spiritum sanctum in utero formatus accepit; quid de homine Christo intelligendum est, vel credendum, cujus carnis ipsa conceptio non carnalis, sed spiritalis fuit? »

Sic Ambrosius in libro primo de Fide, capite secundo, « Deus est qui ungit, *inquit*, et Deus qui secundum carnem ungitur Dei filius. Denique quos habet unctionis suæ Christus nisi in carne participes? Vides igitur, quia Deus a Deo unctus : sed in assumptione naturæ unctus humanæ Dei filius designatur. »

XII. At Hieronymus in commentario ad Esaiæ caput 61. unctionem Christi per Spiritum S. « illo eo expletam tempore » putat, « quando baptizatus est in Jordane, et Spiritus sanctus in specie columbæ descendit super eum, et mansit in illo. » Verum de ministerio, sive functione, et exercitio unctionis illius, hoc est potestatis prædicandi, ac liberandi generis humani potest intelligi. Siquidem initium docendi, et *uncti*, sive *Messiæ*, ac *Christi* munus exequendi fecit a baptismo Joannis. Atque hoc paulo post indicat Hieronymus, cum observat, « Salvatorem, cum venisset in Nazareth, in qua nutritus erat, postquam baptizatus est in Jordane[5], ingressum esse juxta consuetudinem, in die Sabbati, synagogam eorum : » ac dato Esaiæ libro ex eo ista legisse : *Spiritus Domini super me; propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me*, etc. « Unctus est igitur Spiritu sancto, pergit Hieronymus, ut annuntiaret pauperibus, sive mansuetis. » Eadem fuisse mens videtur et Petri Damiani[6], qui Christum Dominum asserit, « in illa columba, quæ super ipsum post baptisma descendit, cum sacramento baptismatis, et veri sacerdotii jura suscepisse, fuso videlicet super eum oleo exultationis, de quo Psalmista canit, Unxit te, inquit, Deus Deus tuus, etc. » De ministerio, inquam, et usu sacerdotii potest ille locus accipi, de quo mox idem : « Probatur autem redemptor noster cum baptismo simul et sacerdotii suscepisse ministerium; quia baptizatus mox prædicare, discipulos eligere, novisque cœpit miraculis coruscare : quod eatenus profecto fecisse non legitur, etc. » Itaque quod ait : *certam habere fidem, cum baptismo Dominum simul et sacerdotium suscepisse*, ideoque tunc unctum esse ab Spiritu sancto, qui super illum descendere est visus; commode prorsus ad sacerdotii ministerium, et usum referri potest : quemadmodum etsi plenam, et absolutam in omnia potestatem nactus sit eo ipso, quo conceptus est, momento Christus homo; usum tamen illius, et exercitium nonnisi post resurrectionem accepit, quando et discipulis dixit[7], *Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra.*

XIII. Nec aliter, puto, Rupertus intellexit, quod in secundo libro commentariorum in Joannem scripsit, Christum, quando ab Joanne est baptizatus, unctum esse ab Spiritu sancto, « non ea tantum causa, ut signum daretur Joanni, sed ut evangelizandi officio, et summi sacerdotii ordine fungeretur unita Deo natura hominis. Nam sicut non a seipso venit filius Dei, sed Pater illum misit, ut omnium Dominus formam servi assumere dignaretur : sic in eadem servi forma, non a seipso filius hominis evangelizandi officium præripuit, sed a Spiritu sancto impositum sibi onus humiliter suscepit. » Et paulo post quod a Luca

ἀπέπτη τῶν ἐπὶ τῆς γῆς, διὰ τὸ ἐπιμελῶς ἐγκεῖσθαι τὴν διάνοιαν τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ τὰ πονηρὰ ἐκ νεότητος, καταφοιτῆσαν ἐπ' αὐτὸν, ὡς ἐν ἀπαρχῇ τοῦ γένους δευτέρᾳ, καταλύσῃ, καὶ ἀναπαύσηται πάλιν ἐν ἡμῖν, ὡς κατωρθωκόσιν ἤδη τὸ ἀναμάρτητον ἐν Χριστῷ, καὶ τὴν τῆς αἰτίας ἁπάσης ἀπηλλαγμένην ἔχουσι ζωήν.

[1] In c. 10. Act. Apost. col. 948. — [2] Lib. 1. de Off. Eccl. c. 12. col. 333. C.

[3] Ether. et Beat. to. 4. Bibl. par. 2. col. 474. — [4] Luc. 1. 15. — [5] Luc. 4. — [6] Opusc. 6. c. 4. — [7] Matt. 28. 18.

scriptum est [1], *Jesum plenum Spiritu sancto regressum esse a Jordane*, id ille sic explanat: « Plenus sane, non quod tunc primum Spiritum sanctum acceperit: quippe qui ab ipso humanitatis suæ initio ejusdem Spiritus operatione conceptus est. Quid ergo nunc actum est, unde diceretur Spiritu sancto plenus a Jordane regressus? Nimirum plenitudo, quæ in illo jam erat, usque ad superficiem, id est, usque ad ipsos exteriores actus sese diffudit; ut inde omnes acciperemus, quomodo si plenitudo vivæ, et indeficientis aquæ, quæ in altissimo puteo sursum ad superficiem oris ascendat, ut parvis quoque infantibus hauriendi, vel bibendi detur facultas. Ita nimirum usque ad exteriora se diffudit plenitudo, quam habebat intrinsecus, et diffusa est gratia in labiis ejus, ut audiretur in verbis, et videretur in miraculis abundantia ejus, qua plenus erat gratiæ, et veritatis. »

XIV. Ex his vero postremis Ruperti verbis, velut πόρισμα, colligi potest probabilis loci illius sensus e Psalmo 44. quem passim in medium afferunt Patres, qui de unctione Christi agunt; *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus*, etc. Ex quo argumentari sic licet: Christum hominem illam unctionem, et sanctificationem meruisse, obtinuisseque justitia, et virtute sua. Nam διὰ τοῦτο, id est ob justitiam, et alienam ab omni iniquitate vitam, unctus esse dicitur; quam quidem unctionem vulgo Patres, ut ex dictis hucusque constat, de assumptione naturæ hominis interpretantur. Atqui si sic accipiamus illa Prophetæ verba, in Nestorii impietatem præcipites feremur; qui bonæ vitæ, ac virtutis merito ad illam pervenisse cum Deo conjunctionem Christum hominem credidit. Quare ex illa Ruperti sententia, sic Psalmi locum istum explicare possumus, ut propter justitiam, et integritatem suam meruerit homo Christus iteratam illam unctionem, adventumque Spiritus sancti, quod ad exercendam functionem suam, sive *actuale*, ut in scholis loquuntur, exercitium potestatis suæ a Deo destinaretur, quemadmodum iisdem vitæ meritis, et obedientia sua potestatem supremam in res omnes, et amplissimam dominationem, necnon gloriam, ac splendorem nominis, quod a Patre petierat, post passionem est adeptus.

Quanquam aliter Psalmi verba possumus accipere. Nicephorus enim in Catena quadam exponit sic: (1) Propterea unxit te Deus divinitate, quam humanæ tuæ naturæ communicavit, ut hæc omnia præstes: ἐπὶ τούτῳ, id est ad hoc, nonnullos codices habere, testis est etiam Chrysostomus. Atque hunc sensum expressisse videtur Athanasius in Catena Barbari: « Hanc ob causam, *inquit*, unigenitus Dei filius factus est homo, ut in se naturam hominis corrigeret, ut justitiam diligerent, et iniquitatem odio prosequerentur. Et hæc incarnationis Verbi causa fuit. » Sed et Apollinarius in eadem Catena, negat unctionem illam, et communicationem Spiritus sancti, de qua Psalmus loquitur, in præmium virtutis, ac justitiæ concessam illi fuisse. « Patet igitur hoc dictum esse tanquam naturæ consequens, non tanquam in præmium laboris retributum: nec quod Spiritus tanquam merces homini datus sit. » Denique nullus Catholicorum sanctitatem ipsam tunc solum homini Christo communicatam, hoc est Spiritum sanctum illapsum fuisse ad eum sanctificandum, dici patitur. Sed eo ipso tempore, quo ejusdem operatione Spiritus formata est in utero caro: quam « (2) ex sanctitate compactam, dignamque factam, quæ Unigeniti divinitati copularetur, » ait Basilius. Quamobrem probabilior hæc est loci illius Davidici apud theologos expositio, ut unctio Verbi hominis facti ad ipsum tempus conceptus illius, et incarnationis referatur potius, quam ad baptismum, aut aspectabilem quemdam in Christum sancti Spiritus appulsum. Quanquam hoc posterius scio complures veterum secutos esse: sed eo, quem expressimus, sensu, ne qua sanctitatis, interiorisque communicationis Spiritus in tempore Christo facta videatur accessio.

(1) Cat. gr. Corder. Ἀντὶ τοῦ διὰ τοῦτο, ἐπὶ τούτῳ φησὶν, ἐπὶ τῷ κατορθῶσαι τὰ εἰρημένα.

(2) Basil. hom. 25. de Nativ. pag. 589. A. Ἐξ ἁγιωσύνης γοῦν ἡ σὰρξ συμπαγεῖσα ἀξία ἦν τῇ θεότητι τοῦ μονογενοῦς ἑνωθῆναι.

[1] Luc. 4.

CAPUT DECIMUM.

De Christi ἀναμαρτησίᾳ, quam *impeccantiam* appellamus: cujusmodi, et qua ex causa in illius humana natura fuerit. — 1. Ea duplex constituitur : una, quæ peccatum aufert : altera, quæ potestatem etiam peccandi. — 2. Hæc in solo Deo reperitur, quia solus immutabilis. — 4. In Christum hominem itidem convenit. — 6. Quod illi hypostatica tribuit unitio ; idque ex Patrum deinceps testimoniis ostenditur. — 9. Quorum aliqui naturale esse dicunt illi, ut peccare non possit. — 10. Ac nonnullis similitudinibus eadem impeccantia declaratur a veteribus.— 13. Demonstratur itidem ex iis, quæ de conditione, ac statu humanitatis in Christo disputata sunt antea : velut quod carnalibus, et vitiosis cogitationibus caruit. — 15. Tum quod propria Verbi facta sit caro ; quod deificata, ac vivifica facta sit.

I. Postremum sequitur argumenti genus, quo Christum hominem probamus divinitate ipsa sanctum fuisse, quod ex peccati vacuitate sumitur. Nam peccato sanctitas est contraria : et ut eatenus sanctus est aliquis, quo est a peccati labe purus et alienus ; ita quæ causa et origo est alicui vacuitatis illius a peccato, eadem ei est causa sanctitatis. Atqui pro confesso istud habent omnes Catholici ; omnem creaturam ex se, et natura sua esse peccabilem, solumque Deum esse ἀναμάρτητον. Igitur hic ipse status *impeccantiæ* non potest aliunde quam ex divinitate proficisci : adeoque si in Christi humana extitisse natura monstratur, necesse est, eam ex illo divinitatis fonte manasse.

Hæc summa ratiocinationis nostræ, quam hoc capite tractamus. Et ut plenius certe nobis illius ratio constet, id imprimis repetere oportet, quod alibi scripsimus [1], τὴν ἀναμαρτησίαν, quam *impeccantiam* latine vertendo vocat Hieronymus, esse duplicem. Nam aut simplicem vacuitatem peccati significat, ita tamen, ut peccari possit : aut ejusmodi, ut nec insit reipsa, nec ullum possit inesse peccatum. Prior etsi, « sola excepta sancta virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem, » ut cum Augustino [2] loquar, nulli mortalium concessa fuerit ; quod ibidem ille demonstrat ; non est tamen propria divinitatis, sed communicari cum creatura potest, quemadmodum angelis sanctis obtigisse certissimum est. Posterior vero, quæ absolutam peccandi possibilitatem eripit, in solo Deo reperitur ; quod latius suo loco disputandum, paucis modo delibandum est, eo quod ejus argumentationis, quam hic informare volumus, in eo summa vertitur.

II. Solum itaque Deum eo jure, quo qui optimo, peccati expertem, id est ἀναμάρτητον esse, fuse declarat e Scripturis Hieronymus in secundo libro adversus Pelagianos : et inductione probat omnium sanctorum, quorum in divinis litteris insigni præconio pietatis integritatisque fama celebratur.

Augustinus quoque [3] solum Deum natura sua peccare non posse eo ipso demonstrat, quod peccandi causam refert in naturæ mutabilitatem, qua creata omnia continentur ; quæ hoc ipso, quod e nihilo factæ sunt, mutari in deterius possunt. Ita etiam Gregorius papa, cujus hæc scitu digna sententia est [4] : « Humana quippe anima in lapsum non caderet, si mutabilis non fuisset : quæ a paradisi quoque gaudiis expulsa, si mutabilis non esset, ad vitam nunquam rediret. In hoc ipso vero, quod ad vitam redire nititur, defectus suos cogitur alternante semper mutabilitate tolerare. Quia ergo ex nihilo est condita, ex se nihilominus infra se tendit, nisi ad boni desiderii statum artificis sui manu teneatur. Ex eo itaque, quod creatura est, deorsum ire habet. Virtute namque propria præceps posse se ire considerat : sed ad creatorem suum amoris manu se retinet, ne cadat ; quousque ad immutabilitatem transeat, et eo vere immortaliter, quo immutabiliter vivat. Ipsi quoque angelici spiritus mutabiles ex natura sua sunt conditi, quatenus aut sua sponte caderent, aut ex arbitrio starent. Sed quia humiliter elegerunt ei inhærere, a quo creati sunt, hanc ipsam in se mutabilitatem suam standi jam immutabilitate vicerunt : ut hoc ipsum merito transcenderent, quod naturæ suæ ordine mutabilitati subesse potuissent. »

Sic Bernardus in sermone primo de Annuntiatione : « Certum est ad suam originem, *inquit*, universa quantum in eis est, tendere, et in eam semper esse partem procliviora. Sic et

[1] Lib. de hær. Pelag. c. 6. § 4. et seq. — [2] Aug. l. de nat. et gratia c. 36.

[3] Lib. 1. cont. Jul. c. 8. et alibi passim. — [4] Greg. 25. Mor. cap. 4

nos, qui de nihilo creati sumus, constat, quia si nobis ipsis relinquimur, in peccatum semper, quod nihil est, declinamus. »

III. Faustinus quoque idipsum uberi, ac diserta sententia declarat, quam alibi descripsimus [1], cum de angelorum mutabili voluntate disputaremus. Ibi adversus Arianos disserens, qui Patrem et Filium unum esse voluntate, non substantia defenderent, docet hoc ipso, quod Filium vertibilem, et mutabilem facerent, detrahere illos istam ipsam, quam posuerant, voluntatis unitatem. Quibus positis incontinenti subjicit hæc, quæ, quia illic omissa sunt, et usui postea nobis erunt, prætermitti non debent [2] : « Viderit si qua fortassis est hæresis, quæ hunc sensum respuat; tu tamen præcipue ad hoc Ariano consentis, qui et ipsum Filium Dei, quem totius creaturæ Dominum confiteris, vertibilem, et mutabilem dicis, quod eum a Deo factum de nihilo prædicas, non tamen de Deo vere natum. Si hæc tibi sententia est, quod omnis creatura vertibilis est, et mutabilis; Christum autem dicis esse creaturam; ergo et ipse, secundum te, ex conditione naturæ vertibilis, et mutabilis existens, non habet inconvertibilem, et indemutabilem voluntatem. Et quomodo interpretaris, quod Pater et Filius unum sunt voluntate, cum Patris, et Filii, secundum te, diversæ sunt voluntates, et contrariæ ? quia scilicet una est indemutabilis et inconvertibilis, alia vero mutabilis et convertibilis. »

Hic vero Faustinus Christi nomine sic utitur, ut eum, qua verbum est, ac Deus, intelligi velit, qua ratione creatura non est. Rupertus item in libro de Voluntate Dei, capite septimo, asserit non posse creari a Deo « naturam inconvertibilem, sive incommutabilem, id est nullius passionis, aut vitii perceptibilem, etc. Nam inconvertibilis natura supra omnia, ultra omnia, extra omnia est; et hæc solius Dei natura est, qui utique factus, vel creatus non est. In solam quippe Trinitatis divinitatem hoc prædicare, quod sit convertibilis, sacrilegium est, ut fecit Arius dicens, quia convertibilis et mutabilis est Dei Filius, sicut et universa rationalia. Tale ergo quippiam ab increato Deo creari non potuit ; et tamen veraciter omnipotens est , quia omnia potuit, et omnia fecit. Nihil enim non fecit. » Et capite octavo: « Igitur commutabilem, *ait*, sive convertibilem esse oportuit angelum et hominem, utpote de nihilo creatos. Etenim illud, unde creati sunt, de nihilo creatum est. »

Cyrillus Alexandrinus in epistola prima ad monachos, « (1) naturam omnem » asserit, « quæ sanctitate indiget, hoc est, quæ hanc a seipsa non habet, natura sua fluctuare; neque prorsus immunem a peccato, vel peccandi saltem possibilitate censeri. »

Idem etiam in libro quinto commentariorum in Joannem, fusius de ea re disputans, probat, rem nullam creatam peccati expertem ex natura esse sua : quod ex lapsu maxime angelorum adstruit. « (2) Nam ex eo quod nonnulli illinc dejecti sunt, et in peccatum prolapsi, tota rationalium creaturarum natura peccati capax arguitur, et mutationis in pejus neutiquam expers esse monstratur. »

Assentitur et huic Judæus Philo in libro de Nominum mutatione, ita scribens : « (3) Quis enim est, ut ait Jobus, ab omni macula purus, tametsi diei unius vita sit ? Innumera sunt enim , quibus vita sordidatur ; quæ prorsus elui, abstergique nequeunt. Quippe in quolibet mortali necessario innatæ quædam maculæ relinquuntur ; quas quidem cessare consentaneum est, tolli vero, et extingui penitus, impossibile. » Videnda sunt quæ de hoc argumento, in primo tomo disseruimus [3].

IV. Jam vero Christum Dominum non solum, qua Deus est, sed etiam ut homo est, nihil nec admisisse peccati, nec admittere potuisse, adeoque vere ἀναμάρτητον extitisse, ratum est ex communi Patrum decreto. Ita Augustinus in libro secundo de Peccatorum meritis et remissione, capite 13. « In cujus, *ait*, non tantum divinitate, sed nec in anima, nec in carne ullum potuit esse peccatum. » Et in capite sequente, Pauli in epistola ad Hebræos id auctoritate confirmat, qui sic scribit : *Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus,*

(1) CYRILL. epist. 1. ad mon. tom. 5. par. 2. pag. 11. B. Τὸ δὲ ἁγιασμοῦ τητώμενον σαλεύεται κατὰ φύσιν, καὶ οὐκ ἂν νοοῖτο παντελῶς ἠμοιρηκὸς ἁμαρτίας, ἤτοι τοῦ δύνασθαι πλημμελεῖν.

(2) Idem lib. 5. in Joan. 1. pag. 531. C. Διὰ γὰρ τὸ κατεσπάσθαι τινὰς ὅλως ἐκεῖθεν, καὶ πεσεῖν εἰς ἁμαρτίαν, ὅλη κατηγορεῖται τῶν λογικῶν κτισμάτων ἡ φύσις ὡς ἁμαρτίας δεκτική, καὶ τροπῆς τῆς ἐπὶ τὸ χεῖρον ἀμοιρεῖν οὐκ ἰσχύουσα·

(3) PHILO pag. 1051. E. Τίς γὰρ, ὡς ὁ Ἰὼβ φησι, καθαρὸς ἀπὸ ῥύπου, κἂν μία ἡμέρα ἐστὶν ἡ ζωή ; Ἄπειρα μὲν ἔστι τὰ καταῤῥυπαίνοντα τὴν ψυχὴν, ἅπερ ἐκνίψασθαι, καὶ ἀπολούσασθαι παντελῶς οὐκ ἔνεστιν. Ἀπολείπονται γὰρ ἐξ ἀνάγκης παντὶ θνητῷ συγγενεῖς κῆρες, ἃς λωφῆσαι μὲν εἰκὸς, ἀναιρεθῆναι δὲ εἰσάπαν ἀδύνατον.

[1] Lib. 1. de Ang. c. 11. § 7. — [2] Faust. ibid. C.

[3] L. 7. c. 6. et cap. 8. § 6.

innocens, impollutus, etc. quibus verbis non solum hoc significari putat, Christum nullum unquam perpetrasse delictum, sed ne potuisse quidem peccati quippiam facere. Et in libro de Prædestinatione sanctorum, capite 15. « Nonne de Spiritu sancto, et virgine Maria Dei filius unicus natus est, non carnis cupidine, sed singulari Dei munere ? Numquid metuendum fuit, ne accedente ætate homo ille libero peccaret arbitrio ? An ideo in illo non libera voluntas erat : ac non tanto magis erat, quanto magis peccato servire non poterat ? » Fulgentius item in libro primo ad Trasimundum, capite undecimo, ex apostoli Petri verbis idem asseverat [1], *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Quo in capite Fulgentius Arianos refellit, qui in homine Christo humanam negantes animam fuisse, hujus vicem explesse divinitatem ipsam putabant. Sed eos hoc argumento convincit [2] : « Nam si Dei filius animam humanam in carnis susceptione non habuit, et hoc beatus Petrus de ejus creditur divinitate dixisse, quid est, quod pro magno in laudem dicitur Christi ? quia divinitas ejus immunis esse potuit a labe peccati. Cum Dei sit proprium non solum non peccare, sed etiam a peccato salvare. Qui propterea solus potuit donare indulgentiam, quia solus admittere non potest culpam: ideo solus est vulneratorum medicus, quia divina natura nunquam in se recipit vulnus. Si autem hoc ad Christi carnem creditur referendum, quomodo ab animabus nostris servari justitia poterit, quibus exemplum apostolice memoratum, susceptio Christi non dabit ? Sed ut ostenderet beatus Petrus et in anima simul, et in carne Christi præcessisse justitiam, quam nobis imperat imitandam, secutus adjunxit : Qui cum malediceretur, non remaledicebat. Quod proprie ad animæ patientiam pertinet. »

V. Prosper etiam in tertio de Vita contemplativa, capite 31. Stoicos redarguit, qui nullas in sapientem cadere affectiones existimabant, quales sunt dolor, tristitia, gaudium, et ceteras. « Quod esse vanissimum, *inquit*, Dominus noster secundum carnem natus ostendit, qui et tristis fuit, et flevit. Nec tamen ea tristitia, qua tristis fuit, ei ex peccatis suis accessit : qui sine peccato conceptus, et natus, non solum non peccavit, sed etiam peccare non potuit. »

Rupertus in libro de voluntate Dei, capite 11. insigniter hoc idem docet, cum in eo Dei omnipotentiam maxime spectabilem fuisse dicit, « quoniam a bono, et omnipotente Creatore facta est non tam per creationem, quam per assumptionem, creatura talis, quæ peccare non solummodo nollet, verum etiam non posset. » Atque hoc ex illis approbat Christi verbis [3] : *Non possum a meipso facere quidquam.* « Quid est enim, ait ille, quemquam a seipso quidquam facere, nisi malum facere ? Ergo non possum, inquit, a me ipso facere quidquam, id est extra Deum seorsum, extra verum per memetipsum, divisa voluntate mea a voluntate Dei Patris ; sicut Angelus refuga, vel sicut primus homo prævaricator facere potuit, et fecit : ut qui erat uterque creatura, et proinde convertibilis facta, et idcirco mutabilis. »

Non aliter Cyrillus Alexandrinus, aliique paulo post commemorandi, cum τῆς ἀναμαρτησίας hominis in Christo causam explicabimus. Est et veterum illustre de eadem impeccantia Christi testimonium adversus Arianos, et Apollinaristas disputantium. Cum illi contenderent, Christum solam assumpsisse carnem, animam vero minime suscepisse, quod alioqui fieri non posset, ut peccato non esset obnoxius, si animam rationalem adhibuisset ; eo quod animæ sunt adjunctæ cogitationes, et affectiones, quibus ad peccatum impellitur. Contra quos certantes Catholici, sic animam asserunt assumptam a Verbo fuisse, nullum ut propterea peccatum, aut irritamentum, vel illecebram peccati necesse fuerit consequi. Vide quæ in libro quinto de hac re tractata sunt [4].

VI. Nunc argumentationis altera firmanda propositio est, illam ipsam, quam homini Christo tribuendam diximus, *impeccantiam*, causam repetere ex divinitate Verbi, qua cum una persona fit : ex quo illud sequetur, quod demonstrandum suscepimus, increata sanctitate Christi humanitatem esse sanctam.

Testantur hoc plerique omnes græci, et latini Patres, dum idcirco ἀναμάρτητον esse Christum hominem prædicant, quod sit Deus. Ita Dionysius Alexandrinus in epistola synodica ad Paulum Samosatenum : « (1) Qui ex Deo

(1) Dion. tom. 11. bib. pag. 277. C. Ὁ γὰρ ἐκ Θεοῦ γεννηθεὶς πρὸ αἰώνων, ὁ αὐτὸς ἐπ' ἐσχάτων ἐκ μητρός. Διὰ τοῦτο θεοκτόνοι Ἰουδαῖοι, ἐπεὶ τὸν Κύριον τῆς δόξης ἐσταύρωσαν. Εἰ μὴ γὰρ ἦν ὁ Χριστὸς αὐτὸς ὁ ὢν Θεὸς Λόγος, οὐκ ἠδύνατο εἶναι ἀναμάρτητος. Οὐδεὶς γὰρ ἀναμάρτητος, εἰ μὴ εἷς ὁ Χριστὸς, ὡς καὶ ὁ Πατὴρ τοῦ Χριστοῦ, καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα. Ὅθεν καὶ θέλων ἀπέθανε, καὶ ἑκὼν ἠγέρθη, ἐργασάμενος τὰς θεοσημίας, Υἱὸς ὢν τοῦ Θεοῦ μονογενής.

[1] 1. Pet. 2. 22. — [2] Fulg. 1. ad Trasim. cap. 11.

[3] Joan. 5. — [4] Cap. 12.

genitus est, *inquit*, ante secula, idem et ex matre extremis natus est temporibus. Ideo Judæi deicidæ sunt, quia [1] dominum gloriæ crucifixerunt. Nam nisi Christus idem esset Deus Verbum, non poterat a peccato immunis esse. Nullus enim peccati est expers, nisi solus Christus ; sicut et Pater Christi, et Spiritus sanctus. Unde et volens mortuus est, et volens resurrexit, postquam miracula est operatus, qui Dei est unigenitus. » Ergo idem ille, qui cruci est affixus, et mortuus, qui et resurrexit, idcirco est ἀναμάρτητος, quia Deus est, Deique filius.

Athanasius in libro de incarnatione Verbi Dei Catholicos omnes præcipit « (1) profiteri, Deum apparuisse in carne, secundum traditionem apostolicam: necnon justitiam, quam Dominus habuit in spiritu, hoc est non humana mutatione, sed divina puritate. Impossibile enim erat alio modo integritatem, et impeccantiam in humanam recipi naturam, nisi Deus in carne crederetur esse, qui peccati expertem justitiam in mundum invexit ; cujus participes facti salutem adipiscimur. Quod enim scriptum est [2], *Non est justus super terram, qui faciat bonum, et non peccet,* commune utique est omnibus hominibus. » « Ideo de cœlo descendit, *inquit*, qui illibatam justitiam ex seipso donaret, Verbum scilicet.» Tum allatis Scripturæ locis, quibus idem e cœlo venisse, et in cœlum ascendisse perhibetur : item altero hoc [3], *Ego sum panis, qui de cœlo descendi, vivens, et vitam largiens mundo:* « (2) manifeste » ait his et similibus verbis « illum docere nos divinitatem suam ; ita tamen ut non tolleret carnem, quam assumpserat, sed ut se cum carne copularet. » Hic vero Athanasius Christum, quem ἀναμάρτητον fuisse dicit, supra captum ceterorum hominum, non ut Deus est, sed ut homo Deo copulatus, talem eum esse describit. Igitur ut homo, idcirco peccare non potest, quia Deo conjunctus est.

Idem in longiore alio tractatu de Incarnatione adversus Apollinarem, disertius illud affirmat: «(3) Natura, *inquit*, et non positione homine facto domino, nec in natura, nec in actione peccatum imputare possumus opifici. Nam in natura nostra adhuc ex invento diaboli exorta pugna perseverat, et superseminationis progressus, propter imbecillitatem nostram. At Verbi incarnatio secundum naturam Dei facta, neutiquam capax fuit illarum rerum, quæ etiamnum hærent ex vetustate nobis inolita. » Deinde Verbum ait ceteras naturæ affectiones assumpsisse, ut laborem, inediam, non tamen peccatum. « (4) Atque in eo miraculum esse, quod et homo factus est Dominus, et tamen sine peccato fuit : eo quod in totum novitas facta sit, ut potentiam ostenderet suam. »

Hæc est illa *novitas*, quam in Christi πολιτεία, et actione θεανδρικῇ Dionysius exposuit in epistola 4. quæ, quia solus exhibuit homo Christus, ideo non in sola peccati macula, sed ipsa quoque peccandi possibilitate statuenda videtur.

VII. Cyrillus item Alexandrinus plerisque locis idem confirmat. Ut in libro quinto in Joannem. « (5) Quamobrem, *inquit*, creaturæ funditus interclusus est immutabilis, et invariabilis status, eodemque se modo semper habens ex natura sua. Id enim soli conveniet revera existenti Deo. Hoc ipsum in Filio recte perspicitur. Peccatum enim non fecit, ut ait Petrus, nec inventus est dolus in ore ejus. Deus est igitur, et ex Deo secundum naturam

(1) ATHAN. pag. 461. D. Ὁμολογεῖν δὲ ὅτι πεφανέρωται Θεὸς ἐν σαρκὶ, κατὰ τὴν Ἀποστολικὴν παράδοσιν, καὶ τὴν δικαιοσύνην, ἣν ἔσχεν ὁ Κύριος ἐν Πνεύματι, τουτέστιν, οὐκ ἀνθρωπίνῃ τροπῇ, ἀλλὰ θεϊκῇ τῇ καθαρότητι· ἀδύνατον γὰρ ἑτέρως τὸ καθαρὸν, καὶ ἀναμάρτητον ἐπ' ἀνθρωπίνης φύσεως παραδεχθῆναι, εἰ μὴ Θεὸς ἐν σαρκὶ πιστεύοιτο εἶναι, ὁ τὴν ἀναμάρτητον δικαιοσύνην εἰς τὸν κόσμον εἰσαγαγὼν, ἧς μετέχοντες σωζόμεθα. Τὸ γὰρ, οὐκ ἔστι δίκαιος ἐπὶ τῆς γῆς ὃς ποιήσει τὸ ἀγαθὸν, καὶ οὐχ ἁμαρτήσεται, κοινὸν δήπου κατὰ πάντων ἀνθρώπων ἐστίν. Ὅθεν ἐξ οὐρανοῦ καταβέβηκε, φησὶν, ὁ τὴν ἄχραντον δικαιοσύνην παρ' ἑαυτοῦ δωρούμενος Λόγος.

(2) Ibid. pag. 462. A. Σαφῶς διὰ τούτων ἐκδιδάσκων ἡμᾶς τὴν θεότητα τὴν ἑαυτοῦ, οὐκ ἀναιρῶν τὸ κατὰ σάρκα προσειληφέναι, ἀλλ' ἑνῶν ἑαυτὸν πρὸς τὴν σάρκα.

(3) Idem pag. 490. D. Φύσει οὖν, καὶ οὐ θέσει τοῦ Κυρίου ἀνθρώπου γενομένου, οὔτε κατὰ φύσιν, οὔτε κατὰ πρᾶξιν ἀνθυποφέρειν ἡμᾶς δυνατὸν τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῷ δημιουργῷ. Ἐν μὲν γὰρ τῇ ἡμετέρᾳ φύσει, καὶ τῆς εὑρέσεως ἡ μάχη ἔτι γίνεται, καὶ τῆς ἐπισπορᾶς ἡ προσχώρησις, διὰ τὸ ἡμῶν ἀσθενές. Ἡ δὲ τοῦ Λόγου σάρκωσις κατὰ φύσιν Θεοῦ γενομένη, ἀνεπίδεκτος γέγονε τῶν ἐν ἡμῖν ἐκ τῆς παλαιότητος ἔτι πολιτευομένων πραγμάτων.

(4) Ibid. pag. 491. A. Καὶ ἐν τούτῳ τὸ θαυμαστὸν, ὅτι καὶ ἄνθρωπος γέγονεν ὁ Κύριος, καὶ χωρὶς ἁμαρτίας· ὅτι καινότης ὅλη γέγονεν, ἵνα ἐνδείξηται τὸ δυνατὸν αὐτοῦ.

(5) CYRIL. in Joan. lib. 5. tom. 4. pag. 531. D. Οὐκοῦν ἀπείρηται παντελῶς τῇ κτίσει τὸ ἀμετάφορον, καὶ ἄτρεπτον, καὶ τὸ ὡσαύτως ἔχειν δύνασθαι φυσικῶς. Μόνῳ γὰρ ἁρμόσει τῷ κατὰ ἀλήθειαν ὄντι Θεῷ. Τοῦτο δὲ ἐν Υἱῷ διαφαίνεται καλῶς. Ἁμαρτίαν γὰρ οὐκ ἐποίησεν, ὡς ὁ Πέτρος φησὶν, οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ. Θεὸς οὖν ἄρα, καὶ ἐκ Θεοῦ κατὰ φύσιν ὁ Υἱὸς, τοῦ ἁμαρτάνειν, καὶ τρέπεσθαι μὴ εἰδότος, καὶ τὸ πρέπον τῇ ἰδίᾳ φύσει μὴ ἐκτρέχοντός ποτε.

[1] 1. Cor. 2. — [2] 2. Par. 6. 36.

[3] Joan. 6.

filius, illo, inquam, Deo, qui peccare mutarique nescit ; neque hoc prætergreditur unquam, quod naturæ propriæ congruit. »

Et libro sexto commentariorum in idem Evangelium de iis agens Christi verbis, quæ utique ab eo, ut homine, pronuntiabantur [1], *Quis ex vobis arguet me de peccato?* cur peccatum non admiserit, hanc causam affert ; « (1) quod prorsus fieri nequeat, ut in peccatum incidat qui ex Deo prodiit Deus verus. Quippe Christus peccatum non fecit. Nam omne peccatum ex deflexione ab eo quod melius est ad id quod dissimile est, originem accipit, et in eis gignitur, qui natura sua verti possunt, et in ea quæ dedecent mutationem capere. Quinam ergo peccare is intelligetur, qui conversionem nescit, neque capax est commutationis in aliquid quod sit disconveniens : sed inconcussus manet in propriis, innatisque bonis ; et hoc non aliunde habet, sed a seipso ? » Idem et in libro nono [2] docet, et in undecimo [3].

In libro quoque de recta fide ad Theodosium imperatorem, Christi animam, « (2) quod anima esset illius, qui peccare nescit, idcirco firmum, et stabilem habere dicit in bonis omnibus, atque immobilem statum, et peccato, quod olim exercebat in nos tyrannidem, sine comparatione validiorem. » Quæ et in dialogum de incarnatione Unigeniti translata leguntur [4].

Sic in Paschali homilia 16. [5] peccare non potuisse Christum hominem ait, quia natura Deus erat. Necnon in homilia 24 [6].

VIII. Augustinus in libro contra sermonem Arianorum eamdem causam impeccantiæ Christi, divinitati ejus adscribit his verbis [7] : « Ut autem mediator Dei et hominum homo Christus Jesus non faceret propriam, quæ Deo adversa est, voluntatem ; non erat tantum homo, sed Deus et homo : per quam mirabilem, singularemque gratiam, humana in illo sine peccato ullo posset esse natura. Propter hoc ergo ait [8], *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit :* ut ea causa esset tantæ obedientiæ, quæ omnino sine ullo peccato esset, hominis quem gerebat, quia de cœlo descenderat : hoc est non tantum homo, verum etiam Deus erat. »

Et in libro de Correptione et gratia, capite undecimo : « Neque enim metuendum erat, *inquit*, ne isto ineffabili modo in unitatem personæ a Verbo Deo natura humana suscepta per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cum ista susceptio talis esset, ut natura hominis a Deo ita suscepta, nullum in se motum malæ voluntatis admitteret. »

Et in Enchiridio ad Laurentium capite 36. « per eamdem gratiam justificari *ait* homines a peccatis, per quam factum est, ut homo Christus nullum habere posset peccatum. » Nimirum quod nullis antecedentibus meritis, in personam eamdem assumptus homo sit a Deo : qua ex assumptione habuit ut peccare non posset. Quam gratiam, ex eaque ortam impeccantiam, rursus in capite quadragesimo declarat sic [9]. « Profecto modus iste, *inquit*, quo natus est Christus de Spiritu sancto, non sicut filius ; et de Maria virgine sicut filius ; insinuat nobis gratiam Dei, qua homo, nullis præcedentibus meritis, in ipso exordio naturæ suæ quo esse cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ unitatem, ut idem ipse esset filius Dei, qui filius hominis ; et filius hominis, qui filius Dei : ac sic in naturæ humanæ susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum possit admittere. »

Et ante Augustinum testatur hoc idem Hilarius in libro 10. de Trinitate, sic scribens : « Non fuit habitus ille tantum hominis, neque caro illa caro peccati ; sed similitudo carnis peccati : dum et habitus carnis in nativitatis est veritate, et similitudo carnis peccati a vitiis humanæ carnis aliena est. Ita homo Christus Jesus, et in veritate nativitatis est, dum homo est ; et non est in proprietate peccati, dum Christus est : quia et qui homo est, non potuit non homo esse quod natus est ; et

(1) Ibid. lib. 6. pag. 564. D. Καὶ ἀποφάσκοντος παντελῶς τὸ περιπεσεῖν ἁμαρτίᾳ δύνασθαι τὸν ἐκ Θεοῦ πεφηνότα Θεὸν ἀληθινόν· ἁμαρτίαν γὰρ οὐκ ἐποίησεν ὁ Χριστός. Ἅπασα μὲν γὰρ ἁμαρτία ἐκ παρατροπῆς τῆς ἀπὸ τοῦ βελτίονος ἐπὶ τὸ μὴ οὕτως ἔχον λαμβάνει τὴν γένεσιν, ἐντίκτεται δὲ τοῖς τρέπεσθαι πεφυκόσι, καὶ ἀλλοιώσεως τῆς ἐφ᾽ ἃ μὴ προσῆκε δεκτικοῖς. Πῶς ἂν οὖν νοοῖτο καὶ ἁμαρτεῖν ὁ τροπὴν οὐκ εἰδὼς, οὐδὲ ἀλλοιώσεως τῆς ἐπί τι τῶν οὐ πρεπόντων δεκτικὸς, ἀκλόνητος δὲ μᾶλλον τοῖς ἰδίοις ἐμπεφυκόσιν ἀγαθοῖς, καὶ οὐ παρ᾽ ἑτέρου τινὸς, ἀλλ᾽ ἐξ ἑαυτοῦ ;

(2) Id. tom. 5. par. 2. pag. 18. vers. 7. Κατὰ τὸν αὐτὸν, οἶμαι, τρόπον, ἐπεὶ γέγονε ψυχὴ τοῦ πλημμελεῖν οὐκ εἰδότος, ἐρηρεισμένην ἔχει λοιπὸν τὴν ἐφ᾽ ἅπασι τοῖς ἀγαθοῖς ἀμετακίνητον στάσιν, καὶ τῆς πάλαι καθ᾽ ἡμῶν τυραννευούσης ἁμαρτίας ἀσυγκρίτως εὐσθενεστέραν.

[1] Jo. 8. 46. — [2] Cyr. l. 9. in Joan. p. 820. D. — [3] Pag. 983. — [4] To. 5. par. 1. p. 691. E.

[5] To. 5. par. 2. p. 221. D. — [6] Ibid. 291. — [7] Aug. lib. cont. Ser. Arian. c. 7. — [8] Jo. 6. 38. — [9] Ench. c. 40.

qui Christus est, non potuit amisisse quod Christus est. Atque ita dum homo Christus Jesus est, habet et nativitatem hominis, quia homo est; nec est in vitiosa hominis infirmitate, quia Christus est. » Quid enim aliud ista volunt, Christum, qua homo est, veritatem habere nativitatis, et carnis; et quia Christus est, similitudinem, non proprietatem habere peccati : nisi ideo peccato carere, quia Christus, hoc est Deus est?

Fulgentius quoque in libro tertio ad Trasimundum, capite 38. [1] « Ægrotare, *inquit*, non potest salus, infirmari non novit virtus; nescit saturitas esurire; via nequit errare, sapientia non mutatur, vita non moritur; lumen non extinguitur, nec veritas depravatur : nescit tristari lætitia, deitas non potest superari. Propterea utique etiam Christi humanitas sine peccato permansit, quia enim in unitate personæ divinitas accepit, quæ naturaliter peccare non potuit. Homo ergo Christus, quoniam peccata non habuit propria, portare dignatus est aliena. »

IX. Hoc ipsum significant et Patres illi, qui Christum hominem asserunt, *naturaliter a peccato et malitia alienum fuisse*; ut Hippolytus martyr (1); Maximus item Aquileiensis in Lateranensi synodo sub Martino papa [2], « naturaliter a peccato alienum, et interemptorem ejus Dominum » ait extitisse. Sic Maximus alter, monachus et martyr, in disputatione cum Pyrrho, γνωμικὸν θέλημα, id est *voluntatem*, quæ est ex *deliberatione nata sententia*, in Christo homine fuisse negat, eo quod consultatio omnis adjunctam habet dubitationem, et inscitiam, ex qua peccatum interdum oritur; at Christus naturaliter a vitio erat alienus : quem locum Maximi supra commemoravimus [3]. Subjicit his Esaiæ vaticinium de Christo eodem pertinens, quod ibidem retulimus. Quem ad Prophetæ locum insigniter Cyrillus Alexandrinus Christi hominis *impeccantiam* adjunctæ divinitati tribuit ita loquens. Homines ait ceteros, antequam legitimam ætatem attigerunt, bonum a malo non posse discernere, nec alterutrum eligere : «(2) Verum postquam adoleverunt, tunc agendarum, *inquit*, rerum liberam instituunt electionem. At divina, supremaque natura, non secundum conditionem nostram, sed ratione propriæ, congruentisque sibi sublimitatis, vitio est inaccessa, et pravitatis omne genus depellit; nec aliunde tentatur, aut ejusmodi pulsatur molestia : quin potius naturaliter, et substantive malitiæ reluctatur. » Pergit deinde, et disertissimis verbis quod hic proposuimus aperit. « (3) Quod igitur, *inquit*, divinæ naturæ proprium est, in bono stabilem ac defixam esse, significat his verbis : Reluctatur nequitiæ, ut eligat bonum. Hoc autem etiam de Christo ipso vere dicitur. Nam etsi secundum carnem genitus est a sancta Virgine, Deus natura, et procedens a Deo Verbum; idem tamen ex utero erat, et ante uterum; vel potius ante omne seculum, sanctus utpote Deus; nec propriis prærogativis propter humanitatem excidit : uti nec humana neglexit propter dispensationem; uti revera credatur nostri similis esse factus, ac nostram ipsam generationem sanctificet. »

X. Præterea illud etiam indicant veteres similitudinum copia quadam, quas ex rebus corporeis asciscunt, quæ inter se adeo pugnant, ut misceri nequeant, nec simul consistere. Ut cum Deum aiunt esse lucem, quæ nullam tenebrarum admittit particulam. Hinc enim sequitur id omne, quod Deus est, quia lux est, sic a tenebris alienum esse, nulla ut earum obscuritate fuscari possit, hoc est peccati : cujus opera tenebris assignantur. « Lumen igitur verum, ait Gregorius papa [4], creator videlicet noster, quia nulla mutabilitatis vicissitudine tenebrescit, nullis naturæ suæ defectibus obumbratur, sed ejus esse sine mutabilitate fulgere est, tenebræ vel umbra mortis dicitur ei non inesse. » Cyrillus in illo, quem proxime

(1) HIPPOL. in excerp. 8. in collect. Anastasii pag. 232. Γέγονεν ἄνθρωπος φύσει κακίας ἀλλότριος, ὁ Λόγος Θεὸς ὁ αὐτός.

(2) CYRIL. in Esa. pag. 123. Καλοῦντος δὲ ἤδη πρὸς τοῦτο καιροῦ, τότε τῶν πρακτέων ἐλευθέραν ποιοῦνται τὴν αἵρεσιν. Ἡ δέ γε θεία, καὶ ἀνωτάτω φύσις οὐκ ἔν γε τοῖς καθ' ἡμᾶς, ἀλλ' ἐν ἰδίοις, καὶ τοῖς αὐτῇ πρέπουσιν ὑψώμασιν ἄβατος ἀεὶ πονηρίας ἐστὶ, καὶ τοὺς τῆς φαυλότητος ἀποσείεται τρόπους, οὐ πειραζομένη ποθὲν, οὐκ ὄχλησιν ὑπομένουσα, φυσικῶς δὲ μᾶλλον καὶ οὐσιωδῶς ἀπειθοῦσα τῇ πονηρίᾳ.

(3) Ibid. B. Φύσεως οὖν ἄρα τῆς θείας τὸ ἀεὶ πεπηγὸς εἰς τὸ ἀγαθὸν κατασημαίνει λέγων· ὅτι ἀπειθεῖ πονηρίᾳ τοῦ ἐκλέξασθαι τὸ ἀγαθόν. Ἀληθὲς δὲ τοῦτο καὶ ἐπ' αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ. Εἰ γὰρ καὶ γεγέννηται κατὰ σάρκα διὰ τῆς ἁγίας παρθένου, Θεὸς ὢν φύσει, καὶ ἐκ Θεοῦ πεφηνὼς ὁ Λόγος, ἀλλ' ἦν ἐκ μήτρας καὶ πρὸ αὐτῆς, μᾶλλον δὲ καὶ πρὸ παντὸς αἰῶνος ἅγιος ὡς Θεὸς, τῶν ἰδίων πλεονεκτημάτων οὐκ ἀπολισθήσας διὰ τὸ ἀνθρώπινον· ἀλλ' οὐδὲ τῶν ἀνθρωπίνων ἀμελήσας διὰ τὴν οἰκονομίαν· ἵνα πιστεύσηται κατ' ἀλήθειαν γεγονὼς καθ' ἡμᾶς, καὶ αὐτὴν ἡμῶν ἁγιάσῃ τὴν γένεσιν.

[1] Fulg. 3. ad Tras. c. 38. — [2] In Later. Syn. tom. 4. Conc. pag. 729.

[3] C. 7. § 6. — [4] Greg. M. 25. Mor. cap. 5.

ante citavimus, loco ex commentariis in Esaiam, Christi ἀναμαρτησίαν hac ipsa similitudine designat. « (1) Non alio id, *inquit*, modo dicitur, quam ut si quis de luce asserat, eam recusare esse tenebras. Non enim sustinet se non esse lucem.

Et pulcherrime in Paschali homilia 24. « (2) Apprehendit, *inquit*, semen Abrahæ, et per omnia fratribus assimilatus est, uno excepto peccato. Non enim fieri poterat, ut divina, et incorrupta natura, quæ mentem omnem, et orationem admirationemque superat, peccati laqueis caperetur. Siquidem lux est vera, et tenebræ eam non comprehenderunt. » Vides quemadmodum rationem *impeccantiæ*, quam in homine Christo fuisse profitetur, ex ipsius divinitate repetat; quæ cum lux vera sit, cuicumque communicatur sic, ut veram lucem, hoc est verum Deum, ipsum efficiat, perinde ἀναμάρτητον facit, et peccati maculæ ac labi repugnantem statum illi tribuit.

XI. Eadem vis est similitudinis illius, quæ ex igne ducitur : cujusmodi frequens apud Patres reperitur. Origenes in secundo libro de Principiis, capite sexto, ubi multa de ἀναμαρτησίᾳ animæ Christi disserit; quorum nonnulla alibi descripsi; ad extremum probat illam *nullum sensum, vel possibilitatem habuisse peccati*, candentis ferri similitudine [1]. « Ferri, *inquit*, metallum capax est frigoris et caloris. Si ergo massa aliqua ferri semper in igne sit posita, omnibus suis poris, omnibusque venis ignem recipiens, et tota ignis effecta, si neque ignis ab ea cesset aliquando, neque ipsa ab igne separetur, nunquam dicemus hanc, quæ natura quidem ferri massa est, in igne positam, et indesinenter ardentem, posse frigus aliquando recipere : quinimo, quod verius est, magis eam, sicut in fornacibus sæpe fieri oculis deprehendimus, totam ignem effectam dicimus, quoniam nec aliud in ea, nisi ignis cernitur : sed et si quis contingere, atque tractare tentaverit, non ferri, sed ignis vim sentiet. Hoc ergo modo etiam illa anima, quæ quasi ferrum in igne, sic semper in Verbo, semper in sapientia, semper in Deo posita est; omne, quod agit, quod sentit, quod intelligit, Deus est; et ideo nec convertibilis, et mutabilis dici potest, quæ inconvertibilitatem ex Verbi Dei unitate indesinenter ignita possedit. Ad omnes denique sanctos calor aliquis Verbi Dei putandus est pervenisse : in hac autem anima ipse ignis divinus substantialiter requievisse credendus est, ex quo ad ceteros calor aliquis venerit. Denique quod dixit, quia unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis, ostendit quod aliter ista anima oleo lætitiæ, id est Verbo Dei ungitur, et aliter participes ejus, id est sancti prophetæ, et apostoli. Illi enim in odore unguentorum ejus cucurrisse dicuntur; ista autem anima vasculum unguenti ipsius fuit, ex cujus fragrantia participantes digni quique prophetæ fiebant, et apostoli. Sicut ergo aliud est unguenti substantia, aliud odor ejus : ita aliud est Christus, et aliud participes sui. Et sicut vas ipsum, quod substantiam continet, et unguentum, nullo genere potest aliquid recipere fœtoris ; hi vero, qui ex odore ejus participant, si se paulo longius a fragrantia ejus removerint, possibile est ut incidentem recipiant fœtorem: ita Christus, velut vas ipsum, in quo erat unguenti substantia, impossibile fuit ut contrarium reciperet odorem. Participes vero sui, quam propinqui fuerint vasculo, tam odoris erunt participes, et capaces. »

Hæc Origenes præclare et ad rem nostram accommodate : quorum pleraque transcripsit ignotus ille scriptor, qui sub Augustini nomine librum scripsit de incarnatione Verbi [2].

XII. Alia quoque est similitudo eamdem *impeccantiam* graphice describens apud Theodoretum ex Hippolyto martyre sumpta. « (3) Arca, *inquit*, ex lignis, quæ putrescere nequeunt, fuit ipse Salvator. Illa quippe putredine intactum et corruptela, tabernaculum significabat ipsius, quod nullam peccati putredinem genuit. Nam qui peccavit, confitendo

(1) CYRILL. lib. 1. in Esa. pag. 123. Καὶ οὐ καθ' ἕτερον, οἶμαι, τρόπον, ἢ ὥσπερ ἂν εἴ τις λέγει περὶ τοῦ φωτὸς, ὅτι ἀπειθεῖ που εἶναι σκότος. Οὐ γὰρ ἀνέχεται παθεῖν τὸ μὴ εἶναι φῶς.

(2) Idem pasch. 24. tom. 5. par. 2. pag. 290. B. Ἐπελάβετο γὰρ σπέρματος Ἀβραὰμ, καὶ ὡμοιώθη κατὰ πάντα τοῖς ἀδελφοῖς, δίχα μόνης ἁμαρτίας. Οὐ γὰρ ἦν ἐφικτὸν τὴν θείαν τε, καὶ ἀκήρατον φύσιν, τὴν παντὸς ἐπέκεινα νοῦ, καὶ παρὰ λόγον, καὶ θαύματος, τοῖς τῆς ἁμαρτίας ἁλῶναι βρόχοις. Φῶς γάρ ἐστι τὸ ἀληθινον, καὶ ἡ σκοτία αὐτὸν οὐ κατέλαβεν.

(3) HIPPOL. apud Theodoretum dial. 1. pag. 36. Καὶ κιβωτὸς δὲ ἐκ ξύλων ἀσήπτων αὐτὸς ἦν ὁ Σωτήρ. Τὸ γὰρ ἄσηπτον αὐτοῦ, καὶ ἀδιάφθορον σκῆνος ταύτῃ κατηγγέλλετο, τὸ μηδεμίαν ἁμαρτήματος σηπεδόνα φῦσαν. Ὁ γὰρ ἁμαρτήσας, καὶ ἐξομολογούμενός φησι· προσώζεσαν, καὶ ἐσάπησαν οἱ μώλωπές μου ἀπὸ προσώπου τῆς ἀφροσύνης μου. Ὁ δὲ Κύριος ἀναμάρτητος ἦν, ἐκ τῶν ἀσήπτων ξύλων τὸ κατὰ ἄνθρωπον, τουτέστιν ἐκ τῆς παρθένου, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ἔσωθεν, καὶ ἔξωθεν τοῦ Λόγου τοῦ Θεοῦ, οἷα καθαρωτάτῳ χρυσίῳ περικεκαλυμμένος.

[1] Orig. Periarch. c. 6. p. 441. E.

[2] Tom. 4. Oper. Aug. in Append. pag. 497.

dicit, Putruerunt, et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ. Dominus autem impeccabilis erat, ex lignis cariem non sentientibus, qua homo fuit; hoc est e Virgine, et Spiritu sancto, intus, et foris tanquam purissimo divini Verbi auro undequaque tectus.»

Hanc posteriorem auri similitudinem usurpavit etiam Irenæus a Leontio citatus in libro primo contra Eutychianos, et ab Anastasio in Ὁδηγῷ: « (1) Quemadmodum, *inquit*, arca deaurata erat intus et foris auro purissimo: sic et Christi corpus purum erat, et splendidum, intus quidem Verbo decoratum, foris autem a Spiritu custoditum, ut ex utrisque naturarum splendor ostenderetur. »

Non minus apta comparatione Cyrillus Alexandrinus τὸ ἀναμάρτητον animæ Christi declarat in libro de recta fide ad Theodosium imperatorem: ubi Dei filium ait « (2) humanam animam propriam sibi facientem, eam peccato omni superiorem reddidisse, naturæ suæ firmitate, immutabilitateque cum illa communicata, perinde ac lanam tingendo, colore imbuisset. »

XIII. Postremo illius impeccantiæ stirpem, et causam esse junctionem humanæ cum Verbo naturæ, demonstrat generalis quidam locus in superioribus libris expositus, de statu et conditione humanitatis in Christo, ex Patrum variis sententiis contra diversos hæreticos disputantium. Quarum prima sit, quod adversus Apollinaristas contendunt, Verbum sic assumpsisse carnem, et animam humanam, uti vitiosas, et ad peccatum illicientes cogitationes neutiquam asciverit; de quo videnda sunt, quæ in libro quinto diximus [1]. Etenim peccatum nullum esse potest sine mala cogitatione: « Nec potest fieri, ut habeat mala facta, qui habet bonas cogitationes; facta enim de cogitatione procedunt: Nec quisquam potest aliquid facere, aut ad aliquid agendum membra movere, nisi primo præcesserit jussio cogitationis, » ut ait Augustinus [2]; qui et alibi [3], « Omnia, *inquit*, opera vel mala, vel bona a cogitatione procedunt. In cogitatione quisque innocens, in cogitatione reus est. » Cum igitur ex ipsa susceptione natura hominis hoc habuerit, ut nullam in se malam cogitationem, ac *nullum motum malæ voluntatis* admitteret [4], evidens est, ex conjunctione cum Verbo id assecutam hominis esse naturam, ut peccatum nullum posset facere. Porro Athanasius imprimis, tum plerique alii veteres, Apollinarem, qui animam in Christo, vel mentem fuisse negabat ideo, ne pravæ vitiosæque cogitationes, tanquam peccati semina illi obreperent, ita refellunt, ut negent humanam naturam corruptelæ huic pravarum cogitationum obnoxiam assumptam fuisse. Quod præter Athanasium, respondentem etiam Epiphanium citavimus in hæresi Dimœritarum [5].

XIV. Cujus alium nunc insignem adjungemus locum ex Ancorato libro, ubi illud idem accurate disserit. Nam cum illud ab Apollinaristis opponi solitum sibi objecisset, νοῦν, id est mentem humanam, non assumpsisse Dei filium, ne peccato esset obnoxius; ait non hoc esse consequens, imo multo verisimilius sequi ex hoc ipso, quod iidem dabant hæretici, carnem ab illo esse susceptam. Siquidem ab ea carnales, ac vitiosæ cogitationes, et actiones oriuntur. « (3) Ecquis vero dicere audebit, pro eo quod carnem Salvator assumpsit, illecebra carnis abductum: ut quæ carnis sunt, rationi minime consentanea perficeret: ut qui licet illud omne, quod cum corpore conjunctum est, etiam vilissimum, haberet, ipsamque adeo carnem, eam tamen in nulla re peccantem susceperit. Etenim Deus Verbum e cœlo a Patre progressus cum in carne degere suapte voluntate constituisset, corpus suum velut fræno quodam moderabatur, et pro voluntate sua continere ipsum ab omni carnis ordinatione poterat: atque ubi libitum erat, libere ferri permittebat ad corporeas duntaxat ejusmodi necessitates, quæ conformes essent

(1) IREN. apud Anast. pag. 166. Ὥσπερ ἡ κιβωτὸς κεχρυσωμένη ἔσωθεν, καὶ ἔξωθεν χρυσίῳ καθαρῷ ἦν, οὕτω καὶ τὸ Χριστοῦ σῶμα καθαρὸν ἦν, καὶ διαυγὲς, ἔσωθεν μὲν τῷ Λόγῳ κοσμούμενον, ἔξωθεν δὲ τῷ Πνεύματι φρουρούμενον, ἵνα ἐξ ἀμφοτέρων τὸ περιφανὲς τῶν φύσεων δειχθῇ.

(2) CYRIL. tom. 3. par. 2. pag. 17. Ψυχὴν δὲ ἰδίαν τὴν ἀνθρωπίνην ποιούμενος ἁμαρτίας αὐτὴν ἀπέφηνε κρείττονα, τῆς ἰδίας φύσεως τὸ πεπηγές τε καὶ ἄτρεπτον, οἷά περ ἐρίῳ βαφὴν, ἐγκαταχρώσας αὐτῇ.

(3) EPIPH. in Ancor. § 79. pag. 84. Τίς δὲ τολμήσει λέγειν διὰ τὸ τὸν Σωτῆρα εἰληφέναι σάρκα, σαρκὶ συναπῆχθαι, καὶ τὰ τῆς σαρκὸς οὐκ εὔλογα ἐπιτελέσαντα, ὡς τὴν τοῦ παντὸς σκεύους τοῦ ἰδίου ἀκολουθίαν ὅμως καὶ φαύλην ἐσχηκότα, καὶ σάρκα οὖσαν ἀνθρωπίνην, ἀλλ' οὐδενὶ πταίουσαν. Ὁ Θεὸς γὰρ Λόγος ἄνωθεν ἀπὸ Πατρὸς προσελθὼν, εὐδοκήσας ἐν σαρκὶ γίνεσθαι ἐχαλιναγώγει τὸ σκεῦος, καὶ ὡς ἤθελεν. Ἐπέχειν αὐτὸ ἀπὸ πάσης ἀχρειώδους τάξεως σαρκικῆς ἠδύνατο. Εἰ δὲ ἤθελεν, ἐνεδίδου. Ἐνεδίδου δὲ εἰς τὰς εὐλόγους, καὶ συμπρεπούσας τῇ αὐτοῦ θεότητι σωματικὰς χρείας.

[1] Cap. 12. § 4. et seq. — [2] In Ps. 148. p. 708. D. 2. — [3] In Ps. 118. Conc. 24. p. 569. D. 2.

[4] Aug. supra § 8. — [5] Lib. 5. c. 12. § 6.

rectæ rationi, et ipsius divinitati congruerent.»

Mox etsi carne esset, animaque præditus, negat eum propterea in peccata prolapsum esse. [1] *Peccatum* quippe *non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* « (1) Nam si vim suam inspiravit sanctis ; et quibus inspiravit, de his testimonium dicitur, eos sanctos, justos, et in diebus suis provectos sine ulla reprehensione vixisse : quanto ipse magis omnino, in quo complacuit omnem divinitatem habitare corporaliter, etsi carnem veram ex Maria semper virgine sumpserit, et humanam revera animam, atque mentem, et si quid aliud inest homini, in se ipse ita continere omnia potuit, tanquam Deus, ut nec in vitium spargerentur, neque hostis improbi fraude deliciis frangerentur, neque voluptatum caperentur illecebris, nec Adami delicto subjicerentur ? » Causam ecce τῆς ἀναμαρτησίας confert in divinitatem Verbi, et cum ea naturæ humanæ conjunctionem, quæ ab illa gubernabatur ; ut in peccatum nullo modo posset incidere.

XV. Non minus ad illam impeccantiam spectat, quod ex eadem unitione sequi monstravimus [2], carnem, sive naturam humanam propriam Dei, ac Verbi esse factam : ita ut quidquid in eam caderet, hoc in se ille reciperet, ac sibi tanquam proprium imputaret. Quare si aut peccaret homo Christus, aut peccare posset, dicere hoc fas esset ; quod vel cogitare sit impium : peccare, vel peccatum posse perpetrare Deum.

Sic illud etiam ostendimus [3], humanitatem ex Verbi consortio deificatam fuisse, quod Græci τεθεῶσθαι solent dicere. Quod etiam de voluntate Christi ejusdem usurpari ab illis docuimus [4]. Ac præsertim illud diligenter notari debet [5], ex vi, et proprietate hypostaticæ conjunctionis illud a græcis colligi theologis, non habuisse Christi animam γνωμικὸν θέλημα ; quod si haberet, peccati capacem utique futurum. Hinc enim evidens illorum est sensus, humanam naturam ex ipsa copulatione divinitatis hoc expressisse, ut peccare nullo modo posset.

Huc etiam illa pertinent, quæ de carnis Christi provectione ad divinitatem, ac dignitate illius, et excellentia, tum vivifica virtute, in libro superiore disputata sunt [6], quæ omnia sanctitatem, et ἀναμαρτησίαν prorsus οὐσιώδη, et substantivam redolent.

Ex quibus Origenis primum [7], deinde Theodori Mopsuesteni [8] opinio refellitur ; qui Christi animam putarunt ideo peccati expertem fuisse, quod magno ardentique conatu, ac totis viribus « odium mali susceperit, et vehementi, indissolubilique amore se Deo adjungens, operationem Verbi proposito suo congruentem receperit, et immutabilis deinceps ad deterius esse perseverarit : tum quod ipse hac voluntate esset ; tum quod operatione Verbi Dei hoc illi propositum servaretur. » Tanquam propositi, ac virtutis suæ merito id sit assecuta, ut in bono immobilis, et immutabilis hæreret, nec peccato implicari posset ; quemadmodum sanctis angelis accidit. Sed profani ex Origenis dogmate de creatione ante corpus animæ, commentum manavit illud, quo Theodorus, et post eum Nestorius afflati esse videntur.

(1) Ibid. § 80. Εἰ γὰρ τὴν αὐτοῦ δύναμιν ἐνέπνευσε τοῖς ἁγίοις, καὶ ἐν οἷς ἐνέπνευσε, μαρτυροῦνται ὅτι ἦσαν ἅγιοι, δίκαιοι, προβεβηκότες ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῶν, ἄμεμπτοι, πόσῳ γε μᾶλλον αὐτὸς ὅλως, ἐν ᾧ εὐδόκησε πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος κατοικῆσαι σωματικῶς ; Κἂν τε σάρκα ἀληθινὴν λάβῃ ἐκ Μαρίας ἀειπαρθένου, καὶ ψυχὴν ἀνθρωπείαν ἀληθινῶς, καὶ νοῦν, καὶ εἴ τί ἐστιν ἕτερον ἐν τῷ ἀνθρώπῳ, αὐτὸς ἐν ἑαυτῷ ἔχων τὰ ὅλα, κατεῖχε Θεὸς ὢν, μὴ μεριζόμενα πρὸς τὴν κακίαν, μὴ θρυπτόμενα ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, μὴ ἁλισκόμενα ἐν τῇ ἡδονῇ, μὴ ὑποπίπτοντα τῷ τοῦ Ἀδὰμ παραπτώματι.

[1] 1. Pet. 2. — [2] Vide l. 7. c. 10. § 11. et l. 10. c. 1. — [3] L. 4. c. 8. et lib. 10. c. 1. — [4] Lib. 9. c. 10. § 3. — [5] Vide l. 9. c. 10. et hoc ipso capite, § 9.

[6] Lib. 10. cap. 1. et 2. — [7] Lib. 2. de Princ. c. 6. — [8] Apud Leont. l. 3 adver. Nest. to. 4. Bib. col. 1015.

CAPUT UNDECIMUM.

De Christi ἀναμαρτησίᾳ rursus agitur, ad eamque notata quædam. — 1. Hæreticorum quorumdam opinio carnem omnem inquinatam esse : — 2. quam a Platonicis acceperunt. — 3. Christus similitudinem habuit carnis peccati, non carnem peccati. — 4. Neque vitiosas cogitationes habuit; — 5. quæ ex originali peccato manant, quod nullum fuit in Christo. — 6. Idque ex disputatione Patrum contra Monotheletas adstruitur. — 7. Maximi martyris locus excutitur. — 8. Probatur insuper ex Augustino illum perturbationibus caruisse. — 9. De passionibus, et propassionibus, quarum hæ fuisse dicuntur in Christo, non illæ. Hieronymi locus expensus. — 10. Explicatur apertius ambarum illarum differentia. — 11. Leonis locus, quo Christi illustratur ἀναμαρτησία. — 12. Quomodo tentatus fuerit.

I. Ut ea, quæ hactenus de Christi hominis impeccantia, et sanctitate disputata sunt, illustrentur magis, et probentur, nonnulla restant hoc exequenda capite ; quæ qui legerit, ejusmodi esse sentiet, ut a nobis minime prætermitti oportuerit.

Ex iis primo istud loco ponatur, cujus paulo ante obiter injecta mentio est [1], nullum omnino posse esse delictum, nisi ex antecedente mala cogitatione. Quam quidem necessario redundare in animam ex corporis commercio Ariani, et Apollinaristæ rati, ambas in Christo convenisse neutiquam existimarunt ; sed vel carnem duntaxat anima carentem, vel hanc sola cum carne mentis expertem. Neque vero tantummodo hæreticis istis persuasum sic fuit, qualiscumque consortio carnis fœdari animos, et pravis, ac vitiosis cogitationibus implicari : sed etiam Valentinianis, Marcionitis, Apelleianis, Manichæis, ac similibus pestibus ; quibus ob hanc causam placuit, « carnem Christi aut nullam omnino, aut quoquo modo aliam, præter humanam tribuere, ut ait Tertullianus [2], ne peccatrix caro illi imputetur. » Quod idem testatur his verbis [3] : « Caro igitur Christi de cœlestibus structa, de peccati constat elementis, peccatrix de peccatorio censu : et pars jam erit ejus substantiæ, id est nostræ, quam ut peccatricem, Christo dedignantur inducere. » Quod ideo Tertullianus dicit, ut Apelleianos refelleret, asserentes, « Angelum quemdam inclitum mundum hunc instituisse, et instituto eo, pœnitentiam admisisse. » Atqui inde sequitur mundum ipsum ex delicto procreatum esse. « Siquidem omnis pœnitentia confessio est delicti, quia locum non habet nisi in delicto. Quare si mundus delictum est, etiam partes, et membra mundi delictum erunt, perinde et cœlum, et cœlestia, et quidquid inde conceptum, prolatumque est, et mala arbor malos fructus edat necesse est. » Ita caro Christi, quamvis *de Septentrionibus, et Virgiliis*, *et Suculis emendicata*, id est de cœlesti materia formata ponitur, « de peccatorio erit censu, ideoque peccatrix. »

Hanc labem erroris hæretici illi a Platone, sive potius a Platonicis didicerunt ; ex quibus unus, etsi hæreticis iisdem, Manichæo forsan excepto, posterior Porphyrius dixit, « ut beata sit anima, corpus omne esse fugiendum : » ut testatur Augustinus [4]. In quo contradici illi a Platone magistro suo pluribus ostendit [5].

II. At Christiani theologi ex adverso pugnantes, cum carne conjunctam necessario negant esse peccati corruptelam, et vitiosas illas cogitationes, quæ ortum capiunt ex peccato, et in peccatum pertrahunt : quam *concupiscentiam* Christianæ litteræ, et harum auctoritate freti catholici doctores nominant. Inter quos maxime commemorandus est Augustinus, qui de hoc naturæ humanæ morbo omnium eruditissime disseruit tum in plerisque aliis libris, tum in quarto decimo de civitate Dei, ubi ad præsentem sermonem multa dixit accommodate : velut in tertio capite, in quo contra Platonicos demonstrat, falsum esse, « carnem causam esse in malis moribus quorumcumque vitiorum, eo quod anima carne affecta sic vivit. » « Etenim aggravamur, *inquit*, corruptibili corpore, et ipsius aggravationis causam, non naturam, substantiamque corporis, sed ejus corruptionem scimus. » Quam corruptelam cum Platonica sententia, ex eaque Virgilius, de ipso proficisci corpore statuat, « tamen aliter, ait Augustinus, se habet fides nostra. Nam corruptio corporis, quæ aggravat animam, non peccati primi est causa, sed pœna ; nec caro corruptibilis animam peccatricem, sed anima peccatrix fecit esse corruptibilem carnem. » Et capite 5. « Non igitur opus est, *ait*, in peccatis, vitiisque nostris, ad Creatoris injuriam, carnis

[1] Cap. antec. § 13.— [2] Tert. de car. Chr. c. 2.— [3] Ib. c. 8.

[4] Lib. 19. de Civit. Dei c. 26. — [5] Ib. c. 27.

accusare naturam : quæ in genere, atque ordine suo bona est, etc. » Tum, « Qui velut summum bonum laudat animæ naturam, et tanquam malum naturam carnis accusat; profecto et animam carnaliter appetit, et carnem carnaliter fugit ; quoniam id vanitate sentit humana, non veritate divina. Non quidem Platonici sicut Manichæi desipiunt, ut, tanquam mali naturam, terrena corpora detestentur ; cum omnia elementa, quibus iste mundus visibilis contrectabilisque compactus est, qualitatesque eorum Deo artifici tribuant. Verumtamen ex terrenis artubus, moribundisque membris sic affici animas opinantur, ut hinc eis sint morbi cupiditatum, et honorum, et lætitiæ, sive tristitiæ : quibus quatuor vel perturbationibus, ut Cicero appellat, vel passionibus, ut plerique verbum e verbo græco exprimunt, omnis humanorum morum vitiositas continetur. » Hæc, longiora licet, ex Augustino describere hoc loco placuit, ut hæreticorum veterum, imprimis autem Apollinaristarum, ac post eos, Eutychianorum stirpem, et originem patefacerem ; qui incarnationis Dominicæ salubrem professionem, instructi ab illis, subornatique prodiderunt : dum ut sanctitati, integritatique naturæ hominis in Christo consulant, veram illius substantiam perimunt.

III. Rursus in libro de carne Christi[1] Tertullianus Alexandri cujusdam hæretici calumniam diluit ; qui Catholicos aiebat dicere, « idcirco Christum terreni census induisse carnem, ut evacuaret in semetipso carnem peccati : tanquam ipsam carnem Christi opinarentur, ut peccatricem, evacuatam in ipso. » Contra quem Tertullianus disputans, *nec evacuatam esse* dicit, *nec peccatricem, in qua dolus non fuit.* « Defendimus autem, *inquit*, non carnem peccati evacuatam esse in Christo, sed peccatum carnis ; non materiam, sed naturam ; nec substantiam, sed culpam : secundum Apostoli auctoritatem dicentis, Evacuavit peccatum in carne. Nam et alibi [2], In similitudine, inquit, carnis peccati fuisse Christum, non quod similitudinem carnis acceperit, quasi imaginem corporis, et non veritatem. Sed similitudinem peccatricis carnis vult intelligi, quod ipsa non peccatrix caro Christi ejus fuit par, cujus erat peccatum, genere, non vitio, Adæ ; quando hinc etiam confirmamus eam fuisse carnem in Christo, cujus natura est in homine peccatrix, et sic in illa peccatum evacuatum, quod in Christo sine peccato habeatur, quæ in homine sine peccato non habebatur. »

Frequens est apud antiquos usus illius apostolici dicti, quo *in similitudinem carnis peccati*, id est carnis peccatricis, missus a Patre dicitur Filius, non tamen peccatrix caro fuisse. Et inter alios sæpe hoc usurpat Augustinus ; ut in libro decimo quarto contra Faustum, capite quinto, « [3] Misit, *inquit*, Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne. Non erat ergo illa caro peccati ; quæ non de traduce mortalitatis in Mariam per masculum venerat. Sed tamen quia de peccato est mors ; illa autem caro, quamvis ex Virgine, tamen mortalis fuit, eo ipso quo mortalis erat, similitudinem habuit carnis peccati. » Et in libro de Nuptiis et concupiscentia, capite 12. de Joseph et Mariæ nuptiis loquens, « Solus ibi, *inquit*, nuptialis concubitus non fuit ; quia in carne peccati fieri non poterat sine illa carnis pudenda concupiscentia, quæ accidit ex peccato. Sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato, non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati : ut hinc etiam doceret omnem, quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati ; quandoquidem sola, quæ non inde nata est, non fuit caro peccati. » Et alibi [4], « Non quia peccatum erat, *inquit*, non dico in Verbo Dei ; sed nec in ipsa quidem dico anima sancta, et mente hominis, quem sibi ad unitatem personæ Verbum Dei, et sapientia coaptaverat ; sed nec in ipso corpore peccatum ullum erat : sed similitudo carnis peccati erat in Domino, quia mors non est nisi de peccato, et utique corpus illud mortale erat. »

IV. Ita Chrysostomus ad illud Apostoli locum, « (1) Non enim, *inquit*, peccatricem carnem habuit Christus ; sed nostræ quidem similem, quæ est peccatrix ; verum expertem peccati, et natura eamdem nobiscum. » Ex quo etiam colligit, carnem per se malam, inquinatamque peccato non esse. Quod similiter tradit Athanasius [5], cum adversus Apollinarem probat non fuisse ἁμαρτητικοὺς λογισμοὺς, id est cogitationes malas, et ad peccatum impellentes, in

(1) CHRYS. homil. 13. in epist. ad Rom. ad c. 8. vers. 3. Οὐδὲ γὰρ ἁμαρτωλὸν σάρκα εἶχεν ὁ Χριστὸς, ἀλλ' ὁμοίαν μὲν τῇ ἡμετέρᾳ τῇ ἁμαρτωλῷ, ἀναμάρτητον δὲ, καὶ τῇ φύσει τὴν αὐτὴν ἡμῖν.

[1] Cap. 16.— [2] Rom. 8.— [3] Rom. 8. 3.— [4] In Ps. 34. Conc. 2. p. 104. C. 2.

[5] Ath. de sal. adv. Chris. p. 497. Vide sup. l. 5. c. 12. § 4. et l. 8. c. 8. et lib. 10. c. 3.

humanitate Christi ; quandoquidem nec in Adamo adhuc innocente hujusmodi fuerunt. Sed in illo perfecta non fuit ἀναμαρτησία, quia etsi peccatum tunc inerat nullum, erat tamen peccandi potestas, ex libera ejus voluntate pendens. At in Christo potestas illa non fuit, quoniam φυσικὴ in illo, hoc est naturalis, erat impeccantia, ut capite superiore dixi : nempe ὑποστατικὴ, et individuo ac singulari illi homini, cujus divina erat subsistendi proprietas, insita. Itaque naturam simplicem et integram assumpsit Verbum, et pravarum cogitationum ac libidinis, et concupiscentiæ funditus expertem. Legendus de hac re S. Epiphanius in hæresi Dimœritarum, qui sunt Apollinaristæ[1].

Basilius quoque in epistola 65. quæ est adversus hæreticos istos[2], accurate τῶν παθῶν genera distinguit. Nam alia dicit esse propria carnis ; ut secari, minui, dissolvi : alia carnis animatæ propria ; ut lassari, esurire, sitire, somnum capere : alia propria carne utentis animæ ; ut sunt tristitia, metus, sollicitudo. Ex quibus naturales alias et animanti necessarias affectiones esse dicit, alias ex depravata oriri voluntate, « (1) Itaque Dominum » asserit « naturales admisisse, et assumpsisse, ad confirmandam veræ, et non imaginariæ Incarnationis fidem : quæ autem ex peccato existunt passiones, quibus vitæ nostræ integritas inficitur, eas tanquam immaculata divinitate indignas repudiasse. Ideo scriptum esse ab Apostolo : In similitudine carnis peccati natum esse Christum. »

V. Etenim morbi illi, ac perturbationes animorum, ut et concupiscentia, peccati sunt originalis, eoque depravatæ naturæ fructus : cujusmodi nihil in homine Christo extitit. « Non enim in iniquitate conceptus est, ait Augustinus[3], quia non de mortalitate conceptus est. Nec eum in peccatis mater ejus in utero aluit, quem virgo concepit, virgo peperit, quia fide concepit, fide suscepit. Ergo ecce agnus Dei. Non habet iste traducem de Adam : carnem tantum sumpsit de Adam ; peccatum non assumpsit. Qui non assumpsit de nostra massa peccatum, ipse est qui tollit nostrum peccatum. »

Quare Basilius « (2) compactam ex sanctitate carnem esse Christi » asseverat. Et *vivifica* ob id fuisse a Patribus dicitur, præsertim a Cyrillo Alexandrino, ut alibi memini[4].

Non possum hoc loco insignem præterire locum auctoris alioqui non satis sincere catholici, Eusebii Cæsariensis : qui vel eo nomine referendus mihi videtur, quod cum Arianus fuerit[5], humanitati Christi amplissima quæque non dubitavit tribuere ; cum de ejusdem divinitate, infra quam ea merebatur, senserit ac scripserit. Sic igitur ille : « (3) Quoniam per hominem mors intravit in mundum, ut ait Apostolus[6], oportebat utique per eumdem hominem dispensari de morte victoriam, et corpus mortis corpus effici vitæ ; ac peccati regnum, quod in mortali corpore operabatur antea, subverti ; ut non amplius ei peccatum, sed justitia dominaretur. Cum autem per peccata carnis longe antea omnes homines cecidissent ; merito per immunem a peccato, et ab omni vitio intactum, de hostibus victis trophæa constituta sunt. » Præclare hic, et religiose Christi humanam carnem *vitæ corpus* appellat, et eamdem naturam ἀναμάρτητον, id est *peccato penitus inaccessam*, quod ab ea regnum peccati sit exclusum, quod primi hominis in posteros culpa diffuderat.

VI. Multum ea res in causa Monotheletarum agitata fuit, cum de duplici voluntate Christi contra illos Catholici disputarent. Nam hæretici isti, cum duas voluntates negarent inesse Christo, divinam et humanam revera significabant. Sed fallendi studio, palam, ac præ se ferebant, duas se voluntates intelligere, carnis, ac spiritus, ambas humanas, atque inter se contrarias : et hac ambiguitate Catholicis conabantur illudere. Qui quidem non gravate fatebantur illo sensu unicam tantummodo in

(1) Basil. tom. 2. pag. 853. A. Ὅθεν φαίνεται ὁ Κύριος τὰ μὲν φυσικὰ πάθη παραδεξάμενος, εἰς βεβαίωσιν τῆς ἀληθινῆς καὶ οὐ κατὰ φαντασίαν ἐνανθρωπήσεως· τὰ δὲ ἀπὸ κακίας πάθη, ὅσα τὸ καθαρὸν τῆς ζωῆς ἡμῶν ἐπιῤῥυπαίνει, ταῦτα ὡς ἀνάξια τῆς ἀχράντου θεότητος ἀπωσάμενος. Διὰ τοῦτο εἴρηται ἐν ὁμοιώματι γεγενῆσθαι σαρκὸς ἁμαρτίας.

(2) Basil. homil. 25. tom. 1. pag. 589. A. Ἐξ ἁγιωσύνης οὖν ἡ σὰρξ συμπαγεῖσα, ἀξία ἦν τῇ θεότητι τοῦ μονογενοῦς ἑνωθῆναι.

(3) Euseb. lib. 7. de Demonst. evang. cap. 2. pag. 193. Ἐπειδὴ δι' ἀνθρώπου θάνατος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον, φησὶν ὁ Ἀπόστολος, χρῆν δὴ που διὰ τοῦ αὐτοῦ ἀνθρώπου τὴν κατὰ τοῦ θανάτου βραβευθῆναι νίκην, καὶ τὸ σῶμα τοῦ θανάτου σῶμα ζωῆς ἀναδειχθῆναι, καὶ τῆς ἁμαρτίας τὴν βασιλείαν ἐν τῷ θνητῷ σώματι τὸ πρὶν ἐνεργοῦσαν καταλυθῆναι, μηκέτι ἁμαρτίας αὐτοῦ, ἀλλὰ δικαιοσύνης κρατούσης. Καὶ ἐπειδὴ διὰ τῶν τῆς σαρκὸς ἁμαρτημάτων πάλαι πρότερον ἡ πτῶσις ἐγίνετο πᾶσιν ἀνθρώποις, εἰκότως πάλιν δι' ἀναμαρτήτου, καὶ πάσης ἀχράντου κακίας τὰ κατὰ τῶν ἐχθρῶν ἀνηγείρετο τρόπαια.

[1] Epiph. hær. 77. § 26. et 27. — [2] Basil. to. 2. p. 852. D. — [3] August. Tract. 4. in Jo. to. 9. p. 15. C. 1.

[4] Vide lib. 10. cap. 2. — [5] Vide to. 2. lib. 1. de Trin. c. 11. et seq. — [6] Ro. 5. 12.

Christo voluntatem esse; confessione nimirum, et concordia. Ita Joannes IV. Romanus pontifex, in epistola ad Constantinum imperatorem, Honorium excusat, qui ad Sergium Constantinopolitanum rescribens, unam in Christo voluntatem statuerat; eo quod nullam ex Adamo trahens originis corruptelam, concupiscentiæ morbo, quæ *carnis voluntas* ab Apostolo dicitur, omnino carebat. Quod quidem ex Honorii verbis, quæ in epistola sua posuit [1], intelligitur: « Unde et unam, *inquit* [2], voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi; quia profecto a divinitate assumpta est natura nostra, non culpa. » Sed hoc fusius enarravit in Honorii defensione Joannes IV. necnon Maximus martyr in epistola ad Marinum: quæ ambo in Anastasii Collectaneis extant a R. P. Jacobo Sirmondo editis. In quibus uterque uberrime demonstrat Christum hominem, originali labe vacuum, expertem quoque fuisse conflictus illius et rixæ, quam ab Adamo communi more propagati, hoc est carnaliter geniti, quamlibet sancti, inviti licet, gemebundique tolerant. « In dispensatione, ait Joannes [3], sanctæ carnis suæ duas nunquam habuit contrarias voluntates; nec repugnavit voluntati mentis ejus voluntas carnis ipsius. Neque enim habuit quodcumque peccatum, qui venit dimittere peccatum mundi. » Quod ipsum latius deinde prosequitur.

VII. Ita etiam Maximus martyr [4]: qui et Athanasium citat, et eodem interpretatur modo, contra Apollinarem contendentem Verbum assumpsisse naturam hominis sine culpa, et carnalibus voluntatibus, humanisque cogitationibus. Sed de hoc legenda sunt, quæ in libro primo, capite 20. diximus.

Est ejusdem epistolæ Maximi ad Marinum locus [5] ab Manuele Caleca citatus [6]; in quo synodicorum Papæ mentionem facit Constantinopolim missorum, in quibus duo erant illa capitula: unum de processione Spiritus sancti ex Patre Filioque: alterum de divina Incarnatione, in quo erat, « Absque originali, et actuali peccato Dominum esse. » Quæ duo reprehensa dicit esse Maximus a Constantinopolitanis. Ac prius quidem capitulum explicat ex Romanorum mente, ut quidem existimat; sed parum probabiliter, ut alias diximus. In posteriori, « non esse opus *ait* defensione; quamvis ita calumniatoribus ob suam perversitatem videatur. » Sic enim respondisse Romanos: « Quod Christus nec in mente habuerit peccatum, secundum quod primus vitiatus fuisse apparet Adam, nec actionem mali, et operationem. » Hinc evidens est, Maximum scripsisse, secundum capitulum in synodicis litteris fuisse cujusmodi Anastasius concepit; nimirum, sine originali culpa fuisse Dominum. At Calecæ codex scriptus, quo usi sumus, negationem inserit sic: « (1) Non sine originali peccato fuisse Christum tanquam hominem. » Quod nec scripsisse puto Maximum; et falsum, ac detestandum esse Christiani omnes intelligunt: ut merito Maximus admiretur, Constantinopolitanos aliquid in eo reprehendisse. Ac fieri potest, ut vel fraude, vel librariorum oscitantia, depravata pars illa fuerit epistolæ.

VIII. Ad summam, catholica fides hunc de Christo sensum habet, ac suis præscribit; hominem assumptum a Dei filio nullis neque privatis, nec originalibus maculatum esse sordibus; ut qui naturali, et usitato more, hoc est carnali satu genitus ex Adamo non fuerit; proindeque labe concupiscentiæ, ac morbo, qui fructus est ordinariæ propagationis, caruisse penitus; humanas tamen affectiones, quæ πάθη vocantur, naturales scilicet, et alienas ab omni vitio suscepisse: verum ita, ut in potestate omnes habuerit, hoc est pro libito, et arbitrio voluntatis suæ illas excitari, operarique siverit. Quod quidem luculentissime declarat Augustinus in libro 14. de civitate Dei, capite nono; ubi Stoicos refellit, qui ἀπάθειαν in sapiente desiderabant: quam Seneca [7] latine, si auderet, *impatientiam* vocaret. Sed non audet; « ne contrarium ei, quod significare Stoici volebant, intelligeretur: is nimirum, qui nullum possit ferre malum. » Hanc igitur, quam *impassibilitatem*, si posset, libenter appellaret Augustinus, si sic dicatur, « ut animum contingere omnino non possit ullus affectus, stuporem » vocat « omnibus vitiis pejorem: » eamque ne in homine quidem, nedum in sapiente optandam esse judicat, tum in illo libro de civitate Dei quarto decimo, tum accuratius in nono libro, capite quarto. Quare nec in Christo, homine utique vero, extitisse: qui quidem naturales illas passiones adhibuit, ubi opus fuit. « Neque enim in quo verum erat hominis corpus, et verus hominis animus, falsus erat humanus affectus, etc. Verum ille hos motus, certæ dispensatio-

(1) CALEC. Μὴ δίχα τὸν Κύριον εἶναι τῆς προπατορικῆς ἁμαρτίας ὡς ἄνθρωπον.

[1] Extat in Syn. 6. Act. 12. p. 203. — [2] Ibid. p. 203. — [3] In Anast. Collect. p. 17. — [4] Ib. p. 27. — [5] Ib. p. 44. — [6] In l. cont. Gr. pro Lat. c. 38. — [7] Epist. 9.

nis gratia, ita cum voluit, suscepit animo humano, ut cum voluit factus est homo.

IX. Quamobrem, quod jam supra fusius exposui, non ceterorum more hominum rationi præibant, voluntatique illius; aut invitam eam, ac renitentem pulsabant : sed jubentem, ac fræna laxantem sequebantur. Solet hoc a theologis apta distinctione commode sic explicari, ut aliud sint πάθη, aliud προπάθειαι, hoc est *passiones*, et *propassiones*. Quod ex Hieronymo mutuati sunt : qui ad Matthæi caput 26. explanans illa verba [1], *Et assumpto Petro*, etc. *cœpit contristari, et mœstus esse*, notat « Dominum, ut veritatem probaret assumpti hominis, vere quidem contristatum esse; sed ne passio in illius animo dominaretur, per propassionem cœpisse contristari. Aliud est enim contristari, aliud incipere contristari. »

Idem rursus in commentario ad caput 18. Ezechielis, duo illa nomina passionis, et propassionis exponit; et quadruplicem in peccato gradum esse dicit, cujusmodi in humana generatione sunt pater, filius, nepos, et pronepos. Patrem in nobis esse dicit « levem punctum sensuum, et incentiva vitiorum : filium vero, si cogitatio peccatum conceperit : nepotes, si quod cogitaveris, atque conceperis, opere perpetraveris : pronepotem autem, hoc est quartam generationem, si non solum feceris quod malum est, et scelestum, sed in tuis sceleribus glorieris. » Tum ista subjicit : « Deus igitur primos, et secundos stimulos cogitationum, quas Græci προπαθείας vocant, sine quibus nullus hominum esse potest, nequaquam punit. Sed si cogitata quis facere decreverit; aut ipsa, quæ fecerit, noluerit corripere pœnitentia. »

Sed hoc in loco προπαθείας significationem nimium laxat Hieronymus, dum eo vocabulo non solum sensuum motiones, hoc est appetitus et concupiscentiæ proritationes nondum voluntatibus comprehendi vult; sed etiam conceptum malæ voluntatis, et peccati : quod tum admittitur, cum interiore animi consensu lenocinantes illas cogitationes amplectimur, tametsi nondum in effectum eruperint. Sed hæ non sunt προπάθειαι, ac ne *passiones* quidem, sive πάθη : quod nomen gravius aliquid sonat quam προπάθεια.

X. Recte ergo Petrus Lombardus [2] *propassiones* distinguit a *passionibus*, tam in peccatis, quam in pœnis peccatorum, sive *pœnalibus*, ut vocat, *affectibus* ; quæ sic discernit : « Afficitur enim quis interdum, *ait*, timore, vel tristitia, ita ut mentis intellectus non inde moveatur a rectitudine, vel Dei contemplatione : et tunc propassio est. Aliquando vero movetur, et turbatur : et tunc passio est. Christus vero non fuit ita turbatus in anima timore, vel tristitia, ut a rectitudine, vel a Dei contemplatione aliquatenus declinaret. » Quo fit ut propassiones, id est affectiones illæ *appetitus sensibilis* in Christo revera fuerint, non autem passiones, nedum peccata.

Nec illud omiserim, quod a S. Bonaventura notatum est [3], *propassionem* sic interdum accipi, ut idem sit ac *passio*. Unde et glossa quædam ad Matthæi caput 26. propassionem definit *motum subitum, cui ex ratione non consentitur :* quem motum veniale ait esse delictum. Verum alias, et proprie magis *diminuta passio* sic vocatur, *quæ sistitur infra rationem, ut ratio est*. Porro in Christo priore modo non fuit, sed posteriore; nec eodem tamen, quo in nobis accidit; quippe nihil fuit in illo præceps, et subitum, sed ad nutum rationis temperata erant omnia : ut alibi copiosius dixi [4] : nec illam prævertebant, aut secum trahebant commotiones istæ [5]. Quam in sententiam multa disseruimus in octavo libro : et legendus omnino Joannes Damascenus in libro tertio, capite 20. ex quo pauca ista modo proferemus. « (1) Naturales, inquit ille, affectiones nostræ secundum naturam, et supra naturam erant in Christo. Quippe secundum naturam in ipso movebantur, quando carni permittebat quæ ejus sunt propria perpeti. Supra naturam autem, quoniam quæ naturalia sunt, voluntatem minime præveniebant in Christo Domino. Nihil enim in eo expressum necessitate cernitur; sed omnia spontanea. »

XI. Hanc Christi carnis excellentiam, et ab communi mortalium ceterorum carne distantiam, citra detrimentum veræ, ac naturalis substantiæ, pulchre Leo papa describit adversus Eutychianam hæresim; et salubri temperamento per imminentes utrinque contrario-

(1) Damasc. lib. 3. cap. 20. Ἀμέλει τὰ φυσικὰ ἡμῶν πάθη κατὰ φύσιν, καὶ ὑπὲρ φύσιν ἦσαν ἐν τῷ Χριστῷ. Κατὰ φύσιν μὲν γὰρ ἐκινεῖτο ἐν αὐτῷ, ὅτε παρεχώρει τῇ σαρκὶ πάσχειν τὰ ἴδια. Ὑπὲρ φύσιν δὲ, ὅτι οὐ προηγεῖτο ἐν τῷ Κυρίῳ τῆς θελήσεως τὰ φυσικά. Οὐδὲν γὰρ ἠναγκασμένον ἐπ' αὐτοῦ θεωρεῖται, ἀλλὰ πάντα ἑκούσια.

[1] Matt. 26. 37. — [2] In 3. sent. Dist. 15. F. — [3] In 3. Dist. 15.

[4] L. 8. c. 12. — [5] Vide S. Thom. 3. par. qu. 15. ar. 4.

rum insidias errorum, catholicam professionem dirigit[1]. « Nativitas enim Domini, *inquit*, secundum carnem, quamvis habet quædam propria, quibus humanæ conditionis initia transcendat : sive quod solus a S. Spiritu ab inviolata Virgine sine concupiscentia carnis est conceptus, et natus ; sive quod ita visceribus matris est editus, ut et fœcunditas pareret, et virginitas permaneret : non alterius tamen naturæ erat ejus caro, quam nostra ; nec alio illi, quam ceteris hominibus, anima est inspirata principio, quæ excelleret non diversitate generis, sed sublimitate virtutis. Nihil enim carnis suæ habebat adversum, nec discordia desideriorum gignebat compugnantiam voluntatum. Sensus corporei vigebant sine lege peccati, et veritas affectionum sub moderamine deitatis, et mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat injuriis. Verus homo vero unitus est Deo, nec secundum existentem prius animam deductus est e cœlo ; nec secundum carnem creatus ex nihilo, eamdem gerens in Verbi deitate personam, et tenens communem nobiscum in corpore, animaque naturam.

Ibi causas duas refert perfectæ ἀναμαρτησίας : quæ non modo peccatum omne, hoc est voluntariam malæ rei cupiditatem excludit ; sed etiam commotionem appetitus cum recta ratione pugnantem. Altera est, quod *lege peccati*, hoc est concupiscentia penitus carebat, nec ullo desiderio pravæ rei pulsari poterat. Altera est, Dei, et mentis, sub illius gubernatione moderatio, ac rectio : quod est τὸ ἡγεμονικὸν, quo ita componebatur ac dirigebatur sensus, et appetitus, ut ab eo, quod honestum, Deoque placitum est, aberratio nulla posset obrepere.

XII. Hinc illud oritur, quod vere ibidem asserit Leo, Christum nullis tentatum illecebris fuisse peccati. Ex quo sequitur, ipsum, quamvis a diabolo appetitus sit, itidem ut homines alii, non eodem tamen modo esse tentatum. Quod discrimen consentanee iis, quæ dicimus, sic a Patribus exponitur. Homines aiunt, undecumque tentantur, intus affici ; et immissis cogitationibus, ac motionibus urgeri, etiam invitos, ac repugnantes. Siquidem peccati lenociniis, et irritamentis concupiscentiæ fatigantur vel sanctissimi, et fortissimi quique : ut tantus vir de se ipse testatur Apostolus, in ea quæ est ad Romanos[2] : ubi nativi illius, et ingeniti conflictus, qualem experiebatur in sese, illustre, ac perenne monimentum posteris constituit. « Illa est enim, ut ait Augustinus[3], pœna peccati : illa plaga, vestigiumque peccati : illa illecebra, fomesque peccati : illa lex in membris repugnans legi mentis : illa ex nobis ipsis adversus nos ipsos inobedientia justissimo reciprocatu inobedientibus reddita : cujus nos pudet, et merito pudet. » In Christo vero nullus interior motus appetitus extitit, neque pugna cogitationum aliqua : sed extrinsecus appulsa suasio, et hortatio dæmonis nihil intus agere potuit. Affirmat hoc Joannes Damascenus verbis istis : « (1) Malus, *inquit*, dæmon extrinsecus ingruebat, non per cogitationes : sicut et Adamum aggressus est. Nam et illum non per cogitationes, sed interventu serpentis est adortus. Dominus autem incursionem istam repulit, ac fumi instar dissolvit. »

Idem pluribus testatur Gregorius papa homilia 26. in Evangelia, trita, et nota hac sententia[4] : « Sciendum nobis est, quia tribus modis tentatio agitur, suggestione, delectatione, et consensu. Et nos cum tentamur, plerumque in delectationem, aut etiam in consensum labimur ; quia de carnis peccato propagati, in nobis ipsis etiam gerimus, unde certamina toleramus. Deus vero, qui in utero Virginis incarnatus, in mundum sine peccato venerat, nihil contradictionis in semetipso tolerabat. Tentari ergo per suggestionem potuit, sed ejus mentem peccati delectatio non momordit. Atque ideo omnis diabolica illa tentatio foris, non intus fuit. »

Quod autem et Adamum similiter tentatum a diabolo Joannes Damascenus affirmat ; suffragatur ei Tertullianus, qui Evam alloquens[5], « Tu es, *inquit*, divinæ legis prima desertrix ; tu es, quæ eum persuasisti, quem diabolus aggredi non valuit. »

Postremo non est omittendum Synodi quintæ decretum, quod adversus Theodorum Mopsuestenum edidit ; in quo et hoc proxime a nobis allatum de Christo homine ab omni perturbatione vacuo, et alia superius enarrata confirmat : quod in libri hujus capite secundo sub finem descripsimus.

(1) DAMASC. lib. 3. cap. 20. Ὁ μὲν οὖν πονηρὸς ἔξωθεν προσέλαβεν· οὐ διὰ λογισμῶν, ὥσπερ καὶ τῷ Ἀδάμ. Κἀκείνῳ γὰρ οὐ διὰ λογισμῶν, ἀλλὰ διὰ τοῦ ὄφεως. Ὁ δὲ Κύριος τὴν προσβολὴν ἀπεκρούσατο, καὶ ὡς καπνὸν διέλυσε.

[1] Leo ep. 11. sub finem. — [2] Rom. 7. — [3] Aug. l. 2. de Nupt. c. 9. to. 7. p. 355. D. 2.

[4] Greg. Hom. 16. ub init. — [5] Tert. l. 1. de cultu fœm sub init.

CAPUT DUODECIMUM.

De sanctitate Christi quæsita per saturam nonnulla proponuntur. — 1. Ac primo ratio profertur, ob quam videri potest peccatrix caro Christi nominanda, ex communi Patrum decreto, — 2. præsertim Tertulliani : quod tamen explicatur. — 3. Refelluntur ii, qui, ut caro Christi ab omni vitio remota censeatur, necesse putant beatam Virginem ab originali eximere macula. — 4. Vera ratio, propter quam etiamsi B. Virginis caro infecta fuisset, non itidem inquinata esset Christi caro. — 5. Altera quæstio an in lumbis Abraham decumata Christi caro fuerit. Non fuisse respondetur ex Augustino. — 6. Tertia quæstio, utrum præter causam illam sanctitatis in humanitate Christi, alia petenda sit ex habitu gratiæ, atque an istam ille habuerit. — 7. Fuisse probatur in Christo. — 8. Cujus ab S. Thoma allata ratio potissimum expenditur. — 9. Quæ ex Cassiano firmatur. — 10. Donis Spiritus sancti præditum fuisse Christum, ex Isaia demonstratur. — 11. Refellitur eorum opinio, qui sanctitatis, et impeccantiæ Christi causam non putant ex hypostatica conjunctione repetendam. — 12. Cur increata sanctitate, velut forma, homo Christus sanctus fuerit, cum ex aliis attributis denominationem non traxerit.

I. Restant ad eamdem, quam in superioribus accurate discussimus, explorandam Christi sanctitatem, explicanda quædam, sed ea perpaucis disputare libet : ideo in unum caput omnia colligemus.

Horum istud est primo loco ponendum, quod proxime declaratis capite præcedenti connexum est, et affine, de carne Christi ab omni labe vacua, corruptelaque peccati, hoc est ab contagione originalis maculæ prorsus intacta : quæque ideo caro peccatrix non fuit, sed illibata, atque sancta. Etenim peccatricem oportuisse Christi esse carnem eo modo, quo peccatrix dici potest ; quoniam videlicet de vitiosa, et infecta radice, hoc est Adami carne, propagata est ; nonnihil suadere videtur antiquorum Patrum ratio illa, qua veram, ac ceterorum similem carnem assumpsisse Verbum probant : quam quidem exposuimus in secundo libro [1]. Nam cum fidei adversarios Christianæ refellunt ; qui Deum mortali, et imbecilla carne vestiri, ac reliquorum hominum simili, indignum putabant, cum magis decuerit, si quidem homo fieri vellet, cœlestem sibi substantiam asciscere; hoc adversus illos excipiunt, eamdem debuisse naturam carnemque suspici, quæ vitiata, et infecta peccato, sic tanquam morbo laborans, curanda, et persananda veniebat : ut [2] *ubi abundavit delictum, superabundaret et gratia*. Quod si aliam quampiam sibi naturam carnis adjunxisset, non ibi remedium, ubi ægritudo inerat, adhiberet. Ita SS. Athanasius, Gregorius Nyssenus, Leo, aliique, quos illic testes adduximus. Ex quo consentaneum putari possit, ægram potius, et morbidam, si non peccato, reliquiis certe peccati, id est languoribus, et imbecillitatibus obnoxiam, ac causariam capi debuisse : ut, quod Isaias prædixit, *vere languores nostros ferret, et dolores nostros ipse portaret*. Quinam autem major est animæ languor, quam pronitas illa, et proclivitas in malum, ac malorum omnium adeo pessimum, acerbissimumque peccatum? Peccatrix ergo caro, id est, sine labe peccati, et in peccatum præceps assumi propensio debuit, ut ei medicina fieri posset.

II. Præterea Tertullianus in libro de carne Christi [3], *Apelleiacos* hæreticos ab Apelle discipulo Marcionis exortos, qui « carnis humanæ vilitatem, et ignominiam prætendentes, idcirco de sideribus illi substantiam competisse dicebant, » ex alio ipsorum decreto redarguens, « carnem Christi peccatricem de peccatorio censu » fore confitetur, si de materia sumatur peccato semel infecta ; velut de cœlesti substantia ex angeli, qui eam procrearat, delicto structa ; ut hæretici illi statuebant: quod supra capite decimo retulimus. Quare cum Adami caro, et posterorum ejus peccato vitiata sit, contendet aliquis, eam in Christo quoque, si inde est illa sumpta, fuisse corruptam.

Sed huic facile est occurrere ex alio Tertulliani loco, quem ibidem adduximus ; qui peccatricem carnem in Christo purgatam, et culpa vacuatam esse significat. Quod Apelleiani , ac similes hæretici usurpare non poterant, qui carnem natura malam, et infectam esse dicebant, adeo ut nullo ei remedio, ac piaculo consuli posset. Quod enim a natura insitum est, imo natura est ipsa, id evelli mutarique, salva re, nequit. Quod autem ex accidente, ac præter naturam, vitium incidit, dilui, ac procurari poterit. Hoc modo Christi carnem, cum est assumpta, repurgatam, et perpolitam fuisse, catholici Patres asserebant, uti « Christus mis-

[1] Cap. 16. § 3.

[2] Ro. 5. 20. — [3] Cap. 8.

sus in similitudinem carnis peccati, non sicut carnem habuit, ita habuerit peccatum, » ait Hilarius ab Augustino citatus [1]; et præterea istud addit : « Sed quia ex peccato omnis caro est, a peccato scilicet Adam parente deducta, in similitudine peccati carnis est missus, existente in eo non peccato, sed peccati carnis similitudine. »

III. Ac plerique, uti carnis a Verbo susceptæ integritatem, et expertem omnis maculæ munditiam in expedito habeant, necesse putant, eam ab stirpe ipsa, et origine repetere, materna videlicet a carne : quam ideo originali penitus labe caruisse contendunt; ne, si cum peccato concepta, eoque seme inquinata fuisse dicatur, quamvis postea purgata sit, nihilominus *peccatrix, et peccati caro* censenda veniat : tanquam veneno hoc afflata semel, imbutaque caro perfecte consanescere nequeat ; ac licet expurgata, expiataque sit, ad eum redigatur statum, in quo

> Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
> Corporeæ excedunt pestes, penitusque necesse est
> Multa diu concreta modis inolescere miris.

Quæ pestis in ipsam Christi carnem redundet, ut et ipsa peccati contagione sordescat, ac peccatrix merito vocetur.

Verum etsi B. Virginem ab omni conceptus fœditate immunem haberi patiar; de qua re postea ; tamen levis est illorum argumentatio : neque quod ea concluditur, necesse est sequi. Nam si in originali vitio concepta Virgo mater esset, non propterea contaminaretur a Dei filio caro suscepta. Certe Hildephonsus Toletanus antistes, in libro de perpetua virginitate sanctæ Mariæ [2], « hanc de carne peccati natam, et procreatam esse » credit, « et carnem fuisse peccati ; sed Spiritu sanctificatam, et emundatam : » ut *caro peccati* non jam esset, cum Christum genuit, sed in utero sanctificata, et ab originali purgata noxa antequam nasceretur; ut eodem loco affirmat Hildephonsus : de qua re post agetur. Quocirca nullis delicti originalis sordibus adspersa esset Christi caro, licet de peccatrice carne concepta foret, nedum de mundata, et eluta. Cujus rei causa ex singulari, et inusitato modo conceptus ac generationis petitur. De quo præclare scripsit Augustinus in libro 10. de Genesi ad litteram capite 18. « Et quid incoinquinatius, *inquit*, illo utero Virginis, cujus caro etiamsi de peccati propagatione venit, non tamen de peccati propagine concepit; ut ne ipsum quidem corpus Christi ea lex severit in utero Mariæ, quæ in membris posita corporis mortis, repugnat legi mentis, etc. Proinde corpus Christi, quamvis ex carne fœminæ assumptum est, quæ de illa carnis peccati propagine concepta fuerat, tamen quia non sic in ea conceptum est, quomodo fuerat illa concepta, nec ipsa caro peccati, sed similitudo carnis peccati. » Quippe ut ex Cyrillo Hildephonsus ibidem pergit dicere, « Non est natus communis homo de sancta Virgine; quia in ipsa vulva Virginis, ut ipse idem (Cyrillus) ait, utero se virginali Verbum cum carne conjunxit, et sustinuit carnalem generationem, quia carnis suæ nativitatem suam fecit, etc. Ac per hoc talis partus non est communis lege naturæ : sed sicut mirabiliter conceptus, ita mirabiliter Deus et homo natus. »

IV. Non est itaque mirum, si caro illa Christi extraordinaria vi ac lege concepta, nihil de ordinaria contagione traxit; atque, ut ait Petrus Cellensis [3], « venit Dei filius natus ex Virgine absque fermento culpæ, et tulit de massa humanæ naturæ solummodo farinam incorruptæ carnis, non fermentum, seu fomentum originalis peccati. Cribro namque Spiritus sancti eventilavit furfur iniquitatis a sacrosancta carne concepta in utero, et de utero Virginis. »

Hujus rei potest hæc afferri ratio. Peccatum originale, et quidquid ex eo vitii, et corruptelæ manat in carnem, per traducem derivatur, hoc est per naturalem, usitatamque generandi vim ac modum, ex insita, et ordinaria gignendi virtute profectum. Hoc enim solum naturæ, ejusque vi, et agendi facultati tribuitur, atque in ejus velut censu numeratur, quod naturaliter, et per totam speciem diffusa, et communi efficiendi ratione provenit. Quod autem non sine miraculo, et extraordinaria Dei efficientia minime fit, et ei potentiæ, quam *obedientialem* vocant, adscribitur; id in causarum, quas *secundas* vocant, ac *naturales*, jus ac proprietatem non cedit. Nemo enim ignem dixerit frigefacere posse, vel ferrum aquis innatare, vel aquam sanctificare, quod supra vim captumque propriæ cujusque naturæ, Deus istis rebus utatur ad operum illorum efficientiam. Talis est filii conceptus in Virgine, et ejus filii, qui Deus simul est, et homo, qui quidem ex *obedientiali*, ut vocant, virgineæ carnis *potentia*, divina virtute, non naturali est modo, et efficacitate perfectus.

[1] L. 1. cont Jul. c. 3. — [2] Hild. to. 9. Bib. col. 125. B.

[3] Petrus Cell. de Panibus cap. 4.

Ideo nullum ex ista generatione contractum est originalis culpæ vitium, quamvis contaminatam, et infectam fuisse putemus stirpem illius et radicem ; quam utique sinceram extitisse in matre Virgine post paulo demonstrabimus.

Hæc unica, et certissima ratio summæ hominis in Christo puritatis, et ἀναμαρτησίας ab omni fœditate remotissimæ : qua notata, consequens nobis erit expedita quæstio.

V. Nascitur hæc ex apostoli Pauli disputatione quadam in epistola ad Hebræos, quam et Augustinus accuratissime pertractavit, et nemo prætermisit Scholasticorum veterum : eaque de causa ne nobis quidem prætereunda videtur.

In capite septimo illius epistolæ, sacerdotii novi in Christo dignitas plurimum commendatur, ac levitico præfertur, comparatis inter se Leviticæ tribus stirpe, et auctore Abrahamo, ac Melchisedecho, qui Christi sacerdotium adumbravit; adeo ut *secundum illius ordinem sacerdos* dicatur fuisse Christus [1]. Porro Melchisedech in eo præstitisse dicitur Abrahamo, quod hic a prælio reversus [2], in quo reges ceciderat, a quibus Sodoma direpta, et abductus Loth fuerat, decumam illi ex omni præda, et manubiis obtulit; eique Melchisedech benedixit. Cum autem Levi in lumbis Abrahami comprehensus fuerit, in eo pariter decumatus fuisse videtur, et videlicet benedictione donatur. Atqui major, et excellentior est qui decumas accipit, et benedictionem confert, eo, qui illas dat, et hanc accipit. Igitur Levi sacerdotalis auctore generis, præstantior fuit Melchisedech, adeoque Christus sacerdos, cujus figuram ille referebat. Ita Paulus in illo capite septimo epistolæ ad Hebræos. At inde oritur ea, quam dixi, quæstio; an non perinde ac Levi decumatus Christus fuerit, qui et ipse secundum carnem filius Abrahami fuit, et in ejus lumbis continebatur. Huic respondet Augustinus [3], secundum quemdam modum in lumbis Abrahami non fuisse Christum, quo fuit Levi; et quo modo peccati virus originalis, et concupiscentia propagatur : « Secundum rationem quippe illam seminalem ibi fuit Levi, qua ratione per concubitum venturus erat in matrem. Secundum quam rationem non ibi erat Christi caro, quamvis secundum ipsam ibi fuerit Mariæ caro. » Et mox [4] : « Ille est igitur decimatus in Abraham, qui licet secundum carnem tantum, sic tamen fuit in lumbis ejus, quemadmodum in sui patris etiam ipse Abrahami; id est qui sic est natus de patre Abraham, quemadmodum de suo patre natus est Abraham : per legem scilicet in membris repugantem legi mentis, et invisibilem concupiscentiam, quamvis eam casta, et bona jura nuptiarum non sinant valere, nisi quantum ex ea possunt generi substituendo prospicere. Non autem et ille ibi decimatus est, cujus caro inde non fervorem vulneris, sed materiam medicaminis traxit. Nam cum ipsa decimatio ad præfigurandam medicinam pertinuerit, illud in Abrahæ carne decimabatur, quod curabatur, non illud unde curabatur. »

Huc ergo pertinet a nobis explicata paulo ante ratio; nimirum non contineri in lumbis Abrahami nisi eos, qui naturali efficientia seminis ipsius gigni, propagarique possunt ; non autem illum, quem sola obedientia concepit, non Mariæ solum, sed etiam carnis ipsius, et purissimi sanguinis : ex quo neutiquam naturali, et ordinaria virtute, sed omnipotenti sancti Spiritus efficacitate formatus est in hominem Deus. Bene hoc explicatum habes ab Philippo abbate Bonæ spei in epistola secunda, in qua propositæ huic sibi quæstioni respondet : quomodo Christus in Adamo fuerit, et tamen in Adamo non peccavit. Ait igitur in Adamo fuisse Christum, non secundum id quod peccator erat, et peccatum propagabat; nempe secundum vim seminalem, quæ cum concupiscentia gignit, et cum concupiscentia proseminat.

Mox de Abrahami lumbis quod quæsitum erat, enodat sic : in illis fuisse Christum secundum id quod traxit de illis. Nihil autem aliud traxit de illis, quam quod traxit de matre ; fuit ergo in illis secundum carnem tantum, quæ bona est creatura, non secundum concupiscentiam, qua nostra omnium inficitur genitura. Quæ Philippi oratio cum superiori nostra disputatione consentit.

VI. Tertia exinde quæstio succedit : an ita divinitate ipsa, velut forma quadam, sancta et peccati expers Christi facta sit humanitas, ut in hoc nulla alia causa quidquam contulerit. Cujus inquisitionis vis, et sensus est iste, an Christi anima creata sanctitate, et justitia, hoc est *gratia*, qua Deo grati reddimur, perfusa sit, et affecta; quæ ad illam, velut accidens qualitas ad subjectum, adhæserit.

Non est pluribus nobis in hac controversia

[1] Psal. 109. — [2] Gen. 14.

[3] Aug. l. 10. de Gen. ad lit. c. 20. — [4] Ibid.

morandum; quod alieni, hoc est Scholastici, sit instituti. Non enim apud Patres tam subtilis, et limata distinctio reperitur sanctificantis gratiæ, ut alia sit, quæ tanquam accidens, et habitus inhærescat, alia sit divinitas ipsa. Ac de hoc posteriori modo sanctificationis, copiose actum est in postremo de Trinitate libro, cum de Spiritus S. missione disseruimus. Ibi enim ostendimus ex antiquorum testimoniis, novi Testamenti hæredes, Christi merito, ac beneficio, sanctos fieri, et adoptivos filios ipsius applicatione sancti Spiritus: ita tamen ut interior habitus gratiæ, quasi vinculum quoddam et nexus intercedat. Permagnum tamen esse discrimen inter ceteros homines, adoptivosque Dei filios, et unicum ac naturalem, etiam qua hic homo est, ejusdem filium Dominum Jesum Christum. Non enim sic applicari homini justo, et cum eo copulari Spiritum sanctum, ut unum aliquid cum illo faciat substantivum: quemadmodum Verbum cum suscepta natura hominis personam constituit unam; verum σχετικὴν duntaxat, et *moralem* inter ambos illos esse junctionem, quamvis substantia ipsa divinitatis admota, ineffabili quadam ratione sanctos, et adoptivos Dei filios efficiat. In Christo vero multo plenior, excellentiorque fuit communicatio divinitatis: « Deus enim erat in eo non per gratiam, quemadmodum in ceteris plerisque hominibus, sed essentialiter per naturam, » ait Paulinus Aquileiensis [1].

VII. Atqui præter hunc divinum, ac singularem sanctitatis communicandæ modum, alterum in homine fuisse Christo, communemque cum reliquis hominibus, usitata in Scholis est sententia: quam nemo prudens temere sollicitare audeat. Ea posita est in gratiæ, ac charitatis, ceterarumque virtutum infusis habitibus, quas ἕξεις vocant; quæ sunt accidentes, et creatæ qualitates animæ: quo velut nexu ac vinculo Spiritus nobiscum sanctus conjungitur σχετικῇ, et sui tamen generis οὐσιώδει unitione; quæ in Christo multo arctior, ac plane substantiva extitit.

Hoc plerique suadere videntur e Patribus, qui Christum humano more modoque Spiritum accepisse sanctum asserunt; ut Cyrillus in libro de Recta fide: ubi ipsum ἀνθρωπίνως δέχεσθαι, id est *humanitus recipere* ait Spiritum S. idemque alii supra laudati a nobis antiqui theologi confirmant, græci pariter et latini. Scholastici vero etiam argumentando ita illud esse factum disputant, sanctum Thomam secuti [2]. Admonent tamen inter illos prudentes, et eruditi quique [3], non in decretum fidei transisse communem illam scholarum sententiam, sed eam citra novitatis temerariæ notam repudiari non posse; quinetiam nulla esse Patrum testimonia ad illam evincendam idonea satis, agnoscunt: quibus et nos merito subscribimus, et accuratiorem illius rei pertractationem, velut ab instituto alienam nostro, ut paulo ante dixi, missam facimus.

VIII. Neque tamen præteriri debet hoc loco unum de tribus argumentum, quibus habitum in Christo fuisse gratiæ probat S. Thomas. Hoc enim subinde nobis utile erit. Necessariam igitur fuisse *gratiam habitualem* affirmat, « propter habitudinem ipsius Christi ad genus humanum. Christus enim, in quantum homo, est mediator Dei, et hominum, uti dicitur 1. ad Timotheum 2. et ideo oportebat, quod haberet gratiam, etiam in alios redundantem, secundum illud Joannis primo, De plenitudine ejus omnes accepimus, et gratiam pro gratia. » Quo ex argumento colligit, in Christo tum gratiæ sanctificantis habitum extitisse, tum charitatis, ceterarumque virtutum, ac donorum: de quibus agit sigillatim. Quod eo commemorare voluimus, ut simile apud Patres occurrere ratiocinandi genus admoneremus; velut apud Novatianum in libro de Trinitate, cap. 29. ubi divinitatem sancti Spiritus approbat ita scribens: « Hic est qui in modum columbæ posteaquam Dominus baptizatus est, supra eum venit [4], et mansit habitans in solo Christo plenus, et totus, nec in aliqua mensura, aut portione mutilatus [5]: sed cum tota sua redundantia cumulate distributus, et missus; ut ex illo delibationem quamdam gratiarum ceteri consequi possint, totius sancti Spiritus in Christo fonte remanente; ut ex illo donorum, atque operum venæ ducerentur, Spiritu S. in Christo affluenter habitante. Hoc enim jam propheta Esaias aiebat [6], *Et requiescet*, inquit, *super eum spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et virtutis, spiritus scientiæ et pietatis, et implebit eum spiritus timoris Dei.* » Hic præter Spiritum sanctum, plene redundantem et habitantem in Christo, virtutes etiam, ac dona Spiritus in illum incubuisse dicuntur: non ab eo duntaxat tempore, quo ab Joanne

[1] In libello Sacrosyl. tom. 4. Conc. 316. D. — [2] In 3. Par. qu. 7. art. 1.

[3] Vide Vasquez Disp. 41. — [4] Matth. 3. — [5] Col. 2. — [6] Isa. 11.

baptismum accepit ; sed ex quo assumptus in Deum est homo. Non enim a baptismo cœpisse ait in Christo manere Spiritum sanctum ; sed ejus tantum ἐπιφάνειαν, et adspectabilem præsentiam designat.

IX. Videri potest et Cassianus infusam, et creatam in Christo agnovisse gratiam, cum in secundo libro de Incarnatione, capite sexto, sic adversus Nestorium disputat : « Sed dicas forsitan, gratiam hanc Domini nostri Jesu Christi, de qua Apostolus scribit, (nempe gratiam a Christo collatam in homines, de qua Paulus loquitur sic [1] : *Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum*,) non cum ipso natam, sed postea ei illapsu divinitatis infusam : quia et homo ipse a te Dominus Jesus Christus, quem solitarium dicis, non cum Deo natus, sed postea a Deo dicatur assumptus : ac per hoc totum homini illi gratiam, quando et divinitatem datam. Neque nos aliud dicimus, quam quod divina gratia cum divinitate descenderit ; quia et divina gratia Dei sit, et largitio quodammodo ipsius divinitatis, ac donum munificentia gratiarum. Temporis ergo inter nos forsitan putetur magis, quam rei esse distantia : quia divinitatem, quam nos cum Domino Jesu Christo natam, tu postea dicis infusam. Sed illud est, quod natam cum Domino divinitatem negans, nec postea fideliter confiteri potes, etc. » Vides ut gratiam homini infusam Christo, et in eum « cum divinitate descendisse » asserit, ac « divinitatis esse donum munificentiam gratiarum. » Ex quo efficitur distinctam ab divinitate gratiam Christo esse concessam.

Ad hæc in fine capitis, « Si autem Dei filius, *inquit*, ergo indubitanter Deus ; si autem Deus, ergo gratia Dei non carens. Neque enim ea re unquam caruit, quam ipse fecit. [2] *Gratia enim, et veritas per Jesum Christum facta est.* » Et hic locus factam, creatamque demonstrat in Christo fuisse gratiam.

X. Quod autem ex illo Isaiæ loco, qui est capite undecimo, Novatianus probat, dona illa Spiritus sancti, quæ septenario comprehensa numero ibidem agnoscit Hieronymus, Christo tanquam homini communicata fuisse, assentientes habet antiquos Patres, qui hunc locum interpretati sunt. Ex quibus Theodoretus, « (1) secundum humanitatem omnia Christum habuisse » dicit « dona Spiritus : quippe cujus e plenitudine omnes accepimus, ut divinus testatur Joannes. »

Quanquam Cyrillus, et Procopius in commentariis ad illud caput, ἐνεργείας illas esse dicunt multiplices ejusdem spiritus, qui super Christum acquievit. « (2) Est enim humanæ naturæ proprium, ait Cyrillus, ex sese, et ex naturæ propriæ conditione, nihil obtinere cœlestium charismatum ; (*Quid enim habes quod non accepisti ?* dictum est illi [3] ;) sed extrinsecus potius, et adscititiis nimirum a Deo, iisdem illis locupletari, quæ naturæ suæ captum superant. Quamobrem oportebat unigenitum Dei Verbum semetipsum ad exinanitionem demittens, non ea detrectare humilia, et abjecta, quæ sunt exinanitioni isti consentanea : ut cum natura plenus esset, acciperet tamen, propter humanitatem, non tam sui, quam nostri gratia, qui bono indigemus omni. »

Porro quemadmodum dona illa ab Isaia recensita in Christo fuerint, et quomodo iis utebatur, declarat Rupertus libro secundo Commentariorum ad eumdem prophetam. Disputant et scholastici theologi [4] de iis accuratius, ut et de virtutibus, quas theologicas nuncupant : e quibus *fidei* nullum in Christo locum extitisse consentiunt, uti nec *spei* : quod cum liquido, et beato Dei conspectu potiretur illius anima, supervacuæ in eo ambæ istæ virtutes fuerunt. De fide nominatim extat Leporii professio in Libello emendationis [5] ; cui Augustinus, et Africani alii episcopi subscripserunt. Quo in libello retractat id, quod alias in epistola sua posuerat, Christum ceterorum more hominum, fidem habuisse ; de quo Leporii loco postea dicemus.

XI. Quarta non tam quæstio, quam animadversio nostra est : non placere nobis eorum

(1) THEODORET. ad 11. Esa. Καὶ κατὰ τὸ ἀνθρώπινον δὲ πάντα εἶχε τοῦ Πνεύματος τὰ χαρίσματα. Ἐκ γὰρ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ κατὰ τὸν θεσπέσιον Ἰωάννην ἡμεῖς πάντες ἐλάβομεν.

(2) CYRILL. in Esa. pag. 193. C. Ἴδιον γὰρ ἀνθρωπότητος, τὸ οἴκοθεν μὲν ἔχειν, καὶ ὡς ἐξ ἰδίας φύσεως τῶν ἄνωθεν χαρισμάτων οὐδέν· τί γὰρ ἔχεις ὃ οὐκ ἔλαβες, εἴρηται πρὸς αὐτήν ; καταπλουτεῖν δὲ μᾶλλον ἔξωθεν τε, καὶ ἐπακτῶς, παρὰ Θεοῦ δηλονότι, τὰ ὑπὲρ φύσιν ἰδίαν. Ἔδει τοίνυν καθέντα πρὸς κένωσιν ἑαυτὸν τὸν μονογενῆ τοῦ Θεοῦ Λόγον τὸ ἐκ τῆς κενώσεως μὴ παραιτεῖσθαι σμικροπρεπὲς, καὶ πλήρη κατὰ φύσιν ὄντα δέχεσθαι διὰ τὸ ἀνθρώπινον, οὐχ ἑαυτῷ μᾶλλον, ἀλλ' ἡμῖν τοῖς ἐν ἐνδείᾳ παντὸς ἀγαθοῦ.

[1] 1. Cor. 16. — [2] Joan. 1. — [3] 1. Cor. 4. 7. — [4] Vide Mag. Sent. lib. 3. Dist. 26. et S. Tho. in part. 3. qu. 7. art. 3. et 4.

[5] Lepor. in Opusc. dogm. p. 18.

sententiam, qui *impeccantiam* Christi, vel sanctitatem illam, quam in eo infinitam agnoscimus, alteri causæ potius, quam intimæ cum Verbo conjunctioni, ac divinitati ipsi tribuendam existimant; velut *gratiæ*, quæ dicitur *habitualis;* aut divinitatis conspectui: quæ duo illi velut insita, et congenita fuerunt. Quippe neutrum horum ἀναμαρτησίαν, qualem in homine Christo inesse credimus, præstare potest; quia talis providenda nobis est, quæ sit οὐσιώδης, id est *substantiva*, non ex accidenti conveniens, et separabilis. Illa autem duo, additamenta sunt, et ornamenta substantiæ, non substantivum aliquid; quæ salva substantia, per sese perimi, et auferri queunt: quod si fieret, non esset amplius ἀναμάρτητος. At vero subsistendi modus, quo hypostasis, et suppositum constat, intimum aliquid est substantiæ, et complementum ejus ultimum, atque οὐσιῶδες, cujusmodi est divina persona cum assumpta humanitate comparata, quam sustentat, et perfecte individuam, ac singularem, hoc est *primam substantiam* facit. Itaque ad ejus substantivam integritatem pertinet. Unde redundans in eamdem ex fonte divinitatis *impeccantia* non est ei accidens, sed naturalis, et, ut quidam Patres loquuntur, *essentialis*, hoc est *substantiva*. Putare vero, cum divina persona, id est divinitate ipsa, non pugnare peccatum, et ejus admittendi potestatem, aut cum illo posse consistere, hominum est tantis de rebus parum attente, considerateque loquentium. Etenim divinitas ipsa sanctitas est, inimica peccato, et hujus commercium usquequaque refugiens, multo certe vehementius, quam Dei conspectus, in quo suprema est sita felicitas, aut habitus gratiæ, qui est animæ quidam ornatus adventitius; quæ duo si quid habent ad fugandum peccatum efficacitatis, id ab ipsa divinitate, tanquam origine, ac stirpe, derivatum obtinent. Est enim Deus αὐτόφως, id est *ipsissima lux*, in qua nulla tenebrarum inest particula; est[1] *luminum pater, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio;* ac proinde ab omni prorsus abhorrens peccati macula, quæ tenebris, et mutabilitati solet adscribi.

XII. Postremo loco dubitari potest, et a nobis ideo jure tractari, satisne cum illis cohæreat, quæ adversus Ubiquistas disputata sunt superiore in libro[2], id quod supra traditum[3] modo repetito pronuntiamus; humanam Christi naturam divina, et minime creata sanctitate *formaliter*, ut scholæ loquuntur, sanctam, et ἀναμάρτητον esse. Siquidem ostendimus illic, divinas proprietates, velut sunt immensitas, æternitas, sapientia, omnipotentia, non posse subjectum ullum afficere ac denominare, tanquam *formaliter*, nisi essentiam ipsam Dei, quacum una res et simplicissima sunt. Itaque naturam hominis in Christo nec immensam esse, nec æternam, nec omnipotentem, immensitate illa, vel æternitate, vel omnipotentia, quæ est in Deo; imo quæ Deus est. Quinam ergo fieri potest, ut ea ipsa sanctitate, quæ Deus est, tanquam forma, sancta dicatur humanitas Christi? De hoc nihil apud Patres legere memini; quare ab Scholarum doctoribus mutuo sumere oportet, quod illi respondeatur. Aiunt igitur hoc interesse inter sanctitatem, et attributa cetera, quod sanctitas sit *morale* quiddam, nec mere, ut loquuntur, *physicum:* quod nimirum ex hominum more, et prudenti judicio rationis æstimationem habet, ac dignationem; quam non solum derivat in possessores, sed in pleraque alia, quæ cum ipsis utcumque cohærent, et copulantur: quemadmodum regia, vel pontificia dignitas præter eos, quibus insunt, afficit etiam, ac denominat alia pleraque cum illis juncta, et utcumque copulata; quæ indidem pretium, et excellentiam nescio quam accipiunt. Multo ergo magis divina, et increata sanctitas, tanquam illius generis forma, cohærentem sibi, et in personæ communionem receptam hominis naturam, sanctam faciet, et peccati funditus expertem. Sed de hac re plura suppeditabunt tibi scholastici theologi: inter quos legendus præsertim eruditissimus Mæratius[4].

[1] Jac. 1. 17. — [2] Maxime c. 10. § 2. et seq. — [3] Cap. 7.

[4] Tract. de Inc. Dis. 31 Sect. 1 § 5. et seq.

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

De prædestinatione Christi. — 2. Proponitur et illustratur Apostoli locus, unde nata quæstionis illius occasio. — 3. Quid sit ὁρισθῆναι. — 4. Duplex interpretatio loci apostolici, Græcorum una, altera Latinorum; quid sit destinare, et prædestinare. — 5. Quomodo Christus prædestinatus sit, ex Apostoli mente. — 6. Et quemadmodum secundum Spiritum, et ex resurrectione mortuorum id contigerit.

I. Cum de Christi hominis gratia, et sanctitate sermonem sumus ingressi, hoc velut fundamenti loco statuimus [1], primam, ac præcipuam gratiam, et ceterarum omnium fontem esse susceptionem illius a Deo, « quo homo, nullis præcedentibus meritis, in ipso exordio naturæ suæ, quo esse cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ unitatem, ut idem ipse esset filius Dei, » ut ait Augustinus [2]. Nullam enim magis gratuitam, ut ita dixerim, gratiam esse, quam istam : quæ idcirco ab eodem Augustino in argumentum, et exemplar illius, quam gratis constare pugnat, electorum prædestinationis effertur. Quamobrem visum nobis est, præsentem de Christi gratia disputationem, ista ipsa de prædestinatione Christi quæstione concludere. Hunc enim sine præscientia Dei, ac prædestinatione, productum a Deo in hunc mundum, et ad hominum salutem editum; tum eadem benefica voluntate tantam humanæ illius naturæ destinatam gratiam, ac splendorem gloriæ, nemo rationis compos ac sui diffitebitur. Sed in hac explicanda, enucleandaque prædestinatione Christi, tot acutissimorum disputatorum ingeniis excogitatæ sunt argutiæ, ut difficile sit exitum invenire. Danda est tamen a nobis opera, ut pro instituti nostri ratione, quibus insuevimus ex principiis quæstio illa disceptetur. Ac primum velut cubile hujus explorandum est, divini auctoritas Verbi, quæ ansam theologis præbuit illius agitandæ controversiæ.

II. Paulus apostolus initio ejus epistolæ, quam scripsit ad Romanos, Christi decus ac majestatem perillustri præconio commendat, inter cetera ita loquens : (1) *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri.* Quæ verba latini interpretes linguæ suæ proprietatem secuti sic intellexerunt, ut idem ille Christus, qui ex Davidis stirpe factus dicitur, prædestinatus sit a Deo ad summam illam dignitatem filii Dei, hoc est divino consilio, et ordinatione ad illud decus ascitus. Ex quo tota illa de Christi prædestinatione nata quæstio est.

At Græci simplicius, ac facilius exponunt : quorum in codicibus legitur ὁρισθέντος, quod *destinatum*, *definitum*, ac *determinatum* proprie significat; non προορισθέντος, quod antecedentem destinationem, id est *prædestinationem* sonat. Itaque ὁρισθέντα Υἱὸν putant dici designatum velut nota aliqua, et argumento. Chrysostomus, quem ducem, et antistitem græci fere omnes enarratores adhibent, vocabulum illud pluribus synonymis explanat, idem esse dicens, atque « (2) ostensum, demonstratum, judicatum, et omnium sententia pro confesso habitum. » Atque ita totum illum locum declarat : Apostolum ait dicere Christum multis argumentis ostensum, cognitumque filium Dei; primum propheticis oraculis; deinde ex ipso modo nativitatis; quod præter usitatum ordinem nascendi de stirpe Davidis procreatus est; tertio ex virtute, hoc est ex vi prodigiorum faciendorum; quarto ex spiritu, quem in se credentibus infudit; quinto denique ex resurrectione, qua se a mortuis excitavit. Eodem modo Theodoretus, et Photius apud Œcumenium, Theophylactus, aliique complures, Apostoli locum illum accipiunt.

III. Est autem in græco, ut jam dixi, participium ὁρισθέντος. Sed verisimile est in quibusdam exemplaribus olim scriptum fuisse προορισθέντος. Certe Irenæi latinus interpres [3] ita legisse videtur in græco Irenæi; quippe *prædestinatum* ibi posuit. Et Marcellus Ancyranus προορισθέντος similiter expressit; quam ob causam ab Eusebio vapulat, et adulteratæ Scripturæ cri-

(1) ROM. 1. 4. Τοῦ ὁρισθέντος Υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει κατὰ Πνεῦμα ἁγιωσύνης ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν.

(2) CHRYS. Δειχθέντος, ἀποφανθέντος, κριθέντος, ὁμολογηθέντος παρὰ τῆς ἁπάντων γνώμης.

[1] Supr. c. 7. — [2] August. Ench. c. 40.

[3] Iren. lib. 3. cap. 32.

men ei objicitur ; quod eo consilio factum ab eo causatur Eusebius, « (1) uti Christum similiter ac mortales ceteros ostenderet præscientia fuisse prædestinatum. » Cujus rei fidem facere putat illa Marcelli verba : « (2) Quemadmodum Ecclesiam olim prædestinavit omnipotens Deus ; ita et Christi dispensationem in carne : per quem piorum hominum genus ad adoptionem vocare destinavit, cum hoc prius in mente sua fundasset. »

Epiphanius præterea sic legit eumdem locum Hæresi 54. sectione 6. Et Latinos apparet eamdem in lectionem incidisse ; velut Hilarium in libro septimo. Origenes item in commentario ad epistolam ad Romanos, testatur in latinis exemplaribus *prædestinatum* inveniri.

Igitur Græci ὁρισθέντος vocabulum sic explicant, ut Christus ceteris velut notis, et insignibus patefactus esse dicatur, ac pro Dei filio cognitus, et quasi determinatus, ac definitus. Sane Photius ex hac nominis ὅρου significatione, quæ trita est apud philosophos, sententiam illam exponit ita : Cum enim ὅρος *definitio* sit, quæ rem, ac rei naturam explicat, et ab infinita, vagaque notione, ad certam, ac determinatam redigit, merito dixisse vult Apostolum, ὁρισθῆναι Dei filium hominem illum ; hoc est sua, et peculiari proprietate, ac definitione distinctum a reliquis. « (3) Solemus enim, *ait*, quibusdam definitionibus internoscere, quæ certo, et sine illa dubitatione scimus. » Quæ interpretatio recentioribus probata plerisque, non satis mihi sapit, si *definitionem* intelligamus ejusmodi : *orationem, quæ quid sit res explicat.*

IV. Quamobrem duplex est, et probabilis utraque, loci illius apostolici ratio : altera Græcorum, Latinorum altera veterum. (Nam recentiores complures in illam propensiores videntur.) Prior habet, Jesum Christum, sive hominem illum, qui ex Davidis stirpe procreatus extitit, designatum, notatum, ac demonstratum esse, et quasi determinatum, atque extra dubitationem positum, et agnitum pro vero et germano Dei filio. Ita prorsus paraphrastes Syrus : « (4) Cognitus est, *inquit*, Dei filius. » Arabs vero, vulgatam in græco, dictione similì repræsentavit תדד; quæ est ὁρίζειν, *determinare.* Hoc modo Christum ait Apostolus variis indiciis et argumentis declaratum, ac designatum esse, uti paulo ante ex Chrysostomo diximus.

Altera Latinorum est expositio, qui *prædestinatum* legunt ; hoc est, Dei consilio, ac decreto destinatum Dei filium. Id vox ὁρίζειν proprie significat, ut alibi adnotare memini [1], cum de prædestinatione agerem. Sic ὡρισμένου βουλῇ, *consilium*, ac *propositum; voluntas fixa*, et *determinata* dicitur [2]. Et [3] *filius hominis*, *secundum quod definitum est*, *vadit :* κατὰ τὸ ὡρισμένον. Hinc etiam ὅρος τῆς πίστεως in Conciliis est constitutio, sive rata, et, deliberatione habita, decreta fidei formula. Ibidem quoque notavimus ὁρίζειν, et προορίζειν in hujusmodi pro eodem usurpari ; sicut apud Latinos *destinare*, *et prædestinare.* Siquidem ὁρίζειν, id est *destinare*, ac *decernere* aliquid faciendum, vel dandum alteri, adjunctam habet in sua notione antecessionem, etsi reipsa non exprimitur : quod fit addita particula *ante*, vel *præ.* Ita Prudentius, cum in hymno duodecimo Cathemerinon, qui est de Epiphania, dicit :

> Agnosce clara insignia
> Virtutis, ac regni tui,
> Puer o, cui trinam Pater
> Prædestinavit indolem ;

de triplici loquens Christi conditione, totidem ab Magis significata muneribus : cum *triplicem*, inquam, *indolem*, id est statum, et conditionem prædestinatam a Patre dicit esse Christo ; tantumdem ait, ac si *destinatam* simplici voce dixisset. Itaque futilis est Origenis animadversio, qui inter *destinatum*, et *prædestinatum* hanc agnoscit differentiam, quod « destinatur ille qui est, prædestinatur ille qui non est. » Atqui *destinare* aliquem, exempli causa, *consulem*, perinde ac *prædestinare*, futurum, et quod nondum est, respicit.

V. Christus igitur, ex illa significatione, *destinatus*, vel *prædestinatus* dicitur *Dei filius;* quæ locutio non decretum de re jam facta, et existente, atque ad aliquid novi comparata demonstrat ; sed faciendam, et ad hoc ipsum ,

(1) EUS. tom. 2. l. 2. cont. Marc. cap. 2. p. 12. Ὁ δὲ, οὐκ οἶδα ποίᾳ διανοίᾳ κἀνταῦθα διαστρέφει τὴν Ἀποστολικὴν λέξιν, ἀντὶ τοῦ ὁρισθέντος, ποιήσας προοριοθέντος, ἵν' ᾖ ὁμοίως τοῖς κατὰ πρόγνωσιν προορισθεῖσιν.

(2) MARC. ib. Ὥσπερ οὖν τὴν Ἐκκλησίαν πάλαι προωρίσατο ὁ παντοκράτωρ Θεὸς, οὕτω καὶ τὴν κατὰ σάρκα τοῦ Χριστοῦ οἰκονομίαν· δι' οὗ τὸ τῶν θεοσεβῶν γένος εἰς υἱοθεσίαν καλέσαι προωρίσατο, πρότερον θεμελιώσας ἐν τῇ αὐτοῦ διανοίᾳ.

(3) PHOT. Εἰώθαμεν γὰρ δι' ὁρισμῶν τινων ἐπιγινώσκειν ἀβεβαίως, καὶ οὐκ ἐν δισταγμῷ ἐπιστάμεθα.

(4) Syr. paraph. אתידע ברא דאלהא .

[1] Tom. 1. l. 9. c. 1.

[2] Act. 2. 23. — [3] Luc. 22. 22.

quod significatione sua continet, perducendam indicat. Sic *designatus consul*, non qui reipsa consulatum gerit, sed qui futurus sit, dicitur : pro quo *destinatum* dixit Suetonius [1]. Porro duas Christi naturas illo in loco declarat Apostolus, humanam, atque divinam. Priorem hæc ostendunt, *Qui factus ex semine David secundum carnem.* Posteriorem exhibent sequentia, *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute;* quasi diceret : idem ille, qui quatenus homo erat, ortum, et initium accepit ex Davidis semine, secundum potiorem, præstantioremque sui partem, filius est Dei, et ad hoc prædestinatus est. Ut enim homo assumptus est a Deo; sic ut assumeretur, ex omni æternitate destinatus, et ordinatus est, ut idem hominis filius ac Dei fieret. Ita δύναμις, sive *virtus*, aut *potentia*, pro *divinitate* sumitur, ut alibi passim : ut cum Paulus idem Christum vocat [2] *Dei virtutem;* et idem [3], *Nam et si crucifixus est*, inquit, *ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Prædestinatus est igitur Jesus ille Christus, sive ex æterno destinatus ad hoc, ut esset filius Dei, communicata ipsi virtute illa, hoc est divinitate, et vi, efficientiaque naturæ illius propria. Nec aliter S. Thomas in commentario ad illum locum. «Prœdestinatus est, *inquit*, ut si talis filius, ut habeat æqualem, imo eamdem virtutem cum Deo Patre. » Non enim adoptivus filius est ut ceteri, qui plenam illam divinitatem et virtutem non accipiunt, nec *in virtute* filii sunt, sed in similitudine, et adumbratione virtutis illius. Quemadmodum si quis dicat de humili, et abjectæ conditionis quopiam ; qualis Agathocles fuisse proditur, Destinatus est rex Siciliæ, vel ut rex Siciliæ sit, in sceptro ac diademate, plenoque dominatu, et potestate ; qui sic loquitur, nihil aliud intelligitur velle, nisi hoc; designatum esse regem, et ad principatum esse destinatum, ut sit compos insignium illorum, potestatisque regiæ.

VI. Ejusdem sunt tenoris, et ἀκολουθίας sequentia, *secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum :* nempe prædestinatus est, ut esset filius Dei, quatenus virtutem, ac divinitatem obtineret ; et quod virtutis hujus præcipuum effectum, et indicium, argumentumque fuit, vim communicandi, ac derivandi in homines Spiritus sancti. Nulla quippe res divinitatem Christi declaravit magis, et commendavit, quam ista, quod in homines Spiritum sanctum effuderit. Ideo apud Joannem [4] prædicit apostolis, tum demum intellecturos homines, cujusmodi sit, et quemadmodum a Deo sit missus, cum post mortem suam, et passionem, per se suoque nomine, et interventu, communicari fidelibus animadverterint Spiritum sanctum. *Et cum venerit*, inquit, *ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio; de peccato quidem, quia non crediderunt in me : de justitia vero, quia ad Patrem vado*, etc. Hæc autem Spiritus sancti missio et largitio, qua sanctitatis et justitiæ compotes facti sumus, tanquam fructus quidam resurrectionis ab eodem apostolo constituitur, cum ait [5], *Resurrexit propter justificationem nostram.* Idcirco Jesum Christum illic ait prædestinatum fuisse, uti Dei esset filius, et in illa opulentia virtutis, ac potestatis esset, ut sanctificantem Spiritum post resurrectionem in suos immitteret. *Secundum Spiritum sanctificationis* (inquit, vel ἁγιωσύνης, id est *sanctitatis*, ut habent græci codices) *ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri.*

Hoc longe congruentius mihi videtur, quam quod plerisque placet interpretibus, Christum *prædestinatum Dei filium* dici ab Apostolo, *ex resurrectione mortuorum*, hoc est, ut post resurrectionem suam Dei esset filius : quemadmodum Anselmus exposuit, aliique complures, ut dixi. Etenim postquam resurrexit a mortuis Christus, peculiari quadam ratione filius Dei esse, dicique cœpit, ut ex Psalmo secundo colligi videtur, ubi ita legitur : *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Cui opinioni suffragatur Hilarius in commentario ad illum Psalmum. « Cum hominis, *ait*, filius consessurus Patri, et in immortalitatem, corruptione carnis absorpta, et in viventem tunc, ac non moriturum amplius Dei filium nasceretur. » Idcirco *primogenitum a mortuis* appellari in primo ad Colossenses capite Christum aliqui putant. Sed et in Actis [6] Paulus in concione Antiochiæ Pisidiæ habita, idipsum testari videtur. Hæc est Primasii, Sedulii et supposititii Hieronymi sententia. Sed utcumque Psalmi secundi, et libri Actorum loca illa sese habeant, mihi non satis interpretatio ista probatur. Itaque in alterutra duarum, quas supra declaravimus, acquiescendum est; maxime in secunda, quæ prædestinatum esse Jesum Christum docet ad dignitatem filii Dei. De quo deinceps accuratior est instituenda disputatio.

[1] Suet. in Tib. c. 31. et in Calig. c. 12. — [2] 1. Cor. 1. 24.— [3] 2. Cor. 13. 4.

[4] Joan. 16. 8. — [5] Rom. 4. 25. — [6] Act. 13. 33.

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

Explicantur ea quæ ad prædestinationem Christi pertinent. — 1. Duobus modis spectatur, absolute, et comparative. — 2. Utraque a SS. Augustino, et Thoma declaratur. — 3. De posteriore hic agitur. — 4. Prædestinationem in Christo agnoscit Augustinus. — 5. Quæ sine merito facta, contra quam Nestorius credidit. — 6. Christum, qua Deus est, non prædestinari : — 7. sed ejus humanitatem ad hypostaticam unitionem. — 8. An hic homo in Christo prædestinatus dici possit. Respondetur posse. — 9. Quod in contrarium objectum est, dissolvitur. — 10. Prædestinatio cum sit actio intellectus, non requirit in objecto rei abs re discrimen. Expenditur opinio S. Thomæ de hac propositione, Homo non dicitur factus Deus, sed dicitur prædestinatus.

I. Prædestinatio cum sit propositum, et consilium Dei futurum aliquid destinantis, ac decernentis in æterna sua providentia, duobus modis intelligitur : primum absolute sine comparatione duarum rerum, quarum altera est is qui destinari dicitur, altera est id ad quod ordinatur ; sed simpliciter designatur id quod aliquando Deus facere decrevit : deinde cum habitudine quadam rei unius ad aliam, ut cum Petrus prædestinari dicitur ad sempiternam gloriam. Totidem modis Christi prædestinatio potest accipi. Nam et simpliciter affirmari potest, Deum prædestinasse ac decrevisse opus illud eximium, ac singulare moliri; nempe Christum, qui in eadem persona Deus esset, et homo : et comparatione facta, usurpare sic licet; Deum prædestinasse hominem ad intimam illam, et arctissimam cum Deo conjunctionem; sive hominem, humanamve naturam ad hoc destinasse, ut eadem esset cum Deo persona. Hoc autem interest inter duos istos enuntiandi modos : quod in priore nulla fit eorum, quæ prædestinationi subjecta, vel potius objecta sunt, a se mutuo distractio ; sed totum opus ipsum divinæ ordinationi conjuncte, non divise proponitur. In posteriore, quasi distincta, et secum invicem collata duo respiciuntur, cum unum ad aliud capessendum dirigitur.

II. Hanc utramque prædestinationis rationem memorat S. Thomas in commentario ad caput primum epistolæ ad Romanos. Ibi prædestinationem dicit esse antecedentem rei faciendæ dispositionem. Hanc vero duobus modis fieri posse : « Uno modo quantum ad ipsam rei constitutionem ; sicut artifex disponit qualiter debeat facere domum. » Hæc est simplex operis designatio. « Secundo modo, quantum ad ipsum usum vel gubernationem rei ; sicut aliquis disponit, qualiter debeat uti suo equo. » Ad hanc secundam, non ad primam, pertinere ait prædestinationem, de qua loquimur. Quippe, ut in primo libro de doctrina Christiana scribit Augustinus, « uti, est referre aliquid in finem, quo fruendum est ; » sed cum res in seipsa constituitur, « non dirigitur ex hoc ipso in aliud. »

Has duas prædestinationis notiones sequitur, exprimitque S. Augustinus, cum de illa contra Pelagianos disserit. Nam cum *prædestinationem* nihil aliud esse definit, nisi præscientiam eorum, quæ facere decrevit, ut in libro de Dono perseverantiæ, capite 17. et 18. cum ait, nihil aliud esse prædestinare, quam « in sua, quæ falli mutarique non potest, præscientia, opera futura disponere : » ad priorem significationem alludit. Cum autem ad vitam æternam, vel ad gratiam prædestinari homines dicit[1], posteriorem modum prædestinationis ostendit.

Ex his duabus prior quæstione caret omnino. Quis enim dubitet, Deum ex omni æternitate tum præscire, quæ in tempore moliturus est, tum futurorum operum rationem, ordinemque describere ? Itaque Christus sine ulla controversia *prædestinatus est* hoc sensu *filius Dei*, vel *ut esset filius Dei ;* quod Cyrillus Apostoli locum illum declarans expressit sic : (1) *Destinari in filium Dei*. Quippe Deus insigne illud opus facere ante decrevit, et futurum esse præscivit.

III. De solo ergo posteriore modo tota est hoc loco instituta quæstio. In qua illud imprimis tenendum, quod in iisdem illis commentariis in epistolam ad Romanos recte observatum est a S. Thoma : Prædestinationem, de qua hic loquimur, cum sit rei alicujus ordinatio ad rem aliam ; illam ipsam rem, quæ ordinatur ad alteram, intelligi jam constitutam, ac naturalibus omnibus, et necessariis ad id ut sit, instructam. « Itaque naturalia, *inquit*, proprie sub prædestinatione non cadunt : sicut non dicimus proprie, quod homo est præ-

(1) Cyr. dial de Incar. tom. 5. pag. 695. E. Ὁρίσθαι τε διϊσχυρίζεται καὶ εἰς Υἱὸν Θεοῦ.

[1] Ench. c. 100. Vide l. 9. Dogm. nost. c. 1.

destinatus habere manus. Relinquitur ergo, quod prædestinatio dicatur proprie eorum solum, quæ sunt supra naturam, in quæ rationalis creatura ordinatur. Supra autem naturam rationalis creaturæ est Deus solus, cui unitur rationalis creatura per gratiam : » nec eam qualemcumque, sed per eam, quæ gratum facit, si de communi, et ordinaria loquimur : extraordinaria vero, et singulari, « quæ est unitio in esse personali, » solus Christus Deo copulatus est. « Sicut ergo hominem esse unitum Deo per gratiam adoptionis, cadit sub prædestinationem ; ita etiam esse unitum Deo per gratiam unionis in persona, sub prædestinationem cadit. » Ita S. Thomas.

Augustinus vero multis in locis veram proprieque dictam posterioris modi prædestinationem agnoscit in Christo ; quæ illius exemplar sit, ac velut archetypum, qua electi ad gratiam, et gloriam prædestinati esse dicuntur. Testantur hoc allata ex illo loca capite sexto libri hujus ; in quibus id laborat Augustinus, ut hominem in Christo sine ullis præcedentibus meritis doceat electum et prædestinatum ad tantam esse gratiam, et dignitatem, ut non adoptivus esset, sed verus, et naturalis Dei filius : utpote eadem cum naturali Dei filio persona factus.

IV. Hoc autem [1] « præclarissimum esse » dicit « lumen prædestinationis, et gratiæ, » de qua contra Pelagianos agebat ; ut eam ipsam *prædestinationem*, qua sancti ad æternam vitam per gratis concessam gratiam destinantur, et ordinantur, sine ullis antecedentibus meritis probaret ex mera gratia, id est gratuita, et liberali Dei voluntate proficisci. Quod ut persuaderet, argumentum sumpsit ex Christo Domino, et quidem validum, ut putavit, et invictum ; siquidem hominem illum ad hanc gratiam, ut Christus esset, prædestinatum fuisse ex Pauli testimonio, de quo diximus antecedenti capite, confirmant. Nam cum asseruisset, « ea gratia fieri ab initio fidei suæ hominem quemcumque Christianum, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus ; » mox de prædestinatione concludit sic : « Hæc se Deus esse facturum profecto præscivit. Ipsa est igitur prædestinatio sanctorum, quæ in sancto sanctorum maxime claruit : quam negare quis potest recte intelligentium eloquia veritatis ? Nam et ipsum Dominum gloriæ, in quantum homo factus est Dei Filius, prædestinatum esse didicimus. Clamat Doctor gentium in capite epistolarum suarum : Paulus servus Jesu Christi vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos, in Scripturis sanctis, de filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem ; qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum. Prædestinatus est ergo Jesus, ut qui futurus erat secundum carnem filius David, esset tamen in virtute filius Dei, secundum spiritum sanctificationis, quia natus est de Spiritu sancto, et virgine Maria. Ipsa est illa ineffabiliter facta hominis a Deo Verbo susceptio singularis, ut filius Dei et filius hominis simul, et filius hominis propter susceptum hominem, et filius Dei propter suscipientem unigenitum Deum, veraciter et proprie diceretur : ne non Trinitas, sed quaternitas crederetur. Prædestinata est ista naturæ humanæ tanta, et tam celsa, et summa subvectio, ut quo attolleretur altius, non haberet : sicut pro nobis ipsa divinitas quousque se deponeret humilius, non habuit, quam suscepta natura hominis, cum infirmitate carnis, usque ad mortem crucis. Sicut ergo prædestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset, ita multi prædestinati sumus, ut membra ejus essemus. »

V. Hunc Augustini locum ideo integrum hic exscripsimus, quod plurima contineat ad enarrandam Christi prædestinationem apta, et necessaria ; loquendique certas formulas, de quibus inter se theologi anxie scrupuloseque disputant. Ipsum ergo « Dominum Jesum prædestinatum esse » dicit, « ut esset filius Dei ; » et, « illum hominem, ut filius Dei unigenitus esset : » quod ante illa verba in eodem capite posuit. Item, « prædestinatum ut esset Christus, nempe quia Christus factus est ; » quæ enim facturus erat, ea præscivit : quod esse prædestinationem asseverat. Tum prædestinatam ait esse « naturæ humanæ subvectionem, » hoc est decretam, et destinatam. Alias [2] eamdem naturam hominis prædestinatam ait esse. Hanc vero gratiam merita omnia præcessisse, nec iis adeptam et comparatam esse, studiosius inculcat tum ibidem, tum aliis pluribus in locis : ut in libro primo contra Julianum operis imperfecti, ubi inter alia ita scribit [3] : « Neque enim audebis eum dicere præcedentibus operum meritis filium Dei factum ab initio, id est a Virginis utero. Qua ergo gratia homo ille ab initio factus est bonus, eadem

[1] Aug. de Præd. Sanct. c. 15.

[2] Vide sup. cap. 6. — [3] Lib. 1. p. 198. vide et p. 201.

gratia homines, qui sunt membra ejus, ex malis fiunt boni. »

De hoc genere meriti intelligendus est Leporius in Libello emendationis, ab Augustino, et Afris aliis episcopis probatus; cum illud recantat, quod alias dixerat, in Christo fuisse *laborem*, *devotionem*, *meritum*, *fidem*. Hoc enim meritum est subvectionis illius, qua homo factus est Deus : quod merito retractavit. « Nescit, inquit paulo post, labore, devotione, fide, merito finem adprehendere meritorum, qui infinitus, et sine terminis, agit propria potestate. » Præluserat autem, ut jam dixi, Leporius Nestorianæ hæresi, quæ non longe postea succrevit. Cujus hoc fuit proprium flagitium, affirmare hominem in Christo divini Verbi consortium recte factorum merito sibi quæsiisse. Unde nefaria vox illius exorta, quam detestatur Gregorius papa libro 18. Moralium, cap. 27. [1] « Non invideo Christo Deo facto : quoniam, si volo, et ipse possum fieri. Qui Jesum Christum Dominum nostrum, non per mysterium conceptionis, sed per profectum gratiæ Deum putavit : perversa allegatione adstruens eum purum hominem natum ; sed ut Deus esset, per meritum profecisse : atque ob hoc æstimans, et quoslibet alios posse ei coæquari, qui filii Dei per gratiam fiunt. »

VI. Atque ut hæc tandem quæstio terminetur; hæc adhibenda præscriptio est : duabus ex naturis constare Christum. Itaque quod de illius prædestinatione agitur, vel de Verbo ipso, ac Deo : vel de homine, ejusque natura propria intelligi debere. Horum primum aut nullam habet, aut exiguam immorandi causam. Quippe certum ac perspicuum est, quod Toletana synodus undecima nominatim sancivit [2] : « Habet ergo in se, *ait*, geminam substantiam ; divinitatis suæ, et humanitatis nostræ. Hic tamen per hoc, quod de Deo Patre sine initio prodiit, natus tantum ; nam neque factus, neque prædestinatus accipitur : per hoc tamen, quod de Maria virgine natus est, et natus, et factus, et prædestinatus esse credendus est. »

Sic Vigilius Afer libro quinto contra Eutychem, quod in Psalmo dicitur *electus* his verbis [3], *Posui adjutorium in potente, et exaltavi electum de plebe mea ;* quod ad Christum refertur : necnon ab apostolo Petro, cum ait [4], *Lapidem ab hominibus reprobatum, a Deo autem electum ;* ad divinitatem negat pertinere. « Numquid Dei filius, ex ea natura, *inquit* [5], qua Deus est, et non ex illa potius, qua homo factus est, electus poterit appellari ; ut inde natura divinitatis eligeretur, quæ una est, et quæ in pluribus non potest deputari ? » Quo argumento utitur ad naturas duas asserendas contra Eutychem. Est autem *electus* idem plane quod *prædestinatus*, atque hoc posterius vocabulum a Toletanis Patribus liquet accipi sic, ut ordinationem unius ad alterum, tanquam ad finem, significet, non simplicem futuri operis designationem.

VII. Cum autem humana natura dupliciter usurpari soleat ; vel ut eo nomine, quod *abstractum* vocant, exprimitur ; vel ut eo, quod *concretum* dicitur : de utroque litem inter se movent subtiliores de Schola theologi ; quam veteres insuper habuerunt. Verum ex his, quæ tum ab Augustino, tum ab aliis græcis, latinisque Patribus dicta, hucusque retulimus, utrumque probe, ac legitime pronuntiari non est dubium.

Quocirca tam humana natura, vel humanitas prædestinata dici potest, quam homo prædestinatus, ut sit Deus. Ac de priori quidem reclamat sanctus Thomas [6], negatque prædestinatam esse naturam, quia proprium hoc est suppositi, vel personæ, ut sit filius Dei. Verum nihil hoc obstare deberet. Nam etsi humanitas ipsa, si præcise, abstracteque sumatur, non sit filius Dei, uti neque persona est, aut subsistens; tamen ad divinam applicata personam, fit Dei filius, et hypostasis ac persona : atque hoc modo prædestinata dici poterit, ut sit Dei filius, eo scilicet modo, quo id consequi potest, nempe ut cum Verbo copuletur. Ita enim filius Dei fit : sicut paries non ex se, sed albo tectorio inductus, fit albus. Quod autem inficiatus hoc est S. Thomas, id eo fecit, ut ne humanitas ipsa abstracto nomine concepta, Dei filius habeatur. Sane cum prædestinatio sit præfinitio quædam donorum, ac beneficiorum, quæ in tempore largiri decrevit Deus; nec dubitari possit, quin hoc singulare gratiæ genus adepta sit humana Christi natura, ut a Verbo in personæ assumptæ communionem, Deus, et Christus fieret ; quod ex Augustino supra didicimus ; perspicuum est idipsum a Deo fuisse decretum, adeoque prædestinatam ad illud capiendum hominis esse naturam.

VIII. De altero, an *homo*, vel etiam *hic homo*, prædestinatus dici queat, ut sit Deus, ac Dei

[1] Col. 481. E. — [2] Tolet. Syn. undecima, to. 4. Con. p. 819. — [3] Psal. 88. ver. 20.

[4] 2. Petr. 2. — [5] Vigil. l. 5. cont. Eut. to. 4. Bib. col. 528.— [6] In 3. Par. qu. 24. ar. 1.

filius, haud paulo est acrior in scholis contentio. Et sunt quibus istud usurpari displiceat; quod *hic homo* præsertim, vel *hic hominis filius*, subsistens aliquid, et personam significet; quæ cum in Christo divina sit, non recte dici videtur, prædestinatum esse hunc hominem ut sit id, quod esse non potest, nisi jam hic homo sit. Debet enim in hujusmodi locutione, qua prædestinatum aliquem esse dicimus, ut sit, exempli causa, rex, aut aliquid aliud, antecessio nonnulla temporis intercipi: quæ nulla potest illic cogitari, cum *hic homo*, vel *hominis filius* ne momento quidem existat, antequam Dei sit filius.

Mihi vero veterum ad usum et auctoritatem theologica decreta dirigenti aliter existimandum videtur. Complures enim illorum, ut inter alios Augustinus, non solum hominem assumptum a Deo; vel hominem hominisve filium, Dei factum esse filium, et Deum, liquido, ac diserte asserunt; sed addito etiam pronomine demonstrativo, *illum hominem*; ut in libro de Prædestinatione sanctorum, capite 15. quem locum supra descripsimus; et in aliis, quæ capite sexto hujus libri legi poterunt. Quid enim ibi *homo ille* aliud indicat, nisi singularem hominem ad tantam provectum, prædestinatumque gratiam, ut non prius in natura rerum existere, quam esse Deus inciperet?

IX. Nam quod istis in locis *concreta* pro *abstractis* vocabula, et *illum hominem* pro *humanitate illa* sumi ab Augustino eruditus theologus opponit [1], ideoque minus firmum, quod indidem capitur, argumentum esse putat, ad adstruendam hanc loquendi formulam, *hic homo prædestinatus est in Dei filium:* nihil præscriptione hac efficit; siquidem non minus *abstracta* pro *concretis* usurpantur, quam pro illis ista, tam in θεολογίᾳ, ut Græci loquuntur, hoc est in Trinitatis mysterio tractando, quam in οἰκονομίᾳ, id est *Incarnationis*, velut cum Patres sic enuntiant, *Divinitas est nata de Patre*, vel *sapientia;* aut cum dicunt, *Divinitas est incarnata.* Cujusmodi locutiones dextre, ac prudenter accipiendæ sunt. Nimirum *concreta* quæ dicuntur vocabula, naturam, ut idem theologus existimat [2], directa notione, proprieque significant: suppositum autem, ex obliquo et confuse. Quare non tantum *homo*, sed etiam *hic homo*, naturam, et quidem iste singularem, exprimit, aliqua, nec determinata personæ proprietate subsistentem. Quo fit, ut ratione considerationeque mentis præcidi ac secerni possit natura hominis individua ab modo subsistendi; et per eamdem mentis contemplationem hæc ad illam applicari; ut enuntiatio fiat ejusmodi, *Hic homo est Deus:* vel, *Hic homo factus est Deus.* Quam posteriorem, probam, et ab antiquis, ac recentibus plerisque theologis usu receptam esse, suo loco demonstravimus [3]. Quocirca si vere dicitur, *Hic homo*, vel *hic hominis filius*, *factus est Deus*, *aut Dei filius:* multo certe magis vere hoc usurpabitur, *Hic homo prædestinatus est in Dei filium.* Quod enim tempore suo Deus facturus est, id se esse facturum præscivit, ac decrevit ex omni æternitate; quod nihil aliud esse, quam prædestinationem, Augustinus affirmat.

X. Hic vero peropportuna est observatio illa S. Thomæ, quam in commentario ad caput primum epistolæ ad Romanos his verbis explicat [4]: « Prædestinatio designat actum animæ. Anima enim secundum suum intellectum, et rationem potest distinguere ea, quæ sunt secundum rem conjuncta. Potest enim aliquid de pariete albo cogitare, et loqui seorsum quidem, quantum ad hoc, quod est paries: seorsum autem, ex hoc, quod est albus. Ita etiam in prædestinatione. Nam prædestinatio potest attribui personæ Christi, secundum quod subsistit in humana natura; licet non attribuatur ei, secundum quod subsistit in divina. » Ad hoc vero non rei distinctio necessaria est, sed sufficit illa τῆς ἐπινοίας, et rationis. Sic cum dicimus, *Homo est animal*, *est rationis particeps:* cogitatione quodammodo divellimus ea, quæ nonnisi ratione discriminantur, et eadem divulsa enuntiando conjungimus.

Ceterum quod in iisdem locis sanctus Thomas adjicit, aliud est dicere, *factus est*, aliud *prædestinatus est;* eo quod *factus* designat actum realem: ac proinde rei antecessionem, non rationis solam requirit; unde veram hanc enuntiationem esse negat, *Hic homo factus est Deus;* tametsi, inquam, ita sanctus ille doctor asseverat; nihilominus contrariam sententiam magis esse Patrum usui consentaneam docuimus in capite illo octavo libri quarti. Quo etiam pertinet, quod alio loco constituimus [5], Christum *qua homo est*, vel *hunc hominem*, creaturam a plerisque Patribus citra reprehensionem appellari: nimirum ratione naturæ, et essentiæ. Si igitur cogitatione separari potest natura singularis a modo subsistendi, qui in

[1] Vasq. in 3. p. Disp. 90. cap. 3. — [2] Ib. Disp. 63. c. 4. et Disp. 90. c. 3. § 21. — [3] Lib. 4. c. 8. maxime § 14.

[4] In 5. par. qu. 24. art. 1. ad 2. et in comm. ad c. 1. ep. ad Rom. — [5] Lib. 7. cap. 16.

Christo minime creatus est; ut ideo creari dicatur hic homo, quia natura hæc hominis vera generatione producitur, et existere incipit, etsi eodem momento divina illi hypostasis, et subsistendi modus applicetur : cur non perinde dicemus hunc hominem Deum esse factum, vel creatum in Deum; ita tamen, ut cum de hristo, sive persona ipsa id efferimus, non divinæ, sed humanæ ratione naturæ congruere sentiamus? Denique hic homo, vel hæc natura hominis prius existere in rerum natura τῇ ἐπινοίᾳ et ratione, imo vero naturæ ordine cœpit, ut alibi diximus [1], quam personali affecta proprietate subsisteret.

[1] Lib. 4. c. 9. § 7.

Ex his autem vere illud, ac legitime usurpari dicendo posse colligitur, Christum, sive personam Christi, prædestinatam esse in Dei filium, vel ut Deus sit, ac Dei filius, secundum humanam naturam; quod præter S. Thomam Hugo quoque Victorinus quæstione undecima in epistolam ad Romanos tradidit.

Sed de Christi prædestinatione satis hucusque dictum sit; ac fortassis etiam plus satis. Est enim totus ille locus, uti dixi, in scholarum contentione positus, et ab instituti nostri ratione paululum deflexus; cujus, præterquam quod attulimus, nullum apud Patres vestigium occurrit.

FINIS TOMI SEXTI.

INDEX
LIBRORUM ET CAPITUM
QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

LIBER QUARTUS.

In quo de generalibus naturarum in Christo duarum affectionibus agitur, quæ ex unitione consequuntur.

CAPUT PRIMUM.

1. Proponitur libri hujus argumentum. Θεολογία, et οἰκονομία. Duplex naturarum in Christo consideratio. — 2. Propria vocabula τῆς οἰκονομίας apud Patres : ἄτρεπτον, ἀδιαίρετον, ἀσύγχυτον. — 3. Summa Christi unitas ex Vincentio Lirinensi, — 4. et ex Rustico diacono illustrata. — 5. Substantivam esse hanc unitatem. — 6. Ideo non assumpsisse hominem Dei filium, sed hominem esse factum, antiqui dixerunt. 1

CAPUT SECUNDUM.

De Joannis illa sententia, *Verbum caro factum est*. — 2. Hæretici hac abusi : Catholici vero certa ratione sunt usi, ex Cyrilli regula, — 3. contra Nestorium et Eutychem, et Apollinarem. — 4. De voce *factum est* : quæ nullam mutationem significat. — 5. Huic suffragatur quod idem evangelista subjicit, *Et habitavit in nobis*. — 6. Necnon quod assumpsisse dicitur naturam hominis. — 7. Quæ ex illa sententia commoda colligantur : quorum primum est, quod inde docemur, Filium Domini veram assumpsisse carnem, vereque ex matre genitum. — 8. Unde propria illius interpretatio traditur. Cur carnis solius meminit. — 9. Colligitur secundo, carnem fuisse propriam Verbi. Tertio unam esse personam in utraque natura subsistentem. Quarto non ante carnem extitisse, quam cum Verbo jungeretur. 4

CAPUT TERTIUM.

De differentia, et distinctione naturarum in Christo. — 1. Quæ quæstio acerrime jactata fuit, tam hæreticis, quam Catholicis occasionem illi præbentibus. — 2. Severi, ac Timothei de illa discrepans sententia. — 3. Cyrillus, aliique Catholici ansam illis dederunt. — 4. Aliud est differentia, aliud divisio : prior inest in naturis duabus Christi, non posterior. — 5. Quod ex veteribus approbatur ; — 6. etiam latinis. — 7. Theodoreti et Cyrilli super ea re conflictus. — 8. Cyrilli mens de hac controversia. — 9. Quo sensu divisio naturarum ab illo damnata ; et τὸ ἀδιαίρετον constitutum. — 10. Eulogii de eo notata sententia. — 12. Divisio absolute negata in Incarnationis mysterio, ut et in Trinitate. — 13. Naturas duas sola ratione, et cogitatione discretas antiqui Patres putaverunt. 11

CAPUT QUARTUM.

De numero naturarum ; an de iis usurpari possit. — 2. Negarunt Eutychiani : ac quidam etiam Catholici. — 4. Saltem exprimendum voce negarunt, sed animo retinendum. — 5. Quibus occasionem dederunt Patrum quorumdam sententiæ. — 7. Verum numerari debere naturas ostenditur. — 8. Futilis opinio quorumdam, non naturas ipsas, sed earum qualitates sub numerum cadere. — 9. Numerari posse naturas easdem ex Trinitatis analogia demonstratur ; — 10. et quidem sine periculo divisionis. — 15. Dissolvuntur ea, quæ initio capitis contra numeri usum proposita fuerant. 20

CAPUT QUINTUM.

Appendix antecedentis quæstionis, utrum naturæ in Christo duæ ad quantitatem continuam, an ad discretam referantur. — 1. Leontii sententia ; — 2. tum Damasceni. — 3. Basilii dictum eo pertinens ; — 4. item Ammonii. In quibus proposita quæstio disceptatur. 27

CAPUT SEXTUM.

De celebri sententia Cyrilli Alexandrini : *Ex duabus naturis unitionem esse factam : post unitionem vero unam esse naturam Verbi incarnatam in Christo*. — 1. Consilium tractandæ istius quæstionis. — 2. Quibus in locis sententiam illam Cyrillus expresserit. — 3. Quam Catholici postea frequenter usurparunt. — 4. An et antiquiores Cyrillo eadem usi sint, quæritur. — 5. Complures affirmant, præsertim de Athanasio ; — 6. aliis negantibus Athanasium ita locutum, ut Leontio ; — 7. quod valde probabile esse monstratur ; — 8. sed neque Gregorius thaumaturgus ita scripsit. Falso illi tribuitur expositio fidei ἡ κατὰ μέρος. — 9. Idem et de Julio papa probatur, cujus supposititia quædam epistola circumferebatur, quæ erat Apollinaris, — 10. et ejus dogmati favebat. — 11. De aliis ejusdem epistolis, deque Erechthio hæretico. — 12. Eutychiani illam ipsam Cyrilli sententiam falso interpretantes sæpius inculcabant. 29

CAPUT SEPTIMUM.

De sensu, et interpretatione catholica dicti illius Cyrilli, superiori capite propositi. — 2. Variæ de illo sententiæ. Quid vox φύσις significet : ac nonnulli hypostasim indicari putant : quibus favere Cyrillus ipse videtur, — 3. tum alii quidam. Φύσις et ὑπόστασις promiscue interdum sumptæ. — 4. Alii naturam significari malunt. — 5. Inquiritur causa cur Cyrillus eam sententiam ediderit. — 7. Ex quo mens ejus, et scopus colligitur, nempe ut Nestorianam divisionem, separationemque vitaret. — 8. Unde et naturam verius est intelligi, idque ex ipso Cyrillo probatur. — 9. Tum ex Isidoro Pelusiota. 36

CAPUT OCTAVUM.

1. Adversus interpretationem Cyrilliani dicti, quæ φύσιν pro natura sumit, objectum illud, naturam Verbi communem esse personis tribus; ex quo consequens sit tres personas incarnatas esse : quod dissolvitur ex naturæ varia consideratione. — 2. Naturam ergo Verbi Cyrillus consideravit, ut communis est, sed in una aliqua hypostasi. — 3. Aliter natura divina, aliter hypostasis cum humana natura conjungitur. Inter unitionem et conjunctionem differentia ab Rustico allata rejicitur. — 4. Natura divina quomodo nata, aut genita dicatur, ex Rustici observatione. — 5. Eodem recidit natura una Cyrilli, atque hypostasis una. — 6. Cur naturam unam Verbi potius expressit Cyrillus, quam humanam. — 7. De voce σεσαρκωμένη, id est *incarnatæ*, in illo Cyrilli dicto : quæ duabus naturis exprimendis servit. — 8. Quod Cyrilli testimonio declaratur; — 9. et Maximi, ac Theodoreti : qui et ambo naturam intellexere, non hypostasim. — 10. Ex Eulogio eadem illustrata Cyrilli sententia; et ex Theodoro presbytero. — 11. Maxentius perperam reprehensus super unitione naturarum. 42

CAPUT NONUM.

An ut Deus homo factus dicitur, ita et homo factus Deus. — 2. Duobus modis hoc exprimi a Græcis : primo per verbum γίνομαι; — 3. secundo per θεοῦσθαι : quod *deitari* Rusticus vertendo dixit. — 4. Quod posterius usitatissimum est, et aliquot exemplis adstruitur. — 5. Quid sit Deum natura factum hominem, fuisse hominem θέσει factum Deum. — 6. Dicitur et θεοποιεῖσθαι, et θεοπλαστίᾳ. — 7. Latini etiam usurparunt, hominem factum esse Deum. — 8. Et λογωθῆναι, id est Verbum factum esse. — 9. Cavendum tamen est ne in usu vocum hujusmodi Nestorianum virus lateat. Ἀποθεοῦσθαι, id est *divinari*, infamatum vocabulum ab Nestorio. — 10. Cur a Patribus rejectum : — 11. maxime a Joanne Damasceno. A Cyrillo tamen adhibitum. — 12. Illustrantur Petri diaconi, et aliorum quorumdam loca, in quibus homo factus Deus esse negari videtur; — 14. ut Cyrilli contra Anthropomorphitas. — 15. Scholasticorum de illa enuntiatione conflictus : inter quos negantium argumenta diluuntur. 48

CAPUT DECIMUM.

An duæ Christi naturæ ante unitionem distingui debeant, idque qua ratione dicatur. — 1. Eutychis vox, ante unitionem duas esse, post unitionem nonnisi unam. Quam a Flaviano contemptam expendit Leo papa. — 2. Quibus ex Cyrilli verbis illam expressit Eutyches, ac quemodmodum sola consideratione distinxerit Cyrillus. — 3. De distinctione κατ' ἐπίνοιαν : — 4. deque Acephalorum calumnia occasione illius. — 5. Leontium videri modum excessisse, dum ne cogitatione quidem ante unitionem naturas distrahi permittit. — 6. Ex Cyrillo itaque refellitur. — 7. Qui easdem naturas ratione dividit ante copulationem : imo etiam natura; sed ita, ut prioris et posterioris ordo inde colligi non debeat, qui ex sola temporis antecessione oritur. — 8. Ideo Cyrillus nusquam dixit, *ante unitionem*; quod Acephali deinceps usurparunt. — 9. Excutitur istorum disputatio quædam ab Rustico diacono confutata. — 10. Duplex intellectio, sive speculatio, qua unum ab alio dividi potest, et quænam naturis Christi duabus congruat. 56

CAPUT UNDECIMUM.

An temporis intervallo aliquo, vel momento saltem, humana natura Christi prius extitit, quam cum Verbo jungeretur. — 1. Contra Nestorianam hæresim disputantes Patres constanter negant : quorum pleraque testimonia proferuntur græcorum, et latinorum theologorum. — 9. Accedit et argumentum validum, quo illud adstruitur. Item aliud ex Epiphanio. 61

CAPUT DUODECIMUM.

1. Quæ sit *hominis* vocabulo subjecta notio in illis enuntiationibus, *Deus homo factus est*, vel, *Homo factus est Deus*. — 2. Commemorantur tres a Magistro sententiarum expositæ de ea re sententiæ, ex quibus Incarnationis modus, et humanitatis assumptæ ratio varie declaratur. — 3. De tribus illis sententiis, earumque interpretatione, ac discrimine, S. Thomæ, et aliorum judicium expenditur. — 4. Ex illis tertia merito respuitur, quæ cum anima et corpore non conjunctis unitum Verbum adstruit; prima vero ab nonnullis damnata, ad commodum sensum redacta defenditur. — 5. Ostenditur ex antiquis Patribus, unam aliquam substantiam hominis assumptam, et unitam esse Verbo, quod priores duæ Magistri sententiæ docent. — 7. Refellitur iterum tertia ejusdem sententia. 66

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

Quonam modo Verbum carni copulatum fuerit : hoc est, utrum interventu animæ id factum sit : aut etiam per animæ præstantiorem partem, id est mentem, cum ea, et cum corpore sit adunatum. — 2. Utrumque affirmatur ex græcis, latinisque Patribus. — 5. Quis illorum scopus fuerit in asserendo medio illo conjunctionis Dei et hominis. — 8. Et cur necessarium istud arbitrati sint. Apollinaris hæresim occasionem iis ita sentiendi dedisse. — 9. Exponitur Platonis opinio de divisione animæ rationalis, ejusque partibus; — 11. necnon Aristotelis; de quo variant sententiæ. — 12. Ex his illustratur Patrum de proposita quæstione sententia hæresi Apollinaris objecta; — 13. ac sensus illorum et mens explicatur. Scholasticorum de hac controversia altercatio perstringitur. 70

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

De ea, quam Græci vocant περιχώρησιν, Latini *circuminsessionem* naturarum in Christo duarum. — 1. De vocis illius notione, origine, et interpretatione. — 2. Cum unitione congruit. — 3. Exemplis aliquot usus illius adstruitur. — 4. Non differt a commistione, vel κράσει, qualis in hoc mysterio intelligitur, atque ita salvæ sunt naturæ, ut humana longe propemodum divina fiat : — 5. quod similitudinibus aliquot illustratur. — 7. Ideo deificata passim dicitur. — 8. Itaque περιχώρησις ista ad Incarnationis mysterium explicandum valde est accommodata. — 9. Ex ea fit, ut totus Christus sit Deus, et totus sit homo. — 10. Unde alterutrum solum nominatur interdum Jesus Christus. — 11. Eadem περιχώρησις etiam in theandricis operationibus conspicitur. — 12. Quam penes solam divinam naturam spectari veteres quidam docent : quod sola hæc penetrare possit spirituales substantias; creatura vero nequeat. 78

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

De mutua communicatione proprietatum, sive idiomatum; — 1. ac primum de nomine illius agitur, quod Græcis est ἀντίδοσις, latine *permutatio*. — 2. Explicatur ἀντιδόσεως usus et significatio. Cujusmodi Athenis usurpata sit in permutatione bonorum : et quid ab ea nostra discrepet. — 3. Definitio communicationis idiomatum; et principium, ac radix ejus, quæ est naturarum diversitas, et unitio in eadem hypostasi : nec non περιχώρησις. — 4. Origenis falsa de anima Christi sententia. — 5. Alia causa communicationis, quod unus sit Christus. — 6. Tum quod Verbum suam fecerit humanitatem; — 8. quod οἰκειοῦσθαι, et ἰδιοποιεῖσθαι Græci vocant. — 9. Ex his fontibus orta communio proprietatum illustratur e Scripturis, — 11. et conciliis, ac Patribus. — 13. Declaratur eadem communicatio, quatenus humanæ naturæ propria transferuntur in divinam : ut cum Deus nasci, et pati dicitur; — 15. et vicissim divinæ propria in humanam transeunt. 84

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

Colliguntur ex antiquis Patribus regulæ duodecim communionis proprietatum; quæ ejus usum, ac vim rationemque continent, ac dirigunt. 93

LIBER QUINTUS.

In quo de naturis Christi duabus separatim agitur.

CAPUT PRIMUM.

De natura divina, qua susceptæ carnis particeps fuit. An dicenda sit divinitas suscepisse carnem. — 2. Affirmant Patres : — 4. præsertim qui cum Cyrillo esse naturam unam incarnatam in Christo post unitionem dixerunt. Nec tamen sequitur Trinitatem ipsam, sive tres personas assumpsisse carnem. — 6. An potuerit natura ipsa divina per sese aliam assumere. Pars negans asseritur. — 7. An personæ tres diversas naturas, aut eamdem numero sibi copulare potuerint. 104

CAPUT SECUNDUM.

Ecquid unus de Trinitate dici debeat Christus, aut incarnatus, aut passus. — 1. Differre duo hæc enuntiationum genera : *Unus de Trinitate incarnatus est*, et, *Unus de Trinitate passus est*. — 1. De monachis Scythis, qui sub Hormisda papa controversiam istam excitarunt : non eos videri Eutychianos fuisse. — 3. Quomodo enuntiationes suas conceperint. — 4. Quibus de causis suspecta fuerit eorum sententia. — 5. Præcipua fuit novitas, et ne Chalcedonensis synodi labefactaretur auctoritas. — 5. Postea tamen recepta fuit; et cur probata sit, rationes proponuntur. — 9. Sensus enuntiationum ab illis jactatarum exponitur. — 10. Dissolvuntur argumenta, quæ adversus illas objici solebant : ac primum illud, quod Eutychiani in Chalcedonensi synodo institerint, ut illæ reciperentur : quod an verum sit inquiritur. — 11. Aliæ argumentationes explicantur. — 13. Alii modi propositionum illarum concipiendarum expensi : velut, unum de Trinitate esse crucifixum, et, unam personam ex sancta Trinitate, vel unum ex Trinitate, et unum in Trinitate. 107

CAPUT TERTIUM.

Usus sententiæ illius, *Christus unus est sanctæ Trinitatis* : vel, *Unus de Trinitate passus, et crucifixus*, veterum Patrum testimoniis approbatur; — 1. ac primum, synodalium decretorum. De Chalcedonensi dubitatur, an in ea sancita fuerit, aut usurpata hæc formula. Asserunt aliqui; — 2. alii negant; — 3. solvitur hic nodus ex Liberato diacono : quatenus ista synodus illam approbaverit. — 4. Theodorus Abucara perperam in ejusdem synodi definitione contineri scripsit. — 5. Aliarum synodorum, et Romanorum Pontificum consensus in eamdem vocem; — 6. tum Patrum ceterorum. 115

CAPUT QUARTUM.

De Trisagio, ut vocant, hymno; — 2. quomodo divinitus Constantinopolitanis traditus sit; et in Chalcedonensi concilio probatus. — 3. Petrus Fullo Theopaschita hunc interpolavit, appendice quadam impie adtexta, — 4. in qua multiplex hæresis latebat; quid sit Μαρωνίζειν apud Joannem Damascenum. — 5. De Petro Cnapheo, et trisagio quædam imperite prodita notantur. 6. Quemadmodum Catholici quidam hymnum istum cum appendice Petri, vel insertis nonnullis, vel commoda interpretatione orthodoxæ fidei vindicarunt. 120

CAPUT QUINTUM.

De humanæ naturæ in Christo propriis affectionibus; ac primum quæritur an sit universalis, uti græci Patres sentire videntur. — 1. Non esse definitur; — 2. idque probatur ex universalis ratione; — 3. an sit individua dubitatur, quod individuum veteres idem atque hypostasim esse putaverint. Demonstratur individuam esse; — 4. vel communem, ut est in aliquo individuo. Proprietates *individuantes*, ut vocant, naturæ utriusque declarantur : et quemadmodum inter se habeant. — 5. Tam commune, quam individuum duobus modis sumitur, in prima, et secunda intentione; et qua ratione natura humana Christi sit individua. — 6. Ex quibus explicantur multæ antiquorum Patrum sententiæ. — 7. An humana Christi natura dici possit hic homo. Conciliantur inter se contrariæ sententiæ. Non debere dici, *hic homo*, demonstrato Christo. 123

CAPUT SEXTUM.

Utrum natura hominis in Christo propriam habeat existentiam. — 1. Explicatur primo quid existentia sit, et οὐσία. Verbum *est* primum, et secundum adjacens. — 2. Deciditur quæstio, affirmando propriam tribui naturæ illi existentiam ex veterum sententia; idque ex duplici proprietatum genere ab illis constituto probatur. — 3. Existentia generica est rerum proprietas. Probatur item ex differentia Trinitatis, in qua una est trium personarum existentia; unde colligitur e contrario duas esse naturarum totidem in Incarnatione. — 4. Rursus probatur ex notione vocis hypostasis : quæ cum naturam significat, dicitur a Patribus pro existentia sumi. — 5. Idipsum Cyrilli testimonio probatur; — 6. necnon Sophronii. — 7. Cujus locus explicatur, ut et Joannis Damasceni. Existentia duobus modis usurpata, vel pro eo quod est *esse* : vel ut perfecte, completeque *esse* significat. 127

CAPUT SEPTIMUM.

An natura humana Christi proprium aliquem subsistendi modum habeat. — 1. Hujus quæstionis fructus exponi-

tur. — 2. Nestorianorum et Eutychianorum inter se comparatio. Hi duas ante unitionem hypostases agnoverunt : ac naturam idem esse cum hypostasi in creatis rebus putarunt. — 3. Quod auctoritate veterum probatur. — 4. Quidam opinati sunt, omnem substantiam, quæ separata per se consistit, esse hypostasim : velut est anima rationalis. — 5. De hypostasis conditione obiter disputatum, et quatenus ex natura, et certis proprietatibus constat. — 6. Maxime illi convenire ut per se ac seorsim cohæreat. — 7. Etiam ut pars non sit totius cujuspiam. — 8. Triplex genus proprietatum in substantia. — 9. Hypostasis et persona pro eodem usurpata in Chalcedonensi synodo. Nullum subsistendi modum proprium habere naturam hominis in Christo. — 10. Quod argumentis aliquot probatur. 132

CAPUT OCTAVUM.

Diluuntur argumenta duo contra superioris capitis doctrinam opponi solita ; — 1. quod si humanitas Christi careat proprio subsistendi modo, non sit *actu* substantia. — 2. Responsio ex Joanne Damasceno petitur, qui aliud esse ὑπόστασιν, aliud ἐνυπόστατον docet ; — 3. quod deinceps exponitur. — 4. Explicatur deinde in quo substantiæ sit essentia posita, demonstraturque non eam in *actuali*, ut vocant, *subsistendi modo* sitam esse ; sed in eo, ut ex se apta sit ad subsistendum, quod in natura humana Christi cernitur. — 5. Alterum argumentum proponitur : videri naturam humanam Christi mancam, et imperfectam esse, si ultimo complemento careat. — 6. Ideo de perfectione obiter agitur. — 7. Ea partim est οὐσιώδης, id est *substantiva ;* partim accidens naturæ. — 8. Ac proprie loquendo naturæ soli convenit, ad quam hypostasis addit proprietatem *incommunicabilis*, quam sola negatione definit Scotus. — 9. Utroque modo perfecta esse debet hypostasis, non natura singularis. — 10. Illustratur locus quidam ab Euthymio notatus, de imaginum habitudine ad archetypum, et quatenus hypostasi ambo non discrepant. 138

CAPUT NONUM.

An Verbum naturam per se subsistentem potuit assumere. — 1. Leontius affirmans quo sensu tolerandus sit, aut reprehendendus. — 2. Negant alii assumi potuisse hypostasim. — 4. Cujus ratio redditur. — 5. Probatur idipsum Athanasii auctoritate, cujus illustratur locus. 144

CAPUT DECIMUM.

An naturæ hominis ad Verbum accessio quaternitatem in Deum referat. — 1. Hæretici Nestoriani, et Eutychiani Catholicis, et hi vicissim illis istud exprobrabant. — 2. Nestorii hæresis obiter explicata ; — 3. ob quam merito illis objecta est quaternitas a Catholicis : quod multis veterum testimoniis illustratur. — 6. Qua ratione idem Eutychianis objectum fuit. Ea multiplex exponitur. — 8. Monophysitæ vicissim id Catholicis objiciebant. — 9. Sed isti solide hanc calumniam propulsarunt : ex eoque, quod non hypostasim, sive personam, sed naturam Deus assumpsit. Quod quidem variis antiquorum Patrum sententiis explicatur. 147

CAPUT UNDECIMUM.

De humanæ Christi naturæ perfectione, quam Græci οὐσιώδη, Latini substantivam nominant : — 1. in quo Arianos præsertim, et Apollinaristas infestos habemus ; quorum illi animam, isti partem animæ detrahunt. — 2. Tam corpore, quam anima integrum fuisse Christum, e Scripturis ostenditur ; — 4. præsertim qua hominem fuisse Christum docent. — 5. Probatur idem ex Conciliis, maxime generalibus ; — 7. tum argumentis ex Patribus collectis. Velut quod si pars alterutra deesset, non esset homo verus. — 9. Alter locus argumentandi ex fine Incarnationis, et consilio Dei ; qui hoc voluit, ut homo ab homine redimeretur. — 10. Item quod mediator esse Christus debuit, adeoque verus homo, verusque Deus, et utrique consubstantialis. — 11. Ad hæc, totum et integrum hominem liberari oportuit, unde et assumi : quæ ratio frequens est in usu Patrum. 154

CAPUT DUODECIMUM.

Arianorum, et Apollinaristarum argumenta præcipua, quibus humanæ Christi naturæ integritatem impugnabant. — 2. Cur Ariani animam Christo detraxerint. Primus illorum argumentandi locus, quod divinitas animæ vices ac mentis suppleret. — 3. Alterum argumentum, quod duo perfecta eidem inesse Christo non poterant, ubi de quaternario in Christo obiter nonnulla. — 4. Tertius locus argumentandi, quod si mens humana esset assumpta, cogitationes carnales, et vitiosæ in Christo fuissent, adeoque peccati expers non fuisset. Refellitur ista ratio ex eo, quod ne in Adamo quidem ante lapsum, ejusmodi fuerint. — 5. Athanasii locus quidam, quo Monotheletæ abusi sunt, exponitur : ac de voluntate γνωμικῇ pauca traduntur, quæ in Christo non fuisse dicitur. — 6. Aliud argumentum Apollinaris, quod duo essent ἡγεμονικὰ in Christo. Id vero confutatur : et de ἡγεμονικῷ aliqua disputantur. 163

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

Ecquid Christus dicendus sit ex tribus constare substantiis. — 1. Nonnullorum Patrum affirmantes sententiæ. — 4. Aliorum negantes. — 6. Etsi magis propria sit locutio ista, quæ Christum ex duabus naturis compositum esse dicit : non ea tamen damnanda, quæ ex tribus constituit. 167

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

An Deus sive Verbum in Incarnatione gigni dicatur, et quo sensu. — 2. Nestorius id acerrime negavit. — 3. Sed contrarium e Scripturis ostenditur ; — 4. tum ex Conciliis, et Symbolis. — 5. Item ex antiquissimorum Patrum auctoritate, primum græcorum, — 8. deinde latinorum. 170

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

An sit, et qua ratione, mater Dei Maria virgo, quod Græci Θεοτόκον vocant. — 1. Explicata vox illa : τίκτειν non solum est parere, sed etiam gignere. — 2. Unde Θεοτόκος utraque notione dicitur B. Virgo. — 3. Quam magni momenti sit nomen istud. — 4. Quod a Nestorio impugnatum. — 5. Qui et usum ejus certa cautione permisit. — 5. Socratis historici de Nestorio notatum judicium. — 6. Primum S. Leonem Dei matrem appellasse diserte, falso quidam prodiderunt. Sed antiquior est usus. — 7. Cyrillus quosdam antiquos citat, qui ea voce sunt usi, ac de eo nonnihil consideratione dignum. — 8. Expenduntur auctores ab illo citati. — 9. Enumerantur alii, et quidem antiquiores, qui B. Virginem ita nominarunt. 178

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

Declaratur vocabuli Θεοτόκου ratio, ob quam B. Mariæ virgini proprie convenit. — 1. Ac primum ostenditur, Christum ex matris substantia aliquid traxisse, contra quam veteres hæretici opinati sunt. — 2. Qui e Scripturis convicti, tum ex antiquioribus Patribus, ut Ignatio, — 3. Irenæo, — 4. Tertulliano, — 5. et aliis. Lucæ locus illustratur ; — 6. argumentis itidem approbatur ; quia non esset alioqui filius hominis ; — 8. nec de semine Davidis. 186

CAPUT SEPTIMUMDECIMUM.

Colligitur ex superiori disputatione, B. Virginem vere, ac proprie esse Dei genitricem. — 1. Prima ratio, quod Deum verum, et proprie dictum genuit; — 2. quæ ratio antiquorum testimoniis illustratur, — 3. maxime Synodi quintæ. — 4. Vocum illarum duarum, *vere* ac *proprie*, vis exponitur. — 6. Alia ratio, quod unus, et idem sit Mariæ filius, qui est Dei. — 8. Tertia ratio, quod in Virginis utero, ac de eo Verbum sibi carnem finxit. — 9. Quarta ratio, quod assumpta caro propria Verbi facta est. Ex quibus omnibus veterum auctoritate comprobatis, efficitur, B. Mariam veram proprieque dictam esse Dei genitricem. 192

CAPUT OCTAVUMDECIMUM.

De aliis affinibus vocabulis ab hæreticis inventis, ut θεοτόκου nomen obliterarent. — 1. De χριστοτόκῳ; qua ratione repudiatum sit a Catholicis. — 2. Posse tamen recte, et catholice usurpari. — 3. De ἀνθρωποτόκῳ, et Theodoreti de eo sententia; cujus locus illustratur: et contraria Cyrilli. 198

CAPUT NONUMDECIMUM.

De iis, quæ adversus θεοτόκου nomen ab hæreticis objici solebant. — 2. Primum Nestorii argumentum, quod B. Virgo divinitatem non genuit. Cui ex Cyrillo respondetur. Duplex generatio Verbi, quarum posterior in tempore facta. — 2. Nec obstat quominus Dei genitrix sit, quod divinitati initium non dederit: sicut hominis cujuscumque mater nihilominus est, etsi animam non generet. — 3. An divinitas genita vel nata dici possit ex Virgine. — 4. Gregorii Nazianzeni locus illustratur, et expenditur. — 5. Tum Hilarii, de quo nonnullorum velitatio proposita, et disceptata. — 6. Aliud argumentum Nestorii, — 7. item tertium, — 8. tum quartum, et quintum, — 9. sextum et septimum e Scripturæ auctoritate, ac Nicænæ synodi. 204

LIBER SEXTUS.

In quo ab hæretici nuperi calumniis, Cyrilli et Ephesinæ synodi integritas fidei, et auctoritas defenditur; ac Nestorius, quem ille catholicum fuisse dicit, recte pro hæretico damnatus ostenditur.

ΠΡΟΘΕΩΡΊΑ.

Exponitur libri hujus argumentum, et scribendi causa. Cujusmodi liber ab anonymo scriptore contra Cyrillum, et Ephesinam synodum sit editus. 208

CAPUT PRIMUM.

De hypostasi et usia disputatur. — 2. Hypostasis variæ notiones expositæ. — 3. Quomodo, et quando significatione distingui cœpit ab usia. — 4. Etiam ante receptam utriusque differentiam, a natura distinctam fuisse hypostasim. — 5. Neque penitus cum οὐσίᾳ promiscue habitam. — 6. Explicatur hypostasis vera ratio: eaque duplex, tum ut naturam individuam, et reipsa extantem; tum ut suppositum significet. — 7. Utrumque illustratur ex Joanne Damasceno, et aliis theologis. — 8. Nonnunquam Patres hypostasis eam notionem assumunt, quam illi retinent, contra quos disputant. 209

CAPUT SECUNDUM.

De usu nominis hypostaseos apud Cyrillum. — 1. Primum in dialogo primo de Trinitate; — 2. deinde in libris contra Nestorium; — 3. et in aliis locis. — 4. Quid sit unitio secundum hypostasim apud eumdem Cyrillum; qui illam pro vera, et, ut vocant, reali sumpsit. — 7. Explicatur unitionis Nestorianæ ratio; — 7. tum catholicæ illi oppositæ. 8. Illustratur eximius quidam Cyrilli locus, ex quo quæ sunt dicta de unitione illa comprobantur. 214

CAPUT TERTIUM.

1. Cyrillus Alexandrinus Tritheitarum hæresis insimulatur ab anonymo; — 2. sed eadem ratione reliquos Patres suspectos reddi posse monstratur. — 3. Exponitur summatim Ariana hæresis, et adversus hanc Nicænæ synodi consilium in ὁμοουσίου sanciendo vocabulo; — 4. quod deinde Patres illustrarunt, enucleatius *naturæ*, et *hypostasis* nomina declarantes: tum assumpta similitudine naturæ humanæ, et ei subjectorum individuorum, quatenus utrobique commune aliud est, aliud particulare. — 5. Nec tamen omni ex parte similitudo quadrat; neque Patres divinitatem sic universalem statuerunt, quomodo humana est natura; — 6. quod probatur aliquot Patrum allatis locis, ut Basilii, — 7. tum Cyrilli. — 8. Qui ab anonymi calumnia defenditur. — 9. Naturæ divinæ communitas ejusdem, et singularitas ex Patribus adstruitur. — 10. Emendatur quidam Cyrilli locus. — 11. Hilarium falso suspectum reddit anonymus Tritheitarum hæresis, ob Sirmiensem laudatum canonem. — 12. Quatenus eum approbarit: quomodo Pater imperare aliquid Filio dicitur, — 13. aut eo esse major. 220

CAPUT QUARTUM.

Deinceps antiquorum quorumdam falsa criminatio super Incarnationis mysterio discutitur; — 1. quos anonymus putat naturam Christo unam tribuisse ex duabus compositam. — 2. De Gregorio thaumaturgo error illius; necnon de Dionysio Alexandrino. — 3. Excutitur, et enarratur Dionysii locus, quem anonymus per hallucinationem putat Alexandrinum, ex epistola ad Caium. — 4. Alius ejusdem stupor de eodem Dionysio, et Cyro Monotheleta. — 5. Tum perperam Eutychianæ labis alios incusat. 228

CAPUT QUINTUM.

Ad Cyrilli defensionem præparatur aditus exponenda Nestorii, quam ille impugnavit, hæretica opinione. — 2. Itaque demonstratur, Nestorium naturas Christo duas nullo substantivo nexu copulasse, sed morali duntaxat. — 3. Quod deinceps variis illius ex locis adstruitur. — 6. Unde primum argumentum efficitur, quod sola dignitatis communione junctas esse naturas diceret. — 8. Tum alterum argumentum ex eo, quod negabat egisse, ac pertulisse Deum illa, quæ Christus egit, ac sustinuit. — 11. Tertium argumentum, quod Incarnationem sola inhabitatione definiebat. — 12. Quartum argumentum, quod Deum ex fœmina genitum dicere absurdum judicabat. 231

CAPUT SEXTUM.

Cyrillus ab Apollinaristarum hæresis suspicione purgatur. — 1. Quod judicium esse debeat de scriptorum sen-

tentia. — 2. Cyrillum naturas duas in Christo distinctas agnovisse : tum easdem sic unitas, ut non tamen unam compositam faciant. — 3. Quæ duo variis ex illius locis, et sententiis approbantur. — 8. Colliguntur argumenta tria ex dictis Cyrilli ; quibus demonstratur, recte ipsum, et catholice de Incarnatione sensisse. 239

CAPUT SEPTIMUM.

Anonymi argumenta ex Cyrilli locis petita dissolvi incipiunt. — 1. Ac primum caput argumentationis proponitur. — 2. Explicantur quædam universe ad propositum necessaria de mente et scopo Nestorii, qui naturas dividere instituit ; — 3. tum Cyrilli, qui in contrarium obnixus est. Quo pertineat illa ejus sententia, una natura Verbi incarnata. — 4. Ostenditur hac ipsa sententia Nestorii blasphemiam maxime convinci. — 5. Expenduntur, et vindicantur ab anonymi calumnia loca Cyrilli, ex quibus ille colligit unam ab hoc naturam in Christo constitutam. 244

CAPUT OCTAVUM.

1. Quatuor ab anonymo in Cyrilli sententiis observata proponuntur. — 2. Primum excutitur, quod est, φύσιν apud Cyrillum pro natura, non autem persona accipi. Hoc non omni ex parte verum est ; sed significatur natura, qua in uno aliquo individuo reipsa extat, et suppositum confuse, et indeterminate connotat. — 3. Quod illustratur, et uberius exponitur. — 4. Ita conciliantur inter se Patres, qui de φύσεως notione in illo Cyrilli dicto dissentire videntur. — 5. Quarta observatio anonymi in disquisitionem adducitur, quæ ex usitata Cyrillo comparatione sumitur Christi cum homine ex anima et corpore composito. Unde ille colligit, Cyrillum unam naturam compositam putasse ex Verbo et humanitate fieri : maxime cum dicit unam esse naturam Verbi incarnatam. — 6. Hoc vero accurate refellitur, ex eo præsertim, quod Cyrillus illam ipsam naturam, quam dicit unam, diserte esse Dei, aut Verbi asserit. — 8. Examinatur, et a calumnia purgatur Cyrilli locus quidam intentatus ab anonymo. — 9. Alia ab eodem objecta retunduntur. 248

CAPUT NONUM.

De secunda observatione anonymi, qua docet, Cyrillum διαίρεσιν, et διάστασιν, ac similia vocabula, pro simplici differentia usurpare. — 1. Id ex synonymis vocibus, quibus ille uti solet, refellitur. — 2. Tum ex iis Cyrilli locis, quæ citat anonymus. — 3. Διάστασις vox apud Cyrillum. — 4. Anonymi fucus, et mala fides in quadam usurpanda Cyrilli sententia. — 5. Emendatur locus ille Cyrilli : et nova temeritas anonymi castigatur. — 6. Item alia ejusdem hallucinatio. — 7. Duo præterea loca male ab eodem tractata Cyrilli. — 8. Referuntur alia loca Cyrilli, in quibus pro separatione, non pro differentia sumpsit ; — 9. tum aliorum Patrum, velut Theodoreti. — 12. Anonymi præcipuum argumentum proponitur : ejusdem notatur inscitia. — 13. Quo sensu Cyrillus ratione, vel cogitatione sola differre naturas asserat in Christo. Explicatur ratio differentiæ, quæ est τῷ λόγῳ apud Patres. — 15. Occurritur alteri calumniæ anonymi. — 16. De unione καθ' ὑπόστασιν ex sententia Cyrilli. — 17. Anonymi impostura. — 18. Cyrilli locus ab illo non intellectus exponitur. 254

CAPUT DECIMUM.

Reliquæ anonymi contra Cyrillum rationes examinantur. — 1. Imprimis quarta, quod Cyrillus ex Verbo et humanitate unam naturam incarnatam fieri dixit, similiter atque ex anima et corpore una hominis natura coalescit. — 2. Similitudines non omni ex parte congruere. 3. Quid in illa comparatione, qua cum homine composito Christus confertur, antiqui spectaverint, variis ex eorum sententiis ostenditur ; nimirum non unam naturam in Christo ; sed unam personam, vel unum Christum in duabus naturis existere. Reliquæ anonymi duæ rationes refelluntur. 265

CAPUT UNDECIMUM.

Anonymi contra Cyrillum argumentatio ex Ibæ epistola, et Orientalium adversus illum testimoniis refellitur. — 1. De Iba nonnulla declarantur. — 2. Ejus epistola non est probata a Chalcedonensi synodo, tanquam catholica. Cur Facundus probatam asserat. — 3. De Orientalium simultate cum Cyrillo : ex quo anonymi ἀλογιστία redarguitur, præsertim cum iidem Cyrillum postea amplexi sint : maxime Theodoretus. — 4. Theodoreti locus insignis, et judicium de Cyrillo. — 5. Etiamsi capitula sua nunquam retractaverit ; sed exposuerit tantum. — 6. De Iba, et Facundo Hermianensi oppositis ab anonymo : qui ex illis iisdem confutatur. — 7. Duplex Ibæ error a Facundo notatus : primus, quod Cyrillum idem cum Apollinari sentire putaverit ; alter quod capitula sua damnasse illum dixerit. De quo et sententiam mutavit. 269

CAPUT DUODECIMUM.

Propugnatur Ephesinum concilium, et ab anonymi falsa criminatione defenditur. — 1. Anathematismos Cyrilli puros esse ab omni labe hæresis. — 2. Futile argumentum anonymi ex defectione quorumdam in Ephesino latrocinio ad Eutychianam partem. — 3. Theodotus Ancyranus catholicus episcopus in hæresis crimen falso vocatus defenditur. Cujus sententiæ quædam explicantur. — 5. Maxime similitudines ab eo allatæ. 273

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

Anonymi calumniæ in Cyrillum, aliosque temere conjectæ discutiuntur. — 1. Ridiculum ejus factum, qui pro catholicis hæreticos obtrusit. — 2. De Vigilio papa, et Honorio. — 3. Cyrillus propugnatur ; cujus ex libro de Trinitate, qui est supposititius, sententiæ quædam expensæ : eumdem librum, farraginem esse ex Joanne Damasceno corrogatam. — 4. Anonymi oscitantia, et stupor. — 5. Librum Thesaurorum non esse Cyrilli falso putat anonymus. — 6. Nec repugnant ceteræ ejusdem doctrinæ, quæ inde proferuntur. Quomodo major Filio dicatur Pater. — 8. Fœda hallucinatio ejusdem anonymi in explicando Cyrillo. — 9. Refelluntur cetera, quæ contra Cyrillum præscribit idem. 278

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

Pergitur in Cyrilli et Athanasii defensione. — 1. Futilis objectio pro Cyrillo ab anonymo proposita. Apollinaris inconstantia. — 2. In Athanasium conjectæ calumniæ ex pseudepigraphis illius libris refutantur. — 3. De fragmentis ejusdem. — 4. Apollinaris, et Eutychis hæresis falso Athanasio impingitur ab anonymo, ex supposititiis illius libris ; — 5. tum ex veris, et germanis. — 6. Ostenditur Athanasii recta, et catholica de Incarnatione sententia, prolatis quibusdam ex eo testimoniis. — 8. Tritheitarum hæresis falso itidem Athanasio tributa repellitur. — 9. Dialogos de Trinitate a Beza primum editos sub Athanasii nomine, non ejus esse, sed Maximi, græcos asserere : ex quibus nomine Athanasii citatis refellitur anonymus. 284

CAPUT QUINTUMDECIMUM.

1. Anonymi ludicra cavillatio, et falsa de synodo Chalcedonensi assertio, tanquam Cyrilli opinionem damnaverit. — 2. Ejusdem concilii fidei formula defensa, et ab anonymi vindicata calumniis. — 3. Nestorium frustra pro catholico ab eodem propugnari. 289

CAPUT SEXTUMDECIMUM.

De Cyrilli anathematismis, propter quos hæresis Apollinaris suspectus fuit. — 1. Anonymi in Cyrillum conjecta calumnia ex illis potissimum ab ipso probata. — 2. De tribus epistolis, quas Cyrillus ad Nestorium scripsit : quarum tertiæ anathematismos subjecit. — 3. An hæc epistola cum anathematismis in Ephesina synodo, et postea in Chalcedonensi approbata fuerit. — 4. Non videri lectam esse in Chalcedonensi, et qua de causa. — 5. Recepta tamen fuit, et ab sequentibus synodis ascita. 291

CAPUT SEPTIMUMDECIMUM.

Anathematismi Cyrilli duodecim singillatim examinantur, et cum Nestorianis contenduntur. 294

LIBER SEPTIMUS.

In quo de eo genere dignitatis, et ornamenti agitur, quod absolutum, et οὐσιῶδες, id est SUBSTANTIVUM, in humanam Christi naturam fluxit ex divinæ conjunctione.

CAPUT PRIMUM.

1. Libri hujus argumentum, et disputationis series. Hæretici qui Christum adoptivum Dei filium dixerunt. — 2. Filiorum discrimen : alii natura, alii adoptione : hi *θέσει* dicti ; cujus vocis explicata ratio. — 4. Quid requirat adoptio : et status controversiæ. — 5. Probatur ex Scripturis, unum esse Dei filium verum, ac proprium in duabus naturis : unde adoptivi suspicio discutitur. — 8. Idem ex symbolis, et synodalibus decretis ostenditur. 310

CAPUT SECUNDUM.

Demonstratur ex Patrum auctoritate, ac testimonio, Christum non esse filium adoptivum Dei, sed verum, et naturalem : — 2. primum græcorum, — 5. tum latinorum, et imprimis Romanorum Pontificum, — 7. deinde Patrum ceterorum. 315

CAPUT TERTIUM.

Argumenta quibus probatur, Christum non esse adoptivum filium. — 1. Primum, quod adoptivus nemo sit, quin alienus fuerit. — 2. Ex quo probatur unum esse filium, — 3. eumque Dei pariter et Virginis. Nec adoptivum dici posse ratione gratiæ quodammodo illi naturalis. — 5. Alter locus argumentandi ex personæ singularitate ducitur. — 6. Tertius, quod totus sit Dei, et totus hominis filius. — 8. Postremum argumentum, quod nusquam adoptivus in Scripturis appellatur. 325

CAPUT QUARTUM.

Expenduntur loca quædam veterum, quæ adoptivum esse Dei filium Christum affirmare videntur, — 1. ut Irenæi, — 2. Marii Victorini, Eusebii Cæsariensis, — 3. Cyrilli. — 4. Plerique tamen explicari commode possunt, velut qui duos filios nominarunt. — 5. Primum argumentum, quo probari posse videtur, adoptivum filium esse Christum. — 6. Sed dissolvitur certa ratione, quæ ad Patres superius citatos explicandos pertinet. — 7. Secundum, et tertium argumentum perinde refellitur : — 8. tum quartum, — 9. item quintum, — 10. et sextum. — 11. Non esse adoptivum filium Christum, videtur ad fidem pertinere. 331

CAPUT QUINTUM.

Ecquid Christus filius dici naturalis queat Spiritus sancti. — 1. Proponitur ex Augustino ista quæstio. — 2. Et respondetur non esse, quia non gignente, sed operante Spiritu sancto natus est. — 3. Cujusmodi sementiva virtus Spiritus sancti a quibusdam Patribus asseratur. — 5. Altera quæstio, quomodo Christus, ut homo, sit naturalis Dei filius. Duplici modo naturalem filium aliquem fieri, generatione, vel unitione. Posteriore itaque Christum censeri hujusmodi. — 6. Etiam generatione dici filium Christum, ut homo est, naturalem Dei, quatenus cum divinitate sempiterna illi generatio communicatur, sed unitione cum Verbo. — 7. Nova quorumdam expenditur opinio, quæ naturalem Dei filium interpretatur esse Christum, qua ex vi unitionis naturalem habet gratiam. Itaque formalis causa filietatis divinæ est relatio divina Filii, communicata naturæ hominis. — 8. Quod adversus recentiores theologos probatur, — 9. quorum argumenta solvuntur. — 13. Nova filii ratio ex gratia petita refellitur. — 14. Hadriani papæ locus, quo illi abutuntur, expositus. 337

CAPUT SEXTUM.

1. An Christus sit creatura. — 2. Creatum dici, et creaturam probatur ex Patrum testimoniis, primum græcorum, — 4. deinde latinorum. — 7. Quinam e contrario negaverint utriusque gentis. — 10. Cur filius adoptivus non appelletur Christus, tamen ab nonnullis creatura vocetur. Duobus modis creaturæ nomen usurpatur. — 11. Inde ratio petitur, qua inter se conciliantur Patres, qui dissentire videntur. 344

CAPUT SEPTIMUM.

An Christus appellandus sit servus. — 1. De nomine, ac significatione servi. — 2. Christum esse, appellarique posse servum, quinam græcorum Patrum existimaverint, — 4. deinde latinorum. — 6. Alii negarunt, præsertim Joannes Damascenus, et Theodoretus. — 8. Etiam Latini, — 9. maxime Hadrianus papa, et Francofordiense concilium. 350

CAPUT OCTAVUM.

Proponuntur utriusque firmamenta partis, tam quæ Christum putat esse servum, quam quæ negat. — 1. Isaiæ locus, in quo servus appellatur, expenditur, et varietas lectionis in græcis hebraicisque codicibus. — 2. Alter locus ejusdem Isaiæ aptior ad idem probandum. — 3. Apostoli locus ex epistolæ ad Philippenses capite secundo, ubi formam servi assumpsisse dicitur. — 4. Dionysii Alexandrini locus de illis Apostoli verbis observatione dignus proponitur, ac primum explicatur Pauli Samosateni hæresis. — 5. Ejusdem Pauli stropha diluitur. — 6. Dionysius paulo aliter, ac vulgo fit, Apostoli locum illum interpretatus est. — 7. Summa explicationis ejus. — 8. Et purgatur interim ab hæresis suspicione. — 9. Formam servi naturam ipsam significare. Chrysostomi expositio Dionysianam illam suggillans. — 10. Partis illius, quæ Christum negat esse servum, argumenta proponuntur. Primum ex epistola ad Hebræos. — 11. Tria alia loca et argumenta. 357

*

CAPUT NONUM.

Conciliantur diversæ inter se de servitute Christi sententiæ. — 1. Duobus modis servum aliquem dici, vel secundum essentiam, et actum primum, vel propter actum secundum. — 2. Priore modo servus est Christus, non posteriore. — 3. Proponitur quæstio illa, num natura constituta sit servitus, an sit contra naturam. Jurisconsulti contra naturam esse putant, et Augustini testimonio id adstruitur. — 4. Aliorum Patrum idem probantia testimonia. — 6. Aristotelis de ea re locus expenditur. — 7. Servitutis a natura, ut et dominationis insita esse quædam semina. — 8. Augustini de hac re locus insignis. — 9. Tandem controversia deciditur duplici servitutis notata ratione, una generali, altera speciali. — 10. Priori Christus, qua homo est, esse servum. — 11. De conditionali servo, qui est posterioris generis, Leonis locus expensus. — 12. Approbatur opinio nostra, et Patres inter se conciliantur. — 13. Athanasii locus illustratur, ac propugnatur. — 14. Excluditur minus probabilis quorumdam ratio interpretandorum Patrum. — 15. Observata Patrum consuetudo in Christi nominibus recensendis. — 16. An Christus sui ipse servus dici debeat; et negando respondetur. — 17. Causa hujus exponitur. 363

CAPUT DECIMUM.

De vocabulis quibusdam ad Christi, qua homo est, dignitatem spectantibus, quæ personæ singularitati refragari videri possunt, et ideo ab nonnullis Patrum rejecta, ab aliis usurpata sunt : ut est imprimis templum, vel domus, et similia. — 1. Unde appellatio illa templi deducta sit. — 2. Auctoritate Patrum græcorum adstruitur, — 3. tum latinorum. — 4. Quidam Patrum illam improbasse videntur. — 5. Hæretici aliqui vocabulis ejusmodi sunt abusi; ut Paulus Samosatenus. — 6. Item Theodorus Mopsuestenus, et Nestorius. — 7. Ideo catholici doctores cautionibus quibusdam usum illorum munierunt : primum explicata differentia inter Christi hominem, et sanctos alios, quod ille intime cum Deo, et substantive copulatus est. — 10. Tum alia cautio, quod Verbum carnem esse factum adjunxerunt ad hoc, quod templum diceretur facta esse caro. — 11. Alia cautio, quod propriam Verbi factam esse hanc eamdem carnem dixerunt : quod ex græcis Patribus affirmatur, — 12. necnon ex latinis. — 13. De Ibæ epistola ob usum minus sincerum illius vocis templi damnata. 372

CAPUT UNDECIMUM.

1. De vocabulis templi, habitationis, et similibus. Quæ sit ratio templi. — 2. Barnabæ locus insignis de spiritali templo. — 3. Cur Christi caro, et humanitas eo nomine afficiatur. — 4. Quod præsertim ob sanctitatem fit. — 5. Quæ ex usu vocum illarum commoditas capiatur, deinceps exponitur. Sed ante de habitandi vocabulo agitur, et græco σκηνόω, cujus origo declaratur. — 6. Quomodo illud Joannis intelligendum sit, *Habitavit in nobis.* — 7. Præcipuus fructus illarum vocum est, quod Verbi immutabilitatem, et naturarum distinctionem designant : quod subinde ex Patribus probatur, primum græcis, — 9. tum ex latinis. — 10. Quomodo habitandi vox Incarnationem, et naturarum copulationem significet. — 11. Altera commoditas contra Pauli Samosateni hæresim, maxime addito vocabulo *corporaliter.* — 12. Item alia, quod divini Verbi prærogativa in illa naturarum unitione monstratur. — 13. Præterea contra Apollinaris hæresim, et Eutychis eadem vocabula conducunt. 379

CAPUT DUODECIMUM.

De vocibus aliis humanæ in Christo naturæ tributis antiquo apud veteres theologos usu. — 1. Horum primum est nomen θεοφόρος, id est *deifer* : quo multum usus est Nestorius. — 2. Propterea damnatus a Cyrillo. Apollinaris hominem deiferum dici noluit. — 3. Deiferam carnem, quod idem est atque hominem, Basilius sæpius usurpavit; — 4. tum alii : et quo sensu dici possit. — 5. De homine Dominico, utrum dici possit. Enumerantur Patres aliquot, qui ita locuti : — 6. tum alii, qui non probarunt, Apollinaristas eam locutionem adhibuisse. — 7. Insignis Rufini locus de hac re. — 8. Augustinus illam reprehendit, et alii post eum. Qua de causa illi displicuerit; quæ et expenditur. — 9. Non magis reprehendendum videri, dici hominem Dominicum in Christo, quam simpliciter hominem : ac defenduntur, qui ambo hæc usurparunt. Oportet tamen in istis consuetudini servire. 386

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

De nonnullis aliis loquendi formulis. — 1. De ὀργάνου et *instrumenti* vocabulo : quo Patres aliqui naturam Christi humanam affecerunt. — 2. Quo sensu alii repudiarunt. — 3. Rectus illius erit usus, si instrumentum conjunctum, non separatum intelligatur. Ariani impie illud interpretati. De manu hominis instrumento naturali et conjuncto pulcherrimus Aristotelis locus : qui ad sapientiam, et Verbum illustrandum pertinet. — 4. De usu istiusmodi nominum utilis cautio; quæ ex Athanasio lucem accipit. — 5. De vestitus, et indumenti appellatione; et quæ hujus utilitates sint. Prima est, ut nulla sui mutatione incarnatum Verbum significetur. — 6. Item ut divinitas ipsa passionis expers intelligatur. — 7. Tum naturas esse distinctas, non autem personas. — 8. Sponsi vocabulum a Gregorio papa abjudicatum ab divinitate Christi humanitatem assumente, ab Augustino vero adhibitum. 392

LIBER OCTAVUS.

In quo de ἐνεργείᾳ, id est Operatione Christi, agitur.

CAPUT PRIMUM.

Explicatur ἐνεργείας propria notio. — 2. Variorum nominum expositio, ἐνεργείας, ἐνεργητικοῦ, etc. — 3. Quid proprie sit ex Patribus exponitur. — 4. Est substantiva motio naturæ, ejusque nota essentialis : ubi et explicatur vox οὐσιώδης. — 5. Nullam sine operatione naturam esse : tum quæ sunt ejusdem naturæ, ejusdem esse operationis ; et quæ diversæ naturæ sunt, diversæ operationis esse : ἐνεργείας variæ significationes. — 7. Explicatur prima, quæ est δύναμις, sive facultas : et quæritur an ἐνέργεια illa, de qua cum Monotheletis certatum est, sit actio transiens, an facultas naturalis; fuisse de actione sola controversiam putant multi Scholastici. — 8. Sed errant, idque ex veteribus ostenditur : qui essentiale aliquid, et fixum esse quippiam indicant. — 10. Itaque tum de facultate agendi, et volendi, tum de actione et volitione ipsa certatum est. — 11. Quæ-

situm an omnis substantia, etiam inanimata, ἐνέργειαν illam habeat, de qua Patres disputant. Cui respondetur, variare Patrum dicta; et quamvis nulla non aliquam ἐνέργειαν habeat, tamen insignem quampiam ab nonnullis intelligi. — 12. Etiam πάθος, id est *passionem*, ἐνέργειαν censeri, et quid passio sit exponitur. — 13. Declaratur Aristotelis quidam locus eo pertinens. 397

CAPUT SECUNDUM.

Utrum ἐνέργεια suppositi sit, an naturæ. — 1. Constituitur primum differentia naturæ, et suppositi. Naturam nihil agere, nisi subsistentem. — 2. Expenditur vulgare illud effatum, *Actiones esse suppositorum*, an apud Aristotelem extet, et an verum sit utrinque disputatur. — 3. Suppositum est natura ipsa subsistens. Itaque non recte dubitatur sitne actio naturæ, an supposito tribuenda. — 4. Ostenditur tamen, actionem esse naturæ potius, qua natura est, imputandam, quam ut est subsistens : idque præclara Maximi sententia demonstratur. — 5. Aristotelis quidam locus illustratur, et exponitur. 403

CAPUT TERTIUM.

De Monotheletarum hæresi. — 1. Non eos fuisse primos auctores dogmatis sui; sed ante hos Beronem quemdam; — 2. tum Arianos; — 3. et Apollinaristas. — 4. Necnon Eutychianos. — 5. Declaratur ratio, cur non illis potius, quam Monotheletis inscripta sit hæresis illa. — 6. Duas naturas agnoverunt Monotheletæ. Sed in proprio explicando dogmate discordes fuerunt. — 7. De operatione theandrica, et quid de ea senserint illi : cujusmodi *unam* illam interpretati sunt. — 8. Dissidium super hac re Monophysitarum Colluthi, et Themistii. — 9. Unitione unam esse aliqui dixerunt. — 10. Variæ ludificationes aliorum. 406

CAPUT QUARTUM.

Disputatur utrum Monotheletæ facultates, sive potentias operandi, et volendi, an solas actiones detraxerint humanæ Christi naturæ. Communis theologorum opinio, facultates ipsas negatas fuisse. — 2. Quam nonnulli improbant; sed melius tuentur alii. — 3. Quibus Patres suffragantur, imprimis græci, ut Maximus, et Damascenus. — 6. Et rationibus eadem illa sententia fulcitur. — 7. Dissolvuntur ea, quæ in contrariam partem opponuntur, ut solæ actiones detractæ videantur. — 8. Hæreticorum in dogmatibus suis concinnandis inconstantia : et cur Monotheletæ facultates etiam ipsas, et non solas operationes hominis ademerint Christo. 412

CAPUT QUINTUM.

Altera quæstio disceptatur, cujusmodi ἐνέργειαν Monotheletæ negaverint. — 1. Solam voluntatis actionem putant aliqui subtractam ab illis fuisse. — 2. Sed errare illos ostenditur, ac primum probatur ἐνέργειαν a voluntate separasse hæreticos illos, et utramque negasse. — 6. Quod idem ex Patribus adstruitur. 416

CAPUT SEXTUM.

Explicatur accurate Monotheletarum dogma; — 1. ac primum de ἐνεργείᾳ agitur, ejusque motione. — 2. Qua ratione differt a voluntate. — 3. Monotheletas non solas actiones Christi humanitati detraxisse, sed etiam potentias, et cur ita senserint. Tacite illos Monophysitarum dogma fovisse. — 4. Quod certis probatur rationibus, et ab Apollinari profectum ostenditur; — 5. tum ex Sergio et Macario confirmatur. — 6. Contra hoc objecta nonnulla solvuntur; — 7. et Monotheletarum genuina sententia accuratius explicatur. 420

CAPUT SEPTIMUM.

1. Duas, ac diversas operationes esse Christi, probatur imprimis e Scripturæ testimoniis. — 2. Quæ nonnullorum Patrum usu roborantur. — 3. Tum ratione theologica, quæ primum ex naturarum numero et discrimine petitur, quod unaquæque propriam exigit operationem. — 4. Quod argumentum synodalibus sententiis, et Patrum testimoniis fulcitur. — 8. Itaque Monotheletas unius naturæ assertores fuisse convincuntur. — 9. Alterum argumentum, quod si una esset operatio, nec simplex foret, nec composita. 424

CAPUT OCTAVUM.

Operationem in Christo duplicem fuisse, id est suæ quamque naturæ congruentem, ex veterum Patrum placitis ostenditur, qui ante Monotheletarum exortam hæresim floruerunt : ac primum græci auctores proferuntur. 431

CAPUT NONUM.

Eadem pro numero naturarum diversitas operationum ex latinis Patribus colligitur. 441

CAPUT DECIMUM.

Explicatur natura, et propria ratio operationum Christi, quæ θεανδρικαὶ Græcis, Latinis *Deiviriles* nominantur. — 2. Exposita primum notio vocabuli θεανδρικὴ, quæ naturas duas exprimit. — 3. Non unam significat operationem; et fucus in eo Monotheletarum. — 4. Triplex genus operationum Christi, unum mere divinum, secundum mere humanum, tertium ex utroque mistum. — 5. Hoc tertium appellari a Dionysio præcipue θεανδρικὸν veteres arbitrantur. — 7. Sed latius patere videtur; quod ut intelligatur, primum radix appellationis istius explicatur; quæ est unitio substantiva naturarum duarum. — 8. Utrum et operationes ipsæ similiter unitæ sint quæritur; ac primo commemorantur qui id negant, tum qui affirmant. — 9. Hi vero posteriores multum ab hæreticis discrepant; nec in unam operationem duas conjungi asserunt. — 11. Proponuntur modi quatuor ex Patribus unitionis operationum Christi. — 12. His quintus additus ex personali Verbi proprietate, quæ in operationes humanas aliquid confert, et eas deificat. — 13. Quod veterum auctoritate probatur. — 14. Proponitur quæstio difficilis, quomodo operatio divina, ex qua quæ theandrica dicitur constat, propria sit Verbi, cum sit totius Trinitatis. — 15. Explicatur ista quæstio ex eo quod operatio divina, perinde ac natura, non aliter quam determinata personali Verbi proprietate in unitionem illam venit. 446

CAPUT UNDECIMUM.

Regulæ quædam, et effata colliguntur ex antiquis, quibus Christi operationes illustrantur. Prima est : Operationes omnes Christi, unius et ejusdem operantis esse, qui humana simul egit, et divina. — 5. Secunda regula : Etsi unus sit operans, distinctas inter se tamen operationes esse. — 7. Tertia regula : Non agere separatim naturam unam ab altera, sed conjunctim. — 10. Quarta regula : Tametsi unus sit operans, distinguendum tamen, quid ex quaque natura faciat. Quæ regulæ ex antiquorum placitis explicantur, et illustrantur. 453

CAPUT DUODECIMUM.

Reliquæ de theandricis operationibus regulæ proponuntur. Quinta : Actiones omnes humanas in Christo, etiam naturales, ex nutu divinitatis gubernatas fuisse. — 4. Monotheletarum in ea re fucus. — 7. Regula sexta :

Carnem instrumentum fuisse Verbi. — 9. Instrumenti ratio declaratur. — 11. De instrumento Maximi locus insignis illustratur. — 14. Septima regula : Ea sola per carnem, velut instrumentum, egisse Verbum, quæ ad salutem nostram pertinent. — 15. Octava regula : Non solam transeuntem operationem a Verbo communicatam humanæ naturæ fuisse, neque Christum ἐνεργούμενον dici posse. Ubi quid ἐνέργεια, et ἐνεργούμενος sit, exponitur. — 21. Nona regula : Operationes Christi, etiam communes nobiscum, novas et excellentes fuisse. 460

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

Monotheletarum objectiones præcipuæ contra duas operationes Christi solvuntur. Harum prima, quod unus sit operans. — 2. Ridicula præscriptio eorumdem hæreticorum. — 3. Item opponebant humanæ naturæ non tam ἐνέργειαν propriam esse, quam πάθος. — 4. Alia objectio, quod causæ agentis, et instrumenti una sit operatio. — 5. Alterum genus objectionum ex Patrum auctoritate, velut Dionysii, et Cyrilli. — 6. Cyrilli locus explicatur ex Maximo, — 7. necnon Gregorii Nysseni. 471

LIBER NONUS.

In quo de voluntate Christi disseritur.

CAPUT PRIMUM.

De voluntate quædam alibi dicta repetendo perstringuntur. — 1. Voluntatem, sive volitionem ab ἐνεργείᾳ discerni; ac tam pro facultate ipsa, quam pro actione sumi. — 2. Quid sit θέλησις, et βούλησις. — 3. De voluntate naturali, sive φυσικῇ, et ὑποστατικῇ, sive γνωμικῇ. — 5. Voluntatem alias spectari ut est natura, alias ut est libera. — 6. Actionum series in libera voluntatis operatione summatim proponitur. — 7. De Christi libera voluntate disputandi aditus; et cur de libertate universe in sequentibus agi oporteat. 476

CAPUT SECUNDUM.

De liberi arbitrii natura, et definitione. — 1. Cujus ea notio communis traditur, ut sit potestas unius e duobus asciscendi, aut refutandi, nulla necessitate constricta. — 2. Cui hæretici, et novi dogmatistæ reclamant, dum necessitatem negant cum libertate pugnare circa unum idemque. — 3. Quid sit indifferentia liberi arbitrii propria, eique naturalis. — 4. Veterum Patrum, ac primum græcorum testimoniis probatur, arbitrii liberi naturam in ea utriusvis eligendi potestate citra necessitatem esse constitutam. 480

CAPUT TERTIUM.

Demonstratur ex latinis Patribus eadem notio liberæ voluntatis, in indifferentia, id est utriusque potestate sita, quæ cum necessitate, ac determinatione pugnat. 490

CAPUT QUARTUM.

Eadem libertatis, et liberi arbitrii notio ex proprietate vocum ostenditur, quibus illa describi, ac declarari solet. — 1. Ἐφ' ἡμῖν. — 3. Ἐξουσία, et αὐτεξούσιον, quæ est libera potestas. — 5. Cum aliquid in potestate nostra esse dicitur, duo semper intelliguntur, quorum alterum eligere possumus; — 6. quod ex Apostolo demonstratur, — 7. tum ex Augustino. — 11. Declaratur locus Joannis ex Evangelii capite primo, ubi scriptum est, *Dedit potestatem filios Dei fieri.* — 12. In quo hæreticorum falsa interpretatio refellitur ; qui dignitatem intelligunt. — 13. Melius interpretem nostrum potestatem vertisse, ut sit libera facultas, et licentia. — 14. Nec jus, ut aliis placet, significari. — 15. Confirmatur auctoritate veterum nostra illa sententia. — 16. Tum ex vocabulo κύριος, quod libero arbitrio tribuitur. — 18. Usitata libertatis exprimendæ formula. 498

CAPUT QUINTUM.

1. Ex Patrum testimoniis supra citatis duo colliguntur libertatis propria : alterum, repugnare huic necessitatem absolutam : alterum, in indifferentia esse positam. — 2. Cujusmodi necessitatem hæretici opponant libertati. — 3. Violentiam non perimere libertatis usum. — 4. Nonnunquam necessitatem simplicem naturæ consentaneæ rei, appellari vim. — 5. Ostenditur ex concupiscentiæ motibus violentiam non tollere libertatem. — 6. Libertas duplex, ut et necessitas proponitur : et omnes inter se comparantur. — 8. Necessitas simpliciter posita sæpe vim significat : et voluntas, liberum arbitrium. — 9. Probatur ex fatali necessitate, simplicem minimeque violentam necessitatem perimere libertatem. — 10. Quod ex veterum auctoritate confirmatur. — 13. De indifferentia, cujusmodi libertatis essentia continetur. — 14. Novorum dogmatistarum in ea fucus : et quemadmodum in Deo, ac beatorum libera voluntate reperitur. 508

CAPUT SEXTUM.

1. Duas in Christo voluntates inesse demonstratur, primum e Scripturis ; — 2. præsertim quæ obedientiam illius exprimunt : — 4. tum ex Patribus græcis, — 7. necnon latinis. — 10. Item ex Conciliis. — 11. Horum omnium argumentum præcipuum fuit, quod natura quælibet suam et propriam operationem exigit. 516

CAPUT SEPTIMUM.

De libera Christi voluntate, — 1. quæ naturalis primum hominis esse proprietas ostenditur : — 2. et argumentis probatur. — 3. De naturali, et hypostatica voluntate, sive γνωμικῇ : — 4. cur non hæc triplex in Deo sit. — 5. An γνωμικὴ fuerit in Christo : ubi primum explicatur quid sit γνώμη. — 6. Hanc in Christo negant aliquid fuisse ; — 7. quomodo nostra voluntas bono sit affixa, et quomodo idem in Christi voluntate fuerit. — 8. Γνωμικὴν voluntatem hypostaseon discrimen habere. — 9. Quibus de causis γνωμικὴν voluntatem Christo Patres ademerunt. — 10. Quo sensu sit admittenda. 523

CAPUT OCTAVUM.

Non solum voluntates in Christo fuisse duas, sed etiam liberas, et indifferentes utrasque, nec ulla necessitate determinante constrictas ostenditur. — 1. Duo in voluntate spectari, quod natura sit, et liberum arbitrium.

Proponitur difficilis quæstio quomodo in Christo vere libera voluntas constiterit ex veterum opinione, qui solas naturales voluntates illi tribuerunt; non γνωμικάς. — 2. Respondetur ei quæstioni, atque imprimis docetur affectiones omnes naturales, et appetitiones in Christi libera fuisse potestate, ex quo summa illius libertas colligitur; — 3. tum etiam hypostaticas liberas fuisse. — 4. Cujusmodi Christum habuisse monstratur. — 5. Huic libertati Christi non obstare ejusdem impeccantia; et novi dogmatistæ notantur. — 6. Itaque quæstio proponitur, quomodo Christus liber, et indifferentiæ voluntatis præditus esset, cum paternæ in omnibus voluntati paruerit. Et respondetur, nullum ei absolutum mortis obeundæ præceptum impositum fuisse. — 8. quod deinceps auctoritate Patrum adstruitur. — 12. Ex quibus tota quæstio deciditur. 529

CAPUT NONUM.

1. An duæ fuerint in Christo contrariæ voluntates. — 2. Eas ex oratione colligi, qua in horto Patri supplicavit. In qua tamen nodus quidam inest ex Athanasii expositione. — 3. Qui ut dissolvatur, observari debet, ea quæ de Christo dicuntur, vel ratione personæ accipi, vel ratione naturarum. Christi duplex oratio secundum eamdem naturam. — 4. Posteriorem ex personâ divinitatis non ab illo fusam esse. — 5. Non fuisse contrarias ambas istas voluntates. — 6. Quod deinceps ex Patribus ostenditur. — 7. Persona humanitatis quo sensu a Patribus usurpetur. — 8. Orationis Christi quædam interpretationes haud ita probabiles ex antiquis allatæ. — 10. Ideo non esse contrarias voluntates in illa oratione Christi, quoniam humana conditionata fuit. 534

CAPUT DECIMUM.

De iis quæ adversus Catholicos objecta sunt ab hæreticis pro unius voluntatis defensione. — Primum quæ ex Patribus collecta proponebant, ut ex Athanasio; — 2. cujus mens explicatur : — 3. tum ex Gregorio Nazianzeno; — 4. ex Ambrosio; — 5. ex Honorio papa, et aliis. — 7. Argumentum illorum præcipuum eluditur. 541

LIBER DECIMUS.

In quo humanæ in Christo naturæ proprietates explicantur, quas ἐπιγεννηματικὰς Græci, Latini ACCIDENTES, et CONSECTARIAS vocant : et imprimis eæ quæ ad corpus propius attinent

CAPUT PRIMUM.

De humanæ in Christo naturæ dotibus. — 1. Quarum radix est, quod illa sit natura Verbi propria. — 2. Hujus multa sunt consectaria : primum, quod substantivo nexu cum Verbo copuletur. — 3. Alterum, ut quidquid illi accidit, id Deo accidere dicatur. — 4. Tertium, ut unus sit filius Dei cum Verbo. Quartum, ut operationes carnis, propriæ sint Verbi. Quintum, ut caro deificata sit : Sextum, ut sit vivifica. — 5. De deificatione deinceps illius disputatur. — 6. De ea re Gregorii Nysseni memorabilis sententia. — 8. Ea ut exponatur, quiddam observatum de duplici genere proprietatum. — 9. De prioribus non est intelligendus Gregorius, cum humanitatis affectiones proprias dixit absorptas in Deum, sed de posterioribus. — 10. Quas post resurrectionem deposuit. — 11. Hanc etiam vim habere charitatem, ut totos nos in Deum transformet. — 12. De qua re Origenis excutitur opinio. — 13. Duo vitanda pericula, cum de his agimus : Alterum, ne naturarum in Christo conjunctionem solo affectu, et σχέσει metiamur. — 14. Alterum, ne a seipsa excidisse, et in divinitatem mutata esse putetur humanitas. 545

CAPUT SECUNDUM.

De virtute vivifica, sive vitæ maxime spiritualis communicandæ vi, quam ex consortio divinitatis accepit humana Christi natura. — 1. Probatur illa ipsa ex Cyrilli maxime testimonio. — 3. Tum aliorum. — 5. Objectus ex adverso locus ille, *Caro non prodest quidquam;* cujus interpretatio affertur. — 7. Idipsum ex Eucharistiæ sacramento demonstratur a Patribus. — 8. Quemadmodum caro vim illam exerceat : et anonymi calumnia discutitur. — 9. Cyrilli sincere catholica fides adversus eumdem anonymum approbata. 553

CAPUT TERTIUM.

De carne, sive corpore Christi, an obnoxium corruptelæ fuerit. — 1. Imprimis constituitur, veram in illo fuisse carnem; nostræque per omnia citra peccatum similem. — 2. Duplex genus corruptionis. Acephalorum controversia de Christi corruptibili, an incorruptibili corpore. — 3. Leontii locus, in quo illorum opinionem exponit. — 4. Quam idem refellit, et naturalem corporis Christi statum in hac vita fuisse demonstrat corruptioni obnoxium. — 5. Duæ species affectionum corporis, quarum aliæ culpa carent; aliæ ad culpam incitant. Has non assumpsit Christus : sed priores tantum. — 6. Quod probat idem Leontius, et adversariorum argumenta dissolvit. — 8. Velut hoc inter alia, Christi corpus simile ei fuisse, quod Adamus habuit ante peccatum. Quod negat Leontius, et mortale, ac corruptibile docet fuisse ante resurrectionem. — 9. Idem et Patribus videri. — 10. Fulgentii de illa quæstione luculenta disputatio, 11. item Theodori Abucaræ. 558

CAPUT QUARTUM.

De controversia quadam Philippi abbatis, et Joannis cujusdam, utrum natura humana Christi infirma fuerit, et naturaliter famem, sitim, dolorem, et id genus alia perpessa sit. — 1. Philippi negans opinio proponitur. — 3. Joannis contraria. — 4. Hunaldi cujusdam de utraque sententia; ita naturales fuisse passiones illas, ut non præter voluntatem obreperent. — 5. Fuisse infirmitatem in humana Christi substantia. — 6. Boetii locus insignis, quo proposita quæstio deciditur, ac de triplici Adami statu. — 7. Christum revera passiones illas sensisse. — 8. Excellenti tamen modo, ut eæ voluntatem non antecederent. 563

CAPUT QUINTUM.

Veterum quorumdam opiniones παράδοξοι de affectionibus, et passionibus, quæ humanæ Christi naturæ contigerunt, illustratæ, et expensæ. — 1. Hilarii locus, in quo sensum doloris detrahere Christo videtur; — 4. varie ab quibusdam explicatus. — 5. Nonnulli Hilarium retractasse sententiam volunt : et quo in libro id fecisse videatur. — 7. Refellitur hic error. — 8. Clementis Alexandrini non dissimilis notata senten-

tia. Valentini hæretici jocularis error. — 9. Castigatur. — 10. Christum corpore deformem arbitrati quidam, — 11. sed refutati. 567

CAPUT SEXTUM.

De statu corporis Christi post resurrectionem. — 1. Incorruptibile qui dicatur ante, et post resurrectionem. — 2. Hæreticorum opinio, post resurrectionem mutatum esse corpus Christi putantium. Spiritalis illius conditio. — 3. De qua notanda Anselmi sententia. Ejusdem argumentum quod per clausas januas, et obstantia quæque penetraverit. — 4. Calvini calumnia, Ubiquistarum errorem Catholicis falso tribuentis. — 5. Refellitur græcorum primum Patrum auctoritate, qui Christum per clausa penetrasse obstacula docent, — 7. tum latinorum. 573

CAPUT SEPTIMUM.

De immensitate, quam ubiquitatem vocant : utrum carni, vel humanæ Christi naturæ communicata sit. — 1. Monophysitarum varia sententia de naturæ humanæ in divinam mutatione, quam aliqui post resurrectionem demum esse factam asseverarunt. — 2. Eusebius Cæsariensis ubiquitatis propugnator creditus. — 3. Lutherus, ejusque asseclæ eamdem adstruxerunt. — 4. Ubiquistarum opinio proponitur. — 5. Ea generatim in Conciliis damnata est. — 6. Atque ex Scripturis primum refellitur, — 8. tum ex generalibus Synodis, et Symbolis. — 10. Sancti Nicephori insignis locus de eadem hæresi decretis synodalibus proscripta. 579

CAPUT OCTAVUM.

Ubiquistarum hæresis antiquorum testimoniis oppugnata, primum græcorum, — 1. quæ generatim concepta : — 2. post singulorum, ut Hippolyti, Athanasii, — 4. Cyrilli, Hierosolymitani, Eustathii Antiocheni, — 5. Gregorii Nazianzeni, Nysseni, Chrysostomi, Titi Bostrensis, Theodoreti, — 6. Cyrilli Alexandrini, — 7. Amphilochii, — 8. Justini, Ephræmii, Maximi, Andreæ Cretensis, — 9. Anastasii Sinaitæ, — 10. Joannis Damasceni, Abucaræ, Theophanis Ceramei, — 11. sancti Nicephori contra Iconoclastas, Œcumenii. 584

CAPUT NONUM.

Latinorum Patrum testimonia, quibus eadem carnis in Christo omnipræsentia, sive ubiquitas refellitur, — 1. Hilarii, Ambrosii, — 2. Hieronymi, — 3. Augustini, — 4. Gregorii papæ, Cassiani, Capreoli, — 5. Leonis papæ, Chrysologi, — 6. Fulgentii, — 7. Ferrandi, Maxentii, — 8. Vigilii, — 9. Arnobii junioris, Bedæ, Stephani Æduensis, Adelmani, — 10. Anselmi, Ruperti, Hugonis a S. Victore. 590

CAPUT DECIMUM.

Ex superioribus Patrum testimoniis colliguntur rationes, ob quas immensitas divina naturam humanam formaliter non afficit. — 2. Quarum præcipua est, quod non possit communicari proprietas aliqua divina, quin natura ipsa communicetur, ita ut Deus formaliter sit id, cui applicatur. — 3. Non eo modo communicari divinam naturam, ejusve proprietates humanæ naturæ. Enuntiationum genera duo, συμβάματα, et παρασυμβάματα, ex Stoicis explicata. — 4. Ubiquistarum sophisticæ cavillationes diluuntur. — 6. Ex æternitate maxime confutantur : quæ certe humanitati non communicatur, cum non sit ab æterno. Fucus eorumdem negantium immensitatem esse proprietatem divinitatis. — 7. Eorumdem hæreticorum latens venenum, opinantium in unitione hypostatica non divinas ipsas proprietates, sed dona Spiritus sancti creata in communionem cessisse. — 8. Quæ opinio confutatur. — 9. Anonymi Cyrillomastigis, qui libro sexto refutatus est, calumniæ in Cyrillum, quem Ubiquistam facit. — 10. Evertuntur eædem, locis iis expositis, unde falsa suspicio petitur. 595

LIBER UNDECIMUS.

Qui est de animæ Christi propriis ornamentis.

CAPUT PRIMUM.

1. De scientia Christi primo agendum proponitur; et ea multiplex distinguitur. — 2. Generatim aliam in Christo increatam, et divinam esse scientiam; aliam creatam, et humanam. — 3. Utrum hac posteriore omnia cognoverit Christus, quæ in aliqua differentia temporis existunt. Negasse Theodorum Mopsuestenum, — 4. necnon Nestorium; et, quod incredibilius est, Eutychianos aliquos. — 5. Etiam nonnullos e Catholicis existimasse, non omnia nosse Christum : cujus tamen opinionis mitigatur offensio. — 9. Opponuntur his alii, qui nihil ignorasse sentiunt. — 12. Idipsum rationibus tribus ex Joanne Damasceno collectis probatur. — 15. Deciditur controversia, et docetur nihil penitus ignorasse Christum, ne judicii quidem extremi diem. 609

CAPUT SECUNDUM.

1. De eo, quod sapientia profecisse dicitur Christus; utrum ex eo colligi possit, in illo inscitiam fuisse. — 2. Hæretici hoc affirmarunt, Theodorus Mopsuestenus, et Nestorius, Christum revera profecisse putantes. — 3. Nonnulli e Patribus idem asseverarunt. — 4. Ambrosii locus de ea re perplexus illustratur. — 7. Alii Patres negant verum illum fuisse profectum : sed sic eum interpretantur, ut pro ætatis incremento, majoris cujusdam indicia sapientiæ dederit. — 8. Quorum deinceps expenduntur sententiæ, quæ ab iisdem interdum contrariæ proficiscuntur. 609

CAPUT TERTIUM.

Ecquid perfecta cognitione Christus homo divinitatem comprehendat. — 1. Ferrandus hanc quæstionem proposuit Fulgentio. Hic autem affirmando respondit; — 2. et rationibus aliquot probavit. — 3. Discrimen tamen constituit inter divinam, et humanam scientiam. — 4. Hugo Victorinus in eadem fuit opinione. — 6. Sed ea refellitur; — 7. et ejus firmamenta labefactantur. — 8. Magistri sententiarum eadem fuit sententia. — 9. Cujus ludicra ratio refutatur. — 10. Excusantur probabili ratione Patres illi, qui animæ Christi omniscientiam, et comprehensionem divinitatis imputant. 617

CAPUT QUARTUM.

De multiplici animæ Christi scientia. — 1. Hugonis Victorini falsa opinio, nullam aliam, præter increatam, in Christo homine fuisse sapientiam. — 2. Ea vero

refellitur : et quæstio proponitur, an Christi anima beata Dei visione potita sit ab ortu ipso : responditurque, sine ulla dubitatione, vel controversia, illam habuisse. — 3. Quod deinceps probatur e Scripturis, et Patribus. — 4. Joannis locus in Evangelii capite primo illustratus. — 5. Augustini de ea re testimonium. — 6. Alia, quæ ab nonnullis afferuntur, haud satis expressa. — 7. Eusebii Cæsariensis locus expenditur. — 8. Christi animam beata Dei visione, cum in terris degeret, potitam esse certissime credendum. — 9. De scientia Christi acquisita. 622

CAPUT QUINTUM.

De Christi hominis sanctitate. — 1. Quid sit sanctitas. — 2. Triplici ex capite colligitur quanta in illo sanctitas fuerit, quam quidem requirebat primum Capitis dignitas, — 3. ex Adami comparatione illustrata. — 6. Tum Mediatoris functio : necnon Pontificis. — 7. Adeo ut infinita fuerit. 626

CAPUT SEXTUM.

De gratia Christi : — 1. quid eo nomine significetur. Hujus specimen in Incarnatione potissimum extitit. — 2. Quod nullis omnino meritis ei concessa fuerit. — 4. Eamdem et ipse sibi tribuisse dicitur. — 5 Fulgentii locus illustratur, et Augustini. — 6. Plenitudinem gratiæ, et Spiritus S. quomodo habuit Christus. 630

CAPUT SEPTIMUM.

De formali, ut vocant, causa sanctitatis humanæ Christi naturæ. — 1. Hanc ipsam esse divinitatem ex Patribus ostenditur; ex quibus insuper ad idem probandum argumenta colliguntur. — 5. Velut quod naturalis, non adoptivus sit Dei filius : tum quod naturalis illi sit sanctitas, et gratia; — 6. non adventitia : nisi quatenus humana in se, ac citra Verbi conjunctionem, natura consideratur. — 7. Aliud argumentum ex eo, quod deificari natura humana dicitur ; necnon ex variis similitudinibus, quæ a Patribus adhibentur. — 8. Item ex eo, quod in novo Testamento sancti ac filii Dei per ipsammet divinitatem efficimur. — 9. Eximius Cyrilli locus de sanctificatione Christi, et humanæ naturæ unitione cum Deo, illustratur et enodatur. — 10. Duplex in eo conjunctionis ratio : altera per hypostaticam unitionem; altera per mutuam dilectionem, quæ σχετικὴ ab Cyrillo vocatur. — 11. Christi sanctificatio exemplar est nostræ secundum utrumque modum unitionis. — 12. Apostoli ad id loca pertinentia declarantur. 634

CAPUT OCTAVUM.

Argumento alio probatur, ex antiquorum sententia, humanam naturam in Christo sanctificari divinitate ipsa : quoniam ungi hac illa dicitur. — 1. Quo nomine gratia significatur. Ea porro unctio, divinitas ipsa constituitur a Patribus in Christo ; — 2. aut Spiritus sanctus. — 3. Quæ et inhabitatio hujus in illo vocatur. — 5. Cur Spiritu sancto unctus dicatur. — Non divinæ naturæ, sed humanæ ratione unctum esse Christum, late ex antiquis ostenditur. — 9. Nonnulli tamen Christi nomen divinitati, tanquam proprium, vindicant. 641

CAPUT NONUM.

De Christi, id est uncti, vocabulo. — 1. Summa eorum quæ capite antecedente dicta sunt. Nestorii de Christi nomine sensus. — 2. Veterum Patrum usus in eodem naturis duabus accommodando. — 3. Explicatur appellatio ipsa Christi; et quibus personis olim tributa sit. — 5. Eusebii de illa sententia perpenditur. — 6. Cur Christo conveniat, variæ causæ recensentur, velut quod luctator fuerit contra diabolum : — 7. quod illuminaverit : tum ob perpetuitatem gratiæ et sanctitatis; cujus symbolum est oleum. — 8. Quandonam unctus fuerit Christus. Nestorii de tempore falsa opinio refutata. — 9. Cur in baptismo Spiritus sanctus in Christum sit illapsus. Cyrilli locus difficilis exponitur, qui plusculum tribuere videtur unctioni illi in baptismo factæ. — 10. Et aliorum deinceps expositæ sententiæ ; ut Hieronymi, — 13. et Ruperti. — 24. Explicatur locus e Psalmo 44. *Propterea unxit te Deus*, etc. ac probatur unctionem illam non in baptismo, sed in conceptu esse factam. 650

CAPUT DECIMUM.

De Christi ἀναμαρτησίᾳ, quam *impeccantiam* appellamus : cujusmodi, et qua ex causa in illius humana natura fuerit. — 1. Ea duplex constituitur : una, quæ peccatum aufert : altera, quæ potestatem etiam peccandi. — 2. Hæc in solo Deo reperitur, quia solus immutabilis. 4. In Christum hominem itidem convenit. — 6. Quod illi hypostatica tribuit unitio ; idque ex Patrum deinceps testimoniis ostenditur. — 9. Quorum aliqui naturale esse dicunt illi, ut peccare non possit. — 10. Ac nonnullis similitudinibus eadem impeccantia declaratur a veteribus. — 13. Demonstratur itidem ex iis, quæ de conditione, ac statu humanitatis in Christo disputata sunt antea : velut quod carnalibus, et vitiosis cogitationibus caruit. — 15. Tum quod propria Verbi facta sit caro ; quod deificata, ac vivifica facta sit. 658

CAPUT UNDECIMUM.

De Christi ἀναμαρτησίᾳ rursus agitur, ad eamque notata quædam. — 1. Hæreticorum quorumdam opinio carnem omnem inquinatam esse : — 2. quam a Platonicis acceperunt. — 3. Christus similitudinem habuit carnis peccati, non carnem peccati. — 4. Neque vitiosas cogitationes habuit ; — 5. quæ ex originali peccato manant, quod nullum fuit in Christo. — 6. Idque ex disputatione Patrum contra Monotheletas adstruitur. — 7. Maximi martyris locus excutitur. — 8. Probatur insuper ex Augustino illum perturbationibus caruisse. 9. De passionibus, et propassionibus, quarum hæ fuisse dicuntur in Christo, non illæ. Hieronymi locus expensus. — 10. Explicatur apertius ambarum illarum differentia. — 11. Leonis locus, quo Christi illustratur ἀναμαρτησία. — 12. Quomodo tentatus fuerit. 667

CAPUT DUODECIMUM.

De sanctitate Christi quæsita per saturam nonnulla proponuntur. — 1. Ac primo ratio profertur, ob quam videri potest peccatrix caro Christi nominanda, ex communi Patrum decreto, — 2. præsertim Tertulliani : quod tamen explicatur. — 3. Refelluntur ii, qui, ut caro Christi ab omni vitio remota censeatur, necesse putant beatam Virginem ab originali eximere macula.— 4. Vera ratio, propter quam etiamsi B. Virginis caro infecta fuisset, non itidem inquinata esset Christi caro. — 5. Altera quæstio an in lumbis Abraham decumata Christi caro fuerit. Non fuisse respondetur ex Augustino.— 6. Tertia quæstio, utrum præter causam illam sanctitatis in humanitate Christi, alia petenda sit ex habitu gratiæ, atque an istam ille habuerit. — 7. Fuisse probatur in Christo. — 8. Cujus ab S. Thoma allata ratio potissimum expenditur. — 9. Quæ ex Cassiano firmatur. — 10. Donis Spiritus sancti præditum fuisse Christum, ex Isaia demonstratur. — 11. Refellitur eorum opinio, qui sanctitatis, et impeccantiæ Christi causam non putant ex hypostatica conjunctione repetendam. — 12. Cur increata sanctitate, velut forma, homo Christus sanctus fuerit, cum ex aliis attributis denominationem non traxerit. 673

CAPUT TERTIUMDECIMUM.

De prædestinatione Christi. — 2. Proponitur et illustratur Apostoli locus, unde nata quæstionis illius occasio. — 3. Quid sit ὁρισθῆναι. — 4. Duplex interpretatio loci apostolici, Græcorum una, altera Latinorum ; quid sit destinare, et prædestinare. — 5. Quomodo Christus prædestinatus sit, ex Apostoli mente. — 6. Et quemadmodum secundum Spiritum, et ex resurrectione mortuorum contigerit. 679

CAPUT QUARTUMDECIMUM.

Explicantur ea quæ ad prædestinationem Christi pertinent. — 1. Duobus modis spectatur, absolute, et comparative. — 2. Utraque a SS. Augustino, et Thoma declaratur. — 3. De posteriore hic agitur. — 4. Prædestinationem in Christo agnoscit Augustinus. — 5. Quæ sine merito facta, contra quam Nestorius credidit. — 6. Christum, qua Deus est, non prædestinari : — 7. sed ejus humanitatem ad hypostaticam unitionem. — 8. An hic homo in Christo prædestinatus dici possit. Respondetur posse. — 9. Quod in contrarium objectum est, dissolvitur. — 10. Prædestinatio, cum sit actio intellectus, non requirit in objecto rei abs re discrimen. Expenditur opinio S. Thomæ de hac propositione, Homo non dicitur factus Deus, sed dicitur prædestinatus. 682

FINIS INDICIS LIBRORUM ET CAPITUM.

MONITUM EDITORIS.

Uti jam præmonuimus, Indices rerum memorabilium, et locorum Scripturæ, quæ ad libros de Incarnatione spectant, sub fine tomi septimi, re demum absoluta, apponentur.

Barri-Ducis. — Typis Ludovici GUERIN, et sociorum, via nominata de la Rochelle, 49-51.

208.8
P 441 ** 39175

PETAVIUS, DIONYSIUS
AUTHOR

Opus de Theologicis Dogmatibus
TITLE

Tomus 6

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	[redacted]

39175